Digitized by Google

3 - 231

Digitized by Google

3 —

Digitized by Google

NOTÆ HISTORICÆ

IN UNIVERSUM JUS CANONICUM

RATIONIBUS CONSENTANEIS ADSERTÆ,

Quæſtionibus Hiſtorico-Critico-Dogmatico-Scholaſticis illuſtratæ, munitæ, atque in uſum cupidæ Legum Sacratiorum Juventutis præcipue directæ.

AUTHORE

P. THEODORO M. RUPPRECHT

Ordinis Servorum B. M. V. Sacro-Sanctæ Theologiæ, ac Sacrorum Canonum Lectore, nec non Provinciæ Bohemo-Rhenanæ Definitore Actuali.



VENETIIS MDCCLXIV.

TYPIS SEBASTIANI COLETI.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

3 – 291

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum in Notas hiſtoricas in univerſum Jus Canonicum, quas P. THEODORUS MARIA RUPPRECHT Pragæ typis mandavit, ſorte incidiſſem, ac per otium, ut Bipliopolarum ingenium eſt, ſedulo percurriſſem, ita ſummam ſcientiam hominis in Theologia minime novi, eruditionem pene ſingularem, ordinem in re ſcribenda, mentis aciem denique admiratus ſum, ut eo ipſo temporis articulo denuo meis typis edendas curaverim. Pergratum me tibi ſacturum, Lector, qui Juri Canonico atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudes, merito duxi, cum vix alium invenias, qui Juri Canonico notas hiſtoricas appoſuerit, & Germanicam editionem non ſatis uſui eſſe pro certo ſciam. Nam præterquamquod innumeris ſcatet erroribus, cum quatuor voluminibus conſtet, minus videtur commoda argumentum evolventi. Quod ergo ad partitionem attinet, ex illis quatuor, quæ *in quarto*, uti vocant, excuſa ſunt, unum hoc ſatis grande confeci, quod & commodius verſari poſſit, & Bibliothecarum cancellis magis ſit aptum. Illud moneo, Authorem hujus voluminum diviſionis mentionem facere, atque illa uti paſſim; tum Præfatiunculas ſingulis præmiſiſſe, quarum tres priores *Oeconomiam Opuſculi*, quartam vero *Proœmium* inſcripſit, quas poſt hanc noſtram habebis aliam poſt aliam. Etenim prætermittendas non cenſui, cum totius operis quamdam veluti ideam proponant, & quid, & quomodo in ſingulis voluminibus pertractatum ſit, breviter indicent. Sed ut iis melius utaris, tibi præmonſtrandum eſt, quis finis eſſet cuique volumini conſtitutus. Itaque pagina 104., ubi author *calamum excutit*, cum Titulo II. Libri I. Decretalium primum abſolvebatur. Secundum cum ſecundo Decretalium Libro pag. 211. Tertium cum tertio pag. 341. ubi idem *gratia IV. Tomi æquali cum reliquis mole edendi tertio finem imponit*. Cum quinto Libro denique quartum. Hæc ratio noſtræ editionis habenda. De errorum emendatione etiam eſt, paucis quod monitum te voluerim. Ego vero nolim credas ab omnibus mendis has Notas hiſtoricas me vindicaſſe, atque tibi dari caſtigatiſſimas. Difficillimum enim ac nimis operoſum ſententiam toties corruptam reſtituere, loca Scriptorum non recte allata verbaque conferre cum exemplaribus, numeros, interpuncta, denique ὀϱθογϱαφίαν emendare. Nihil, hercle, tempori, nihil operi peperci, ſed aliquos tamen errores reliquos eſſe ingenue fateor. Ut ignoſcas, etiam atque etiam rogo, atque in repurgandis his in univerſum Jus Canonicum Notis hiſtoricis me pro viribus egiſſe tibi perſuadeas.

ŒCONOMIA OPUSCULI (1)

SEquens eſt. In binos Titulos partitum exiſtit; primus VIII. celebriora Eccleſiæ Catholicæ exhibet Symbola; alter ejuſdem Canonum, Conſtitutionumque codices tum veteres, tum recentiores complectitur; quibus Sacroſancti ac œcumenici Concilii Tridentini noviſſima de reformatione decreta, atque (& hoc quidem in gratiam Alemannicæ nationis) præcipua concordatorum Germaniæ, pacis religioſæ, nec non Weſtphalicæ capita adjecta ſunt; ſingula inſuper, ubi id ratio poſtulabat, Diſſertationibus vel Hiſtoricis, vel Criticis, vel Dogmaticis, aut demum Scholaſticis luculenter munita, atque illuſtrata.

Scopus, quem ſuſcepto labori præfixi, is quidem etiam fuit, ut præcipua Eccleſiæ depoſita, *Teſſeras nimirum Fidei, Conſtitutioneſque*, magnis ſumptuoſiſque voluminibus ſparſas, in hunc quodammodo faſcem collectas, præfatoque modo munitas, atque illuſtratas, reipublicæ literariæ redderem familiariores. Sed ille præcipuus, ut cupidæ legum ſacrarum Juventuti, imprimis Germanicæ, ejuſdem opellæ ſubſidio juſtam de corpore Juris Canonici, quo hodie utimur, notionem ſuppeditarem; cui tanquam ſolido fundamento reliquum ſacratioris Juriſprudentiæ ædificium ſine offendiculo ſuperſtruere valeat. Quantopere enim hanc in rem conducat veterum Eccleſiæ codicum, noviſſimorumque pactorum notitia, Hiſtoriæ, Criticeſque adminiculis fulta, non eſt hic loci adſtruere; novit id dudum orbis literarius univerſus, & attenta præſentium pagellarum lectitatio cordato Lectori fortaſſis perſuadebit.

Cæterum in ſeligendis opinionibus id fixum habui, ut cordata illi ſubſcriberem, quæ mihi veroſimilior apparebat. Faxit Deus, ut labor a me candida mente ſuſceptus, qualis qualis demum ſit, cedat ad majorem ejuſdem Gloriam, B. M. Virginis, Dominæ meæ Clementiſſimæ honorem, Hæreſum depreſſionem, Eccleſiæ Sanctæ Dei (cujus irrefragabili judicio ſingulos apices humiliter ſubjicio) exaltationem, Juris Eccleſiaſtici candidatorum ſubſidium, totiuſque rei literariæ incrementum.

ŒCONOMIA OPUSCULI. (2)

ANnus alter elapſus eſt, quo *Notas hiſtoricas in priores duos Titulos de Summa Trinitate, & Fide Catholica, nec non de Conſtitutionibus Libri I. Decretalium Gregorii Papæ IX.* Pragenis typis commiſi, quibus præcipua Eccleſiæ Catholicæ depoſita, Fidei nimirum teſſeras, atque Canonicas Conſtitutiones illuſtravi, famoſiora ſymbola, vetereſque ac recentes Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ Codices, Juſque noviſſimum Tridentinum, ac compactata Germaniæ in medium afferendo, illaque quæſtionibus Hiſtorico-Critico-Dogmatico-Scholaſticis, ubi id ratio poſtulabat, illuſtrando, muniendo. Sequuntur Deo Auſpice *Hiſtoricæ Commentationes in reliquos ejuſdem Libri I. Titulos, ſimul & in Titulos Libri II.* ſimilem commentationem ferentes.

Quemadmodum autem in commentandis prioribus illis Titulis id fixum habui, ut Symbolorum, Codicumque, ut ajunt, Canonum notitiam, magnis, ſumptuoſiſque voluminibus ſparſam, in unum veluti faſcem collectam cupidæ legum ſacratiorum juventuti ob oculos ponerem, atque ita per quædam quaſi Juris Canonici prolegomena hiſtorica ipſi juſtam de ipſo corpore Juris Canonici, quo hodie utimur, ideam præformarem: ita in continuatione ſuſcepti oneris eum mihi ſcopum principem ſtatui, ut corporis hujus partibus, id ferentibus, idem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lumen, nunquam ſatis commendabile, pro virili affunderem, illudque ea, qua in prolegomenalibus titulis lato calamo pertractatis uſus ſum methodo, quæſtionibus Hiſtorico-Critico-Dogmaticis munirem: Id autem ita præſtare conatus ſum. Diſciplinam, quam obvius titulus ſancit, ad ſua primordia, quantum licuit, reduxi, quibuſque viciſſitudinibus ad præſentem ſtatum perducta fuerit, fideliter indicavi, & quidem proceſſum paſſibus chronologicis pro poſſibili inſtituendo, ſi quid dubium in Hiſtoria, ſi quid cavillatum ab heterodoxis, id quæſtione Hiſtorico-Critica, vel Dogmatica e nubilo eduxi, vindicavi. Ac denique methodo diſtincta, quantum quidem mihi videtur, globum argumenti hiſtorici in propoſitiones præciſas, atque ideæ limpidæ ingerendæ habiles lecui, rationibus conſentaneis, ſcholiiſque ſubjectis munitas.

Faxit Deus, ut ſicut iſthæc provincia a me candida mente ſuſcepta eſt, ita & continuatio ejuſdem cedat ad majorem ejuſdem gloriam, B. MARIÆ Virginis Dominæ meæ clementiſſimæ honorem, hæreſum depreſſionem, Eccleſiæ S. Dei (cujus irrefragabili judicio ſingulos apices denuo humillime ſubjicio) exaltationem, Juris Eccleſiaſtici Candidatorum ſubſidium, totiuſque rei literariæ incrementum.

ŒCONOMIA OPUSCULI. (3)

ABſolutis, Deo Auſpice, Notis Hiſtoricis in Librum I. & II. Decretalium Gregorii Papæ IX. earundem continuatio in Librum III. oculis tuis ſe ſe præſentat, Lector benevole, eodem conſilio ſuſcepta, eademque methodo, qua priores, pertractata, id quod ex illarum proœmiis conſpicere licebit. Si autem in aliquo, certe in præſenti Decretalium libro ampliſſimus ſe ſe aperit hiſtoricarum commentationum campus, utpote qui pleraque exhibet, quæ ad Clerum inferiorem tum Sæcularem, tum Regularem, ejuſdemque Jura, ac obligationes, nec non principem Ordinis poteſtatem, Sacro-Sanctum videlicet Miſſæ Sacrificium pertinent.

Nemo autem ſanæ mentis eſt, qui facile non perſpiciat, quantum interſit omnibus, qui Clericali militiæ vel nomen dederunt, vel eidem adſcribi percupiunt, non ſolum noſſe jura, obligationes, & reliqua, quæ ad illorum reſpective characterem ex diſciplina in corpore Juris hodierni ſancita attinent: verum etiam, quæ horum Jurium, obligationum &c. fuerint origines, progreſſus, mutationes &c. Quæ omnia præſentes Notæ hiſtoricæ, in Cathedris præſertim orarum noſtrarum hucuſque deſideratæ, pro virili ſuppeditabunt.

Et certe ſi hiſtoriæ Eccleſiaſticæ notitia in aliis Facultatibus utilis, quin neceſſaria ab omnibus cordatis judicatur, in Jure Canonico principem locum obtineat eſt neceſſe. Qui enim titulus, quod Capitulum in eo occurrit, quod hiſce radiis non illuſtretur, enodetur, & ſi opus ſit, a cavillis heterodoxorum hoc ſcuto non vindicetur? Ita, ut affirmare auſim, Canoniſtam ſine notitia hiſtorica, non tantum in aſſequendo ſenſu Canonum, verum etiam in reſolvendis, tuendiſque controverſiis hujus fori tum contra domeſticos, tum heterodoxos eſſe parvulum fluctuantem. Qui commentationes hiſtoricas hucuſque datas, atque in librum IV. & V. Deo propitio poſt anni decurſum abſolvendas ea, qua par eſt, attentione, atque maturitate pervolverit, me vera dixiſſe ultro fatebitur.

Et ſane utilius vix aliquid Viro Clerico ſive Sæculari, ſive Regulari accidere poteſt, quam hiſtoriam Eccleſiaſticam pleriſque Juris Canonici (quod poſt Evangelium eſt Regula Cleri) titulis ex magnis, diverſis, ac ſumptuoſis voluminibus habere accommodatam, ex qua intellectus lumen, judicium robur, volun-

---

(1) *Ideſt, Tomi primi.* (2) *Ideſt, Tomi ſecundi.* (3) *Ideſt, Tomi tertii.*

voluntas ſtimulum eſt acceptura, quo ille ſenſum Canonum ſacilius perſpiciat, hoc ſolidius ſententiam ſecat, illa exemplis moribuſque primæ, mediæ, ac poſtremæ ætatis excitetur ad ea, quæ Sacri Canones in hominibus ſuæ vocationis, ſtatus, & officii deteſtati ſunt, ſedulo cavenda, illa vero, quæ ab iiſdem collaudata fuerunt, totis humeris æmulanda. Certe non alio fine Principum filiis hiſtoriæ ſtudium, vocationi ſuæ conforme, imprimis commendatur; nec alium ſcopum habent Belliduces, evaſuri in Heroes, dum inter armorum ſtrepitum res geſtas ſuorum Anteceſſorum pervolvunt.

Atque ut de jucunditate, quam notitia hiſtorica congenitam habet, nihil dicam, quid honeſtius iiſdem Viris Clericis, quam horarum ab obligationibus quotidianis Deo, ſibi, proximiſque vi vocationis, ſtatus, & officii impendi ſolitis, reſiduarum unam alteramve illi exercitationi dicare, quæ noxia multa, ſtatumque eorum apud laicos deprimentia ab illis removere, atque priſtinam eorum reverentiam (quæ niſi doctrina, moribuſque huic ſtatui dignis, conciliari, conſervarique nequit) apud homines profanos, etiam domeſticos, & quidem non ſine multorum culpa, proh dolor! in dies magis vileſcentem, poſtliminio revocare quodammodo nata eſt. Faxit Deus, ut exoptando huic fini, quam aggredior in Librum III. Decretalium, hiſtorica commentatio quidpiam conferat, Juriſque Candidati cum utroque Venerabili Clero per eam ita formentur, ut ſcientia moribuſque pro ſtatus ſui exigentia omnibus domi foriſque degentibus præluceant. Quæcumque autem præſenti libro a me ſcripta fuerint, judicio S. Romanæ Eccleſiæ ſubjecta ſunto.

P R O Œ M I U M. (1)

DEo auſpice, conatus meos ſecundante, oculis tuis ſe ſe præſentat IV. Tomus Notarum hiſtoricarum in Univerſum Jus Canonicum, continens *Notas in Librum IV. & V. Decretalium Gregorii Papæ IX.* Quid in Libro IV. occaſione Matrimonii pertractetur, exhibet prima pagina. In Libro vero V. Tit. 7. *De Hæreticis* Hæreſum omnium Sæculorum brevis hiſtoria texitur & Œconomia Eccleſiæ circa earum punitionem vindicatur. Tit. deinde 8. *De Schiſmaticis* Schiſmata in Romana Sede exorta refero. Poſt hæc Tit. 9. *De Apoſtatis & Reiterantibus baptiſma* fidem libro tertio tit. 41. datam exſolvo & materiam Tit. 42. ejuſdem libri *De Baptiſmo & ejus effectu* huc rejectam pertracto. Deinceps Tit. 38. *De Pœnitentiis & Remiſſionibus* ſeptem §§. ea refero, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ, ac indulgentias hiſtoria Sacra ſuppeditat, & Catholica de his dogmata defendo; ac demum Tit. 39. *De Sententia Excommunicationis* agendo *de Cenſuris* toti operi finem impono.

Habent ergo Juris Canonici Candidati in præſenti opere quadripartito præcipua Eccleſiaſticæ Diſciplinæ in Corpore Juris Canonici fancitæ capita non tantum a ſuis originibus ordine Chronologico cum ſuis mutationibus, reformationibus, augmentis, eorumque cauſis ac occaſionibus deducta, atque quæſtionibus Hiſtorico-criticis, ubi id exigebat ratio, illuſtrata, atque munita: verum etiam præcipuas Fidei materias in eodem jure occurrentes; nimirum de Tranſſubſtantiatione, de Pallio, de Ordine Hierarchico inter Epiſcopos & Presbyteros, de Cælibatu Clericorum, de Ritibus ac Cæremoniis Eccleſiæ Catholicæ, de Purgatorio, de Stato Monachorum, votiſque Religioſis, de Sacrificio Miſſæ, de Sacramento Matrimonii, ejus indiſſolubilitate, monogamia, impedimentis &c. de Inquiſitionis tribunali, de Baptiſmo, de Ordine Hierarchico inter Clerum & Laicos, de Sacramento Pœnitentiæ, de Indulgentiis, deque cenſuris nos inter ac DD. Proteſtantes controverſis, ex primariis Theologiæ fontibus, nimirum S. Scriptura & Patrum remotiſſimorum teſtimoniis ordine Chronologico majori ex parte adductis aſſertas & vindicatas, ut quæſtiones Scholaſticas prætercam hinc inde operi permixtas. Notent autem Sacratiorum Legum perdiſcendarum aut recolligendarum cupidi, ſe non tantum ex mox allatis diſſertationibus tela comparaturos, quibus heterodoxis præſertim modernis Publiciſtis Bohmero, Pertſchio, Thomaſio &c. caſtra ut nunquam alias erigentibus, atque belli aleam in ipſo Juris Eccleſiaſtici gremio jacientibus, obviam procedere valeant; verum etiam in ſingulis titulis ea reperturos momenta, quibus eorum conatus circa alia ejuſdem juris capita ex mox laudatis fontibus retundere poterunt.

Cæterum nemo ſugillet Polemicæ cum Jure Canonico a me fœdus nexumque hoc opere conciliatum eſſe; eundem enim abunde juſtificant motiva allata, eundem etiam juſtificat ratio illa, quod plures Juris Eccleſiaſtici apud nos Candidati eidem ſtudium controverſiarum non præmittant, ac hinc adverſariis circa eadem capita oppido ſæpe ſatis impares exiſtant; & finaliter vel maxime illa, quod *Sua Sacra Cæſareo Regioque Majeſtas Clementiſſima Regina ac Domina noſtra Maria Thereſia* inter alia reformationis ſtudiorum a ſe maturo Virorum præſtantiſſimorum conſilio ad maximum literarum eique Catholicæ inde pendentia incrementum, immortalemque nominis ſui gloriam, ordinata capita Anteceſſoribus in Cathedris Juris Eccleſiaſtici eundem nexum conciliandum demandaverit, uti monſtrat perlegenda ſeries Collegiorum Juridicorum A. 1754. ab *eadem Auguſta* eadem matura deliberatione præcedente præſcripta, in qua ſequentia legere licet. *In pomeridianis lectionibus legetur hiſtoria Juris Canonici & agetur de genuinis fontibus univerſi Juris Eccleſiaſtici, ſicut & de Pſeudo-Canonibus in Collectione Iſidori Mercatoris vel potius Peccatoris comprehenſis. His expoſitis explicabitur Jus publicum Eccleſiaſticum juxta opuſculum typis evulgatum, cui titulus:* Principia Juris publici Eccleſiaſtici Catholicorum ad ſtatum Germaniæ accommodata. *Demum prior pars Decretalium Gregorii IX. P. M. In Collegiis matutinis vero pars altera earundem Decretalium, adhibendo pro hoc ſtudio Candidatum abbreviatum Juris-prudentiæ Sacræ a R. P. Vito Pichler concinnatum, & adjiciendo plurimas annotationes, aliaque neceſſaria de Jure Eccleſiaſtico Proteſtantium ex Bohmero, Thomaſio, & Pertſchio, commemorando qualiter iiſdem Catholice ſit obviandum.*

Similem vero ante reformationis negotium intentionem habuiſſe minime noſtræ Provinciæ Bohemiæ ſuperiores Majores, dum eliminatis a Theologica Facultate tricis ac inutilibus quæſtionibus eidem jungi juſſerunt Studia S. Scripturæ, Theologiæ Polemicæ, Critices, hiſtoriæque Eccleſiaſticæ, nec non juris Canonici hac methodo tractandi, vel præſens tenuis opella, incitante mox laudato Authore *Principiorum Juris Publici*, quem Tomo I. cap. 9. N. 35 a. laudo, a me cœpta & Deo auſpice in finem perducta teſtatur. Fateor nihilominus, ſi hiſce in facultatibus, ut moderna felix juventus, & ego fuiſſem enutritus, eam meliorem fortaſſis faciem ſuiſſe ſortitam; crudum itaque contortumque in ea ſi aliquid deprehenderit Benevolus Lector, meæ ignorantiæ haud voluntariæ id adſcribat, atque ex dicto capite excuſet. Cæterum quemadmodum ea, quæ tribus prioribus, ita & quæ præ ſenti Tomo ſcripſi, S. R. Eccleſiæ judicio ex aſſe ſubjecta ſunto.

(a) *Tomi quarti.*

ELEN-

ELENCHUS.

LIBER I. DECRETALIUM.

PRoœmium. Pag. 1.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, ac Fide Catholica. ibid.

Caput unicum. De Symbolis in genere, & in ſpecie de Symbolis Catholicorum. ibid.
§. *I. De Symbolis in genere.* ibid.
§. *II. De Symbolis Catholicorum in ſpecie, & primo de Symbolo Apoſtolorum.* 2.
Quæſtio Critica. An Symbolum, quod Apoſtolicum appellatur, ab Apoſtolis traditum ſit? 3.
§. *III. De Symbolo Nicæno.* 7.
Quæſtio Polemica. Utrum vox Homouſion appoſite & prudenter inſerta fuerit Symbolo Nicæno? 10.
§. *IV. De Symbolo Conſtantinopolitano.* 12.
Quæſtio Critica. An hujus Symboli additamenta primum facta ſint a Patribus CP.? 13.
Quæſtio-Hiſtorica. Utrum Symbolum CP. ſemper ab Eccleſia fuerit receptum? 16.
Quæſtio Hiſtorico-Critica. Quando & a quo particula *Filioque* addita ſit ſymbolo CP.? 17.
§. *V. De Symbolo vulgo S. Athanaſii.* 22.
Quæſtio Critica. Utrum S. Athanaſius ſit Auctor Symboli, quod Athanaſianum dicitur? 25.
§. *VI. De Symbolo Lateranenſi.* 30.
Quæſtio Palemica. Utrum *Tranſubſtantiationis* vocula appoſite, & prudenter inſerta fuerit Symbolo Lateranenſi? 31.
§. *VII. De Symbolo Viennenſi.* 43.
§. *VIII. De Symbolo Florentino, ſeu litteris pro inſtructione Armenorum editis.* ibid.
Quæſtio Polemica. An, ſicut dicit Eugenius Papa IV. in præſenti Decreto, ſeu Symbolo, particula *Filioque* licite ab Eccleſia Latina Symbolo CP. ſit appoſita. 46.
§. *IX. De Symbolo Tridentino.* 49.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus. 50.

Caput I. De Sacrorum Canonum Collectionibus tam Orientalibus, quam Occidentalibus in genere. 51.
Caput II. De Collectionibus Canonum, & Conſtitutionum vulgo Apoſtolorum in ſpecie. 52.
§. *I. De Collectione Canonum vulgo Apoſtolorum.* ibid.
Quæſtio Critica. An Apoſtoli ſint Authores Canonum vulgo Apoſtolorum. 56.
§. *II. De Collectione Conſtitutionum Apoſtolorum.* 62.
Quæſtio Critica. Utrum Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ ab Apoſtolis per Clementem ſint editæ? 63.
§. *III. De Collectione Canonum pœnitentialium.* 64.
Caput III. De Collectionibus ſeu Codicibus Eccleſiæ Græcæ in ſpecie. 68.
§. *I. De Collectione, quæ vulgo Codex Canonum Eccleſiæ univerſæ dicitur.* ibid.
§. *II. De Codice Canonum Eccleſiæ Græcæ poſt Synodum Chalcedonenſem aucto.* 69.
§. *III. De Collectionibus Græcorum, quæ alium, quam temporum ordinem ſervant.* ibid.
Caput IV. De Collectionibus Eccleſiæ Latinæ, quæ extra Corpus Juris, quo hodie utimur, vagantur. 70.
§. *I. De Veteri Codice Eccleſiæ Romanæ.* ibid.
§. *II. De Codice Eccleſiæ Africanæ.* 71.
§. *III. De Codice Dionyſii exigui.* ibid.
§. *IV. De Codice Martini Epiſcopi Braccarenſis.* 72.
§. *V. De Collectione Iſidori, vulgo Mercatoris.* Ibid.
Quæſtio Critica. An Epiſtolæ Romanorum Pontificum a Clemente I. uſque ad Siricium Papam, qui ſedit A. C. 385. ſint ſuppoſititiæ? 75.
§. *VI. De Capitulis vulgo Hadriani.* 83.
§. *VII. De Capitularibus Regum Francorum.* ib.
§. *VIII. De Collectione Reginonis Abbatis.* 84.
§ *IX. De Decreto Burchardi Epiſcopi Wormatienſis.* 85.
§. *X. De Collectione Ivonis Epiſcopi Carnotenſis.* ibid.
§. *XI. De variis Collectionibus Decretalium factis quidem poſt Decretum Gratiani, ſed Corpori Juris, quo hodie utimur, non illatis.* 86.
Caput V. De Collectionibus in Corpore Juris, quo hodie utimur, exſtantibus. ibid.
§. *I. De Decreto Gratiani.* ibid.
Quæſtio Scholaſtica. An Decretum Gratiani Legali Authoritate polleat? 89.
§. *II. De Decretalibus Gregorii Papæ IX.* ibid.
§. *III. De reliquis Corporis Juris Canonici partibus, ſeu de Sexto Decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.* 90.
Quæſtio Scholaſtica. An Decretales Gregorii IX. & reliquæ partes Corporis Juris Canonici Legali Authoritate polleant? 91.
§. *IV. De Appendicibus Corporis Juris hodierni in aliquibus editionibus annecti ſolitis.* 92.
Caput VI. De Jure noviſſimo e Conſtitutionibus Eccleſiaſticis. ibid.
§. *I. De Bullario Romano.* ibid.
§. *II. De Regulis Cancellariæ.* 93.
§. *III. De Concilio Tridentino.* ibid.
Caput VII. De quibuſdam aliis Corpus Juris Canonici concernentibus. 95.
§. *I. De Declarationibus Cardinalium.* ibid.
Quæſtio Scholaſtica. An Declarationes Cardinalium vim Legis obtineant. 96.
§. *II. De Rota Romana.* 98.
§. *III. De Rubricis, Summariis, Superſcriptionibus, & Gloſſis Juris Canonici.* 99.
Caput VIII. De Concordatis Sacerdotium inter & Imperium, Statum Germaniæ concernentibus. 101.
§. *Unicus. De concordatis inter Fridericum III. & Nicolaum V.* ibid.
Caput IX. De Pace Religioſa. 102.
Caput X. De Pace Weſtphalica. 103.

TITULUS VI.

De electione, & electi poteſtate. 104.

§. *I. De electione Epiſcoporum.* ibid.
§. *II. De electione Romani Pontificis.* 110.
Quæſtio Dogmatica. An Romani Pontifices Gregorius VII. ejuſque Succeſſores inveſtituras juſte damnaverint? 115.
§. *III. De Confirmatione Epiſcoporum.* 123.
§. *IV. De Epiſcoporum Ordinatione.* 125.

TI-

TITULUS VII.

De tranſlatione Epiſcoporum. 126.

Difficultas orta ex cap. 2. h. t. explanatur, & dictum capitulum cum notis hiſtoricis in hunc Titulum conciliatur. 127.

TITULUS VIII.

De authoritate & uſu Pallii. 128.

Quæſtio Dogmatica. An uſus Pallii ſit cæremonia rationabilis. 132.

TITULUS IX.

De Renuntiatione. 138.

TITULUS XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 141.

§. I. *De ipſis Ordinibus.* ibid.
§. II. *De materia, forma, & ritu Ordinum.* 144.
§. III. *De officiis Ordinatorum.* 145.
§. IV. *De interſtitiis.* 146.

Quæſtio Hiſtorico-Critica. An Diaconiſſæ illæ, quæ in Miniſterio erant Eccleſiaſtico, aliquando verum ſuſceperint Ordinem? ibid.

TITULUS XV.

De ſacra Unctione. 148.

§. I. *De Sacris Oleis, eorum confectione, & Benedictione.* 149.
§. II. *De ſacris Unctionibus in adminiſtratione Sacramentorum Baptiſmatis, Confirmationis, & extremæ Unctionis, earumque ritibus.* 150.
§. III. *De Unctionibus Epiſcoporum, Sacerdotum, Imperatorum, Regum, Templorum, Altarium, Calicum, Patenarum, Fontis Baptiſmatis, & Campanarum.* 152.

Quæſtio Dogmatica. An Ritus Benedictionis Oleorum ſit magicus, ſuperſtitioſus, vel idololatricus? 153.

TITULUS XXIII.

De officio Archidiaconi. 155.

TITULUS XXIV.

De officio Archipresbyteri. 157.

§. I. *De Archipresbyteris.* ibid.
§. II. *De Chorepiſcopis.* 158.

Quæſtio Scholaſtica. Utrum Chorepiſcopi fuerint meri Presbyteri, an Epiſcopi? 159.

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

De officio Primicerii, Sacriſtæ, & Cuſtodis. 162.

TITULUS XXVIII.

De officio Vicarii. 165.

TITULUS XXX.

De officio Legati. 167.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia. 170.

Quæſtio Dogmatica. De Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia divino Jure inſtituta. 178.

LIBER II. DECRETALIUM.

TITULUS I. ET UNICUS.

De Judiciis. 192.

§. I. *De Judicibus.* ibid.
§. II. *De Litibus & cauſis Civilibus Laicorum.* 194.
§. III. *De Cauſis & delictis Clericorum.* 196.
§. IV. *De Cauſis Epiſcoporum.* 198.
§. V. *De Cauſis, quæ hodie in Romana Curia tractantur.* 200.
§. VI. *De forma Judiciorum Eccleſiaſticorum.* 205.
§. VII. *De Appellationibus.* 207.

LIBER III. DECRETALIUM.

TITULUS I.

De vita & honeſtate Clericorum. 212.

TITULUS II.

De cohabitatione Clericorum & mulierum. 217.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis. 220.

Quæſtio Dogmatica. An Eccleſia Latina Clericis in majoribus Ordinibus conſtitutis uſum Matrimonii juſte interdixerit? 229.

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel Præbenda. 236.

TITULUS V.

De Præbendis & Dignitatibus. 241.

§. I. *De Præbendis.* ibid.
§. II. *De Dignitatibus & Perſonatibus.* 246.

TITULUS XXV.

De Peculio Clericorum. 247.

Quæſtio Scholaſtica, An Beneficiati ſint Domini redituum Beneficialium ſuperfluorum? *in notis hujus Tituli hiſtorice pertractata.* ibid.

TITULUS XXVI

De Teſtamentis & ultimis voluntatibus. 253.

Quæſtio Scholaſtica, An Beneficiarii de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis teſtari valeant? *in notis ejuſdem Tituli hiſtorice pertractata.* ib.

TITULUS XXVIII.

De Sepulturis. 257.

§. I. *De loco Sepulturæ.* 258.
§. II. *De Jure Sepeliendi.* 260.
§. III. *De Ritibus Generalibus Sepulturæ Catholicorum.* 262.

Quæſtio Dogmatica. An Ritus Sepulturæ Catholicorum ſint rationabiles? 264.

TITULUS XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus. 267.

§. I. *De Decimis.* ibid.
§. II. *De Primitiis & Oblationibus.* 272.

TITULUS XXXI.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem. 275.

§. I. *De Monachorum origine & varietate.* ib.
§. II. *De Monachorum Regulis.* 280.
§. III. *De Monachorum Novitiatu & Profeſſione.* 282.
§. IV. *De Diſciplina Monachorum in communi viventium.* 286.

Quæſtio Dogmatica. An Status Monaſticus ſit ſalutaris & utilis tum ſuis Profeſſoribus, tum toti Eccleſiæ? 289.

TI-

TITULUS XXXV.

De Statu Monachorum & Canooicocum Regùlacium. 302.

§. I. *De Clericis & Canonicis Regularibus*. ib.
§. II. *De Ordinibus Milicaribus*. 309.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus. 311.

TITULUS XL.

De Conſecratione Eccleſiæ vel Altaris. 314.

TITULUS XLI.

De Celebratione Miſſarum, & Sacrameoto Euchariſtiæ, & Divinis Officiis. 318.

§. I. *De ipſa Miſſæ Sacrificio, ejuſque inſtitutione, ac frequentatione in Eccleſia*. ibid.
§. II. *De variis nominibus hujus incruenti Sacrificii*. 321.
§. III. *De Ritibus in Sacrificio Miſſæ adhibitis*. 323.
§. IV. *De Liturgiis*. 325.
§. V. *De variis Miſſarum generibus*. 328.
§. VI. *De iis, quæ ad Miſſæ locum, tempus, numerum, idioma ſpectant*. 330.
§. VII. *De Veſtibus Sacerdotalibus*. 332.
§. VIII. *De Partibus Miſſæ*. 333.

Quæſtio Hiſtorico-Dogmatica, An Miſſæ Sacrificium a Chriſto fuerit inſtitutum, & ab incunabulis Eccleſiæ frequentatum? *in notis hujus Tituli hiſtorice pertractata*. ibid.

LIBER IV. DECRETALIUM.

TITULUS I. ET UNICUS.

De Sponſalibus & Matrimonio. 342.

§. I. *De Matrimonio ſecundum ſe, ejus primæva inſtitutione, ac ſucceſſiva œconomia uſque ad Chriſtum*. ibid.
§. II. *De Matrimonio per Chriſtum reformato, atque œconomia Eccleſiæ circa Polygyniam & divortia*. 346.
§. III. *De Matrimonio poſt mortem Conjugis iterato, ſeu de ſecundis Nuptiis*. 358.
§. IV. *De Solemnitatibus Matrimonii, præcipue de Sponſaliis*. 366.
§. V. *De Matrimonii impedimentis in genere*. 376.
§. VI. *De Matrimonii impedimentis in ſpecie, tam impedientibus, quam irritantibus*. 381.

Quæſtio Dogmatica. An Matrimonium a fidelibus baptizatis legitime contractum ſit verum novæ Legis Sacramentum? 396.

Quæſtio Scholaſtica. Nam Sacerdos, an ipſi contrahentes ſint Sacramenti Matrimonii Miniſter? 402.

LIBER V. DECRETALIUM.

TITULUS VII.

De Hæreticis. 410.

§. I. *De Hæreſibus atque Hæreticis*. ibid.
§. II. *De Judicibus Hæreticorum, eorumque in illos auctoritate*. 448.

Quæſtio Dogmatica. An Judices tum Eccleſiaſtici, tum Laici in Eccleſia Catholica Hæreticas pœnis temporalibus, ac ipſa etiam ultimo ſupplicio jure damnaverint, ac damnent? 453.

TITULUS VIII.

De Schiſmaticis. 461.

TITULUS IX.

De Apoſtatis & Reiterantibus Baptiſma. 469.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remiſſionibus. 475.

§. I. *De Pœnitentia cum Quæſtione Dogmatica*, An ſit verum Novæ Legis Sacramentum? ib.
§. II. *De Confeſſione ſecundum ſe, ejuſque ad ſalutem conſequendam neceſſitate ex præcepto Chriſti*. 478.
§. III. *De Confeſſione publica & privata*. 485.
§. IV. *De Satisfactione*. 486.
§. V. *De Abſolutione*. 492.
§. VI. *De Ordinario Pœnitentiæ Miniſtro*. 497.
§. VII. *De Indulgentiis*. 500.

TITULUS XXXIX.

De Sententia excommunicationis. 507.

§. I. *De pœnis Eccleſiaſticis, ac de cenſuris in genere, nec non de depoſitione, ac degradatione in ſpecie*. ibid.
§. II. *De Cenſuris in ſpecie*. 509.
§. III. *De Irregularitate*. 515.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, & Approvazione del P. *F. Serafino Maria Maccarinelli* Inquiſitor General del S. Officio di Venezia nel Libro intitolato *Notæ Hiſtoricæ in Univerſum Jus Canonicum &c. Auct. P. Theodoro M. Rupprecht, opus in quatuor Tomos diſtributum*, non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Principi, & buoni coſtumi concediamo Licenza a *Sebaſtiano Coleti* Stampator di Venezia, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, & preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, & di Padova.

Dat. li 16. Settembre 1762.

(Sebaſtian Zuſtinian Ref.
(Alviſe Mocenigo 4°. Cav. Ref.
(Polo Renier Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 147. al Num. 740.

Giacomo Zuccato Seg.

NOTÆ

NOTÆ HISTORICÆ IN JUS CANONICUM.

PROOEMIUM.

I. CUm Jus Eccleſiaſticum (quod Rivulus quidam & Appendix Evangelii eſt, dogmata illius explicans, & præcepta ad particulares diſpoſitiones applicans) eundem cum illo finem habeat, a gentium Magiſtro ad Titum c. 3. v. 12. indicatum, videlicet: *Ut juſte & pie vivamus in hoc ſæculo*: ad juſtam autem & piam vitam Chriſtiani requiratur, ut primo reguletur ejus intellectus per *Veritates fidei*, quia *juſtus ex fide vivit*, ad Rom. 1. v. 17. & *ſine fide - - impoſſibile eſt placere Deo*, ad Hebr. 11. v. 6. Secundo, ut per *Leges* ordinetur ejus voluntas, ac externa converſatio, quia *Fides ſine operibus mortua eſt*, Jac. 2. v. 20. gemini, quemadmodum illud, materiis abſolvitur: nimirum *Jure credendorum*, quo dirigitur intellectus, & *Jure agendorum*, quo regulatur voluntas, & externa converſatio.

2. Regulas *generales* credendorum Compilator Decretalium S. Raymundus de Pennafort, ſacerrimi Ordinis Prædicatorum, ſub Titulo primo Libri primi ſuæ collectionis locat, quem *de ſumma Trinitate*, ac *de Fide Catholica* inſcribit; Regulas vero *Generales* agendorum ſequentibus tribus Titulis comprehendit, quos *de Conſtitutionibus*, *de reſcriptis*, & *de conſuetudine* prænotat.

3. In his quatuor Titulis generalia continentur principia, ac veluti fontes, locique communes, ex quibus in Jure publico Eccleſiaſtico reſpective firma promuntur argumenta; quapropter & Prolegomenon inſtar habentur, & eorum interpretatio veluti præambulum quoddam ad vaſtam Juris Eccleſiaſtici prudentiam conſideratur.

4. Cum autem intentionis noſtræ non ſit Prolegomena Juris publici Eccleſiaſtici texere; ſed ea Notis Hiſtoricis, Studioſis Juris Eccleſiaſtici in Germania fortaſſis profuturis, duntaxat illuſtrare, haſque tituli poſteriores *de Reſcriptis* & *de Conſuetudine* vix patiantur; cum prior quantum ad præſens inſtitutum attinet, ſub titulo *de Conſtitutionibus* commode veniat, & de poſteriori id per ſe pateat: circa duos priores ſolummodo occupabimur; ſub priori *de Symbolis*, quæ Jus credendorum, ſub poſteriori *de Conſtitutionibus*, quæ Jus agendorum exhibent, tractaturi.

TITULUS I.

De Summa Trinitate, ac Fide Catholica.

SUb hoc Titulo Compilator Decretalium locavit Symbolum Concilii Lateranenſis quarti, quod incipit *Firmiter credimus*; unde occaſionem ſumimus quædam de Symbolis diſſerendi.

CAPUT UNICUM.

De Symbolis in genere, & in Specie de Symbolis Catholicorum.

§. I.
De Symbolis in Genere.

5. MIſſis Symbolis aliarum Sectarum, quarum fere nulla eſt, quæ ſua non oſtendat Symbola, noroſque ſymbolicos, Notas noſtras hiſtoricas in Symbola Fidei Catholicæ, ſeu in illas collectiones dabimus, quibus *Jus credendorum* e Verbo Dei ſcripto traditove hauſtum, memoriæ juvandæ cauſa brevibus aliquot ſententiis, ſeu articulis comprehenditur, & quibus orthodoxi, ceu teſſeris, ab Heterodoxis diſcernuntur, numerum præcipuorum, auctores a quibus, tempus quando, locum ubi, occaſionem quare condita ſunt, referendo, & limam criticam, dogmaticamque, ubi opus fuerit, adhibendo.

6. Symbolum autem duplicem poteſt habere ſignificationem. Primo, ut idem ſignificet ac *Nota* ſeu *Character*, quo quis ab altero dignoſcitur veluti teſſera; quo ſenſu ſymbola Fidei ſunt *Sententiæ*, *quibus homo fidelis ab infideli diſtinguitur*. Hæcque, ſi etymologiam Græci nominis *Symbolon* ſpectes, propria ejus eſt interpretatio. Secundo, ut ſignificet collationem vel collectam: & ſic ſymbolum eſt totius Legis Catholicæ Fides in unum collecta, ſeu *brevis & præcipua ſummula credendorum*. Verum hanc etymologiam, quam adferunt Eccleſiaſtici Scriptores Ruffinus, S. Iſidorus, Rabanus Maurus, & poſt eos Innocentius III. lib. 2. Myſteriorum Miſſæ c. 49. genuinam non eſſe contendit Natalis Alexander diſſert. 12. in ſæc. 1. hiſt. Eccl. *Qui enim* (inquit) *vim græcæ vocis noverunt, & veteres Grammaticos evolvere, falſum eſſe fatentur, quod Symbolum Collationem, ſive Cœnam collatitiam ſignificet, veteres namque collatitiam Cœnam Symbolam*, non Symbolum *dixerunt, ut multis probat Gerardus Voſſius libro de tribus Symbolis diſſ.* 1. *c.* 17. Addit ibidem numero tertio derivari poſſe hoc nomen non a militari, ſed a contractuum teſſera. Eſt namque teſſera pacti, quod inimus cum Deo in Baptiſmo, ſicque illud accepiſſe S. Petrum Chryſologum ſerm. 62. de Symbolo Apoſtolorum refert. Sed quid quid ſit circa Symboli etymologiam, certum eſt, Symbola Catholicorum ſecundum ea, quæ continent, & eſſe fidei collectas, & teſſeras veluti militares, quibus fidelis ab infideli diſcernitur, atque etiam teſſeras contractus vel pacti, quod inimus cum Chriſto in Baptiſmate.

7. Quantum ad Auctores Symbolorum docet *S. Th.* 22. *q.* 1. *a.* 10. *in* (.) ad ſolum Summum Pontificem, tanquam Caput totius Eccleſiæ pertinere ordinationem, vel editionem Symboli; ita ut quæcunque ſimilis collectio rationem Symboli non habeat, niſi vel ipſo edente, vel editum a Concilio generali, particulari, aut homine privato approbante. Unde ad tertium ſubdit: *Dicendum, quod Athanaſius non compoſuit manifeſtationem Fidei per modum Symboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ; ut ex ipſo modo loquendi apparet; ſed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, Authoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi Regula Fidei habeatur.*

8. Nunc quantum ad numerum Symbolorum,

quamvis teſte S. Leone M. Ep. 23. ad Pulcheriam Auguſtam, *ipſa Catholici* (id eſt Apoſtolorum) *Symboli brevis & perfecta Confeſſia, quæ duodecim Apoſtolatum totidem eſt conſignata ſententiis, tam inſtructa ſit omni munitione cœleſti, ut omnes Hæreticorum opiniones ſuo ipſius poſſint gladio detruncari*; plura nihilominus Symbola Fidei ſucceſſive in Eccleſia Catholica fuerunt edita, tum ad excluſionem Hæreſum pro tempore enatarum; tum ad majorem veritatum in prioribus implicite contentarum explicationem. Imo aliquibus novæ prorſus, ac antea communiter non uſitatæ, nec niſi ſenſu in ſacris paginis contentæ voces inſertæ ſunt, ut Nicæno vox *Conſubſtantialitatis*, Lateranenſi vox *Tranſubſtantiationis &c.* exigentibus id aſtutis novatorum locutionibus, quemadmodum in progreſſu videbimus.

9. Nec huic multiplicitati obſtat (ut hic obiter advertamus) quod Synodus Epheſina actione ſexta ad finem ſanciat; *aliam fidem nulli licere proferre, vel conſcribere, vel componere, præter definitum a SS. PP. qui in Nicæa congregati ſunt cum Spiritu S.* atque hanc Sanctionem Anathemate roboret; idemque reiteretur in geſtis Chalcedonenſis Synodi actione quinta prope finem, prout videre eſt in Coletana Conciliorum collectione tomo 3. pag. 1219. & tomo 4. pag. 1459.

10. Nam, ut bene reſpondet S. Th. 22. q. 1. a. 10. ad 2. *prohibitio & ſententia Synodi ſe extendit ad privatas Perſonas, quarum non eſt determinare de fide; non enim per hujuſmodi ſententiam Synodi Generalis ablata eſt poteſtas ſequenti Synodo novam editionem Symboli facere: non quidem aliam fidem continentem, ſed eandem magis expoſitam.* Quibus innuit, Symbola, quæ edita fuerunt ſucceſſive in Eccleſia poſt Symbolum Apoſtolorum, ab illo non eſſe aliena, ſeu fidem aliam continentia, ſed Nicænum hujus, & ſequentia præcedentium declaratoria. Quemadmodum teſte S. Auguſtino *Tr. 36. in Jo.* quatuor Evangelia non tam ſunt quatuor Evangelia, quam quatuor Libri ejuſdem Evangelii.

11. Quamvis ergo Symbola in Catholica Eccleſia ſint numero plurima; ita ut teſtetur idem S. Doctor 2. p. q. 36. a. 2. ad 2. *In quolibet Concilio conſtitutum fuiſſe Symbolum aliquod propter errorem aliquem, qui in Concilio damnabatur*: ex his tamen nonniſi celebriora ſeligemus Notis Hiſtoricis illuſtranda: videlicet *Symbolum Apoſtolorum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, Symbolum vulgo S. Athanaſii, Lateranenſe, Viennenſe, litteras pro inſtructione Armenorum editas, & Tridentinum.*

12. Quod tandem occaſionem edendi Symbola concernit, eam, ut jam advertimus, dederunt Hæreſes ſucceſſive in agro Eccleſiæ, veluti zizania inter triticum, pullulantes, quas eſſe oportere, *ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant*, docet S. Paulus 1. *ad Cor. c. 11. v. 19.* Manifeſtabantur autem, & de facto manifeſtantur probati in fide Catholica per Symbola, tanquam per teſſeras triticum a lolio, Filios Dei a filiis belial diſcretivas. Quæ autem Hæreſes dederint occaſionem octo Symbolis, a nobis in Thema aſſumptis, ex progreſſu patebit, dum de ſingulis in ſpecie tractabimus.

§. II.

De Symbolis Catholicorum in Specie, & primo de Symbolo Apoſtolorum.

13. PEr Symbolum Apoſtolorum illud intelligitur, quod Catechumenis tradebatur olim, illudque certo die ante Baptiſmum reddere, ſeu memoriter recitare tenebantur competentes; & hodie quilibet fidelis de Præcepto Eccleſiæ ſcire tenetur, juxta vulgatum illum verſiculum *Credo Pater &c.*

14. Circa hoc Symbolum unum eſt certum tam apud Ortho- quam Heterodoxos; unum controverſum inter illos; & unum diſputatur inter ipſos Orthodoxos. Certum eſt apud utroſque, hoc Symbolum eſſe antiquiſſimum, cum ipſi Heterodoxi epocham illius ultra Sæculum V. non extendant, Calvino *lib. 2. inſtitut.* fatente, illud ab ipſo Sæculo Apoſtolorum exſtitiſſe; aliis contendentibus, illud Sæculo IV., aliis V. ab Eccleſia Romana eſſe conditum, vel denique ab Authoribus Canonum vulgo Apoſtolorum una procuſum, quorum epocha Sæculum V. vel ſexti medium excedere nequit. Controverſum eſt inter Catholicos, & Acatholicos Authores, num ipſi Apoſtoli hoc Symbolum condiderint? Denique Catholici Scriptores non conveniunt de tempore, quo conditum fuit. Item de eo, quod multis perſuaſum eſt, ſingulos nempe Apoſtolos ſingulos articulos condidiſſe, eo ordine, quo referuntur in ſermone 115. qui S. Auguſtino adſcribitur.

15. Priuſquam tamen ad decidenda controverſa puncta procedamus, animadvertendum eſt ex Jacobo Uſſerio in Diatriba de Romanæ Eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere, Symbolum, quod dicitur Apoſtolicum, primis ſtatim ſæculis non una verborum formula in Eccleſiis tum Orientis, tum Occidentis fuiſſe recitatum. In cujus aſſerti confirmationem primo loco adducit variantes lectiones ejuſdem in Eccleſiis Occidentis, quorum agmen ducit Symbolum vetus Romanum, omnium breviſſimum; quod in duobus exemplaribus anno Æræ Chriſtianæ 703. conſcriptis, atque in Cothoniana, & Oxonienſi Bibliothecis aſſervatis, ſe reperiſſe teſtatur, atque a barbariſmis mundatum ita ſonat.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, & in (1) Chriſtum Jeſum Filium ejus unicum Dominum noſtrum; qui natus eſt de Spiritu Sancto, & Maria Virgine; qui ſub Pontio Pilato crucifixus eſt, & ſepultus, tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit in (2) Cælos, ſedet ad (3) dexteram Patris; unde venturus eſt judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritu Sancto, Sancta Eccleſia, remiſſione peccatorum, carnis (4) reſurrectione.

In hoc Symbolo præter barbariſmos in marginem rejectos, adhuc in poſtremis articulis Accuſativus pro Ablativo poni debet.

16. Huic ſubnectit Symbolum Eccleſiæ Aquilejenſis, quæ (verba ſunt laudati) præter Pronominis *hujus* ad carnis reſurrectionem factam adjectionem, etiam Patri titulos *inviſibilis & impaſſibilis* adjunxit; poſt Chriſti quoque ſepulturam altera addita appendicula *deſcendit ad inferna.* Pergit: in Gallicano Fortunati Symbolo, *aſcendit ad infernum* legitur: additamentis illis aliis prætermiſſis. Apud Hiſpanos Chriſti Anno 785. Etherius Uxamenſis Epiſcopus, & Beatus Presbyter adverſus Elipandum Toletanum Archi-Epiſcopum Symbolum Apoſtolicum ita producunt.

CRedo in Deum Patrem omnipotentem, & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Deum & Dominum noſtrum. Qui natus eſt de Spiritu Sancta & Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato. Crucifixus & ſepultus. Deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit vivus a mortuis. Aſcendit in Cælos. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus judicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Eccleſiam Catholicam. Remiſſionem omnium peccatorum. Carnis reſurrectionem. Et vitam æternam Amen.

17. Po-

(1) *Chriſto Jeſu.* (2) *Cælis.* (3) *dextera.* (4) *reſurrectionis.*

17. Poſtea quaſdam aliarum Eccleſiarum variantes lectiones adducit, quarum Romanam Eccleſiam diu teſtatur fuiſſe impatientem. *Quo tamen hodie Romana Eccleſia utitur Symbolum* (verba ſunt Authoris) *additamentis aliquot auctius legi, nec ipſa indicat*, & infra patebit. Adnumerat deinde ex Pſalterio Gregorii Papæ Symbolum iſtud, quo nunc Romana utitur Eccleſia, ſeu vulgare, atque ea, quæ in illo Romano veteri acceſſerunt, diverſo charactere notat, ut ſequitur.

Symbolum Apoſtolorum.

C*Redo in Deum Patrem omnipotentem*, Creatorem cœli & terræ. *Et in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum. Qui* conceptus *eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus*, mortuus, *& ſepultus*. Deſcendit ad inferna. *Tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris* omnipotentis. *Inde venturus judicare vivos, & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum. Sanctam Eccleſiam* Catholicam. Sanctorum Communionem. *Remiſſionem peccatorum. Carnis reſurrectionem*. Vitam æternam Amen.

18. Secundo loco adſert variantia Symbola Eccleſiarum Orientis his verbis: *De orientalium præterea Eccleſiarum (ut eo jam veniamus) communi Symbolo ea refert Ruffinus*: Orientis Eccleſiæ pene omnes ita tradunt (*Credo in* unum *Deum Patrem Omnipotentem*) & rurſus in ſequenti ſermone, ubi nos dicimus (*Et in Jeſum Chriſtum unicum Filium ejus, Dominum noſtrum*) illi tradunt (*& in* unum *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, unicum Filium ejus*). *Hic vero meminiſſe oportet, apud orientales duo extitiſſe Symbolorum genera: contractius unum, (quod cum Romano & Aquilejenſi Ruffinus contulit), fuſius & explicatius alterum.*

19. *Prioris generis fuit Hieroſolymitana, Eccleſiarum omnium Matris*, illud: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum Filium Dei, & reliqua Symboli fidei. *Quemadmodum in Eccleſia Jeroſolymitana vetere Liturgia legitur; qua B. Jacobo, ut primo illius ſedis habito Epiſcopo, tribuitur, & in antiquitatis memoriam etiam adhuc Hieroſalymis ſemel in anno celebrari dicitur. Et quia cætera, quæ ſequebantur (quod ſerio dolemus) ut maxime tum nota, brevitatis cauſa ſunt hic omiſſa: ut aliquo ea jactura reſarciretur modo, integram Sanctæ, & Apoſtolicæ Fidei Confeſſionem, licet (ut ex* viſibilium omnium & inviſibilium *mentione ſub initium facta apparet) aliquanto auctiorem, ſicut Hieroſolymis a Cyrillo fuit explicata, ex Catecheſibus illius undique collectam, viſum fuit illius, quo caremus, loco ſubſtituere*

Symbolum Hieroſolymitanum.

C*Redo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, viſibiliumque omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum: ex Patre genitum ante omnia ſecula: Deum verum, per quem omnia facta ſunt. Qui incarnatus, & homo factus. Crucifixus & ſepultus. Reſurrexit tertio die a mortuis; & aſcendit in cælos, & ſedet ad dexteram Patris, & venturus eſt in Gloria judicare vivos & mortuos: Cujus regni non erit finis. Et in unum Spiritum S. Paracletum, qui locutus eſt per Prophetas. Et in unum Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum; & in unam S. Catholicam Eccleſiam, & in carnis reſurrectionem, & in vitam æternam.*

20. Brevius aliquanto fuit Alexandrinæ Eccleſiæ, ut videtur, illud Symbolum, quod Arius, Eccleſiæ illius Presbyter, Orthodoxum ſe ſimulans, Conſtantino Imperatori obtulit.

C*Redimus in unum Deum Patrem omnipotentem. Et in Dominum Jeſum Chriſtum Filium ejus, ex eo ante omnia ſecula genitum, Deum Verbum: per quem omnia facta ſunt, & quæ in cælis, & quæ in terra. Qui venit, & incarnatus eſt, & paſſus, & reſurrexit, & aſcendit in cælos, & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in S. Spiritum. Et in carnis reſurrectionem, & in regnum cælorum, & in unam Catholicam Dei Eccleſiam; quæ a finibus uſque ad fines eſt.*

Et hæc ad dilucidanda controverſa puncta, de hoc Symbolo ſuperius annotata, ex laudato Uſſerio animadvertiſſe ſufficiat; nunc ad principalem Quæſtionem enucleandam procedamus.

QUÆSTIO CRITICA.

An Symbolum, quod Apoſtolicum appellatur, ab Apoſtolis traditum ſit?

21. NEgat Gerardus Voſſius libro de tribus Symbolis, Diſſertatione prima; contendens hoc Symbolum non dici Apoſtolicum, quia ſit ab Apoſtolis conditum, ſed quia Apoſtolicæ doctrinæ compendium eſt. Dubitat Calvinus *Lib. 2. Inſtit. c. 16.* Audacior illo eſt Chamierus, qui *lib. 9. de Canone c.* 10. ait: *eſſe ab Apoſtolis Symbolum ſic compoſitum, ſi non eſt falſum, certe, quod proximum falſo ſit, nemo negat, incertum eſt.* Quorum ſententia, etſi non ſit hæretica, cum contrarium ab Eccleſia de facto definitum non ſit, temeraria tamen eſt teſte Annato *p. 2. apparatus in Theol. lib.* 5. Quod abſque probabili ratione receptæ Patrum Theologorumque ſententiæ contrarietur. Quam ut ſolide, & clare refellamus;

22. Præſciendum eſt primo: præſentem quæſtionem biſariam tractari ab Authoribus, qui hoc Symbolum Apoſtolis vindicant; aliis dicentibus illud quidem quoad Senſum & Doctrinam ab Apoſtolis eſſe editum, non quoad diſpoſitionem & verba, ut refert Annatus *L. cit. in ult. Reſp.* Aliis e contra contendentibus, illud etiam quoad diſpoſitionem & verba ab iiſdem concinnatum eſſe, ut tenet Natalis Alexander *Diſſert. 12. in ſæc. 1. hiſt. Eccl.* Per Symbolum autem Apoſtolicum laudati Authores intelligunt Symbolum vulgare, ſeu illud, quo nunc Romana utitur Eccleſia; ut legenti patebit.

23. Præſciendum II. quod ſicut vera eſt prior Sententia, ita nullatenus ſuſtineri poteſt ſecunda, quam ſatis confuſe propugnat Alexander, ſi de vulgari Symbolo ſit ſermo, ut infra evincemus. Quapropter, ad evitandam eandem confuſionem, duplici propoſitione præſenti quæſtioni ſatisfaciemus; quarum prima ſtatuemus, Symbolum, quod Apoſtolicum appellatur, ab Apoſtolis traditum eſſe, præſcindendo an quoad ſenſum, & Doctrinam tantum, an vero etiam quoad ſingula verba & ſententias. In ſecunda vero ex Teſtimoniis S. Ambroſii & Ruffini aſſeremus, Symbolum vetus Romanum, quod ſupra n. 15. recitatum eſt, non vero vulgare, quo nunc Romana utitur Eccleſia, & ibi n. 17. pariter adnumeratum eſt, *iiſdem verbis, iis ſententiis, eoque Ordine conſtare, quibus ab Apoſtolis eſt editum.*

PROPOSITIO I.

Symbolum, quod Apoſtolicum appellatur, ab Apoſtolis editum eſt.

24. HÆc Propoſitio, cum factum contineat, ex Patrum Teſtimoniis, quæ apertiſſima ſunt, eſt probanda. Et primo quidam illam ſuadent ex S. Clemente, qui fuit S. Petri Diſcipulus, & in ep. ad Jacobum Fratrem Domini relata apud Coletum tom. 1. Concilior. pag. 83. hæc ſcribit: *Chriſto reſurgente, & aſcendente in Cælum, miſſo S. Spiritu, collata Apoſtolis Scien-*

tia linguarum, adhuc in uno poſiti, Symbolum, quod nunc fidelis tenet Eccleſia, unuſquiſque, quod ſenſit, dicendo, condiderunt; ut diſcedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Item ex S. Auguſtini, qui Sæculo V. floruit, ſermone 115. *de tempore*, ubi ita legitur: *Petrus dixit; Credo in Deum Patrem omnipotentem. Joannes dixit, Creatorem cæli & terræ &c.* Verum quamvis fatear hoc poſterius Teſtimonium magni momenti futurum, ad evincendam genuitatem non tantum Symboli Apoſtolorum in genere, ſed etiam in ſpecie, quod vulgare ſit tam quoad verba, quam ſententias, ac ordinem ab Apoſtolis conditum; primam vero propoſitionem noſtram, prout jacet, plane demonſtraturum; quia tamen utrumque eſſe ſuppoſititium peritioribus Criticis vix non in compeſſo eſt; illis hoc loco contra hæreticos, aut alios quoſvis pugnare nolo, cum telis abundemus ex genuinis Sanctorum Patrum operibus deſumptis. Quos ordine Chronologico placet adducere. Et

25. Primo S. Irenæus S. Polycarpi, qui S. Joannis Auditor fuit, Diſcipulus, floruitque ſæculo II. *Libro 1. adverſus Hæreſes c. 2.* in editione Baſileenſi de a. 1560. pag. 40. ita habet: *Eccleſia enim per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a Diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit Cælum & Terram, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt; Et in unum J. C. Filium Dei incarnatum pro noſtra ſalute &c.*

26. Secundo Tertullianus author Sæculi tertii *Libr. de præſcriptionibus Hæreticorum c. 37.* inquit: *in ea Regula incedimus, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo tradidit.* Porro nomine Regulæ Symbolum iſtud intelligit, de quo agimus, ut conſtat, ex *Lib. de velandis Virg. c. 1. Regula*, inquit, *fidei una eſt, ſola immobilis, & irreformabilis, credendi ſcilicet in unum Deum omnipotentem, Mundi conditorem, & in Filium ejus J. C. &c.*

27. Tertio Lucifer Calaritanus Author Sæculi IV. libro adverſus Conſtantium Imperatorem hoc Symbolum appellat *formam diſciplinæ, & regulam fidei per Apoſtolos traditam.*

28. Quarto S. Ambroſius Sæculi IV. itidem Scriptor, *Libro 1. Ep. 7. ad Syricium Papam* ita ſcribit: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Habetur hæc Ep. in operibus S. Ambroſii editionis Pariſinæ de a. 1632. tom. 5. pag. 186. Omitto aliorum Patrum in idem conſenſum, cum allata Teſtimonia rem conficiant.

PROPOSITIO II.

Si ſtandum ſit Teſtimoniis S. Ambroſii & Ruffini, non Symbolum vulgare, ſed Romanum vetus, ſeu illud, quod eorum tempore in Eccleſia Romana recitabatur, iiſdem plane verbis, iiſdemque ſententiis, atque eo Ordine conſtat, quibus ab Apoſtolis eſt traditum.

29. PRobatur. S. Ambroſius, ut mox vidimus in cit. ep. ita loquitur: *Credatur Symbolo Apoſtolorum, quod Eccleſia Romana intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Quod autem S. ille Pater loquatur de ejuſdem intemeratione non tantum quoad ſenſum, ſed etiam quoad verba, & ſententias, conſtat ex Ruffino, ejuſdem coævo, in expoſitione Symboli ita diſſerente: *Verum priuſquam incipiam de ipſis ſermonum virtutibus diſputare, illud non importune commonendum puto, quod in diverſis Eccleſiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta; in Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum: quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque Hæreſis ulla ibi ſumpſit exordium; & mos inibi ſervatur antiquus, eos, qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publice, id eſt fidelium populo audiente, Symbolum reddere: & utique adjectionem unius ſaltem ſermonis, eorum, qui præceſſerunt in fide, non admittit auditus.* Sed ambo hi Patres loquuntur de Symbolo Romano veteri, non de vulgari: ergo ſi ſtandum ſit eorundem Authoritati, non vulgare, ſed Romanum *Vetus* eſt illud, quod iiſdem plane verbis, iiſdem ſententiis, atque eo ordine conſtat, quibus ab Apoſtolis eſt traditum. P. m. ambo hi Patres loquuntur de illo Symbolo, in quo illa deſiderantur, quæ in vulgari habentur; ergo. P. a. Et inprimis conſtat ex ipſo Symbolo veteri Romano ſupra relato, & fatetur ipſe Alexander, in illo non repetiri particulas *Creatorem cæli & terræ*. 2. Ruffinus l. c. teſtatur: *Sciendum ſane eſt, quod in Eccleſiæ Romanæ Symbolo non habetur additum, Deſcendit ad inferna.* 3. idem Ruffinus ibidem teſtatur, in illo pariter non extare articulum *de Vita æterna* his verbis: *Sed ultimus iſte ſermo, qui Reſurrectionem pronuntiat, ſummam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit.* Idem habet S. Hieron. illis Ruffini adverſarius acerrimus ep. 38. ad Pammachium editionis Benedictinæ Tom. 4. pag. 306. ergo dicti Patres loquuntur de illo Symbolo, in quo prædicta verba deſunt; cum igitur utrumque Symbolum non poſſit quoad verba & ſententias eſſe intemeratum, & Patres citati dicant Romanum Symbolum quoad verba & ſententias eſſe intemeratum, de veteri Romano, in quo dicta verba deſunt, non de vulgari, in quo adſunt, intelligendi ſunt.

Momenta adverſariorum primæ Propoſitionis expenduntur.

ADverſarii nullum priſcorum Patrum Teſtimonium adducere valentes, quo vel negaretur, vel in dubium vocaretur ſententiæ noſtræ veritas, ad leviora Criticæ Momenta confugiunt.

30. Et primo quidem tantis Authoribus tantum fœtum abjudicant: quia de hujus Symboli compilatione nulla ſit mentio in Apoſtolorum ſive actis, ſive epiſtolis.

31. 2. Quia non eſt relatum in Scripturæ Canone, quod utique fieri debuiſſet, ſi ab Apoſtolis revera fuiſſet conditum, non enim minoris eſſet ponderis, quam eorundem epiſtolæ.

32. 3. Quia Symbolum non erat neceſſarium fidelibus niſi ut eodem, quaſi quodam ſcuto ſe ſe opponerent Hæreticis, qui tempore Apoſtolorum fuerunt nulli.

33. 4. Quia Patres non conveniunt in aſſignanda ratione, quæ Apoſtolos impuliſſet, ut ederent Symbolum.

34. 5. Nec Authores de tempore, quo ab Apoſtolis fuiſſet editum; ergo a primo ad ultimum, Symbolum, quod dicitur Apoſtolicum, ab Apoſtolis non fuit editum.

Sed hæc leviora ſunt, quam ut ſcrupulum circa authores hujus Symboli moveant. Quare

35. Ad primum R. multa alia eſſe ab Apoſtolis facta, quorum nec S. Lucas, nec Apoſtolorum ullus meminit. Nec argumentum negativum, ſeu a ſilentio petitum magni ponderis eſt, præſertim in materia ſubſtrata; cum adſit ratio, quare hujus ſymboli nulla fiat mentio ſive in epiſtolis, ſive in actis Apoſtolorum: eo quod ab Apoſtolis non ſit ſcripto traditum, ſed fidelium memoriæ commendatum, ut teſtatur S. Hieron. *cit. ep. 38. ad Pammachium* dicens: *Symbolum fidei, & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis traditum, non ſcribitur in charta aut atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus.* Quæ etiam ratio eſt, quare non ſit relatum in Canone. Per quod patet ad ſecundum.

36. Ad 3. R. Primo negando temporibus Apoſtolo-

ſtolorum nullas fuiſſe Hæreſes, tunc enim Simoniani, Cerinthiani, & Ebionitæ graſſabantur. Tunc inter Fideles obrepebant ſeductores, falſi Prophetæ, falſi Fratres, ut Paulus in ſuis Epiſtolis conqueritur.

Reſp. a. Tranſmiſſo etiam, quod ante diſpeſſionem Apoſtolorum (quo tempore Critici Symbolum iſtud ab Apoſtolis conditum exiſtimant) nullæ exſtiterint Hæreſes, nego tamen inde inferri, Apoſtolos nullam habuiſſe neceſſitatem illud condendi. Nam cum hoc Symbolum ſit primitivum, in ſe ſummatim complectens quidquid a fidelibus ſive neceſſitate medii, ſive præcepti eſt credendum, ad illud tradendum induci potuerunt etiam ex aliis motivis, quæ ad calcem præſentis quæſtionis referemus.

Ad 4. & 5. inferius plura dicemus. Hic ſufficit advertere: quod diſſenſus Patrum de motivo ex quo, item Authorum de tempore quando hoc Symbolum eſt conditum, non deſtruat, ſed ſupponat eos ſentire, illud eſſe ab Apoſtolis conditum.

37. Objiciunt II. ſi Symbolum hoc eſſet ab Apoſtolis conditum iis ſententiis, eo ordine, iſtis verbis, quibus nunc in Eccleſia recitatur; non his verbis hac in Eccleſis, aliis in alia; imo nec hic longe pluribus, alibi paucioribus multo ſententiis conſtitiſſet; atqui variis in Eccleſiis varia prope fuerunt Symbola, aut certe alia & alia verba Symboli, imo in quibuſdam longe plures, in aliis pauciores ſententiæ; ergo Symbolum iſtud non eſt ab Apoſtolis compoſitum iis ſententiis, eo ordine, iſtis verbis, quibus nunc in Eccleſia recitatur. Minor, præterquam quod conſtet ex variantibus formulis ſupra allatis, probatur accurata combinatione variationum.

38. Et 1. quidem Articulus I. vulgaris Symboli ſic habet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*, cui Symbolum Orientale addit vocem *unum*; in Aquilejenſi & Romano veteri omittuntur illa verba *Creatorem cæli & terræ*, tandem in Aquilejenſi poſt iy *Omnipotentem* addit *inviſibilem & impaſſibilem*.

39. 2. In III. Symboli Articulo habet vulgatum, *Qui conceptus eſt de Spiritu S., natus ex Maria Virgine*. Aquilejenſe habet, *Qui natus eſt de Spiritu S. ex Maria Virgine*. Romanum vetus, *& Maria Virgine*. Jeroſolymitanum duntaxat, *Qui incarnatus & homo factus eſt*; ut conſtat ex S. Cyrilli Jeroſol. Catecheſi 12.

40. 3. Articulus IV. in vulgari ſic effertur: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos*. Aquilejenſe paſſionem & mortem præterit, & ſic habet: *Crucifixus ſub Pontio Pilato, & ſepultus deſcendit ad inferna*; Romanum vero vetus deſcenſum ad inferos omiſit, ac ſimiliter Symbola Orientis.

41. 4. Circa IX. Articulum variant Aquilejenſe, Vetus Romanum, & vulgare. Cum enim vulgare Symbolum habeat *Credo S. Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem*, reliqua duo & τὸ *Catholicam*, *& Sanctorum Communionem* omittunt. Et certe in Eccleſiæ exordiis non eſt veroſimile vocem *Catholicam* exſtitiſſe in Symbolo, cum nonniſi poſt Apoſtolorum tempora Eccleſia fuerit Catholica, id eſt *Univerſalis* & per totum orbem diffuſa. Certe S. Auguſtinus libro de *Fide & Symbolo ad Catechumenos*, poſtquam deventum eſt ad S. Eccleſiam, declarationis cauſa apponit *utique Catholicam*; in ipſo tamen ſymboli textu hanc vocem non habet. Nec etiam apud Ruffinum legitur, qui ſane eam vocem explicuiſſet, ſi agnoviſſet, nec enim uſque adeo levis momenti eſt.

41. 5. In Articulo XI., quo profitemur reſurrectionem carnis, Symbolum Aquilejenſe ſubdit *hujus carnis*. Hic porro deſinunt Symbolum Aquilejenſe & Romanum vetus, uti ſupra ex S. Hieronymo & Ruffino vidimus. Unde ab utroque abeſt articulus de credenda *Vita æterna*.

43. 6. In Symbolo, quod Tertullianus repræſentat, pleraque capita ſymboli vulgaris deſunt: ergo non fuit eodem modo traditum Eccleſiis, adeoque non eſt vere Apoſtolicum. P. a. ex ejuſdem lib. *de velandis Virg. c.* 1. ubi inquit: *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcil. in unicum Deum omnipotentem, mundi Conditorem, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum a mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos, & mortuos; & carnis etiam reſurrectionem*. In quo, ut patet, ommittuntur noſtri ſymboli capita de Chriſti deſcenſu ad inferos, de Spiritu S., de Eccleſia, de Sanctorum Communione, de remiſſione peccatorum, & de vita æterna.

44. His momentis permoti quidam reſpondent Symbolum vulgare non eſſe ab Apoſtolis conditum quoad eas ſententias, illum ordinem, & illa verba, quibus nunc in Eccleſia recitatur; bene vero quoad ſenſum. Contrariam viam amplectitur Natalis Alexander cit. diſſertatione 12. ad object. 5. ubi ita diſtinguit majorem argumenti: *Non his verbis hac in Eccleſia, aliis in alia, imo hic longe pluribus, alibi paucioribus ſententiis conſtitiſſet: Si in omnibus Eccleſiis æque integrum, ac intemeratum ſervatum fuiſſet C. ſi in aliis Eccleſiis quædam adjecta ſint, vel prætermiſſa N. Porro in ſola Eccleſia Romana Symbolum Apoſtolicum eo ordine, iiſque plane verbis & ſententiis recitatur, quo ab Apoſtolis traditum eſt.* Hancque reſponſionem fulcit ſupra in propoſitione a. allatis teſtimoniis Ambroſii & Ruffini. Sed quia ibidem demonſtravimus, præfatos Patres manifeſte loqui de Symbolo Romano veteri, & non de vulgari, opinio Alexandri nequaquam ſuſtineri poteſt. Quapropter hac reſponſione rejecta:

45. Reſp. I. negando ſuppoſitum majoris, quod Symbolum Apoſtolorum iis ſententiis, eo ordine, iſtis verbis ſit ab Apoſtolis conditum, quibus *nunc* in Eccleſia recitatur; hoc enim intelligendum eſt de Symbolo Romano veteri, ut ſupra demonſtravimus. Quapropter hac in parte priorum Authorum ſententiam approbamus, qui docent Symbolum vulgare ab Apoſtolis eſſe tantum quoad ſenſum editum; ſeu in Veteri Romano (quod eſſe Apoſtolicum quoad literas & verba ſuſtinemus) virtualiter & implicite contineri ea omnia, quæ in vulgari explicite ponuntur.

46. Reſp. II. Negando quod ex ſuppoſito, quod admittamus exſtare aliquod Symbolum, quod ab Apoſtolis quoad verba & ſententias eſt compoſitum, fieri non potuerit, ut diverſimode in variis Eccleſiis recitaretur, cum enim teſte Hieron. ut ſupra vidimus, hoc Symbolum non fuerit ſcripto, ſed viva voce traditum, non mirum, quod eam intemerationem ubique non ſervaverit, quemadmodum ſcripturæ Canonicæ; ſed aliqua eidem addita fuerint, tum ob minorem antiquitatis tenacitatem, tum ob inſurgentes Hæreſes, ut teſtatur Ruffinus L. ſupra cit. inquiens: *in cæteris autem locis* (videlicet extra Romam) *quantum intelligi datur, propter nonnullas Hæreticos, addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ Senſus crederetur excludi*. Quod Romæ ſaltem uſque ad ſua tempora ex cauſis contrariis non eſſe factum ibidem docet his verbis: *In Eccleſia tamen Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum; quod ego propterea eſſe arbitror, quod neque Hæreſis ulla illic ſumpſit exordium &c.* ut ſupra N. 29. Quamvis & hæc Eccleſia tandem illa additamenta ad ſuum Symbolum admiſerit, quæ ſupra N. 17. diverſo

charecter in vulgari Symbolo notavimus. Quæ tamen omnia & ſingula in veteri Romano virtualiter & implicite contineantur, quemadmodum ex ſolutione probationum minoris jam videbimus. Quaer

47. Ad primum membrum primæ probationis Reſp. Hanc vocem *unum*, quæ exſtat in Symbolo Orientali ſatis intelligi in his veteris Romani verbis: *Credo in Deum*. Namque aut Deus non eſt, aut nonniſi unus eſt, *& pluralitas Deorum nullitas eſt Deorum*, ait Tertullianus. Idem dici poteſt ad ſecundum membr. ejuſdem prob. nam & illa verba *Creatorem cæli & terræ*, quæ in Romano vulgari & Aquilejenſi Symbolo non habentur, contineri in iſta voce veteris Romani *Omnipotentem* quoad ſenſum, nemo ſcit.

Ad tertium Reſp. Ruffinus in ſæpe citata expoſitione Symboli: *Sciendum, quod duo iſti ſermones in Eccleſiæ Romana Symbolo non habentur; conſtat autem apud nos addita Hæreſeos cauſa Sabelli, illius profecto, quæ a noſtris Patripaſſiana appellatur; id eſt, quæ & Patrem ipſum, vel ex Virgine natum dicit, & viſibilem factum eſſe, vel paſſum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidiſſe majores, & inviſibilem Patrem, ac impaſſibilem dixiſſe.* Hæc ille. Cæterum in veteri Romano hæc Hæreſis implicite excluditur illis verbis, quibus *Filius Patris* paſſus eſſe aſſeritur.

48. Ad II. probationem fatemur hunc articulum non tantum in Aquilejenſi, ſed etiam in veteri Romano ita legi, quemadmodum relatus eſt; ſed negamus illa a vulgari & aliis per hoc diſcrepare ſenſu; Chriſtus enim dicitur *natus de ſpiritu S.*, quomodo Angelus dixit S. Joſepho *quod in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt*, græce *Genathen*; quæ vox tam ad conceptum, quam editum fœtum pertinet. In vulgati tamen & aliis ſymbolis majoris explicationis gratia additum eſt, *Qui conceptus eſt de Spiritu S.* ne libido in conceptu irrepſiſſe videretur. Ad Symb. Hieroſol. dicimus: ex S. Cyrillo non poſſe ſatis colligi, quod dictum Symbolum illa verba non haberet, quia nec Symbolum continua oratione recenſet, nec ſingulas diſtincte particulas, & voces; ſed ſumma duntaxat capita fidei, ut conſtat ex illius Catecheſis quartæ N. 3. juxte recentiſſimam ejuſdem operum editionem cura & ſtudio R. P. Tautée Congregationis S. Mauri; ubi inquit: *Sed antequam ea, quæ ad fidem pertinent, tradam, præclare acturus videor, ſi brevi compendio ſumma neceſſariorum dogmatum nunc capita percenſeam*: quanquam & hæc verba *Incarnatum & hominem factum* implicite continent hunc ſenſum: *Qui natus eſt de Spiritu S. & Maria Virgine*, talis enim partus decet Deum.

49. Ad primum membrum tertiæ probationis Reſp. Paſſionem Chriſti ſub eo, quod crucifixus eſt, & mortem ſub eo, quod ſepultus eſt, contineri, qui enim crucifigitur, vere patitur, & non ſepeliuntur niſi mortui.

50. Ad 2. reſpondet Ruffinus l. cit. *Sciendum ſane eſt, quod in Eccleſia Romana Symbolo non habetur additum* deſcendit ad inferna: *Sed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo, quod ſepultus dicitur.* Quam vim Nat. Alex. l. pariter cit. ita eruit; in quantum ſcilicet, ſicut Corpus Chriſti deſcendit ad ſuum locum, nempe terram, quæ eſt locus corporum: ita & anima ad locum animarum, videlicet ad eam inferiorum partem, in qua captivæ tunc detinebantur Sanctorum animæ, ut eas inde educeret; atque ita captivam ducens captivitatem Triumphator in Cœlum aſcenderet.

51. Ad IV. Probationis membrum primum Reſp. illud nullum nobis negotium faceſſere; fatemur enim hanc vocem *Catholicam* neque in Symbolo Aquilejenſi, neque in Romano veteri, quod quantum ad verba & ſententias eſſe Apoſtolicum probavimus, reperiri; & hinc non mirum, quod S. Aug. l. cit. in ſymboli tractu illam non habeat, nam teſte Uſſerio l. cit. *Hoc Symbolum illud eſt, quod tum a Maximo Taurinenſi in homilia de traditione Symboli explicatur; tum ab Auguſtino in Libello de fide & Symbolo competentibus exponitur*: uti videri poteſt in cit. opuſculo, quod in editione Benedictina tom. 6. pag. 151. refertur, & iiſdem prorſus capitibus Symbolum Apoſtolorum exhibet, quibus Romanum vetus abſolvitur. Addita ergo fuit hæc particula Symbolo Apoſtolico tum apud S. Petrum Chryſologum ſerm. 57. tum apud S. Cyrillum Catecheſi 18. illuminatorum; tum in ſymbolo vulgari, tanquam nota veræ Eccleſiæ Chriſti Characteriſtica, in *Sancta Eccleſia* implicite contenta. Quemadmodum & *Communio Sanctorum* implicite in illa continetur teſte Catechiſmo Concilii Tridentini pag. 2. de ſymb. c. 10. n. 20. ubi inquit: *imprimis igitur Fideles docendi ſunt hunc articulum eſſe illius, qui de una S. Eccleſia Catholica antea poſitus eſt*, veluti explanationem quendam.

52. Ad V. prob. Reſp. tam tò *hujus*, quam tò *vitam æternam* virtute contineri ſub illis verbis, quibus in Symbolo Romano veteri profitemur *carnis reſurrectionem*, & quantum ad primam particulam per ſe patet, quantum vero ad ſecundam docet S. Th. 22. *q. 1.* in (-) ubi reſurrectionem carnis & vitam æternam ſub uno articulo pertinente ad glorificationem comprehendit.

53. Ad VI. prob. Reſp. Tertullianum hoc, & aliis duobus locis videl. *lib. de præſcriptionibus Hæreticarum c. 13. & li. adverſus Praxeam c. 2.* præcipua duntaxat ſymboli capita repræſentare, quibus errores tunc regnantes, ſcilicet Praxeæ, Valentinianorum, Marcionitarum, Apellitarum confodiebantur; Symbolum vero integrum, prout competentibus tradebatur, & ab ipſis reddebatur, ſibi non ſumit repræſentandum, & exponendum. Unde nec iiſdem prorſus verbis illud variis in locis referri, imo nec iiſdem penitus ſententiis. Et ideo ex hac Authoritate colligi non poteſt, quod Africana Eccleſia ſymbolum ſuis competentibus traderet iis minutum capitibus, quæ Tertullianus prætermittit.

54. Quæres I. Quo tempore hoc Symbolum ab Apoſtolis fuerit conditum?

Reſp. hac in re variare Auctores; Ruffinus enim in ſæpe citata expoſitione ſymboli aſſerit illud eſſe conditum ipſo anno, quo Chriſtus paſſus eſt. Annatus in ſuo apparatu dicit, illud eſſe conditum in quarto Apoſtolorum Concilio, quod, nulla nixus ratione & authoritate, ponit ad annum Chriſti 37. ſeu juxta vulgarem computationem ad annum 4. poſt Chriſti mortem. Baronius tom. 1. annalium epocham illius ad Annum Chriſti 44. Claudii 2. collocat, ſeu juxta eandem computationem ad annum 10. poſt Chriſti mortem, quo occiſus eſt S. Jacobus Frater Domini. Et revera ulterius extendi nequit, cum teſte eodem l. c. omnium teſtimonio certum, exploratumque habeatur, Petrum hoc anno veniſſe Romam, & conſequenter Apoſtolos jam fuiſſe in omnes terras diſperſos. Non eſt tamen veroſimile Apoſtolos hoc Symbolum condidiſſe poſt ſuam in gentes diſperſionem, & ſine conciliari congregatione, eam per illud normam prædicationis, qua univerſum orbem ad unitatem Fidei reducerent, conſtituere voluerint. Certum ergo eſt, hoc Symbolum ab Apoſtolis ante diſperſionem ſuam eſſe editum, & quidem probabilius Jeroſolymis, incertum ob Authorum diſſenſionem, quo anno ante dictam diſperſionem. Præplacet tamen ſententia Baronii,

quia

quia congruentiſſimum fuit, ut diſceſſuri ab invicem prius in communi conſtituerent, quid quivis in particulari prædicare poſtea deberet.

55. Quæres II. An ſinguli articuli hujus Symboli a ſingulis Apoſtolis eo ordine ſint recenſiti, quo referuntur in ſermone 155. de tempore S. Auguſtino adſcripto? ubi ita legitur: Petrus dixit: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem*. Joannes dixit: *Creatorem cœli & terræ*. Jacobus dixit: *Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum*. Andreas dixit: *Qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine*. Philippus ait: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus*. Thomas ait: *Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis*. Bartholomæus dixit: *Aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis*. Matthæus dixit: *Unde venturus eſt judicare vivos & mortuos*. Jacobus Alphæi: *Credo & in Spiritum S. Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Simon Zelotes, *Sanctorum Communionem, remiſſionem peccatorum*. Judas Jacobi: *Carnis reſurrectionem*. Mathias complevit; *Vitam æternam, Amen*.

Reſp. negative, & hoc ex duplici ratione, 1. quia ſententia, quæ hoc loco adſcribitur Joanni, videl. *Creatorem cœli & terræ*, item media, quæ deputatur Thomæ, videl. *Deſcendit ad inferos*, tandem ultima, quæ adnumeratur Mathiæ, vid. *Vitam æternam* non habentur in Symbolo Romano veteri, quod tamen ex teſtimoniis Ambroſii & Ruffini ſupra demonſtravimus conſtare eo ordine, iis verbis, & ſententiis, quibus ab Apoſtolis conditum eſt. 2. quia contraria & quidem communis fere ſententia in ſolo hoc ſermone fundatur, de quo tamen Baronius L. mox cit. teſtatur, quod, an Auguſtini ſit, ab aliquibus revocatur in dubium; & Natalis Alexander in cit. diſſert. 12. ipſum vel non eſſe S. Auguſtini, vel ab aliquo ſciolo interpolatum per intruſionem dictarum ſententiarum ab unoquoque Apoſtolo dictatum, ex eo conjicit, quod iis expunctis omnia melius fluant, ſic enim habet ille ſermo: *Quod Græce Symbolum dicitur, latine collatio nominatur: collatio ideo, quia collata in unum totius Catholicæ legis Fides Symboli colligitur brevitate; cujus textum vobis modo Deo annuente dicemus*. Expunguntur ergo hic 12. Symboli ſententiæ, quæ cum Apoſtolorum nominibus continuo ſubjunguntur: appoſite ſequitur *Audite ergo Fratres chariſſimi &c.* & poſt pauca *Credo in Deum Patrem omnipotentem, & reliqua ſicut ſupra*. Auctor illius ſermonis integrum hic appoſuit Symbolum, cujus ipſa verba ſe dixerat proxime ſubditurum; ſed Exſcriptor, aut Typographus, qui id prius contextui inſeruerat, ne in ineptam repetitionem incideret, delevit illud præter initium: ſequentium autem loco repoſuit, *reliqua ut ſupra*. Integre enim recitatum eſſe Symbolum eo loci, tum præcedentia, tum adjuncta oſtendunt. Subdit enim illius ſermonis Auctor: *Ego dilectiſſimi hæc verba non humana, ſed Domini cœleſtia ſunt Sacramenta; quæ in veſtris cordibus ipſis miſericordia præſtante reſideant*. Poſtea demum particulatim Symbolum repetit, & difficilioribus ſententiis explicationem ſubdit. Quare is Auctor primo quidem ſymbolum recitavit continua Oratione conciſa. Parum autem veriſimile eſt in brevi adeo ſermone Symbolum ter fuiſſe repetitum. Quod ita eſt, ſi recitavit primo, ut cognoſceretur, quam Apoſtolorum quiſque ſententiam attuliſſet: atque inde repetiit, cum recta tranſiit ad particularem recitationem, eamque explicationibus permixtam. Hæc Natalis Alex. volens oſtendere hunc ſermonem ſaltem fuiſſe interpolatum. Addunt PP. Benedictini, qui hunc ſermonem in appendice tomi 5. operum S. Auguſtini referunt, aliam conjecturam, qua evincunt, eum nequaquam Auguſtinum habere Auctorem; quia nempe Auguſtinus, ſuo ſcripto ſermone 214. eodem tomo, religione ſe dicit impeditum, quo minus Symbolum ipſum vel ſemel literis mandaret. Quod tamen hic feciſſet, ſi ſermo ejus eſſet.

56. Dices. S. Leo *ep.* 23. ad *Pulcheriam Auguſtam* dicit: *Ipſa Catholici Symboli brevis & perfecta Confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt conſignata ſententiis &c.* ergo ſentit hoc Symbolum eo ordine ab Apoſtolis conditum, quo relatum eſt.

Reſp. S. Leonem loqui de Symbolo veteri Romano, cum non diu poſt Ruffinum floruerit, quapropter ejus Authoritas militat contra adverſarios. Quamvis ex illa tantum ſequatur, ſingulos Apoſtolos ſingulos Articulos condidiſſe, quemadmodum ibidem habentur in Symbolo Romano veteri; non autem quod Petrus hunc, Joannes illum determinate edixerint. Quare D. Bonaventura aliter eos enumerat, aliter Halenſis quoad tertiam ſententiam, & Archi-Diaconus quoad ſecundam, aliter demum Scotus *in* 3. *diſt.* 25. *qu. un.* §. *hor. art.* Sed miror eos tam laborioſe deſudaſſe in re, quæ divinationem non poteſt excedere.

57. Quæres III. quæ fuerit occaſio aut motivum, ex quo Apoſtoli hoc Symbolum ediderunt?

Reſp. Varia ab Authoribus adduci; & primum quidem indicat Ruffinus *in præfatione expoſitionis ſymboli, ut nimirum* (hoc ſymbolum) *diſceſſuris ab invicem eſſet prædicationis norma, in commune conſtituta, ne forte alii alio adducti diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent*. 2. pariter adſert idem Ruffinus l. c. inquiens: *Judicium autem & ſignum dicitur* (Symbolum), *quia illo tempore, ut Paulus Apoſtolus dicit, multi ex circumciſis Judæis ſimulabant ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lucri alicujus, vel ventris gratia ad prædicandum proficiſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcirco indicium iſtud poſuere* (Apoſtoli), *per quod agnoſceretur is, qui Chriſtum vere ſecundum Apoſtolicas Regulas prædicaret*. His addi poteſt 3. ut videl. memoriæ credentium, qui omnes ſcripturas legere, vel mente retinere nequibant, hac credendorum ſummula ſuccurrerent. 4. item: ut videl. omnes fideles in unius ejuſdemque fidei confeſſione, ac profeſſione concordes exiſterent. 5. denique ut fidei & Eccleſiæ hac Teſſera in futurum, conſulerent, providerentque.

58. Hoc Symbolum longe lateque invaluit ſic, quod debuerit memoriæ commendari una cum oratione Dominica, ſæpiuſque & publice, & privatim recitari, ut teſtatur S. Auguſt. homil. 5. de Symb. inter 50. dicens: illud *quotidie dicitis quando ſurgitis, quando vos collocatis ad ſomnum*. Imo hoc Symbolum hodieum venerantur omnes Chriſtiani, tam Catholici, quam Acatholici tanquam Orthodoxum; ut obvie teſtantur tam noſtri, quam illorum libri ſymbolici.

§. III.

De Symbolo Nicæno.

59. INter ſymbola derivativa, & Apoſtolici explicativa agmen ducit ſymbolum Nicænum, teſte Iſidoro *lib.* 6. *Etymol.* c. 16. & refertur c. *Canones diſt.* 15. ubi habetur: *ſub hoc* (nempe Conſtantino) *SS. PP. in Concilio Nicæno de omni orbe terrarum convenientes, juxta fidem Evangelicam, & Apoſtolicam ſecundum poſt Apoſtolos Symbolum tradiderunt*.

60. Symbolum iſtud vocatur Nicænum, ſeu Fides Nicæna a Nicæa Urbe Bithyniæ in Aſia ad Aſcaniam Paludem, ubi fuit editum; refereturque

Digitized by Google

in Coktana Collectione Conciliorum Tom. a. pag. 31. ſub triplici lectione aliquantulum variante, quarum prima dicatur ex mſ. Bibliothecæ Colbertinæ, altera ex mſ. Codice Bibliothecæ Eccleſiæ S. Moyſis Venetiis, terria denique Latina & Græce ex S. Athanaſio io Ep. ad Jovianum, Socrate lib. 1. c. 5. & aliis ſontibus, quam ſequenti tenore bic adnumeramos.

CRedimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium Factorem. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id eſt ex ſubſtantia Patris, Deum ex Deo, Lumen ex Lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt, & quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cælos: & iterum venturus eſt judicare vivos & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Hic finitur Symbolum. Quæ ſequuntur, Anathema continet contra Arianos hoc tenore: *Eos autem qui dicunt: erat aliquando, quando non erat, & antequam naſceretur non erat: & quia ex iis, quæ non ſunt, factus eſt; aut ex alia ſubſtantia vel eſſentia dicunt eſſe, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei, anathematizat Catbolica & Apoſtalica Eccleſia.*

61. Hoc Concilium fuit celebratum A. C. 325. habetque ſequentes prærogarivas, 1. quod inter œcumenica ſit primum. 2. quod in eo Fides Catholica ſit primo explicata; & ira explicata per totom orbem Chriſtiaoum divolgata. 3. quod ex 318. Patribus venerandum illum cœtum conſtituentibus alii vitæ ſanctitate & miraculorum gloria, alii diviosrum ſcripturarum ſcientia, alii denique carcerum, tormentorum, membrorumque pro Chriſto, in ultima illa perſecutione, mutilatione tolerata exſtiterint plane admirabiles. Denique quod Eccleſia e cavernis atque ſpeluncis, in qoibus ſæviente tot perſecutionum procella hucuſque latebat, quodammodo extracta, atque in apricum educta, præſentem conſpexerit orbis Principem Conſtantinum non jam carceres, exilia, cataſtas minaotem, ſed Venerabiliſſimorum Patrum pro Chriſto ſuſceptas vulnerum cicatrices, effoſſaque lumina crebris oſculis honorantem.

62. Tribus autem de cauſis convocatum eſt boc concilium a Conſtantino M. annuente Sylveſtro I. Romano Pontifice, ad Arianæ videlicet Hæreſeos damnationem, ad diſſenſiones Eccleſiarum circa tempus Paſchatis celebrandi componendas, atque ad Meletii Schiſma exſtinguendum. In eo præter innumerabiles Diaconos, ac Presbyteros convenerunt ſupra memorari Epiſcopi 318. adſuerunt in eo cum Ario & Epiſcopi Ariani, ut cauſam ſuam tuerentur. Imo hujus celeberrimi Cooventus fama permori complures gentiles Philoſopbi eo ſe contulerunt, ut divitias ingenii ſui Sophiſticis dialecticæ captionibus oſtentarent. Adſuit etiam Cooſtantinus Imperator, & infra Epiſcopos, non niſi ipſis annuentibus, ſedit. Sylveſter huic Concilio non præſedit perſonaliter, ſed per ſuos legatos Oſium Cordubenſem Epiſcopum, Vitum ſeu Vitonem, & Vincentium Presbyreros. Teſte Hiſtoria hujus Concilii apud Coletum *tom.* a. *pag.* 3. ex ſcriptoribus coævis.

63. Occaſionem condendi hujus Symboli Patribus congregatis dederunt in divinitatem Chriſti blaſphemi, ac propterea in hoc Concilio damnati Ariani, ſic dicti a quodam Ario Eccleſiæ Alexandrinæ Diacooo, qui Hæreſim ſuam, ut perfidia nulli inferiorem, ita calliditate, & verſutia omoes vincentem a. c. 317. ut ſcribit Oroſius *l.* 7. *c.* 8. vel ut vult S. Hieronymus a. 321. diſſeminata cœpit, præprimis per famoſam ſuam Thalejam, ſeu mollem illam & imputam cantilenam, cujus fragmentum refert Athanaſius in *Ep. de Synodis Arimini & Seleucia*; in qua omna Hæreſeos ſuæ virus expreſſit, ut illud ſuavibus moduiis in hominum, ac præcipue molierculorum, ad voluptatem proclivium, animos infunderet; & cujus quinta eſſentia hæc ſoit: *Chriſtum alienum, exterumque eſſe a Patre quantum ad ſubſtantiam.*

64. Hi itaque egregii, ſi ſuperis placet, Arii Fautores, cum froſtra Imperatori in ipſo ingreſſu Concilii libellos contra Orthodoxos Epiſcopos obtuliſſent, ut cum illis inſenſum reddendo ſuam cauſam facilitarent, & præterea oblata Patribus formula fidei nequidquam profeciſſent, cum Princeps piiſſimus libellos, ne quidem a ſe lectos, condicta die comburi juberet, & formola ſtatim ac lecta fuiſſet, diſcerperetur, omnibus eam falſam, adulterinam, & blaſphemam clamaotibus, ut habat Theodoretus lib. 1. hiſt. Eccl. c. 7. pag. apud me 149. Inſuperque eorum verba terreſtria de Chriſto, illum videlicet *eſſe ex non entibus, & non fuiſſe antequam gigneretur, & aliquando durationem exſtitiſſe, quando non erat &c.* a Patribus apertis ſcripturæ verbis arguerentur, quæ ſine controverſia monſtrant *eum Filium eſſe, & nequaquam ex non entibus, ſed ex Deo, eumque & Verbum eſſe, & Sapientiam, & nequaquam creaturam aut facturam, ſed germen proprium ſui Patris, Euſebiani* (verba ſont S. Athan. in ep. quam inſcribit, *quod Nicæna Synodus congruis & piis verbis decreta ſua ſuper impietate Ariana expoſuerit*, & habetur in operum ejus edit. Colon. a. 1617. pag. 145.) *Euſebiani*, inquam, ſeu Ariani *pro inveterata ſua & prava opinione valebant illud ex Deo eſſe, commune eſſe, & ad homines quoque pertinere; nec quidquam Chriſtum eo nomine a nobis differre, eo quod ſcriptum eſſet:* Uous Deus ex quo omnia; *& rurſum;* vetera tranſierunt, ecce nova facta ſunt omnia: omnia vero ex Deo. *Ibi Patres animadverſa illorum fraude, & impietatis vafritie, coacti ſunt clarioribus verbis exponere, quid ſit ex Deo eſſe, & ſcribere ex* ſubſtaotia Dei eſſe, *ne ex Deo eſſe & commune, & æque ad Filium & creaturas pertinere exiſtimaretur.* Hæc Athanaſius, qoi juvenis adhuc, & non niſi Diaconus Concilio Nicæno interfuit. Porro huic ſymbolo Ariani metu perculſi ſubſcripſeront, excepto Secundo Ptolemaldia, & Theona Marmonicæ Epiſcopis, qui cum Arium una damnare noluerint, ut ſcribit Theodoretus *l.* mox cita. nequa fidei formulæ ſubſcripſiſſe eos cenſendum eſt.

65. Exquiſita vocis hujus Homouſion ratio, qua omnes Arianorum argutiæ, quibus ſimpliciores fallebant, accurate & nitide excludebaotur, quoque velut typo quodam & columna eorondem Hæreſis proſtrata jacebat, ut loquitur Ath. eorundam Malieos io ep. *de Nicanæ Synodi contra Arianos decretis*, quantus ſudor ipſis fuerit io oculis, incredibiles eorundem reſtantur conatus, quibus eam ſub Conſtantio degenere M. Conſtantioi Filio, eorumque ſautore prorſus infaſcinato, e medio tollere ſtuduerunt. Indicibile enim eſt, quantas perſecutiones in deſeoſores hujus voculæ concitaverint, præſertim in Athanaſium, quot Conventus celebraverint, quot fidei formulas cuderint, recuderintque, tantum ut hujus energiam voculæ labeſactarent.

66. Teſtis eſt Concilium Tyril, cujus celebratioo ma. c. 335. dolo & induſtria adhuc a Conſtantino M. obtinuerunt; in quo Athanaſium Symboli Nicæni, ac vocis Homouſion acerrimum defenſorem, objectis falſis criminibos, repugnantibus incaſſum Orthodoxis, damnarunt.

67. Teſtis eſt Conventus, quem eodem anno Jeroſolymis, occaſione dedicationis templi Martyrum,

Digitized by Google

tyrum; a Conſtantino magnificentiſſime exſtructi, habuerunt, in quo Arius receptus eſt, æquivoce fidei formula, quam obtulerat Conſtantino, approbata.

68. Teſtis eſt Concilium, quod a. c. 336. Conſtantinopoli celebrarunt, in quo Marcellum Ancyræ Epiſcopum Orthodoxum; item aliud eodem loco A. C. 339. ab illis celebratum, in quo S. Paulum illius Urbis Epiſcopum depoſuere.

69. Teſtis eſt Concilium, quod anno quinto poſt mortem Conſtantini, Chriſti vero 341. Antiochiæ, occaſione Encæniarum, ſeu dedicationis Dominici aurei, ſeu magnificentiſſimi templi a Conſtantio ejus Filio perfecti, præſente eodem coegerunt, ut Gregorium Cappadocem in locum S. Athanaſii, quem Vatiniano odio perſequebantur, quique tunc cauſam ſuam Romæ ad Apoſtolicæ Sedis Tribunal egit, Alexandrinæ Eccleſiæ præficerent, & quemadmodum ait Socrates lib. 2. c. 5. *ut Fidem* conſubſtantialis *prorſus labefactarent, & everterent*. Quorum primum quidem perfecere; ſecundum vero præſtare conati ſunt, eodem teſte l. c. quatuor fidei formulas procudendo, tres quidem in Synodo, quartam vero aliquot menſibus poſt, in quarum nulla reperitur vox *conſubſtantialis*, quamvis cæteroquin ſpeciem & larvam catholicæ doctrinæ præſeferrent. Sed eorum technæ, quæ ad fidem Nicænam ſubvertendam, & ad imponendum ſimplicioribus tendebant, omnibus perſpectæ erant, & exploratæ. Habentur hæ formulæ in Coletanæ Conciliorum collectionis Tomo 2. pag. 112. & ſeqq. circa hoc Concilium emendatur S. Hilarius a Nat. Alexandro c. 3. ſæculi 4. hiſt. Eccl. §. IX. & Baronius §. X.

70. Teſtis eſt Synodus II. Antiochena ab illis a. c. 345. celebrata, ubi etiam fidei formulam ediderunt, quam prolixiorem appellarunt: in qua Arianæ venenum Hæreſeos, quamvis ſub verbis æquivocis latens, facile detegitur. Præter alia enim in ea anathemate feriuntur illi, qui dixerint, *quod non arbitrio ſuo & voluntate Pater Filium genuerit*: habetur hæc formula in eadem collect. eodem tomo 2. pag. 636.

71. Teſtis eſt Schiſmaticum Conciliabulum, quod facto divortio cum Orthodoxis in Concilio Sardicenſi a. c. 347. coacto, anno ſequenti Philippopoli tenuerunt, cuique Sardicenſis nomen, ad faciendum fidelibus fucum, indiderunt. In hoc iterum procuſa fuit fidei formula, cujus Colophonem iterum ita legimus: *eos autem qui credunt --- quod neque conſilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat Sancta & Catholica* (Mehercle!) *Eccleſia*. Quam formulam a S. Hilario non eſſe ita approbatam, ut neque eam ab Arianis vel Semi-arianis eſſe editam, vel ut eam Catholicæ Eccleſiæ proponat ſuſcipiendam, ex exordio ejuſdem libri de Synodis probat Nat. Alex. L. mox cit. §. 15.

72. Teſtis eſt conventiculum Sirmienſe e Semi-arianis triennio poſt Concilium Catholicorum, quod a. c. 349. ibidem celebratum eſt, ſeu a. 351. habitum, ut demonſtrat Petavius contra Baronium, in quo denuo procuſa fuit formula fidei, quæ a Criticis vocatur Sirmienſis prima, quam etſi prout jacet Catholicam cum iiſdem profiteamur, in ea tamen, ſi ſenſum Semi-arianorum ſpectemus, ſuſpecta merito ſunt verba anathematiſmi tertii, in qua Chriſtus dicitur *Adminiſter* Patri ad univerſitatis creationem. Legitur hæc formula in cit. Colet. Concil. Collect. cit. tom. 2. pag. 848.

73. Teſtis eſt ille formula fidei, quam Ariani triennio poſt mox cit. Synodum apud Sirmium a. 357. ediderunt, quæque apud S. Hilarium *lib. de Synodis* hanc præfixam habet inſcriptionem: *Exemplum Blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium & Potamium conſcriptæ*, & a Criticis vocatur formula fidei Sirmienſis ſecunda. In hac enim pura puta Arii Hæreſis aſſeritur his verbis: *Nulla ambiguitas eſt, majorem eſſe Patrem. Nulli poteſt dubium eſſe, Patrem honore, dignitate, claritate, Majeſtate, & ipſo nomine Patris majorem eſſe Filio: ipſo teſtante: qui me miſit major me eſt.* Habetur hæc formula in cit. tom. cit. collect. pag. 854. quam ab Anomæis editam Semi-ariani corrigere volentes, aliam Ancyræ a. c. 358. procudebant formulam duodecim conſtantem anathematiſmis, ut l. mox cit. pag. 859. videre eſt, in qua Filium *ſimilis cum patre eſſentiæ* prædicant, quo ſenſu autem ſimilitudinem ſuam acciperent, in epiſtola ſynodica ibidem pag. 878. anathematiſmo ultimo explicant his verbis: *Si quis -- conſubſtantialem, vel ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ Filium eſſe dicat, anathema ſit.*

74. Teſtis eſt Concilium Arelatenſe a. c. 353. præſente impiiſſimo Conſtante celebratum, ubi plerique Orthodoxis Epiſcopis damnationi Athanaſii ſubſcribere vi metuque compulſis, Paulinus ſanguinolentum Officium detractans in Phrygiam exul miſſus eſt.

75. Teſtis eſt tyrannicum non Concilium, ſed latrocinium Mediolanenſe a. 355. celebratum, in quo Ariani Epiſcopi everſionem fidei Nicænæ, omniumque Epiſcoporum, qui damnationi Athanaſii non ſubſcriberent, exilia meditabantur, tyrannico Imperatore Conſtantio accuſatorem ejuſdem ſe profitente; ubi Lucifer Calaritanus, Pancratius, Hilarius, Dionyſius Epiſcopus Mediolanenſis, & Euſebius Vercellenſis, imo ipſe Liberius Papa, qui Concilium annuente Conſtante convocaverat, eo quod fidem & juſtitiam Apoſtolico pectore propugnarent, in exilium miſſi ſunt.

76. Teſtis eſt infauſtum Concilium Ariminenſe a. c. 359. celebratum, in quo etſi Patres Orthodoxi unanimi conſenſu tertiam formulam Sirmienſem, a Valente & Urſatio Arianæ factionis principiis eorundem ſubſcriptioni exhibitam, rejicerent, damnarentque, eo quod voce *Homouſion* careret, & Filium Patri *per omnia ſimilem* tantummodo prædicaret; etſi fidem Nicænam conſpirante calculo probarent, damnatis inſuper Urſacio, Valente, eorumque gregalibus, ac ita Concilium legitime ac plauſibiliter abſolverent: nihilominus poſthac partim calliditate Arianorum ſeducti, partim minis Imperatoris fracti, partim diuturnæ moræ tædio laſſati fere omnes, una cum 10. Legatis, e ſe cum actis legitimi Concilii ad Conſtantium miſſis, voces *ſubſtantiæ & conſubſtantialis* e ſymbolo exemerunt, & perverſæ fidei formulæ Nicææ Thraciæ eodem anno ab Arianis cuſæ, ac Sirmienſi in omnibus conformi, excepto, quod illa dicat Filium *per omnia* ſimilem Patri, hæc vero ſolum habeat *ſimilem* Patri, ſubſcripſerunt. De quorum lapſu legantur S. Athanaſius, Hilarius, Sulpitius Severus, Hier. & Sozomenus lib. 4. c. 28. Quo facto, ut ſcribit S. Hier. in Dialogo adverſus Luciferianos, *Valens & Urſacius, cæterique nequitiæ eorum ſocii, egregii videlicet Chriſti Sacerdotes, cœperunt palmas ſuas jactare, dicentes: ſe Filium creaturam non negaſſe, ſed ſimilem creaturis*, totumque orbem ingemuiſſe, ſeque Arianum miratum eſſe. In quo poſteriori loco hyperbolice loquitur, nam neque omnes Orthodoxi eidem formulæ ſubſcripſerunt, neque qui ſubſcripſerunt, in Hæreſim lapſi ſunt, cum dictam formulam in ſenſu Catholico ſubſcripſerint, atque hoc ſuum factum, ut primum Hæreticorum fraudes agnovere, retractarint; ut eos late purgat ipſe Hier. l. mox cit. Romano Pontifice inſuper hæc acta reſcindente. Sed neque hic Conſtantii conatus contra vocem *Homouſion* quievere.

77. Teſtis eſt Conciliabulum Conſtantinopolitanum eodem anno celebratum; in quo 50. duntaxat

taxat Epiſcopi novam, eamque nonam a Concilio Nicæno fidei confeſſionem ediderunt; in qua non modo vox *ſubſtantia*, ſed etiam *Hypoſtaſis*, vel ſubſiſtentiæ impie abolita ſunt, ut tradit Socrates *lib.* 2. c. 33.

78. Teſtis denique eſt Concilium Antiochenum alterum a. c. 361. habitum, in quo Meletius, Nicænam fidem præter omnium ſpem profeſſus, ſede dejectus, atque formula fidei omnium teterrima ab Acacianis concinnata eſt; utpote in qua nomen *ſimilis*, ex formula fidei Arimini & Conſtantinopoli perfecta, expunxerunt rigoroſi Ariani, & Filium Patri tum ſubſtantia, tum voluntate diſſimilem eſſe, & ex nihilo ortum aſſeruerunt, ut ex Sozomeno lib. 4. c. 28. refertur in ſæpe cit. collect. tom. 2. pag. 937. ubi Collector pag. 938. addit: *Hic tandem finis magnæ tragediæ, ab Arianis poſt Nicænum Concilium per 30. & amplius annorum ſpatia confectæ; cujus tot fuerant actus, quot celebrata Concilia. Quorum ultimo funeſtum illud, quod primum in eorum animis inſedit, Dei Filium* (*Proh ſcelus!*) ſubſtantia & voluntate Patri eſſe diſſimilem, *infeliciter concluſum eſt*. Quorum conatibus impiiſſimis ſimul & vaniſſimis Orthodoxi Patres nil oppoſuerunt præter ſcutum Nicænæ fidei, ſeu ſymboli; quo illorum impetus tum apertos, tum cuniculis inſtructos eliſerunt, proſtraverunt, detriumpharunt.

QUÆSTIO POLEMICA.

Utrum vox Homouſion apposite & prudenter inſerta fuerit Symbolo Nicæno?

79. PRæſentem Quæſtionem quaſi prodromam Quæſtionis Polemicæ, quæ infra tractatui de ſymbolo Lateranenſi ſubnectetur, movemus, in qua voculam *transſubſtantiationis*, eidem ſymbolo intextam, exemplo hujus a calumniis Proteſtantium noſtri temporis juſtificabimus. Hi namque voculam illam iiſdem, quibus Ariani præſentem, telis aggrediuntur, eam videlicet eſſe novam, in ſcripturis nullibi expreſſam, atque exotici erroris in Eccleſiam invectivam. Quos refellemus, dum ex præſenti præambula quæſtione l. cit. clare monſtrabimus, Concilium Lateranenſe in addenda ſymbolo voce in ſcripturis nuſpiam expreſſa magni hujus ipſiſque non minus, quam nobis venerandi Concilii veſtigia legiſſe, dum eadem ex neceſſitate, eodem conſilio, eadem maturitate, eadem authoritate, eodemque invicto fundamento, quibus Nicænum contra Arianos ſuæ fidei inſeruit vocem *Homouſion*, ſuo ſymbolo jam olim a Gregorio VII. Berengario confiteri præſcriptum *transſubſtantiationis* vocabulum intexuit, ut ita calumnias ſuas vel ſimul in Nicænam Synodum evomant, vel Gregorium VII. & cum illo Concilium Lateranenſe calumniare deſinant. Sit itaque

PROPOSITIO.

Nicæni Patres Homouſion Patri Filium recte ſunt profeſſi; eamque vocem fidei Symbolo appoſite & prudenter addiderunt.

80. PRobatur. Vocabulum, quod verſutias Arianorum in explicandis pro favore ſuæ opinionis Sacræ Scripturæ ſententiis de divinitate Chriſti accurate elidit, & nullam prorſus æquivocationis ambagem iiſdem relinquit, planeque ac nitide Filium non ſolum ſimilem eſſe Patri, ſed ejuſdem omnino cum illo naturæ & eſſentiæ ſignificat, quodque propterea ad labefactandam Arianam Hæreſim plurimum valet, a Nicænis Patribus appoſite & prudenter ſymbolo fidei fuit additum; ſed τὸ *Homouſion* hæc omnia præſtat; ergo appoſite & prudenter fuit additum. P. m. ex SS. PP. qui teſtantur & probant hanc voculam hæc omnia præſtare, quæ in majori memorantur. Et primo quidem ex S. Athanaſio, cujus verba ſupra N. 64. recitando occaſionem edendi hoc Symbolum retulimus, ubi vidimus Patres ad retundendas Arianorum Blaſphemias fruſtra adhibuiſſe voces *Chriſtum ex Deo eſſe, ipſum & Verbum, & Sapientiam, non creaturam aut facturam eſſe*; Ariani enim, ut idem ſcribit, hæc audiendo oculis ſibi annuebant, & in gremium plaudebant, eo quod exiſtimarent, illud *ex Deo eſſe* & commune eſſe, & ad homines quoque pertinere, quos nutus, quem plauſum tamen depoſuere, quam primum hac vocula velut fulmine icti, ac exterriti fuerunt, tunc enim muti facti, & nec hiſcere amplius valentes, metu exanctorationis eidem ſubſcripſere; ergo hæc vocula verſutias Arianorum in explicandis pro favore ſuæ opinionis S. Scripturæ ſententiis de divinitate Chriſti accurate elidit, & nullam prorſus æquivocationis ambagem iiſdem reliquit.

81. Confirmatur I. ex iis, quæ Ariani contra hanc voculam attentavere, & per longum a nobis a N. 65. uſque ad N. 78. relata ſunt. Etſi enim hi in duas diviſi eſſent partes, quorum aliqui Filium dicebant purum putam creaturam, qui propterea rigoroſi dicebantur; alii e contra hanc impietatem deteſtantes, illum Filium Dei, & Verbum, & ſapientiam, & Patri per omnia ſimilem aſſerebant, qui propterea Semi-ariani audiebant, utrique tamen unanimiter hanc voculam impetiverunt; ergo occulte confeſſi ſunt, ſuam opinionem Orthodoxis contrariam per eam peremptorie peti, ſenſumque Catholicorum de Chriſto per illam nitide, & exacte explicari, quæ non ita fiebant per verba *ex Deo eſſe*, ut patet ex verbis Atha. mox rel. vel per τὸ *ſimilem Patri*, ut ex facto Urſacii & Valentis poſt Concilium Ariminenſe pariter liquet; cum ergo teſtimonium adverſariorum contra ſe ſit validiſſimum, in aprico eſt hanc particulam illa omnia præſtare, quæ in majori memorantur. Et hinc merito S. Atha. l. mox cit. ſubdit: *In his verbis ex Patre eſſe, & conſubſtantialem eſſe, vim peremptoriam Patres voluere contineri ad elidendas has argutiolas.*

82. Confirmatur II. ex S. Ambroſio lib. 3. de fide c. 7. editionis ſupra cit. tom. 4. pag. 159. ubi habet, quod Euſebius Arianorum Primipilus Epiſtola ſua prodiderit dicens: *Si verum Dei filium, & increatum dicimus*, Homouſion *cum Patre incipimus confiteri*; ergo idem, quod prius. Unde idem Sanctiſſimus Pater cum M. Athanaſio ſubjungit: *Hac cum lecta eſſet Epiſtola in Concilio Nicæno, hoc verbum in tractatu fidei poſuerunt Patres, quod id viderant Adverſariis eſſe formidini, ut tanquam evaginato ab ipſis gladio, ipſorum nefanda caput Hæreſis amputarent.*

83. Quod autem vocabulo Homouſion Perſonarum diſtinctio & naturæ unitas inter Patrem & Filium ſine ambiguitate ſignificetur; adeoque per illud non tantum Arii (quod primario intenditur in minori argumenti) ſed etiam Sabellii (unam tantum in divinis aſtruentis Perſonam) Hæreſis accurate excludatur, Sanctorum Patrum non tam authoritatibus, quam rationibus probatur. Et imprimis

84. S. Ambroſius L. mox citato continenter ait: *Fruſtra autem verbum iſtud propter Sabellianos declinare ſe dicunt* (Ariani), *& in eo ſuam impietatem produnt: Homouſion enim aliud alii, non ipſum eſt ſibi. Recte ergo Homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & Perſonarum diſtinctio, & naturæ unitas ſignificatur.*

85. S. Hilarius vero libro de Synodis pag. in edit. Col. de a. 1617. 124. col. 2. ita fatur: *Non hic Sanctiſſima Religioſorum virorum Synodus, neſcio quam priorem, quæ in duos diviſa ſit, ſubſtantiam introducit, ſed Filium natum de ſubſtantia*

tia

tia Patris —— qua hic vitioſa intelligentia neceſſe eſt; natus eſſe de ſubſtantio Patris Filius, non factus prædicatur: ne nativitas divinitatis factura ſit creationis. Idcirco autem unius ſubſtantiæ: non ut unus ſubſiſtat, aut ſolus, ſed ut ex ſubſtantia Dei natus non aliunde ſubſiſtat, neve in aliqua diffidentis ſubſtantiæ diverſitate ſubſiſtat.

86. Unde Marius Victorinus, qui ſub Conſtantio floruit, librum ſecundum contra Arium ita concludit: *Homouſion vero magis ac magis teneamus, ſcribatur, dicatur, tractetur, in Eccleſiis omnibus prædicetur. Hæc enim fides Catbolica. Hinc Ariani, hinc Hæretici vincuntur univerſi.*

87. Ex quibus omnibus eale formo ſummarium. Patres Nicæni voluerunt contra Arianos aſſerere Filium Dei eſſe ejuſdem cum Patre eſſentiæ atque naturæ, ac ſimul diverſum in Hypoſtaſi ſeu Perſona; atqui hoc aſſecuti ſunt inſerendo fidei ſuæ vocem *Homouſion*; ergo illam appoſite prudenterque inſeruerunt. M. & mi. petee ex dictis; ex eo enim, quod Patee & Filius ſint conſubſtantiales, eandem eos habere ſubſtantiam intelligitur, ſicut ii, qui eandem domum inhabitant, vel eandem hæreditatem adeunt, Cohabitatores, & Cohæredes recte dicuntur; & ex hoc ipſo contre Sabellium realitee diſtincti in Hypoſtaſi *recte* intelliguntur, cum nullus, ſervata vocis proprietate, ſibi ipſi conſubſtantialis dici poſſit.

88. Quapropter lepide non minus, quam acerbe S. Auguſtinus libro contra ſermonem Arianorum in edit. cit. c. 37. pag. 647. eoſdem perſtringit his verbis: *Ariani & Eunomiani nos vocitant* Homouſianos*: contra eorum errorem Homouſion defendimus Patrem & Filium & Spiritum S.: id eſt unius ejuſdemque ſubſtantiæ, vel, ut expreſſius dicatur, eſſentiæ, quæ uſia græce appellatur: quod planius dicitur, unius ejuſdemque naturæ. Et tamen ſi quis iſtorum, qui nos* Homouſianos *vocant, Filium ſuum, non cujus ipſe eſſet, ſed diverſæ diceret eſſe natura, exhæredari ſe ab eo mallet Filius, quam hoc putari. Quanta itaque impietate iſti cenantur, qui eum confitentur unigenitum Dei Filium, nolunt ejuſdem naturæ, cujus Pater eſt, confiteri, ſed diverſæ atque imparis, & multis modis, rebuſque diſſimilis, tanquam non de Deo natus, ſed ab illo de nihilo ſit creatus: ac per hoc & ipſe creatura ſit, gratia Filius, non natura. Ecce! qui nos quaſi macula novi nominis vocant* Homouſianos, *nec ſe ipſos cum iſta ſentiunt, intuentur inſanos.*

Momenta Arianorum expenduntur.

89. Ariani ex tribus præcipue capitibus vocem *Homouſion* impetere conati ſunt. Primo, quod in ſcripturis nuſpiam eſſet expreſſa, ſed nova & ante Concilium Nicænum non uſitata. Secundo, quod in antiquiori Concilio nempe Antiocheno contra Paulum Samoſetenum coacto eſſet damnata. Tertio, quod propter ſuam æquivocationem eſſet occaſio multiplicis erroris; ex quibus inferebant non ſolum inepte & imprudenter, ſed & impie a PP. Nicænis additam fuiſſe Symbolo. Ad quæ ordine reſpondebimus, & quidem

90. Ad I. Concedendo hanc vocem Homouſion in ſacris litteris non inveniri quoad ſonum & ſyllabas, negando autem illam inibi non haberi quoad ſenſum, vel æquivalenter. Audiatur S. Athan. in ſæpe cit. ep. *de Synodi Nicænæ contra Arianam Hæreſim decretis pag.* 150. ubi hoc argumentum primo in ipſos retorquet, & deinde, quemadmodum, ſolvit his verbis: *Quod ſi rurſus, quia voces iſtæ in ſcripturis ſolemnes non ſint, obmurmurationes faciant, æquum profecto eſt, ut ea de cauſa ipſi potiſſimum rejiciantur, utpote logodædali novorum vocabulorum, & quod magis eſt, ſonis ſententiis non utentes, ſeque ipſi in hoc negotio incuſant, quod primi hujus rei occaſionem præbuerunt, dum ex non ſcriptis vocibus Deo bellum comparant. Sed tamen cognoſcet quiſquis eſt ſtudioſioris animi, has voces tametſi in ſcripturis non reperiantur, habere tamen eas eam ſententiam, quam ſcriptura volunt, & hoc ipſum eas ſonare apud illos, quibus aures ad pietatem ſunt integræ, & minime vitiatæ.* Deinde affert loca ſcripturæ, quibus conſubſtantialitas Filii cum Patre probatur. Quæ videri poſſunt infra N. 93.

91. Ad id, quod additur, vocem Homouſion fuiſſe novam, nec ante Concilium Nicænum uſurpatam, Reſp. id falſum eſt. Nam ante illam Synodum Theognoſtus, & uterque Dionyſius Alexandrinus & Romanus *Filium ex Patris ſubſtantia productum, & Patri conſubſtantialem* dixerunt, ut teſtatur S. Athan. ep. cit. *de Synodi Nicænæ decretis*. Quin etiam Dionyſius Alexand. in Epiſtola ad Paulum Samoſatenum *conſubſtantialem dici Filium Patri ab antiquis* affirmat.

92. Dices. Apoſtolus novitates vocum vetat, ergo Patres Nicæni addendo hanc vocem prævaricati ſunt præceptum Apoſtoli, quod ſane appoſite prudenterque factum eſt minime.

Hanc injectiunculam ita explodit S. Hilarius in libro adverſus Conſtantium jam vita defunctum in cit. edit. pag. 96. *Novitates vocum, & profanas vitari jubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis? innaſcibilem ſcriptum nuſquam legis* (Patrem), *numquid & hoc negandum erit, quia novum eſt? —— ubi impietatis occaſio patet, novitas admittitur; ubi autem Religionis maxima & ſola cautela eſt, excluditur.*

93. Ad ſecundum fatemur hanc vocem in Synodo Antiochena fuiſſe damnatam, at in ſenſu, quo illam perverſe uſurpavit Paulus Samoſatenus, non in ſenſu, quo illam acceperunt Patres Nicæni. *Qui enim* (inquit S. Ath. *lib. de Synodis Arimini & Seleucia* in cit. edit. pag. 203.) *Samoſatenſem ſuſtulerunt, hanc vocem conſubſtantiale corporaliter accepere, cum Paulus ſophiſticari vellet, & diceret: Si Chriſtus non ex homine Deus factus eſt, igitur conſubſtantialis eſt Patri, & neceſſaria ſequitur tres eſſe ſubſtantias: unam quidem, quæ prior ſit, ut Principi: reliquas vero duas ex eo oriundas* (modo videlicet corporali per diviſionem ipſius); *ideoque merito vitantes illud ſophiſma Pauli dixerunt Chriſtum non eſſe conſubſtantialem: non enim ſe ita habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi vero, qui Arianam Hæreſim anathemate notarunt, cognoſcentes non creaturam, ſed genitum quiddam ex ſubſtantia Patris Filium eſſe, & ſubſtantiam Patris originem, radicem, & fontem eſſe Filii, & veram undecunque eſſe ſimilitudinem geniti cum Genitore, & nequaquam eum, uti nos, diverſæ naturæ eſſe, & pro ſe habentes Dionyſii exempla, fontem ſcilicet, & conſubſtantialis aſſertionem, & præterea unitricem Salvatoris vocem*, Ego & Pater unum ſumus, & qui videt me, videt & Patrem meum: *his de cauſis merito inducti ſunt, ut Filium conſubſtantialem dicerent; & quemadmodum nuſquam quiſquam Apoſtolum culpaverit, quod de lege ad iſtum modum Romanis, ad illum vero Hebræis ſcribat: ita Neoterici priſcos homines nunquam culpaverint, ſi videant eorum mentem & interpretationem: neque rurſus priſci Neotericos reprehenderint, ſi conſpiciant quo animo, & in quem uſum de Domino ſcribant: nam utraque Synodus juſtam habet & rationabilem cauſam, cur illa ad illum, iſta vero ad iſtum modum verba ſua temperaverit.* De hac S. Athanaſii expoſitione & conciliatione Antiochenorum Patrum cum Nicænis lege Facundum Hermian. *lib.* 10. *p.* 450. *edit. Sirmondi*. Hæc reſp. illuſtrari poteſt exemplo iſtius vocis *ingenitus*, quæ cum in ſcri-

ſcripturis non reperiatur, ſicut τὸ *conſubſtantiale*, vario quoque ſenſu a Patribus admiſſa vel negata eſt de Filio Dei. A quibuſdam enim uſurpata eſt, prout ſignificat id, quod exiſtit, & factum non eſt, & in hoc ſenſu S. Ignatius Martyr Chriſtum dixit *genitum & ingenitum* id eſt *non factum*: ab aliis vero prout ſignificat id, quod plane ſui authorem non habet, videlicet nec cauſaliter, nec originaliter, & in hoc ſenſu alii poſt S. Ignatium Martyrem Magiſtri ſcripſerunt *unus ingenitus eſt Pater*, videlicet nec cauſam, nec principium ſui habens, quod Filio non convenit. Hæc ex Athan. lib. cit. ubi addit: *ita quoque ſi aliqui ex PP. ad iſtum, alii ad alium modum de conſubſtantiali diſſeruerunt, nobis tamen ob id contentioſe agendum non eſt, ſed cum pietate eorum dicta excipere debemus, eo quod præcipue ſua ſtudia ad pietatem referebant*. Quibus non tantum ſciolos illos, qui in antiquis Patribus nævos magis, quam pietatis doctrinam quærunt, perſtringit, ſed etiam Scriptoribus Eccleſiaſticis normam ſcribendi format.

94. Ad III. Reſp. D. propoſitionem: dabat occaſionem erroris niſi eſſet expoſita C. ſi eſſet expoſita N. vel dabat occaſionem erroris male intelligentibus, & per accidens C. per ſe, & recte intelligentibus N. Porro Patres Nicæni omnem ſuſtulerunt iſtius vocis ambiguitatem, exponendo ſenſum, quo eam conſecrabant, ut eſſet Catholicæ fidei teſſera. Id conſtat ex Euſebio Cæſarienſi *in ep. ad Eccleſiam ſuam*, quam deſcripſit, Theodoretus *lib. 1. Hiſt. Eccl.* c. 12. edit. col. de a. 1617. pag. 153. in qua poſtquam Nicænam fidem recenſuit, hæc ſubjungit: *cum iſta formula ab ipſis præſcripta eſſet, illud ex ſubſtantia Patris eſſe, & illud, Patri conſubſtantialem eſſe, quomodo eſſent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus; unde quæſtiones, & reſponſa nata ſunt; rationeque accurate perveſtigatum, quæ illis verbis ſubjecta eſſet ſententia. Fatebantur illi, ex ſubſtantia eſſe, idem ſignificare, quod* ex Patre eſſe, non tamen partem Patris eſſe.

95. Dices. Imprudenter egerunt, qui vocem inutilem, & quæ aliunde multis etiam Orthodoxis erat offenſioni, ſymbolo inſeruerunt: ſed vox Homouſion erat inutilis, & aliunde multis etiam Orthodoxis erat offenſioni; imprudenter itaque illam ſymbolo inſeruerunt Nicæni Patres. P. m. vox *Homoiuſion*, id eſt *ſimilis ſubſtantiæ*, fidem Eccleſiæ de Filii divinitate ſatis ſuperque exprimebat; illoſque Catholicos habuerunt SS. Athanaſius, & Hilarius, qui Filium *Homoiuſion* Patri aſſerebant, licet eundem *Homouſion* negarent; ut conſtat ex utriuſque libro *de Synodis*: ergo inutilis erat illius vocis *Homouſion* ad Symbolum additio.

Reſp. N. M. ad ejus P. D. A. vox Homoiuſion Eccleſiæ fidem de Filii divinitatis ſatis exprimebat, & melius ac luculentius eandem exprimebat Homouſion C. & non melius eam ac nitidius Homouſion exponebat N. D. etiam 2. p. ejuſdem A. illos Catholicos habuerunt SS. Athanaſius & Hilarius, qui Filium *Homouſion* Patri profitebantur, & non damnabant *Homouſion*, quamvis eam vocem uſurpare nollent, quia in vocabulo innoxio monſtrum ſibi fingebant C. & qui damnabant Homouſion, nec Filium unius ſubſtantiæ cum Patre profiteri volebant N. Qui igitur non ſolum vocem ipſam *Homouſion*, ſed & pium ejus ſignificatum rejiciebant, nuſquam habiti ſunt ut Catholici a Patribus, ut patet ex perpetuo horum cum illis de hac voce conflictu. Sed Orthodoxorum numero & loco habiti ſunt, qui illud vocabulum ob prætenſam æquivocationem ejicientes, Catholicum nihilominus ejus ſenſum voce *Homoiuſion* exprimebant, aliiſque vocabulis fidem Nicænam de Filio Dei ſincere & perſpicue exponebant. Qui vero damnabant *Homouſion*, nec rectum etiam illius vocis ſenſum pati poterant, illi nec *Homoiuſion*, id eſt ſimilis ſubſtantiæ cum Patre Filium ſincere profiteri præſumebantur; quia vox illa nude ſumpta omnes Arianæ pravitatis inſidias, omnes Hæreſeos peſtiferæ ſenſus non excludebant. Nam ſimilia ſæpe dicuntur in ſubſtantia, quæ diverſæ nihilominus ſunt naturæ.

§. IV.

De Symbolo Conſtantinopolitano.

96. HOc ſymbolum refertur in Coletana Conciliorum collectione tom. 2. pag. 1132. & 1138. ex interpretatione Gentiani Herveti, & Dionyſii exigui, eſtque juxta priorem interpretationem ſequentis tenoris.

CRedimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum J. C. Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſæcula (1) Deum de Deo) *lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum non factum, Homouſion Patri, hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis: & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & Homo factus eſt.* Crucifixus etiam *pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus ac ſepultus: & tertia die reſurrexit ſecundum ſcripturas: aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram Patris: inde venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos; cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum. Exſpectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſæculi. Amen.*

97. Hoc Symbolum conſecratum eſt in ſecunda œcumenica Synodo, quæ fuit Conſtant. I. 150. Patrum ſub Damaſo Papa, & Theodoſio ſeniore a. c. 381.

98. Occaſionem convocandi hujus Concilii dedit impius & in Spiritum S. blaſphemus Macedonius CP. ſedis invaſor, qui *Spiritum S. non ejuſdem cum Patre & Filio honoris participem, ſed utriuſque Miniſtrum eſſe & creaturam* ſacrilego ore effutiebat.

99. Nata eſt hæc Macedonii Hæreſis, teſte Nat. Alex. *c. 3. Hiſtoriæ Eccl. ſæculi* 4. §. 11. a. c. 360. damnata vero fuit primum in Synodo Alexandrina, poſt reditum S. Atha. celebrata a. 362. ut ex illius ſynodica ep. conſtat, quæ eſt apud ipſum Atha. ad Antiochenos ſcripta. Secundo proſcripta eſt hæc Hæreſis in Synodo Illyrici *a. c.* 367. ut conſtat ex ep. Synod. illius Concilii ad Orientales, qua profitentur Patres in illo Concilio congregati, *S. Trinitatem conſubſtantialem eſſe, & Deum Patrem cum Filio, & Spiritu S. ſanctificari, & glorificari; & Patrem in Filio exiſtere, & Filium in Patre una cum Spiritu Sancto in omnium æternitatem*. Tertio damnata eſt in Synodo Romana, quam paulo poſt celebravit Damaſus Pontifex, ex qua ad Epiſcopos Illyrici Epiſtolam dedit, quæ exſtat apud Theodoretum *lib.*

(1) Hæc duo verba videntur Amanuenſi, Symbolum CP. prout nunc cum illis recitatur, fortaſſis in uſu habenti, excidiſſe, & deinde reviſoris typi diligentiam fuiſſe, cum in textu græco ex latere hujus ibi poſito non reperiamur, neque in verſione Dionyſiana pag. 1138. & in veritate a PP. CP. fuerint prætermiſſa, ut infra videbimus.

lib. 2. *hiſt. Eccl. cap.* 22. *in cit. edit. pag.* 172. quarto damnata eſt cum Authore ſuo in altera Synodo Romana, quam contra Apollinarem habuit Damaſus, ex qua ad Paulinum Antiochenum Epiſcopum Epiſtolam dedit, quam refert Theodoretus *lib.* 5. *hiſt. Eccl. c.* 11. *ibid. pag.* 202. in qua nominatim multiplici anathematiſmo hæc Hæreſis percellitur. Quinto denique damnati ſunt Macedoniani & illorum Hæreſis in hac œcumenica Synodo verbis illis præſentis Symboli, quibus profitemur *Spiritum S. Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum*, quamvis & aliæ Hæreſes in eodem excludantur, ut ſtatim videbimus ex iis, quæ in hoc Symbolo addita reperiuntur fidei Nicænæ, ſaltem prout hæc fuit conciliariter edita, & a Patribus refertur.

100. Imprimis enim cum in Symbolo Nicæno eſſet *omnium viſibilium & inviſibilium Factorem*, in hoc Symbolo additum reperitur *cæli & terræ* majoris explicationis gratia contra Marcionitas & Manichæos duorum principiorum aſſertores. Secundo verbis *de Patre natum* additum reperitur *ante omnia ſæcula* contra Photini blaſphemias, qui effutivit verbum divinum nequaquam æternum & ſubſtantiale eſſe, ſed temporale & prolatitium, quod primam originem ex utero virginis, & in homine Chriſto acceperit. Tertio verbis *& incarnatus eſt* additum reperitur *de Spiritu S. ex Maria Virgine* contra hæreſim Apollinaris, (ut obſervat Marcus in Florentina ſynodo ſeſſ. 5.) qui aſſerebat verbum divinum carnem ex Virgine non ſumpſiſſe, ſed ex cœlo attuliſſe. Quarto in hoc ſymbolo præterea reperiuntur addita hæc verba. *crucifixus eſt pro nobis ſub Pontio Pilato*, & *ſepultus eſt*; quorum loco in Nicæno tantum legitur *paſſus eſt*. Item poſt verba *& aſcendit in cælos*, adjecta hic ſunt *ſedet ad dexteram Patris, & venturus cum Gloria*, & *cujus regni non erit finis*. Poſtremorum autem verborum adjectio contra Apollinaris de millenario Chriſti in terris regno errorem facta eſt; nec non contra errorem Marcello Ancyrano affictum, quo aſſeruiſſe exiſtimatus eſt Chriſti regnum deſiturum, cum illud tradiderit DEO Patri, tumque ipſum in juſtorum ordinem redigendum eſſe. Quinto, cum Nicænum ſymbolum his verbis *&* in *Spiritum S.* terminetur, in hoc ad confodiendum Macedonii errorem additum reperitur *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & glorificandum, qui locutus eſt per Prophetas*, & reliqua uſque ad finem. Quæ omnia ſymbolo Nicæno, ſaltem prout conciliariter editum fuit, adſcripta non fuiſſe conſtat ex iis, qui ipſum verbis iiſdem referunt, videl. ex Atha. in Ep. ad Jovianum Imp. ex Ruffino lib. 1. hiſt. Eccl. c. 6. ex Socrate lib. 1. c. 8. & aliis.

101. Particula *Filioque* non reperitur in originali hujus ſymboli, ſed a Latinis addita deinde eſt cum magna offenſione Græcorum, fuitque non minimum motivum Photio Patriarchæ CP. dirum ſchiſma, quo de facto Eccleſia Græca a Latina ſcinditur, inchoandi, & Michaeli Cærulario ejuſdem ſedis Archi-Epiſcopo illud perficiendi.

QUÆSTIO CRITICA.

An hujus Symboli additamenta primum facta ſint a Patribus CP.

102. NOtanter paulo ante diximus hæc additamenta non reperiri in ſymbolo Nicæno *ſaltem prout conciliariter editum fuit*; quamvis enim ex authoritatibus Patrum mox relatis, tum etiam ex ep. Ath. ad Africanos, & Baſilii M. 60. & 78. certum ſit, eidem in dicto Concilio præter ſententias, quibus ab iiſdem refertur, nil fuiſſe inſertum; adeoque falſa ſit Eliæ Cretenſis animadverſio in orationem 52. Gregorii Nazianzeni, ſive in ejus ep. 2. ad Cledonium, ubi agnoſcit in Nicæno ſymbolo Spiritum Sanctum dictum fuiſſe *vivificum Dominum, ex Patre procedentem, atque cum Patre & Filio ſimul glorificandum*. Hoc tamen non obſtante certum non eſt, Patres CP. vel potius S. Gregorium Nyſſenum eorum juſſu primum hæc additamenta eidem ſymbolo feciſſe. Pro cujus evidentia

103. Animadvertendum eſt, præter illas variantes lectiones, quibus Symbolum Apoſtolicum in diverſis Eccleſiis ante Concilium Nicænum recitabatur, quaſque N. 15. 16. 17. 19. & 20. retulimus, in Orientalibus Eccleſiis præterea unam in uſu fuiſſe, quæ cæteris longe amplior fuit, & cujus maximam partem coram ſynodi Nicænæ Patribus recitavit Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, hoc prius commendatam elogio, quemadmodum teſtatur in ſua ad ſuos ep. Nicææ data, quam refert Theodoret. *lib.* 1. *hiſt. Eccl.* edit. cit. c. 12. fol. 152. *Sicut ab Epiſcopis, qui nos antegreſſi ſunt, accepimus, & in prima Catecheſi, & cum Baptiſmi Lavacrum ſuſcepimus, & ſicut a divinis ſcripturis didicimus, & ſicut in Presbyterio, & in ipſo Epiſcopatu credidimus, & docuimus: ſic etiam & nunc credentes noſtram fidem vobis proponimus.* Fidei autem confeſſio erat hujuſmodi.

CRedimus in unum Deum Patrem omnipotentem omnium viſibilium & inviſibilium factorem. Et in unum Dominum J. C. DEI verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, Filium unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia ſæcula ex Patre genitum, per quem & omnia facta ſunt. Qui propter noſtram ſalutem incarnatus, & inter homines converſatus, & paſſus eſt, & tertia die reſurrexit, & aſcendit ad Patrem, & iterum venturus eſt in Gloria judicare vivos & mortuos. Credimus in unum Spiritum Sanctum.

104. Atque hanc Confeſſionem & Conſtantinus Imp. & univerſi PP. Nicæni ſine ulla contradictione admiſerunt, ut ibi ſcribit Euſebius inquiens: *cum hanc fidem expoſuiſſemus, nullus erat contradicendi locus. Quin etiam Imperator ipſe noſter Sanctiſſimus hanc noſtram fidem veritatem in ſe complecti primus omnium teſtificatus eſt.* Sed ad Arianæ Hæreſeos, de qua tum quærebatur, clariorem reſutationem, ita eam a ſe interpolatam Eccleſiis proponendam cenſuerunt PP. videlicet per Symbolum, quod ſupra N. 59. recitavimus. Ultra Trinitatis vero Confeſſionem hac vice non proceſſerunt: tum quod ſymboli pars ab Euſebio recitata eo illos ducebat; tum quod illo Ariana, quæ tunc agitabatur, controverſia nihil amplius requirebat. Quamobrem & Ariani Epiſcopi, ut Nicænam hanc fidem latenter ſubruerent, cum ad articulum illum perveniſſent *credimus etiam in Spiritum S.* ſubdiderunt: *Si autem, ut hoc adjiciatur, opus ſit: credimus & de carnis reſurrectione, & vita æterna.* Ex quo apparet, Symbolum, quod Euſebius recitavit tanquam Apoſtolicum, in articulo de Spiritu S. terminatum haud fuiſſe, ſed articulos *de carnis reſurrectione, de vita æterna*, & fortaſſe etiam alios, & quidem luculentius cæteris ſymbolis Apoſtolicis comprehendiſſe.

105. Hoc animadverſo pro communi ſententia, quæ additamenta hujus ſymboli a Patribus CP. primum facta contendit, ſtant luculentiſſima Teſtimonia.

Quorum I. deſumitur ex definitione Chalcedonenſis Concilii relata apud Colet. *tom.* 4. *concilior. pag.* 1454. ubi ita legitur. *Præſens Sancta, & magna, & univerſalis Synodus, prædicationem hanc ab initio immobilem ducens, decrevit ante omnia,*

ſidem integram, & intemeratam permanere 318. SS. Patrum: & confirmat doctrinam, quæ de ſubſtantia Spiritus S. a Patribus 150. poſtea congregatis in regia civitate tradita eſt, propter illos, qui Spiritui S. repugnabant; quam illi notam omnibus fecerunt, non quaſi aliquid deeſſet prioribus adjicientes, ſed ſuum de S. Spiritu intellectum contra illos, qui dominationem ejus reſpuere tentaverunt, ſcripturarum teſtimoniis declarantes.

106. II. ex L. 7. §. 4. eod. de ſumma Trinit. & Fide Cath. ubi Juſtinianus Imp. ad mox citat. ſynodi locum reſpexiſſe videtur, dum ita ait: *Fidei definitionem, hoc eſt Sacro-ſanctum Documentum ſive Symbolum retinemus atque cuſtodimus, a SS. PP. 318. expoſitum; quod etiam congregati hac in Urbe imperatoria 150. PP. explanatione habita declararunt: non quod aliquid ei deeſſet, ſed ea de cauſa, quod veritatis hoſtes partim Spiritus S. divinitatem reprobare conati eſſent, partim veram Dei verbi incarnationem ex S. perpetua Virgine Deipara negaſſent; Idcirco ſcripturæ teſtimoniis ſacroſanctum hoc Documentum indicati 150. SS. PP. explanatione adhibita declararunt.*

107. Ut ab his Teſtimoniis ſe expediat Uſſerius, qui contrariam ſententiam amplectitur in ſæpe citata diatriba de Symbolo Romano veteri pag. 10. ſequentem præmittit animadverſionem, inquiens: *Ad hujus vero tantopere laudati ſymboli explicationem, & ampliorem confirmationem, ſecundi illius œcumenici Concilii CP. Patres proprium tomum ediderunt: in quo & latius fidem profeſſi ſunt, & contra novitates Hæreſeon nuper exortas anathema ex ſcripto protulerunt, quod ipſi in ſynodica ſua Epiſtola confirmant.* Quo poſito

Ad utrumque allatum Teſtimonium Reſp. Illa non de Symbolo CP. ſed de hoc Concilii *Tomo* a Symbolo diſtincto intelligenda eſſe. Quoniam *in Symbolo tantum abeſt* (verba ſunt illius) *ut ſcripturæ Teſtimoniis divinitas Spiritus S. confirmetur, ut ne expreſſis quidem verbis affirmetur, ſed ex appoſitis Characteribus* (videl. quod cum Patre & Filio ſit adorandus & glorificandus) *colligenda relinquatur.*

108. Sed contra hanc reſponſionem militat, quod dictus Tomus, in quo PP. CP. divinitatem Spiritus S. allatis ſcripturarum Teſtimoniis dogmatice aſſeruiſſent, & propugnaſſent, in actis Synodi non reperiatur, In illis enim ſive Græcam ſive Arabicam Phraſim apud Coiet. *tom.* 2. *a pag.* 1095. *& ſeqq.* conſulas, reperies primo loco Orationem Gregorii Naz. ad Patres conſcriptos habitam; ſecundo Patrum Nuncupatoriam ad Theodoſium M. cum Canonibus a ſe editis; tertio Symbolum; tandem Epiſtolam Synodicam ab Uſſerio mox citatam: quæ tamen anno ſequenti primo fuit ſcripta.

109. Quod autem ſimilem tomum nunquam ediderint, & conſequenter allata Teſtimonia de ſymbolo & Canonibus ſint intelligenda, patet 1. ex eorum nuncupatoria ad Theodoſium M. ibi, ubi ita legitur: *deinde vero* breves *etiam pronuntiavimus definitiones, quibus & Patrum, qui Niceæ congregati fuerunt, fidem confirmavimus, & quæ adverſus eam obortæ ſunt, perverſas opiniones extrema cum execratione ac deteſtatione reprobavimus.* Quo loco illos ad Symbolum atque ad primum ſuum canonem alludere colligi videtur tum ex ly *breves*, tum ex ipſo canone, in quo & confirmatur Nicæna fides, & omnis Hæreſis anathematizatur, nominatim Eunomianorum, Arianorum, Semi-arianorum, ſive Spiritus ſancti adverſariorum &c.

110. 2. Ex ipſo loco ſynodicæ, quam Uſſerius pro ſe citat, ex illo enim potius contrarium conjici videtur, nam ibi ita ſcribunt Patres CP. *de quibus pleniorem delectationem animi poteritis percipere, ſi libellum in Concilio Antiochiæ convocato, de fidei deciſione editum, & eum etiam, qui ſuperiore anno a CP. Concilio generali compoſitus eſt, legere placuerit: in quibus tum fidem noſtram* (id eſt Nicænam) *uberius expoſuimus, tum Hæreſibus nuper excogitatis Anathema ſcriptis proditum denuntiavimus.* Quo loco iterum intelligi Symbolum CP. Concilii, ejuſdemque primum Canonem notat Binius in notis ad hoc Concilium.

111. Accedit, quod Imper. Juſtinianus l. mox cit. aſſerat, SS. Patres CP. Symbolum explanatione declaraſſe non tantum propter divinitatem Spiritus S. aſſerendam, verum etiam ad vindicandam verbi incarnationem ex S. perpetua Virgine Deipara Maria, quod per additionem particulæ *ex Maria Virgine* factum eſſe ſupra N. 100. notavimus. Ergo textus ille non de Tomo a Symbolo ſeparato, ſed de ipſo Symbolo intelligendus videtur.

112. Et propter hæc momenta Uſſerius l. cit. confitetur ſe in affirmativa ſententia aliquando fuiſſe, videl. *vetera* (verba ſunt illius) *Orientalium Symbola in ſimplici perſonæ Spiritus S. Confeſſione fuiſſe terminata: illius vero amplificationem capituli, & quæ de Eccleſia & Beneficiis ad eam ſpectantibus ſequebantur, omnia a Patribus 2. œcumenicæ Synodi CP. a. c. 481. habitæ* primum *fuiſſe addita*: ſed ab ea depulſum ſe dicit ſententia, tempore, quo a Cyrillo Hieroſolymitano Catechetici ſermones ſunt habiti, & ab Epiphanio Anchoratum fuit editum, diligentius conſiderato. *Cyrillum enim in adoleſcentia Catecheſes ſuas compoſuiſſe in ſuo Scriptorum Catalogo* (pergit idem) *docet Hieronymus annis quidem 70. poſt exortam Manetis Hæreſim, ut in Catecheſi 6. ipſe Cyrillus indicat: ante annum nimirum Domini 350. quo ex Catecheta Epiſcopus Jeroſalymitanus ille eſt factus. Atqui Apoſtolicæ Fidei Symbolum, quod ille explicat, non in Spiritu S. ſed in vitæ æternæ articulo finem accipit, quod & ipſe verbis illis Catecheſeos 18. plane confirmat*: Hæc de vita æterna (*inquiens*) dicta ſunt hactenus: quod eſt eorum, quæ profitemur in fide, ultimum documentum atque terminus.

113. *Anchoratum vero a ſe ſcriptum expreſſe notat Epiph. anno* Diocletiani 90. *Valentini & Valentis* 10. *Gratiani 6. Gratiano Auguſto 3. & Equitio Conſulibus indictione 2. hoc eſt, Chriſtianæ noſtræ epochæ a.* 374. (adeoque 7. annis ante Concilium CP.) *Et tamen longius iſtud Symbolum jam propoſitum* (*quod* CP. *Concilio vulgo tribuitur*) *ut ab Apoſtolis acceptum, & a Nicænis Patribus prædicatum ille recitat: hujuſmodi ad fideles omnes exhortatione præfixa, pergite* O! *fideles, & Orthodoxi Viri, ſanctam hanc Eccleſiæ Catholicæ conſervare fidem, quemadmodum Sacro-ſancta ac ſingularis Dei Virgo a SS. Domini Apoſtolis accepit: idemque Catechumenis omnibus, qui ad baptiſmum ſe ſe comparant, inculcate.* Hac adhortatione præmiſſa de verbo ad verbum recitat Nicænum Symbolum, quod de verbo ad verbum cum CP. concordat, præterquam quod aliquibus ſententiolis adhuc ſit auctius; illudque anathematiſmis, qui poſt Symbolum Nicænum habentur, concludit; atque ita pergit: *Et hæc quidem fides tradita eſt a SS. Apoſtolis, & recepta in Eccleſia in S. Urbe Nicæna Concilio ab omnibus ſimul tunc præſentibus Epiſcopis 318. numero*. Et quia ipſius tempore, anno videl. illo 90. Diocletiani novæ pullularunt Hæreſes, ut illis iiſdem occurreretur, Nicænorum Epiſcoporum exemplo, qui Apoſtolicum ſymbolum interpolarunt, ipſo Nicæno quoque interpolato, prolixiorem adhuc fidei typum toti Eccleſiæ Catholicæ commendavit, qui *l. c. edit. Col.* 1617. *pag.* 291. cum reliquis mox allatis habetur.

114. At-

114. Atque his duabus Authoritatibus permotus Uſſerius primo quidem ſupra N. 102. relatam Eliæ Cretenſis ſententiam ex ibi pariter relatis evidentibus motivis nobiſcum rejicit, deinde vero, quid ille circa præſentem difficultatem ſatis obſtruſam ſentiat, aperit his verbis: *Quum primum igitur longioris Orientalium ſymboli partem Nicæni Patres explicationibus ex veteris Eccleſiæ ſenſu petitis (a cujus Doctoribus & ipſum Homouſii vocabulum receptum hic fuiſſe agnoſcit Euſebius) ſic amplificaſſent: vel ipſorum aliqui, vel qui inſignem in Eccleſia adepti ſunt authoritatem, alii non diu poſt & eam Nicænorum ipſam, & reliquam, quæ ſuperfuerat, partem, collatis tam Romanæ, quam Orientalium Eccleſiarum Symbolis*, eo *videntur ſuppleviſſe conſilio, ut uno quaſi intuitu omnium ſimul Eccleſiarum fidem conſpiciendam exhiberent. Indeque factum, ut cum in Nicæna formula haberetur tantum* & in Spiritum S. *& in illa Hieroſolymitana Cyrilli præterea* Paracletum, qui locutus eſt per Prophetas: *in hac ex aliis adjecta fuerint & iſta*: Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur, & glorificatur. *Quod ante Conſtantinopolitanorum Patrum conventum fuiſſe factum, ex Epiphanii Anchorato jam confirmavimus.*

115. Si autem eidem adhuc objiciatur Authoritas Photii Tyriorum Epiſcopi in Conciliorum ſynopſi a ſe concinnata, ubi poſtquam narraſſet Patres Nicænos ſymbolum fidei expoſuiſſe uſque ad Capitulum illud, *Credo in Spiritum S.* de Patribus CP. poſtea ſuo loco addit: *Orthodoxam fidem confirmarunt, & Spiritum S. quoque verum Deum, & conſubſtantialem Patri prædicarunt, addentes prædicto Nicænæ Fidei ſymbolo & ipſa:* Et in Spiritum S. Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit &c. *uſque ad* Vitam futuri ſæculi Amen. *Atque ita fidei Orthodoxæ ſymbolum complentes, Eccleſiæ tradiderunt.*

Reſpondet, quod Photius non animadverterit, ante habitum Concilium CP. iſta omnia ab Epiphanio in Anchorato fuiſſe repetita: nec aliud quidquam conſideraverit, quam quod in Chalcedonenſis Concilii definitione relata Nicænæ & CP. ſynodi ſymbola, eo quod ab ipſo propoſita ſunt, modo diſtincte recitata audiviſſet. Quod tamen a Concilio illo recte fuiſſe factum nemo dubitabit, qui conſideraverit CP. Patres ampliorem illam fidei formulam non ſynodica ſolum ſua, authoritate, ut vere Catholicam, ab Eccleſiis omnibus recipiendam decreviſſe: verum etiam ex ea Nicæni ſymboli parte, quæ ipſi habebatur inſerta, non integram (uti ab Epiphanio recitatam legimus) retinuiſſe, ſed brevitatis gratia tria commata reſecuiſſe, atque ea ratione ſuam quodammodo effeciſſe. Si enim hæc ipſa CP. formola, duabus aucta particulis (videl. Filioque) ita nova (quemadmodum in libro de proceſſione Spiritus S. Anſelmus voluit) cenſenda fuerit, ut jam non tam CP. nomen, quam *Symboli fidei, quo Romana utitur Eccleſia* in Trid. Concil. ſeſſione 3. ſuo quaſi jure obtinuerit: quidni & alter ille typus, tribus ſuis membris ita diminutus in CP. nomen pariter potuiſſet concedere?

116. Qua reſponſione & præſens Argumentorum, & ſuperiores replicas ad ſuam ibi datam ſolutionem, *quod nempe præfati textus loquantur de tomo a Concilio CP. præter Symbolum edito*, ſolvens ultitur, præſcindendo videlicet ab illo tomo, & aſſerendo omnia illa teſtimonia una cum præſenti authoritate poſſe eſſe vera, etſi de præſenti ſymbolo loquantur, cum illud in ſenſu explicato recte poſſit dici a Patribus CP. concinnatum, eo quod illud & confirmatione & dicta diminutione ſuum effecerint, auferendo videlicet a ſymbolo Anchorati primo τὸ *Deum de Deo*, quia mox ſequebatur *Deum verum de Deo vero*; 2. τὸ *& quæ in cælis & quæ in terra*: quia ſtatim præceſſerat τὸ *omnia facta ſunt*; tertio illam generationis filii explicationem; hoc eſt *ex ſubſtantia patris*, quod illum in τὸ *Homouſion* ſufficienter comprehendi crederent. Hucuſque Uſſerius.

117. Mihi utriuſque partis fundamenta expendenti certa videntur ſequentia: primo: quod præter Symbolum Apoſtolicum a Nicænis PP. interpolatum, quodque articulo de Spiritu S. deſiit, Eccleſiæ tum Orientales, tum Occidentales reperiuntur profeſſæque fuerint variantia ſua Symbola Apoſtolica deſinentia vel *in carnis reſurrectione*, vel in *vita æterna*, non inſerta illis PP. Nicænorum explicatione relata, ut patet tum ex Symbolis Orientis Hieroſolymitano & Alexandrino, tum Occidentis Romano veteri, Aquilejenſi, & vulgari quo de facto utimur.

118. Secundo. Quod ante Concilium CP. Nicænum Symbolum & interpolatum fuerit per verba, quæ ſupra N. 100. notavimus, & etiam per ea, quæ poſt articulum de Spiritu Sancto ſeperiuntur, continuatum, ſive deinde hæc interpolatio & continuatio facta fuerit ab ipſis Nicænis PP. poſt diſſolutum Concilium, ſive ab illorum aliquibus, qui in Eccleſia inſignem adepti ſunt Authoritatem, ſive denique a Gregorio Nyſſeno ante ipſum Concilium CP. ex motivo ab Uſſerio ſupra relato, ut videlicet hoc pacto uno quaſi intuitu omnium ſimul Eccleſiarum fidem conſpiciendam exhiberet, hoc enim manifeſte evincit ipſum ſymbolum ab Epiphanio cum his additamentis in Anchorato l. c. relatum.

119. Nec obſtat ejuſdem Epiphanii authoritas, qui l. cit. de hoc ſymbolo ſubdit: *& hæc quidem fides tradita eſt Apoſtolis, & recepta in Eccleſia in ſancto Urbis Nicænæ Concilio ab omnibus ſimul tunc præſentibus Epiſcopis trecentis & decem & octo numero*; Nam ſymbolum ab Epiphanio recitatum ab illis ſimul tunc præſentibus non eſſe receptum quoad verba & ſententias, ſed tantum quoad ſenſum & ſpiritum, evincunt authoritates ſupra N. 100. & 102. contra Eliam Cretenſem allatæ, ubi Nicænum ſymbolum prout conciliariter editum refertur & minutum multis capitibus, quæ in præſenti leguntur, & deſinens in articulo de Spiritu Sancto manifeſte legitur.

120. Quapropter ex his præmiſſis ſequitur Concluſio, quam ſequenti Propoſitione ſtabilimus.

PROPOSITIO.

Hujus Symboli additamenta non ſunt primum facta a Patribus CP. ſed prius Nicæno Symbolo jam adjecta. Quo tamen non obſtante recte Patres CP. cum ipſi ſibi in ſua ad Theodoſium M. Nuncupatoria, & ſynodica, tum Concilium Chalcedonenſe & Juſtinianus Imp. ipſis hoc Symbolum adjudicant; partim quia illud, quantum ad additamenta attinet, ſynodaliter necdum factum, ſynodica ſua authoritate, ut vere Catholicum, ab Eccleſiis omnibus recipiendum decreverunt; partim quia illud, ut ab Epiphanio recitatum, non integrum retinuerunt, ſed brevitatis gratia tria commata reſecuerunt.

UTraque concluſionis pars conſtat ex utriuſque ſententiæ præmiſſis. Eſtque ſententiæ Uſſerii conformis, præterquam quod reſponſioni ejuſdem ad poſteriorem objectionem N. 115. propoſitam inhærendo, priorem N. 107. datam de tomo illo a ſymbolo ſeparatim edito negligar, cum poſterior reſponſio authoritates allatas latis conciliet.

QUÆSTIO HISTORICA.

Utrum Symbolum Conſtantinopolitanum ſemper ab Eccleſia fuerit receptum?

121. RAtiones dubitandi ſunt ſequentes. *Prima*, quia in decreto Synodi Sardicenſis, quod S. Atha. laudat in ep. ad Antiochenos edit. cit. pag. 35. ſancitur, nihil ulterius de fide ſcribendum eſſe, Nicænam ſufficere fidem, neque aliud Symbolum edendum, *ne illis, quibus libido eſt ſemper nova ſtatuere, occaſio ſuppeditaretur, ut iterum atque iterum de fide definiant. Secunda*, quia Epiſcopi Ægyptii in Concilio Chalcedonenſi contra quaſvis additiones Nicæno Symbolo factas acerrime reclamarunt, dicentes: *Nemo ſuſcipit adjectionem, nemo diminutionem. Quæ in Nicæa conſtituta ſunt, teneant, Catholicus Imperator hoc juſſit*. Confirmatur ex eorum ep. *ad Leonem Auguſtum*, quæ extat ordine 24. poſt Concilium Chalc. *apud Colet. pag.* 1848. ubi Synodum CP. expreſſis verbis reprobant, dicentes: *Synodum vero quinquaginta neſcimus. Tertia*, quia Author libri Pontificalis de Hilario Pontifice M. ſcribit, ipſum confirmaſſe *tres Synodos Nicænam, Epheſinam, & Chalcedonenſem*, nulla mentione facta de CP. in qua præſens Symbolum eſt editum. Simplicius etiam Papa *ep.* 5. *ad Acacium* CP. & Felix 3. *ep.* 2. *ad Leonem Aug.* tres illas duntaxat ſynodos prædicant velut ab Eccleſia approbatas, & confirmatas. Nihilominus

PROPOSITIO.

Dicendum: Symbolum CP. ſemper ab Eccleſia, ut Teſſera Fidei, receptum eſt.

122. PRobatur. Symbolum hoc a Catholicis ſive Synodis ſive Pontificibus nunquam legitur reprobatum, imo ab iiſdem legitur approbatum; cum ergo Concilia generalia cum Romano Pontifice univerſam repræſentent Eccleſiam, ſymbolum hoc ſemper ab Eccleſia ut teſſera fidei receptum eſt.

Prima pars A. conſtabit ex ſolutione objectionum, ſecunda vero probatur, & primo quantum ad Concilia ex Concilio Oecumenico Chalced. in ſupra N. 105. citata definitione fidei, ubi PP. ita ſtatuunt: *Decernimus præfulgere quidem rectæ, & immaculatæ fidei expoſitionem SS. & Beatiſſimorum 318. Patrum, qui in Nicæa temporibus piæ memoriæ Conſtantini M. congregati ſunt: ſervari autem & ea, quæ apud CP. a Sanctiſſimis 150. Patribus decreta ſunt, ad expellendas quidem Hæreſes, quæ eo tempore germinaverant, & ad confirmationem ejuſdem Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei*. Huc ſpectat & ille locus, quem ſupra N. 105. ex eadem ſynodo generali retulimus. In quibus Patres non de aliquo tomo a Patribus CP. ſeparatim a Symbolo edito, ſed de præſenti ſymbolo loqui ſupra N. 108. contra Uſſerium monſtravimus. Nec obeſt, quod l. c. Patres Chalced. dicant, Patres CP. ſuum de Spiritu S. intellectum *Scripturarum teſtimoniis* declaraſſe: hoc enim ſine violentia de ſymbolo intelligi poteſt, cum tam ly *a Patre procedit*, quam *qui locutus eſt per Prophetas* ſint ſcripturarum teſtimonia. *Joan.* 15. 26. 2. *Petri* 1. 21.

123. Probatur eadem pars quantum ad Romanos Pontifices, & primo ex Gelaſio P. M., qui eodem, quo ſynodus Chalcedonenſis celebrata eſt, ſæculo vixit, videlicet V. hic enim in Romana ſynodo a ſe celebrata inter alia ſcripta authentica, quæ Romana Eccleſia poſt ſacras veteris novique teſtamenti ſcripturas ſuſcipit, recenſet & laudat *S. Synodum CP. mediante Theodoſio ſeniore Auguſto, in qua Macedonius Hæreticus debitam damnationem accepit*. Refertur hoc Decretum apud Colet. *tom.* 5. *pag.* 385. Secundo ex S. Gregorio M. cujus adeo celebrata eſt vox: *Quatuor prima Concilia, tanquam quatuor DEI Evangelia veneror. Et lib. 6. Ep. 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum Patriarchas data*, iſtius ſynodi decreta fidem ſpectantia (in quibus utique eſt ſymbolum) ab Eccleſia recepta aſſerit, Canones vero, ſi primum, qui Anathema in Hæreſes ſtringit, adeoque etiam ad fidem ſpectat, excipias, non approbatos. *Romana Eccleſia*, inquit, *Canones hujus ſynodi non accipit; in hoc autem eandem ſynodum accipit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero Hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt*, (nempe in canone 1.) *ab aliis jam Patribus damnatas reprobat*. Exſtat hæc ep. operum ejus tom. 4. edit. Pariſ. de a. 1619. pag. 216.

Solvuntur Rationes dubitandi.

124. AD primam reſp. Nat. Alex. *Diſſ.* 37. *in Hiſt. Eccl. ſæculum* 4. novum bifariam dici poſſe ſymbolum; vel novum penitus, vel explicatione novum. Voluit itaque Synodus Sardicenſis, ne Symbolum penitus novum, & alterum a Nicæno conderetur, quia illius ſymboli voces, utpote divinitus inſpiratas, & totius mundi reverentia conſecratas illibatas eſſe voluit, & a nullo deleri, aut deſeri paſſa eſt, quaſi inſufficientes eſſent: ne Euſebianorum, ſeu Arianorum, nova in dies cudentium ſymbola, temeritas Catholicorum firmaretur exemplo. At novum explicatione ſymbolum condi non prohibuit; ita ut omnino retentis univerſim Nicæni ſymboli capitibus, quædam majoris explicationis gratia contra emergentes Hæreſes adderentur; quomodo CP. Synodus contra recens exortos Macedonii & Apollinaris errores nonnulla addidit Nicæno ſymbolo.

125. Nos, qui ſupra monſtravimus hæc additamenta jam fuiſſe facta ante Concilium CP., reſpondemus, ex factis tam illorum PP., qui ſymbolum Nicænum amplis explicationibus auxerunt, quam Patrum CP., qui aliquas iterum reſecuerunt, colligi, hunc eſſe ſenſum decreti Sardicenſis; non enim credibile eſt Epiſcopos privatos vitæ ſanctitate & doctrina celeberrimos, qualis fuit inter alios Epiphanius, fuiſſe tam temerarios, vel Concilium generale CP. tam inconſtans, ut decretum prioris Concilii generalis Sardicenſis, quod fuit Appendix magni Concilii Nicæni, conflatum ex plerisque Nicænis Patribus, vel neglexiſſent, vel facto ſuo correxiſſent, niſi credidiſſent novum explicatione ſymbolum ibi non eſſe prohibitum. Unde Epiphanius l. ſæpe citato poſt interpolatum ſymbolum Nicænum, quod nihilominus fidem a Nicænis PP. receptam vocat, multo adhuc longius & interpolatius ſymbolum recitat, quod ſuo tempore ob emerſas novas Hæreſes Catechumeni in Cypro ante Baptiſmum reddere debebant.

126. Dices. Juxta Nat. Alex. ſenſus decreti Sardicenſis eſt, ut ſymbolum Nicænum ſervetur intemeratum quoad capita & *Verba*; atqui PP. CP. minuendo additamenta aliunde jam huic ſymbolo facta, ipſum ſymbolum minuerunt quantum ad verba; ergo hac diminutione egerunt contra Decretum Concilii Sardicenſis: qua ratione ergo a Romana Eccleſia, Sardicenſis Concilii obſervantiſſima, ſuſceptum dici poteſt. P. m. in Nicæno Symbolo poſt ly *natum unigenitum* additur: *id eſt ſubſtantia Patris*; in ſymbolo, quod in Ancorato refert Epiphanius, hæc etiam habentur, in ſymbolo vero CP. rejecta ſunt; ergo PP. CP. ſymbolum minuerunt quantum ad verba. Et quidem illa, propter quorum abolitionem Ariani totum orbem commoverunt, & propter quorum retentionem Orthodoxi fortunas, famam, vitam impenderunt.

Reſp. tranſmiſſa M., cum in cit. decreto tantum habeatur: *& de fide ulterius nihil ſcribatur; neque alia Profeſſio fidei edatur*. Quamvis alias PP.

in

in prima illa Arianorum poſt Concilium Nicænum tempeſtate literas hujus ſymboli ceu cimelia aſſervarent; D. mi. Patres CP. ex ſymbolo reſecuerunt verba unius capituli, quæ in ſequenti explicite repetebantur C. quæ ibi non repetebantur N. m. & C. dicitur autem in eodem ſymbolo poſt pauca commata *Filius conſubſtantialis Patri*, quod idem eſt ac genitus ex ſubſtantia Patris, quapropter Patres CP. auferendo priora, nihil de Symbolo Nicæno proprie reſecuerunt. Idem dic de aliis 2. particulis ex N. 116.

127. Ad 2. rationem dubitandi reſp. nihil eſſe mirum, quod Epiſcopi illi Ægyptii CP. ſymbolum exploſerint, ac ſoli Nicæno ſtare voluerint, quia Eutichetis & Dioſcori partibus adhærebant. Eutiches vero in ſua Profeſſione ſolam Nicænam & Epheſinam Synodum admittebat ſilentio damnans CP. Quia nempe Nicænum ſymbolum ſolius divinitatis fidem certis finibus & verbis circumſcripſerat, incarnationis vero Dominicæ non ita explanaverat Sacramentum. Unde cum Ægyptii illi Antiſtites dixiſſent, *nemo ſuſcipit adjectionem &c.* Orientales, & qui cum ipſis erant Reverendiſſimi Epiſcopi, merito clamaverunt: *hæc Eutiches dixit*. Et vero floccifaciendus eſſet illorum Ægyptiorum clamor, quantumvis Catholici fuiſſent, cum ſynodus Chalc. univerſa CP. ſymbolum comprobaverit, ut in probatione propoſitionis vidimus. Quamvis ſe ab Eutichetis & Dioſcori partibus ſtetiſſe ultronee fateantur in cit. ipſorum ep. ad Leonem Auguſtum data, in qua profitentur, ſe communicare *Synodis in Epheſo factis*: & eadem credere, quæ Timotheus Ælurus in Alexandrinam ſedem ab Eutichianis intruſus, Concilii Chalcedonenſis infenſiſſimus hoſtis.

128. Ad tertiam reſp. Pontifices laudatos CP. ſynodum ideo prætermiſiſſe, quia ſpectari poteſt vel quoad fidem, vel quoad Canones in illa conditos. Et quoad Canones recepta quidem non erat ab Eccleſia; unde nullam illius oportuit fieri mentionem; quoad fidem vero a Nicæna non diſcrepat, niſi penes majorem & minorem explicationem. Unde ſatis ſuperque nomine fidei Nicænæ probata eſt. Utrumque enim Symbolum pro uno & eodem paſſim habitum eſt ab Auctoribus Eccleſiaſticis. Sic illud accepit Concilium Epheſinum, ſic Marcus Epheſinus in ſynodo Florentina ſeſſ. 5., ſic Theodorus Lectus lib. 2. collectaneorum, cujus locum infra N. 168. referemus.

QUÆSTIO HISTORICO-CRITICA.

Quando, & a quo particula *Filioque* addita ſit Symbolo Conſtantinopolitano?

129. UT Quæſtioni huic tantopere obſcuræ atque inſuper a multis obſcure pertractatæ lucem aliquam affundamus, bifariam procedemus: & *primo* quæremus a quo & quando hæc particula *Filioque* huic ſymbolo *primum* fuerit addita? *ſecundo*, a quo & quando fuerit in Eccleſia Romana recepta, ac pro univerſali Eccleſia approbata?

130. Circa utrumque propoſitæ difficultatis membrum variant Authores, nam, ut de primo Ordine agamus, alii in hoc ipſo Concilio eodem aſſerere additam, ſed hi graviter hallucinantur, tum quia nullum exemplar hujus ſynodi illam habet, tum quia alias Romæ ſtatim fuiſſet in uſu, quod tamen falſum eſt, tum quia hoc Græcis a PP. Latinis in Concilio Florentino fuiſſet objectum, quod tamen factum haud eſt.

131. Alii aſſerunt hanc additionem fuiſſe factam in Concilio generali VII. ſeu Nicæno II. a. c. 787. contra iconomachos celebrato; quod in dicto Conc. Flor. Julianus Card. Seſſ. 5. & Andreas Coloſſenſis Seſſ. 7. vetuſtiſſimi Codicis fide Græcis probare niſi ſunt. Sed hæc etiam ſententia facile refellitur: quoniam ſi ita eſſet, non hoc fugiſſet Græcos, qui animis ad veritatis & pacis ſtudium prorſus comparatis, ut ex colloquiis inter illos & Latinos ibi patet, in hac ſynodo comparuerunt, & aliqui ſaltem Codices præter eum, quem Romani Græcis oſtendebant, hanc additionem habuiſſent. Adde quod magni ponderis eſt, Anaſtaſium Bibliothecarium, qui annis ſolum 70. poſt ſeptimam ſynodum floruit, eamque latinitate donavit, hoc in ea non legiſſe additamentum. Sed eſto ibi reperiretur, non tamen ab illo Concilio poteſt dici hæc particula *primum* addita, ſed magis *recepta*, & poſt approbationem ſynodi pro univerſali Eccleſia conſecrata, cum longe ante illud addita reperiatur in Concilio vulgo Hiſpanico, alias Cellenſi a. 447. & ſi in hoc non, tunc certa in Toletano III. quod a. 589. & in VIII. quod a. 613. celebratum eſt, & in aliis Hiſpaniæ ſynodis. Altius ergo Epocha hujus additamenti quærenda eſt.

132. Alii igitur, ut Alexius Ariſtenus Eccleſiæ CP. Diaconus, in opere, quod inſcribitur *Conſpectus omnium canonum editorum a ſex Conciliis generalibus &c.* cum quibuſdam adhuc, quos *tom. 1. operum poſthumorum tr. 1. de proceſſione Spiritus S. diſp. 1. controv. 10. §. 1.* citat recentiſſimus ac Doctiſſimus Controverſiarum Scriptor Liberius a Jeſu Carmelita diſcalceatus, autumant Damaſum PP. non quidem in Concilio generali, ſed in Romano particulari ejus particulæ ſymbolo adjectæ fuiſſe Authorem.

133. Alii e contra, inter quos Binius in notis ad Concilium CP. ℣. *Credimus &c.* affirmant, quod τὸ *Filioque* Authoritate Leonis M. ad confutandos Hæreticos Priſcillianiſtas ab Hiſpanis Epiſcopis ſuperadditum fuerit in Concilio a Tarraconenſibus, Carthaginenſibus, Luſitanis, & Bœticis Epiſcopis a. 447. celebrato, adeoque ultra medium, poſt Damaſum Pontificem, ſæculum. Cum quibus ſtatuitur

PROPOSITIO I.

Additio particulæ Filioque *non a Damaſo Papa in quodam Concilio particulari Romæ celebrato, ſed in Concilio Hiſpanico a. c. 447. habito Authoritate Leonis M. ſymbolo CP. fuit primum addita.*

134. ANtequam primum membrum probetur, operæ pretium erit, ut advertam Liberium a Jeſu doctiſſimum, ſimul ac celebratiſſimum alias Authorem præſentem Quæſtionem exacte non tractare, nam primo l. c. N. 218. tenet, eam opinionem, videlicet Alexii Ariſteni, facilius fidem capere, quæ docet Damaſum in dicto Romano Concilio adjectæ ſymbolo particulæ fuiſſe Authorem. N. vero 221. in reſponſione dicit: *tamen conciliantur* (Authores nempe, qui Damaſo hanc additionem adſcribunt, ſed circa Concilium, in quo facta fuerit, diſcrepant) *in eo, quo Damaſus formulam, & inſtructionem fidei Patribus tranſmiſerit, ne errarent in fide, verumtamen, quia nondum oborta fuerit Hæreſis, optimum duxit, nihil explicite ſuperaddi*. Et tandem N. 226. ait: *Sic tamen diſſidium facile componas, ſi dixeris Damaſum rem prima ſtatuiſſe, ac tradidiſſe Hiſpanis, aliiſque, non præceptive, ſed permiſſive.*

135. Quæ ſi combinentur, quomodo Damaſum Authorem hujus additionis faciant, quomodoque ſententias diſcrepantes concilient, non video. Si enim, ut ſecundo loco ait, optimum duxit Damaſus nil *explicite* ſuperaddi, quomodo adjectæ ſymbolo particulæ eſt author? & dicendo Damaſum rem *prima* ſtatuiſſe; tunc quid his terminis adeo amplis vult dicere? an quod Damaſus in inſtructione fidei Patribus (ut ſcor CP.) tranſmiſſa, quæ nullibi extat, docuerit Spiritum S. a Filio quoque procedere? an quod poſt Concilium

CP. in aliqua Synodo idipſum ſtatuerit, & Hiſpanis, aliiſque tradiderit? ſed neutrum horum Damaſum hujus additionis authorem facit, nec conſequenter diſſidium ſcriptorum conciliat. Non primum, quia juxta eundem N. 121. Damaſus optimum duxit, ſymbolo nil *explicite* ſuperaddi. Neque ſecundum, quia ex eo, quod Damaſus hanc rem ſtatuerit, atque Hiſpanis aliiſque tradiderit, non præceptive, ſed *permiſſive*, non ſequitur niſi impropriiſſime, illum hujus additionis, prout *ſeriei* ſymboli factæ, eſſe authorem, cum & ante ipſum Baſilius M. lib. de Spiritu S. & alii Patres id docuerint, & Eccleſia crediderit, quos propterea hujus additionis authores dicere quis audebit? Quapropter ampliorem Liberii propoſitionem ad ſenſum authorum, qui ab ipſo ibidem citantur, & nihilominus contra Alexandri argumenta defenduntur, reducendo, dicimus Damaſum particulam *Filioque* ſeriei ſymboli *primo* non inſeruiſſe, & ita

136. Prob. primum membr. Propoſitionis. I. Quia neque in actis ullius Concilii Romani a Damaſo habiti, neque in Hiſtoria bipartita, neque in Epiſtola ad Paulinum hoc additamentum reperitur. II. Quia ſi ea additio facta eſſet a Damaſo, & ejus Synodo, illius certe Theodoretus in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica meminiſſet, ubi Damaſi ſynodicam ad Epiſcopos Illyricos refert.

137. Ad primum Reſp. Liberius. Per hoc minime infringi veritatem ſententiæ Ariſteni. Sufficit enim in aliquot probatis exemplaribus repertum eſſe ſupradictum additamentum, & Scriptoribus, atque Hiſtoricis innotuiſſe. Potuit enim abradi ab actis Concilii, & literis ad Paulinum.

138. Ad ſecundum ait: nil mirum, quod Theodoretus illam additionem omiſerit, cum enim acerrime negaret proceſſionem Spiritus S. a Filio, ſe ipſum condemnaſſet, referendo talem additionem factam a Pontifice.

139. Sed quantum ad primam reſponſionem quæro: ubi ſint hæc *aliquot* exemplaria, in quibus repertum ſit ſæpe ſatum additamentum? Et ubi *Scriptores & Hiſtorici*, quibus *ex his exemplaribus probatis* hoc innotuit? Authores ſunt ipſe Alexius Ariſtinus, qui ſæculo 12. ſcripſit; ipſum ſæculo 15. ſequitur Joſephus Methonenſis Epiſcopus, egregius ex Græcis PP. Concilii Florentini, & dogmatis Catholici de Spiritus S. a Filio proceſſione contra impium Marcum Epheſium Defenſor, in reſponſis ad eundem Marcum; relatus *tom.* 18. *Concilior. collect. Colet, pag.* 600. ubi *pag.* 699. ſuam ſententiam in illo fundat. Quod idem facit Genebeatdus de Trinit. qui ſcribit fuiſſe apud ſe fragmentum operis Alexii Ariſteni, in quo illud de Concilii Romani decreto, & Damaſi ſymbolo legebatur. Conſentiunt Simon CP. Epiſcopus ad Joan. Nemophilacem, & Leo Allatius contra Hottingerum. Sed omnes in teſtimonio Ariſteni fundantur. Habemus ergo Authorem unum, qui ſi in aliquot probata hujus Synodi exemplaria incidit, quæ Scrinia Romana, & Occidentis Bibliothecæ tempore Dionyſii exigui, aliorumque, qui acta Conciliorum, Canones, Epiſtolas Pontificum, herculeo labore conquiſiverunt, eiſdem exhibere non potuerunt, plaudimus. Cæterum grande præjudicium huic reſponſioni afferunt verba ipſius Joſephi Methonenſis l. cit. dum inquit: *neque enim ſolum ante Schiſma Eccleſiarum appoſitum erat* (τὸ Filioque) *ſymbolo ſed ante ipſas Synodos Oecumenicas ſeptimam dica & ſextam* (videlicet in Hiſpanicis ſupra relatis) *ut teſtatur Confeſſor Maximus in Epiſtola ad Martinum Presbyterum Cyprium; nec ante illas tantum, ut dictum eſt, ſed mox a* ſecunda ſynodo *tempore* Papæ Damaſi, *ut aſſerit Gregorius* (quem Liberius, Natalis, & ex ipſo Graveſon vocant Alexium, ſors duo nomina habentem) *Ariſtinus Hiſtoricus*. Ergo Ariſtinus teſte Methonenſi cenſet hanc particulam in præſenti CP. ſynodo ſymbolo additam, quam opinionem omnium eruditorum conſpiratione ſupra rejecimus; in quos ergo probatos codices incidit? gratis etiam dicitur hoc additamentum potuiſſe abradi ab actis Concilii, & literis ad Paulinum, nonne enim omnia exemplaria raſa ſunt? unde provide quidem huic reſponſioni ſubjungit Liberius: *haud ignorem evidenter non probari*: an autem id quod ſubnectit, *at neque oppoſita probabilitatem deſtruunt*, ſubſiſtat, Lector dijudicet.

140. Contra reſponſionem ad ſecundum eſt, quod, cum Theodoretus hiſtoriam Eccleſiaſticam non ſcripſerit ante annum Chriſti 445. uti colligitur ex ejus Epiſtola hoc anno ad Euſebium Ancyranum data, illo autem tempore jam integerrimæ fidei fuerit, & a Neſtorii erroribus penitus alienus, etſi ejus amicitiam necdum ejuraverit, ut conſtat ex hac ipſa Epiſtola, & ex illa ad Dioſcorum eodem anno data, non eſt, cur ei hæc falſitatis nota inuratur. Legatur Natalis Alex. in hiſt. Eccl. ſæc. 5. cap. 5. pag. 148. ubi fragmenta harum Epiſtolarum refert, & objectiones quaſdam diluit.

141. Confirmatur utraque ratio N. 136. adducta ex S. Thom. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2. quem locum mox expendemus. S. Th. loc. cit. ait, hanc additionem factam fuiſſe inſurgente quorundam errore circa Spiritus S. a Filio proceſſionem; ſed tempore Damaſi error ille necdum exortus fuerat; ergo non eſt credibile hanc additionem fuiſſe factam a Damaſo. M. eſt S. Thom. & fundatur in factis antiquorum Conciliorum, ſic enim Nicænum Concilium ad excludendum errorem Arii ſymbolo Apoſtolico τὸ *Homouſion* addidit, ſic Epiſcopi Cyprii & alii Symbolum Nicænum multum ampliarunt per illud Symbolum, quod Epiphanius refert in Ancorato ad finem, ſic Patres CP. præſens Symbolum conſecrarunt, nihil addituri Symbolo Apoſtolico, niſi Hæreſes fuiſſent excludendæ, & fideles hac veluti teſſera ab illis ſecernendi. M. p. ex eodem S. D. l. c. ad 3. ubi ait: *Dicendum: quod Spiritum S. non procedere a Filio primo fuit a Neſtorianis introductum*; ſed tempore Damaſi necdum erant Neſtoriani: ergo, P. m. Damaſus mortuus eſt a. c. 385. & Neſtorius Hæreſim ſuam moliri cœpit a. c. 427. ut ex Lucretii Chronico Liberatus refert; ergo tempore Damaſi necdum erant Neſtoriani.

142. Confirmatur II. Si hæc additio fuiſſet facta in ſynodo Romana ad confirmandum Concilium CP. ſub Damaſo celebrata; Romana Eccleſia illud cum hoc additamento recitaſſet, ſed contrarium eſt factum, ergo hæc additio ibi non eſt facta. M. patet; ad quid enim *Romæ* hæc additio ſynodice facta fuiſſet, ſi *Roma* illam non uſurpaſſet? M. p. ſæculi noni initio Leo III. ſi non prohibuit, ſaltem ægerrime tulit hoc additamentum in Galliis, atque aliis particularibus Eccleſiis uſurpari, dixitque ad Legatos Concilii Aquiſgranenſis: *nos enim* (Romæ) *idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere, quidpiam eidem ſymbolo inſerendo, præſumimus*; uti conſtat ex actis collationis Legatorum illorum cum Leone III. habitæ, quæ habentur in Colet. Concilior. collect. *tom.* 9. *pag.* 278. *& ſeq.* ergo contrarium Romæ factum eſt.

143. Probatur nunc ſecunda pars ejuſdem propoſitionis, expendendo locum D. Th. ſupra ex p. 1. q. 36. a. 2. ad 2. allatum, ubi S. D. ita habet: *Quia igitur in tempore antiquorum Conciliorum*

tum nondum exortus fuerat error dicentium Spiritum S. non procedere a Filio, non fuiſſe neceſſarium, quod hoc explicite poneretur: ſed poſtea exurgente errore quorundam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato expreſſum fuit authoritate Romani Pontificis. Quem locum dum attentius conſidero, in eo S. D. indicare Concilium Hiſpanicum in propoſitione relatum magis ac magis confirmor. Etenim Hiſpanias eſſe in Occidentalibus partibus nemo neſcit, & tempore Leonis Neſtorianos & Theodoretum hunc articulum primo inficiatos fuiſſe Hiſtoria Eccleſiaſtica & S. Th. loc. cit. ad 3. nos docet. Illius vero authoritate congregatum eſſe hoc Concilium conſtat ex Lucretio Bracarenſi Epiſcopo in Concilio Bracarenſi II. aut potius I. ita dicente: *Credo veſtræ Beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore, quo in hic regionibus nefandiſſima Priſcillianæ ſectæ venena ſerpebant, Beatiſſimus Papa Urbis Romæ Leo, qui quadrageſimus fere extitit Apoſtoli Petri ſucceſſor, per Tarribium Notarium ſedis ſuæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priſcilliani ſectam ſcripta ſua direxit. Cujus etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quoque & Bœtici, facto inter ſe Concilio regulam fidei contra Priſcillianam Hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes, ad Balconium tunc hujus Bracarenſis Eccleſiæ Præſulem direxerant.* Habetur hæc ep. ad Turribium in Colet. Concil. collect. *tom. 4. pag. 656.* Denique in hac fidei regula (quæ male a Collectoribus Coletum præcedentibus aſſuitur Toletano I. Concilio, ut oſtendit Queſnellius *Diſſert. de Libellis in Codice Eccleſiæ Romanæ* N. 8. & notatur a Coleto *tom. 2. pag.* 1475.) habetur hoc additamentum his verbis; *a Patre Filioque procedens*: tandem hoc additamentum ab illis Patribus non obvie & ſua authoritate, ſed ex verbis epiſtolæ ad eos a S. Leone ſcriptæ factum fuiſſe, patet ex illius cap. 1. in quo SS. illis Pontifex demonſtrat, *quam impie ſentiant de Trinitate Divina, qui & Patris & Filii & Spiritus S. unam atque eandem aſſerunt Perſonam, tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus S. nominetur; nec alius ſit qui genuit, alius, qui genitus eſt, alius, qui de utroque procedit.* Ergo illud additamentum primum factum eſt in hoc Concilio authoritate Leonis M. qui illud approbavit.

144. Dices cum Queſnellio. Hoc ſymbolum temporum progreſſu fuiſſe interpolatum, cum ejus exemplaria tam in MSS. codicibus, quam in editis ſint valde diverſa, & in aliquibus habeantur 12. Anathematiſmi, inter opera vero S. Auguſtini illis 12. alii 14. addantur; & imprimis hæc verba videantur recentiorem manum redolere, ergo dubiam hujus additionis facit Epocham.

145. Sed contra eſt; quid quid ſit circa variationem hujus ſymboli, imprimis hæc verba extare in Autographo hujus ſymboli ſuadet, quod Queſnellius nullum exhibeat, nec fortaſſe exhibere poſſit codicem ſive MS. ſive editum, in quo hæc verba deſunt. Secundo, quia in Bracarenſi II. aut potius I. Concilio a. c. 563. celebrato, cui illius Metropoleos Epiſcopus Lucretius, cujus verba ſupra retulimus, præſedit, lectum eſt exemplar fidei in hoc Concilio editum cum ſuis capitulis, quæ quamvis, ne prolixitatem facerent, geſtis hujus Concilii non ſint inſerta, id, quod dolemus, nihilominus, quia Recaredus Rex in Concilio Toletano III. a c. 589. ſeu annis poſt Bracarenſe 26. celebrato in formula fidei CP. Patribus porrecta profitetur *Spiritum S. a Patre & Filio procedere*, & Patres Anathematiſmo III. dicant: *quicunque Spiritum S. non crediderit a Patre & Filio procedere —— Anathema ſit*: veroſimillimum cenſeo & Recaredum, & Patres tum Toletanos, tum Bracarenſes hoc additamentum in citata a ſe formula fidei legiſſe, eamque ab illius Concilii Epocha *Seriei* ſymboli CP. inſertam fuiſſe. Non enim tantæ temeritatis erat Sanctiſſimus ille & zeloſiſſimus Rex, ut ſua authoritate ſymbolum CP. per particulam *Filioque* interpolaſſet, ſi communiter ab Hiſpanis tunc non fuiſſet ita redditum. Sed quod maxime recentiorem manum ab hoc ſymbolo removet, eſt ipſa Epiſtola citata Leonis I. quæ cum pro Cynoſura Hiſpanicæ ſynodo fuerit, ex illius c. 1. mox adducto particulam illam *Filioque* ſymbolo CP. inſertam fuiſſe, non eſt, qui rationabiliter dubitare poſſit.

146. Non ignoro in Concilio Bracarenſi, quod primum appellatur, atque a Coleto ex c. 2. libri ſexti Monarchiæ Luſitanæ Fr. Bernardi de Brito Ciſtercienſis & Chronologi Generalis cæteris Conciliis eſt intertextum *tom. 3. pag. 345.* atque ad a. c. 411. collocatum, in fidei profeſſione legi *Credo in Spiritum S. procedentem a Patre & Verbo*; ſed id noſtræ ſententiæ parum obeſt; nam illud Concilium eſſe ſuppoſititium putat Perezius Canonicus Toletanus, qui primus Pſeudo-dextri, & Pſeudo-maximi fraudes detexit, & Cardinalis Aguire admonet, ſi quis hoc Concilium putet genuinum, inferiori certe, quam reliqua auctoritatis gradu eſſe habendum. Denique accuratiſſimus Pagius ad a. c. 411. N. 29. cenſet, quod *Concilium Bracarenſe hoc anno a Labbeo conſignatum, nec primum, nec forte genuinum dici poteſt. Hic enim articulus fidei, qui in eo legitur; Credo in Spiritum S. procedentem a Patre & Verbo, ſuppoſitionem ſatis prodit; cum hoc circiter tempore S. Cyrillo crimini datum ſit, quod ſimilem propoſitionem probaſſet, adeo ut ſe ſe de ea purgare coactus ſit.* Quo loco (ut hic incidenter obſervem) iterum premuntur illi, qui dicunt Damaſum in Concilio Romano hoc additamentum feciſſe, atque vel litteris ad Paulinum, vel ad Illyricos, aut ad Orientales ſeu CP. Patres, poſt celebratum ab ipſis præſens Concilium miſſis inſeruiſſe, quod poſtea Theodoretus malitioſe omiſerit, ut vult Liberius; quo pacto enim Cyrillus ſe purgare debuiſſet a propoſitione a Pontifica, quem totus ſuſpexit, ſequebaturque Oriens, ſynodica jam ſancita? ſed procedamus ad propoſitionem ſecundam, in qua reſolvemus a quo, & quando hujus additio particulæ in Eccleſia Romana recepta ac pro univerſali Eccleſia approbata fuerit? Prius tamen ad planiorem illius additamenti notitiam

147. Obſervandum I. Additionem particulæ *Filioque*, in Hiſpaniis ſæculo V. & VI jam uſurpatam, a Gallis & Germanis ſæculo VII. excunte, vel VIII. ineunte quoque admiſſam fuiſſe, quamvis incertum ſit quo anno? Fortaſſis, inquit Nat. Alex. hic, in Concilio Gentiliacenſi, quod a. c. 727. præſente Pipino Rege celebratum eſt, quia in eo Græcos inter & Latinos de proceſſione Spiritus S. diſputatum eſt. Vires autem accepit ſæculo IX. in Concilio Aquiſgranenſi, quod a. c. 809. habitum, & in eo rurſus de proceſſione Spiritus S. diſputatum eſt.

148. Obſervandum II. Tanquam certum, ſæculi IX. initio hanc additionem non viguiſſe in Eccleſia Romana; quamvis enim Leo III. Decretum ſynodi Aquiſgranenſis mox cit. de Spiritus S. a Filio proceſſione a Legatis ſynodalibus Bernario Wormatienſium, Jeſſe Ambianenſium Epiſcopis, & Adalardo Corbejenſium Abbate ſibi oblatum probaverit, hanc tamen additionem ſymbolo factam una cum cantu ejuſdam probavit minime: ut ſupra N. 142. vidimus. Imo antiqui-

quitatis tenaciſſimus, & pacis Græcos inter & Latinos conſervandæ ſtudioſiſſimus, non tantum prædictis Legatis ſuaſit, curarent, ut cantus hujus ſymboli cum hocce additamento Pariſiis in Palatio omitteretur, ratus fore, reliquas Eccleſias hoc exemplum ſecuturas; uti conſtat ex colloquio mox cit. ſed & ipſe ſymbolum in argentea tabula ſine hoc additamento ſcribi juſſit, ut teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita his verbis: *(Leo) pro amore & cautela orthodoxæ fidei fecit in B. Petri Baſilica ſcuta argentea duo, ſcripta utraque ſymbolo, unum quidem litteris græcis, & aliud latinis; in quo quidem ſymbolo* (inquit Magiſter ſententiarum lib. 1. diſt. 11.) *in proceſſione Spiritus ſolus commemoratur Pater.*

149. Dubium ergo ſolum ſupereſt, ſub quo Pontifice, & quando poſt tempora Leonis Tertii hoc additamentum in Romana Eccleſia fuerit ſuſceptum, & ita pro univerſali Eccleſia approbatum? ubi iterum illorum ſententia ſuſtineri nequit, qui opinantur hanc additionem pro univerſali Eccleſia, & ſub præcepto eſſe receptam ſæculo XIII. in Concilio Lugdunenſi, in quo præſens ſymbolum cum hac additione a Græcis, Latiniſque ſolemni ritu decantatum eſt, hac ſententia ter repetita; *Qui ex Patre, Filioque procedit*, cum certum ſit initio ſæculi IX. ſub Benedicto VIII. ad preces Henrici Imperatoris Romæ jam cœptum eſſe cantari ſymbolum iſtud, ſicut in aliis Eccleſiis jam tum cantabatur, ſeu cum additione *Filioque*, uti teſtatur Berno Augienſis *libro de rebus ad miſſam ſpectantibus* c. 2. his verbis: *Cum Romanorum Presbyteri ab Henrico Imperatore interrogarentur, cur poſt Evangelium, ut in aliis Eccleſiis fiebat, ſymbolum non canerent, me aſſiſtente audivi eos ejuſmodi reſponſum reddere, videlicet, quod Romana Eccleſia non fuiſſet aliquando ulla Hæreſeos fæce infecta; - - & ideo magis ipſis neceſſarium eſſe illud ſymbolum ſæpius cantando frequentare, qui aliquando Hæreſi potuerunt maculari; at Imperator non antea deſiit, quam omnium conſenſu id Domino Benedicto Apoſtolico perſuaſit, ut ad publicam miſſam illud decantarent.* Illud ſcilicet ſymbolum, quod alibi in Eccleſiis canebatur. Cum autem alibi jam fuiſſet addita particula *Filioque*, ſequitur ex laudato Auctore, ſymbolum CP. cum additione Romæ cantari cœptum eſſe ſub Benedicto VIII.

150. Hæc tamen Auctoritas, cum de ſola receptione *cantus* hujus ſymboli, non item de receptione additamenti ſimpliciter loquatur, controverſiam circa epocham illius additamenti non dirimit, quapropter alii exiſtimant, id factum eſſe tempore Chriſtophori Pſeudo-Pontificis, qui anno 908. ſeu ad initium ſæculi X. Leonem V. ſede exturbavit, & poſt ſeptem menſes ipſe a Sergio III. dejectus eſt; *Sed nullo pacto* (inquit Baronius ad a. c. 883. pag. 596.) *poſſunt iſta tribui Chriſtophoro, qui invaſor Apoſtolicæ Sedis, mox ſede pulſus, perbrevi tempore eam retinuit tumultuoſe. Græci autem calumnioſe a Chriſtophoro id factum dixere, quem noverunt infami ingreſſu turpiſſimum.* Alii ergo, ut Voſſius, dicunt hanc additionem in Romana Eccleſia eſſe receptam ſub Gregorio III. mox relatu; ſed hanc ſententiam refellit Natalis Alexander ſæculo IV. *differt.* 37. *a.* 3. licet enim hic Pontifex ad Gallicanos Epiſcopos ſcripſerit, ut eos ad confutandum Græcorum errorem de proceſſione Spiritus S. impelleret, non ſequitur tamen, ut has voces primus in Eccleſia Romana receperit. Adjectionem illam *(ſubdit idem Natalis l. c.)* ab antiquioris Romæ antiſtite, ſanctorum plurium Epiſcoporum, ſcientiſſimorumque Cardinalium conſenſu habito, factam, *ſcribit Hugo Etherianus l. 3. de proceſſione Spiritus S. c. 16. quod opus ante a. c. 1200. Conſtantinopoli conſcripſit. Sed cum neque Pontificem a quo facta, nec tempus quo facta eſt hæc additio, indigitet, nihil certi ex ejus verbis colligi poteſt.* Magni cujuſdam Occidentalium Concilii, & Romani Pontificis auctoritate *hanc ad ſymbolum acceſſionem factam eſſe, ſcribit S. Thom.* 1. *p. q.* 36. *a.* 2. *ad* 2. *ſuffragatur Andreas Coloſſenſis pro Latinis differens in Concilio Florentino Seſſione* 8. (debet eſſe ſeptima) *ſed cum illius ſynodi nec tempus deſignent, neque nomen, illiuſque nullum exſtet in hiſtoria Eccleſiaſtica monumentum, tantorum virorum teſtimonio nihilo reddimur hac in re doctiores.* Hæc Nat. Verba S. Thomæ ſupra N. 133. retulimus, ex iiſque conjecimus, S. Doctorem & loqui de prima additione hujus particulæ, & ſimul alludere ad Concilium Hiſpanicum authoritate Leonis I. indictum, uti teſtatur ibi adductus Lucretius Bracarenſis Epiſcopus. Verba autem Rhodii hæc ſunt: *quod maximo in Gallia, & Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cum jam ex* Filioque *paſſim celebraretur, Romano Pontifici fuit neceſſe, in multorum Occidentalium ampla dignitatis, magnique conſilii Patrum Conventu addita ex* Filioque *ſymbolum magis illuſtrare.* Quibus verbis Rhodium non loqui de prima additione hujus particulæ in Occidentalibus Eccleſiis, & conſequenter hoc teſtimonium non pertinere ad noſtram 1. propoſitionem, ſed ad præſentem, conſtat ex iis verbis: *Cum jam ex* Filioque *paſſim celebraretur.* Quod obiter in rem noſtram adnotare voluimus. Nunc quid circa epocham receptionis hujus particulæ in Romana, & univerſa Latina Eccleſia ſentiamus? aperiet ſequens

PROPOSITIO II.

Nicolai primi temporibus, qui ſedit ſæculi IX. medio, ſeu circa A. 858. adeoque 50. circiter annis poſt Leonem III. additamenti hujus adeo impatientem, ut ſupra vidimus, factam fuiſſe hanc additionem in Romana Eccleſia, atque pro univerſa Latina Eccleſia conſecratam, probabilius eſt.

151. PRobatur ex encyclica Photii epiſtola ad primarias ſedes Orientales ſcripta; in qua præter alia ita debacchatur: *Præter illa, quæ commemoravimus abſurda, ſacrum etiam, & ſanctum ſymbolum, quod ab omnibus ſynodicis, & œcumenicis calculis irrefragabilem vim habet, & authoritatem, ſpuriis quibuſdam, & falſis diſceptationibus, & alienis rationibus, & audaciæ quodam exceſſu adulterare non dubitarunt. O! mali dæmonis artes, Spiritum S. non ex* Patre *ſolum, ſed etiam ex* Filio *procedere* novitee *docentes.* Extat hæc epiſtola apud Baronium ad a. 863. Quod autem Photius in illa ep. de præſenti additamento arguat Eccleſiam Romanam, & per ejuſdem latus Nicolaum I. ex eo colligitur, quod calumniæ in illa vibratæ petant Paulum Populonenſem, & Formoſum Portuenſem Epiſcopos, Nicolai hujus ad Bulgarorum gentem Legatos. Quibus cum idem Pontifex *Libros*, quos ad uberiorem gentis hujus in chriſtiana fide inſtructionem prævidit neceſſarios, ſe dediſſe teſtetur in *reſponſis* ad conſulta Bulgarorum relatis apud Coletum *tom.* 9. *fol.* 1534. veroſimillimum eſt, inter illos fuiſſe ſymbolum cum præſenti additamento; de quo proinde tanquam de immani corruptela immaniter vociferatus eſt Photius; non enim credibile eſt Legatos Romani Pontificis ejuſdemque Suburbicarios ſua authoritate Bulgaris ſymbolum aliter tradidiſſe, ac Romæ tum recitabatur; ergo probabilius eſt, tempore Nicolai I. Romæ factum eſſe præſens additamentum.

152. Confirmatur I. ex Ratramno Corbejenſi Monacho, qui libro II. pro *Romana Eccleſia* contra

Digitized by Google

tra Græcos, quem Photii temporibus conſcripſit, illud ipſum tanquam ab illis objectum violati ſymboli crimen diluit. Poſtquam enim dixit: *Spiritum S. a Patre procedere, & eſſe coadorandum*, mox ita pergit: *Dein Ariana repullulante veſania, voleuteque confirmare non eſſe recta fidei Spiritum S. dicere a Patre procedere; hac, quia videretur eſſe blaſphemum, quoniam duarum videretur Pater eſſe, id eſt Filii, & Spiritus S., hanc quoque blaſphemiam propellendam decernentes Eccleſia Doctores, ſuperaddidere ſymbolo, Spiritum S.* a Filio *quoque procedere: ne ſi de Patre tantum procedens diceretur, putaretur Filius, nec diceretur Spiritus Filii*. Cum ergo dictus Ratramnus & tempore Photii ſcribat, & pro Romana Eccleſia ſcribat, & hoc additamentum ab Eccleſiæ Doctoribus ex dicta neceſſitate additum ſymbolo fateatur, tempore Nicolai I. eſſe factum Romæ probabilius eſt.

153. Confirmatur II. ex S. Antonino *Parte 3. tit. 22. c. 15. §. 10.* ubi ait: Photium exprobraſſe Nicolao I. quod ob additionem hujuſmodi Anathema incurriſſet ab Epheſino Concilio latom contra eos, qui ſymbolu aliquid adderent.

Solvuntur Objectiones contra utramque Propoſitionem.

154. Objicit Liberius a Jeſu contra primam Propoſitionem Authoritates Ariſteni & aliorum ſeotientium a Damaſo *primo* hoc additamentum eſſe factum. Sed ad illas jam ſupra N. 139. reſpondimus.

155. Objicit II. Authoritates Latinorum apud Garziam Loayſam *in notis ad Concil. III. Tolet.* & apud Durandum *de ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib. 1. c. 24.* Item ipſum ſymbolum Damaſi, quod reperitur apud Hieron. *tom. 9.* in Benedictina veſo editione *tom. 5. fol.* 22. in quo eſt hoc additamentum, conſtat autem Hieron. ſcripſiſſe ante Leonem M., ergo non authoritate Leonis, ſed Damaſi factum eſt hoc additamentum.

156. Ad id quod Garziam & Durandum attinet, dico eus, Liberio fatente, illius fuiſſe ſententiæ, quæ docet hoc additamentum fuiſſe factum in ipſo Concilio CP., quod eſt falſiſſimum, & conſequenter Authores, quos citant, Patronos ſuos venerantur, qui proin Liberio non faveot, quamvis Garzias l. cit. rejiciat ſententiam aliquorum ſub rò *alii*, qui ſentiunt hoc eſſe factum ſub Damaſo in Concilio Romano, ſed hi *alii* non ſunt majoris authoritatis Patroni noſtræ ſententiæ, nec proinde cauſam evincunt, quæ ex momentis in Concluſione allatis decidenda eſt.

157. Ad Symbolum ex Hier. operibus allatum reſpondeo illud eſſe ſuppoſititium; nam quæ Marinus Victorinus in illo tomo deſcripſit, majori ex parte ſunt incerti auctoris; & Bellarminus de Hiſtoricis Eccleſiaſticis affirmat ex Damaſo ſolum paucas Epiſtolas remanſiſſe, quod & communiter ſentiunt eruditi.

158. Sed inſtat Liberius dicens, quod prima ratio, ſi quid probet, ſolum evincit opera illa non eſſe Hieronymi, non autem ſymbolum non fuiſſe Damaſi. *Earum operum antiquus Author*, verba ſunt eximii Liberii, *& boni nominis* (*non enim conſtat appoſitum*) *potuit Damaſi ſymbolum ex aliquo legitimo codice tranſcriptum inſerere. Nec ratio ſecunda ſatis ſubſiſtit. Præter Epiſtolas a Bellarmino citatas plurima exſtant carmina. Neque ea ratione quidquam concluditur. Quod enim non exſtent, haud quaquam probat non exſtitiſſe. Vel S. Hieronymus, vel quiſquis alius auctor illius operis, potuit ex aliquo exemplari illud ſumpſiſſe.*

Reſpondeo, quod ratio prima præcedentis reſponſionis ſi explanetur, etiam evincat ſymbolum non fuiſſe Damaſi. Quamvis enim S. Remigius Lugdunenſis illius explanationem olim tribuerit S. Hier. *lib. de 3. Epiſtolis c. 39.* quamvis ab Auguſtino *ſermone* 191. dictatam crediderit Guillelmus Pariſienſis *lib. de peccatis & vitiis cap.* 21. Pelagio tamen hæreſiarchæ, velut legitimo Parenti, omnium virorum eruditorum ſuffragio jam adjudicatur ex evidenti teſtimonio Auguſtini *lib. 1. de gratia Chriſti &c. c.* 32. in Benedictina editione N. 35. & Zozimi Papæ *Ep. 2. ad Africanos Epiſcopos in cauſa Pelagii*, ubi illam diſertis verbis Pelagio tribuunt, uti patebit cuilibet LL. cit. inſpicienti. Exſtat hæc explanatio ſymboli Damaſi in Benedictina operum S. Auguſtini editione in appendice tomi X. pag. 96. ſub titulo *Libellus fidei Pelagii ad Innocentium ab ipſo miſſus, Zozimo redditus*, ubi PP. Benedictini ſub lit. E. hanc notam faciunt: *in veteri codice Vaticano repertus eſt cum ſequentibus litteris Zozimi, & a Baronio relatus in Annales ad A.* 417. Ex quo apparet inanitas replicæ. Si enim hæc explanatio non eſt explanatio ſymboli Damaſi, ſed Libellus fidei a Pelagio Hæreſiarcha in ſui purgationem expoſitus, quomodo ſymbolum, quod in eo dicitur explanatum, & quod in dicto tomo operum S. Hieron. eidem explanationi præmittitur, Damaſi erit? certe bonus ille antiquus Auctor ea felicitate, ne dicam ſinceritate, hoc ſymbolum ex aliquo authentico exemplari deſumpſit, qua ejus *explanationi* nomen Damaſi, & *Authorem* Hieronymum præfixit. Accedit, quod in dicto ſymbolo quidem habeatur *de Patre Filioque procedentem*, non vero in ſubnexa eidem explanatione, ſed unde *ex Patre procedentem*, quod, combinando utrumque, deprehendi. Quo fit, ut non tantum malam utriuſque conſarcinationem, ſed inſuper ſymboli recentiorem interpolationem ſubodorare liceat. Et per hæc patet ad reliqua, quæ a Liberio in replica ſubnectuntur.

159. Objicit III. Authoritatem codicis Creſconiani, in quo hæc ex Concilio Romano ſub Damaſo Papa dicis reperiri. *Spiritus S. non eſt Patris tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus. Scriptum eſt enim 1. Jo. 2. ſi quis dilexerit mundum, non eſt Spiritus Patris in illo: & Rom. 8. Qui autem Spiritum Chriſti non habet, non eſt ejus.* Ergo ſub Damaſo facta eſt primo hæc additio.

160. Reſp. I. a nullo receptiorum Collectorum Conciliorum allatum a Liberio locum ex codice Creſconiano Synodis Romanis ſub Damaſo celebratis inſeri, ut patet ex Collectione Colet., quæ utpote omnium poſtrema ex omnibus præcedentibus compilata eſt, in qua 6. Concilia ſub Damaſo Romæ habita referuntur, in quorum nullo prædictum locum reperiri, bene vero in ultimo canonem de Romanæ Eccleſiæ Primatu ex eodem codice exſcriptum, neque in horum Conciliorum tribus litteris ſynodicis invenitur, utpote quæ totæ in hoc ſunt, ut conſubſtantialitatem Spiritus S. cum Patre & Filio ſtabiliant, eundemque non eſſe *facturam Filii* aſſeverent. Quare cum prætereа dictum locum neque Patroni ſententiæ Liberii pro ſe adducant, nec adverſarii in objectionibus eundem referant, valde dubito, an in præfato codice reperiatur; & ſi inibi habetur, an ſub titulo Concilii Romani ſub Damaſo collocetur; ſi enim hoc eſſet, horum omnium lynceos oculos non effugiſſet. Sed quia ipſum nihilominus invenio in Baronio ad a. 447.

161. Reſp. II. tranſmiſſo, quod locus ille genuinus ſit, ex illo non colligi Damaſum eſſe hujus additamenti authorem, niſi impropriiſſime, ut ſupra N. 135. monſtravimus. Rem declarat ipſe Baronius l. cit. inquiens: *Porro non Leonis id fuit novum inventum* (ſcil. Spiritum S. ab utroque procedere) *ſed prædeceſſorum traditio, nam Damaſus hæc ait: Spiritus S. &c.* uti ſupra in objectione.

Ex

Ex quo habetur Damaſum fuiſſe authorem Leoni in ſua ep. ad Turribium proceſſionem Spiritus S. a Filio aſſetendi, huoc vero Hiſpanis authorem eam ſymbolo CP. iolerendi. Et conſequenter Damaſus improprie ad ſummum, Leo proprie author hujus additamenti.

162. Objicit IV. Concilia Hiſpanica a nobis ſupta pro coofirmatione noſtræ ſententiæ allata, in quorum ſymbolis boc additamentum reperitue, quod nonniſi authoritate Damaſi factum fuiſſe contendit.

Sed ſupra io probatione primæ propoſitionis N. 143. & ſeq. jam vidimus id eſſe factum authoritata Leoois M. Nunc contra II. propoſitionem

163. Objicies I. ex Batonio ad a. c. 863. Si Nicolaus I. hanc additionem in Eccleſia Romana recepiſſet, eamque pro univerſa Eccleſia approbaſſet, Photius altius io ipſum declamaſſet: ſed eum duabus epiſtolis acerbiſſime io Romanam Eccleſiam invehatur, nunquam eum eo nomine ſugillat, quod eam io Nicænum ſymbolum invexiſſet.

164. Confirmatur ex Andrea Coloſſeoſi in Florentina ſynodo ſeſſ. 6. ubi ait: *Photius Romanæ Eccleſiæ inimicus acerrimus, nullam de ſymboli additione faciens mentionem, in Nicolaum, ac Adrianum Summos Pontifices, literis invectus eſt plurimum.*

165. Reſp. I. Nec Baronium, nec Andream reſpexiſſe ad id, quod ſupra N. 153. ex S. Antonino retulimus, ubi Photius Nicolao I. exprobrat, eum ob hujuſmodi factam additionem Anathema Concilii Epheſioi incurriſſe.

Reſp. II. Photium in dicta Epiſtola Encyclica ſat alte contra Nicolaum I. declamaſſe, dum in legatos ab illo miſſos invehitur, quibus ille libros, quos ad Bulgarorum inſtructionem prævidit neceſſarios, dedit, ut conſtat ex ejus reſponſis ad conſulta Bulgarorum apud Goltt. *tom. 9. pag. 1534. relatis*, inter quos non poſtremo loco fuerit ſymbolum cum additamento. Cum ergo Photius præter alia capita eos etiam de corruptione ſymboli incuſet, liquet, quod per euniculum etiam Romanam Eccleſiam & ejus Pontificem Nicolaum I. petat. Unde idem SS. Pontifex *Ep. 70. ad Hincmarum & Gallicanos Epiſcopos* data, inquit: *Conantur tam noſtrum ſpecialiter, quam omnem generaliter, qua lingua latina utitur, Eccleſiam reprehendere, quod jejunamus in Sabbatis, quod Spiritum S. ex Patre Filioque procedere dicamus --- quia Presbyteros ſortire conjuges prohibemus &c.* En capita a Photio ibi reprehenſa!

166. Dices. Hæc epiſtola, in qua plurimum fundatur hæc ſententia, non eſt Photii, ſed Siſinii Patriarchæ CP. qui ab A. 995. ad A. 999. ſedit; adeoque toto ſæculo poſt Photium ſcripta: ergo eidem non patrocinatur. A. p. ex eo, quod hæc epiſtola in codice collegii, quod Græci Romæ habent, hoc titulo præſignetur.

167. Reſp. N. A. ad p. dico I. unum codicem aliorum omnium fidem non evertere. II. Hanc epiſtolam eſſe a Photio ſcriptam præter alia manifeſtum eſſe ex eo, quod in illa dicatur Bulgaros a Græcis *ante Biennium* converſos, a Latinis fuiſſe corruptos, ſupra autem vidimus eo tempore a Nicolao I. ad petitionem Legatorum Bulgarorum Latinos Miſſionarios eo eſſe miſſos. Videatur Baronius in criſi hujus ep. l. c.

Reſtat nunc quæſtio, an hæc additio jure facta fuerit a latina Eccleſia, ſed hanc inferius, agendo de ſymbolo Florentino, commodius pertractabimus. Hic pro coronide adhuc

168. Obſervandum I. ſymbolum CP. pro uno eodemque paſſim habitum eſſe cum Nicæno ab Authoribus Eccleſiaſticis. Sic illud imprimis accepit ſynodus Epheſina. Sic Marcus Epheſius in ſynodo Florentina ſeſſ. 5. ſic Theodorus Lector lib. 2. collect. ubi ait: *Timotheus* (Patriarcha CP. a. 511.) *ab amicis rogatus ſymbolum fidei 318. Patrum per ſingulas Synaxes dici curavit; ad reprehenſionem videlicet Macedonii, quaſi ille ſymbolum hoc non receperit*, ubi per ſymbolum 318. Patrum præſens CP. intelligi evidens eſt, ſiquidem ad reprehenſionem *Macedonii* editum dicitur.

169. Obſervandum II. hunc Timotheum frequentioris hujus ſymboli recitationis eſſe authorem, cum alias in Orientalibus Eccleſiis quotannis tantum in die Paraſceves recitaretur. Quem morem Hiſpani eodem ſæculo primi inter Latinos receptiuot io ſynodo Toletana III. Illud autem cantabant poſt conſecrationem & ante orationem Dominicam, qui ritus adhuc permanet in Miſſali Mozarabico. Hinc morem illum in Hiſpania derivatum putat Mariana, qui ad noſtram ætatem retentus eſt, ne ad Sacram Communionem quiſquam admittatur, priuſquam Chriſtiani ſymboli partes omnes, præeunte Sacerdote, pronuntiaverit. Quomodo cantus ille ſymboli in aliis Eccleſiis paulatim receptus, & quando tandem etiam Romæ uſurpatus fuerit, jam ſupra vidimus.

§. V.
De Symbolo vulgo S. Athanaſii.

170. Quamvis, ſi S. Athanaſius hujus ſymboli eſſet Auctor, illud ordine Chronologico ante ſymbolum CP. collocari deberet, cum Athanaſius obierit a. C. *373.* ſymbolum vero CP. conſecratum ſit a. 381. Nihilominus tum quia hoc certum non eſt, tum quia nec ſtatim ſymbolum iſtud evaſit œcumenicum, tum quia CP. fides eſt Nicænæ inhæſiva, & paſſim a ſcriptoribus cum illa confunditur, illam huicce merito præpoſuimus. Fuit autem S. Athanaſius Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarcha, Nicænæ fidei contra Arianos Defenſor acerrimus, qui poſt innumeros pro Chriſti fide, illa turbulentiſſima tempeſtate, ſuperatos agones, in lectulo tandem ſuo Alexandriæ in pace bona quievit anno mox citato *373.*

171. Symbolum hoc io Breviario Romano diebus Dominicis, atque in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis ſub prima recitandum præſcribitur, cujus tenorem, ſicut & illum, quem habet ex Græcorum interpolatione, (cujus exemplar Uſſerius nactus eſt ex Apographo Patricii Junii, illudque edidit a. c. *1647.* unde a Coleto tranſcriptum eſt *tom. 2. Concil. pag. 630.*) hic adnumerabimus, interpolationibus diverſo charactere notatis,

Symbolum S. Athanaſii,
Prout in latina Eccleſia recitatur.

172. *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat Catholicam fidem. Quam niſi quiſque integram inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem Catholica hæc eſt, ut Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus ſancti una eſt Divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus, & unus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus.*

Ita

Ito Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanƐtus. Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſingillatim unamquamque Perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur, ita tres Deos ac Dominos dicere Catholica religione probibemus. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus a Patre & Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres: Unus Filius, non tres Filii: Unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti. Et in hac trinitate nibil prius, aut poſterius, nibil majus, aut minus; ſed tota tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales. Ita ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, & Trinitas in unitate & unitas in Trinitate veneranda ſit. Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Trinitate ſentiat. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur: quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus Homo: ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Æqualis Patri ſecundum Divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit, & homo, non duo tamen ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo: ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit a mortuis. Aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui vero mala, in ignem æternum. Hæc eſt Fides Catholica: quam niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Idem Symbolum a Græcis interpolatum.

Ex Sancta & univerſali Synodo Nicæna fidei compendium; & quomodo verum Chriſtianum oporteat credere.

173. *Quicumque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt, ut teneat orthodoxam fidem: Quam niſi quiſque integram, inviolatamque ſervaverit, abſque dubio in æternum peribit. Fides autem orthodoxa hæc eſt: ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremus. Neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia enim perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus S. Sed Patris & Filii & Spiritus S. una eſt Divinitas*, unum Robur, una Poteſtas, unum Regnum, *æqualis Gloria*, æqualis & *Majeſtas & coæterna. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus S. & non tres increati, ſed unus increatus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus S. Et non tres immenſi, ſed unus immenſus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus S. Et non tres æterni, ſed unus æternus. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus S. Et non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus S. Et non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus S. & non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Et ſicut ſingillatim unamquamque perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtiana veritate defendimus: ita tres Deos aut tres Dominos dicere non comprobamus, ſed omnino probibemus. Pater a nullo eſt factus, non creatus, ſed ingenitus. Filius eſt a Patre non factus, non creatus, ſed genitus; Spiritus S. a Patre* (1) *eſt, non factus, non creatus, non genitus, ſed procedens: unus ergo Pater, non tres Patres, unus Filius, non tres Filii, unus Spiritus S. non tres Spiritus S. Et in hac Trinitate nullus primus aut poſtremus, nullus major, aut minor: ſed tres ipſæ Perſonæ & æternæ ſunt, & æquales per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt. Unitatem igitur in Trinitate, & Trinitatem in unitate, omnis Chriſtianus veneretur: & ita de* Sancta, & vivifica, & conſubſtantiali *Trinitate ſentiat.*

Neceſſarium vero eſt, incarnationem quoque Filii Dei, & Salvatoris noſtri J. C. recte credere. Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quod D. N. J. C. Dei Filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia Patris: Homo eſt ex ſubſtantia Matris. Quia enim peccans Adamus morti genus humanum ſubjecit, & naturam noſtram (reddendo) debito fecit obnoxiam: idcirco Filius inviſibilis Patris & Dei, ex cœlis non deſcendens, ad nos deſcendit; & per auditum ingreſſus uterum S. Virginis, *arcano* modo, ut prægnans ea eſſet, operatus eſt, ſudores naturam noſtram per ſummam unionem, Deus ſimul & homo progrediens, eam, quæ ad nos ſpectat, diſpenſationem ita implevit per commiſerationem ineffabilem, *& perfectus Deus* exiſtens factus eſt *perfectus homo* non converſa, neque commutata ſupereſſentiali & inexplicabili Deitatis ſuæ ſubſtantia *ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens*. Ipſe ſibi cum cognato ſuo Sanctiſſimo Spiritu fabricans ſanctiſſimam carnis aſſumptionem: perfectam ſubſtantiam humanam, in eo ſubſiſtentem, & ab eo inſeparabilem, peccati minime participem. Corpore ex virgineis & caſtis ſanguinibus Matris Dei compacto, abſente carnali aliqua voluntate vel cogitatione: anima vero *immaterialiter creata*, intellectuali, *rationali*, voluntate & vi agendi prædita: tota ſimul cum carne divinitate repleta, ab ipſo principio, & prima exiſtentia, propter ſummam & inconfuſam, ſecundum Perſonam, ad ipſum Deum Verbum factam unionem.

Æqualis igitur eſt Patri ſecundum divinitatem, minor vero Patre ſecundum humanitatem. Planeque verus *Deus eſt, & homo. Unus autem non converſione carnis, ſed aſſumptione in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiarum, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo; ita & Deus & homo unus eſt Chriſtus. Qui paſſus eſt carne pro ſalute noſtra* impaſſibili manente divinitate; & ſepultus, *& reſurgens, & aſſumptus ad cælos, ſedet ad dexteram Dei, & Patris. Inde* vero iterum *venturus judicabit vivos & mortuos. Ad cujus adventum omnes* qui a ſæculo dormierunt *homines reſurgent; rationem reddituri de factis ſuis: & qui bona egerunt, ibunt* illius mandato *in vitam æternam: qui vero malo* egerunt, *ibunt ad cruciatus æternos. Hæc* utique *Fides eſt Orthodoxa, quam niſi quis inculpatam ſervaverit, ſalvus eſſe non poterit.*

174. De hoc Symbolo S. Th. 22. q. 1. a. 10. ad 3. ſic habet: *Dicendum, quod Athanaſius non compoſuit manifeſtationem fidei per modum ſymboli, ſed magis per modum cujuſdam doctrinæ; ut ex ipſo modo loquendi apparet: ſed quia integram fidei veritatem ejus doctrina breviter continebat, authoritate Summi Pontificis eſt recepta, ut quaſi fidei regula habeatur*. Quamvis ergo ſymbolum, quod vulgo Athanaſio tribuitur ex mente D. Th. Œcu-

(1) Hic omiſſum τὸ *& Filio*.

Œcumenicum non ſit, ſed opus privatum inſtat ſymbolorum Hilarii, Baſilii &c. ad commeodarionem ramen Pontificum, Epiſcopotum, & ſynodorum particularium ita paſſim eſt receptum, ut *quaſi* fidei tegula habeatur. Etenim Gregorius IX. illud commendavit Græcis a. 1233. per ſuos Apocriſiarios Rodulphum & Aymonem ex Minorum, & Hugooem ac Petrum ex Prædicatorum ordine, & Eugenius in decreto pro Armenis ſic habet: *Sexto compendioſam illam fidei regulam per Beatiſſimum Athanaſium etiam ipſis præbemus, videlicet Quicunque vult ſalvur eſſe &c.* Hincmarus etiam Rhemenſis a. 852. præcipit ſingulis Eccleſiæ Miniſtris, ut diſcerent explicationem ſymboli Apoſtolorum, orationis Dominicalis, & ſymboli Athanaſii. Et ante hunc S. Leodegarius Epiſcopus in ſynodo Auguſtodunenſi a. 670. cujus hic eſt Canon: *Si quis Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus ſymbolum, quod S. inſpirante Spiritu Apoſtoli tradiderunt*, & fidem S. Athanaſii Præſulis *irreprehenſibiliter non recenſuerit, ab Epiſcopo condemnetur*: habetur hic canon apud Colet. *tom. 7. pag. 552.* poſt alios bujus Concilii Canones.

175. Circa hoc ſymbolum controvertuntur tria inter eruditos. Primum, & principale eſt. Utrum S. Athanaſius ſit illius Author? & ſi eſt, quando & ubi illud compoſuerit? quod eſt ſecundum. Si vero non eſt, quis tandem ſit ejus Auctor? quod eſt tertium. Primam controverſiam infra quæſtione critica diſcutiemus, & quia ibidem in negativam ſententiam inclinabimur, tertiam per modum corrolarii eidem ſubnectemus, circa ſecundam autem quædam hic præmittemus.

176. Sciendum ergo eſt, quoſdam, qui Athanaſio hoc ſymbolum adjudicant, & ſuppreſſo nomine teferuntur a Nat. Alex. Sæc. 4. c. 6. N. 6. aſſerere S. Athanaſium hoc ſymbolum Treviris ſcripſiſſe, ubi puteus oſtenditur, in quo latitans ob inſidias Arianorum illud compoſuerit. Sed de hiſtoriæ hujus veritate, ſaltem quoad hoc, *quod in puteo latitans* illud conſcripſerit, dubitat Binius in notis ad hoc ſymbolum. Et Alex. eam veluti commentum ex hac urgente ratione refellit: quia Treviris honeſte ſuſceptus eſt S. Athanaſius, nec ut exul, ſed ut Confeſſor, cum Epiſcopus Trevirenſis tum eſſet S. Maximinus Arianorum acerrimus hoſtis, & Nicænæ fidei egregius defenſor, & Athanaſium illuc miſerit Conſtantinus, ut eum Arianorum furori ſubduceret, ut conſtat ex literis Conſtantini Junioris ad Eccleſiam Alex. quas ipſe Author refert *Apologia II.* contra Arianos, habeturque in ejus fine, & in operum ejuſdem editione citata fol. 176. Denique omnes Scriptores Eccleſiaſtici Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphraſtes, & Græcus alter vitæ S. Athan. Scriptor anonymus, dum has ejus in puteo Trevirenſi latebras alto ſilentio prætereunt, inſulſam eſſe fabulam diſerte probant, latuit equidem Sanctiſſimus hic Præſul ſex annis in ciſterna, at in Ægypto & Conſtantii tempore.

177. Alii, inter quos eſt Eminentiſſimus Annalium Parens ad a. c. 340. e contra ſentiunt, illud Romæ ab Athanaſio hoc anno editum, & Julio Papæ oblatum fuiſſe, quod neceſſe eſſet, ipſum Catholicæ fidei profeſſionem palam dicere, ut Romanæ Eccleſiæ communione frueretur: alias enim audiendum non fuiſſe, qui reus advenerat, & multorum criminum ab Euſebianis accuſatus.

178. Sed hanc conjecturam, in quantum nempe iterum dicit S. Athanaſium ex allegata cauſa ad edendum hoc ſymbolum fuiſſe neceſſitatum, hac unica obſervatione refellit Nat. Alex. l. cit. quod nempe Sanctiſſimus Præſul non fuerit apud Julium Pontificem de doctrina accuſatus (Euſebiani enim ejus hoſtes Nicænæ fidei ſe aſſentiri ſimulabant) ſed de eo, quod a ſynodo damnatus, nec ab ea reſtitutus, ſedem contra canones recepiſſet, quod ejus Alexandriam reditus multarum cædium cauſa extitiſſet; cum itaque non hæreſeos, ſed aliorum criminum accuſaretur S. Athan. & Julio, Catholiciſque omnibus fidei ejus integritas nota eſſet, incredibile eſt, quod ab eo Julius profeſſionem fidei exegerit.

179. Sed adverto Natalem Alexandrum Sententiam Baronii genuine non referre, ille enim loc. cit. pag. in edit. Antwerpiana de a. 1593. 435. non negat Julio & omnibus Romanis Athanaſii fidem perſpectam fuiſſe, dicit enim ibi, *quantumlibet ipſius fides Catholica omnibus innotuiſſet, ut nulla penitus ſuboriri potuiſſet ſuſpicio, quippe qui ejus defenſionis cauſa ab Euſebianis poſt tot ærumnas etiam exilium paſſus eſſet*: hoc tamen non obſtante pergit: *tamen quod Romanæ Sedis communicationem haud habere licuiſſet — nec plane audiendus eſſet, qui reus advenerat, niſi edita prius Catholica fidei profeſſione, eademque ex more, latino ſermone coram Pontifice, & ei aſſidentibus recitata*. Quo loquendi modo inſinuare videtur Baronius Romæ tunc fuiſſe morem, ut judicandi de quocunque crimine prius fidei profeſſionem emitterent. Quare

180. Admiſſo etiam quod talis mos Romæ tunc viguerit, & quod hæc ſit mens Baronii, alia conjectura valde efficaci contra hanc ſententiam inſurgo, qua probatur Athan. ſaltem fidem ſuam non ita, prout in ſymbolo eſt, Conſeſſui Romano expoſuiſſe. Si enim Romæ conditum, & palam recitatum fuiſſet hoc ſymbolum ab Athanaſio, quis ſibi perſuadere poterit, quod nullum exemplar in ſcriniis Apoſtolicæ Sedis cuſtoditum fuerit; quod S. Leo, ſæculo tantum poſterior, qui ſæpius poſt quartam ſynodum ſcribens ad Orientales Epiſcopos, ad propriam Orientalium traditionem appellat, exinde nullam mentionem ſecerit Athanaſiani ſymboli, in quo tam expreſſe, & tam diſtincte Neſtorii & Eutichetis hæreſes confodiuntur? difficile enim plane videtur, quod opus adeo pretioſum, & monumentum hoc commendatiſſimum S. Leonis notitiam, & diligentiam omnino effugerit; præcipue quia in Pontificiis Archiviis bujuſmodi fidei profeſſiones ſedulo conſervabantur, cum utiliſſimæ forent ad naſcentes hæreſes profligandas.

181. Scio Baronium l. cit ſcribere, hoc ſymbolum in R. E. ampliſſimo Archivo una cum actis ſynodi fuiſſe collocatum. Sed hoc nude aſſerit, & contrarium videtur evincere mox adducta ratio, quam ex Cajetano Merati, Gavanti Locupletatore *p. 2. ſect. 5. c. 20.* placuit hic apponere. Qui poſtea mentem ſuam ita declarat: *Inter Authores igitur, qui præfatum ſymbolum S. Athanaſio tribuunt, veritati propius accedunt, & congruentius loquuntur illi, qui Treviris ab eo ſcriptum fuiſſe opinantur, quia ſinceriorem ſui notitiam Trevirenſi Metropoli debet hoc monumentum; cum enim multis argumentis, & antiquis monumentis comprobetur a Cl. viro Joſepho Anthelmio in ſua doctiſſima diſquiſitione de Symb. Athan. ſect. 2. hanc fidei confeſſionem ab initio nullius Authoris nomen prætuliſſe, & deinceps Athanaſii nuncupationem quinto labente ſæculo ex conjecturis ac opinione primum illi datam fuiſſe: prædictæ ſententiæ hunc colorem profecto affundere potuit mox memorata hujus Symboli exploratio Treviri primum facta, & exinde ex Trevirenſibus educta; cum enim dum in Galliis exulabat, Treviris per biennium incoluiſſet Athanaſius, & ſymbolum ſuo nomine adornatum Catholicam ſuam doctrinam ſplendide referat, ab eo in eadem Urbe digeſtam hanc fidei confeſſionem cum aliquo fundamento credi potuit: præ-*

ſet-

ſertim vero quia idem monumentum ibidem aſſervatum, ibidem primo detectum, & deinde in alias orbis regiones tranſmiſſum fuit. Hujuſce opinionis aſſertor eſt Durandus: —— *Sed longe ante Durandum ab Othone Friſingenſi in Chron. lib. 4. cap. 27. obſervatum fuit, quod Athanaſius manens in Eccleſia Treviratum ſub Maximino ejus Eccleſiæ Epiſcopo*, quicunque vult ſalvus eſſe, &c. *a quibuſdam* dicebatur edidiſſe. *Quæ quidem opinatio nuſpiam veriſimilius ortum traxiſſe credi poteſt, ut dixi, quam ab exploratione ſymboli ejuſdem Treviris primum facta, ut optime etiam ponderat cit. Author ſect.* 2. c. 3. Hæc Merati.

In quorum opinionum conflictu cuilibet affirmanti ſymbolum ab Ath. eſſe compoſitum, relinquo, cui parti adhærere malit, & ad principalem quæſtionem progredior.

QUÆSTIO CRITICA.

Utrum S. Athanaſius ſit Auctor ſymboli, quod Athanaſianum dicitur?

182. PArtem affirmativam tenet Baronius *l. cit.* ſequitur Cardinalis Bona *lib. de divina pſalm.* 16. Bellarminus de ſcrip. Eccleſ. in Athan. Poſſevinus *in apparatu ſacro*, Annatus *in apparatu ad Theol. poſitivam lib.* 4. *art.* 17. Hæc inſuper fuit communis perſuaſio Scriptorum Eccleſiaſticorum, & Theologorum ſaltem a ſæculo 7. uti infra patebit. Eam denique noviſſime contra Nat. Alex. tuetur Liberius a Jeſu *tom.* 1. *operum poſthum. Tr.* 1. *diſp.* 1. *Controv.* 10. §. 2.

183. Negativam e contra defendunt Natalis Alexander *hiſt. Eccleſ. ſæc.* 3. *c.* 6. Oudin *in ſupplementa ad Bellarminum de ſcript. Eccl. ad a.* 340. Gotefridus Hermantius Bellovacenſis Canonicus *in ſuis obſervationibus ad vitam S. Athanaſii*, Joſephus Anthelmius L. ſupra cit. Voſſius *diſſert.* 2. *de tribus ſymbolis*, Henricus Heideggerus *tom.* 2. *ſelect. diſput. diſſert.* 18. Dupinius *in notis ad ſcripta Athanaſii tom.* 2. *Biblioth. pag.* 101. Juenin *inſtitut. Theologicarum tom.* 6. *diſſert.* 4. *art.* 3. §. 4. & poſt hos omnes, ac teſte Merati loc. cit. his omnibus præferendus clariſſimus Montfauconius Monachus Sangermanenſis Athanaſianorum operum diligentiſſimus editor, & illuſtrator *tom.* 3. *in fine:* & alii plures.

Ipſe Merati preſſus ex una parte authoritatibus, ex altera rationum ponderibus, rem Judicio Lectoris expendendam relinquit, nihil definire audens.

PROPOSITIO.

Quamvis certum non ſit, veriſimilius tamen eſt Athanaſium non eſſe Authorem hujus ſymboli.

184. PRima propoſitionis pars patet ex eruditorum circa hanc rem diſſidio. Secunda conſtabit ex ponderatione utriuſque ſententiæ fundamentorum. Itaque ſententia negativa ſuadetur primo ex diſcrepantiis Auctorum ſententiæ affirmativæ circa tempus & locum, ubi hoc ſymbolum S. Athanaſius condiderit, uti ſupra vidimus.

Nec hoc argumentum, ut ut alias infirmum, hic tam facile explodi poteſt, ac exiſtimat Liberius a Jeſu, nam omnes fere antiqui Scriptores fuerunt in ea perſuaſione, quod hoc ſymbolum ab Athanaſio fuerit vel Romæ, vel Treviris conditum, aut ſaltem tempore exilii ſui in Occidente, cum omnium conſenſo latino ſermone, & quidem nitido prorſus, ac rotundo fuerit compilatum, non eſt autem credibile Athanaſium inter ſuos Græcos degentem in gratiam iiſdem Græcorum ſymbolum latino ſermone conſcripſiſſe. Infra autem n. 190. & ſeqq. vix non demonſtrabimus, Sanctiſſimum hunc Præſulem hoc ſymbolum ante a. c. 362. adeoque tempore hujus ſui exilii minime edere potuiſſe, ex quo palam fiet dictam diſcrepantiam auctorum circa tempus, & locum hujus editionis, eorumdemque fundamenta ſententiam negantium multum ſtabilire.

185. Suadetur ſecundo ex ſilentio Patrum Athanaſio coævorum, & ſuppariorum, quorum nullus meminit hujus ſymboli; non S. Gregorius Nazianz. Athanaſii Panegyriſta, non S. Hilarius, non S. Auguſtinus, uti in objectionibus videbimus, non S. Cyrillus S. Athanaſii Succeſſor, non S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, non S. Leo M. non ſynodi Epheſina contra Neſtorium, Chalcedonenſis contra Eutichetem celebratæ. Non Latini contra Græcos poſt ſchiſma Photianum uſque ad Gregorii IX. tempora ſeu per 500. annos, quos tam validum contra errorem Græcorum de proceſſione Spiritus S. argumentum ex tanti Patris authoritate neglexiſſe, ſi illud NB. *pro indubitato* ejuſdem fœtu (nam eo jam tempore ſub hoc nomine circumferebatur) habuiſſent, vix credibile eſt.

186. Suadetur tertio. Quia hoc ſymbolum in antiquit, & probatæ fidei codicibus MSſ. operum S. Athanaſii pene omnibus deſideratur. Nec ipſe Athanaſius in ſuis epiſtolis, vel apologiis, in quibus res majoris momenti a ſe geſtas tam accurate, & fuſe percenſet, unquam hujus ſymboli a ſe editi meminit. Accedit, quod S. Athanaſius in epiſtola ad Antiochenſes, ſeu in Synodica Concilii Alexandrini a ſe a. c. 362. celebrati, quæ in ejus operibus cit. editionis extat *fol.* 37. & apud Colet. *tom.* 2. *pag.* 940. procul ſe fuiſſe a condenda nova fidei formula teſtetur, & Nicænæ Synodi ſymbolum ſuis omnibus numeris abſolutiſſimum eſſe contendat. Quæ quomodo ſcribere potuiſſet, ſi ſimile quid ipſe Romæ vel Treviris jam attentaſſet, non video. Sed de hoc infra urgentius.

187. Suadetur quarto. Quia ſymboli hujus verba, & ſententiæ manifeſte videntur indicare latinum Scriptorem, neque ullam verſionis ex Græco factæ notam præferre; ſi enim verſum ex Græco fuiſſet, multa Græcæ dictionis in latina interpretatione comparerent, uti ſolet in ejus ævi verſionibus obſervari. Neque dici poſſe videtur, ab Athanaſio fuiſſe latine compoſitum: namque Scriptorem redolet, pro illa ætate latinum ſermonem perfectiſſime callentem, non ſolum quippe verbis, ſed etiam numeris, periodorum commenſuratione, ac rotunditate, moduliſque elucubratum eſt hoc ſymbolum, ita ut vix credi poſſit, S. Athanaſium, ſi in ætate jam provecta laborem ediſcendæ peregrinæ linguæ etiam ſubiiſſet, perfecte adeo, & excellenter peregrinum idioma aſſecutum fuiſſe, ſibique familiare reddidiſſe.

188. Suadetur quinto. Quia hoc ſymbolum præfocat hæreſes poſt Athanaſium primo damnatas; in eo quippe excluduntur errores Apollinariſtarum, Neſtorianorum, Eutichianorum, Macedonianorum, qui Athanaſio juniores ſunt; ergo ab aliquo Athanaſio poſteriore hoc ſymbolum videtur compoſitum, qui particulas hæreſum iſtarum excluſivas de conſilio eidem inſeruiſſe videtur.

189. Hæc ſunt momenta, quæ a negantibus communiter afferuntur, & ab affirmantibus ſolvuntur, uti patebit legenti eximium Liberium a Jeſu. Nec tanta ſunt, ſi in tertia probatione inſinuatum excipias, quæ commode ſolvi non poſſint, aut negativam ſententiam probabiliorem efficiant. Quapropter iiſdem hic annecto argumentum Montfauconii a Liberio a Jeſu prætermiſſum, quod & præcedentes adjectneas ſtabilit, & ſententiam negativam reddit veriſimiliorem; illud noſtra methodo, ut ſequitur, proponemus.

190. Suadetur Concluſio ſexto principaliter. Si quis fidei formulas, vel ab Athanaſio, vel Atha-

naſii ævo conſcriptas, cum hoc ſymbolo confe-rat, tantum animadvertet inter illa diſcriminis, ut vel hinc ſolum arguere poterit, & alii ævo, quam Athanaſiano, & alii ſcriptori, quam Athanaſio, ſymbolum hoc adjudicari debere; ergo Athanaſius non eſt ejus Author, A. patebit legenti, quas Athanaſius accurate collegit ſui ævi fidei confeſſiones, ibi etenim nunquam reperiet formulam iſtam *tres Perſonas*, aut græce *tres Hypoſtaſes* in Catholicorum ſymbolis admiſſam, & promulgatam; licet enim una eademque ſemper fuerit Eccleſiæ doctrina de Trinitatis myſterio, nondum tamen hæ formulæ receptæ, & in confeſſo erant, imo ab Athanaſio in Concilio Alexandrino ſupra n. 186. rel. ægerrime latæ, & ſymbolo addi prohibitæ.

191. Probatur primo, quod hæ formulæ ævo Athanaſii nondum fuerint receptæ, & in confeſſo, ex diſſidio orto inter Græcos, & Latinos in dicto Concilio, quod ipſe Athanaſius nonnihil tunc ſedavit. Nam Græci, qui tres Hypoſtaſes dicebant, teſte Gregorio Nazianzeno oratione de laudibus Athanaſii ad calcem operum ejus in cit. edit. pag. 499. recenſita, videbantur Latinis tres uſias, ſive eſſentias cum Ario dicere, eo quod *tota Græcorum profanorum ſcbola* (ut loquitur S. Hier. *ep.* 57.) *diſcrimen inter hypoſtaſim, & uſiam ignorabat*. Latini vero, qui rejecto nomine hypoſtaſis, perſonas dicebant, Græcis videbantur diſtinctionem non realem, ſed tantum ratione muneris ſive officii inter Patrem, Filium, & Spiritum S. agnoſcere, eo quod Perſonæ vocabulum ad auctoritatem officii ſignificandam accomodari ſolet. Hanc ergo controverſiam ſic ſedavit Athanaſius. Vocatis namque & iis, qui tres Hypoſtaſes, & aliis, qui unam tantum conſtituebant, primos interrogavit, num ſic tres hypoſtaſes ponant, quomodo Ariani, *alienas, peregrinaſque, ac diverſæ a ſe invicem ſubſtantiæ, & unamquamque hypoſtaſim per ſe, ac ſeorſim diviſam eſſe, ut ceteræ creaturæ, & qui ex hominibus naſcuntur?* ad quod illi reſponderunt negative, & particulas illas in ſenſu Catholico explicarunt, uti legere eſt in cit. ſynodica hujus Concilii. Deinde quæſivit Athanaſius ab iis, qui unam tantum hypoſtaſim ſtatuebant, utrum ad mentem Sabellii loquerentur, *ut ſublatos vellent ex Trinitate Filium & Spiritum S., quaſi Filius eſſentia careat, aut Spiritus S. non ſubſiſtat?* at ipſi profeſſi ſunt, ſe longe alia ſentire. Nam idcirco ſingularem Trinitatis hypoſtaſim ſe ſtatuere, *quia hypoſtaſim idem eſſe cum Uſia intelligebant*. His auditis aſſenſi ſunt alterius partis homines, atque ita omnes convenerunt, ut omnibus hæreſibus anathematis gladio perſtrictis aliam fidei formulam non exigerent, aut aliam verborum conceptionem, præter eam, quam Nicæna Synodus expreſſerat.

Ille tamen concordiæ modus non adeo placuit poſteris Latinis, quibus hypoſtaſis ſubſtantiam ſignificare videbatur, atque adeo tres hypoſtaſes dicere idem erat ac tres aſſerere ſubſtantias. Unde S. Auguſt. l. 5. de Trinitate c. 8. hæc habet: *Eſſentiam dico, uſia græce dicitur, quam uſitatius ſubſtantiam vocamus. Dicunt quidem & illi hypoſtaſim, ſed neſcio, quid volunt intereſſe inter uſiam, & hypoſtaſim*. Et paulo ante S. Auguſtinum ſub Damaſi Pontificatu diſcuſſa fuit hæc de hypoſtaſibus controverſia, de qua nonnulla ad ipſum Damaſum ſcribit S. Hieron. ep. 57. ubi inter alia dicit: *Taceantur tres hypoſtaſes ſi placet, & una teneatur*, pergitque ſub melle phraſis trium hypoſtaſium venenum latere, quia nempe Ariani hoc vocabulo utebantur ad deſignandam ſubſtantiam, ut patet ex ep. ſynodica Concilii Sardicenſis, quam refert Theodoretus *lib.* 2. *c.* 8. in edit. cit. *tom.* 3. *pag.* 163.

Ex quo autem illud diſſidium terminatum eſt, hypoſtaſim pro perſona Concilia ſemper uſurparunt. Hoc perſpicuum eſt ex Concilio ſecundo œcumenico, ſeu Conſtantinopolitano I. in Synodica ad Damaſum epiſtola, quæ ſcripta fuit poſt diſſidium ſupra expoſitum ſuper controverſia de hypoſtaſibus, in qua Patres unam divinitatem, & poteſtatem Patris, & Filii, & Spiritus S. *in tribus perfectis ſubſiſtentiis, ſeu hypoſtaſibus, ſive in tribus perfectis Perſonis* profitentur. Idem conſtat ex Concilii Epheſini anathematiſmo ſecundo, & quarto; & Chalcedonenſi actione 5. in ſecunda confeſſione fidei. Ex quibus omnibus conſtat has formulas, *tres hypoſtaſes*, vel *tres Perſonas* ævo Athanaſii necdum fuiſſe receptas, vel confeſſas.

192. Probatur *nunc*, quod Athanaſius has formulas ægerrime tulerit, ex hac ipſa ſynodica, nam poſtquam ibi ſcripſiſſet, ut tabellam, quam nonnulli jactabant, quaſi ex Sardicenſi Concilio de fide conſcripta eſſet, ne quidem legi, aut proferri ſinant, eo quod nihil tale ſynodus definiverit; poſtquam ibidem retuliſſet Sardicenſem ſynodum indigne tuliſſe quorundam hominum ſententiam, qui nonnulla Nicæno Concilio, quaſi deeſſent, adſcribere volebant, idque acriter contendebant, decretoque ſanciviſſe, ne quid ulterius de fide ſcriberetur, neque alia profeſſio fidei ederetur, ne illa, quæ Nicææ edita eſt, imperfecta crederetur; ſubjungit: *Quapropter ſi quis hæc, aut aliud quidpiam cavillabitur, compeſcite illum, & ad ſtudium pacis inducite: nihil enim eſt, quod in his agnoſcere poſſumus, niſi ſolum contendendi ſtudium. Quos enim nonnulli incuſabant, quod tres hypoſtaſes affirmarent, cum hujuſmodi voces in Scriptura non reperiantur, ac proinde ſuſpectæ eſſe poſſint, auctores fuimus, ut quid amplius præter Nicænam Confeſſionem inquirant. Sed tamen de iſtis ob pervicaciam rixandi quæſtio eſt habita*. Ergo has formulas, & ſimiles extra Nicænam fidem quodammodo vagantes ægerrime tulit Athanaſius.

193. Probatur denique has formulas ſymbolo addi ab Athanaſio fuiſſe prohibitum ex eadem Synodica, in qua paulo poſt initium ita habet: *Denique qui ab Arianis redierunt, allicite ad vos, nihilque amplius ab illis exigatis, quam ut damnent Arianorum hæreſim, confiteanturque Sanctorum Patrum Nicææ promulgatam fidem*. Et paulo ante medium, poſt relatum nempe examen utriuſque partis a ſe habitum, ita: *omnes denique Dei gratia poſt iſtarum vocum interpretationem communi conſenſu approbarunt meliorem, & exactiorem eſſe eam fidem, quæ Nicææ a Patribus expoſita eſſet, & impoſterum ſufficere debere, ut ejus fidei vocabula potius uſurpentur*. Et infra circa finem quamvis hortetur Antiochenos, ut eos, qui tres hypoſtaſes, & eos, qui unam hypoſtaſim, & tres perſonas impoſterum cum facta a ſe in Conc. Alexand. Catholica interpretatione dicerent, temere damnare, & rejicere velint, adeoque uſum harum vocum, ut inquitur Nazianzenus l. c. ipſis patienter indulſerit, tamen ſubjungit: *ceterum cum iſtos tolerandos non cenſebitis*, (videl. qui tali interpretatione non utuntur) *conſuletis illis, qui recte interpretantur, & recte ſentiunt, ne ulterior ulla inter vos adhibeatur diſquiſitio, neve verborum pugnis ſtudeant ad nullam rem utilibus, ſed ſenſus pietatis exhibeant. Nam qui ita affecti non ſunt, ſed tantum ſuper iſtiuſmodi vocculis contentioſe rixantur, & aliud quidpiam, præterquam* quod Nicææ ſcriptum eſt, *requirunt; hi profecto nihil aliud agunt, quam quod proximo ſuo turbidam ſubverſionem propinant, ut pacis inimici, & ſchiſmatum cupidi*. Ergo ab Athanaſio fuit prohibitum has, & ſimiles formulas ſymbolo

lo

Digitized by Google

lo addi, vel ſaltem optatum ne adderentur, quod ſufficit ad præſens intentum. Quod ſic promoveo.

194. Ex dictis conſtat I. has formulas, *tres hypoſtaſes*, aut *tres Perſonas* ævo Athanaſii necdum fuiſſe receptas, multo minus conceſſas. II. Athanaſium dum has voces audiſſet, utramque partem acceſſiſſe, &, ut loquitur Nazianz. laudato Panegyr. *verborum ſententia diligenter, & accurate perpenſa, poſteaquam concordes reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter ſe diſſidentes, ita negotium tranſegiſſe, ut nominum uſum ipſis concedens, rebus eas conſtringeret*. III. Eundem ſicut omnium, ita & harum vocum novitatem ægre tuliſſe, & cenſuiſſe *meliorem, & exactiorem eſſe eam fidem, quæ Nicææ a Patribus expoſita fuit*. IV. Denique probibuiſſe, vel ſaltem optaſſe, ne ſimilia vocabula addantur, cum dicat Nicænam fidem *impoſterum ſufficere debere, atque ejus fidei vocabula potius uſurpentur*. Ergo nec ante hoc Concilium a. C. 362. a ſe Alexandriæ celebratum, nec poſt illud uſque ad a. C. 373. quo mortuus eſt, prudenter judicari poteſt, eum hoc ſymbolum condidiſſe, & conſequenter veroſimilius non eſt ejuſdem Author. Qui enim ambo horum verborum ſenſum diligenter, & accurate inquiſivit, qui ea verba diu ante Romæ, vel Treviris ſymbolo ſuo inſeruit? vel quomodo illas voces ægre tulit, quæ dudum ipſi placuerunt? aut quomodo Sardicenſis decreti, a ſe toties jactati, probibitionis, aut voti ſui, ut ab his voculis abſtineretur, cum meliorem, & exactiorem indicaret fidem Nicænam, tam brevi oblitus fuit vir ille, cujus maxima virtus erat *conſtantia*; ſi hoc ſymbolum poſt hanc ſynodum tandem edidit? ego quidem non video. Sed momenta affirmantium expendamus.

Expenduntur momenta Affirmantium.

195. OBjiciunt primo poſitiva veterum Patrum teſtimonia. Et primo adducunt S. Gregorium Nazianzenum Athanaſii Panegyriſtam, qui in cit. ſua de laudibus ejuſdem oratione dicit: *atque imperatori donum vere regium, & magnificum affere, ſcriptam nimirum fidei confeſſionem adverſus novum dogma nuſquam in ſcriptura expreſſum*, ſed per hanc fidei confeſſionem Nazianzenus intelligit præſens ſymbolum; ergo Athanaſius eſt ejuſdem Author. 2. Ajunt in fragmentis S. Hilarii, qui obiit a. C. 367. vel 368., adeoque ante Athanaſium, & Gregorium Naz., qui a. 389. defunctus eſt, legi, hunc Patrem hoc ſymbolum Athanaſio tribuiſſe. 3. dicitur, S. Auguſtinum, qui obiit a. C. 440. *Tr. in Pſ.* 120. explicantem illud, *per diem ſol non uret te*, ſic ajere: *de hac ſale Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt: Filius, inquit, a Patre ſolo eſt non factus, nec creatus, ſed genitus*; en citatum ab illo S. Athanaſii ſymbolum! Qui inſuper aliis in locis, uti *l. 5. de Trinit. c.* 8. Item *ſerm.* 195. & in *Enchiridio c.* 36. ipſiſſima ſæpe verba hujus ſymboli refert, ſine mentione tamen S. Athanaſii; ergo idem quod prius.

196. Ad teſtimonium Nazianzeni Reſp. N. m. non enim S. Pater ibi loquitur de ſymbolo, de quo litigatur, ſed de epiſtola ſynodica ab Athanaſio ad Jovianum Imper. ſcripta nomine omnium Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos, ac Libyarum: quæ præter nudum Nicænum ſymbolum, quod Imperatori offert, & commendat, bis de Spiritu S. verbis clauditur: *Sed nec alienavit Spiritum S.* (Nicæna Synodus) *a Patre & Filio, ſed cum una glorificavit cum Patre & Filio, & in una ſancta Trinitatis fide, eo quod una ſit in ſancta Trinitate Deitas*. Habetur hæc ſynodica apud Coletum *tom.* 2. *pag.* 957. Hanc autem ſynodicam, non vero præſens ſymbolum a Nazianzeno intelligi inde fit manifeſtum, quod præſens ſymbolum tam ſecundum affirmantes, quam ſecundum negantes ab initio fuerit latino ſermone editum; Confeſſio autem fidei, quam obtulerat Athanaſius Imperatori Joviano bomioi Græco, græce fuiſſe exaratam, non eſt, qui audeat inficiari: non poteſt igitur confundi hæc confeſſio cum ſymbolo, de quo nunc eſt quæſtio.

197. Sed ut hanc authoritatem, quæ eam conficeret, ſi de illo, quod in diſceptationem adducitur, ſymbolo loqueretur, prorſus enervem, atque invicte probem per *donum illud regium* a S. Athanaſio Imperatori Joviano miſſum non intelligi præſens ſymbolum, ſed Confeſſionem, ſeu ſynodicam citatam: hiſtoriam ſecundi hujus Alexandrini Concilii ab Ath. celebrati ex Theodoreti *hiſt. Eccl. l.* 4. deſumptam, & apud Coletum *cit. tom. & pag.* relatam cum §. Orationis S. Greg. Naz. ab affirmantibus citato hic confrontabo, quo ſpero futurum, ut quilibet palpet S. P. Gregorium per hoc *donum regium* dictam ſynodicam intelligere. Hiſtoria ergo ſic ſonat: *Athanaſius poſtquam Julianum, quem & cito defuturum divino oraculo præmonitus ſenſerat, defunctum, exulesque Epiſcopos a Joviano per edictum revocatos eſſe audiviſſet, literaſque Imperatoris, fidem doceri petentis, accepiſſet, citra omnem moram primarios Ægypti, Thebaidis, ac Libyæ Epiſcopos Orthodoxos, ſibi ſubditos, ad hanc ſynodum Alexandrinam convocavit. Qua deliberatione prævia, cum conſilia decretum eſt*, ut ſcriptum Catholicæ fidei libellum e *veſtigio ad novum Imperatorem mitterent, ne ille* (*quod* Conſtantio *accidit*) *ab hæreticis præoccupatus, in impietatem tranſverſus penitus ageretur, &c.*

198. Locus autem S. Greg. Naz. ſic habet: *Hoc porro* (Juliano Apoſtata) *extincto, Imperator alter exoritur, —— qui ut præclariſſimum ſui fundamentum jaceret, rectamque legum ſanctionem, unde conveniebat, auſpicaretur: cum omnes alios Epiſcopos, tum ante omnes, qui omnibus virtute antecellebat, ac citra dubitationem ullam pietatis cauſa bella vexatus fuerat, ab exilio revocat*, (id eſt Athanaſium). *Quin etiam fidei noſtræ veritatem a multis laceratam, atque in ſexcentas opiniones, parteſque diſtractam ſibi tradi poſtulavit. Atque hic potiſſimum Athanaſius puritatis fidei in Chriſtum firmæ, & conſtantis ſpecimen edidit, —— atque Imperatori* donum vere regium, & magnificum *affert*, ſcriptam nimirum fidei confeſſionem *adverſus novum dogma nuſquam in ſcriptura expreſſum*. Videlicet illam, in qua, teſte eodem Gregorio, *primus ille & ſolus, aut cum admodum paucis* (id eſt cum Provinciali hoc concilio) *veritatem palam, apertiſque verbis pronuntiare non dubitavit; unam trium Perſonarum* (en ſynodicæ hujus clauſulam N. 195. relatam) *divinitatem, & eſſentiam ſcripto confeſſus*. Quid clarius, quid apertius in favorem noſtræ ſententiæ? Theodoretus dicit Jovianum literis Athanaſium de tranſmittenda Confeſſione fidei rogaſſe. Idem dicit Gregorius. Theodoretus dicit, Athanaſium his literis commotum hanc Synodum celebraſſe, & hanc ſynodicam Imperatori miſiſſe; idem dicit Gregorius. Quo jure ergo affirmantes hac authoritate tam enormiter in ſuum favorem abutuntur, quæ illorum ſententiæ jugulum tam aperte petit? Siquidem I. ex Panegyri Gregorii manifeſte ſequitur, ſanctiſſimum, & perſpicaciſſimum hunc Patrem, Athanaſii coævum & ſupparem, hoc ſymbolum prorſus ignoraſſe (alias enim illud non prætetiviſſet in enucleata illa oratione) & conſequenter ab Athanaſio nuſpiam eſſe compoſitum. II. Ex ipſa ſynodica liquet, Athanaſium in hoc ſecundo Concilio, ſicut in primo, elapſo anno a ſe celebrato, longe fuiſſe a novo ſymbolo condendo, dicit enim poſt tranſcriptum ſymbolum

Nicænum in eadem ſynodica: *in hac, Auguſte, omnes oportet manere, neque quidquam inde tranſmutare artifictis, contentionibuſque verborum.* Quia hoc nempe facerent Ariani, contra quos ſcribit, Nicænum Concilium hoc ſymbolum edidiſſe. Si ergo Athanaſius Romæ, vel Treviris præſens ſymbolum tam abſolutum edidit, & Julio Papæ præſentavit, quare illud, in ſermonem Græcum verſum, Imperatori non miſit? An ergo (ſi ſuperis placet) intra 8. menſes, quibus Jovianus imperavit, prioris conſilii pœnitens, explicatius hoc illi communicavit? aut illud tandem contra propriam ſententiam toties inculcatam poſtea pro inſtructione ovicularum ſuarum, ut vult Liberius, elucubravit? & illud ejus Panegyriſta ignoravit? ſed procedamus ulterius.

199. Opponit Liberius: Hanc epiſtolam ſynodicam ex eo non poſſe eſſe illam, de qua tractatur Naz. quia S. P. dicit Athanaſium hoc *donum vere regium* miſiſſe, hæc vero epiſtola ſcripta eſt nomine Athanaſii, & Epiſcoporum Thebaidis, Ægypti, & Libyæ.

Sed hæc Replica non urget: Gregorius enim aperte dicit Athanaſium unam Trinitatis Divinitatem, aut ſolum, aut cum admodum paucis, videlicet cum dictis Epiſcopis, quos properanter collegerat, confeſſum fuiſſe. Et cum ipſe titulus epiſtolæ ita habeat: *Religioſiſſimo, & Clementiſſimo Victori Auguſto Joviano, Athanaſius, & Epiſcopi &c.* illeque fuerit Concilii Præſes, eidem hoc donum a Gregorio panegyrice tribui potuit.

200. Replicat. Per hoc donum regium non poſſe adhuc dictam epiſtolam ſynodicam intelligi; quia in ea non continetur niſi ſymbolum Nicænum, quod non eſt Athanaſii.

Reſp. Gregorium nunquam dixiſſe, Athanaſium Joviano miſiſſe ſymbolum a ſe compoſitum; ſed *ſcriptam fidei Confeſſionem adverſus novum dogma* dicentium, Spiritum S. eſſe creaturam; quod an non præſtiterit in hac Synodica, negent, ſi poſſunt adverſarii; in ea ſiquidem, præter Nicænum ſymbolum, continentur de Spiritus Sancti Divinitate ea, quæ teſtimonio S. Gregorii prorſus conveniunt, nempe *Confeſſio de Spiritus S. Divinitate, & de una Trinitatis Deitate.*

201. Sed adhuc inſtat Eximius Polemicus. Nazianzenum loqui de ſymbolo Athanaſiano conſtat ex Demetrio Cidonio CP. *libro de proceſſione Spiritus S. c. 6.* ex Genebrardo Theologo Pariſienſi, & ex Billio.

Reſpondeo ad authoritates privatorum Doctorum, præſertim illorum ſæculorum, ubi hoc ſymbolum ſub nomine Athanaſii invaluerat, opponendo iiſdem cum viris, ſi non majoris, ſaltem paris in hac materia authoritatis hiſtoricam veritatem ſupra clare expoſitam, & evictam.

202. Ad locum ex S. Auguſtino a Bellarmino, & Poſſevino LL. cc. allatum reſpondent Patroni ſententiæ negativæ, hanc ſententiam nequaquam eſſe Auguſtini; quia Lovanienſes jam olim adnotarunt hæc nullatenus legi in Mſſ. omnibus a ſe perluſtratis S. Auguſtini operibus. Idemque advertunt Doctiſſimi Monachi Sangermanenſes in ſua recenſione operum ejuſdem S. Auguſtini. Genuina ergo verba Auguſtiniana l. ſupra cit. ſunt hæc: *Ergo aliam ſolem fecit Deus, qui oritur ſuper bonos, & malos; iſtum quem vident boni, & mali: alius autem eſt ille ſol, non factus, nec creatus, ſed genitus.* Illa ergo verba *de hoc ſole P. Athanaſius &c.* typographia antiquiora eſſe non videntur, ſed ab aliquo Sciolo, cui ſymbolum Athanaſii familiare fortaſſe fuit, calculis typis ſubjecta. Vide etiam eruditiſſimos PP. Benedictinos Congr. S. Mauri in cit. operum S. Aug. edit. *tom. 4. pag.* 1381. ubi ſupra cit. textum Aug. hanc Gl. faciunt: *hic Pariſienſes, & Veneta antiquiores editiones id inſcriptum habent* de hoc ſole P. Athanaſ. &c. *Quæ revera abſunt a noſtris omnibus Mſſ. nec reperiuntur in editis Amerbachii, Eraſmi, & Lovanienſium.* Ex quo ad ſubnexa ex eod. S. Auguſtino teſtimonia ajunt, non eſſe rationem, cur poſterior Auctor hujus ſymboli præfata verba ex Sancto Auguſtino potius, quam ille ex ejus ſymbolo, quod ſuo tempore necdum fuit, defloraverit. Præterquam quod nec novum, nec mirum videri debeat, Patres in materia ſymbolica in aliquibus ſenteutiolis verbatim convenire. Quod multis exemplis monſtrare poſſem, ſi anguſtia operis pateretur.

203. Nec verius eſt, inquit Natal. Alex. quod alii dicunt, (& reſpondetur ad tertiam authoritatem) S. Hilarium in fragmentis hoc ſymbolum tribuiſſe S. Athanaſio, licet enim *Pithœanus* codex moneat, in codice quodam Deventenſi poſt ſymbolum Nicænum, & damnationem Arii, in Concilio Ariminenſi a Catholicis exaratam, ſequi *fidem dictam a Sancto Athanaſio*: non propterea certum eſt, quod ſymbolum iſtud S. Hilarius ipſe deſcripſerit; ſed veriſimilius eſt, fuiſſe fragmentis Hilarianis additum. Maxime cum recentiori manu ſcriptus ſit codex Pithœanus, ex quo fragmenta illa edita ſunt, ut teſtatur vir clariſſimus, & doctiſſimus Nicolaus Faber in præfatione. Exiguum ergo ſententiæ affirmativæ ex Patribus Athanaſio coævis, vel ſupparibus accedit præſidium. Nunc videamus, quid ſubſidii ex Scriptoribus poſt ſæculum ſeptimum acquirat?

204. Objiciunt II. Hoc ſymbolum a ſæculo ſeptimo a Patribus, Synodis, & Scriptoribus Eccleſiaſticis uno veluti ore ſub S. Athanaſii nomine refertur; ergo Athanaſius eſt ejuſdem indubitatus Author. A. probant inductione; & imprimis ſæculo ſeptimo, ſeu a. *670.* illud Athanaſio tribuit Synodus Auguſtodunenſis ſupra N. 174. citata. Imo a. *633.* aliqua ex iſto ſymbolo videntur deſcripta in ea fidei confeſſione, quæ edita eſt a Concilio Toletano IV., & quæ videtur eſſe ipſum ſymbolum Athanaſianum aliquomodo abbreviatum. Idem ſymbolum ſæculo IX. ſub Athanaſii nomine laudarunt Manuel Caleca lib. 11. contra Græcos, Æneas Pariſienſis, Hincmarus Archi-Epiſcopus Rhemenſis ſupra citatus. Sæculo pariter XI. illud ſub nomine S. Athanaſii laudavit Abbo Floriacenſis in apologetico ad Reges Francorum Hugonem, & Robertum. Sæculo denique XIII. ut ſupra retulimus, Gregorius IX. Apocriſiariis ſuis hoc ſymbolum ſub Athanaſii nomine tanquam telum contra Græcorum de Spiritus S. proceſſione errorem commendavit. Et ſæculo XV. ſeu a. 1439. idem, ſub eodem nomine, Armenis commendavit Eugenius. Accedit S. Th. authoritas ſupra ex 22. q. 1. a. 10. allata, ubi hoc ſymbolum disertis verbis Athanaſio tribuit.

205. Confirmatur primo ex ipſa Græcorum Schiſmaticorum authoritate, qui poſt Concilium Florentinum maluerunt per ſummam impudentiam effutire, S. Athanaſium fuiſſe ebrium, dum hoc ſymbolum componeret, quam illud eidem abjudicare. Quos Gennadius eam ob cauſam exagitat.

206. Confirmatur ſecundo authoritate Breviarii Romani toties, & cum tanta maturitate a Viris præſtantiſſimis reviſi, in quo tamen rubrica de ſymbolo Athanaſiano non fuit expuncta.

207. Ut a tot tantiſque teſtimoniis ſe ſe expediant negantes, Reſpondent: Pontifices, Concilia, & Scriptores illorum ſæculorum citatis locis ex profeſſo non diſcuſſiſſe, an hoc ſymbolum quod ſub nomine Athanaſii citarunt, revera Athanaſianum ſit, vel non: ſed illud ſub hoc nomine ſimpliciter laudaſſe, quia illud ita citandi mos inoleverat. Quin multi Scriptores illorum ſæculorum multos libros Patrum antiquorum ſæpe citarunt,

da

de quibus tamen poſt herculeos Benedictinorum, aliorumque criticorum labores in percenſendis, & edendis Patrum operibus certo jam conſtat, illos horum librorum non eſſe auctores. Quod autem hoc ſymbolum non ſemper fuerit in Eccleſia ſub nomine Athanaſii citatum, ſed mos illud ita citandi paulatim inoleverit, præter ſuperius N. 180. dicta (ubi etiam rationem, quare hic mos inoleverit, ex Anthelmio adduximus) demonſtrant duo latina pſalteria antiquiſſima, apicibus antiquiſſimis ſcripta, ab Uſſerio viſa, quemadmodum teſtatur *in Epiſtola ad Gerardum Voſſium*, quæ in ſupra cit. diatriba de ſymbolo Romano vetere habetur pag. 2. in quorum primo, quod Gregorii I. temporibus recentius non eſſe colligit, tum ex antiquo picturæ genere, tum ex literarum forma grandiuſcula, ſymbolum Athanaſianum nudum *fidei Catholicæ* præfert titulum. In poſteriori vero, quod Regis Ætheſtani, Sæculo X. regnantis, aliquando fuit, jam *fidei Athanaſii Alexandrini* titulo inſignitur.

Cum ergo Gregorius M. obierit ſæculo VII. adhuc in cunis agente, ſeu a. c. 604. Ex teſtimonio hujus codicis valde veroſimile fit, hoc ſymbolum, ut ſupra cit. N. 180. vidimus, prius ſub nudo titulo *Catholicæ fidei* fuiſſe recitatum & tandem ex conjectura, fundata in hoc, quod hoc ſymbolum Treviris, ubi Athanaſius aliquando degit, ſit primo inventum, ejuſdem nomen eidem fuiſſe tributum. Vel etiam ex eo, quod illud Vigilius Tapſenſis ſub nomine Athanaſii ſub finem ſæculi V. ediderit. De quo mox videbimus.

208. Ad primam Confirmationem reſpondeo: Græcorum illius ſæculi, quo ſymbolum præſens omnium ore Athanaſio adjudicatum fuit, authoritatem non eſſe majorem, quam Latinorum, qua tamen non obſtante, viri graviſſimi, & eruditiſſimi, ſimulque criticæ ex profeſſo viam pene impedientes (quod illis ſæculis factum haud eſt, ſaltem ita ex profeſſo) moderna tempeſtate, ex graviſſimis rationibus a nobis ſupra digeſtis, illud eidem abjudicant.

209. Ad ſecundam Confirmationem Reſp. cum SS. Papa noſtro Benedicto XIV. *De ſervorum DEI beatificatione, & Beatorum canonizatione l. 4. p. 2. c. 13. n. 8. pag.* 80. edit. Patav. de anno 1743. ubi ait: *Videtur quidem tuta pede aſſeri poſſe, non modicum authoritatis pondus factis hiſtoricis accedere, quæ relata ſunt, & approbata in Breviario Romano (ecquis enim de hac aſſumptione poterit dubitare, poſtquam certum eſt, Breviarium Romanum pluries fuiſſe recognitum, atque emendatum, habita tot virorum pietate, & Doctrina illuſtrium conſilio?) attamen ita, ut vetitum exiſtimari non poſſit, debita cum modeſtia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis hiſtoricis difficultates exponere, eaſque judicio Sedis Apoſtolicæ ſupponere, ut earum robur, & veritatem perpendat, ſi quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: quæ ipſa videtur eſſe ſententia plurimorum, qui de hiſtoriis relatis in nonnullis lectionibus ſecundi Nocturni Breviarii Romani dubitare viſi ſunt.* Itaque juxta mentem Sanctiſſimi, & eruditiſſimi Patris noſtri authoritas Breviarii Romani factis hiſtoricis in illud relatis magnum quidem, ſed non omnino irrefragabile pondus addit, contra cujus authoritatem proinde debita cum obſervantia, & nudæ veritatis inquirendæ gratia ſentire, ſententiamq; quæſitis rationum ponderibus ſtabilire, non eſt ſciole; ſed utiliter ad futuram fortaſſe iteratam ejuſdem correctionem laborare.

COROLLARIUM.

Suppoſita veritate ſententiæ negantium, non conſtat certa de Authore hujus ſymboli; probabilius tamen videtur, illud editum fuiſſe a Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo, qui ſub finem V. ſæculi floruit.

210. PRima pars Corollarii conſtat ex conflictu Authorum, quorum alii illud Vincentio Lirinenſi, alii Euſebio Vercellenſi, alii Anaſtaſio Synaitæ (decepti fors affinitate nominis) alii cuidam Theologo Gallo Pipini, & Caroli magni temporibus florenti, alii denique alicui ex Galliæ Patribus Sæculo V. florentibus adſcribunt. Ex quibus, ut breviter dicam, illorum ſententia nullatenus ſuſtineri poteſt, qui ejus Epocham ad Pipini & Caroli M. tempora, id eſt ad ſæculum VIII. referunt, cum illius ſub Athanaſii nomine mentio jam Sæculo VII. habeatur, ut ſupra vidimus. Prima etiam & ſecunda ſententia facile difflatur a Criticis, uti videri poteſt in Anthelmio, Montfauconio, Merati, Nat. Alex. LL. cc. Poſtrema majorem veritatis ſpeciem præſeferre videtur, quam & ſuſtinet Montfauconius, tum quia in Galliis cœpit manifeſtari ſymbolum, & in earum Metropoli Treviri primo repertum ſuit ejuſdem ſymboli exemplar, tum quia a Gallis ſcriptoribus primo fuit celebratum, & a Gallicanis ſynodis, nec non Epiſcopis primo receptum, atque commendatum: & denique in Gallicanis Eccleſiis primo decantatum. Accedit, quod ſæculo V. Gallia viris pietate, & doctrina præſtantiſſimis abundaverit, qui tanti operis Parentes non indigne cenſeri poſſunt. Sed cum fieri potuerit, ut hoc exemplar aliunde Trevirim ſit allatum, & conſequenter rationes allatæ ſua ſponte concidant, hinc

211. Probatur ſecunda pars Corollarii, quam Queſnellius in *appendice ad diſſert.* 14. *in opera S. Leonis M.* nervis omnibus demonſtrare contendit, & amplectitur Nat. Alex. l. cit. Primo authoritate Codicis Thuanæi, in quo præter dialogum adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos ſub Athanaſii nomine a Vigilio editum, proxime legitur ſymbolum Athanaſianum ſub hoc titulo *fides dicta a S. Athanaſio Epiſcopo*, & revera huic Vigilio familiare fuit, ſæviente Vandalorum in Africa perſecutione, opera a ſe elucubrata non ſuo, ſed antiquorum Patrum nomine prænotare: ſic præfatum dialogum ſub nomine, ut diximus, Athanaſii compoſuit, ut ipſemet in præfatione hujus dialogi fatetur his verbis: *Sabellium, Photinum, Arium, atque ad noſtras partes Athanaſium adduxi, ut veritas ad omnium notitiam perveniret.*

212. Secundo Hæc conjectura firmari poteſt ex eo, quod Theodulphus Abbas Floriacenſis, & deinde Epiſcopus Aurelianenſis, qui claruit a. 835. hoc ſymbolum citet ex illis Athanaſii libris, qui tamen Vigilii Tapſenſis eſſe jam certo cognoſcuntur cura & ſtudio eruditiſſimi P. Chifletii; quique in antiquo & probe noto codice Floriacenſi cum Vigilii libris adverſus Neſtorium & Eutichen conjunguntur. Ex quibus

213. Tertio alia deſumitur conjectura huic faveus opinioni, quia idem Vigilius libris ſuis Neſtorianos, atque Eutichianos impetere ſolebat, quod conſilium a ſymboli authore ſibi quoque propoſitum fuiſſe videtur: & ſic optime correſponderet tempori, quo hæc elucubratio exarata cenſetur, nimirum poſt ſynodos Epheſinam & Chalcedonenſem, in quibus Neſtorianæ & Eutichianæ erroneæ Doctrinæ diligenter diſcuſſæ, & tanquam impia Dogmata proſcriptæ fuere. Ideo autem Vigilius hoc ſymbolum ſub nomine Athanaſii adornavit, quia ſummam Athanaſianæ fidei,

C 3 præ-

præſertim eam, quæ reſpicit Myſterium SS. Trinitatis, ex ejus operibus collectam clare & ſuccincte continebat, & ne quiſquam Africanorum Epiſcoporum de condita hujus fidei formula in ſuſpicionem apud Hæreticos deveniret, ac propterea in certiſſimum vitæ diſcrimen adduceretur. Aliunde Paſtoralis Officii partes exiſtimavit, periclitanti populo ſuo ſuppetias ferre, & ſimplicioribus Chriſtianis eam fidei profeſſionem exhibere, quæ catholicam fidem contra Arianæ, Neſtorianæ, & Eutichianæ ſectæ errores pure, nitide, breviterque exponeret. Quemadmodum autem Vigilii opera in Gallias, ita & hæc Confeſſio Trevirim, ſæviente illa Vandalorum in Africa perſecutione, adferri potuit, eidemque, vel occaſione illorum librorum, quibus hæc fides ſub nomine Athanaſii eſt inſerta, vel ex eo, quod Athanaſius Treviris quandoque manſerit, ſymboli Athanaſii nomen adſcribi.

214. Contra hanc opinionem ita objicit Liberius a JESU. Veruntamen hæc conjectura facile diſflatur. Vir emunctæ naris & veritatis Zelator ab omni mendacio abſtinet. Neque hoc erat opportunum firmandæ, ſed potius infirmandæ veritatis medium. Hæreticis enim perfacile erat mendacium detegere circa authorem, & doctrinam rejicere.

Reſp. I. Doctiſſimum Patrem Liberium, dum Vigilio hoc ſymbolum abjudicat, ac ipſum mendacii arguat, ejuſdem eum reum facere, quod dialogos ſuos ſe ipſo teſte, & alia opera, teſtante veritate, Athanaſii nomine evulgaverit. Et conſequenter hoc argumentum valde parum infirmare hanc opinionem.

Reſp. II. Cum hoc Symbolum ex operibus S. Athanaſii majori ex parte ſit conflatum, ſine mendacio dici poteſt fides S. Athanaſii; & conſequenter a ſimili Hæreticorum calumnia nullo negotio vindicari.

215. Pro coronide concludo cum Mecati l. c. *Ex his opinionibus ſeligat Lector, quæ ſibi magis arriſerit, & quæ ſolidioribus fundamentis innixa ſibi viſa fuerit, cum nulla circa Authorem ejuſdem ſymboli ſententia definitiva ab Eccleſia adhuc fuerit pronuntiata*; cujus judicio hæc de ſymbolo Athanaſii dicta devotiſſime ſint ſubjecta.

§. VI.
De Symbolo Lateranenſi.

216. OCto ſæculis & triginta Annis a condito ſymbolo CP. Niceni explicativo, prodiit præſens ſymbolum, in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. ſummo Pontifice, & Friderico II. Romanorum Imperatore, aſſidentibus Hieroſolymitano & CP. Patriarchis, Antiocheni, & Alexandrini Legatis, & totius fere orbis Epiſcopis, Principumque Legatis (ut habent Correctores Romani c. e. *de ſumma Trinitate*) a. c. 1215. celebrato editum, & poſtea a B. Raymundo de Pennafort ſacerrimi Ordinis Prædicatorum præſenti titulo præfixum, atque in duo capitula diſtributum, cujus tenor eſt ſequens.

217. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus S. Tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino: Pater a nullo, Filius a Patre ſolo, ac Spiritus S. pariter ab utroque abſque initio ſemper ac ſine fine: Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus S. procedens: Conſubſtantiales & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: Unum univerſorum Principium: Creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium: qui ſua omnipotente virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem: Angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & alii Dæmones a DEO quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali. Homo vero diaboli ſuggeſtione peccavit. Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua, ſecundum perſonales proprietates diſcreta, primo per Moyſen & S. Prophetas, alioſque famulos ſuos, juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et tandem unigenitus DEI Filius J. C. a tota Trinitate communiter incarnatus ex Maria ſemper Virgine, Spiritus S. cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compoſitus, una in duabus naturis Perſona, viam vitæ manifeſtius demonſtravit. Qui cum ſecundum divinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt mortalis & paſſibilis. Qui etiam pro ſalute humani generis in ligno Crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cœlum: ſed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne: aſcenditque pariter in utroque, venturus in fine ſæculi, judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua tam reprobis, quam electis, qui omnes cum ſuis propriis reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala: illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.*

Una vero eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur. In qua ipſe Sacerdos eſt Sacrificium J. C. cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, tranſſubſtantiatis pane in corpus & vino in ſanguinem poteſtate divina: ut ad perficiendum myſterium unitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, earumque ſucceſſoribus J. C. Sacramentum vero Baptiſmi (quod ad DEI invocationem, & individuæ Trinitatis, videlicet Patris & Filii & Spiritus S. conſecratur in Aqua) tam parvulis, quam adultis, in forma Eccleſiæ a quocunque rite collatum, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari, non ſolum autem Virgines & continentes, verum etiam conjugati per rectam fidem, & operationem bonam placentes DEO, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.

Damnamus ergo &c. & quæ ſequuntur c. 2. *h. t.* quæ quamvis ad eundem tractatum de fide pertineant, quia tamen prolixa ſunt, & per modum anathematiſmorum, hic omittuntur.

218. Occaſionem huic ſymbolo, uti præcedentibus, dederunt Hæreſes Albigenſium, Amalarici, & error Abbatis Joachimi cæteroquin Catholici, uti patet ex fidei dogmatibus in illo ſtabilitis. Nam primo contra errorem illum Albigenſium a veteribus Manichæis derivatum, quo duo principia ſuprema rerum admittebant, in hoc ſymbolo aſſeritur: *Unum ſolum eſſe verum Deum, unum univerſorum Principium, Creatorem omnium viſibilium, & inviſibilium, Spiritualium & corporalium, dæmones a Deo creatos natura bonos, per ſe factos eſſe malos, hominem vero diaboli ſuggeſtione peccaſſe*; quibus Nicænus Articulus *viſibilium omnium, & inviſibilium factorem* a ſymbolo CP. contra Manichæos additione particularum *Cœli & Terræ* jam explicatus amplius declaratur. Secundo contra ipſorum de Euchariſtia errorem docetur: *Corpus & Sanguinem Chriſti in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter contineri, pane in Corpus & vino in*

San-

Sanguinem poteſtate divina tranſubſtantiatis. Tertio contra ipſorum errorem de Baptiſmo infantium traditur: *Sacramentum baptiſmi tam parvulis, quam adultis prodeſſe ad ſalutem*. Quarto contra ipſorum errorem, quo nuptias damnabant, aſſeritur: *Non ſolum Virgines & continentes, verum etiam conjugatos per rectam fidem, & operationem bonam placentes Deo, ad beatitudinem æternam pervenire*. Denique in ſubjunctis anathematiſmis damnatur error Abbatis Joachimi, negantis unitatem eſſentiæ trium Perſonarum eſſe veram, realem, & ſimplicem, ſed tantum ſimilitudinariam & collectivam, non tamen ipſe, ut qui ſcripta ſua ſedis Apoſtolicæ judicio ſubjecit, uti teſtatur ipſe Innocentius in eodem de fide tractatu c. 2. Finaliter tandem condemnatur perverſiſſimum dogma impii Almarici, *cujus mentem* (ut ibidem loquitur Pontifex) *ſic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam Hæretica, quam inſana ſit dicenda*.

219. Huic ſymbolo, ad exemplum Niceni, & eadem, qua ibi, de cauſa, ob aſtutas nimirum Novatorum locutiones, inſerta eſt *tranſubſtantiationis* particula, quæ ſicut vox *Homouſion* non niſi ſenſu in ſacris literis expreſſa reperitur, aptiſſima nihilominus eſt ad retundendas Hæreſes tam circa realem corporis & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini præſentiam, quales olim fuere Berengariana, & Albigenſium, & noſtris ſæculis Calviniana; quam etiam circa modum, quo ibi reperiuntur, quales ſunt Ubiquiſtarum & Impanatorum ex ſecta Lutheranica.

220. Notandum tamen eſt voculam *tranſubſtantiationis* non eſſe a Concilio Lateranenſi ſeu ab Innocentio III. ad confingendum Albigenſium circa Euchariſtiam errorem inventam, reperitur enim jam expreſſa in illa profeſſione fidei, quam Berengarius Hæreſiarcha in ſecunda ſynodo Romæ a. c. 1079. menſe Februario ſub Gregorio VII. contra ipſum celebrata deponere debuit; & ita ſonat: *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ Orationis, & verba noſtri Redemptoris* ſubſtantialiter *converti in veram, & propriam, ac vivificantem carnem, & ſanguinem Jeſu Chriſti &c.* Quem proin Pontificem fidei Catholicæ non minus, quam Eccleſiaſticæ libertatis defenſorem acerrimum moderni Proteſtantes, ceu hac Barbara ac impia (ut ajunt) voce Idololatriæ in Chriſtianum orbem Invectorem, non ſecus ac olim Ariani Magnum illum Athanaſium vocis Homouſion prodigioſum defenſorem, cane pejus ac angue oderunt, calumniis infinitis proſcindunt, ac ceu *Titionem infernalem* ex calumnioſa etymologia nominis, quod ante Pontificatum geſſit *Hildebrandi* (1) diris omnibus devovent. Nec ſine cauſa, non enim minus *tranſubſtantiationis* vocabulum *columna eſt ac Cyppus*, ut cum Athanaſio ſupra citato loquar, *quo illorum impietas proſcribitur, ac velut Trophæum de ea ſuperata, proſtrataque ſtatuitur*, quam olim vox *Homouſion* contra Arianos: cum & hujus vocis non minus, quam illius exquiſita ſit ratio, omnes eorundem argutias, quibus ſimplices circa hoc auguſtiſſimum myſterium fallunt, excludens. Sed rem quæſtione polemica penitius diſquiramus.

QUÆSTIO POLEMICA.

Utrum tranſubſtantiationis vocula appoſite & prudenter inſerta fuerit Symbolo Lateranenſi?

221. IN hac Quæſtione fidem §. III. N. 76. datam liberabimus, Novatoribus noſtri temporis monſtraturi, Concilium Lateranenſe *tranſubſtantiationis* vocem eadem authoritate, eadem neceſſitate, eodem conſilio, eodemque invicto fundamento ſymbolo ſuo inſeruiſſe, vel potius prius jam uſurpatam adoptaſſe, quo Patres Niceni ſuo ſymbolo addidere vocem *Homouſion*, & conſequenter tela proteſtantium in hoc concilium vibrata etiam petere ſynodum Nicænam.

222. Ut autem in hac momentoſa quæſtione dilucide, & ſuccincte procedamus, præliminariter obſervandum eſt primo: Novatores noſtri temporis contra additionem hujus particulæ non ex duplici fundamento, quemadmodum Græci in Concilio Florentino (ut infra videbimus) contra additionem particulæ *Filioque* debacchari; videlicet quod & particula ipſa ſit erronea, &, dato etiam, quod ſit Catholica, ea tamen non fuerit licite addita, ob decreta Conciliorum Sardicenſis, Epheſini, & Chalcedonenſis, additiones ſymbolo Niceno fieri prohibentia, ut pariter infra videbimus; ſic enim ſuo ſe telo confoderent, additionem particulæ *Filioque* ſymbolo CP. factam recipientes. Sed cardo querelæ illorum in hoc ſolo verſatur, quod dicta particula ſit *erronea*, & idololatriæ in Eccleſiam Chriſti invectiva.

223. Obſervandum ſecundo. Quod, ſuppoſita dogmatis de tranſubſtantiatione veritate, Eccleſia eam neceſſitatem habuerit hanc vocem ſymbolo inſerendi, quam habuit Concilium Nicænum circa inſerendam vocem Homouſion, eo ſuppoſito, quod vox iſta catholica fuerit, non enim minus Catholici, gliſcente Hæreſi Berengariana, muniendi erant teſſera contra hujus Hæreſiarchæ aſtutas locutiones, quam muniendi fuerint, dum Hæreſis Ariana tunicam Chriſti diſcinderet.

224. Quapropter neglectis promiſſionis factæ membris primis videlicet, quod Concilium Lateranenſe *eadem authoritate, eadem neceſſitate, eodemque conſilio* ſymbolo ſuo inſeruerunt *tranſubſtantiationis* particulam, qua authoritate, neceſſitate Nicænum ſuo inſeruit τὸ *homouſion*, ſolum probabimus id ab eo factum *eodem invicto fundamento*, quo id ipſum factum eſt a Concilio Niceno. Hoc enim evicto, cauſa contra Proteſtantes lucrata erit.

PROPOSITIO.

Patres Concilii Lateranenſis appoſite, & prudenter tranſubſtantiationis voculam ſuo ſymbolo inſeruerunt.

225. PRobatur eadem ratione, qua ſupra §. III. N. 80. de voce *Homouſios*. Vocabulum, quod verſutias Sacramentariorum in explicandis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ *hoc eſt Corpus meum: hic eſt Sanguis meus:* ſimulque omnes eorundem errores circa hoc auguſtiſſimum Sacramentum accurate excludit, nullamque prorſus æquivocationis ambagem iiſdem relinquit, ſimulque plane ac nitide Catholicam fidem circa Euchariſtiam exponit, quodque propterea ad omnes circa illam hæreſes labefactandas plurimum valet, appoſite & prudenter ab Innocentio III. & Patribus Concilii Lateranenſis ſymbolo eſt inſertum: ſed *tranſubſtantiationis* vocabulum hæc omnia præſtat: ergo prudenter, & appoſite eſt inſertum ſymbolo Lateranenſi. M. patet: nam ex his momentis ſupra cum antiquis Patribus, Nicænæ Synodi vindicibus, ſuſtinuimus vocem homouſion appoſite, & prudenter ſymbolo Niceno eſſe inſertam, mi. vero probatur quoad ſingula membra: & primo quantum ad primum, quod ſcilicet hoc vocabulum verſutias ſacramentariorum in explicandis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ, omneſque eorundem errores circa hoc auguſtiſſimum Sacramentum accurate excludat. Ex

ſacra-

(1) Höllenbrand.

ſacramentarii Berengarius, Calvinus, eorumque gregales verba inſtitutionis Euchariſtiæ dicunt *figurate* accipienda; Bucerus, & cum eo Lutherus in concordia Wittembergenſi a. c. 1536. eorumque ſequaces aſſerunt, ea primum *in ſumptione* literaliter verificari. Idemque Lutherus a. 1528. in libro Confeſſionis de cœna magna Domini contra Zwinglium, & Oecolampadium edito docet, Corpus & Sanguinem Chriſti eſſe in Euchariſtia cum pane & vino his verbis: *In Sacramento Corpus & Sanguis Chriſti ſunt, ubi panis, & vinum ſunt, quæ immutata manent*, ac tandem ubiquitatem corpori Chriſti affingit, & per abſurdum illud, & erroneum dogma ſacramentalem Chriſti præſentiam *in* quovis pane Euchariſtico probat: ſed has eorum verſutias in explicandis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ, hoſque illorum errores circa hoc auguſtiſſimum Sacramentum accurata excludit *tranſubſtantiationis* vox; ergo præſtat, quod dictum eſt membro primo p. m. tranſubſtantiatio in omnium ſenſu idem ſignificat, quod ſubſtantiæ unius in aliam mutatio. Jam ſic: ſi per verba conſecrationis panis & vinum tranſubſtantiantur, ut loquitur Concilium Lateranenſe, In corpus, & ſanguinem Chriſti, ergo per eadem verba ſubſtantia panis & vini mutatur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, & conſequenter contra Calvinum verba inſtitutionis Euchariſtiæ non ſunt figurate intelligenda. Iterum ſi per ipſa verba conſecrationis hoc fit, ergo contra primum Lutheri errorem non verificantur primo in ipſa ſumptione, quæ fit conſecratione jam peracta. Item in fumum abeunt ſecundus, & tertius error, nam ſi panis, & vinum tranſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem Chriſti, ſive ſi illorum ſubſtantia mutatur in ſubſtantiam horum, ergo non manent *immutata*, & ſi ante verba conſecrationis in altari eſt ſubſtantia panis & vini, & per verba conſecrationis loco illius ibidem ponitur corpus, & Sanguis Chriſti, ergo corpus, & ſanguis Chriſti antea ibi non fuit, ergo non eſt ubique, conſequenter nec in Euchariſtia per ubiquitatem; & ita tranſubſtantiationis vocula has hæreticorum verſutias in explicandis verbis inſtitutionis Euchariſtiæ, hoſque illorum errores circa hoc auguſtiſſimum Sacramentum accurate excludit.

226. Dices cum adverſariis: ſequelas has omnes omnino veras futuras, ſi id, unde ſequuntur, verum ſit; atqui falſum eſt, quod vi verborum inſtitutionis Euchariſtiæ panis, & vinum tranſubſtantientur; ergo & ſequelæ inde deductæ ſua ſponte corruunt.

227. Ante replicam obſerva, quod quamvis præter hanc objectionem adhuc ex aliis duobus capitibus Patres Lateranenſes ob factum præſens additamentum incuſari poſſent, videlicet, quod vocem in ſcriptura nuſpiam expreſſam ſymbolo addiderint, id, quod urgebant Ariani contra Catholicos poſt ſynodum Nicænam; & quod inſuper hac additione contra decreta veterum Conciliorum peccaverint, id, quod Græci Latinis in ſynodo Florentina opponebant; quia tamen Proteſtantes, cum quibus in præſenti confligimus, hanc anteceſſorum ſuorum crambem recoquere non audent, cum ipſi in ſuis ſymbolis utraque voce, videlicet tam *homouſion*, quam *Filioque* utantur, & ipſo uſu factam earundem additionem juſtificent; hanc ſolam interjectionem huc appoſui, qua ſolide, uti ſpero, refutata, nobiſcum fateantur, Patres Lateranenſes apposite, & prudenter ſymbolo *tranſubſtantiationis* vocabulum inſeruiſſe.

228. Antequam autem replica ponatur; & per illam ſecundum membrum principalis minoris demonſtretur, videlicet, quod illa vox *plane ac nitide fidem Catholicam, & Apoſtolicam circa Euchariſtiam exponat*,

229. Obſerva II. nos in ea deducenda preſſuros eſſe veſtigia illorum veterum Patrum, Athanaſii videlicet, Hilarii, & aliorum, qui vocem homouſion a calumniis Arianorum vindicarunt; & ſicut illi *Conſubſtantialitatem* Filii cum Patre deprompta ex ſcripturis ſacris teſtimoniis probarunt, ſacrorum autem eloquiorum genuinam intelligentiam ex Catholicæ Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum continuo ab Apoſtolorum tempore uſitato ſenſu eruerunt: ita & nos impræſentiarum facturi ſumus, quia ſtabilito hoc argumento in materia facti, qualis eſt, an Chriſtus ita inſtituerit hoc Sacramentum, quemadmodum voce *tranſubſtantiationis* exprimitur, & qualiter omnipotens Deus, cujus vigor limites noſtræ rationis longe excedit, inſtituere potuit, omnis ſubtilitatum, & argutiarum farrago, quam adverſarii, rationis decempeda cuncta metientes, congerunt, ſponte ſua corruet.

230. Contra eſt ergo, & probatur ſecundum membrum principalis minoris. Chriſtus potuit hoc Sacramentum ita inſtituere, quemadmodum voce tranſubſtantiationis exprimitur, & de facto illud ita inſtituit; ergo hæc particula Catholicam fidem circa Euchariſtiam plane, ac nitide explicat. Si quis audeat negare primam partem A. huic incidenter replico, Deum poſſe plura facere, quam ille naſutulus poſſit capere, & eundem ad S. Thomam mando, ubi videbit apparentes contradictiones, quæ ex Catholico dogmate ſequi videntur, ſolidius evacuatas. Mihi in præſenti rem cum Novatoribus illis habenti, qui omnes nervos intendunt, ut probent veterem univerſam Eccleſiam verba inſtitutionis hujus Sacramenti in ſenſu contrario *tranſubſtantiationis* accepiſſe, aſſerenda eſt Antec. pars poſterior, quam ſic probo. Inſtitutio hujus Sacramenti dijudicanda eſt ex verbis inſtitutionis; ſed verba inſtitutionis hujus Sacramenti ſignificant id, quod voce *tranſubſtantiationis* exprimitur; ergo Chriſtus de facto illud ita inſtituit. P. m. verba inſtitutionis hujus Sacramenti ſunt iſta: *hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*; ſed hæc ſignificant id, quod voce *tranſubſtantiationis* exprimitur; ergo: p. m. verba ſacræ ſcripturæ *in* eo ſenſu accipienda ſunt, in quo illa ſemper, & ubique accepit Catholica Chriſti Eccleſia; ſed Catholica Eccleſia prædicta verba ſemper, & ubique accepit in eo ſenſu, qui *tranſubſtantiationis* vocula exprimitur; ergo. P. m. quo ſenſu Catholica Eccleſia ſemper, & ubique acceperit præfata verba inſtitutionis Euchariſtiæ aliunde probari nequit, quam ex teſtimoniis Patrum omnium Eccleſiæ ſæculorum, ex conciliis, & ex conſenſu Eccleſiarum; ſed ex his omnibus conſtat Catholicam Eccleſiam ſemper, & ubique verba inſtitutionis Euchariſtiæ in eo ſenſu accepiſſe, qui *tranſubſtantiationis* vocula exprimitur, ergo. M. conſtat; minor, in qua cardo præſentis controverſiæ vertitur, & quam proterve negant ſacramentarii, operoſius jam eſt probanda, adducendo teſtimonia Patrum, Conciliorum, & Conſenſum Eccleſiarum circa tranſubſtantiationis dogma omnium Chriſtianæ æræ ſæculorum, quod ordine Chronologico præſtabimus.

231. Itaque I. Presbyteri & Diaconi Achajæ de paſſione S. Andreæ Apoſtoli, cui præſentes adfuerant, a. c. 59. Neronis 6. encyclicam ad univerſas Eccleſias ſcripſerunt Epiſtolam, in qua illum Ægeæ hæc reſpondiſſe ſcribunt: *Ego omnipotenti Deo, qui unus, & verus eſt, immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem poſteaquam omnis populus credentium manducaverit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat ac vivus.*

Scin

Scio hæterodoxos criticos hoc momentoſum antiquitatis monumentum, quia tam evidenter Catholico dogmati non tantum de tranſubſtantiatione, ſed etiam de Miſſæ Sacrificio favet, ex leviſſimis quibuſdam conjecturis rejicere inter apocrypha, ſed ſolide a noſtris refelluntur. Videatur Nat. Alex. hiſt. Eccl. ſæc. 1. a. 10. En teſtem primi ſæculi, & quidem Apoſtolum!

232. II. S. Ignatius Martyr, qui a. c. 71. floruit, in genuina ad Smyrnæos epiſtola hæc habet: *Euchariſtias & oblationes non admittunt* (videlicet hæretici ſui temporis) *eo quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Servatoris noſtri J. C., quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quamque Pater benignitate ſua excitavit.* En teſtem pariter primi ſæculi, Apoſtolorum diſcipulum.

233. III. S. Juſtinus Martyr, qui 50. annis poſt mortem S. Joannis Evangel. ſeu a. 150. floruit, in ſua *Apologia* Antonino Pio pro Chriſtianis oblata *edit. col. de a. 1686. pag.* 98. ita habet. *Non enim ut communem panem, neque communem potum iſta ſumimus* (videlicet ſpecies) *ſed quemadmodum per verbum Dei caro factus J. C. Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ad eundem modum etiam eam, in qua per preces verbi ejus, ab ipſo profecti, gratiæ ſunt actæ, alimoniam, unde ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, Incarnati illius Jeſu* carnem & ſanguinem eſſe *edocti ſumus. Nam Apoſtoli in commentariis a ſe ſcriptis, quæ Evangelia vocantur, ita tradiderunt præcepiſſe ſibi Jeſum. Eum enim pane accepto, cum gratias egiſſet, dixiſſe: Hoc facite in mei recordationem: Hoc eſt corpus meum. Et poculo ſimiliter accepto, & gratiis actis dixiſſe: hic eſt ſanguis meus, ac ſolis ipſis ea tradidiſſe.* En teſtem ſecundi ſæculi de fide Eccleſiæ hujus ſæculi circa Euchariſtiam coram orbis Principe ſimpliciter expoſita!

234. IV. S. Irenæus Diſcipulus S. Polycarpi, qui a. c. 180. floruit, lib. 4. c. 34. *in cit. edit. pag.* 237. hæc habet: *Igitur Eccleſiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in univerſo mundo, purum Sacrificium reputatum eſt apud Deum, —— quomodo autem conſtabit eis* (Hæreticis) *eum panem, in quo gratiæ actæ ſint, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis ejus, ſi non ipſum fabricatoris mundi Filium dicant? —— quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore & ſanguine Domini alitur? ergo aut ſententiam mutent, aut abſtineant offerendo, quæ prædicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia rurſus confirmat ſententiam noſtram*, videlicet de reſurrectione ex mortuis, quam non tantum iſte, ſed etiam alii poſt ipſum Patres ex reali contactu carnis noſtræ cum carne vivifica Chriſti in Euchariſtia contra Hæreticos probarunt, quorum argumenta, ſi figurate cum Calvino locuti fuiſſent, omnino nulla eſſent. Confirmat ſuam ſententiam his verbis: *Quemadmodum enim qui eſt a terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Amabo quæ eſt iſta res cæleſtis, qua ſecundum Irenæum præter terreſtrem poſt *invocationem* conſtat Euchariſtia, ſi illa eſt nudus panis, cum denominatione extrinſeca typi? & *eodem lib. 4. c. 32.* dicit Chriſtum Apoſtolis aſſeveraſſe *panem eſſe* proprium *corpus ſuum, & calicem* proprium *ſuum ſanguinem*; ita enim habet de verbo ad verbum textus græcus; quo effugia Heterodoxorum prorſus amputantur. En ergo pariter teſtem ſecundi ſæculi!

235. V. S. Cyprianus, qui ſæculo tertio ſeu circa a. c. 250. floruit, libro de oratione Dominica, explicans illam petitionem *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ita habet: *Quando ergo dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de ejus pane; ut manifeſtum eſt eos vivere, qui corpus ejus* NB. attingunt, *& Euchariſtiam jure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus* NB. ſeparatur *a Chriſti corpore, procul remaneat a ſalute.* Secundum Cyprianum fideles communicantes attingunt corpus Chriſti, non communicantes ab eo ſeparantur; ſecundum Berengarium attingunt & ſeparantur tantum a figura corporis ejus. En ergo teſtem ſæculi tertii contra eum!

236. VI. S. Hilarius Pictavienſis in Gallia Epiſcopus, qui circa a. c. 355. floruit, lib. 8. de Trinitate *cit. edit. pag.* 48. *col.* 2. ita habet: *Ipſe* (Chriſtus) *ait: caro mea vere eſt eſca, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus: nunc enim & ipſius Domini profeſſione, &* fide noſtra *vere caro eſt, & vere ſanguis eſt.* En teſtem quarti ſæculi *pro fide Catholica Eccleſiæ* ſui ſæculi.

237. VII. S. Cyrillus Hieroſolymitanus, qui circa annum 365. floruit, *Catecheſi* 22. *recentiſſima edit. Pariſienſis N.* 3. ita habet: *Aquam olim in vinum, quod ſanguini affine eſt, in Cana Galilææ tranſmutavit: & cum parum dignum exiſtimabimus, cui credamus, cum vinum in ſanguinem tranſmutavit?* Et *N.* 9. ita. *Iſthæc edoctus, & certiſſima imbutus fide, quod, qui videtur panis, panis non eſt, tametſi guſtu ſenſibilis ſit, ſed Corpus Chriſti: & quod videtur vinum, vinum non eſt, etiamſi ita guſtui videatur, ſed ſanguis Chriſti.* Aliiſne verbis opus haberet Cyrillus, ſi nunc quamcunque catholicam plebem circa hoc auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum Catechizare deberet? En ergo pariter teſtem quarti ſæculi circa fidem Euchariſtiæ in Eccleſia Hieroſolymitana omnium matre!

238. VIII. S. Gregorius Nyſſenus, qui circa a. c. 380. floruit, *in oratione Catechetica c.* 37. *edit. Col. de a. 1617. p. 383. col.* 2. ita habet: *Recte ergo nunc quoque Dei verbo ſanctificatum Panem in Dei Verbi corpus credo transmutari. Etenim panis erat poteſtate illud corpus, —— & hic ſimiliter Panis ſanctificatur per verbum Dei, & orationem —— quod ſtatim a verbo in corpus tranſmutatur per verbum, hoc eſt corpus meum.* En Catecheſim ad Populum Nyſſenum factam, en teſtem fidei ſuæ Eccleſiæ ſæculo quarto, qui duabus voculis *tranſmutatur*, & *ſtatim* non tantum Figuriſtarum, ſed etiam Impanatorum, Ubiquiſtarum, & eorum, qui dicunt converſionem fieri in ſumptione, figmenta ſubvertit.

239. IX. S. Epiphanius, qui circa a. c. 370. floruit, tum *in expoſitione fidei*, tum *in Ancoratu* (?) *in cit. edit. pag.* 298. ita habet: *Eccleſia tranquillus pacis portus eſt, & ſuavitas quædam vitis cyprum redolens, & botrum nobis benedictionis proferens; nec non & praſcutiſſimum illum abſtergendo mœrori potum*, merum *ſcilicet ac* verum *Chriſti ſanguinem quotidie largiens.* Paulo aliter deprehendi hunc textum in citata a me editione, ſed in recentioribus & emendatis ita habetur.

240. X. S. Joannes Chryſoſtomus, qui circa a. c. 398. floruit, *Homilia* 83. *in Matth. edit. Ducæi tu.* 1. *in novum teſtam. p.* 870. ita habet: *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? quis Paſtor unquam propriis membris oves nutrivit? & quid dico Paſtores? multæ Matres ſæpe nutricibus infantes dederunt: ipſe vero non ita, ſed ipſe nos proprio ſanguine nutrit, & per omnia ſe nobis conglutinat.* Mehercle bella comparatio S. Chryſoſtomi, ſi ipſe cum ſua Conſtantinopolitana

liana Eccleſia Calvinianæ fuit ſententiæ! quis Paſtor oves propriis membris nutrivit, ſicut vos paſco *Figura* corporis mei? multæ Matres aliis nutricibus infantes dederunt, ipſe nos *Figura* corporis ſui nutrit? certe inſulſiſſima! ſed audiamus illum infra ſic pergentem: *Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita. Qui tunc illa fecit in illa cœna, ipſe & nunc hæcce operatur. Miniſtrorum vice ſumus: qui vero hæc ſanctificat & transmutat, ipſe eſt.* Ita confidenter Chryſoſt. ad populum CP.

241. XI. S. Ambroſius, qui itidem ſæculo IV. ſeu circa a. c. 374. floruit, *de Sacramentis lib. 4. cap. 5. edit. cit. pag. 367.* ita habet: *Ante enim quam conſecretur, Panis eſt, ubi autem verba Chriſti acceſſerint,* hoc eſt corpus meum, *Corpus Chriſti eſt: … ipſe Dominus Jeſus teſtatur nobis, quod corpus ſuum accipiamus & ſanguinem, nunquid debemus de ejus fide & teſtificatione dubitare?* En iterum omnes errores per Ambroſium, quemadmodum ſupra per Gregorium Nyſſenum excluſos!

242. XII. S. Hieronymus, qui ſæculo quarto circa a. c. 390. floruit, *in ep. ad Heliodorum* ita habet: *abſit ut de his quidquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt.*

243. XIII. S. Auguſtinus, qui ſæculo V. circa a. c. 420. floruit, *enarratione in Pſalm. 98. cit. edit. to. 4. pag. 1065.* explicando illa verba *adorate ſcabellum pedum ejus*, ita habet: *Nemo autem illam carnem manducat, niſi prius adoraverit; inventum eſt, quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini, ut non ſolum peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* En Eccleſia Hyponenſis cum ſuo Antiſtite, antequam ſumeret Euchariſtiam, eam adorabat ſæculo V. Nos idem facimus, Calviniſtæ clamant, hoc eſſe Idololatriam. En Calvinianæ ſectæ canitiem! ſed adhuc ſemel audiamus Doctorem maximum, & ipſis proteſtantibus venerabilem. *In comment. 1. in Pſ. 33. tom. cit. pag. 214.* de Chriſto loquens ita habet: *Et ferebatur in manibus ſuis. Hoc vero Fratres quomodo poſſe fieri in homine quis intelligat? quis enim portatur in manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundum literam non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait:* Hoc eſt corpus meum: *Ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.* En ſententiam decretoriam contra ſacramentariorum errores! En ſenſum figuratum rotunde excluſum! Secundum Aug. *Nemo portatur in manibus ſuis, Chriſtus ferebat corpus ſuum in manibus ſuis*, primum inſulſum eſt mendacium, ſi ſecundum in ſenſu figurato ſumit Auguſtinus, quilibet enim imaginem ſuam vel ſymbolum ſui poteſt portare in manibus ſuis.

244. XIV. S. Cyrillus Alexandrinus, qui circa a. 430. floruit, *lib. 4. in Joan.* verba Chriſti *niſi manducaveritis carnem filii hominis* cum verbis inſtitutionis Euchariſtiæ conjungens ita habet: *Quia Chriſtus per propriam carnem in nobis eſt, omnino reſurgemus. Incredibile enim eſt, imo vero impoſſibile, ut vita eos, in quibus fuerit, non vivificet.* En iterum argumentum pro ſtabilienda poſſibilitate reſurrectionis deſumptum ex eo (quemadmodum ſupra ex Irenæo vidimus), quod Chriſtus in Euchariſtia per *propriam* carnem nobis commiſceatur. O! cœcos Calviniſtas! Sed adhuc unum locum ex eodem ſanctiſſimo, & nominatiſſimo Patriarcha debemus adducere, ut conſpirationem veteris Eccleſiæ cum noſtra circa dogmata de tranſubſtantiatione & Miſſæ Sacrificio palpemus. Idem S. Pater in *anathematiſmi 11. contra Neſtorium declaratione* hæc habet: *Sanctum ac vivificum incruentumque in Eccleſiis ſacrificium peragimus: corpus, quod proponitur, ſimiliter & pretioſum ſanguinem, non communis, nobiſque ſimilis hominis cujuſpiam eſſe credentes, ſed potius tanquam proprium corpus effectum, & ſanguinem etiam Verbi, quod omnia vivificat, accipientes.* Ita ille cum concilio a ſe Alexandriæ habito. Quid luculentius pro utroque dogmate?

245. XV. S. Leo M. qui circa a. c. 440. floruit, in epiſt. 2. quam ad Clerum & plebem CP. ſcripſit, refertur que apud Coletum *tom. 4. Concil. pag. 815.* ita habet contra Eutichianos: *In quo hactenus deſidia torpore jacuere, ut nec auditu diſcerent, vel lectione cognoſcerent, quod in Eccleſia Dei in omnium ore tam conſonum eſt, ut nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis Chriſti inter communionis Sacramenta taceatur?* Eutichiani veritatem carnis in Chriſto poſt reſurrectionem negabant, eam a divinitate abſorptam aſſerentes: S. Leo ipſos refellit argumento ducto ab Euchariſtia, in qua veritatem corporis & ſanguinis Chriſti ſe recipere fideles plane infantes profitentur. En ora infantium, totamque Eccleſiam cum capite ſuo viſibili ſæculo quinto tranſſubſtantiationis contra pueium ducentorum annorum, Calvinianam dico Hæreſim, teſtes!

246. XVI. S. Gregorius M. qui ſæculo ſexto floruit, & initio ſeptimi obiit, *Homilia 14. in Evangelia* de Chriſto bono Paſtore *in cit. edit. tom. 3. pag. 35.* ita habet: *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis. Fecit, quod monuit, oſtendit, quod juſſit. Bonus Paſtor pro ovibus ſuis animam ſuam poſuit, ut in Sacramento noſtro corpus ſuum & ſanguinem verteret, & oves, quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret.* En doctrinam de tranſſubſtantiatione ſæculo ſexto adhuc inconcuſſam!

247. XVII. S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui ſæculo ſeptimo circa a. c. 630. floruit, *lib. 1. de officiis Eccleſiaſticis c. 15.* ita habet: *Hæc autem duo* (panis, & vinum) *ſunt viſibilia, ſanctificata tamen per Spiritum S.* (mediis verbis conſecrationis) *in ſacramentum divini corporis tranſeunt.*

248. XVIII. In Synodo Nicæna II. ſeu œcumenica VII. celebrata ſæculo VIII. ſeu a. c. 787. contra Iconomachos, actione VI. relata apud Col. *tom. 8. pag. 1042.* Epiphanius Diaconus Synodi pſeudo-ſeptimæ confutationem, a Synodo approbatam, & ejus nomine editam legens, hæc *pag. 1099.* habet: *Nullus enim aliquando tubarum Spiritus, Sanctorum videlicet Apoſtolorum, aut illuſtrium Patrum noſtrorum, incruentum ſacrificium noſtrum, quod in commemorationem Chriſti Dei noſtri, ac omnis diſpenſationis ejus efficitur, dixit* imaginem *Corporis ejus. Neque enim acceperunt a Domino ſic dicere & confiteri, ſed audiunt evangelice dicentem eum: Niſi manducaveritis carnem filii hominis &c. —— Et non dixit: accipite, & comedite* imaginem *corporis mei;* & poſt adductum textum Apoſtol. *1. ad Cor. 11. ergo liquido demonſtratum eſt, quod nuſquam Dominus, vel Apoſtoli, aut Patres* imaginem *dixerint Sacrificium incruentum, quod per Sacerdotem offertur,* ſed ipſum corpus, & ipſum ſanguinem. *Et ante ſanctificationis quidem conſummationem,* typos *hæc quidam quibuſdam SS. Patrum pie viſum eſt nominare; —— Poſt ſanctificationem autem, corpus* proprie *ac ſanguis Chriſti dicuntur, ſunt, & creduntur.* Sane ſi ſæculo octavo Eccleſia credidiſſet, ac docuiſſet Euchariſtiam eſſe figuram duntaxat corporis Chriſti, non ita abhorruiſſent Patres hujus Concilii a nomine *imaginis* eidem tribuendo, quod Iconomachi illi ſoli, cæteris iconibus rejectis, tribuerunt, etſi cæteroquin realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam non negarent, ut videre eſt apud Nat. Alex. *Sæculo VIII. diſſert. 4.* pag.

pag. 748. imo vero familiare fuiſſet hoc nomen Catholicis omnibus: & ſi Euchariſtiam *figuram* credidiſſent, ſola virtute, & efficacia corporis & ſanguinis Chriſti plenam, ac fœcundam, non vero ipſam corporis, & ſanguinis Chriſti ſubſtantiam continentem, hoc argumento ad hominem non impugnaſſent Iconomachos: *Si imago corporis eſt, non poteſt eſſe hoc divinum corpus*. En igitur Patres, & Concilia primorum octo ſæculorum teſtes noſtræ veritatis, donec nono ſæculo novum iſtud (ſcilicet) & horrendum transſubſtantiationis dogma, ut ajunt novatores, in Eccleſiam induceretur. Eo in hoc Concillo conſignatum Chriſti, Apoſtolorum, & omnium præcedentium, quos adduximus, Patrum circa verba inſtitutionis Euchariſtiæ ſenſum. Nunc ad conſenſum Græcæ, aliarumque Eccleſiarum cum Eccleſia Romana, circa hoc auguſtiſſimum Sacramentum, procedamus.

249. Et primo Eccleſia Græca, quamvis cæteroquin a Latina diro Schiſmate ſejuncta, in transſubſtantiationis tamen dogmate tam arcte illi jungitur, ut communi odio contraria dogmata execretur. Hujus rei teſtis eſt Jeremias Patriarcha CP. *In cenſura confeſſionis Auguſtanæ*, ubi ita habet: *Statuit Eccleſia Catholica, quod conſecratione facta, Panis mutatur in ipſum Corpus Chriſti, & vinum in ipſum ſanguinem, panis videlicet fermentatus, non infermentatus*. Hæc ille. Qui poſtea Novatoribus noſtri temporis objicit, quod circa hunc articulum corruperint ſcripturas, ſint homines incurabiles, qui conſtantes Eccleſiæ Traditiones rejecerint. Teſtis eſt Synodus Leucoſienſis, quæ alta voce proteſtatur J. C. eſſe adorandum in Euchariſtia, & hanc eſſe fidem quatuor Patriarcharum, CP. Alexandrini, Antiocheni, Jeroſolymitani, hoc credere Moſchovitas, Bulgariam, Serviam, Myſiam ſuperiorem, & inferiorem, Arabes, & Ægyptios cum Græcis unitos.

250. II. Aliæ ſectæ Orientis a Latina, & Catholica Eccleſia a primis ſæculis ſeparatæ, nihilominus in hoc dogmate conſpirant. Teſtis eſt Patriarcha Jacobitarum, qui in inſtrumento authentico contra noſtros Sectatorios ita profitetur: *Nos adoramus cultu Latriæ J. C. in Euchariſtia abſconditum*. Teſtis eſt Patriarcha Neſtorianorum, qui contra eoſdem eandem profeſſionem fidei emiſit, in qua hæc formalia habentur: *Firmiter credimus, quod per verba J. C. quæ Sacerdos pronuntiat, authoritate de cælo accepta, ſubſtantia panis convertitur in corpus D. N. J. C. & ſubſtantia vini in ejus ſanguinem pretioſum, ut nil remaneat de pane & vino præter accidentia unius & alterius*. De quibus omnibus videatur doctiſſimus le Brun tom. 3. pag. 428. & ſeqq. Idem ſentiunt Chriſtiani Indiæ, qui S. Thomæ vocantur, in ſua Liturgia. Idem Cophti, & Æthiopes, ut conſtat ex Damiano Goez in Fragmentis Liturgiæ Cophticæ ab eo relatis.

251. Jam ſi hæc, quæ in rem noſtram allata ſunt, aliquis ſui potens, & a præjudiciis liber expendat, poteritne cum Novatoribus ſentire dogma *transſubſtantiationis* eſſe novum, ſæculo IX. a Paſchaſio Radberto inventum, & a Romanis Pontificibus in Eccleſiam invectum? Hem dic ſodes! ſi veritas, & ex illa dependens tua ſalus, tibi cordi eſt, dic quæſo, qui fieri potuit, ut Eccleſia Græca, aliæque ſectæ tam diro, tamque antiquo ſchiſmate ſejunctæ ab Eccleſia Romana, in *transſubſtantiationis* dogmate cum illa ſint adeo unanimes uſque in præſentem diem, ſi Patres citati, & cum illis Eccleſia per omnia Chriſtianæ æræ ſæcula idem non ſenſit, & hanc fidem de generatione in generationem non propagavit? Si enim Patrum Traditio cauſa eſt, cur Græca Eccleſia in materiis rituum tam in miſſa, quam in adminiſtratione Sacramentorum adeo diverſa eſt a Romana, cur eadem traditio cauſa non eſt, quod ſuper præſenti dogmate tam arcte conveniant? Dic quomodo *transſubſtantiationis* error, ut dicis, tam inadvertenter, tamque quiete in Romanam, Græcam, aliaſque Orientis Eccleſias irrepſit, ut nulla non tantum ab illo non manſerit immunis, ſed nec una quidem contra eundem muſſitaverit? Dic quomodo propoſitiones Cyrilli utriuſque ſupra citatæ, & multæ aliæ, quas brevitatis cauſa omiſimus, cenſuram Conciliorum CP. primi, Epheſini, & Chalcedonenſis effugerint, cum uterque tam aperte *transſubſtantiationis* dogma profiteatur, ut nullus ambigendi remaneat locus, & anathematiſmi Cyrilli Alexandrini, ex quorum explicatione a Cyrillo facta locum illum retulimus, adeo illa tempeſtate exagitati fuerint? fierine potuit, ut Epheſinos & Chalcedonenſes Patres doctrina illa fugiſſet, ſi cum Calvino ſenſiſſent? dic ulterius, quomodo ſynodus ſeptima negaverit Euchariſtiam eſſe typum, ſeu imaginem Chriſti, & Baſilium, alioſque Patres, illam typum dicentes, explicaverit: eos illam ita vocaſſe ante conſecrationem, ſi in *transſubſtantiationis* dogma non conſenſit? Dic tandem, ſi hoc dogma ſæculo IX. in Eccleſiam Latinam irrepſit, cur ſæculo XI. Michael Cærularius Græci Schiſmatis cum Eccleſia Romana inſtaurator, qui Berengarii contrarium ſentientis toties factam condemnationem ignorare non potuit, eidem crimen idololatricum non objecerit? Eodem ergo invicto fundamento, quo Patres Nicæni ſuo ſymbolo addiderunt vocem *homouſion*, Patres Lateranenſes fidei ſuæ *transſubſtantiationis* vocem inſeruerunt.

Proteſtantium momenta exploduntur.

252. Calviniani Miniſtri Albertinus, Claudius, la Roque, & Blondellus, tot teſtibus de perpetua Eccleſiæ fide circa transſubſtantiationis dogma obruti, & utriuſque Eccleſiæ conſenſu circa eundem articulum exagitati, videntes rem hocce argumento decretorie agi, cum conſenſum Eccleſiarum negare non poſſent, incredibili labore niſi ſunt Patres in ſuam partem trahere, ut hoc præſtito utramque Eccleſiam erroris liberius accuſarent. In hunc finem bifariam proceſſerunt, & primo allatos a Catholicis textus explicare, & in ſuum ſenſum trahere conati ſunt. Secundo loca ex ipſis Patribus ſenſui figurato ſpecie tenus faventia Catholicis objecerunt. Quam feliciter autem hoc poſterius præſtiterint, jam videbimus, ſuccincte tamen, cum utrumque luculentiſſime jam copioſerint doctiſſimi Arnaldus, Bellarminus, Perronius, Cœſtellus, Natalis Alexander, & alii Polemici Catholici. Itaque

253. I. Valde jactant illum locum Tertulliani, qui ſæculo ſecundo floruit, & l. 4. *contra Marcionem c.* 40. ita ſcribit: *Acceptum Panem, & diſtributum Diſcipulis, corpus illum ſuum fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt*, figura *corporis mei*.

254. Reſp. noſtri, Tertullianum hoc loco ita intelligendum eſſe, ut verba illa, id eſt, *figura corporis mei* non ad prædicatum, quod eſt *corpus*; ſed ad ſubjectum, quod eſt pronomen *hoc* referantur, quod quidem panis demonſtrativum eſt, non manentis, ſed in ſubſtantiam Chriſti corporis tranſeuntis, unde hæc verba: *Hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei*, per hyperbaton a Tertulliano dicta eſſe recte contenduut, cum novum non ſit apud hunc Patrem inveniri hyperbata, ut cum *libro contra Praxeam cap.* 29. ait: *Chriſtus mortuus eſt, id eſt unctus*, ubi pariter ly *unctus* non refertur ad prædicatum, ſed ad ſubjectum; ſed omnes eruditi etiam heterodoxi

nova-

noverunt Tertullianum hyperbatie abundare. Hunc autem, quem explicavimus, eſſe Tertulliani l. cit. ſenſum, demonſtrat ejus ſcopus, nam ibi convincere intendit Marcionitas, aſſerentes legem a malo Deo datam; ad hoc autem veniſſe Chriſtum, boni Dei filium, ut ipſam penitus abrogaret. Quamobrem contra ipſos probat Tertullianus, Chriſtum non veniſſe, ut legem ſolveret, ſed ut adimpleret, umbram transferendo in corpus, & figuram in veritatem. Id ex eo maxime probat, quod Chriſtus in novo teſtamento id ſuum effecit corpus, quod in veteri teſtamento erat figura corporis ſui: *acceptum panem, & diſtributum, corpus ſuum fecit dicendo; hoc eſt corpus meum, id eſt figura corporis mei*. Quaſi diceret: hoc, id eſt hic panis, qui ſecundum vetus teſtamentum eſt figura corporis mei, eſt jam corpus meum.

255. Quamvis & alio ſenſu non minus naturali, & commodo laudata verba Tertulliani exponi poſſint; ut ſcilicet Sacramentum Eucbariſtiæ inadæquate ſpectatum, ſecundum externam ſui ſpeciem; non adæquate, ſecundum id, quod in eo internum eſt, præcipuum & inviſibile, figuram corporis Chriſti vocaverit, non inanem & vacuam, ſed plenam. Quod conſtat tum ex ejus libro *de reſurrectione carnis*, ubi habet, *caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur*; tum aliis ex locis, quos controverſiſtæ noſtri referunt, in quibus tranſubſtantiationis dogma aperte profitetur.

256. Inſtant. Idem Tertullianus *l. 2. contra Marcionem c.* 14. ſcripſit de Chriſto: *Pane ipſum corpus ſuum repræſentat*; ergo ſentit panem Eucbariſticum eſſe meram, & inanem figuram corporis Chriſti.

Reſp. in Verbo *repræſentare* latere æquivocationem: idem enim eſt, ac rem aliquam præſentem facere, ſive reipſa, ſive in ſigno tantum ſit præſens. Unde oramus in Miſſa pro defunctis, ut *Archangelus Michael* repræſentet *animas in lucem ſanctam*: id eſt, ut Deo ſiſtat, & reipſa præſentes exhibeat. Et iterum Mimus repræſentat v. g. Julium Cæſarem in poſteriori ſenſu. Cum ergo Tertullianus verbum *repræſentare* in priori ſenſu ſæpe uſurpaverit, uti *l. de oratione cap.* 5. ubi ait: *regni dominici repræſentationem poſtulare*; id eſt *adventum & præſentiam* regni cœleſtis; & alibi ſæpe, cur eum hoc loco idem verbum in eodem ſenſu accepiſſe dubitabimus, cum alibi realem Chriſti præſentiam aperte aſſerat?

257. II. Objiciunt quædam loca ex Origene, qui circa a. c. 226. floruit, quorum primum, & celeberrimum occurrit *tom.* 2. *in Math. pag.* 253. Huetianæ editionis, in quo ſequentes tres propoſitiones contineri ajunt, quæ reali præſentiæ corporis Chriſti, & tranſubſtantiationis fidem vehementer pulſant. Primo: quod neque abſtinendo ab hoc pane, aliquo bono fraudamur, nec eundem comedendo aliquo bono augemur. Secundo, quod panis conſecratus, ſecundum quod materia conſtat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur, vulgarium inſtar ciborum. Tertio, quod panis ille typicum, & ſymbolicum Chriſti corpus eſt.

258. Reſp. Concedendo has tres propoſitiones in amplo Origenis textu l. cit. haberi: ſed nego illas cauſam ſacramentariorum quidquam juvare. Primæ enim propoſitionis ſenſus eſt, corpus Chriſti non ex ſe ſolum, & ſimpliciter edenti ſanctitatem conferre, ſed ſi a ſuſcipiente certa fides, & purus animus adhibeatur. *Qui enim indigne manducat, judicium ſibi manducat*. Similiter homo hoc abſtinens Sacramento, quia ſibi nondum ſatis probatus, vel alicujus noxæ lethalis ſibi conſcius eſt, bono aliquo non privatur, imo magnum in ſe arceſſeret malum, ſi eo in ſtatu poſitus ſumeret corpus Chriſti. Secundæ propoſitionis ſenſus eſt, accidentia, quæ ex materia panis ſuperſunt, & ipſius ſunt propria, corrupta a ſtomacho, in ſeceſſum abire; orationem vero ſuper panem prolatam, id eſt myſtica verba, quibus panis conſecratur, illum comedentibus utilem efficere, tranſmutando utique illud in Corpus Chriſti. Tertiæ denique propoſitionis ſenſus eſt, Corpus Chriſti in Euchariſtia typo & ſpecie panis eſſe involutum, non vero nudum; & propterea typicum, & ſymbolicum ab Origene appellatur, quod ſub ſpecie & ſymbolo panis deliteſcat. Vel Eucbariſticum panem vocat corpus typicum, & ſymbolicum, non quod corporis abſentis ſit typus & ſymbolum, ut Heterodoxi contendunt: ſed quia, cum re ipſa ſit Corpus Chriſti, aliarum rerum typus & ſymbolum eſt, puta ſui ipſius extra Sacramentum, ut fuit olim in cruce, & nunc eſt in cœlo: vel reſurrectionis noſtræ; vel myſtici corporis, quod eſt Eccleſia. Vel denique panis & vinum ante conſecrationem eſt typus Corporis Chriſti poſt conſecrationem, vel ſpecies ipſæ conſecratæ ſunt typus & figura illius non vacua, ſed plena; quæ etiam tum a Patribus, tum a nobis Panis & Vinum vocantur, eo quod horum ſimilitudinem ſenſibus exhibeant. Et hæc eſt clavis, qua omnes Heterodoxorum ſecretiſſima latibula aperiuntur, cum enim mirabile hoc Sacramentum, præter realem Chriſti præſentiam, hæc omnia exhibeat, non mirum eſt, quod illud Patres in ſuis ad plebem ſermonibus ſæpe typum, figuram, panem appellent in ſenſu Allegorico, cæteroquin tranſſubſtantiationis dogma, dum in ſenſu literali loquuntur, ſuſtinentes, quemadmodum vidimus. Et præcipue Origenes, ſicut in omnibus ſuis operibus, ita & hic in ſenſu Allegorico abundans, in aliis locis, quos nobis ex ipſo præterea objiciunt Hæretici, præfato modo explicandus eſt. Cum & ipſe, dum literaliter loquitur, tranſſubſtantiationis dogma aperte confiteatur. Uti *in Homilia* 13. *in Exod.* ubi Auditores ad retinendum corde verbum Dei adhortatur his verbis: *Volo vos admonere religionis veſtræ exemplis. Noſtis, qui divinis Myſteriis intereſſe conſuevistis, quomodo cum ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſervatis, ne ex eo parum quid decidat, ne conſecrati muneris aliquid dilabatur*. Et *homil.* 7. *in Numeros*: ubi in veteri lege figuras tantum, & ænigmata præceſſiſſe earum rerum, quarum ſpecie, & veritate in lege nova fruimur, monſtrare volens, ait: *Nunc in ſpecie Petra Chriſtus eſt: nunc enim ore ad os loquitur per legem Deus. Antea in ænigmate fuit baptiſmus in nube & in mari: nunc autem in ſpecie regeneratio eſt in aqua & Spiritu S. tunc in ænigmate erat manna cibus: nunc autem in ſpecie caro verbi Dei eſt verus cibus, ſicut & ipſe dicit: caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus eſt potus*. En ſecundum Origenem literaliter loquentem, in nova lege *in ſpecie ſeu in veritate* Petram Chriſtum, in ſpecie, ſeu in veritate regenerationem, in ſpecie ſeu in veritate *carnem* verbi Dei verum cibum! Et hæc ad illa, quæ nobis Heterodoxi ex duobus Patribus antiquiſſimis quidem, ſed in fide lapſis vel ſaltem ſuſpectis objiciunt. Nunc quæ ex Catholicis obtrudunt ordine Chronologico recenſeamus.

259. III. Igitur objiciunt: Juſtinum l. cit. deſcripta conſecratione dicere, *Diaconos præſenti populo diſtribuere Panem, & Vinum, & Aquam*; ergo cenſet Panem, & Vinum, & Aquam, licet conſecrata, in priori ſubſtantia manere.

Reſp. Ex clavi N. 258. aſſignata, ſanctum Juſtinum panem & Vinum appellare, quod externa ſpe-

ſpecie panis & vinum eſt. Modo enim loquendi utitur hominibus ſolemni, qui populares locutiones uſurpant, cum ſermonem habent de rebus ſubjectis, licet de illis longe aliter ſentiant quam vulgus. Aliter autem Juſtinum de Euchariſtia ſenſiſſe ſupra N. 233. vidimus. Nec mirum, ipſum ita locutum fuiſſe, cum Paſchaſius, quem inventorem transſubſtantiationis garriunt Novatores, de Euchariſtia ſcribat: *Myſterium hoc in pane celebratur ---- in eadem ſubſtantia --- caro vel corpus in pane*; & Eccleſia cum S. Th. de facto canat: *Panis Angelicus fit panis hominum &c.* quia nempe Euchariſtia ex pane confecta eſt; quemadmodum Deus dixit Adamo, *Terra es*, quoniam ex terra eum fecerat.

260. Nec obeſt primo, quod S. Juſtinus l. cit. dicat: *Non ut communem panem, aut communem potum hæc ſumimus*; nam licet hæc verba, ſi per ſe & ſeorſim ſpectentur, non probent in Euchariſtia Panis & Vini ſubſtantiam non remanere, ſicut verba Nyſſeni de Chriſti Bapt. *Ne contemnas divinum lavacrum, neque ut commune parvifacias*, non probant aquam in Baptiſmo transſubſtantiari; id tamen probant hæc verba, prout ab adjunctis l. cit. determinata; dum ita pergit: *Sed quemadmodum Verbum caro factum eſt, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, --- incarnati illius Jeſu carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Utique ab Apoſtolis, & eorum immediatis ſucceſſoribus, cum vixerit circa medium ſæculi III.

261. Nec obeſt ſecundo, quod ibidem intrepidus Apologiſta interponat *ex qua* (Euchariſtia) *ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur*; quod de corpore Chriſti intelligi nequit, cum nec ipſo ſe ipſo mutatur, nec carnes noſtras alendo mutet. Nam imprimis hæc verba referri poſſunt ad ſpecies Sacramentales, quæ vim nutriendi ſervant. Secundo etiam ad ipſum corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus contentum, ut carnes noſtras per immutationem ad gloriam & immortalitatem alere intelligantur, cujus ſemen Euchariſtia eſt. Adde, textum ipſum Græcum ſacræ illius eſcæ in carnem, & ſanguinem noſtrum mutationem non innuere, ſed noſtri mutationem in homines alteros, ſic enim ſonat ad verbum latine redditus: *Ex quibus ſanguis & carnes ſecundum mutationem aluntur noſtri.*

262. IV. Objiciunt Irenæum citatis locis aſſerere: *Carnem noſtram corpore & ſanguine nutriri, ex iis augeri, & ſubſiſtere carnis noſtræ ſubſtantiam, ex ſanguine Chriſti noſtrum augeri ſanguinem*, quæ omnia non cohærent cum transſubſtantiationis dogmate.

Reſp. ex clavi N. 250. aſſignata iiſdam verbis, quibus reſponſum eſt ad locum ex Juſtino adductum N. præced.

263. V. Objiciunt S. Cyprianum in *Ep. 62. ad Cæcilium*, ex qua Catholici arma delumunt, ſequentia ſcribere: *Cum dicat Chriſtus, ego ſum vitis vera, ſanguis Chriſti non aqua eſt utique ſed vinum.* Item: *Vino Chriſti ſanguis oſtenditur.* Item: *Chriſtus obtulit hoc idem, quod Melchiſedech obtulerat, id eſt Panem & Vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem.* Quod falſum eſſet, ſi Chriſtus non obtuliſſet Panem & Vinum merum; non enim obtuliſſet id, quod Melchiſedech obtulerat.

264. Reſp. ad hujus male conſuti centonis membrum primum, S. Cyprianum illinc aſſerere non aquam, ſed vinum de vite eſſe materiam Sacramenti Euchariſtiæ. Ad ſecundum Reſp. eundem ibi velle vino, id eſt, ſpeciebus, quæ nomen illud retinent, ut & qualitates omnes, oſtendi ſanguinem Chriſti, non abſentem, ſed præſentem. Ad tertium denique dico, Chriſtum idem obtuliſſe, quod Melchiſedech, ſi materia ſacrificii, ſcilicet Panis & Vinum, & ſpecies utriuſque etiam poſt Conſecrationem remanentes ſpectentur; ſed Panem & Vinum ad alium uſum adhibuiſſe, quia illa corpus & ſanguinem ſuum fecit, quorum Sacrificium ab oblatione Melchiſedechi differt ceu veritas a figura, ut ait S. Hieronymus in c. 26. *Matthæi in cit. edit. tom. 4 pag.* 128. *ut quomodo in præfiguratione ejus Melchiſedech ſummi Dei Sacerdos Panem & Vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret*; id eſt præſentem faceret.

265. Prætereo alia duo loca ex eadem epiſtola nobis objici ſolita, in quorum primo dicit: *In aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti.* In ſecundo vero probat, ideo non ſolam farinam, vel ſolam aquam poſſe eſſe corpus Domini, ſed utraque mixta, ut in Chriſto unum ſciamus eſſe corpus, cui conjunctus ſit noſter numerus. Nam in primo loco loquitur de populo & de ſanguine Chriſti quantum ad eſſe ſignificatum per aquam & vinum Dominici calicis; ſed non quantum ad eſſe contentum in calice Dominico, ait enim bibi ſanguinem Domini, non ait bibi populum. In ſecundo vero deſignat materiam corporis Chriſti, & relationem, quæ inter ipſam & corpus Domini, nec non populum Chriſtianum intercedit. Ex quo non ſequitur manere in Euchariſtia ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem, ſatis enim eſt, ut maneant ſpecies panis & vini, ſenſuſque afficiant; ut mens analogiam utriuſque ad corpus & ſanguinem Chriſti tum naturale, tum myſticum cognoſcat. Cum & nos, qui transſubſtantiationis dogma certe propugnamus, Cypriani verbis populo myſticum hunc Euchariſtiæ ſenſum explicemus.

266. VI. Objiciunt locum Euſebii *lib. 3. de Eccleſiaſtica Theologia adverſus Marcellum Ancyranum c. 12.* ubi explicans verba Chriſti Jo. 6. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam*, ait: Chriſtum docuiſſe illos ſpiritualiter intelligere, quæ de carne ſua & ſanguine dixerat: *Nolite putare*, inquiens, *carnem me dicere, quam circumfero, quaſi illam edere oporteat: nec exiſtimate me præcipere ſenſibilem & corporalem ſanguinem bibere.*

267. Reſp. Euſebium manducationem carnis Chriſti ſecundum vulgarem ſenſus verbi hujus *manducare* acceptionem dumtaxat negare, quatenus ſcilicet manducari dicitur, quod teritur ac dividitur dentibus, palato guſtatur, faucibus trajicitur in ſtomachum atque digeritur; non vero ſacramentalem veri corporis Chriſti, ſed ſublimiori prorſus modo; hanc enim cum tota Eccleſia ſæculo quarto profeſſum eſſe conſtat tum *ex lib. 6. hiſt. Eccl. cap.* 43. Valeſianæ verſionis, in quo etiam tangit illam tunc ubique communicantium vigentem conſuetudinem, ut Sacerdos porrigens Euchariſtiam diceret *Corpus Chriſti*, & communicans reſponderet amen; hoc eſt, *verum eſt*; tum ex loco ejuſdem relato a S. Joanne Damaſc. *lib. 3. Parallelorum* c. 45. *edit. Pariſ. de a.* 1603. *fol.* 124. *col.* 2. ubi inquit: *Multi peccatores cum Presbyteri ſint, ſacris operantur, nec Deus eos averſatur; verum per Spiritum S. propoſita dona conſecrat. Ac panis quidem pretioſum Domini corpus efficitur, poculum autem pretioſus Domini ſanguis.* Ubi non obiter advertas Miſſæ Sacrificium tempore Euſebii in pleno vigore fuiſſe. Imo etiam ſæculo tertio, nam dum S. Cyprianus *in cit. ad Cæcilium ep.* quædam miracula circa Euchariſtiam narrat, bis, dicit, *mihi ſacrificanti* ea contigere.

268. VII. Hic objicienda & ſolvenda ordine Chronologico eſſent ea loca Cyrilli Jeroſolymitani, quæ conglomerat inſolentiſſimus Calviniſta Rivetus. Sed cum nemo fere ex Patribus dogma transſubſtantiationis afferat apertius, quam hic Cyrillus, qui propterea ab omnibus fere Proteſtantibus calumniatur, cumque arguriolæ Riveti & nimis inſolſæ, ac vaſtæ ſint, eas hic prætermitto, eo quod omnes ex clavi N. 258. aſſigna-

ta ſolvi poſſint. Videri nihilominus poteſt Natal. Alexand. ſæc. 4. c. 6. §. 11. a N. 9.

269. VIII. Ergo objiciunt celebrem locum Baſilii M. deſumptum ex ejus Liturgia: ubi Euchariſtiam vocat *Antitypon, ſeu figuram & typum Corporis Chriſti*.

Reſp. S. Baſilium & alios Patres vocare Euchariſtiam Antitypon corporis Chriſti, ſpectando tempus conſecrationem præcedens, & illa verba referendo ad ſtatum donorum in Protheſi. Ita enim habet S. Baſilius: *Confidentes S. Altari tuo appropinquamus, & propoſitis S. corporis & ſanguinis Chriſti tui antitypis te rogamus &c.* Hæc expoſitio eſt S. Damaſceni *lib. 4. orthodoxæ fidei c. 14. in cit. edit. fol.* 179. *col.* 2. ubi ita habet: *Quod ſi nonnulli panem, & vinum corporis, & ſanguinis Domini figuram eſſe dixerant, ſed antequam oblatio ea conſecraretur, hoc vocabulum uſurpaverunt.* Ita etiam S. Baſilium exponit Epiphanius Diaconus approbante ſynodo ſeptima generali, cujus verba N. 248. retulimus; habemus ergo mentem Baſilii, & aliorum Patrum in œcumenico concilio declaratam.

Quanquam Patres, etſi Euchariſtiam poſt conſecrationem typum ſimpliciter, vel typum corporis Chriſti vocarent, veriſſime ſecundum clavim ſupra datam explicarentur vel de ſpeciebus Euchariſticis, vel de ipſo corpore Chriſti, quod eſt typus futuræ gloriæ. Nam teſte Damaſceno l. cit. *Antitypa futurorum dicimus, non quod non ſint vere corpus & ſanguis, ſed quia per ipſa divinitatis Chriſti nunc ſumus conſortes: tunc autem intellectuali ratione per ſolam viſionem percipiemus.*

270. IX. Exultabundi jactant locum S. Chryſoſtomi ex *Ep. ad Cæſarium Monachum contra Apollinarem*, ubi ita habet: *Et Deus homo eſt Chriſtus, Deus propter impaſſibilitatem, homo propter paſſionem, unus Filius, unus Dominus, unitarum naturarum unam Dominationem, unam Poteſtatem poſſidens, etiamſi non conſubſtantialiter exiſtant; & unaquæque incommixte proprietatis conſervat agnitionem propter hoc, quod inconfuſa ſint duo. Sicut enim antequam ſanctificetur Panis, Panem nominamus, divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote liberatus eſt quidem ab appellatione Panis, dignus autem habitus eſt dominici corporis appellatione, etſi natura Panis in ipſo permanſit, & non duo corpora, ſed unum Filii corpus prædicatur: ſic & hic divina inſidente corpori natura, unum Filium, unam perſonam utraque hoc fecerunt.*

271. Reſp. Cujuſcunque ſit hæc Epiſtola, cum inter eruditos non conveniat eam eſſe Chryſoſtomi, Auctorem, quando ſit, *Natura Panis in ipſo permanſit*, per naturam non intelligere ſubſtantiam, ſed proprietates, naturæ nomine ſæpiſſime deſignatas. Agit nempe contra Apollinariſtas, qui naturam humanam Chriſti ſuas omnes proprietates amiſiſſe, nec amplius eſſe viſibilem, palpabilem, ac circumſcriptam delirabant, nec ſpeciem ſuam conſervare, nec in divinam naturam fuiſſe transmutatam. Chriſtum itaque adhuc eſſe viſibilem, palpabilem, ac circumſcriptum, & cæteras humani corporis proprietates ſervare contendebat. Quod ut probaret, exemplum adhibuit Euchariſtiæ, in qua ſymbola poſt conſecrationem videri, & palpari poſſunt, ſicut prius, aliaſque panis, ac vini proprietates ſervant, quæ proprietatum collectio naturæ nomine a veteribus ſignificatur.

Quod autem eandem naturam individuam panis poſt conſecrationem ſupereſſe S. Chryſoſtomus, vel quiſquis eſt laudatæ epiſtolæ auctor, non ſenſerit, conſtat ex eo, quod ait: *Et non duo corpora, ſed unum Filii corpus prædicatur*; id eſt, panis conſecratus, & naturale corpus Chriſti unum, & idem corpus eſt. Quod alia ratione verum eſſe non poteſt, niſi quia panis transmutatus eſt in Corpus Chriſti, ut multis in locis docet S. Chryſoſtomus. *Quemadmodum autem calumniantium hæreticarum eſt ex dubiis & obſcuris, quæ certa, & manifeſta ſunt, male interpretari; ita ſolitum prudentiæ, ac veritatis Catholicæ, ex indubitatis, atque evidentibus ambigua, & latentia declarare.* Aureum eſt effatum *Facundi lib. 9.* Aſpiciant Heterodoxi Pavones non ſuos pedes, ſed præter alia loca Chryſoſtomi illum, in quo geſtit ejus optat videre in Euchariſtia Chriſti calceamenta, & cauda in rotam turgeſcens ſua ſponte defluet. Sic enim *hom. 60. ad popul. Antioch.* eundem inducit loquentem: *vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta?* cui reſpondet: *ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas.* Legant & Græcorum confeſſionem in Concilio Florentino de tranſubſtantiatione editam, quæ habetur apud Coletum *tom.* 18. *pag.* 539. & ambæ ipſis aures tinnient. Sic autem profitentur: *& quoniam ab omnibus ſanctis Doctoribus Eccleſiæ, præſertim ab illo* Beatiſſimo Joanne Chryſoſtomo, *qui nobis notiſſimus eſt, audivimus verba Dominica eſſe illa, quæ mutant, & transſubſtantiant Panem, & Vinum in Corpus Chriſti & Sanguinem, & quod illa verba divina Salvatoris omnem virtutem transſubſtantiationis habent; nos ipſum Sanctiſſimum Doctorem, & illius ſententiam ſequimur de neceſſitate, de hoc quæſtione breviter diximus & ſufficienter, & veſtram beatitudinem de noſtra intentione certam reddimus. Arnoldus Noturius.* His verbis calumniam, quaſi de Euchariſtia aliter ſentirent, propulſarunt Græci, En citharam Proteſtantium in luctum verſam.

272. X. Objiciunt S. Ambroſium *l. 4. de Sacramentis c.* 4. ita ſcribentem: *Si tanta vis in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quanto magis operatorius eſt*, ut ſint quæ erant, *& in aliud commutentur?* non autem intelligit panem remanere quod erat juxta qualitatem, videlicet panem ſimplicem & communem; intelligit ergo remanere juxta ſubſtantiam.

273. Reſp. I. Lanfrancum, cui idem argumentum a Berengario fuerat objectum, monere, in quibuſdam codicibus laudatam S. Ambroſii ſententiam aliis verbis ſic legi: *Si igitur tanta vis in ſermone Domini Jeſu, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quanto magis operatorius eſt*, ut quæ erant, *in aliud commutentur?* quæ ſententia, hoc modo lecta, ſimilis eſt illi, quæ legitur c. 9. *lib. de his, qui myſteriis initiantur, in cit. edit. tom.* 4. *pag.* 350. & ita ſonat: *Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare, quod non erant?* quo ſicut & priori, ſi ita ſonat, ſenſus figuratus prorſus eliminatur.

274. Reſp. II. cum eodem Lanfranco *lib. de corpore, & ſanguine Domini* c. 9. Teſtari quidem Ambroſium, *eſſe in Euchariſtia ſecundum viſibilem ſpeciem, quæ erant, commutari autem ſecundum interiorem eſſentiam in naturam, quæ antea non erant.* Et quæſo te cæce prorſus, atque obſtinatiſſime adverſarie! cur Eccleſiæ Doctor citato loco creationem totius univerſi in genere, & cœli ac terræ, marium, & fluminum in ſpecie adduxit, ut probet Deum potuiſſe conſtituere panem *figuram* corporis ſui, ſi tremendum transſubſtantiationis dogma nobiſcum non propugnavit? cum quælibet pincerna poſſit conſtituere ramos aliquos arboris ſignum venalis vini.

275. Nihilominus inſtat Albertinus Calviniſta, Ambroſium, ut illuſtraret, quod dixerat, nempe ly *ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur*, adducere exemplum mutationis accidentalis, nempe mutationem hominis e veteri in novam creaturam; ergo manifeſte ſenſit, in Euchariſtia poſt verba conſecrationis tantum fieri mutationem

ac-

accidentalem panis communis in figuram corporis Chriſti.

276. Sed jam tædet reſpondere: ſolvat novator prius illa, quæ mox adduximus, quæque mentem Ambroſii circa Euchariſtiam clate patefaciunt. Ut Angelus B. M. V. perſuaderet, fieri poſſe, ut ſine viri complexu Deum Hominem conciperet, paritatem adhibuit de ſterili fœcundata, a minori ad majus certe argumentatus. Ut Ambroſius poſſibilitatem tranſſubſtantiationis monſtraret, exemplo baptiſmi etiam uſus eſt, exemplis creationis ex nihilo non prætermiſſis. Quare catenam aliarum replicarum ejuſdem Albertini ex eodem Ambroſio prætereo, quæ partim ex jam dictis, partim ex clavi N. 258. aſſignata nullo negotio ſolvuntur. Cum lacrymas enormis ejus ad ſe & alios perdendos labor mereatur potius, quam refutationem.

277. XI. Objiciunt teſtimonium S. Hieronymi in *ep. ad Hedibiam*, in qua reſpondens ad quæſtionem ab ea propoſitam, quid ſibi vellent hæc Domini verba: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, quo bibam illud novum vobiſcum in regno Patris mei;* nis: *Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam ſtruunt, in quibus Chriſtum regnaturum corporaliter eſſe contendunt, & bibiturum vinum, quod ex illo tempore uſque ad conſummationem mundi non biberit &c.* Ex quo ſic argumentatur Albertinus. Patres millenarii, Papias, Irenæus, Tertullianus, Juſtinus Martyr, & alii non parvi nominis contendebant Chriſtum tempore millenarii de novo bibiturum de eodem genimine vitis, de quo in Euchariſtiæ communione biberat; ſed non autumabant illum hoc tempore bibiturum proprium ſanguinem; ergo neque in Euchariſtiæ communione eumdem potavit. Et ſubdit Thraſo: *modus hic gerdie ſtrictior*.

278. Reſp. Nodum hunc Gordium Albertini putidum eſſe ſophiſma, fundatum in arena æquivocationis hujus nominis *genimen vitis* ſeu *vinum*. Cum enim de Euchariſtia loquebantur Patres memorati, genimen vitis pro *apparenti* uſurpabant, ſiquidem erant de tranſmutatione vini in Chriſti ſanguinem plane perſuaſi, ut patet ex aliquorum adductis textibus; cum vero de vino loquebantur, quod in regno millenario bibiturus erat Chriſtus, genimen vitis ſumebant pro vino *proprie* dicto. Nec enim magis repugnat, ut in eadem ſententia Domini genimen vitis pro vino apparenti in priori parte ſit acceptum a Patribus nominatis, in altera vero pro vino proprie dicto; quam ut a Chriſto ipſo ſit acceptum in priori parte allati textus pro vino *reali*, in poſteriori pro metaphorico, id eſt, pro *torrente voluptatis*, quo beati inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Quam interpretationem, quæ Maldonati, & Janſenii eſt, probat Albertinus. Quod vero S. Hieronymus ſenſerit vinum Euchariſticum eſſe ipſum ſanguinem Chriſti, probant ſequentia ipſius verba in ep. laudata, *quaſt. 2. cit. edit. tom. 4. pag.* 171. ex qua deſumpta eſt objectio: *nos autem*, inquit, *audiamus Panem, quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini Salvatoris —— & vinum, quod Diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt novi teſtamenti &c.*

279. Inſtant Novatores objiciendo aliqua loca ex eodem S. Patre, in quibus docet, impios, infideles, & hæreticos non manducare corpus Chriſti, nec ejus ſanguinem bibere, uti conſtat ex ejus *Comment. in c. 66. Iſaiæ & c. 22. Jeremiæ, & in Oſeæ cap.* 8. ergo evidenter ſequitur, eum nullo modo cenſuiſſe corpus, & ſanguinem Domini ſub accidentibus panis & vini in Euchariſtia latere: nam ſi ita foret, impii & infideles illa comederent, & biberent.

280. Reſp. S. Hier. non negare, quod impii, & infideles corpus & ſanguinem Chriſti ſacramentaliter, & corporaliter manducent & bibant; ſed ſolum quod manducent & bibant ſpiritualiter, & utiliter ad vitam æternam, quia indigne manducant, & bibunt. Negat enim eos ita manducare corpus Chriſti, *ut ſint ipſi corpus Chriſti*, gratiam videlicet recipiendo. Aliquo igitur modo juſti corpus Chriſti manducant, & bibunt, quo non manducant, nec bibunt impii. Unde ſi ad illum modum reſtringatur manducatio corporis Chriſti, negari poteſt, quod impii, & infideles illud manducent. Hocque ſenſu ll. cc. S. Hieronymus negat voluptatis amatores comedere carnem Jeſu, qui tamen alibi verbis diſertis aſſerit illos comedere ſacramentaliter. Sic enim *in c. 1. Malach. edit. cit. tom. 3. pag.* 1811. *Polluimus*, inquit, *Panem, id eſt corpus Chriſti, quando indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinem bibimus, & dicimus: menſa Domini deſpecta eſt*. Eodem modo ſolvuntur teſtimonia Origenis & Auguſtini, quæ Albertinus & Matthæus la Roque ad nauſeam plane recoquunt. Cum enim mirabile hoc Sacramentum præter hoc, quod corpus, & ſanguinem Chriſti realiter contineat, ſit, & de facto vocetur *Sacramentum, typus, ſymbolum, imago, ſimilitudo, myſterium*, cum præterea de illo varia, & admiranda in ſenſu morali, allegorico, & anagogico dici poſſint &c. Patreſque hæc omnia fideli populo in ſuis tum ſermonibus, tum commentariis fiducialiter explicaverint, hi nequiſſimi homines eorum ſententiis turpiſſime abutentes, illos in ſuas partes trahere conantur, non obſtante, quod, dum in ſenſu literali loquuntur, Catholicam fidem Sole clarius profiteantur, ut monſtratum eſt, idque conſenſus omnium Eccleſiarum, ab illorum traditione utique derivatus, demonſtret. Quo nequiſſimo conſilio omnino ingentes tomos conſcribunt, & ſophiſmatum fucis ſimplices fallunt, doctis vero negotium faceſſunt, in refutandis verborum luſibus typum laceſſendi.

281. XII. Objiciunt ex Theodoreti *dialogo primo*, qui *immutabilis* inſcribitur, ſequentia: Chriſtus *viſibilia ſymbola corporis, & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens*. Item hunc locum ex *dialogo* II. ubi Eraniſtes ex mutatione ſymbolorum in corpus, & ſanguinem Chriſti colligit mutationem Corporis Chriſti poſt aſcenſionem in Divinam ſubſtantiam, his verbis: *Sicut ergo Symbola Dominici Corporis & Sanguinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt, ita Dominicum corpus poſt aſcenſionem in Divinam ſubſtantiam mutatum eſt*. Cui reſpondet Orthodoxus: *Retibus, quæ ipſe texuiſti, captus es. Neque enim ſymbola myſtica poſt ſanctificationem ſuam recedunt a ſua natura. Manent enim in priori* ſubſtantia, *& figura, & forma, & videri tangique poſſunt, ſicut & prius*; ergo Theodoretus ſub nomine orthodoxi ibi diſputans manifeſte ſenſit in Euchariſtia non fieri tranſſubſtantiationem.

282. Reſpondent Catholici Theologi, ſubſtantiæ & formæ nomina analoga eſſe, & ad rei cujuslibet ſignificandam eſſentiam uſurpari, ſive illa proprie ſubſtantia ſit, ſive accidens. Nam & accidentia eſſentiam ſuam habent; & facultates, proprietateſque naturales rei ſubſtantiæ nomine plerumque ſignificantur. Et ita locis allatis Theodoretus *naturæ, & ſubſtantiæ* nomina uſurpavit, cum dixit: *ſymbolorum* (id eſt accidentium) *naturam non mutari, ea non recedere a ſua natura, & manere in priori ſubſtantia, & forma, & figura*. Id verba immediate ſubſequentia demonſtrant: *& videri, & tangi poſſunt ſicut prius*.

Hæc enim aperte referuntur ad qualitates, & accidentia, non ad ſubſtantiam, quæ per ſe, & immediate nec videri, nec tangi poteſt juxta veterum Græcorum ſententiam, in qua fuit Theodoretus.

283. Inſtant Calviniani Miniſtri. Orthodoxus ex comparatione Euchariſtiæ colligit, in Chriſto poſt unionem non tantum formam & figuram, ſed ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam eſſe ſuperſtitem; non potuiſſet autem illud recte inferre, niſi ſuppoſuiſſet in Euchariſtia non tantum formam, & figuram panis, ſed etiam ipſam panis ſubſtantiam remanere. Itaque Theodoretus, Orthodoxi nomine contra Eraniſtem diſputans, cenſit remanere ſubſtantiam panis.

284. Reſpondent Orthodoxi Catholici Diſt. mi. non potuiſſet illud inferre immediate C. mediate N. Explicatur reſponſio: Eutichianus Eraniſtes Euchariſtiæ exemplo uſus fuerat, ut probaret ſubſtantiam humanitatis in Chriſto poſt unionem, aut ſaltem poſt aſcenſionem in ſubſtantiam divinitatis converſam fuiſſe. Orthodoxus ſic argumentum retorquet. In Euchariſtia non eſt tantum corpus Chriſti, ſed etiam accidentia panis & vini ſuperſunt: igitur in Chriſto poſt unionem, vel aſcenſionem non tantum eſt divinitas, ſed etiam proprietates, & accidentia humanitatis: ac proinde ipſa naturæ humanæ ſubſtantia, quæ ibi debet eſſe, ubi proprietates ſunt. Et eo magis ſtringebat Eutichianos hæc argumentatio, quod inter proprietates naturales, & ſubſtantiam corporis Chriſti diſcrimen nullum facerent, & manentibus proprietatibus naturam ipſam manere faterentur.

Contemni non debet, quod circa hunc Theodoreti locum obſervat Perronius, græca videlicet Theodoreti verba ſic melius reddi: *Manent enim in prioris ſubſtantiæ & forma, & figura.*

Cæterum quantum Lutheranorum errori contra fidem transſubſtantiationis incommoda ſit Theodoreti doctrina, non tantum ex ejus commentariis *in ep. ad Corinth. c. 11.* ſed etiam ex *dialogo* 2. agnoverunt Centuriatores Magdeburgenſes Centur. 5. c. 10. ubi ita ſcribunt: *de cœna periculoſe dicit: ſymbola corporis, & ſanguinis Domini, poſt invocationem Sacerdotis mutari, & alia fieri.*

285. Sed quid iſti non Eraniſtes, ſed erratici Sophiſtæ ratiunculis ſuis nos grátis ſatigant? legant ipſum dialogum, ex quo hæc objiciunt, relatum *in cit. edit. tom. 1. pag. 214.* & videbunt Theodoretum, qui Orthodoxi partes ibidem ſuſtinet, alta voce profiteri transſubſtantiationis dogma. Poſtquam enim ibi Eraniſtes Orthodoxo admiſiſſet, ſymbola Euchariſtica eſſe ſymbola *veri corporis, & ſanguinis Domini*; & exinde Orthodoxus intuliſſet, ergo Chriſtus poſt unionem, vel poſt aſcenſionem habet *verum corpus, & ſanguinem*; Eraniſtes ex Euchariſtia pariter argumentum arripit: opportune, dicens, *de divinis myſteriis intuliſti ſermonem. Nam inde tibi oſtendam corpus Domini in aliam mutari naturam: Reſponde igitur ad mea interrogata.* Orthodoxus. *Reſpondebo.* Eraniſtes: *Qui appellas donum, quod offertur, ante Sacerdotis invocationem?* Orthodoxus: *Aperte dicendum non eſt, veriſimile eſt enim adeſſe aliquos myſteriis non initiatos.* Eraniſtes: *Reſpondeatur ænigmatice.* Orthodoxus: *cibum ex talibus ſeminibus* (ſeu panem). Eraniſtes: *Alterum vero ſymbolum quomodo vocamus?* Orthodoxus: *commune & hoc nomen eſt, poculi ſpeciem ſignificans* (id eſt vinum). Eraniſtes: *Poſt ſanctificationem vero quomodo hæc appellas?* Orthodoxus: *Corpus Chriſti & ſanguinem Chriſti.* Eraniſtes: *& credis te corpus Chriſti, & ſanguinem percipere?* Orthodoxus: *ita credo.* Eraniſtes ſic colligit: *Sicut ergo ſymbola Dominici corporis & ſanguinis alia ſunt ante Sacerdotis invocationem, poſt invocationem vero mutantur, & alia fiunt: ita Dominicum corpus poſt aſcenſionem in divinam ſubſtantiam mutatum eſt.* Quæ hæc amabo argumentatio *ad hominem*, ſi Orthodoxus transſubſtantiationis dogma non agnoviſſet? quomodoque Orthodoxus potuiſſet dicere: *ita credo me in communione recipere corpus & ſanguinem Domini?* An quæſo communicantes Calviniſtæ ita reſponderent? Cum ergo in hoc myſterio Orthodoxus & Eraniſtes crediderint *transſubſtantiari* panem, & vinum ex verbis inſtitutionis, in incarnatione autem verbum tantum *aſſumpſerit* naturam humanam, Orthodoxus ex eo, quod ſymbola panis, transſubſtantiatione ejuſdem non obſtante, remaneant, urget Eraniſtem in Chriſto poſt aſſumptionem etiam remanſiſſe accidentia, & proprietates naturæ humanæ, & *conſequenter* naturam ipſam; cum nec incarnatio, nec aſcenſio transſubſtantiationem ejuſdem innuant.

Accedit, quod mox allatum Eraniſtis ratiocinium non tantum omni veri ſpecie deſtitutum eſſet, ſed ab inſano capite profectum, & a Theodoreto tamen non ſolutum, ſi ſymbola per conſecrationem ſolo nomine, figura, virtute (ut prætendunt Calviniſtæ), non vero ſubſtantia mutarentur: hic enim ſenſus eſſet ratiocinii Eraniſtis: ſymbola Euchariſtica *nomine, figura, & virtute* per conſecrationem mutantur; ergo Dominicum corpus poſt aſcenſionem in divinam ſubſtantiam *realiter* mutatum eſt. Quod tamen non ſolviſſet Theodoretus, dicendo, ſymbola remanere in priori ſubſtantia, forma, & figura, ſi uterque Calvinianum ſtomachum habuiſſet, ſecundum hos enim in pane poſt conſecrationem non manet idem figura, & virtute.

286. XIII. Objiciunt Calviniani & Lutherani locum deſumptum ex Gelaſii Papæ I. libro de duabus in Chriſto naturis, quem dicunt doctrinæ transſubſtantiationis diſerte repugnare. Sed quidquid ſit de hujus libri Authore, cum eodem modo, quo mox Theodoretus, Eutichianos, *transſubſtantiationis dogma* ad tuendum ſuum de unica in Chriſto natura errorem Catholicis ea tempeſtate identidem objectantes, refellat; dicendo: *Certe Sacramenta, quæ ſumimus corporis & ſanguinis Chriſti, divina res eſt; — & tamen eſſe non deſinit* ſubſtantia *vel natura panis & vini*: eodem modo, quo ibi explicari poteſt; illum nempe ſicut & alios veteres Scriptores tam ſtricte nomen ſubſtantiæ non uſurpaſſe, quemadmodum modo a Scholaſticis ſumitur, ut ſcilicet ſignificet rem per ſe ſubſiſtentem, & accidenti oppoſitam: ſed vocis illius ſignificationem ad ipſa accidentia per Analogiam quandam extendiſſe: *ut res omnis* ſubſtantia dicitur, quatenus diſtinguitur a nihilo. Quo ſenſu *S. Aug. enarr.* 1. *in Pſal. 68.* ſcribit: *Quod nulla ſubſtantia eſt, nihil omnino eſt; ſubſtantia ergo aliquid eſſe eſt.*

287. Reſpondent tamen præterea Catholici: morem eſſe ſolemnem veteribus Scriptoribus latinis alimentum ſubſtantiæ nomine ſignificare. Hoc ſenſu apud S. Auguſtinum *ſerm. 5. de natali Domini*, hæc verba ad Deiparam Virginem diriguntur: *Lacta Maria Creatorem tuum, lacta panem Cœli, pretium mundi, præbens ut Mater temporalem illi miniſtra ſubſtantiam.* Cur ergo dici jure merito non poſſit, Gelaſium, dum dixit panis & vini ſubſtantiam non deſinere, per hoc nihil aliud voluiſſe, quam non deſinere alimentum, & facultatem nutriendi, quæ pani & vino natura inerat: cum alio ſenſu explicari citatus locus non poſſit, niſi pugnantia loqui Gelaſium, vel alium Authorem ſupponamus; dicit enim præterea loc. cit. quod panis & vinum *in divinam tranſeant Spi-*

ritu

ritu S. perficiente ſubſtantiam; permanent tamen in ſuæ proprietate naturæ; in divinam enim *ſubſtantiam* dona propoſita tranſire non poſſunt, niſi panis & vini ſubſtantia eſſe deſinant; omnis enim tranſitus inter duos terminos verſatur, quorum deſeritur onus, alter acquiritur, ſecundom rectam Philoſophiam. Cum itaque ſecundum Gelaſium ſeu alium illum Authorem Sacramenta ſeu Symbola tranſeant in divinam ſubſtantiam, neceſſe eſt, ut terrenæ deſinant eſſe ſubſtantiæ, & conſequenter verba Gelaſii intelligenda ſunt modo explicato, ne contradictionem cum poſterioribus incurrant.

Neque enim veriſimilis eſt Calviniſtarum reſponſio, Sacramenta dici in divinam tranſire ſubſtantiam, quia divinæ ſubſtantiæ myſtica ſignificatione junguntur. Nemo enim fuit unquam tam abſurdus, ut ſigna in eorum, quæ ſignificant, naturam aut ſubſtantiam tranſire affirmaverit. Quis enim dicat Agnum Paſchalem in Chriſtum converti? Eademque abſurditate in ſenſu impanatorum panis tranſire diceretur in divinam ſubſtantiam; quod enim manet, non tranſit.

288. Addo ego, Heterodoxos, dum ex his duobus Patribus Catholicos exagitant, magis verba illorum, quam ſenſum nobis objicere, imo his objectionibus, quin percipiant, confirmare, Eccleſiam tam Catholicam, quam Eutichianam in tranſſubſtantiationis dogmate ſæculo V. conveniſſe. Cur enim amabo Eutichiani paritatem Euchariſtiæ toties objeciſſent Catholicis, niſi perſuaſi fuiſſent, eos in hoc puncto ſecum ſentire; & cur Catholici, omiſſis operoſis illis reſponſionibus, eos potius non retudiſſent, negando aſſumptum, *quod panis & vinum in Euchariſtia mutentur in corpus & ſanguinem Chriſti*, ſi cum Calviniſtis ſenſerunt?

289. XIV. Objiciunt authoritatem S. Auguſtini deſumptam ex *tract.* 26. *in Jo.* quo ſolam ſpiritualem manducationem ab ipſo agnoſci evincere ſe putant: *Hujus rei* (id eſt Chriſtianæ ſocietatis) *Sacramentum —— alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur, & de menſa dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitum. Res vero ipſa, cujus Sacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitum, quicunque ejus particeps fuerit.*

290. Reſp. S. Auguſtinum eo loci manducationem corporis & ſanguinis Chriſti moraliter explicare, non de manducatione ſpirituali per fidem, ſed de incorporatione in ſocietatem Sanctorum, quæ Chriſti corpus myſticum eſt: ac docere fideles, hunc eſſe finem Euchariſtiæ, ut conjunctionem intimam cum Chriſti corpore myſtico deſignet, atque operetur. Quæ explicatio minime patrocinatur ſenſui ſpirituali Calviniſtarum: cum manducatio ſpiritualis ad corpus Chriſti naturale, non ad corpus myſticum, ſecundum ipſos referenda ſit. Ideo autem S. Auguſtinus in his tractatibus, ſeu ſermonibus in Joannem, quos e ſuggeſtu coram frequenti populo pronuntiabat, morali ſenſui potiſſimum inſiſtit, quia coram catechumenis loquebatur, quibus occultare myſteria, & præcipue Euchariſtiæ Sacramentum ſolemne erat. Ut patet ex dialogo N. 284. celato, & ex ipſo Aug. *tract.* 11. *in Jo.*

291. Urget Albertinus alium celebrem locum ex S. Aug. *LL. de doctrina Chriſtiana*, in quibus modum ſcripturas optime interpretandi docere volens, poſtque *L.* 1. de rebus tractaſſet, *L.* 2. de ſignis, demum in tertio agit de actionibus, & locutionibus figuratis, quæ cum ſæpe occurrant, ſtudioſius ſunt diſtinguendæ. Hanc autem regulam aſſignat *lib.* 3. *c.* 10. *Quidquid in ſermone divino neque ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.* Quam regulam *c.* 16. de novo, & explicatius ita refert: *Si præceptiva eſt locutio, aut flagitium, aut facinus vetans, aut beneficentiam jubens, non eſt figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata eſt.* Quod ita explicat: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & ſanguinem biberitis, vitam in vobis non habebitis; Facinus aut flagitium videtur jubere; figura ergo eſt, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, quod caro ejus pro nobis crucifixa, & vulnerata eſt.* Quibus verbis S. Auguſtinus totum ædificium ſubruit, quod realis præſentiæ defenſores ſuper caput ſexti Joannis ædificant.

292. Reſp. I. Hanc regulam a S. Aug. traditam, ſi generatim, & abſque reſtrictione ſumatur, falſam eſſe, ut patet exemplis immolationis Iſaaci *Gen.* 22. ſpoliationis Ægyptiorum *Exodi* 12. &c. & fatetur ipſe Albertinus manifeſtis his exemplis convictus; atque obſervat ipſe Aug. *l. c. c.* 2. inquiens: *Si perſpicue ſonat verbum ſcripturæ, non eſt ad aliud referendum, quaſi figurate dictum ſit. Satiſque eſt in his verbis ad mandantis authoritatem, & juſtitiam recurrere.*

293. Reſp. II. Etſi cum his reſtrictionibus ſumatur regula ab Aug. data, perperam tamen applicatur his verbis Chriſti, *niſi manducaveritis carnem filii hominis*, ſecundum Catholicum ſenſum explicatis, cum ex vi circumſtantiarum juxta literæ proprietatem de manducatione reali intelligenda ſint, & in jubentis authoritate ſit acquieſcendum, ut agnoſcunt Patres. Vult ergo ſolum Auguſtinus l. c., quod Chriſtus illis verbis facinus, vel flagitium jubere videatur, ſi prædicta verba ad ſenſum Capharnaitarum de vulgari comeſtione intelligantur, & ideo figuram in illis verbis agnoſcit, qua analogice ad corporalem manducationem in plures partes dividitur objectum, quod ſpiritualiter manducatur, guſtatur cum ſingulari voluptate, in ventre memoriæ reconditur, digeritur, ejuſque meditatione animus alitur. Sacramentalem porro & oralem corporis Chriſti manducationem S. Auguſtinus non rejicit, de qua hæc verba aliis in locis conſtanter explicat, ſcilicet *contra adverſarium legis & Prophetarum c.* 10. *q.* 57. *in Levit. l.* 2. *de peccatorum meritis & remiſſione c.* 20. *tract.* 2. *&* 26. *in Jo. ſerm.* 2. *&* 49. *de verbis Domini, Lib.* 1. *contra Creſconium, & in enarrat. in Pſ.* 33. *&* 98. Sed de ea ſilet hoc in loco, quia nihil ad ejus inſtitutum conducebant laudata verba ſecundum ſenſum ſacramentalis manducationis intellecta, utpote nec umbram præcepti flagitii continentia.

294. Sed ut ſenſum S. Auguſtini penitus inſpicias, nota, locutiones figuratas in ſacris literis duplicis eſſe generis: quædam enim ſunt, in quibus verba non ſignificant id, ad quod exprimendum primitus ſunt inſtituta, ſed ad aliud ſignificandum transferuntur, quo modo Chriſtus dicitur *Lapis angularis*, *Leo de tribu Juda*, *Vitis*, *Oſtium*, *Ovis*. Aliæ e contra, in quibus verba quidem ſignificant id, ad quod ſignificandum primitus ſunt inſtituta, ſed tamen id, quod exprimunt, alterius rei figura eſt, quam non exhibet earundem ſignificatio. Inter quas figuratas locutiones hoc notabile diſcrimen intercedit, quod prioris generis literalem ſenſum penitus excludant, poſterioris minime. Ut conſtat ex *ep. ad Gal. c.* 4. ubi Paulus ſcribit: *Scriptum eſt, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera, ſed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt, qui autem de libera, per repromiſſionem, quæ ſunt* per allegoriam *dicta. Hæc autem ſunt duo teſtamenta.* Quem locum etſi Apoſtolus per allegoriam, ſeu figuram dictum interpretetur, non vult tamen ſenſum literalem, & hiſtoricum excludi. Et hujus generis figuratam locutionem hæc ver-

ba, *niſi manducaveritis carnem filii hominis &c.* continent, ſignificant enim veram carnis Chriſti manducationem, & veram ſanguinis ejus ſumptionem incruento, inviſibili, & impaſſibili modo, non cruento illo, & barbaro, quemadmodum Capharnaitæ intelligebant; quæ tamen manducatio rei alterius figura eſt, ſcilicet Paſſionis Chriſti, cui manducando communicamus, & mortis ejus, quam hac occaſione recolimus. Id quod ſolum voluit Auguſtinus dicens: *Figura eſt ergo præcipiens Paſſioni Domini eſſe communicandum &c.*

295. Qua diſtinctione notata una cum clavi N. 158. aſſignata non tantum facile ſolvuntur replicæ contra datam ſolutionem a Calviniſtis afferri ſolitæ; ſed etiam alia quampluima loca, quæ ex ejuſdem Patris ſermonibus, ubi modo in ſenſu morali, modo in myſtico, modo in anagogico, pro ſubjectæ materiæ exigentia, ſublime hoc myſterium populo explicat, quæque homines iſti vaferrimi nequiſſimo conſilio coacervant, ut ſimplicioribus fucum faciant.

296. XV. Objiciunt authoritatem Facundi Hermianenſis Authoris ſexti ſæculi, qui *lib. 9. c. ult.* ita habet; *Sicut Sacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis: ſed quod in ſe myſterium corporis ejus, ſanguiniſque contineant.* Ergo ſentit Euchariſtiam eſſe puram figuram corporis Chriſti.

Reſp. hoc loco abuti Hæreticos, loquitur enim Facundus de ſpeciebus viſibilibus panis & vini, quæ ſi per ſe ſpectentur, non ſunt proprie corpus & ſanguis Chriſti, ſed ejus ſigna, illud tamen vere & reipſa continentia. Cæterum enucleando teſtimonio hominis Schiſmatici, qualem fuiſſe Facundum probant moderni critici, non eſt tantopere inſudandum, ſed Eccleſiæ Catholicæ fides ex cæterorum Patrum clariſſimis teſtimoniis æſtimanda.

297. XVI. Et ultimo objiciunt conſuetam ſuam calumniam. Paſchaſius Radbertus, homo privatus, transſubſtantiationis dogma in Eccleſiam invexit ſæculo IX. ergo novum eſt, & conſequenter impium. A. probant dupliciter: primo ex teſtimoniis ipſius Radberti; ſecundo ex authoritate illorum virorum, qui ipſius librum de corpore & ſanguine Chriſti impugnarunt. Et primo quidem teſtimonia Radberti ſunt ſequentia: 1. teſtatur ſe ad intelligentiam hujus myſterii plures excitaſſe. 2. a Frudegardo poſtulat, ut ſi quid reprehenſione dignum in libro ſuo deprehendat, ſibi ſignificet; id autem dicunt non poſtulaſſet Paſchaſius, ſi fidem atque doctrinam ſui temporis retinuiſſet. 3. aſſerit quoſdam circa hoc Sacramentum de ignorantia errare, multos dubitare.

298. Reſpondeo N. A. qui enim fieri potuit, ut hæc doctrina Paſchaſii Eccleſiam Græcam, Neſtorianam, Jacobiticam perraderet, atque ad Æthiopes & Indos inadvertenter, & nullo prorſus reclamante penetraret, ſi privati hominis fuit commentum? O! miſeram certe Calviniſtarum ſortem, qui nihilominus de contrario ſunt perſuaſiſſimi. Ad momenta leviſſima prorſus & inania in probatione allata Reſp. & quidem ad 1. licet Chriſtiani omnes tempore Paſchaſii crederent Euchariſtiam eſſe vere & realiter corpus & ſanguinem Chriſti, ſicut & nos credimus; non tamen noverant omnes ſignificationes myſticas ſymbolorum, analogiam hujus Sacramenti ad veteris teſtamenti figuras, finem multiplicem, ob quem Chriſtus illud inſtituit, & alia ſimilia, quæ dum Radbertus in ſuo libello explicat, recte teſtatur: *ſe ad intelligentiam hujus myſterii plures excitaſſe*.

Ad 2. quod plane futile eſt, Reſp. Paſchaſium Frudegardi cenſuræ non *fidem ſuam* de Euchariſtia, ſed *librum* de hac fide a ſe conſcriptum ſubjeciſſe, quod de facto a ſobriis practicatur.

Ad 3. quod ejuſdem farinæ eſt, reſpondet ipſe Paſchaſius in commentario in Matth. *quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen adhuc eſt in aperto, qui ita hoc eſſe contradicat, quod orbis totus credit, & confitetur.* Quibus verbis profitetur, ſuo tempore totum orbem Chriſtianum in transſubſtantiationis dogma conſpiraſſe, etſi obſcuri quidam, & ingenii ſui decempeda myſteria divina metientes, occulte contra hanc doctrinam murmuraverint. En ergo orbem totum ſæculo IX. cum Calviniſtis conſpirantem ſcilicet! ſed audiamus adverſariorum Radberti teſtimonia, a Calviniſtis afferri ſolita.

299. Sunt autem Anonymus quidam, & Herigerus, qui a Patre Cellorio in Appendice Goteſchalci vulgatus eſt, ſub ſolo etiam Anonymi titulo.

Reſp. Utrumque revera diſſenſiſſe a Paſchaſio in modo loquendi, neutrum in fide præſentiæ realis corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia; & Herigerum longe poſt Paſchaſii obitum ſcripſiſſe, ſcilicet poſt a. 990. quo factus eſt Abbas Laubienſis. Igitur negabant Euchariſtiam dicendam corpus ipſum Chriſti, quod de Maria natum eſt, quia aſſueverant S. Hieronymi & S. Auguſtini dictis, qui duplex, aut triplex Chriſti corpus diſtinxerunt, non tamen aliud eſſe aſſerebant *naturaliter corpus Domini, quod ex ſubſtantia panis & vini pro mundi vita quotidie per Spiritum S. conſecratur, & quod natum eſt de Maria Virgine*: ut loquitur Anonymus (cujus ſcriptum extat in Codice Gemblacenſis Cœnobii cum Herigeri opuſculo) quibus verbis diverſum duntaxat exiſtendi modum diverſamque ſpeciem, quæ Chriſti corpori competit in ſtatu naturali & ſacramentali, ſignificabant, cujus cauſa quædam Chriſti corpori in Sacramento conveniunt, quæ ei per ſe non conveniunt in ſtatu naturali, ut carere extenſione locali, per ſe non moveri, manducari. Hinc Anonymus excenſita S. Auguſtini ſententia, quam laudarat Paſchaſius, ita colligit. *Si enim verum, imo quia proculdubio verum, quod tantus author faſſus eſt, quia Chriſtum vorari fas dentibus non eſt, quomodo carnem Chriſti vorari fas, ſi de Maria nata, & in cruce paſſa, & in ſepulchro reſuſcitata eſt? præſertim cum illa Chriſti caro reſurgens de ſepulchro ita glorificata eſt, ut jam vorari nullo modo poſſit.* Cæterum Anonymum illum credidiſſe cum Paſchaſio ceu dogma fidei, realem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & transſubſtantiationem, patet ex illius opuſculo, in quo ſtatim ab exordio hæc habet: *Quod corpus & ſanguis Domini vera ſit caro, veruſque ſit ſanguis, unuſquiſque debet credere, noſſe, tenere, confiteri pariter & incunctanter aſſerere fidelis. Prorſus quiſquis hoc negat, eſſe cognoſcitur, & convincitur infidelis, quippe qui non credit ipſi Domino dicenti: niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

300. Jam quod Herigerum attinet, tantum abeſt ut Paſchaſii doctrinam de reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento præſentia impugnarit, ut eam etiam laudarit impenſius. Nonnullis enim dicentibus in Euchariſtia aut ſolam figuram, aut ſolam veritatem ſine figura exiſtere, opponit caput 4. Paſchaſii his verbis; *Sed Paſchaſius Radbertus, ſicut & alia multa in eodem libro ultra humanam exiſtimationem utiliter tractat, ita & huic Sophiſmati fortiter obviat dicens: Figuram non ſemper umbram eſſe; & jure ſimul hoc myſterium & figuram & veritatem dici poſſe.* Et deinde in ſenſu Anonymi citati negat in hoc Sacramento Corpus Chriſti eſſe idem, quod natum eſt de Maria Virgine, nempe *quoad modum*.

dum. Et eodem tantum modo ab eodem Paſchaſio circa Euchariſtiam diſſenſerunt Rabanus, & Maurus, de quibus legendi ſunt doctiſſimi viri Antonius Arnaldus de perpetua Eccleſiæ fide circa Euchariſtiam *vol.* 1. *lib.* 8. Mabillonius in doctiſſima præfatione *in* 2. *p. ſaculi IV. Benedictini*, & Nat. Alex. in erudita diſſertatione 5. *In hiſt. Eccl. ſaculum IX. & X.* ubi invictis argumentis demonſtrat ſæculo X. nil in fide & doctrina Eccleſiæ de Euchariſtia novatum eſſe. Quod, ut jam diximus, conſenſus omnium Eccleſiarum extra horum Synagoges prorſus evincit.

§. VII.

De Symbolo Viennenſi,

302. SÆculo necdum elapſo a celebratione magni Concilii Lateranenſis, ſeu a. c. 1311. Viennæ Allobrogum celebratum eſt Concilium ſub Clemente V. Romano Pontifice, & Henrico VII. Imperatore Epiſcoporum amplius 300. contra Templarios, Beguardos, alioſque Hæreticos, in quo poſt latam de Ordinis hujus extinctione ſententiam illa decreta ſunt edita, quæ extant in corpore juris Canonici ſub nomine Clementinarum, quorum primum, ſub titulo de ſumma Trinitate, & fide collocatum, continet illud ſymbolum, quod ſupra ordine quintum inter derivativa poſuimus, atque a loco, ubi editum eſt, Viennenſe nuncupavimus, Et ſonat.

FIdei Catholicæ fundamento, præter quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum Sancta Matre Eccleſia confitemur unigenitum Dei Filium, in iis omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit, una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas (ex quibus in ſe verus Deus exiſtens fieret verus homo) humanum videlicet corpus paſſibilem & animam intellectivam ſeu rationalem, ipſum corpus vere per ſe & eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe ex tempore, in virginali Thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ. Et quod in hac aſſumpta natura ipſum Dei verbum pro omnium operanda ſalute non ſolum affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum: ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica & immaculata, ac Virgo Sancta Mater Eccleſia, Conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata: ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum eſt forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam, id eſt Chriſto, veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam Propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris Evangelicis tranſvolantem, Beati Joannis videlicet Apoſtoli & Evangeliſtæ, qui Sacramenti hujus rem geſtam narrans & ordinem, in Evangelio ſuo dixit: Ad Jeſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua: & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus: & ille ſcit, quia vera dicit, ut & vos credatis. *Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac Sanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem convertentes, ſacro approbante Concilio declaramus, prædictum Apoſtolum & Evangeliſtam Joannem rectum, in præmiſſis factæ rei, ordinem tenuiſſe: narrando, quod Chriſto jam mortuo unus militum lancea latus ejus aperuit.*

Porro doctrinam omnem, ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis, ſeu intellectiva vere & per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante Concilio, reprobamus: Definientes, ut cunctis nota ſit fidei ſinceræ veritas, ac præcludatur univerſis erroribus aditus, ne ſubintrent, quod quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam Hæreticus ſit cenſendus.

Ad hoc Baptiſma unicum baptizatos omnes in Chriſto regenerans eſt (ſicut unus Deus ac fides unica) ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, credimus eſſe tam adultis, quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum quia quantum ad effectum Baptiſmi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis e contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum; Nos tamen attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit tam parvulis, quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam & virtutes) tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam.

302. Occaſionem huic ſymbolo dederunt errores Petri Joannis Olivæ, quem Fratricelli, Beguardi, & Beguinæ, ut Patriarcham venerati ſunt. Hic cum præter alia impia dogmata, quæ in ſua poſtilla, ſeu in commentario ſuper Apocalypſim evomuit, peculiariter doceret I. *Parvulis in baptiſmo gratiae, & virtutes non conferri*, II. *Animam rationalem non eſſe formam corporis*. III. *Chriſti adhuc viventis, non mortui latus lancea confoſſum, apertumque fuiſſe*: Clemens V. hos tres errores in hocce decreto ſymbolico damnavit, ut patet illud inſpicienti. Equidem Lucas Wadingus præfatum Joannem Olivan. tum a dictis, tum ab aliis erroribus eidem a Clemente V. cum Generali Concilio, item a Joanne XXII. imputatis purgare nititur; ſed ex tantis teſtibus aperte falſi convincitur a Nat. Alex. *in hujus ſæculi* 14. *hiſt. Eccl. c.* 3. §. 9. Nobis in præſentiarum ſufficit hos errores per præſens ſymbolum fuiſſe excluſos.

303. Beguardorum & Beguinarum errores, quamvis in eadem ſynodo fuerint damnati, non tamen in hocce decreto ſymbolico, ſed in *Clem. ad noſtrum de hæreticis*. Ad eandem ſynodum refert S. Antoninus Clementinam ex *gravi de uſuris*, qua hæreſeos damnati ſunt, qui pertinaciter aſſererent *uſuras non eſſe peccatum*.

304. Circa idem ſymbolum præterea notatu dignum eſt, in eo præter articulos fidei, etiam definiri propoſitionem de facto pure ſcholaſticam tanquam probabiliorem: nimirum inter has duas ſecundam priori oppoſitam, quarum utraque habetur in fine ejuſdem ſymboli.

§. VIII.

De Symbolo Florentino, ſeu literis pro inſtructione Armenorum editis.

305. INter Symbola derivativa ſexto loco commode referri poteſt decretum, quod pro inſtructione Armenorum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino, poſt diſceſſum Græcorum, Latinis adhuc congregatis, Oratoribus Armenis datum eſt in Patriam perferendum, & incipit:

Exul-

Exultate Deo &c. atque refertur apud Coletum *tom.* 18. *pag.* 541. *& ſeqq.*

306. Occaſio condendi hujus ſymboli, uti refertur apud eundem Colet. *tom.* 18. *pag.* 538. fuit ſequens. Cum fidei definitio, ſeu decretum unionis editum, omniumque Florentinæ Synodi Patrum, cum Latinæ, tum Græcæ Eccleſiæ ſubſcriptionibus munitum, ac in publica ſeſſione ſynodali ſolemniter promulgatum fuiſſet pridie nonas Julii 1439. & die 20. 21. ejuſdem menſis Græci quinque exemplaribus ejuſdem definitionis ſubſcripſiſſent; poſt aliquot dies advenerunt apocriſiarii Patriarchæ Acmenorum, quærentes & ipſi unionem cum Eccleſia Romana, fideique rectitudinem. Qui Pontificem venerati, Græcorum etiam Imperatorem Joannem Palæologum in Concilio præſentem ſalutarunt, conſiliumque ſuum ejus Majeſtati expoſuerunt, rogantes, ut ipſos auxilio, prudentiaque ſua juvaret. Reſpondit Imperator ſibi gratiſſimam eſſe eorum voluntatem, & Deum pro aorum unione precari, quæ ſi conſiſteret, ſe quoque ipſis in omnibus adjutorem fore pollicitus eſt. Mox Græci Florentia excuntes Venetias petierunt, indeque domum ſunt reverſi, ut habent acta Concilii. Poſt illorum vero diſceſſum ſæpe cum Armenorum Oratoribus de ſancta unione contulit Eugenius IV. Viroſque omnium Ordinum divini, ac humani juris peritiſſimos deputavit, qui omni cura, ſtudio diligentia rem iſtam cum ipſis oratoribus pertractarunt, ab eis accurate inquirentes de eorum fide tam circa divinæ unitatem eſſentiæ, & Divinarum Perſonarum Trinitate, quam Domini noſtri J. C. humanitatem, & ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, aliaque ad fidem Orthodoxam, & ritus univerſalis Eccleſiæ pertinentis. Multis itaque adhibitis diſputationibus, collocutionibus, & tractatibus expedire judicavit Eugenius, (ut ipſe ait) ne ulla in futurum de fidei veritate apud Armenos eſſet hæſitatio, atque idem per omnia ſaperent cum Sede Apoſtolica, unioque ipſa ſtabilis, & perpetua ſine ullo ſcrupulo perſeveraret, orthodoxæ fidei veritatem, quam ſuper præmiſſis Romana profitetur Eccleſia, ſacro approbante Concilio, ipſis etiam Oratoribus ad hoc conſentientibus, *compendio* tradere; quod hocce decreto præſtitit 10. Kalen. Decembris ejuſdem Anni 1439. quatuor poſt diſceſſum Græcorum menſibus.

307. In hoc fidei compendio Eugenius Papa IV. Armenis tradit 1. Symbolum CP. cum additione particulæ *Filioque*, quam dicit eidem ſymbolo declarandæ veritatis gratia, & urgente neceſſitate, licita & rationabiliter eſſe appoſitam, cum mandato, ut illud, quemadmodum Latinis mos eſt, in ſuis Eccleſiis, ſingulis ſaltem Dominicis & Feſtis intra miſſarum ſolemnia decantent vel legant. 2. Definitionem quarti Generalis Concilii Chalcedunenſis, in quinto & ſexto renovatam, de duabus naturis in una Chriſti Perſona. 3. Definitionem de duabus voluntatibus, duabuſque Chriſti operationibus in ſexta Synodo œcumenica promulgatam. 4. Mandat, ut non tantum dictas tres œcumenicas ſynodos, ſed & omnes alias generales, auctoritate Romani Pontificis legitime celebratas, reverenter ſuſcipiant; atque S. Leonem M. tanquam Sanctum, & in Catalogo Sanctorum merito deſcriptum de cætero reputent, & venerentur. 5. Eccleſiaſticorum Sacramentorum veritatem pro ipſorum Armenorum tam præſentium, quam futurorum faciliori doctrina ipſis compendio exhibet. Quam mox apponemus. 6. Ipſis tradit ſymbolum Athanaſii. 7. Decretum unionis cum Græcis in hoc Concilio promulgatum. 8. Decernit, ut Armeni conformiter aliis Eccleſiis celebrent feſtum Annuntiationis die 25. Martii, feſtum Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ 24. Junii, feſtum Nativitatis Domini 25. Decembris, Circumciſionis 1. Januarii, Epiphaniæ 6. ejuſdem menſis, & feſtum Purificationis 2. Februarii.

Inſtructio Armenorum de ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.

Nova legis ſeptem ſunt Sacramenta, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant: hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt. Horum quinque prima ad ſpiritualem uniuſcujuſque hominis in ſe ipſo perfectionem, duo ultima ad totius Eccleſiæ regimen, multiplicationemque ordinata ſunt. Per Baptiſmum enim ſpiritualiter renaſcimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia. Quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per pœnitentiam ſpiritualiter ſanamur: ſpiritualiter etiam & corporaliter, prout animæ expedit, per extremam unctionem. Per Ordinem vero Eccleſia gubernatur & multiplicatur ſpiritualiter. Per Matrimonium corporaliter augetur. Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquod deſit, non perficitur Sacramentum. Inter hæc Sacramenta tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id eſt ſpirituale quoddam ſignum a cæteris diſtinctivum, imprimunt in anima indelebile. Unde in eadem perſona non reiterantur. Reliqua vero quatuor characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Primum omnium Sacramentorum locum tenet Baptiſma, quod vitæ ſpiritualis janua eſt: per ipſum enim Membra Chriſti, ac de corpore efficimur Eccleſiæ. Et cum per primum hominem mors introierit in univerſos, niſi ex aqua & ſpiritu renaſcimur, non poſſumus, ut inquit veritas, in regnum cælorum introire. Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis: nec refert, frigida ſit, an calida. Forma autem eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Non tamen negamus, quin & per verba illa, baptizetur talis ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, verum perficiatur baptiſma: quoniam cum principalis cauſa, ex qua baptiſmus virtutem habet, ſit Sancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit Miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur Miniſtrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione, perficitur Sacramentum. Miniſter hujus Sacerdos, cui ex Officio competit baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam Laicus vel Mulier, imo etiam Paganus, & Hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia. Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio: ſed morientes, antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum Cælorum & Dei viſionem perveniunt.

Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex Oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & Balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicta. Forma autem eſt; ſigno te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filii & Spi-

& Spiritus Sancti. Ordinarius Miniſter eſt Epiſcopus. Et cum cæteras unctiones ſimplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non niſi Epiſcopus debet conferre; quia de ſolis Apoſtolis legitur, quorum vicem tenent Epiſcopi, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum dabant, quemadmodum actuum Apoſtolorum lectio manifeſtat. Cum enim audiſſent, *inquit*, Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro eis, ut acciperent Spiritum Sanctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini JESU. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. *Loco autem illius manus impoſitionis datur in Eccleſia Confirmatio. Legitur autem aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum. Effectus autem hujus Sacramenti eſt, quia in eo datur Spiritus ſanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen, ideoque in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue crucem ejus,* quæ Judæis quidem eſt ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, *ſecundum Apoſtolum, propter quod ſigno crucis ſignatur.*

Tertium eſt Euchariſtiæ ſacramentum, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet. Aqua autem ideo admiſcetur, quoniam juxta teſtimonia ſanctorum Patrum, ac Doctorum Eccleſiæ pridem in diſputatione exhibita, creditur ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe ſacramentum. Deinde quia hoc convenit dominicæ Paſſionis repræſentationi. Inquit enim Beatus Alexander Papa Quintus a Beato Petro: In ſacramentorum oblationibus, quæ intra Miſſarum ſolemnia Domino offeruntur, panis tantum & vinum aqua permixtum in ſacrificium offerantur. Non enim debet in calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia utrumque, id eſt ſanguis & aqua ex latere Chriſti profluxiſſe legitur. Tum etiam, quod convenit ad ſignificandum hujus ſacramenti effectum, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum. Aqua enim populum ſignificat, ſecundum illud Apocalypſis: Aquæ multæ populi multi. *Et Julius Papa Secundus poſt Beatum Sylveſtrum ait: Calix Dominicus juxta Canonum præceptum, vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtendi ſanguinem Chriſti. Ergo cum in calice vinum & aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & fidelium plebs ei, in quem credit, copulatur & jungitur. Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia a Beatiſſimis Apoſtolis Petro & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis & doctrinæ lumina claruerunt, ab initio naſcentis Eccleſiæ ſic ſervaverint, & modo ſervent, inconveniens admodum videtur, ut alia quævis regio ab hac univerſali & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum Chriſtiano orbe conforment univerſo, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ, prout dictum eſt, admiſceant vino. Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficit* (1) *Sacramentum, Sacerdos enim in Perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum. Nam ipſorum verborum virtute ſubſtantia panis in corpus Chriſti, & ſubſtantia vini in ſanguinem convertuntur: ita tamen, quod totus Chriſtus continetur ſub ſpecie panis, & totus ſub ſpecie vini: ſub qualibet quoque parte hoſtiæ conſecratæ & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus. Hujus ſacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum; & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris ejus unitur, conſequens eſt, quod per hoc Sacramentum in ſumentibus digne gratia augeatur: omnemque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem ſuſtentando, augendo, reparando & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur ſpiritualem; in quo, ut inquit Urbanus Papa, gratam Salvatoris noſtri recenſemus memoriam, a malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.*

Quartum Sacramentum eſt pœnitentia, cujus quaſi materia ſunt actus pœnitentis, qui in tres diſtinguuntur partes, quarum prima eſt cordis contritio; ad quam pertinet ut doleat de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo ſacerdoti confiteatur integraliter. Tertia eſt ſatisfactio pro peccatis ſecundum arbitrium ſacerdotis; quæ quidem præcipue fit per orationem, jejunium, & eleemoſynam. Forma hujus ſacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ ſacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo &c. *Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos habens auctoritatem abſolvendi vel ordinariam, vel ex commiſſione ſuperioris. Effectus hujus Sacramenti eſt abſolutio a peccatis.*

Quintum Sacramentum eſt extrema Unctio, cujus materia eſt Oleum Olivæ per Epiſcopum benedictum. Hoc ſacramentum niſi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet: qui in his locis ungendus eſt, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Forma hujus ſacramenti eſt hæc; Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum &c. & ſimiliter in aliis membris. Miniſter hujus ſacramenti eſt Sacerdos. Effectus vero eſt mentis ſanatio, &, in quantum autem expedit, ipſius etiam corporis. De hoc ſacramento inquit Beatus Jacobus Apoſtolus: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini, & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.

Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo, ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de aliis per rerum ad Miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma ſacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis & mortuis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. Ordinarius Miniſter hujus ſacramenti eſt Epiſcopus. Effectus augmentum gratiæ, ut quis ſit idoneus Miniſter.

Septimum eſt Sacramentum Matrimonii, quod eſt ſignum conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, ſecundum Apoſtolum dicentem: Sacramentum hoc magnum eſt: Ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia. *Cauſa efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus. Aſſignatur autem triplex bonum Matrimonii. Primum eſt* pro-

(1) Forte conficitur.

proles ſuſcipienda & educanda ad cultum Dei. Secundum eſt fides, quam unus conjugum alteri ſervare debet. Tertium indiviſibilitas Matrimonii, propter hoc, quod ſignificat indiviſibilem conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ. Quamvis autem ex cauſa fornicationis liceat tori ſeparationem facere, non tamen aliud Matrimonium contrahere fas eſt; cum Matrimonii vinculum legitime contracti perpetuum ſit.

308. Hoc fidei compendio Armeni Eccleſiæ Catholicæ uniti in eo felici fœdere hodiedum perſeverant, ut conſtat ex eorundem frequentiſſima Caravanna, quam hoc, quo hæc ſcribo, Jubilæi Anno 1750. Romam inſtituerunt, ibidem ab eorum, & noſtro SS. Patre, ac zeloſiſſimo Paſtore paterno ſinu excepti, ac Benedictione Papali, largiſſimiſque muneribus ditati in Patriam remiſſi. Non ſolum autem in fide, ſed etiam in ritibus cum Eccleſia Romana de facto communicant Armeni, in opprobrium ſempiternum levitatis, ac inconſtantiæ Græcorum, qui definitionem fidei, collationibus, diſputationibuſque tantis in eodem Concilio evictam, ſommoque animorum conſenſu in quinque exemplaribus ſubſcriptam, neſcio, an citius ſedibus ſuis invexerint, an vero, Marco Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopo pro obturandis eorundem cervicibus, ac firmando poſtliminio Shiſmate claſſicum inſtante, Græcanica fide, atque conſtantia dejeraverint?

QUÆSTIO POLEMICA.

An, ſicut dicit Eugenius Papa IV. in præſenti Decreto, ſeu Symbolo, particula *Filioque* licite ab Eccleſia Latina Symbolo CP. ſit appoſita?

309. QUamvis præſentem Quæſtionem ſupra §. IV. agendo de ſymbolo CP. pertractari non incongruum fuiſſet, quia tamen in Concilio Florentino, in quo, poſt diſceſſum Græcorum præſens conſtitutio ab Eugenio IV. edita eſt, præter alia, ſuper licitate hujus additionis tota ingeniorum vi, ſumma tamen charitate diſputatum eſt, eam huc tranſtulimus diſquirendam.

310. Obſervandum tamen, Græcos, etſi negarent Spiritum S. a Filio procedere, ex hoc nihilominus capite Latinos de additione hujus particulæ non impugnaſſe, ſed generalius proceſſiſſe, videlicet, quod, quidquid ſit de hoc fidei dogmate, Latini nihilominus peſſimo conſilio hoc additamentum fecerint, eo quod id factum eſſe contra Patrum, Conciliorumque prohibitionem apertam cenſerent. Quapropter, ſicut ſupra §. VI. dum ageremus de additione particulæ *tranſubſtantiationis*, aliis difficultatibus prætermiſſis, in eo ſolo diſputationis cardo vertebatur, ut hæreticis noſtri temporis monſtraremus, *illam vocem fidei Catholicæ eſſe conſonam*, quo præſtito, nullum ipſis, ex eorum præjudicatis, reſtaret fundamentum hujuſmodi additamentum calumniandi; ita cum Græci in hoc Concilio præſentem quæſtionem de induſtria tractandam ſuſceperint *præciſive* ad illam, *an Spiritus S. a Filio procedat?* ex eo ſolo, quod exiſtimarent hoc additamentum eſſe factum contra decreta Patrum, & Conciliorum Generalium, Nos provinciam ſuſceptam abunde explebimus, ſi intacta illa intricata quæſtione, cum Patribus Latinis ejuſdem Concilii contrarium monſtraverimus.

PROPOSITIO.

Particula Filioque *licite ab Eccleſia Latina addita eſt Symbolo* CP.

311. PRobari poſſet propoſitio I. tranſmittendo Græcis, quod non obſtante, quod quæcunque additio prædicto ſymbolo a Conciliis, ab ipſis citatis, fuerit prohibita, hæc additio ab Eccleſia latina nihilominus licite facta fuerit, eo quod poſteriora Concilia, vel Papa legibus præcedentium, ſi id poſtulet ratio, minime ligentur, cum par in parem non habeat poteſtatem; nihilominus probatur II. inſiſtendo veſtigiis Patrum latinorum in Concilio Florentino contra Græcos diſputantium, videlicet additionem, qualem fecit latina Eccleſia ſymbolo CP. a nulla præcedentium ſynodorum, vel Patrum fuiſſe prohibitam. Quod conſtabit, ſolvendo momenta Græcorum, quæ ſeſſione 5. & ſeqq. attulerunt. Sed prius

312. Notandum eſt I. Additionem ſymbolo poſſe dupliciter fieri. Primo, ut illa additio ſit ſymbolo contraria. Secundo, ut ſymbolo non ſit contraria, ſed textus ejuſdem tantummodo explicativa. Hæc poſterior iterum poteſt dupliciter fieri, primo, ut ſimilis additio textui ipſius ſymboli inſeratur, eumque continuet, qualiter in præſenti caſu factum eſt; ſecundo, ut textui non inſeratur, ſed extra illum per modum anathematiſmi vagetur. Qualiter ſe habet appendix ſymboli Nicæni, *Eos autem &c.* & in multis Conciliis ſimiles anathematiſmos recitatis ſymbolis ſubnexos conſpicimus.

313. Notandum II. Compoſitionem ſymboli, vel additionem explicativam illius iterum dupliciter fieri poſſe, videlicet primo, ut per illud, aut ejus expoſitionem aliquis ſimpliciter fidem ſuam profiteatur; qualiter fecit Athanaſius componendo ſymbolum ab ejus nomine dictum, in ſententia illorum, qui ei hoc ſymbolum tribuunt. Secundo: ut ita compoſitum, vel expoſitum toti Eccleſiæ tanquam regula fidei proponatur; qualiter Apoſtolicum, Nicænum, & CP. fuere propoſita.

314. His animadverſis, certum eſt primo: Jure divino, videlicet Apocalypſeos ultimo eſſe prohibitum ſacræ Scripturæ verbum, vel jota unum, etiam tantum explicativum, ita addere, ut textui inſeratur, eumque continuet; uti utriuſque Eccleſiæ conſenſu conſtat. Certum eſt ſecundo, quod nec Apocalypſeos ultimo, neque Eccleſiaſtico mandato prohibitum ſit, eam ſacris literis facere additionem, quæ textui non inſeratur, nec eum continuet, ſed extra eundem vagetur, ejuſque ſenſum exponat. Hoc enim omnibus ſæculis a Patribus, & Doctoribus in ſuis commentariis factum eſt. Certum eſt tertio, Græcos in Concilio Florentino hoc ſaltem admiſiſſe, quod uſque ad Concilium Epheſinum licitum fuerit ſymbolo Apoſtolorum & Nicæno explicationem addere textui inſertam, ejuſque continuativam, id enim factum eſt a Conciliis Nicæno, & CP. ſummæ apud ipſos authoritatis. Hinc illa ſunt Beſſarionis verba ſeſſione 8. *Antiquis non modo explicare fas erat, ſed uti etiam explicationibus, ut lubebat, præter quam in divina ſcriptura: hoc eſt ibi eas reponere, ubi eis viſum eſſet, præterquam in divina ſcriptura; atque vel ipſi ſacro ſymbolo eas interſerere; vel alibi ubicunque eis libuiſſet.* Certum eſt quarto, Græcos in eodem Concilio pariter admiſiſſe, quod poſt decreta ſynodorum Epheſinæ, & Chalcedonenſis licitum fuerit ſymbolum CP. contra novas hæreſes explicare, interpretatione extra ejus *ſeriem* vagante, hoc enim ſubſequa Concilia conſtanter practicarunt, anathemata contra hæreſes promulgando. Imo ſuſtinuerunt, privatis poſt dicta decreta licuiſſe, fidem ſuam *quibuſlibet* verbis exponere, modo id facerent catholice. Dum enim Seſſione 12. Julianus Cardinalis a Marco Epheſio quæreret: *an Agatho & Sophronius, qui ſuam expoſuere confeſſionem, interdictum ſidei violaverint, nec ne?* reſpondit: *minime, quia nihil communi*

ſymbola addiderunt, ſed extra & privatim *expoſitis ſuis confeſſionibus decreta ſynodi non obſtringuntur: dictum eſt enim, non fuiſſe cuiquam prohibitum* privatim *exponere ſuam fidem; ſed eam pro ſymbola tradere, aut ſymbola quidpiam* interſerere, *hoc probibitum eſt*. Ex circa hanc ultimam propoſitionem vertebatur cardo diſputationis Græcos inter & Latinos, circa additionem particulæ *Filioque* habitæ.

Expenduntur momenta Græcorum, quæ tum ex Synodis, tum ex Patribus in Concilio Florentino attulerunt.

315. OBjiciunt primo authoritates Conciliorum, quibus prohibetur fieri additio ſymbolo Nicæno-CP. Et primo quidam ſynodus œcumenica III. ſeu Epheſina I. lecto ſymbolo Niceno, ac deinde Neſtoriano *ſtatuit -- alteram fidem nemini licere proferre, id eſt conſcribere aut componere, præter definitam a SS. Patribus, qui Nicææ congregati ſunt in Spiritu S. Eos vero, qui auſi fuerint aut componere fidem alteram, id eſt proferre; vel offerre volentibus converti in agnitionem veritatis ſive ex gentilitate, ſive ex Judaiſmo, ſive ex qualicunque hæreſi: hos, ſiquidem Epiſcopi ſint, aut Clerici, alienos eſſe Epiſcopos ab Epiſcopatu, & Clericos a Clericatu; ſi vero Laici fuerint, anathemati ſubjici*.

316. Reſp. I. cum S. Th. 22. q. 1. a. 10. ad 2. *Prohibitio & ſententia ſynodi ſe tantum extendit ad privatas perſonas, quarum non eſt determinare de fide, non enim per hujuſmodi ſententiam ſynodi generalis ablata eſt poteſtas ſequenti ſynodo novam editionem ſymboli facere; non quidem aliam fidem continentem, ſed eandem magis expoſitam*. Quæ reſponſio plane aſſequitur ſenſum decreti, illud enim pœnas ſtatuit in privatos Epiſcopos, Clericos, & Laicos, non quidem fidem ſuam privatim ſuis verbis exponentes, ſed in eos, qui illam offerrent *ad fidem Chriſti converti volentibus*, eo quod tunc determinarent de fide.

317. Reſp. II. Cum Patribus Latinis in Concilio Florentino, iſthoc decreto ſolum prohiberi, ne a quocunque demum fiat compoſitio fidei, quæ ſit Nicænæ contraria, vel ſimilis particula eidem inſeratur; nullatenus autem vetari, ne a poteſtate debita ex urgente cauſa fiat nova additio ſymbolo, illius nude explicativa. Quæ reſponſio confirmatur.

318. Primo ex circumſtantiis hujus decreti, quas ex actis Concilii Epheſini *Seſſ.* 11. & 12. obſervat doctiſſimus Cardinalis Jullaous, & habentur apud Coletum *Tom.* 3. *pag.* 1201. & *ſeqq.* Nam prout ibidem legitur, antequam Patres Epheſini hoc interdictum concederent, Chariſius, qui a Neſtorianis tanquam hæreticus proclamatus fuerat, primo Orthodoxum ſuum ſymbolum recitavit, quod neque Nicænum, neque CP. erat quoatum ad ſingula verba, ſed Nicænum a ſe interpolatum. Deinde promſit ſymbolum Neſtorianorum, quod vocat *perfidiæ ſymbolum*. Quibus perlectis, ſubdit S. Synodus: *Nemini liceat proferre, aut docere alteram fidem*: poſtmodum damnat eos, qui confictum, & expoſitum a Neſtorianis ſymbolum tenerent, nec ullam facit mentionem Chariſii, quia Confeſſionem ejus, & fidem reprobet; ergo ſynodus Epheſina non prohibuit Nicæno ſymbolo fieri additionem pure explicativam, etiam textui inſerendam, ſed tantum contrariam, alias enim & Chariſii confeſſionem improbaſſet, in qua inter alia legitur: *& in Spiritum Sanctum conſubſtantialem Patri & Filio*.

319. Confirmatur ſecundo ex Concilio Chalcedonenſi, quod in fine actionis V. decretum ſynodi Epheſinæ, ſupra objectum, confirmavit iiſdem pene verbis, quibus fuit conditum, ex eo namque aperte colligitur, nec Epheſino, nec ſuo decreto prohiberi alterius ſymboli compoſitionem Catholicam, aut Niceno-Conſtantinopolitani orthodoxam expoſitionem etiam per particulæ, vel ſententiæ inſertionem; cum citata ſeſſione aperte profiteatur nudam explicationem, etiam inſertam ſymbolo, nullatenus eſſe additionem. Verba ejus ſunt: *Decernit Sancta Synodus ante omnia fidem integram, & intemeratam permanere trecentarum decem & octo SS. Patrum, & confirmat doctrinam, quæ de ſententia Spiritus S. a Patribus* 150. *poſtea congregatis in Regia civitate tradita eſt propter illos, qui Spiritui S. repugnabant*, Et pergit: *quam illi omnibus notam fecerunt*, non quaſi aliquid deeſſet, prioribus adjicientes, *ſed ſuum de S. Spiritu intellectum -- declarantes*. Ex quibus ſic argumentor. Patres CP. Symbolum Nicænum multis verbis, ſententiiſque intercalarunt, vel ſaltem ita intercalatum approbarunt; & tamen, quia erant nudæ explicationes, illis ſtantibus PP. Chalcedonenſes decernunt, fidem Nicænam manere integram, & intemeratam, nec quidquam a PP. CP. eidem fuiſſe adjectum; ergo nudam explicationem, etiam ſymbolo inſertam, non cenſuerunt additionem, & conſequenter hanc prohibendo illam non interdixere, ſed tantum fidei contrariam.

320. Confirmatur tertio. In dicto decreto Chalcedonenſi, quod, uti monuimus, iiſdem pene verbis decretum Epheſinum recitat, non tantum definitur, ne cui liceat proferre, aut conſcribere, vel componere alteram fidem, ſed etiam ne aliud *ſentire* liceat, præter fidem Nicææ, & CP. expoſitam; ex quo manifeſtum fit, in dictis decretis tantum prohiberi additionem contrariam; alioquin enim Græci multa ſentientes, quæ in Symbolo Niceno-Conſtantinopolitano non ſunt expoſita, ſubjacerent Anathemati.

321. Contra primam confirmationem explicat Epheſius. Ex eo, quod Concilium Epheſinum, damnato ſymbolo Neſtorianorum, tacite approbaverit ſymbolum Chariſii, tantum ſequi, dictam ſynodum privatis perſonis permiſiſſe, ut fidem ſuam, cæteroquin Catholicam, ſuis verbis in ſymbolum redigerent, vel etiam verba explicativa ſymbolo inſererent, atque NB. *privatim*, ubi opus eſſet, exhiberent, quemadmodum, inquit, patet exemplo Chariſii, Sophronii, & Taraſii, qui fidem ſuam privatim ſuis verbis expoſuerunt, & hodiedum obſervatur a Patriarchis Orientalibus, qui, dum inaugurantur, Patriarchæ CP. fidem ſuam mittere tenentur: nullatenus autem conceſſiſſe, ut privatis, vel Eccleſiæ poſthac liceret ſymbolum, etiam Catholicum, a Nicæno diverſum componere, vel Nicænum catholica ita interpolare, ut tanquam *communis* fidei teſſera fidelibus proponatur, in qua eos baptizari oporteat; huncque eſſe ſenſum præfati decreti ex iiſdem circumſtantiis colligit, inquiens, Chariſium non accuſaſſe ſimpliciter Neſtorianos, quod alteram fidem adidiſſent; ſed quod loco Nicænæ fidei ſuam perverſam traderent, veluti *communem inſtitutionem* iis, qui accedebant ad fidem ex hæreſibus.

322. Reſpondet Julianus: quod Epheſius non debeat alium ſenſum legi tribuere præter eum, qui exſtat in ipſa. Synodum vero, ac decretum idcirco abrogare, & rejicere ſymbolum Neſtorianum, *quia multa, ac perverſa continebat dogmata*; ſimulque cenſare explicationem non eſſe additionem; eo, quod Chariſius ibi non aliud ſymbolum a Nicæno recitaverit, ſed Nicænum his verbis interpolatum: *Et in Spiritum veritatis paracletum, Patri & Filio conſubſtantialem: & in ſanctam Catholicam Eccleſiam: in mortuorum reſurrectionem: in vitam æternam:* nec tamen propterea fuerit reprehenſus.

323. Urget Epheſius, quærens ex Juliano: an

jus

jus haberent Neſtoriani, ſi Catholici eſſent, tradendi aliud ſymbolum? cui quæſiti eum reſpondiſſet Julianus, illos jus habere aliud tradere tanquam privatum, non vero ut commune & œcumenicum intulit Epheſius: *hoc ego plane dicebam, hac de cauſa non fuiſſe licitum tradi*. Quo probare niſus eſt, iſthoc decreto prohiberi non tantum editionem fidei, quæ ſit Nicænæ contraria: ſed etiam cæteroquin Catholicæ, aut Nicænæ fidei interpolationem, quæ nimirum tanquam *communis* infidelibus, ad agnitionem veritatis converti volentibus, proponatur; ne nimirum ſi hoc liceret, ad exemplum Neſtorianorum hominibus perverſis detur occaſio, hæreſes ſub ſpecioſo titulo ſymboli diſſeminandi.

324. Reſpondet Julianus: hanc facultatem privatis non eſſe præſenti decreto, ſed ab Apoſtolorum temporibus jam interdictam, cum illorum non ſit de fide determinare, nec Eccleſia univerſa uni privato obedire teneatur.

325. Inſtat Epheſius: ſuſtinendo ſcopum hujus decreti eſſe, ut poſthac *nemini* liceat, non tantum contrariam fidem edere, ſed nec aliam Catholicam, aut Nicænam catholice interpolatam, tanquam communem, eſtque replica contra ſecundam confirmationem. Synodus Chalcedonenſis, poſtquam citata actione 5. recitari curaſſet ſymbolum Nicænum, deinde CP. ſubjungit: Symbolum Nicænum *ſufficere ad plenam cognitionem pietatis*; ergo dum infra vetat alteram fidem edere, ex hoc ſolo motivo vetat, & conſequenter prohibet eidem etiam particulam explicativam addi.

326. Confirmat argumentum I. teſtimonio Cyrilli Alexandrini, qui nomine Cœleſtini I. Concilio Epheſino præſedit, ejuſque quodammodo os fuit; hic enim *in Epiſt. ad Joannem Antiochenum* ita habet. *Neque enim aut nobis, aut ulli omnino alteri, vel unam omnino vocalem* (in ſymbolo Niceno) *poſitam immutare, aut unam etiam ſyllabam præterire permittimus*.

327. II. Ex epiſtola Vigilii Papæ *ad Eutichium Patriarcham CP.* in qua poſt receptum a ſe ſymbolum Apoſtolorum per Nicænum, & hoc per CP. explicatum, anathematizantur hi, qui aliud præter prædictum ſymbolum præſumunt docere, aut exponere, aut tradere SS. Eccleſiis Dei.

328. III. Ex epiſtola Agathonis Papæ *ad Imperatores Romanos*, in qua ſe dicit ſtudere & optare, *ut nihil de eis, quæ regulariter definita ſunt, minuatur, nil mutetur, vel augeatur: ſed eadem & verbis, & ſenſibus illibata cuſtodiantur*. Si autem regulariter definitis vel verbum addatur, non manent eadem verbis; ergo ſenſus decreti Epheſini juxta explicationem Concilii Chalcedonenſis, & horum Patrum non eſt prohibere tantum additionem contrariam, ſed etiam nude explicativam: & non tantum a privato, ſed etiam a Concilio, vel Papa faciendam, eo fine, ut tanquam *communis* Eccleſiæ proponatur.

329. Ad inſtantiam Epheſii ex Synodo Chalcedon. obſervat Epiſcopus Rhodi in eodem Concilio Florentino, Synodum non dicere, quod ſymbolum Nicænum *ſufficiat*, ſed ſic: *Sufficeret quidem ad plenam cognitionem, & confirmationem pietatis hoc ſapiens, & ſalutare divina gratia ſymbolum*; & hinc locus iſte magis favet Latinis, quam Græcis; cum enim Chalced. Synodus poſtquam hæc dixiſſet, fidelibus contra Macedonianos commendet præterea ſymbolum CP., & dicat; Patres CP. Niceno nihil adjeciſſe; & contra Neſtorianos epiſtolas Cyrilli ad Neſtorium, & Orientales; item contra Eutichianos epiſtolam Leonis M. ad Flavianum; indicavit quidem ſymbolum Nicænum ſufficere quantum ad *rationem* fidei, non vero quantum ad ejus *declarationem*.

Item, quod declaratio eidem inſerta non ſit additio, ſeu *adjectio*.

330. Et hoc pacto facile explicantur authoritates in confirmationibus adductæ; ſi enim ex mente Chalcedonenſis Synodi ſymbolum Nicænum intemeratum manſit, nec ei quidquam adjectum fuit, quamvis a Patribus CP. plurimis ſententiis fuerit explicatum, etiam ſymbolum CP. intemeratum manet, ſi ulterius 4. ſyllabis explanetur; & hinc Cyrillus, Vigilius, & Agatho ad mentem Chalced. Concilii loquuntur de mutatione, vel additione contraria.

331. Et quod ita intelligendus ſit Cyrillus in cit. ep. demonſtrat Julianus Cardinalis his verbis: *Nam Cyrillus in ep. ad Jo. Antioch. in qua reſpondit Epiſtolæ Neſtorii, multa dicit, quæ in Niceno ſymbolo non habentur expreſſe: quia tamen ea non erant aliena, propterea Cyrillus ait*: Nil addimus, nil detrahimus, *tametſi multa, ac diverſa ponit*.

332. Confirmat hoc ex ejuſdem Cyrilli ep. ad Neſtorium, ex qua plane manifeſtum fieri videtur, Patres Epheſinos una cum Præſide ſuo Cyrillo per *fidem alteram* intellexiſſe contrariam; verba ejus ibi ſunt. *Sancta Synodus Epheſi divino nutu congregata, ſententiam ſanctam tulit adverſus Neſtorium, & alios novarum vocum uſurpatores, qui poſt illum, vel ante illum eadem, quæ ille, ſenſerunt; eoſque, qui eadem dicere, vel mandare literis audeat, damnavit ſimpliciter, parem-que in eos conſtituit pœnam*. Ex quo perſpicuum eſſe ait Cardinalis, ſymbolum a Neſtorianis confictum, & a Chariſio in ſynodum delatum ideo fuiſſe reprobatum, quod rectæ, veræque fidei contraria dogmata contineret, non vero, quod a privatis compoſitum, & baptizandis ut *commune* fuerit propoſitum, hoc enim jam aliunde prohibitum fuit.

333. Quod ad Agathonis locum attinet, præterquam quod explicari jure poſſit ad mentem Concilii Chalcedonenſis, præterea dicimus, eum cit. epiſtola tantum inſinuare ſtudium ac votum, ut regulariter definitis nihil addatur, quod ſtudium & votum Eccleſia Romana, antiquitatis tenaciſſima, ſemper exhibuit, ut infra videbimus; non autem prohibuiſſe, ut urgente neceſſitate illis explicatio aliqua inſeratur; accedit, quod idem Summus Pontifex in ſua fidei expoſitione addiderit quædam, ſeu detraxerit, nec hoc extra rem Græcorum eſt, uti in Concilio Florentino prætendit Beſſarion, cum hoc ſymbolum ad Imperatores non ut privatus, ſed in epiſtola ſynodica miſerit.

334. Et hæ ſunt ſummatim illæ Latinorum in hoc Concilio ſolutiones & rationes, quibus ſenſum, quem decreto Epheſino Marcus Epheſius tribuere conatus eſt, videlicet, quod per illud prohibeatur *compoſitio alterius ſymboli, vel additio Niceno-CP. facta, quamvis Catholica, ſi tanquam* communis, & œcumenica *fidelibus proponatur*, elidere conati ſunt, & ſimul probare, inibi *nil aliud* prohiberi, quam editionem, vel additionem contrariam.

335. Quæ etſi validiſſimæ ſint, & ab omnibus Catholicis, non quidem ut *definitiones*, ſed definitionis de facta licite additione particulæ *Filioque* rationes ſuſpiciendæ; felicius tamen judicen S. Th. l. ſupra N. 216. cit. ſenſum decreti Epheſini attigiſſe, quam Cardinalem Julianum; hic enim negat dicto decreto prohiberi privatis edere alterum ſymbolum Catholicum tanquam *commune*, dicens hoc aliunde jam eſſe prohibitum, ac perſiſtit mordicus in hoc, quod editio *fidei contraria* ſolummodo prohibeatur; S. Th. contra l. cit. expreſſe docet, illo decreto prohiberi privatis *primum*, eo quod eorum non ſit de-

determinare de fide, & poſterioribus Conciliis *ſecundum*, ſeu editionem ſymboli *aliam fidem continentis*, non autem *eandem magis expoſitam*: qui videtur eſſe genuinus ſenſus præfati decreti, ſi oculis Thomæis inſpiciatur, ut l. cit. annotavimus.

336. Objicit II. Beſſarion Nicææ Metropolita, poſtea unione peracta S. R. E. Cardinalis (& eſt replica, ſive cum S. Th. ſive cum Cardinali Juliano decretum Epheſinum exponas:) Decreto Epheſino, etſi non fuerint prohibitæ explanationes ſymboli Nicæni vel etiam CP. quæ extra illud vagentur, fuerunt tamen prohibitæ ſimiles explanationes, etiam Catholicæ, quæ eidem inſerantur. Probat aſſumptum ex facto Patrum tum Epheſinorum, tum Chalcedonenſium, tum aliorum Conciliorum, qui etſi multis verbis, ſententiiſque ſymbola hæc explicaverint, nullum tamen verbum ex omnibus ſuis definitionibus ſacro-ſanctis depoſitis inſeruerunt, & conſequenter facto ſuo teſtati ſunt, ſenſum Decreti Epheſini eſſe, non licere poſthac ſymbolis iſtis, non tantum voculam contrariam, ſed nec Catholicam *interſerere*, & hoc quidem nec a Concilio Generali. Niſi enim ita ſenſiſſent, fieri non potuiſſet, quin ſynodus Epheſina eidem ſymbolo contra Neſtorium inſeruiſſet vocem *Theatocos* ſeu *Deipara*, & Chalcedonenſe ſimilem Eutichianæ hæreſis excluſivam: cum ergo hoc non fecerint, declararunt mentem ſuam eſſe, id nec poſterioribus Conciliis licere, & revera a nullo Concilio Generali hoc ſymbolum fuit temeratum, uſque dum id fieret a Romana Eccleſia.

337. Reſp. ex mente tum D. Th. tum Juliani, ſenſum Decreti Epheſini potius colligendum eſſe ex iis, quæ ab utroque allata ſunt, quam ex argumento Beſſarionis, quod claudicat, eo quod ex non uſu juris carentiam juris inferat. Quod enim Patres Epheſini ſymbolo Nicæno non inſeruerint tò *Deipara*, non ſequitur, eos ſibi, & aliis ſynodis, etiam Generalibus, vel Romano Pontifici, cui competit jus ea convocandi, eam facultatem ademiſſe, ſed hoc aliunde eſſet colligendum. Et refellitur ex eo, quod Synodus Epheſina, vel Chalcedonenſis nec habuerit poteſtatem ſequentibus Conciliis Generalibus ſimilem legem præſcribendi, quod patet cum ex eo, quod par in parem non habeat poteſtatem, cum ex facto ſecundæ ſynodi œcumenicæ, ſeu CP. I. quæ celebrata eſt aliquot annis poſt ſynodum Sardicenſem, quæ non ideo inter œcumenicas non numeratur, quaſi talis non ſit, ſed quia cum Nicæna, cujus *appendix* fuit, pro una computatur, nam etſi in illa ſynodo decretum emanaverit, *ne quid ulterius de fide ſcriberetur, neque edendam eſſe aliam fidei profeſſionem, ne illa, quæ Nicææ ſcripta eſt, ſuos numeros non habere videretur: neve iis, quibus libido eſt nova ſemper ſtatuere, occaſio hujuſmodi ſuppeditaretur, ut iterum de fide definiant*. Quemadmodum ſcribit Athanaſius ad Antiochenos *in cit. edit. pag.* 35. *col.* 2. Patres tamen CP. qui Sardicenſem Synodum ut legitimam agnoverunt, & venerati ſunt, uti conſtat ex eorum canone V. Nicænum Symbolum augmentando interpolarunt, vel ſaltem ab aliis ita auctum canonizarunt, ipſo hoc facto declarantes, decretum illud vel tantum prohibere editionem alienæ a Nicæna fidei, vel ſolum ſtringere privatos, non autem ſynodum œcumenicam poſteriorem, vel Papam ex urgente neceſſitate agentem. Cum ergo decretum Epheſinum & Chalcedonenſe ejuſdem ſint tenoris, idem prohibent.

338. Objiciunt III. Ipſi Romani Pontifices hanc additionem improbarunt; ergo cenſuerunt eſſe illicitam. P. A. primo authoritate Leonis Papæ III. qui in colloquio cum Legatis Concilii Aquiſgranenſis hoc additamentum improbavit ſequentibus verbis: *Nos idipſum non cantamus, ſed legimus, & legendo docere, nec tamen legendo aut docendo addere, quidpiam eidem ſymbolo inſerendo, præſumimus*. Imo idem Pontifex, ut ſupra vidimus, idem ſymbolum græce & latine in argenteas tabulas ſine hoc additamento ſculpi curavit. Probatur idem A. ſecundo authoritate Joan. VIII. qui in literis pro reſtituendo Photio Concilio Generali ſcriptis, jubet a ſymbolo abradi particulam *Filioque*, additque, ſe imposterum talem blaſphemiam non laturum impune.

339. Reſp. N. A. ad 1. pb. Reſpondet Pagius *ad a. c.* 809. *N.* 7. *Finis diſputationis hic fuit: Symbolum cum additamento* Filioque, *quod ei Romana Eccleſia nondum inſeruerat, a Francis decantari moleſte ferebat Leo; tamen id deinceps fieri non prohibuit* abſolute, *ſed rogavit hanc in palatio, ſive in Regia Capella conſuetudinem intermitti, ratus fore, ut morem Palatii libenter omnis ſequeretur Francia*. Pontifex ergo non abſolute reprobavit additionem hanc, ſed moleſte illam ferebat. Ad id quod additur

340. Reſp. Pontificem hoc ſymbolum ſine additamento ſculpi curaſſe, ut oſtenderet, a Latinis non contemni, ſicut objiciebant Græci; & prudenti conſilio duxit in ſua puritate aſſervandum, ne memoria excideret venerabilis ſymboli ab antiquis Patribus traditi, & ut conſtaret, Latinos nequaquam opinati, id eſſe contrarium noſtro, in quo additur particula *Filioque*.

341. Ad alteram probationem reſp. illam plura mendacia continere, a Photio viro nequam conficta, quam verba: ille ſiquidem vaferrimus homo duas Joannis epiſtolas, ſcilicet 199. & 201. eo conſilio corrupit, tum ut authoritate Apoſtolica oſtenderet Synodi VIII. in qua nuper fuerat depoſitus a ſede CP. acta eſſe reſciſſa, tum ut eadem authoritate ſuam de Spiritus S. proceſſione a ſolo Patre hæreticam ſententiam confirmaret. Sed Dei ſingulari providentia factum eſt, ut ambæ hæ literæ integræ aſſerventur in Vaticano, quæ dum nihil horum habent, impoſtoris nequitiam manifeſte coarguunt.

§. IX.
De Symbolo Tridentino.

342. Symboli tandem, ſeu teſſeræ loco, qua legitimi Catholicæ, ac Apoſtolicæ Eccleſiæ filii a ſpuriis noſtra hac tempeſtate Evangelicis, & Reformatis ſe ſe diſcernunt, habenda eſt prolixa illa fidei profeſſio, quam poſt ſacro-ſanctum, ac œcumenicum Concilium Trid. ab a. c. 1545. uſque ad a. 1563. ſub Paulo III. ſub Julio III. & Pio IV. Romanis Pontificibus, Carolo V. & Ferdinando I. Imperatoribus, præſentibus circiter 280. Patribus celebratum, Pius IV. adjecit ſymbolo Nicæno-CP. habeturque tum in calce *c.* 12. *de ref. Seſſ.* 24. hujus Concilii, tum in Bullario Romano conſtitutione 89. dicti Pontificis; & ita ſonat.

Credo in unum Deum &c. ut ſupra N. 96.

Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejuſdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto & amplector. Item ſacram ſcripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione ſacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam, & interpretabor.

Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ Legis a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum,

Confirmationem & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ Ritus in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula, quæ de peccato originali & de juſtificatione in Sacro-Sancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem una cum anima & divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem Catholica Eccleſia transſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter & Sanctos una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiſſime aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo.

Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram agnoſco, Romanoque Pontifici Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientia ſpondeo, ac juro; cætera omnia a ſacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacro-Sancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque Hæreſes quaſcunque ab Eccleſia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego N. N. ſpondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia.

343. Hoc Symbolum præter jam dictam, & ſupra N. 96. relatam Fidem Nicæno-CP. partim ſingillatim, partim generalibus terminis exhibet varias illas fidei definitiones, quas ſacroſanctum, ac œcumenicum Concilium Tridentinum contra Lutheri, aliorumque id temporis hæreticorum errores ſuis in ſeſſionibus ſancivit.

344. Occaſionem edendæ citatæ bullæ, in qua dicta fidei profeſſio habetur, dedit idem Concilium Trident. *cit. Seſſ.* 24. *c.* 12. *de ref.* ubi ita decernit. *Proviſi etiam de beneficiis quibuſcunque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes in manibus ipſius Epiſcopi, vel eo impedito, coram Generali ejus Vicario, ſeu Officiali orthodoxa ſua fidei publicam facere profeſſionem, & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent.* Quam diſpoſitionem dictus Pontifex in citata Bulla extendit etiam ad eos, *quibus de Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuſcunque locis regularium quorumcunque Ordinum, etiam militarium, quorumcunque nomine, vel titulo providebitur.* Imo in ſua conſtitutione 88. quæ incipit *in Sacro-Sancta*, Catholicæ Fidei profeſſionem publicam ſevere inſuper exigit a quibuſcunque promotis, & promovendis ad aliquam AA. LL. Facultatem, electiſque, & eligendis ad Cathedras, Lecturas, & Regimen publicorum Gymnaſiorum, hiſque omnibus præſentem formam præſcribit. Quam etiam ſervare debent Heterodoxi ad fidem Catholicam converſi, & ad faciendam publicam fidei profeſſionem *C. ad abolendam 9. de hæreticis* obligati. Item Græci, ſive ad unitatem Catholicæ Eccleſiæ relicto Schiſmate redeuntes, ſive tanquam Orthodoxi ad ſupra relata quoquo modo promovendi; Græcorum tamen formula, præter præſentem fidei profeſſionem, inſuper decretum fidei in Synodo Florentina editum complectitur, uti videri licet in conſtitutione 33. Gregorii XIII.

345. Scopum, quem ſibi Pius IV. in concinnanda hac fidei formula præfixit, ipſe in utraque Bulla inſinuat, videlicet tum, *ut unius ejuſdem Fidei profeſſio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, ac certa ejus forma innoteſcat;* tum, ut Domini grex curæ illius commiſſus *non ſolum ab apertis rapacium luporum, undecunque eaulis obſtrepentium, inſultibus, ſed etiam a magis formidoloſis peſtiferarum vulpecularum domi latitantium inſidiis —— ipſo Domino cooperante præſervetur.*

Cui hæc de ſymbolis occaſione Tituli I. dicta cedant ad majorem gloriam.

T I T U L U S II.

De Conſtitutionibus.

1. ABſolutis Titulo primo iis, quæ pertinent ad *jus credendorum*, ſeu quibus regulatur intellectus in ordine ad pie & juſte vivendum in hoc ſæculo, quæque in ſymbolis continentur; ad alias, quibus in eundem finem regulatur voluntas, atque externa converſatio, Titulo ſecundo progredimur; notis hiſtoricis conſtitutiones eccleſiaſticas ea, qua titulo præcedenti uſi ſuimus, methodo illuſtraturi; de civilibus enim pariter tractare ſuſcepti operis & ratio, & anguſtia prohibet.

2. Nomine autem Conſtitutionum Eccleſiaſticarum veniunt Canones Conciliorum, decreta Pontificum, effata Patrum, legeſque civiles in corpore Juris Canonici, ut ajunt, canonizatæ.

3. Hi Canones, decreta, ſententiæ, & leges ſparſim ſubinde editæ primis & ſubſequentibus Eccleſiæ ſæculis in unum corpus ſæpius ſunt collectæ, unde variæ Canonum collectiones prodierunt, & de his collectionibus agemus I. de jure noviſſimo e conſtitutionibus conſtituto, ſimulque de variis aliis ad corpus juris Canonici ſpectantibus II. cumque ad rectam legum Eccleſiaſticarum, earumque obligationis notitiam comparandam plurimum interſit noſſe concordata Sacerdotium inter & Imperium, de his, in quantum concernunt noſtram Germaniam, agemus III.

C A P U T I.

De Sacrorum Canonum collectionibus tam Orientalibus, quam Occidentalibus in genere.

4. ETſi ſacri Canones, a generalibus, ſive a particularibus Conciliis, ſive ab alia legitima poteſtate lati, ex ſe haberent vim obligandi vel univerſalem, vel particulares Eccleſias, a primis tamen Eccleſiæ temporibus in certos quoſdam codices ſunt relati: tum ut horum ope cuilibet innoteſceret, quas regulas in diſciplina ſequi oporteret; tum ut nullus de authoritate earum regularum dubitandi locus ſupereſſet, nullique ſpurii pro veris Canonibus obtruderentur.

5. Hæ collectiones dividi primo poſſunt in Orientales & Occidentales. Orientales ſunt, quibus Orientalis. Occidentales, quibus Eccleſia Occidentalis utitur. Ambæ ſubdividuntur in veteres & recentiores; veterum nomine intelligimus eas, quæ olim; per recentiores vero eas, quæ nunc in utraque Eccleſia uſum habent.

6. Collectiones tam veteres, quam recentiores biſariam rurſus partiri poſſunt, videlicet in majores, ſeu quæ omnem materiam Canonicam ambiunt, & in minores, ſeu particulares, quæ ad particulare unum vel plura argumenta reſtringuntur. Veteres Occidentales majores ſunt collectiones Iſidori vulgo Mercatoris, Reginonis, Burchardi, Ivonis Carnotenſis. Minores ſunt collectio Martini Braccarenſis, Pœnitentialia Theodori Cantuarienſis, Ven. Bedæ, Egberti, Rabani, & Pœnitentiale Romanum. Recentiores majores ſunt decretum Gratiani, & decretales Gregorii IX. Minores ſunt Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. Extravagantes communes.

7. Hæ omnes collectiones conſiderari poſſunt vel quoad materiam, vel quoad formam; quoad materiam conſiderantur, ſi ſpectentur ea, quæ in illis diſponuntur, hæc autem ſunt Canones Conciliorum tum generalium, tum particularium, decreta Pontificum, ſententiæ Patrum, Leges civiles; quoad formam vero ſpectantur, ſi peſitetur Ordo, ſeu ipſa harum materiarum diſpoſitio.

8. Quantum ad materiam harum collectionum, primitivæ tam Græcæ, quam Latinæ ſolos continebant Canones Conciliorum. Græcis poſtmodum adjecti ſunt Canones Apoſtolorum, & ſententiæ Patrum Græcorum: Latinis vero decreta Pontificum, atque effata Patrum Latinorum; ab utriſque Leges civiles ſubinde non excluſæ. Prima pars infra patebit, referendo primitivas collectiones. Secunda, tertia, & quarta pariter conſtabit, agendo de utriuſque Eccleſiæ codicibus auctis.

9. Quantum ad formam, ſeu harum materiarum diſpoſitionem, & ordinem, cum hic ſit duplex, *Temporum*, & *Argumentorum*, in primitivis utriuſque Eccleſiæ collectionibus, ſicut & in Græca, quæ poſt Chalcedonenſe Concilium facta eſt, & in Latina a Dionyſio exiguo concinnata, *Ordo Temporum* ſervatus eſt, ſeu Canones Conciliorum continua numerorum ſerie, ſervato inter illos majori ex parte ordine Chronologico, diſpoſiti; in poſterioribus vero Latinis, præſertim poſt Gratianum adornatis, & Ordo temporum & argumentorum adoptatus, ita ut varii Canones circa eandem materiam a diverſis Conciliis editi ſub eodem titulo collocarentur, & iidem Canones ſub eodem titulo chronologice diſponerentur; qui duplex Ordo in Orientalibus collectionibus pariter ſervatus eſt, præcipue in collectione Joannis Antiocheni, & Photiana.

10. Græci genus collectionis habent, quo carent Latini, illud videlicet, quod juxta ordinem alphabeticum diſponitur; talis eſt collectio Matthæi Plaſteres, in qua Canones juxta eundem ordinem adnumerantur.

11. Quædam præterea apud Græcos ſunt collectiones, Nomocanones dictæ, id eſt concordia legum civilium cum Canonibus, inter quas inſigniores ſunt eæ, quæ Joannem Antiochenum, & Photium Authores habent. Prior in quinquaginta, poſterior in quatuordecim titulos diſtribuitur. In utraque ſingulorum titulorum Canonibus Leges congruæ ſubjiciuntur. Et hujuſmodi collectionibus pariter carent Latini, licet enim in pluribus Leges civiles Canonibus miſceantur, non tamen in omnibus titulis laudantur, multo minus Canonibus continua ſerie collectis eadem ſerie ſubjiciuntur.

12. Græci & Latini ſuppoſititias collectiones habent, id eſt vel in integrum, vel ex parte conflatas ex Canonibus, qui eorum non ſunt, quorum nomen præſeferunt. Talis apud Græcos eſt Collectio Canonum Apoſtolorum, apud Latinos Collectio Iſidori Mercatoris quantum ad Epiſtolas veterum Romanorum Pontificum uſque ad Siricium Papam, & quædam aliæ, de quibus ex profeſſo infra.

13. Græci & Latini habent breviaria Canonum, in quibus ſenſus tantum, non verba referuntur; ea Latini diu ante Græcos habuere; tale eſt *Compendium* Ferrandi Diaconi Eccleſiæ Carthaginenſis ſeculo VI. editum, & Creſconii Epiſcopi Africani ſæculo VII. compilatum. Primum 232. alterum 300. Canonibus conſtat; amboque juxta ſeriem argumentorum diſponuntur. Tale eſt etiam juxta aliquorum ſententiam *Epitome* Canonum ab Adriano I. ad Carolum M. miſſa, quamvis alii eidem integrum codicem Eccleſiæ latinæ ab Adriano præſentatum non improbabiliter adfirment. In eadem claſſe collocari quoque poſſunt *Excerptiones* Egberti Archi-Epiſcopi Eboracenſis, quæ ordine argumentorum digeruntur.

14. Compendia Græcorum XI. XII. & XIII. tantum ſæculis prodiere. Primum Authorem habet Ariſtenum Monachum; ſecundum a Simeone Logotheta profectum, ambo juxta temporum ordinem: tertium ab Arſenio Monacho confectum eſt juxta ſeriem argumentorum. Celeberrimum & præſtantiſſimum eſt compendium Harmenopuli Judicis Theſſalonicenſis.

15. Ex omnibus Occidentalibus Canonibus ſoli Conciliorum Africanorum & Synodi Sardicenſis in collectiones Græcas ingreſſi ſunt. Prima, in qua reperiuntur Canones Sardicenſes, eſt Joannis Antiocheni. Conciliorum Africanorum Canones a Græcis adoptati, & approbati non fuere, niſi in Concilio Trullano can. 2. a. 692. & poſtea Codici ex diſpoſitione hujus Canonis inſerti.

16. Inter collectiones Latinorum ſolus Canonum Africanorum codex Canonibus Orientalibus caret. Alias Græci Canones in Latinis Codicibus ut plurimum ſunt præcipui, ut facile patebit ei, qui eos percurret, vel eorum indicem aut præfationem perleget. Imo antiquiſſimæ Latinarum collectionum nihil aliud ſunt, quam verſiones Canonum Orientalium, quibus nonnulli Canones Occidentales adjecti ſunt. Tales ſunt collectio Latina, quæ Dionyſii Exigui collectionem præceſſit; collectio ipſa Dionyſii quantum ad primam partem, collectio Martini Braccarenſis, collectio Pſeudo-Iſidori, & illa, quam Leo IV. *c.* 1. *diſt.* 20. e Canonibus Orientalibus priorum quinque ſæculorum ſpecialiter compilatam, nec non ex Canonibus Sardicenſibus, Africanis, Carthaginenſibus, atque decretis Pontificum, commemorat.

17. In nulla Græcorum collectione decretales Pontificum Canonibus annumerantur. Collectiones Græcorum & Latinorum collectionibus corporis juris anteriores gloſſa carent. Videantur Leunclavius *in 2. tomis Juris Græco-Romani tam Canonici, quam civilis*; Florens *in diſſertatione de origine Juris Canonici*; Gibertus *in Corpore Juris Canonici per regulas ordine naturali digeſta*, unde hæc, quæ de collectionibus Canonum tam Orientalium, quam Occidentalium dicta ſunt, excerpſimus.

C A P U T II.

De collectionibus Canonum & Conſtitutionum vulgo Apoſtolorum in ſpecie.

§. I.

De collectione Canonum vulgo Apoſtolorum.

18. EX duplici capite hæc collectio reliquas ordine antecedit. Primo, quia viri non infimi ſubſellii eam a Clemente I. S. Petri Diſcipulo primo Chriſtianæ Æræ ſæculo compilatam affirmant. Secundo, quia illi, qui negant hos canones eſſe Apoſtolorum per Clementem editos, nihilominus fatentur, eorum compilationem eſſe antiquiſſimam.

19. Circa dictos Canones duo principaliter controvertuntur inter eruditos. Primum eſt circa eorum numerum, alterum circa illorum Authorem. Quod ad numerum attinet, licet plures e priſcis Patribus aliquorum ex hiſce Canonibus meminiſſe videantur, nil tamen certi de eorundem numero e quopiam antiquorum elici poteſt. Circumfertur equidem Epiſtola Zephirini Papæ, qui vixit ſub finem ſæculi ſecundi, in qua dicitur: *70. enim Apoſtoli ſententias præfixerunt*, ac præterquam quod Gratianus *diſt. 16. c. 2.* pro 70. legat 60., & Gregorius Presbyter in ſui *Polycarpi lib. 3. tit. 2.* quinquaginta, ut annotant Correctores Romani ad dictum c. 2.; inſuper hodie compertum eſt, nihil ex illa Epiſtola pro antiquitate concludi poſſe, utpote quam norunt eruditi omnes, unam eſſe e decretalibus primis Pontificibus ſuppoſitis.

20. Sæculo V. in Eccleſia Orientali collectionem 85. Canonum Apoſtolicorum exſtitiſſe, conſtat ex Joanne Scholaſtico, primum Antiochiæ (unde & Antiochenus dicitur) Presbytero, poſtea Patriarcha Conſtantinopolitano, Dionyſio exiguo, qui ſæculi ſexti initio floruit, coævo; hic enim in præfatione ſuæ collectionis Canonum diſerte ait; *Sancti Domini Diſcipuli & Apoſtoli 85. Canones Clementis opera ediderunt.*

21. Eodem ſæculo V. exeunte, Dionyſius exiguus ſuum Canonum codicem adornans canones 50. ſub nomine Apoſtolorum e Græco in Latinum tranſtulit, aliiſque canonibus in ſuo codice præmiſit ſub hoc titulo: *Incipiunt regulæ Eccleſiaſticæ Sanctorum Apoſtolorum, prolatæ per Clementem Eccleſiæ Romanæ Pontificem.*

22. Octuaginta quinque Canones Apoſtolorum ab Orientalibus Eccleſiis recepti ſunt ſexto ſaltem ineunte ſæculo; ante quinti ſæculi ſuprema in Oriente non probati.

Probatur prima Pars ex Juſtiniano Auguſto, qui illo ſæculo Imperii clavum tenuit, hos canones prolixe commendante *in conſtit. ad Epiphanium Patriarcham CP.* his verbis. *Recte ac congruenter omnia agerentur, ſi ipſum rei initium Deo gratum eſſet: quod quidem certe futurum credimus, ſi ſacri illi Canones diligenter obſerventur, quos nunquam ſatis laudati, adorationeque digni, & qui ipſum Filium Dei conſpexerunt, illique miniſtrarunt, Apoſtoli nobis reliquerunt, ac Sancti Patres cuſtodierunt, & interpretati ſunt.* A Juſtiniano porro hos ipſos, quos nunc habemos 85. Canones, intelligi conſtat primo ex eo, quod eodem tempore totidem a Joanne Scholaſtico in ſuum Nomocanonem relati ſunt. Secundo ex Trullana Synodo, quæ VII. exeunte ſæculo celebrata eſt, canone 2. ita decernente: *Hoc quoque huic S. Synodo pulcherrime & ſanctiſſime placuit, ut deinceps ad animarum medelam, & perturbationum curationem firmi ſtabileſque maneant, qui ab iis qui nos præceſſerunt, ſanctis & glorioſis Apoſtolis traditi ſunt 85. Canones*, Refertur hic Canon apud Gratianum *diſt. 16. c. 4.*

Probatur ſecunda Pars I. Si ab Orientalibus Eccleſiis ante ſexti ſæculi exordia recepta fuiſſet dicta 85. Canonum Apoſtolorum collectio, eam Eccleſiaſticorum Canonum codici inſeruiſſent, ac ante cæteros omnes collocaſſent; atqui Orientalis Eccleſia Canones Apoſtolicos nullo plane loco, & numero in ſuo Canonum codice cenſuit ante ſæculum ſextum; ergo recepti antea non erant illi Canones. M. patet: quia illum locum illis vendicabat eorum tum authoritas, tum antiquitas; mi. vero infra a n. 88. & ſeqq. agendo de codice Eccleſiæ Græcæ in Concilio Chalcedonenſi lecto & probato, evincetur, ubi argumento demonſtrativo oſtendetur, Canones Apoſtolorum in illo codice non exſtitiſſe.

Probatur ſecunda Pars II. Si ante ſæculum ſextum in Oriente recepta fuiſſet Canonum Apoſtolorum collectio, & tertio jam adulto ſæculo innotuiſſet, Firmilianus, aliique Epiſcopi Orientis in controverſia de Baptiſmo hæreticorum iterando, quam eos, uti & Cyprianum, atque Afros cum Stephano Romano Pontifice commiſit, illorum auctoritatem, ſuæ ſententiæ cumprimis faventem, protuliſſent. Firmilianus namque, & alii Orientales paribus cum S. Cypriano & Africanis Epiſcopis ſtudiis aſſerebant, baptizatos ab hæreticis Spiritum S. qui ad ſolam Eccleſiam pertinet, ſuſcipere non potuiſſe. Stephanus e contra aſſerebat traditionem non eſſe innovandam, neque repetendum baptiſma ab hæreticis collatum; ſed manus in pœnitentiam baptizatis imponendas. Stephanus nitebatur antiqua conſuetudine, cui Cyprianus ſcripturas opponebat. Firmilianus vero Stephano objiciebat conſuetudinem, quæ vigebat in Oriente: Certe nihil opportunius accidere poterat hacce contentione, ad urgendam Canonum Apoſtolicorum authoritatem, ſi ea tempeſtate concinnata fuiſſet illorum collectio; nihil enim a Firmiliano proferri poterat luculentius ad confirmandam conſuetudinem illam conſtantiſſimam, & in Apoſtolica traditione (ut contendebat) quamque Stephano Pontifici Romano obtrudebat, fundatam, quam Canones Apoſtolici 45. & 46. infra n. 25. referendi, Cypriano & Firmiliano apertiſſime faventes; itaque ex ſilentio Firmiliani & Cypriani, omniumque Epiſcoporum, tum Aſianorum, tum Afrorum colligitur, ignotos ea ætate Orientalibus fuiſſe Canones Apoſtolicos.

23. Quinquaginta priores canones, a Dionyſio initio ſexti Sæculi in codicem Latinæ Eccleſiæ relati, inter Eccleſiaſticas Regulas ab omnibus Eccleſiis ſtatim admiſſi non ſunt; attamen ſucceſſu temporis per univerſam Eccleſiam Latinam auctoritatem obtinuerunt, 35. poſterioribus rejectis.

Probatur prima Pars I. teſtimonio ipſius Dionyſii in ſuæ collectionis præfatione, quæ exſtat apud Colet. *Tom. 1. Conciliorum pag. 1.*, in qua Stephanum, ad quem opus mittit, his verbis admonet: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus; quibus quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum veſtram noluimus ignorare ſanctitatem, quamvis poſtea conſtituta Pontificum ex ipſis Canonibus aſ-*

ſumpta

ſumpto eſſe videantur. Id ipſum titulus Creſconianæ collectioni præfixus præſefert, teſte Baronio ad A. D. 102. §. 10. qui quoad poſteriora iiſdem fere verbis, quibus relata ex Dionyſiana translatione periodus, confectus eſt.

Probatur II. Quia neque Ferrandus Carthaginenſis Eccleſiæ Diaconus Apoſtolicis Canonibus locum ullum in ſuo breviario canonum dedit, quod circa ſexti ſæculi principia concinnavit, atque publicavit; neque Martinus Braccarenſis, qui in Hiſpania obiit anno D. 580. eos vel memoravit, aut inſeruit in ſua illa Græcorum canonum interpretatione, quam *collectionis Orientalium canonum* nomine editam ad Nitigeſium miſit A. D. 572. Ergo

Probatur ſecunda Pars ex Leone IV., qui circa medium ſæculi IX. ſedit, atque *in ep. a. 849. ad Epiſcopos Britanniæ dato* ita habet: *Quibus in omnibus Eccleſiaſticis judiciis utimur, ſunt Canones Apoſtolorum, Nicænorum, &c.* videlicet ex codice Dionyſii Exigui, qui tunc Romæ in uſu erat, & in quo ſoli 50. priores continentur. Refertur hæc epiſtola a Gratiano *diſt.* 20. *c.* 1.

Probatur tertia Pars ex Leone IX. Sæculo XI. ſedente, *in reſponſione contra epiſtolam Nicetæ*, aut potius in rei veritate ex reſponſione Humberti, ejuſdem Pontificis Legati, ad libellum ejuſdem Nicetæ, & refertur a Gratiano *diſt.* 16. *c.* 5. his verbis: *Clementis librum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & Apoſtolorum Canones numerant Patres inter Apocrypha, exceptis 50. capitibus, quæ decreverunt Orthodoxæ fidei adjungenda*. Ex quo patet, Sæculo XI., quo floruit Humbertus, & XII., quo floruit Gratianus, Latinos 50. priores canones cenſuiſſe Apoſtolicos, 35. poſterioribus tanquam apocryphis rejectis.

Id quod confirmari poteſt ex verbis Urbani II. qui A. 1088. Romæ ſedit, apud Gratianum *diſt.* 32. *c.* 6. ſub nomine Alexandri II. ita relatis. *Sciendum vero, quod Canones Apoſtolorum* (*quorum authoritate Orientalis*, & ex parte *Romana utitur Eccleſia &c.*) his enim ſignificat Summus ille Pontifex, Græcos 85. canones Apoſtolorum, Latinos vero eorundem duntaxat partem, hoc eſt 50. priores admittere.

24. Dices. Quomodo Eccleſia Latina recipere potuit 50. priores canones, cum 45. & 46. de rebaptizandis hæreticis errorem continere videantur ab illa damnatum; ut infra videbitur?

Reſp. Eccleſiam Latinam, recipiendo codicem Dionyſianum, 50. priores canones Apoſtolicos ejuſdem fronti inſertos una recepiſſe, non tamen canonem 45. & 46. in ſenſu ab authoribus eorundem intento, qui infra *n.* 33. & ſeqq. probabitur, approbaſſe. Nam etiam Decretales Gregorii IX. dicuntur a tota Eccleſia receptæ, etſi plura capitula in variis Eccleſiis ob ſtatuta, & conſuetudines contrarias inibi vigentes, non obſerventur. Unde & authores hos canones tantum vocant ab Eccleſia Romana *magis* receptos.

25. Latini in poſterioribus Conciliorum editionibus tandem omnes 85. canones Apoſtolorum ediderunt; atque in recentioribus corporis juris Canonici editionibus poſt decretum Gratiani omnes exhibentur ſub hac epigraphe: *Canones Sanctorum Apoſtolorum per Clementem a Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopum in unum congeſti*. Quos etſi mox cenſebimus apocryphos, nihilominus hic ex verſione Holoandri, prout eſt in *Corpore juris Canonici edito Coloniæ Munatianæ de A.* 1670. *pag.* 1266., adnumerabimus, eo quod, ut ait vir in re canonica verſatiſſimus Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis, *ſatis conſtet, nil quidquam in iis reperiri, quod Eccleſiæ IV. primorum ſæculorum diſciplinæ conſentaneum non ſit*; veluti conſtat ex collatione eorundem cum canonibus priorum V. ſæculorum facta a clariſſimo D. Giberto in ſui corporis juris per regulas ordine naturali digeſti parte 1. a pag. 45. & ſeqq., quam ad vindicandum eorundem honorem, qui in præjudicio incerti auctoris nutare poteſt, & ſuo tempore magnopere nutabat, egregio labore perfecit.

Canones Sanctorum Apoſtolorum per Clementem a Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopum in unum congeſti.

1. *Epiſcopus a duobus aut tribus Epiſcopis ordinator.*

2. *Presbyter ab uno Epiſcopo ordinator: item Diaconus & reliqui Clerici.*

3. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alio quapiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliquo animalia, aut legumina ſupra altare obtulerit, aut qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor, excepto novo frumento & uva opportuno tempore. Præterea licitum non eſto aliud quidpiam admovere ad altare, quam Oleum in candelabrum, & incenſum oblationis tempore.*

4. *Omnium aliorum pomarum primitiæ Epiſcopo & Presbyteris domum mittuntor, non ſuper altare. Manifeſtum eſt autem, quod Epiſcopus & Presbyteri inter Diaconos & reliquos Clericos eas dividunt.*

5. *Epiſcopus autem Presbyter, aut Diaconus uxorem ſuam prætextu Religionis non abjicito: ſi abjicit, ſegregator a Communione; ſi perſeverat, deponitor.*

6. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſæculares curas non ſuſcipito: alioquin deponitor.*

7. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus ſanctum diem Paſcha ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponitor.*

8. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicunque ex ſacerdotali conſortio, oblatione facta non communicaverit, cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam prometretor. Si minus dixerit, a communione excluditor, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, mota contra eum ſuſpicione, qui obtulit.*

9. *Quicunque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud Preces & ſanctam Communionem permanent: eos tanquam, qui Ordinis in Eccleſia perturbationem inducunt, a Communione arceri oportet.*

10. *Si quis cum excommunicato, licet in domo, Preces conjunxerit, iſte communione privator.*

11. *Si quis cum depoſito Clerico, ut cum Clerico Preces conjunxerit, deponitor & ipſe.*

12. *Si quis Clericus aut Laicus a communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus, ad aliam profectus civitatem ſine commendatitiis literis receptus fuerit, a communione excluditor tam qui recepit, quam qui receptus eſt. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.* Hic Canon a Græcis in duos dividitur.

13. *Epiſcopo, qui Parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licet a pluribus ad hoc compellatur: niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quod plus lucri & utilitatis his, qui illic conſtituti ſint, verbo pietatis conferre poſſit: neque hoc tamen a ſe ipſa, ſed multorum Epiſcoporum judicio & exhortatione maxima.*

14. *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quicunque tandem de Clericorum conſortio, relicta Parochia ſua in aliam conceſſerit, & omnino transmigratione facta præter voluntatem ſui Epiſcopi in alia Parochia moram traxerit, hunc jubemus, ne porro in Miniſterio publico ſit eccleſiæ, maxime ſi*

accerſente eum Epiſcopo ejus redire contemnat, perverſo illic ordine perſeverans, ut Laicus tamen ibi locorum in communionem admittitor.

15. Quodſi Epiſcopus, ad quem acceſſerint, pro nihilo reputata vocationis a Miniſterio eccleſiaſtico pœna, quæ contra eos definita eſt, ipſos ut Clericos ſuſceperit, a communione excluditor, ut perverſi ordinis Magiſter.

16. Qui poſt Baptiſmum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, is Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

17. Qui viduam duxit, aut divortio ſeparatam a viro aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis, Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

18. Qui duas Sorores duxit, aut conſobrinam, Clericus eſſe non poteſt.

19. Clericus, qui fidejuſſiones dat, deponitor.

20. Si quis humana violentia eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus eſt, efficitor Epiſcopus.

21. Qui ſibi ipſi virilia amputavit, clericus non efficitor: ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi Dei.

22. Si quis, cum clericus eſſet, virilia ſibi ipſe amputaverit, deponitor: homicida enim ſui ipſius eſt.

23. Laicus, qui ſe ipſum mutilavit, per tres annos a communione ejicitor; puta quia ipſe vitæ ſuæ poſuit inſidias.

24. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehenſus, deponitor: non tamen a communione excluditor. Dicit enim ſcriptura: bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni conſimiliter & reliqui clerici ſubduntor.

25. Ex his, qui cælibes in clerum pervenerunt, jubemus, ut Lectores tantum & cantores (ſi velint) nuptias contrahant.

26. Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipſis per hujuſmodi vult incutere, deponi præcipimus. Nuſquam enim Dominus hoc nos docuit. Imo vero contra, cum ipſe percuteretur, non repercutiebat: cum laceſſeretur conviciis, non regerebat convicium: cum pateretur, non comminabatur.

27. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ob certa crimina jure depoſitus attingere Miniſterium, quod aliquando tractaverat, præſumpſerit, omnino hic ab Eccleſia abſcinditor.

28. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipſe, quam qui eum ordinavit, & omnino a communione abſcinditor, quemadmodum Simon Magus a me Petro.

29. Si quis Epiſcopus ſæcularium Magiſtratuum familiaritate uſus, per ipſos Eccleſiam nactus fuerit, deponitor: ſegregantor quoque Communione quicunque cum ipſo Communionem habent.

30. Si quis Presbyter proprium aſpernatus Epiſcopum ſeorſum conventicula egerit, & Altare erexerit, cum de nullo crimine Epiſcopum in pietate ac juſtitia condemnarit, deponitor, quaſi qui principatum ambiat: Tyrannus enim eſt. Conſimiliter & reliqui Clerici, qui ſunt illi calculum apponunt. Laici vero a Communione ſegregantor. Atque hæc poſt unam & item alteram ac tertiam Epiſcopi exhortationem ſiunto.

31. Si quis Presbyter, aut Diaconus per Epiſcopum a Communione excluſus ſit, hunc neutiquam ab alio fas eſto ſuſcipi, quam ab eo, qui ipſum a Communione excluſit; niſi forte fortuna Epiſcopus, qui ipſum a Communione ſegregavit, defunctus ſit.

32. Nemo Peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitiis ſuſcipitor literis: & ſi eas obtulerit, attentius in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi Prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor; ſin minus, ubi neceſſaria ipſis ſuppeditaveritis, ad Communionem & ulteriorem ipſos conſuetudinem non admittitote: multa enim per obreptionem fiunt.

33. Cujuſque gentis Epiſcopos oportet ſcire, quinam inter ipſos primus ſit, habereque ipſum quodammodo pro capite, neque ſine illius voluntate quicquam agere inſolitum: illa autem ſola quemque pro ſe tractare, quæ ad Parochiam ejus & loca ipſi ſubdita attinent. Sed neque ille citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia erit, & Deus glorificabitur per Dominum in ſancto Spiritu.

34. Epiſcopus extra terminos ſuos in civitatibus & regionibus ſibi non ſubjectis ordinationes facere non præſumito: ſi vero præter voluntatem eorum, qui civitates illas, aut regiones detinent, id feciſſe convictus fuerit, deponitor tam ipſe, quam etiam hi, quos ordinavit.

35. Si quis ordinatus Epiſcopus Miniſterium & Curam populi ſibi commiſſam non ſuſceperit, hic a communione ſejunctus eſto eo uſque, donec ſuſceperit, obedientiam accommodans. Similiter autem & Presbyter & Diaconus. Si vero non præ voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit, maneto ipſe quidem Epiſcopus, Clerus vero ejus civitatis a Communione ſegregator, eo quod tam inobedientem populum non corripuerit.

36. Bis in anno Epiſcoporum celebrator ſynodus: ac pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocantor, neque non in Eccleſiis incidentes contradictiones dirimuntor ſemel quidem quarta feria Pentecoſtes, ſecundo duodecima Hyperberetæi.

37. Omnium rerum eccleſiaſticarum curam Epiſcopus gerito, & eas diſpenſato, quaſi inſpectante Deo. Non licitum autem ei eſto quippiam ex iis ſibi tanquam proprium aſſumere, aut cognatis ſuis elargiri, quæ Deo dedicata ſunt. Quodſi pauperes illi ſint, ut pauperibus ſubminiſtrato: non tamen horum prætextu res Eccleſiæ venumdato.

38. Presbyteri & Diaconi abſque voluntate Epiſcopi nihil peraguntο. ipſius enim fidei populus Domini commiſſus eſt, & pro eorum animabus ab ipſo repetetur ratio.

39. Manifeſtæ ſunto privatæ res Epiſcopi, ſi modo & privatas habet: manifeſtæ item ſunto Dominicæ, ut privatas quidem res Epiſcopus, cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat: neque occaſione eccleſiaſticarum rerum intercidant res Epiſcopi, qui nonnunquam uxorem & liberos, aut cognatos, aut ſervos habet. Juſtum enim eſt apud Deum pariter & homines ſimul, ne Eccleſia per ignorationem rerum Epiſcopi domui aliquid ſuſtineat, ſimul ne Epiſcopus aut cognati ejus prætextu eccleſiæ oblædantur: aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejuſque mors implicetur diffamationibus.

40. Præcipimus, ut Epiſcopus res eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ fidei ejus committendæ ſunt, multo utique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur, neque non cum timore Dei, ſummaque ſollicitudine per Presbyteros ac Diaconos erogentur in Pauperes. Percipiat autem & ipſe (ſi modo indiget) quantum ad neceſſarios ſuos & hoſpitio exceptorum fratrum uſus opus habet, ne quo modo ipſe poſteriore loco habeatur, quam cæteri. Ordinavit enim lex Dei, ut qui altari inſerviunt, de altari nutriantur: quomodo nec milites unquam ſuis annonis arma hoſtibus inferunt.

41. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui

qui vel alea, vel ebrietatibus indulget, vel deſini-to, vel deponitor.

42. *Subdiaconus, aut Cantor, aut Lector, qui conſimilia facit, vel deſinito, vel a Communione ſejungitor, ſimiliter & Laici.*

43. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui uſuras a mutuum accipientibus exigit, vel de-ſinito, vel deponitor.*

44. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui cum Hæreticis Preces conjunxerit, duntaxat a Communione ſuſpenditor. Si vero etiam ipſos tan-quam Clericos aliquid agere permiſerit, deponitor.*

45. *Epiſcopum aut Presbyterum, qui Hæretico-rum baptiſma aut Sacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus, quæ etenim conventio inter Chriſtum & Belial? aut quæ particula fideli cum infideli?*

46. *Epiſcopus aut Presbyter, ſi eum, qui ve-rum Baptiſma habent, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impiis non baptizaverit, deponitor, ut qui crucem & mortem Domini deſideat, neque diſcernat veros ſacerdotes a ſacerdotibus impoſto-ribus.*

47. *Si quis Laicus cum ſuam a ſe uxorem abji-cit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, a com-munione ſegregator.*

48. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter ſecundum ordinationem Domini non baptizaverit in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ſed in tres princi-pio carentes, aut tres Filios, aut tres Paracletos, deponitor.*

49. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter in una ini-tiatione non tres immerſiones, ſed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponi-tor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate: ſed profecti docete omnes gentes bapti-zantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* Hic Canon in Codice Dionyſiano ſub numero 50. refertus, ultimuſque eſt inter 50. a Latinis maxime probatos & receptos, licet in ver-ſione Herveti, ſicut & in hac Holoandri, qui Canonem 12. quemadmodum Græci, non diſtin-guunt, ſit 49. unde etiam fit, quod ſequentes 35. a Latinis non recepti, illis 49. adjecti od nume-rum 85. non pertingant, ſed 84. ſecundum has verſiones claudantur. Igitur in verſione Herveti & Holoandri Canon:

50. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus, aut quivis omnino de ſacerdotali conſortio nuptiis & carnibus & vino abſtinuerit, non pro-pterea quo mens ad cultum pietatis reddatus exer-citatior, ſed propter abominationem, oblitus, quod omnia pulchra valde, & quod maſculam & fæ-minam Deus creavit hominem, ſed diffamationibus laceſſens creationem Dei, vocat ad calumniam, aut corrigitor, aut deponitor, & ex Eccleſia rejici-tor; conſimiliter Laicus.*

51. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter eum, qui a peccato revertitur, non recipit, ſed rejicit, de-ponitor, eo quod Chriſtum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui reſipiſcat, gaudium oboriri in cælo.*

52. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus carnibus & vino feſtivis diebus non utatur, idque per abominationem, non propter exercitatio-nem ad cultum pietatis, deponitor, tanquam qui cauterio notatam habet conſcientiam, & multis au-ctor ſit offendiculi.*

53. *Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, a Communione excluditor: ex-cepto tamen eo, qui neceſſario in itinere in com-mune diverterit hoſpitium.*

54. *Si quis Clericus Epiſcopum contumelia affe-cerit, deponitor: Principi enim populi tui non ma-ledices.*

55. *Si quis Clericus contumelia affecerit Preſ-byterum, aut Diaconum, a Communione ſegregator.*

56. *Si quis mancum, aut mutum ſurdumve, aut cæcum, aut eum, cui vitioſus inceſſus eſt, ſubſan-naverit, communione privator, conſimiliter & Laicus.*

57. *Epiſcopus, aut Presbyter, qui negligentius circa Clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit, a communione ſegregator. Si vero in ea ſocordia perſeveraverit, deponitor.*

58. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter Clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditaverit, a communione rejicitor: ſin perſeverat, deponitor, ut qui fratrem ſuum necaverit.*

59. *Si quis falſo inſcriptos impiorum libros tan-quam ſacros in eccleſia ad populi & cleri corru-ptionem publicaverit, deponitor.*

60. *Si accuſatio contra fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacunque alia actione prohibita, & convictus fuerit, in clerum non perducitor.*

61. *Si quis Clericus per metum humanum vel Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverint, ſi qui-dem nomen Chriſti, ab Eccleſia rejicitor: Si vero nomen Clerici, deponitor, pœnitentia tamen ductus, ut laicus recipitor.*

62. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus, aut omnino quicunque ex ſacerdotali con-ſortio comederit carnes in ſanguine animæ ejus, aut a beſtiis abreptum, aut ſuffocatam, deponitor: hoc enim lex prohibuit. Sin vero Laicus fuerit, a Communione excluditor.*

63. *Si quis Clericus, aut Laicus ſynagogam Judæo-rum aut Hæreticorum conventiculum ingreſſus fue-rit, ut preces cum illis conjungat, deponitor, & a Communione ſecluditor.*

64. *Si quis Clericus in concertatione aliquem pul-ſaverit, & uno ictu ac pulſatione interemerit, de-ponitor propter temeritatem ſuam. Sin vero laicus ſit, arcetor e Communione.*

65. *Si quis dominicum diem aut ſabbathum uno ſolo dempto jejunare deprehendatur, deponitor. Sin laicus, a Communione ejicitor.*

66. *Si quis Virginem ſibi non deſponſatam admo-ta vi detinet, a Communione ſuſpenditor. Non li-citum autem eſto ei aliam ducere, ſed eam detine-to, quam ſollicitavit, quamvis paupercula ſit.*

67. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit, deponitor tam ipſe, quam qui ipſum ordinavit, ni-ſi forte conſtet ordinationem eum habere ab Hæreti-cis. Qui enim a talibus baptizati, aut ordinati ſunt, hi neque fideles, neque Clerici eſſe poſſunt.*

68. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus, aut Lector, aut Cantor ſacram Quadrageſi-mam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſcevem non jejunaverit, deponitor: præterquam ſi imbecil-litate impediatur corporis; ſin laicus ſit, Commu-nione privator.*

69. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Dia-conus, aut omnino quicunque ex Clericorum conſor-tio cum Judæis jejunaverit, aut communem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azy-ma, aut aliud hujus generis ab eis ſuſceperit, de-ponitor; ſi laicus ſit, a Communione ſegregator.*

70. *Si quis Chriſtianus Oleum ad ſacra gentilium, aut in ſynagogam Judæorum in feſtis eorum detu-lerit, aut lucernas incenderit, a Communione ex-cluditor.*

71. *Si quis Clericus, aut Laicus ceram aut oleum ex ſancta ſubripiat Eccleſia, a Communione ſejungitor.*

72. *Vas aureum & argenteum ſanctificatum, aut velamen linteumve nemo amplius in ſuos uſus aſ-ſumito, iniquum enim eſt. Cæterum ſi quis depre-henſus fuerit, excommunicatione mulctator.*

73. *Epiſcopum de aliquo per fide dignos accuſa-tum homines, ab Epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſiquidem comparuerit, & confeſſus, convictusve*

fue-

facris, ceoſura irrogata Eccleſiaſtica. Si vero vocatus non obtemperaverit, ſecunda quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum Epiſcopis. Quodſi per contumaciam ne ſic quidem comparuerit, Synodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, ne quid tergiverſando, detrectandoque judicium, lucri-facere videantur.

74. *In dictionem teſtimonii contra Epiſcopum Hæreticus non admittitor: ſed neque fidelis, ſi ſolus ſis. In ore enim duorum aut trium teſtium conſiſtet omne dictum.*

75. *Item non oportet Epiſcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato humana gratificari affectu. Neque enim Eccleſiam Dei conferre debet in hæredes. Enim vero ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio. Ipſe autem excommunicatione percellitor.*

76. *Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitor: non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.*

77. *Qui vero mutus, ſurduſque, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitor, non quia abläſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munia.*

78. *Si quis dæmonem habeat, Clericus non efficitor: ſed neque cum fidelibus Preces fundito. Mundatus vero recipitur, & ſi dignus fuerit, efficitor.*

79. *Qui ex vita gentili advenerit, & baptizatus eſt, aut ex converſatione prava, eum juſtum non eſt protinus promoveri in Epiſcopum. Injurium enim eſt, cum, qui non prius ſpecimen & documentum de ſe præbuerit, aliorum doctorem exiſtere, niſi alicubi dono divinæ gratiæ hoc fiat.*

80. *Dicimus, quod non oporteat Epiſcopum, aut Presbyterum publicis ſe adminiſtrationibus immittere. Sed vacare, & commodum ſe exhibere uſibus eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire juxta præceptum Dominicum.*

81. *Servi, ſi in Clerum promoveantur citra Dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando vero ſervus quoque gradus ordinatione dignus videatur (qualis & noſter Oneſimus apparuit) & Domini conſenſerint, manuque emiſerint, & domo ſua ablegaverint, efficitur.*

82. *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ vacaverit, & ſimul utrumque retinere voluerit, tam Officium Romanum, quam functionem ſacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo.*

83. *Quiſquis Imperatorem, aut Magiſtratum contumelia affecerit, ſupplicium luito, & quidem ſi Clericus ſit, deponitor, ſi Laicus, a communione removetur.*

84. *Sunto omnibus vobis, Clericis ſimul & Laicis, venerandi ac ſacri libri, veteris quidem teſtamenti Moſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jeſu Filii Nave unus. Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quotuor. Derelictorum ex libro dierum duo. Heſter unus. De Machabæorum geſtis tres. Job unus. Pſalterium unus. Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum. Prophetarum duodecim. Unus Eſaiæ, Hieremiæ unus, Ezechiel unus, Daniel unus. Inquiritor autem o vobis extrinſecus: ut adoleſcentes veſtri addiſcant item ſapientiam eruditi Syrach. Noſtra vero, hoc eſt novi teſtamenti evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli epiſtolæ quatuordecim. Petri epiſtolæ duæ. Joannis tres. Jacobi una. Judæ una. Clementis epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ vobis epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt: quas omnibus publicare non oportet ob quædam arcana, quæ in ſe continent. Et actiones noſtras Apoſtolorum.*

26. Nunc circa illorum Authores eſt ſequens

QUÆSTIO CRITICA.

An Apoſtoli ſint Authores Canonum vulgo Apoſtolorum?

PROPOSITIO.

Canones Apoſtolis inſcripti nedum 35. poſteriores, verum & priores 50. ſunt Apoſtolis ſuppoſiti, & Pſeudepigraphi.

27. PRima pars eſt contra Græcos; quibus ex Latinis præter Franciſcum Turrianum, peculiari tractatu omnium, & ſingulorum authentiam propugnantem, adſtipulatur Binius, qui ſoli 65. & ultimo authores Apoſtolos denegat. Secunda pars eſt contra Baronium *ad An.* 102. Bellarminum *libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Clemente*, Poſſevinum *in Apparatu Sacro*, & alios; ſed utraque recentioribus criticis videtur fere explorata; &

28. Probatur I. ex eo, quod nec omnes, nec aliqui ex his canonibus *a* veteribus IV. priorum ſæculorum Patribus, imo a nullo ſubſequentium ſæculorum, excepto S. Joanne Damaſceno, ſæculo VIII. florente (cujus tamen ſententia in hac re prorſus eſt ſingularis), in communem ſcripturam novi teſtamenti ſint relati, ſicut alia Apoſtolorum opera, quod tamen fieri debuiſſet; nulla enim ratio eſt, cur a canonis novi teſtamenti libris excludatur opus, quod ab Apoſtolis editum, ac traditum eſſe conſtitiſſet.

29. Probatur II. ex eo, quod Scriptores Eccleſiaſtici, qui Apoſtolorum opera ſumma diligentia recenſent, uti Euſebius Cæſarienſis, Hieronymus, &c. nullam de his canonibus mentionem faciant.

30. Probatur III. ex eo, quod, ut ſupra N. 22. inſinuatum eſt, & infra a N. 88. & ſeqq. demonſtrabitur, hi canones tempore Concilii Chalcedonenſis necdum fuerint in codicem Eccleſiæ univerſæ relati; quod evidens ſignum eſt, & ante, & in illo celeberrimo 630. Patrum conventu hanc collectionem fuiſſe ignotam, niſi enim illam ignoraſſent, eam codici inſerere certe non omiſiſſent.

31. Probatur IV. argumento ſupra N. 22. in prob. 2. partis a. poſito, quod juxta ſuam latitudinem ſubintrat, & argumentum negativum *a* ſilentio tum ſcriptorum Eccleſiaſticorum, tum Patrum Synodi Chalcedonenſis, vehementer qualificat, & confirmat. Accedit, quod dictos *canones* etiam ignoraverint Patres Concilii Nicæni, illi enim *tres* ſaltem Epiſcopos ad ordinationem Epiſcopi requirunt; aſt in c. 1. Apoſt. ſufficiunt *duo*. Item aliud tempus celebrando Concilio, quam Apoſt. C. 36. aſſignant.

32. Probatur V. ex eo, quod hi Canones ſcripti ſint ſermone ab Apoſtolorum oratione prorſus alieno, in illis enim paſſim occurrunt vocabula: *Clericus, Catalogus, Lector, Sacerdos, Adminiſtratio, Laicus, item Pentecoſte, primus inter Epiſcopos, menſis Hyperberetæus pro Octobri*; quæ nunquam in genuinis Apoſtolorum operibus uſitata reperies.

33. Probatur VI. ex eo, quod Canones 45. & 46. ex hac collectione errori circa Baptiſmum videantur obnoxii; & 67. tam circa baptiſmum, quam circa ordinationes; ſiquidem Canon 45. & 46. baptiſma ab hæreticis collatum dicunt eſſe nullum, & 67. inſuper eorundem ordinationem declarat invalidam; cujus contrarium Romana docet, & tenet Eccleſia, quod nec faceret, nec facere poſſet, ſi Canones iſti dogmatici eſſent ab ipſis Apoſtolis per Clementem Romanum editi.

34. Reſpondent Adverſarii Canone 45. & 46. non damnari ſimpliciter hæreticorum baptiſma, ſed tantum illorum, qui ſubſtantiam baptiſmi per-

vertebant; quales ſæculo IV. erant Pauliniſtæ, Anomiani, Montaniſtæ, & Sabelliani.

35. Sed contra eſt *primo*, quod dicti Canones hanc diſtinctionem non exhibeant, ſed hæreticorum baptiſma *ſimpliciter* repudient. *Secundo*, quod ratio illorum manifeſta evincat, illis omnium ſimpliciter hæreticorum baptiſma damnari; nam canone 45. dictum baptiſma ex eo rejicitur, *quia nulla eſt conventio Chriſti cum Belial, nec pars fideli cum infideli*. Canone vero 46. ex eo, quod taliter baptizatus crucem, & mortem Domini derideat, neque diſcernat veros Sacerdotes a Sacerdotibus impoſtoribus; quas rationes eſſe generales, ultimamque præterea ſentire ſolos Sacerdotes eſſe miniſtros baptiſmi, nemo non videt.

36. Confirmatur ex Ep. Urbani II. relata a Coleto tom. 12. pag. 731. & habetur apud Gratianum diſt. 32. c. 6. ubi dictus Pontifex Lucio præpoſito S. Juventii apud Ticinum ita ſcribit: *Sciendum vero, quod canones Apoſtolorum, & inſignis Cyprianus Martyr, & 80. Epiſcopi cum eodem baptiſma hæreticorum lavacrum diaboli appellant. Stephanus vero, & Cornelius Martyres, & Pontifices Romani, & Venerabilis Auguſtinus in libro de baptiſmo eundem Cyprianum, & præfatos Epiſcopos ob hanc cauſam vehementer redarguunt: —— & merito &c.* Ubi notandum Pontificem docere, Canones Apoſtolorum, nimirum citatos, ita baptiſma hæreticorum appellare *lavacrum diaboli*, ſicut Cyprianus illud appellavit; ſed Cyprianus omnium ſimpliciter hæreticorum baptiſma repudiavit; alias nullam materiam litis cum Stephano habuiſſet, utpote qui ultro fatebatur hæreticorum illorum, qui ſubſtantialem ejus formam corrumpebant, baptiſma eſſe invalidum; ergo idem ſentiebant canones Apoſtolorum citati, juxta relatum Summum Pontificem Urbanum II. cujus eſt verum canonum ſenſum declarare.

37. Probatur VII. ex eo, quod dicti canones difficultates dirimant, aut errores damnent, tertio tantum, aut quarto ſæculo ortos; quod patet ex canone 51. Novatianorum, Donatiſtarum, & Luciferianorum errores configente; qui docebant lapſorum poſt baptiſma pœnitentiam, vel eorum, qui in crimina quædam inciderant, eſſe admittendum. *Patet etiam* ex canone 62. deponente Clericos, qui aliquid *a beſtiis abreptum* comederunt, illos Apoſtolis eſſe ſuppoſitos; cum Apoſtoli Actor. 15. v. 29. ſolam *a ſanguine & ſuffocato* abſtinentiam imponant. *Item*, quia videntur inducere in errorem Tertullianæo ſimilem, cum canon 46., ut dictum eſt, ſignificare videatur, baptiſmum per *veros* tantum Sacerdotes conferri poſſe. *Item*, quia ulum præcipiunt tribus prioribus ſæculis impoſſibilem; ſcilicet duplicis concilii celebrationem in unoquoque anno, ut habet can. 36. *Item*, S. Baſilii canones, ejuſdem ſæculi ac Nicæni, jubent Clericos pro peccatis ad mortem *tantum* deponi; plures autem e canonibus Apoſtolorum ejuſmodi reos deponunt, & *excommunicant*. Tales ſunt Canon. 28. *29. 63. Tandem* canon 64. Clericos die Dominico, vel Sabbato jejunantes deponit, & Laicos ſimiliter excommunicat, a qua lege *Apoſtolica* Sanctiſſimos Romanos Pontifices, eruditiſſimoſque Patres Latinos Romæ ſæculo II. paſſim jejunantes tam cito deſciviſſe, ſi talis revera extitiſſet, eſt incredibile, & impium aſſerere. Denique quia canone 84. apud Græcos 85., in quo texitur catalogus librorum Hagiographorum, in veteri teſtamento omittitur liber Judith, Tobiæ, & Eccleſiaſtici, Sapientia vero tanquam *utilis* ſolummodo commendatur, e contra tres Machabæorum Hagiographis adnumerantur; e novo vero Apocalypſis S. Joannis deſideratur, & Clementis epiſtolæ duæ, nec non 8. libri conſtitutionum ejuſdem tanquam Canonici prædicentur. Quæ omnia Baronium, alioſque non paucos permoverunt, ut crederent non ſolum hunc, ſed omnes reliquos 34. poſteriores ab hæreticis eſſe confictos; & conſequenter tanquam ſpurios, & ſuppoſititios eſſe rejiciendos. Et quamvis hic canon ab hac rigidiore cenſura purgari poſſit, *primo* quia de libris Judith, Tobiæ, Eccleſiaſtici, Sapientiæ, & Apocalypſis primis Eccleſiæ ſæculis a multis fuit dubitatum, an ſint canonici? *Secundo* quia libri tres Machabæorum huic canoni fuerunt recentiori manu adjecti poſt Joannis Antiocheni, & S. Damaſceni tempora, adeoque poſt medium Sæculi octavi, cum canon hic ab illis relatus hos libros non habet. *Tertio* quia duæ epiſtolæ Clementis, ſicut & octo libri Conſtitutionum ejuſdem, diverſi quidem ab illis, qui nunc circumferuntur, a multis fuerunt pro Hagiographis habiti; per hoc tamen non evincitur, canonem hunc eſſe Apoſtolicum, ſed tantum antiquiſſimum.

38. Probatur VIII. ex poſitivo teſtimonio Gelaſii Papæ in Concilio Romano a. c. 494. habito, in quo a 70. Epiſcopis libri ſacri, & authentici ab apocryphis accurato criterio ſunt diſcreti; in hoc ſiquidem Concilio, quod refertur a Coleto *tom. V. Conciliorum pag. 385. & ſeqq.* editum eſt decretum continens tres librorum claſſes; in quorum prima recenſentur libri Hagiographi tam veteris, quam novi teſtamenti. In ſecunda Conciliorum Conſtitutiones, & Patrum libri authentici. In tertia denique ſcripturæ apocryphæ. Jam ſic: Gelaſius Papa cum Concilio Romano Canonum Apoſtolorum collectionis in prima & ſecunda claſſe librorum ibi recenſitorum non meminit, in tertia vero, quæ apocryphorum notitiam continet, canones Apoſtolorum diſertis verbis inter apocrypha numerat, inquiens: *Liber, qui appellatur* canones Apoſtolorum, *Apocryphus*; ergo Gelaſius eos cenſet apocryphos.

39. Reſpondet Turrianus; librum Canonum Apoſtolorum e Gelaſio exploſum eſſe alium quendam a codice 85. canonum, quem habemus; videlicet illum, qui ab hæreticis Priſcillianiſtis ſub nomine Apoſtolorum compoſitus eſt. Quam reſponſionem fulcit teſtimonio S. Leonis M. *ep. 93. ad Turtibium* aſſerentis, ſe Priſcillianiſtarum *multos corruptiſſimos codices, qui Canonici titulantur, inveniſſe, & apocryphas ſcripturas, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum habent ſeminarium falſitatum.*

40. Sed contra eſt I. Gelaſius toto illo decreto nullum alium canonum Apoſtolicorum librum Eccleſiaſticum, atque legitimum memorat; ergo nullum agnovit niſi apocryphum. II. Si tunc temporis duo extitiſſent canonum codices, unus legitimus, & Eccleſiaſticus, alter apocryphus, & ab hæreticis ſuppoſitus, cæterum uterque ejuſdem nominis ac tituli, quemadmodum Tertulliani tempore duo Lucæ codices extabant, unus verus & incorruptus, falſus alter, & a Marcione depravatus: ſi res, inquam, ſe ita habuiſſet, Gelaſius diſtinguere debuiſſet legitimum Apoſtolicorum canonum codicem, quem intactum ſinebat, a falſo, quem velut apocryphum repudiabat, atque ita decernere: *Liber qui falſo a Priſcillianiſtis canonum apoſtolicorum dicitur, apocryphus*; at nulla diſtinctione uſus eſt Gelaſius, ut patet ex verbis ſupra relatis; ergo omnem, qui tunc extabat, canonum apoſtolicorum librum hac condemnatione involvit.

41. Reſpondet Bellarminus: iſtud Gelaſii decretum non ferire 50. priores canones Apoſtolis inſcriptos, ſed poſteriores 35.

42. Sed contra eſt. Gelaſius decernit apocryphum eſſe librum canonum Apoſtolorum, ſed 50.

prio-

priores vel eum librum conficiunt, vel ſunt ejus pars potior; ergo & ipſos apocryphos eſſe decrevit Gelaſius. Nam ſi 35. poſteriores tantum explodere voluiſſet, prioribus vero 50. parcere, alios ab aliis diſtinxiſſet; nec indiſcrete, & ſimpliciter librum canonum Apoſtolicorum ad apocrypha amandaſſet.

43. Reſpondet Baronius; librom canonum Apoſtolorum ideo apocryphum a Gelaſio ominati, eo qood non ſit in cenſu divinorum librorum novi teſtamenti; non autem qood ex librorum Eccleſiaſticorum albo excludi debeat.

44. Sed contra eſt: quod Gelaſius in catalogo ſuo triclaſſificato librum canonum Apoſtolorum nec in ſecunda claſſe, id eſt, inter libros *Eccleſiaſticos*, & authenticos collocat; ergo cenſuit eom eſſe apocryphum non tantum reſpectu divinorum librorum primæ claſſis, ſed etiam reſpectu eccleſiaſticorum in ſecunda claſſe a ſe collocatorum.

45. Probatur ultimo, & eſt confirmatio præcedentis. Hincmarus Archi-Epiſcopus Rhemenſis *in opuſc. 55. capitum, quod* a. c. 870. adverſus Hincmarum Nepotem Laudunenſem Epiſcopum elucubravit, *cap.* 24. ita habet: *Cæterum iidem canones, qui vocantur Apoſtolorum, non ab Apoſtolis conſcripti creduntur, —— ſed B. Gelaſius in Catalogo, qui libri ab Eccleſia recipiantur, de his Apoſtolorum Canonibus penitus tacuit; ſed nec inter Apocrypha eos miſit; quapropter in lectione illorum ſequenda eſt cautela ab eodem S.Gelaſio præmonita. Cum hæc, inquit, ad Catholicorum manum advenerint, B. Pauli Apoſtoli præcedat ſententia, quæ dicit, omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Advertunt eruditi, Hincmarum vel in codicem mutilum ſynodi Romanæ ſub Gelaſio incidiſſe, ſiquidem ait: ipſum non miſiſſe librum canonum apoſtolicorum inter apocrypha; vel mendum in textum Hincmari irrepſiſſe, & loco iſtorum verborum: *Sed nec inter apocrypha eos miſit*, ſic reſtituendum eſſe: *Sed inter apocrypha eos miſit*. Hincmaru praivit Iſidorus, probabiliſſime Hiſpalenſis, qui ſæculo ſeptimo ineunte floruit, cujus rigidior in hos canones cenſura a Gratiano in decretum eſt illata *diſt. 16. c. 1. & in omnibus veteribus libris Conciliorum Hiſpaniæ inventa*, teſte Antonio Auguſtino *lib. 1. de emendatione Gratiani dialogo 6.* in ea ſiquidem dicit, quod hi canones *ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur*. Sed mitius aos eſſe tractandos infra N. 59. videbimus. Ex his itaque conſtat, viros mediæ ætatis erudiaiſſimos exiſtimaſſe canones, qui Apoſtolorum dicuntur, falſo Apoſtolis inſcribi, nec ab eis uſquam editos fuiſſe, imo ad apocrypha prorſus amandandos.

46. Dices. Si Gelaſius non codicem aliquem Priſcillianiſtarum, ſed revera illum, qui nunc exſtat ſub nomine Apoſtolorum, inter apocrypha recenſuit, ut fortiter ſuadent hactenus allata tum ex circumſtantiis decreti, tum ex authoritate Iſidori, & Hincmari indicia, qui fieri potuit *prima*, ut Dionyſius exiguus, qui 33. an. poſt citatum Concilium Rom. cyclum Eccleſiaſticum edidit, adeoque Gelaſio fere coævus fuit, 50. priores canones in ſuum codicem retulerit? *Secundo*, ut Latina Eccleſia non multo poſt probando, & recipiendo Dyoniſianum codicem, eos una receperit, & approbaverit?

Reſp. Ad I. Dionyſium principio collectionis ſuæ non agere collectorem canonum, ſed translatorem Græci codicis, in cujus fronte cum canones Apoſtolorum proſtarent, illos una tranſtulit; quod autem Dionyſius poſteriores 35. pro apocryphis habuerit, inde conſtare videtur, quod ſolos 50. priores ſuæ collectioni inſeruerit, ut ſupra N. 21. viſum eſt. Quod autem ſuo tempore & hi 50. priores multis fuerint ſuſpecti, ipſa in præfatione collectionis, ſuæ aperte innuit, dum inquit: *In principio itaque canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus, quibus, quia plurimi conſenſum non præbuere facilem, hoc ipſum ignorare veſtram nolumus ſanctitatem.* Veroſimile autem eſt, dubium de his canonibus apud multos natum fuiſſe ex conflictu authoritatis Decreti Gelaſiani cum authoritate Græci codicis, & conſequenter Gelaſium non aliquem codicem Priſcillianiſtarum, ſed præſentem cenſuiſſe apocryphum, ſeu ignotæ originis.

Ad II. Reſp. Eccleſiam Romanam, approbando, & recipiendo codicem Dionyſianum, approbaſſe 50. priores canones Apoſtolorum modo ſupra N. 24. explicato non quod cenſeret illos ab Apoſtolis editos, ſed quia maxima ex parte apoſtolicam, & primorum Eccleſiæ ſæculorum diſciplinam continebant; nomen autem Apoſtolorum iis reliquit, quia ſic eos nominari conſuetudo obtinuerat.

Momenta adverſariorum expenduntur.

47. OBjectio I. deſumpta ex teſtimoniis primorum Romanorum Pontificum ſic ſonat. Priores Eccleſiæ Romanæ Pontifices, ut Anacletus, Alexander &c. canonum Apoſtolicorum ſuis in epiſtolis diſerte meminerunt; ergo ſunt vere Apoſtolici, & ut tales prioribus Eccleſiæ ſæculis agniti; & ita ruit primum noſtrum argumentum deſumptum ex ſilentio Patrum priorum ſæculorum.

Reſp. Has epiſtolas his Pontificibus eſſe ſuppoſitas, ut infra diſſertatione ſpeciali evincemus, atque ſæculo VIII. procuſas, quo dudum Latinis laudati canones innotuerunt; & conſequenter argumentum ex illis deſumptum ſua ſponte ruit.

48. Sed contra eſt: Gelaſius I. P. M. inter authentica ſcripta retulit epiſtolas decretales mox laudatas; ergo ſunt genuinæ.

Reſp. illum referre aliquas, non vero has, infra N. 173. & ſeqq. pariter evincetur.

49. Objectio II. deſumpta ex Patribus primorum IV. ſæculorum ſic ſonat. Tertullianus *in libro adverſus Praxeam* ſcribit, canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos. Canon 51. ab Origene citatur *lib. 3. contra Celſum*. Item S. Athanaſius *in ſynopſi* canones Apoſtolorum inter Hagiographa numerat; ergo noti fuerunt illis ſæculis.

Reſp. Adverſarios his teſtimoniis uti haud poſſe, utpote quæ apud laudatos authores minime reperiuntur; ut toti orbi literario conſtat. Quapropter gratis citatur Tertullianus tam a Bellarmino, quam a Sixto Senenſi, tam a Poſſevino. Falſa etiam eſt Binii in notis ad cit. canonem 51. perſuaſio; quamvis enim Origenes l. c. teſtetur fideles lapſos, peracta pœnitentia, in Eccleſiæ communionem admiſſos fuiſſe: id quod laudato canone præcipitur; inde tamen non ſequitur, illum ab Origene citatum fuiſſe, cum eum diſerte non laudet; ſed tantum, quod ſuo tempore jam vigeret conſuetudo lapſos recipiendi; ex qua forte compilator horum canonum anſam arripuit hunc canonem confingendi, ut hac vetuſtatis objecta larva facilius incautis imponeret. Ad id, quod proferunt ex Athanaſio, libere pariter ajo, AA. in objicienda hac authoritate eſſe minus cordatos, ſiquidem in tota illa ſynopſi S. Athanaſius ne leviſſimam quidem apoſtolicorum canonum facit mentionem. Equidem inter ea novi teſtamenti ſcripta, quibus contradicitur, *Clementina* etiam reponit; id eſt, illa Clementis nomine paulo ante Euſebii tempora conficta, & evulgata ſcripta, *verboſa & prolixa Petri & Appionis* colloquia, ſermoneſque complectentia, quorum meminit Eu-

ſebius

ſebius *lib.* 3. *hiſt. Eccl.* c. 38. Cæterum quidquid nomine *Clementinorum* intellexerit S. Athanaſius, non hæc pro libris Hagiographis habuit; ſed eodem loco duntaxat, numeroque cenſendos exiſtimavit, quo *Petri & Joannis, & Thomæ circuitus, & Evangelium ſecundum Thomam*; quæ inter apocrypha ſemper cenſuit Eccleſia.

50. Contra eſt. Scriptores horum ſæculorum in genuinis ſuis operibus canonum Apoſtolorum meminerunt; ergo reſtauratur argumentum. P. A. *primo* ex Alexandro Epiſcopo Alexandrino, qui in ep. *ad Alexand. Epiſc. Conſtant.* quam refert Theodoretus *lib.* 1. *hiſt. Eccl.* c. 4. diſerte horum canonum meminit; ibi enim Epiſcopi, qui Clericos ſuſcipiebant, quos ipſe ob ſubſcriptionem literis Arianorum excommunicaverat, ab illo ex eo objurgantur, quod auſi fuerint id, *quod canon Apoſtolicus non permiſit*, videlicet 14. *Secundo* ex Epiſtola Conſtantini Imperatoris ad Euſebium Cæſareenſem data, quæ exſtat apud Euſebium *lib.* 3. *de vita Conſtantini c.* 59. in qua ſic ſcribit: *Porro abs te prudenter ſane factum eſt, quod & Domini mandatum, & Apoſtolicum ſervare canonem decreviſti, epiſcopatum Eccleſiæ Antiochenæ prorſus repudiando, & in eo Epiſcopatu fungendo permanere laboraſti, quem ab initio Dei voluntate ſuſcepiſſes*. Quibus verbis manifeſte indicat c. 13. Apoſtolorum, quo tranſmigrationes de uno beneficio ad aliud prohibentur. *Tertio* ex S. Athanaſio *in Epiſtola ad Orthodoxos*, ubi de Gregorii Cappadocis hominis Ariani audacia conqueritur; qui juſſu Comitis per vim ſedem Alexandrinam occupavit; violatoſque canones Eccleſiaſticos palam profitetur; id eſt canonem Apoſtolorum 29. quo præcipitur: *Si quis Epiſcopus ſæcularium Magiſtratuum familiaritate uſus per ipſos Eccleſiam adeptus fuerit, deponatur*. *Quarto* ex S. Baſilio *ep. ad Amphilochium* c. 3. ubi Diaconum a gradu dejectum ob crimen non arcet a communione, & rationem dat: *quoniam antiquus eſt canon, ut lapſi ex gradu, ex miniſterio quidem ſacro ejiciantur, communione vero nequaquam priventur*. Qui canon eſt Apoſtolorum 24. *Quinto* ex Innocentio I. P. M. *in ep. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum* data a. C. 404. ubi capitibus 1. 2. 3. 5. & 6. multa decernit, quæ Apoſtolicis Canonibus 1. 61. 34. 36. 15. &c. continentur; quod autem illa ex his canonibus deſumpſerit, conſtat ex præfatione dictæ epiſtolæ, in qua diſſeris, *non quo nova præcepta aliqua imperentur; ſed ea, - - - quæ Apoſtolica, & Patrum traditione ſunt conſtituta*.

Ad ſolvendam hanc replicam notandum: cum S. Paulus 1. *ad Corinth.* 11. *v.* 34. dicat: *cætera, cum venero, diſponam*; & *Actor.* 20. *v.* 28. Seniores hortetur, inquiens: *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*, indubitatum eſſe, non tantum Apoſtolos, ſed etiam illorum Diſcipulos, & horum Succeſſores, tam ex proprio motu, quam etiam in conventibus, ſævientibus tunc perſecutionibus, plerumque ſubterraneis, aut alias occultis varia diſciplinam Eccleſiæ concernentia ordinaſſe, quæ poſtmodum uſu, ac diuturnis moribus Chriſtianorum firmata, a Patribus, Conciliiſque ſubſequentibus nominibus *Canonis Apoſtolici, regulæ eccleſiaſticæ, canonis antiqui &c. nuncupata ſunt*, eo quod crederent dictas regulas vel ex traditione Apoſtolica deſcendere, vel a *viris Apoſtolicis* (quo nomine vocare Apoſtolorum diſcipulos, ſeu primos Eccleſiæ Patres ad diſtinctionem ipſorum Apoſtolorum priſcis ſolemne fuit) eſſe conditos, etſi cæteroquin ſcriptæ non eſſent. Quod exemplis confirmatur. Nam Canone 13. Nicæni Concilii dicitur: *de his, qui ad exitum veniunt*, Lex antiqua, *regularisque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & neceſſario viatico minime privetur*; & tamen hæc Lex nec in Canonibus Apoſtolorum, nec alterius Concilii Nicæno antiquioris habetur. Item Synodus Ancyrana habita anno C. 414. c. 21. ait: *priorem definitionem præcepiſſe, ut mulieres, quæ fornicatæ fœtus in utero perimerent, uſque ad exitum vitæ ab Eccleſia removerentur*. Quæ *prior definitio* pariter neque in canonibus Apoſtolorum, neque in ulla anteriori Synodo reperitur. Quapropter in vanum laboravit eruditiſſimus Turrianus in ſua defenſione horum Canonum, coacervando tot ſententias Patrum & Conciliorum primorum IV. ſæculorum, qui ſi ad priores Canones revocando ſtatuunt id, quod in his Canonibus præceptum deprehenditur; ex eo enim non ſequitur, dictos patres, & concilia hos Canones perſpectos habuiſſe; ſed nomine Canonis Apoſtolici, Regulæ Eccleſiaſticæ, vel legis antiquæ, ſecundum clavem datam, intellexiſſe vel traditionem Apoſtolicam, ſecundum illud S. Hier. *ep.* 28. *Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu, & præcepta majorum Leges Apoſtolicas arbitretur*; vel Canonem a Diſcipulis Apoſtolorum conſtitutum, aut moribus primorum Chriſtianorum introductum; aut ſi Patres, laudantes ſic generaliter regulas Eccleſiaſticas præſancitas, Concilio Nicæno, Ancyrano, &c. juniores ſunt, tunc intellexerunt Canones in his ſynodis conſtitutos; alias enim fieri non potuiſſet, ut Patres & Concilia tantæ in Apoſtolos pietatis, in cauſis ſæpe intricatiſſimis, dum ſimiles Canones allegabant, hanc collectionem ſub venerando nomine Clementis ne ſemel quidem, ad conciliandam ſuis decretis Apoſtolicam authoritatem, laudaſſent. Quapropter veroſimilius eſt, illum, qui hanc collectionem ſub ementito Clementis nomine conſarcinavit, callido potius conſilio ad horum Patrum & Conciliorum allegationes reſpexiſſe, atque ad hanc amuſſim ſuam impoſturam exegiſſe; quam illos ex collectione dicta, quæ tunc nulla erat, regulas Eccleſiaſticas laudaſſe. Quo prænotato ex clavi data ad replicam

Reſp. N. A. ad 1. prob. N. quod Alexander illis verbis intellexerit Canonem Apoſtolicum 14. nam dictus Canon non loquitur de illis, qui cum Hæreticis communicant, vel eorum literis ſubſcribunt; ſed illos Epiſcopos perſtringit, qui Clericos a propria Parochia vel Diœceſi ſine licentia ordinarii migrantes ſuſcipiunt. Unde S. Alexander per Canonem Apoſtolicum non intellexit legem aliquam ſcriptam, & editam ab Apoſtolis, atque a S. Clemente N. 14. in ſua collectione locatam; ſed regulam a viris Apoſtolicis (ut pie credebatur) ſine ſcripto acceptam, uſuque Eccleſiarum firmatam.

Ad II. ex eadem clavi dico, his verbis Conſtantinum M. nequaquam intelligere Canonem Apoſtolicum relatum, ſed vel traditionem Apoſtolicam, quæ fluxit ex illo Apoſtoli: *alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem*; vel alium antiquum canonem, tranſmigrationes Epiſcoporum prohibentem, uſu, moribuſque Eccleſiæ firmatum.

Ad III. Reſp. ex ipſa clavi S. Athanaſium ibi non laudare canones Apoſtolicos per Clementem editos, ſed Canones *pulchre ac firme a Patribus traditos*.

Ad IV. dico, hunc canonem Pſeudo-Apoſtolicum potius ex Baſiliano exſcriptum, quam ab eo citatum fuiſſe; certe de illo ne cogitaſſe quidem S. Baſilium conſtat ex ratione, quam addit ſuo canoni in objectione relato: *arbitror*, inquiens, *ſecutos eſſe illos primos legem illam, non vindicabis bis in idipſum*, hoc enim frigida omnino, inepteque dixiſſet de Authoribus dicti Canonis; hos enim ſecutos eſſe legem illam, evidentius eſt,

quam

quam ut id verbo, *arbitror*, ſignificare voluerit Baſilius, cum ea ratio diſerte canoni addatur his verbis: *Bis de eodem delicto vindictam non exiges.*

Ad V. Reſp. ex eo, quod in relata ep. Innocentii I. multa ſtatuantur, quæ in citatis & aliis canonibus Apoſtolorum habentur expreſſa, non erui, dictum Pontificem ea inde deſumpſiſſe; ſed potius impoſtorem illas regulas, quod eſſent in communi Eccleſiarum uſu, in ſuam farraginem inſuliſſe, ut publica authoritas ſpeciem aliquam mendacio conciliaret: ſi enim Innocentius illa, quæ ibi ad Victricium & cæteros Galliæ Epiſcopos ſcribit, ex Canonibus Apoſtolicis defloraſſet, eos utique laudaſſet, hoc enim maxime pertinebat ad conciliandam decretis ſuis authoritatem apud dictos Epiſcopos; quod tamen nuſquam fecit ille Pontifex, qui, dum Nicænos Canones 2. 4. & 7. citat, illam ſynodum diſertis verbis laudat.

Ad id, quod additur, ſervitque per modum replicæ ad datam reſponſionem, dico: ex hac præfatione equidem colligi, dictum Pontificem exiſtimaſſe, illa, quæ deinceps ibi decernit, fuiſſe jam ab ipſis Apoſtolis, ſive viva voce, ſive etiam ſcripto Chriſtianis tradita; & ipſe ſane varia ex Moyſe & Paulo eruit, uti capitulum *de bigamis non ordinandis &c.* ex hoc tamen non ſequitur, quod reliqua, quæ ibidem nulla ſcripturarum authoritate fulcit, ex his canonibus deſumpſerit; ſed uſum immemorialem Eccleſiæ Apoſtolicam traditionem exiſtimavit, juxta laudatam in clavi mox adducta S. Hieronymi parœmiam.

51. Objectio III. deſumpta ex conciliis primorum IV. ſæculorum ſic ſonat. Canone 5. Concilii Nicæni laudatur, & confirmatur *antiquus* Canon, quo interdictum eſt Epiſcopis, ne ab uno excommunicatos recipiant in Communionem. Idemque fit a Concilii Antiocheni Canone 2. qui Canon eſt ordine 12. in Apoſtolicis. *Secunda* eadem Synodus Nicæna c. 15. vetat migrationes ab una Parœcia ad aliam, tanquam *præter Canonem* factas; videlicet 15. Apoſtolorum. Quo etiam ſpectat c. 21. Concilii Antiocheni decernens: *ut Epiſcopus maneat in Eccleſia, quam a Deo ſortitus eſt, ſecundum decretum prius ea de re editum.*

Reſp. ad I. ex clavi data: utrumque Concilium per Canonem *antiquum* intelligere regulam publici Eccleſiæ moris, uſuſque derivati ex illo Apoſtoli: *alligatus es uxori, noli quærere ſolutionem;* ſi enim vel una, vel altera Synodus laudatum Canonem ex Clementina collectione promſiſſet, & Apoſtolicum appellaſſet, & collectionem laudaſſet, id enim exigebat & Apoſtolicus honor, & Patrum Nicænorum pietas, & legis, quam ferebant, authoritas. Et idem reſpondetur ad ſecundum.

52. Inſtabis. PP. Nicæni c. 1. ſtatuunt, *ſi quis ſe ipſum exciderit, ne in clerum admittatur &c.* Idem ſtatuitur a Canonibus Apoſtolicis 20. 21. & 22. præterea eadem ſynodus c. 2. *ait:* multa facta eſſe adverſus eccleſiaſticam regulam. E. g. *quod Neophyti in Epiſcopos aſſumerentur &c.* Hæc porro regula eſt Canon Apoſt. 79. Denique Canone 10. Canon Apoſtol. 61. *quo lapſi ad Clerum promoti deponi jubentur*, inſinuatur, & explicatur.

Reſp. ad I. ex his ipſis Canonibus Apoſtolicis validum argumentum deſumi pro noſtra ſententia, eos dicente apocryphos; ſi enim genuini eſſent, Origenes adoleſcens piiſſimus & eruditiſſimus circa a. circiter 208., quo tempore, teſte Euſebio *lib. 6. c. 7.* Scholæ Alexandrinæ Eccleſiæ jam præerat, ſe ſe non excidiſſet; quod tamen fecit, a Demetrio Alexandrino Patriarcha propterea non reprehenſus, nec munere docendi abdicatus, nec ad triennium excommunicatus, uti præſcribit c. Apoſt. 23.; ſed inſuper a Theoctiſto Cæſareæ, & Alexandro Jeroſolymorum Epiſcopis ad Presbyteratum promotus, quæ omnia fieri non potuiſſent, ſi dicti Canones jam tum exſtitiſſent, uti eos legenti patebit. Accedit, quod Demetrius, mutato poſtea erga Origenem animo, dum eidem abſciſſionem dictam objiceret, ne verbulo quidem inſinuet, eum hoc facto Canones Apoſtolicos violaſſe. Canon itaque a Nicænis Patribus laudatus eſt mos ipſæ Eccleſiæ, vel lex aliqua occaſione Origenici facti ab Eccleſiaſticis Præpoſitis lata; quæ deinceps apud omnes Eccleſias communi Antiſtitum conſenſu obtinuit.

Ad II. Reſp. PP. Nicænos ibi non laudare Canonem Apoſtolicum 79., ſed regulam Eccleſiaſticam ex Apoſtoli præcepto derivatam; ſuo enim canoni hanc rationem ſubjungunt: *Manifeſta eſt enim Apoſtoli ſcriptura, quæ dicit, non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat, & in laqueum diaboli.*

Ad III. Reſp. negando Regulam Eccleſiaſticam, ad quam alludit PP. Nicænorum Canon 10. eſſe 61. Canonem Apoſtolorum; ſatis enim eſt ad PP. Nicænorum ſententiam explicandam ſtatuere, jam tum fuiſſe morem aliquem certum ac legitimum, quo Apoſtatæ a Clero arcerentur, partim ex ſcriptura, partim ex ipſo lumine rationis deſumptum, ſive ſcripto, ſive uſu regulam eccleſiaſticam conſtituentem.

53. Et eodem modo reſpondendum eſt ad can. 9. Concilii Antiocheni, quo inhibetur, ne quid gravioris momenti agant Epiſcopi Provinciæ a ſine licentia Metropolitæ, *ſecundum antiquam a Patribus noſtris regulam conſtitutam.* Quod idem prohibetur c. 33. Apoſtolorum.

Ex hoc enim aliud non evincitur, quam ea, quæ Patres Antiocheni ibidem decernunt, jam ante Synodum Antiochenam in uſu Eccleſiaſtico fuiſſe, a ſuperioris memoriæ ſive ſynodis, ſive Epiſcopis conſtituta; quod patet ex eo, quod regulam citatam *non vocent Apoſtolicam*, ſed *a Patribus* conſtitutam. Nec vero neceſſe eſt, nomine antiquarum regularum, quæ ſive a Nicæna, ſive ab Antiochena, ſive ab anterioribus Synodis memorantur, intelligi Canones Apoſtolicos, quamvis in anterioribus monumentis conſcriptæ non ſint, contrarium enim ſupra N. 50. exemplis demonſtravimus. Quapropter & Concilia Africana, ut Carthaginenſe II. can. 8. Africanum can. 53., & codex Africanus can. 49. & 86. dum *Diſciplinam Eccleſiaſticam, ordinem a Patribus & Majoribus obſervatum, formam antiquam, ſtatuta ex antiquorum ſententia, & his ſimilia* memorant, mox explicato ſenſu accipienda ſunt.

54. Dices. PP. Africani in Concilio Carthag. II. can. 2. Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum continentiam ſancientes, ajunt: *Id Apoſtolos docuiſſe, & ipſam ſervaſſe antiquitatem*, quibus verbis indicarunt can. 5. Apoſtolorum.

Reſp. dictum Canonem 5. Apoſtolorum nihil ſancire de Clericorum cœlibatu, uti patebit legenti. PP. ergo Africani Canone citato ſenſerunt Apoſtolos id docuiſſe in genere, vel viva voce, non in ſpecie, vel ſcripto. Quod iterum exemplo eſt, Patres aliquando regulas antiquas vel Apoſtolicas allegaſſe, quæ nec in canonibus Apoſtolorum, nec in alio vetuſtiore monumento exſtant.

55. Objectio IV. deſumpta ex Patribus ſæculi V. ſic ſonat. S. Leo I. *ep.* 92. ait 1. ex Apoſtolica traditione deſcendere id, quod refertur c. 24. Apoſtolorum. 2. *ep.* 1. citat canonem 16. & 17. de iis, qui ordinari ob impedimentum, præcipue Bigamiæ, non poſſunt. 3. *ep.* 84. citat Canonem Apoſtolicum 33. qui eſt de dignitate Metropolitanorum conſervanda: 4. in eadem *ep. c.* 7. Canonem 36. de binis Conciliis annuatim celebrandis; ergo agnovit Canones Apoſtolicos. Secundo Gelaſius Papa multa in ſuis Epiſtolis, atque decretis

ex

ex Apoſtolicorum Canonum libro laudat, ac velut Eccleſiaſticas regulas affert; & primo quidem *ep. 9.* citat *Patronos Canones* contra eos, *qui ſe abſcindunt*: reſpiciens canon. 28. Apoſtol. Ibidem laudat *Reverendorum Canonum* conſtituta contra *deſertores propriæ Eccleſiæ*, alludens ad canones Apoſt. 14. & 15. Ibidem c. 20. *Majorum veneranda conſtituta* contra peccatores ſurrepentes; quibus verbis Canones Apoſt. 14. & 60. intellexit. Denique *ep. 5.* conqueritur, *quod Epiſcopi contra Canones omnia gerant, & contra Apoſtolicam diſciplinam paſſim cuncta miſceant, & non ſervatis regulis ſacras ordinationes conferant.* Agnovit igitur Gelaſius regulas Apoſtolicæ diſciplinæ de dignis & indignis ordinationibus, qui ſunt Apoſtolici Canones. Præterea Theodoſius Imp. *lib. 3. cap. de Summa Trinitate*, Irenæum quemdam, *poſt binas nuptias, præter Apoſtolicos Canones, Tyriorum civitatis Epiſcopum factum*, ab ea Eccleſia dejicit; quibus verbis reſpicit canonem 16. Apoſtolicum. Ac tandem S. Hieronymus ad Canonem 5. Apoſtolorum retulit, quod *in ep. ad Damaſum* de decimis & oblationibus Laicis non concedendis ſcripſit, quodque a Gratiano 16. q. 1. c. 68. obſervatum eſt. Ergo Canones Apoſtolorum ſæculo V. vere ſunt habiti Apoſtolici.

Reſp. ad authoritates ex S. Leone deſumptas, & quidem ad primam, S. Leonem l. c. non docuiſſe conſuetudinem illam, qua *Presbyteri publica pœnitentia non ſubjiciebantur*, ex Apoſtolica traditione deſcendiſſe, quaſi ſumpta eſſet ex relato canone 24., ſed quod divinis literis eſſet conſentanea; dicit enim: *Quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo?*

Ad II. Reſp. S. Leonem l. c. inter alia quidem etiam nominare Canones Eccleſiaſticos, ſed eos nominatim non citare.

Ad III. Reſp. S. Leonem ibidem reſpicere c. 6. Nicænæ Synodi, quo Privilegia Eccleſiarum ſarta tecta eſſe jubentur.

Ad IV. Reſp. Leonem ibidem per SS. Patres alios pariter non intelligere, quam Nicænos; quorum diſertiſſimus eam in rem eſt Canon 5.

Ad teſtimonia ex Gelaſio adducta Reſp. Negando Gelaſium quidpiam ex Canonibus Apoſtolorum, quos in decreto ſupra N. 38. relato aperte dixit Apocryphos, in ſuis Epiſtolis referre.

Ad primum itaque dico, Gelaſium ibi laudare can. Nicænum 1. hæc de Eunuchis præcipientem. Ad 2. dico: illos Canones eſſe Nicænos 15. & 16. Ad 3. dico: illos Canones eſſe Nicænos 9. & 10. Ad 4. ajo: Gelaſium Canones ſimpliciter nominare, Eccleſiaſticos videlicet, non ex libro Canonum Apoſtolicorum petitos. Ait porro contra *Diſciplinam Apoſtolicam* facere eos, qui paſſim cuncta miſcent, quia Apoſtolus 1. *ad Corint.* 14. jubet, ut in Eccleſia *omnia honeſte & ſecundum ordinem fiant*.

Ad teſtimonium ex Theodoſio deſumptum Reſp. Theodoſium his verbis intellexiſſe Apoſtolicam doctrinam, qua conſtitutum eſt, Epiſcopum *unius uxoris virum* eſſe debere. 1. *ad Timoth.* 3. & *ad Titum c.* 1.

Ad teſtimonium S. Hieron. reſpondent Correctores RR. ad dictum Canonem: *pars hujus capitis citatur ex B. Hieronymo, in cujus, quæ extant, ſcriptis nihil hujuſmodi inventum eſt.*

56. Objectio V. deſumpta ex Conciliis ſæculo V. celebratis ſic ſonat. In Concilio Generali Epheſino actione 7. refertur, Antiochenum Epiſcopum ordinationes Provinciæ Cypri ad ſe trahere conatum contra *leges Eccleſiaſticas, & Canones Sanctorum Apoſtolorum*, videlicet 33. & 34, qui ordinationes in aliena Diœceſi Epiſcopis interdicunt; ergo hi Canones, & conſequenter tota collectio erat Concilio nota.

Reſp. Latinam Epheſinæ ſynodi editionem loco mox laudato nihil de *Apoſtolis* habere; ſed dicit *ſanctorum Patrum Canones*, prout non tantum habet Græcus codex vetus, ſed etiam Romana, Colonienſis, & Pariſienſis Græcorum Conciliorum editio. Videntur autem PP. Epheſini ad Antiochenum canonem 13. alludere, quo ſimilia cavetur. Et ſimiliter ſynodus Chalcedonenſis can. 12. dicens, Epiſcopos, qui Principum authoritate interpoſita ſedibus ſuis Metropoleon honorem quærebant, præter eccleſiaſtica ſtatuta agere, non intellexit can. apoſtolicum 30., ſed Nicænos 6. & 7., & Conſtantinopolitanum 2.

57. Objectio VI. deſumpta tum ex ſcriptoribus, tum ex Conciliis ſæculo V. poſterioribus ſic ſonat. Synodus Trullana can. 2. Synodus œcumenica 7. canonibus 1. 5. & 10., ſynodus Romana ſub Gregor. VII. can. 2. Triburienſis can. 2., Pariſienſis ſub Ludovico pio can. 15. Tridentina ſeſſ. 25. c. 1. de reform., Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Orth., Taraſius Patriarcha CP., Photius in Bibliotheca, S. Bonifacius in ep. ad Gutbertum Anglum, Nicolaus I. paſſim in ſuis decretis, Leo IV., Joannes VIII. in ep. ad Baſilium Imper. laudant hos canones tanquam Apoſtolicos; ergo temere dicuntur apocryphi.

Reſpondent eruditi, illas ſynodos, & Pontifices non decernere, an Canones Apoſtolici vere, an falſo Apoſtolis inſcribantur, uti nec quæſtionem illam, quæ ad ipſorum inſtitutum minime pertinebat, expenderunt: ſed eos ſub nomine Apoſtolorum citarunt, quia ut ita citarentur, inoleverat uſus. Cæterum omnes illæ ſynodi, Pontifices, & auctores ſexto ſæculo poſteriores nequaquam veteribus ſynodis, Pontificibus, & auctoribus juxta criticæ regulas anteponendi ſunt. Quod autem poſt V. ſæculum hi Canones paſſim ſub nomine Apoſtolorum non alio fine citati fuerint, quam quia ſic eos citandi uſus inoleverat, patet illuſtri exemplo Urbani II. qui ſæculo XI. ſedit; hic enim in ep. ad Præpoſitum S. Juventii relat. *diſt.* 32. *c.* 6. & a nobis ſupra N. 36. adducta, dicit, *Canones Apoſtolorum* videl. 45. & 46. *Hæreticorum baptiſma lavacrum diaboli appellant*. Quos poſtea dicit una cum Cypriano *merito* a Stephano & Cornelio eſſe reprehenſos. Et *Canones Apoſtolorum* vocat, & tamen non credit ab Apoſtolis editos, alias non ajeret eos eſſe merito reprehenſos.

58. Inſtabis. Correctores Romani diſt. 16. ad c. 4. contrarium ſentiunt his verbis: *Cum Hadrianus Papa ſextam ſynodum recipiat cum omnibus Canonibus ſuis, — in ſexta autem ſynodo, ſive in ſeptima Concilio Apoſtolorum Canones ſint recepti, & approbati, patet, quod non ſint inter apocrypha deputandi.*

Reſp. I. Ex hac authoritate ſequi, quod Eccleſia latina omnes 85. Canones receperit, qui totidem a ſynodo Trullana ſunt approbati, quæ eſt ſingularis Turriani ſententia, ſupra N. 27. ab omnibus eruditis rejecta.

Reſp. II. Ex eo, quod 50. priores Canones ab Eccleſia latina tanquam Eccleſiaſticæ regulæ ſint recepti, non ſequitur eos non eſſe apocryphos in ſenſu mox explicando; ſed tantum, quod vim legis habeant in tantum, in quantum illis per poſteriora jura, legitimaſque conſuetudines non fuit derogatum.

Reſp. III. Opponendo cum omni reverentia viris illuſtriſſimis Patronos noſtræ ſententiæ ſubſellii non inferioris.

59. Quæres: an Canones Apoſtolorum ita ſint apocryphi, ut unus aliquis impoſtor eos ex ce-

rebro ſuo finxerit, & Apoſtolis ſuppoſuerit; an vero tantum ita, ut primorum Patrum, & Conciliorum ſtatuta defloraverit, atque in hunc ordinem ſub ſpecioſo Apoſtolorum titulo digeſſerit?

Reſp. ex ſupra relata combinatione horum Canonum cum Canonibus Conciliorum, & Patrum primorum V. ſæculorum, a Cl. D. Giberto facta veroſimillimum eſſe ſecundum. Quamvis propter can. 45. & 46. &c. non infundate ſuſpicetur Natalis *diſſert.* 18. *in ſæculum I.* hanc collectionem, ſaltem quoad aliquos Canones, obombrante ſpiritu contentionis, & pertinaciæ a Patribus tum Orientalibus, tum Africanis, qui Firmiliani ſententiæ contra Stephanum Rom. Pontificem mordicus adhærebant, circa a. 258. conceptam, atque deinde ab uno aliquo in lucem editam fuiſſe, ut traditionem ſcriptam deinceps objicere poſſent illius ſectatores ſententiæ Romanis, aliiſque Occidentalibus, non ſcriptam objicientibus traditionem. Eam enim conjecturam juvat 1. Canon Ap. 36. qui menſis hyperberetæi meminit, quo ſignificatur october lingua Syro-macedonica, cujus tunc erat uſus per Orientem. 2. Quia Canones 45. & 46. ipſam Concilii Iconienſis cit. a. 258. celebrati ſententiam de rebaptizandis hæreticis exhibent, ut conſtat ex Firmiliano rem geſtam ita narrante in ep. ad S. Cyprianum: *Hæretico enim ſicut ordinare non licet, nec manum imponere: ita nec baptizare, -- quod totum nos jam in Iconio — confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter.* Itaque tunc adornata ex parte videtur Canonum Apoſtolicorum collectio ab Orientalibus Epiſcopis. Quod cum contingere potuerit ad ſæculi III. finem, vel initium IV. non mirum, quod hæc collectio ſub hoc ſpecioſo titulo uſque ad ſæculi V. medium, vel finem (quo ſub eodem a Græcis jam uſurpatam certo conſtat ex dictis N. 22.) ſenſim ſine ſenſu invaluerit.

§. II.

De Collectione Conſtitutionum Apoſtolicarum.

60. Conſtitutiones laudatæ 8. libris comprehenſæ circumferuntur. Authores earundem lib. 8. c. 4. apud Coletum *Tomo I. Conciliorum,* in quo & excuſæ ſunt, *pag.* 459. conſtituuntur ipſi Apoſtoli his verbis: *Nos igitur 12. Apoſtoli Domini, qui una ſumus, has vobis conſtitutiones de omni eccleſiaſtico forma indicimus, præſente Paulo vaſe electionis, & Coapoſtolo noſtro, & Jacobo Epiſcopo, ac reliquis Presbyteris, & 7. Diaconis.* Divulgator vero earundem in iiſdem commemoratur S. Clemens Romanus, S. Petri diſcipulus, ejuſque poſtea in Sede Apoſtolica ſucceſſor his verbis: *doctrinam hanc noſtram per comminiſtrum noſtrum Clementem miſimus.* Quo fit, ut quemadmodum Canones Apoſtolorum, libri recognitionum, & nonnulla alia, ita & hæ conſtitutiones olim inter opera *Clementina* numerarentur.

61. Illis teſte Bellarmino *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* dicuntur Æthiopes uti, tanquam vere Apoſtolicis, & ea de cauſa in erroribus verſari circa cultum Sabbathi, & diei Dominicæ, & circa miniſtrum Sacramenti baptiſmi, & circa nonnulla alia dogmata, quæ in his conſtitutionibus notantur ab eruditis, atque propterea Apoſtolis, atque Clementi Romano unanimiter abjudicantur.

62. Illas e Græco in Latinum ſermonem tranſtulit Carolus Bovius & a. c. 1563. in lucem emiſit. Eaſdem Turrianus Latine interpretatus eſt, & commentariis illuſtravit. Eas cum Conciliis Surius, & Binius in ſuis Conciliorum editionibus vulgarunt; quas tamen idem Binius in altera Conciliorum adornatione, quam An. 1608. in lucem emiſit, ex leviſſima ratione, ut conqueritur Labbæus, expunxit. Extant apud Coletum *tom.* 1. *Concilior.* a *pag.* 295. uſque ad *pag.* 512. ſub hoc titulo: *Conſtitutiones, quæ tribuuntur Apoſtolis.*

63. Antiquiſſimas eſſe docet vir in re Canonica peritiſſimus Gabriel Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis *lib.* 1. *Obſervationum c.* 13. relatus apud Coletum *tom.* 1. *pag.* 193. in obſervatione Labbæana, multaque in illis excellentiſſima, & magni ponderis contineri; nec dubitare ſe, quin olim Græcæ Eccleſiæ pro legibus, manuali, & Pontificali ſeu rituali, ut vocant, codice inſervierint; ſatiſque conſtare, nil quidquam in iis reperiri, quod eccleſiaſticæ primorum IV. ſæculorum diſciplinæ conſentaneum non ſit.

64. Porro hos libros ab hæreticis, græculiſque lapſu temporis fuiſſe adulteratos, non tantum cum Canone 2. ſynodi Trullanæ, infra referendo, fatentur Baronius, Bellarminus, Perronius, Sirmondus, Petavius, aliique Latini ſcriptores poſt Zonaram, Balſamonem, alioſque Græcos; ſed ex ipſis etiam conſtitutionibus eruitur. Nam I. de Filii & Spiritus S. Divinitate male ſentiunt, ſiquidem inter hæreticos recenſent illos, *qui ſuſpicantur Jeſum eſſe Deum ſuper omnia lib.* 6. *c.* 2 5. Ipſum fingunt *miniſtrantem Deo ſuo, et Patri ad rerum omnium creationem, lib.* 5. *c.* 19. Patrem genuiſſe Filium ante ſæcula *voluntate, & potentia, & bonitate lib.* 8. c. 12. Epiſcopum Deo Patri ſimilem aſſerunt; Diaconum Chriſto, qui Patri miniſtrat, & in omnibus aſſiſtit; Spiritum S. Diaconiſſæ; quæ, ut nihil ſine Diacono facere debet aut loqui, ita Paracletus nihil a ſe ipſo loquitur, aut facit, ſed Chriſtum glorificans voluntatem illius exſpectat. Lib. 2. c. 26. Patrem vocant *Dominum Spiritus* Lib. 8. c. 37. & Lib. 5. c. 6. ajunt: *Nos baptizari in mortem Chriſti, in auctoritate Dei univerſorum, & in teſtimonio Spiritus S.* Quæ quantum Arianis, & Macedonianis faveant, nemo oculatus non videt.

II. *Quartum conjugium & deinceps manifeſtam eſſe fornicationem, & indubitatam impudicitiam,* decernunt.

III. Concedunt ancillis, ut heris infidelibus ad libidinem morem gerant, modo ſolis. L. 8. c. 32.

IV. Baptiſmum ab hæreticis collatum iterari jubent l. 6. c. 15.

V. Sabbathi ſolemnem celebrationem æque ac dominicæ diei conſtituunt. Lib. 8. c. 33.

VI. Elementis fidei imbuendum, & baptizandum eſſe decernunt eum, qui Euchariſtiam imprudens guſtaverit lib. 7. cap. 26. quaſi Apoſtoli non baptizatis Euchariſtiam porrexerint.

VII. Affirmant ſe a Chriſto audiviſſe, *oportere eum, qui Paſtor eſt, & Epiſcopus in Eccleſiis totius Parœcia conſtitutus, non minorem natu eſſe, quam annorum* 50. Quod nuſquam Apoſtolis, ane Apoſtolicis Viris in mentem venit, cum S. Paulus ad Timotheum ſcribat: *nemo contemnat adoleſcentiam tuam.* Id autem habent conſtit. l. 2. c. 1.

VIII. Conſtitutiones editas ait illarum author a 12. Apoſtolis *præſente Paulo & 7. Diaconis* lib. 8. c. 4. at Stephanum inter 7. Diaconos primarium martyrium obiiſſe conſtat, antequam Paulus ad apoſtolatum a Chriſto vocaretur, Actorum 7.

IX. Jacobum Zebedæi filium inducunt concilii Hieroſolymitani hiſtoriam narrantem, conſtitutiones ipſas cum cæteris Apoſtolis condentem lib. 6. c. 14. & 22.; cum conſtet ex actorum 12. Jacobum ab Herode occiſum eſſe ante concilii Hieroſolym. celebrationem. Quod idem teſtatur ipſe compilator harum conſtitutionum l. 5. c. 7. craſſiſſimo anachroniſmo.

X. In-

X. Inter libros, quos in Eccleſia legi præcipiunt, Evangelium S. Joan. recenſent l. 2. c. 57., cum illud ſcriptum non eſſe conſtet ante a. c. 97. quo tempore Petrus & Paulus, aliique Apoſtoli jam mortui ſunt.

XI. Philippum, a quo Simon Magus baptizatus eſt, Apoſtolum faciunt, quem diaconum duntaxat fuiſſe conſtat.

XII. Jacobum Fratrem Domini extra numerum Apoſtolorum ponunt lib. 6. c. 14. contra S. Pauli diſerta verba ad Gal. 1. ſcribentis: *Alium Apoſtolorum vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.*

65. Hæc aliaque momenta faciunt, ut eruditis N. 64. relatis, aliiſque fere omnibus conſtitutiones iſtæ non tantum videantur interpolatæ, ſed etiam ipſis Apoſtolis, Clementique ſuppoſitæ. De quibus proinde ſit

QUÆSTIO CRITICA.

Utrum Conſtitutiones, dictæ Apoſtolicæ, ab Apoſtolis per Clementem ſint editæ?

PROPOSITIO.

Conſtitutiones, dictæ Apoſtolicæ, non ſunt ab Apoſtolis per Clementem editæ.

66. PRobatur, quod ab Apoſtolis non ſint ſancitæ, ex unanimi Patrum, ſcriptorum Eccleſiaſticorum, & Conciliorum priorum 4. Sæculorum de his conſtitutionibus ſilentio, ad cujus argumenti robur, & amplificationem, omnia, quæ ſupra Numeris 22. 28. & 29. ad abjudicandos iiſdem Apoſtolis Canones, dictos Apoſtolicos, ex eodem ſilentio antiquorum petita poſuimus argumenta, huc ſubintrant. Nam *imprimis* hæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, ſicut Canones Apoſtolorum non ſunt relatæ in ſacrum Canonem. *Secundo*, illorum non meminerunt Scriptores Eccleſiaſtici ibi relati. *Tertio*, illas nunquam memorarunt Patres priorum ſæculorum, etiam occaſione data; earundem authoritate nunquam uſi ſunt ad revincendos hæreticos; ac demum ab illarum doctrina paſſim receſſerunt; ergo vel ipſis erant ignotæ, vel apocryphorum loco habitæ.

Probantur hujus tertii membri partes omnes accurata inductione. S. Juſtinus Martyr, qui ſecundo ſæculo vixit, in ſuo dialogo cum Tryphone paſſim teſtatur Sabbathi Religionem paſſione Chriſti fuiſſe abolitam, nec a ſui temporis Chriſtianis obſervata fuiſſe Sabbatha, conventibuſque publicis celebrata; contrarium docetur in conſtit. his lib. 8. cap. 33. & alibi.

S. Irenæus, qui floruit ſecundo caneſcente ſæculo, in opere ſuo *adverſus hæreſes* epiſtolam Clementis ad Corinthios non ſemel citat, nullibi tamen authoritate conſtitutionum Apoſtolicarum hæreticos refellit.

Præterea idem Irenæus in ep. *ad Victorem Rom. Epiſc.* cujus fragmentum refert Euſebius *lib.* 5. *hiſt. Eccl. c.* 26. teſtatur, conſuetudinem Paſchatis luna 14. cum Judæis celebrandi jam temporibus Aniceti, Teleſphori, Xiſti, & Soteris, Victoris anteceſſorum apud Aſiæ Eccleſias viguiſſe, & in eo ritu fuiſſe a Romana Eccleſia toleratas; & conſequenter conſtitutiones Apoſtolorum, quæ Paſcha cum Judæis Chriſtianos celebrare vetant *l.* 5. *cap.* 16. latuerunt viros ſanctiſſimos Polycarpum, Thraſeam, & cæteros Aſianos, Apoſtolici nominis obſervantiſſimos: alioquin nunquam legem tam claris tamque diſertis verbis, ab Apoſtolis (ut ibi ſingulari capite fingitur) latam, temere violaſſent. Sed & Victor ipſis conſtitutionum Apoſtolicarum auctoritatem proculdubio objeciſſet, quoniam Joannem ſui moris auctorem faciebant.

Clemens Alexandrinus, qui ſecundo ſæculo florere cæpit, frequenter laudat genuinam Clementis Romani ad Corinthios epiſtolam, & ſatis prolixos textus ex ea deſcribit *lib.* 1. 4. & 6. *ſtromatum*, de his conſtitutionibus ne hilum quidem.

Tertullianus Clementi æqualis, ſi conſtitutiones illas noviſſet, vel alicujus in Eccleſia authoritatis exiſtimaſſet, animam noſtram non aſſeruiſſet corpoream, quam iſtarum conſtitutionum auctor *lib.* 6. *c.* 11. diſertis verbis *expertem corporis, & immortalitate præditam* adfirmat; nec Laicis baptizandi poteſtatem conceſſiſſet *lib. de bapt. c.* 17. quam auctor conſtitutionum iiſdem adimit *lib.* 3. *c.* 10. Nec adeo impotenter Zephirini Papæ decretum, fornicatoribus aditum per pœnitentiam ad reconciliationem referans, invaſiſſet, ac dilaceraſſet; cum idem auctor harum conſtit. pœnitentes abſque diſcrimine recipiendos tam frequenter moneat *lib.* 2. *c.* 12. & *ſeqq.* Certe cum nullus veterum has conſtitutiones adverſus Novatianos produxerit; cum Tertullianus ipſe, qui in ſuo *libro de impudicitia* ſolvere nititur, & explicare momenta omnia, quæ Catholici Montaniſtis, pœnitentiæ hoſtibus, opponebant, librum ipſum *Paſtoris*, quem proferebant ad cauſæ Catholicæ præſidium, libere inter apocrypha amandet *cap.* 10. cum (inquam) Tertullianus ne verbum quidem faciat de Apoſtolicis illis conſtitutionibus; ſequitur illas & Tertulliano, & illorum temporum Catholicis ignotas prorſus fuiſſe, aut in apocryphorum numerum communi conſenſu ablegatas.

Origenes nedum conſtitutionum Apoſt. non meminit, ſed eas ſibi inviſas fuiſſe, aut nullius authoritatis indicat, ſiquidem dies feſtos recenſens *lib.* 8. *contra Celſum*, Natalem Chriſti, Epiphaniam, Aſcenſionem, & Apoſtolorum Natalitios, quos omnes recenſent hæ conſtitutiones, omittit.

S. Cyprianus cum Africanis, & Aſianis Epiſcopis nunquam cauſam ſuam de iterando baptiſmate Hæreticorum contra Cornelium, Stephanum, & Occidentales, harum conſtitutionum authoritate tuitus eſt; qua tamen nihil validius in rem ſuam adducere potuiſſent, ſiquidem omnium Hæreticorum Baptiſma reprobant *lib.* 6. *c.* 15.

Ignotas fuiſſe IV. ſæculo conſtitutiones Apoſtolicas ſuadet Arianorum ſilentium, qui nihil ex iis ad erroris ſui patrocinium adhibuerunt; uti demonſtrat S. Athanaſii ſilentium; & tamen ipſis quam maxime faveot ſententiæ ſupra N. 64. primo loco ex iiſdem adductæ.

S. Baſilius M. eaſdem conſtitutiones, ut ignoraverit, vel nihil fecerit, neceſſe eſt: ſiquidem *libro de Spiritu S. c.* 27. negat ſcripto ullo tradita eſſe quædam eorum, quæ ibi ſcripta leguntur variis in locis, ſcilicet, *ut ſigno crucis eos, qui ſpem collocarunt in Chriſtum, ſignemus: ut ad Orientem verſi precemur; invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis: Conſecrationem aquæ baptiſmalis, & olei unctionis; trinam merſionem in Baptiſmo.* Et alia id genus.

Quæ omnia ſimul ſumpta, & ex Natali Alex. diſſert. 19. in ſæculum I. ob Chronologiæ ordinem ab eo ſervatum, a nobis in ſimilibus electum, huc tranſcripta, evidenter videntur probare harum conſtitutionum ſuppoſitionem, & non nudam interpolationem. Qui enim amabo fieri potuiſſet, ut libri ab Apoſtolis compoſiti, in quibus latiſſime deſcripta habetur omnis pene Eccleſiæ diſciplina, atque per Clementem Apoſtolicum Miniſtrum ad Eccleſias miſſi, uti ſupra N. 60. vidimus, primos Apoſtolorum ſucceſſores omnes ad unum latuiſſent, ſi revera tales extitiſſent?

67. Probatur, quod a Clemente laudatæ conſtitutiones non ſint editæ ſive divulgatæ, & primo ex eo, quod argumenta hucuſque allata eas abjudicent Apoſtolis, ergo etiam Clementi, per

quem N. 60. mox relato dicuntur miſſæ Eccleſiis. Secundo ex genuina Clementis Epiſtola ad Corinthios, in qua Phœnicis hiſtoriam aliter prorſus narrat, quam Author harum conſtitutionum lib. 5. c. 6., prout ibidem habet nota marginalis apud Coletum. Nam verus Clemens Phœnicem in Arabia mori facit, iſte vero Heliopoli in Ægypto.

Momenta adverſariorum expenduntur.

68. ADverſarii Græci, Latinique, ut argumentum ex ſilentio antiquorum deſumptum enervent, quædam ex Patribus primorum 4. ſæculorum adducunt teſtimonia, quæ ſuæ ſententiæ patrocinari exiſtimant.

Et primo quidem ac præcipue jactant authoritatem S. Epiphanii ſæculi IV. ſcriptoris, qui conſtitutionum Apoſtolicarum ſæpe meminit, & nonnulla ex ipſis refert, quæ in ipſis, quos habemus, conſtitutionum libris leguntur. Et I. quidem illarum meminit Hæreſi 45. 75. & 80., earumque authoritate Aerianos, & Meſſalianos hæreticos premit. Secundo, ejuſdem ſanctiſſimi Patris de his libris ſententiam luculentius expreſſam legimus hæreſi 70., quæ eſt Audianorum, in ſæpius citata editione *pag.* 195. *col.* 2., quos ait, ſuum de Paſchate cum Judæis celebrando errorem ex Apoſtolorum conſtitutionibus confirmaſſe, eaſdem videlicet perperam interpretando. Additque, Apoſtolos illa conſtitutione præcepiſſe, ut Epiſcopos Jeroſolymitanos etiam errantes in Paſchatis celebratione totus orbis Chriſtianus ſequeretur.

Reſp. S. Epiph. LL. cc. & præſertim illo, quem adducit hæreſi 70. de aliis ab illis, quas modo habemus, conſtitutionibus loqui. Nam illæ, quarum meminit, *nihil aut in fide, aut Catholica profeſſione depravatum --- continebant*, teſte eodem l. c., noſtras in utroque aliquoties peccare, ſupra N. 64. evicimus. *Secundo*, quæ ex ſuis laudat, ac deſcribit Epiph. in noſtris non leguntur, imo quædam leguntur in noſtris contraria. Nam in illis conſtitutionibus ſtatuebatur Paſcha celebrandum cum iis Chriſtianis, qui Hieroſolymis in circumciſione erant, ut videre eſt l. c., adeoque cum Judæis, quorum illi diem celebrabant: noſtræ vero conſtitutiones vetant expreſſis verbis cum Judæis Paſcha celebrari *lib.* 6. *c.* 15. Porro ſi hæc in antiquis illis codicibus legebantur, mirum eſt S. Epiph. illorum auctoritatem non retorſiſſe contra Audianos, qui ipſis abutebantur, ut Paſcha Judæorum more celebrandum eſſe probarent. Non legitur etiam in conſtitutionibus, quæ penes nos ſunt, quod ex ſuis Epiphanius citat: *qui affiixerit animam ſuam Dominica die, maledictus eſt Deo;* ergo Epiphanianæ conſtitutiones plane diverſæ erant a noſtris.

69. Dices: ex his quidem ſequi conſtitutiones noſtras eſſe interpolatas; non autem Apoſtolis ſuppoſitas, alias ab Epiphanio toties laudatæ non fuiſſent.

Reſp. Epiphanium equidem librum Conſtit. Apoſtolicarum, ut apoſtolicum citare tum alibi, tum præcipue hæreſi 70. relata, at ibidem addere: *qui liber cum apud multos in ambiguo ſit &c.* & conſequenter ſæculo IV. de illo libro, qualiſcunque fuerit, *a multis* fuit dubitatum, quod dubium junctum cum ſilentio qualificatiſſimo Patrum trium priorum ſæculorum ſupra relato, illas evincit ſuppoſititias.

70. Objiciunt II. authoritatem S. Cyrilli Jeroſolymitani, hiſtoriam Phœnicis catecheſi 18. ex Clemente narrantis, quæ exſtat in his conſtitutionibus.

Reſp. Cyrillum hanc hiſtoriam narrare ex genuina Clementis ad Corinthios epiſtola, non ex his conſtitutionibus, quas ex ipſa epiſt. Clementis relata ſupra N. 67. probavimus eidem eſſe ſuppoſitas.

71. Objiciunt III. S. Athanaſius eodem IV. ſæculo florens, *in ep. feſtalis fragmento, edit. citata pag.* 444. inter libros ab apocryphis diſtinctos habet librum Paſtoris, & *doctrinam* (ut vocant) *Apoſtolorum*. Et in Synopſi S. Scripturæ, quæ ibidem exſtat *pag.* 399. *col.* 1. inter libros novi teſtamenti, quibus contradicitur, numerat *doctrinam Apoſtolorum*, & Clementina; & conſequenter Ath. laudavit, & approbavit conſtitutiones Apoſtolicas.

Reſp. I. Uſſerium in diſſert. de epiſtolis S. Ignatii Martyris demonſtrare, Athanaſium nomine *doctrinæ Apoſtolorum* non intellexiſſe has conſtitutiones. Unicam ex ejus convincentibus rationibus adduco; quia Athanaſius l. c. ex ſynopſi S. Scripturæ velut diverſos libros recenſet *doctrinam Apoſtolorum*, & *Clementina*.

Reſp. II. S. Athanaſium in ſynopſi librum illum inſcriptum, *doctrina Apoſtolorum*, inter nothos, ac reprobos cenſere. Poſtquam enim illum cum aliis numeravit, ſubjungit: *hi omnes quidem cognitionis gratia expoſiti ſunt, cæterum omnino perverſe, & falſo ſcripti ſunt, & nothi ac reprobi*. Concinit Athanaſio Euſebius *lib.* 3. *c.* 19. *Doctrinam Apoſtolorum* inter ſcripturas, *quæ falſo inſcriptæ, minimeque germanæ dicuntur*, recenſens.

72. Objiciunt IV. Synodus Trullana habita a. 691. canone 7. apud Colet. *tom.* 7. *Concil. pag.* 1343. agnoſcit præſentes conſtitutiones ut opus Apoſtolorum, quamvis eas legi prohibeat, quia ab hæreticis interpolatas cenſet; ergo non ſunt apocryphæ, ſed ad ſummum interpolatæ. Idem ſenſit Photius vir ſummæ eruditionis, & lectionis.

Huic argumento ſervit reſponſio ſupra N. 57. agendo de canonibus Apoſtolorum adducta, quæ proin ibi legatur, ne crambem recoquamus. Quod Photium attinet, dico, illum hæc ſenſiſſe, quia illum cauſæ ſuæ adverſus Latinos ſtudium in tranſverſum egit, & quia nonnulla in his conſtitutionibus legit, quæ ſuis erroribus favebant.

73. Cæterum, quod addunt, Photium, cæteroſque Græcos fretos eſſe authoritate Dionyſii Alexandrini, apud Euſebium *lib.* 7. *c.* 6. Nego Euſebium textum ibidem a ſe relatum deſumpſiſſe ex lib. 2. c. 36. harum conſtit. Nam verba illa, ab eodem tanquam voci Apoſtolicæ conſentientia relata, videlicet: *Sitis diligentes animadverſatores, & velut Trapezitæ, qui argentum probant;* quamvis non literis, ſenſu tamen continentur in illo Pauli 1. *ad Theſſal. c.* 5. *omnia probate, quod bonum eſt, tenete.*

§. III.
De Collectione Canonum pœnitentialium.

74. QUi ad ſtudioſæ juventutis inſtructionem corpus canonicum compilavit, ad calcem decreti Gratiani canones pœnitentiales exhibet, cum hac epigraphe: *Canones pœnitentiales, quorum notitia viris Eccleſiaſticis eſt valde neceſſaria; ſunt enim regulæ directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas;* prout habetur in *corpore juris Canonici edita Coloniæ Munatianæ A.* 1670. *pag.* 1255.

75. Sunt autem Numero 47. quos hic ex eodem fine, omiſſa brevitatis ergo compilatoris præfatione, & quibuſdam ſcholiis apponimus.

Canones pœnitentiales.

1. *SI Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat, hoc modo: ſcilicet, quod ſit incluſus, ſive a cæteris in aliquo loco remotus: Sacco indutus & humi proſtratus miſericordiam Dei jugiter implorans: primis tribus menſibus continuet a veſpera in veſperam*

eam

ram pane & aqua utatur, exceptis Dominicis diebus & feſtis præcipuis, in quibus modico vino, piſciculis, & leguminibus recreetur. Elapſis autem ſic primis tribus menſibus de illo loco exeat, non tamen in publicum prodeat, ne populus in eum ſcandalizetur. Poſt hoc reſumptis viribus aliquantulum unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis & aliis præcipuis Feſtis, in quibus vino, ſagimine, ovis, & caſeo poterit uti. Finito ſic primo anno & dimidio, particeps ſit corporis Domini: & ad pacem veniat, & ad pſalmos cum aliis Fratribus canendos in Choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen altaris non accedat, ſed minorum ordinum tantum officia gerat, deinde uſque ad completionem ſeptimi anni tres legitimas ferias, ſcilicet ſecundam, quartam, & ſextam, exceptis diebus Paſchalibus, qui ſunt quinquaginta, in pane & aqua jejunet, ſecundam tamen feriam uno pſalterio vel denario, ſi ſit operarius, redimere poterit. Et ſic cum ſeptimum annum compleverit, poteſt eum Epiſcopus ad gradum priſtinum revocare: ita tamen, quod in tribus annis ſequentibus ſine ulla redemptione omni ſexta feria in pane, & aqua jejunet. Et eadem pœnitentia imponenda eſt Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depoſitionem inducunt. 82. diſt. Presbyter § fornicationem.

2. Si Presbyter cognovit filiam ſuam ſpiritualem, quam ſcilicet baptizavit, vel in baptiſmo vel confirmatione tenuit, vel quæ ſibi confeſſa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis: & etiam debet deponi, ſi crimen ſit manifeſtum, & peregrinando quindecim pœniteat annis, & poſtea Monaſterium intret tota vita ſua moraturus ibidem. Epiſcopus vero qui talia commiſit, pœniteat quindecim annis. Ipſa vero mulier debet omnia relinquere, & res ſuas pauperibus dare, & converſa uſque ad mortem in Monaſterio Deo ſervire. 30. quæſt. 1. Si quis Sacerdos, & cap. non debet.

3. Quicunque Filiam ſuam ſpiritualem vel matrem cognoſcit, ſeptem annis pœniteat: & ſimiliter ei conſentientes. 30. quæſt. 3. non oportet.

4. Qui contrahit cum aliqua alii deſponſata per verba de præſenti, ipſa dimiſſa, quadraginta diebus jejunet in pane & aqua: & ſequentibus ſeptem annis pœniteat. extra. deſponſ. duorum. decepiſti.

5. Qui cognoſcit duas commatres vel ſorores, ſive uxor vivat, ſive non, ad minus ſeptem annis pœniteat, licet plus deberet. 30. q. 4. ſi Presbyter.

6. Qui cognoverit monialem ſive devotam, decem annis pœniteat: & ſimiliter ipſa ſecundum formam traditam. 27. quæſt. 1. de filia. & cap. devotam.

7. Qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem, pœniteat ſeptem annis. Si autem ſcienter, perpetuo privetur conjugio. 34. quæſt. 1. Si quis cum duabus.

8. Qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, pœniteat quinque annis. 31. q. ſi qua vidua.

9. Qui contra naturam peccavit, ſi ſit Clericus, debet deponi, vel religioni tradi, ſi corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si vero ſit Laicus, a cœtu fidelium uſque ad condignam ſatisfactionem debet fieri alienus. extra. de exceſſ. prælat. c. Clerici. Hoc enim vitium majus eſt, quam cognoſcere Matrem. 32. quæſt. 7. adulterii.

10. Qui coierit cum brutis, pœniteat plus quam ſeptem annis, & ſimiliter pro inceſtu. 32. q. 2. hoc ipſum &c. ſeq.

11. Presbyter, qui intereſt Clandeſtinis nuptiis, triennio ſuſpendatur, & ſi culpa exegerit, gravius puniatur. Extra. de clandeſtin. deſponſat. cum inhibitis.

12. Qui votum ſimplex violaverit, pœniteat tribus annis. 27. diſt. ſi vir.

13. Qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere & per ſecundam, quartam, & ſextam feriam a vino & carnibus abſtinere. 11. q. 3. de bis. de pœna vero degradati celebrantis habetur diſt. 50. accedens.

14. Homicida voluntarius ſine ſpe reſtitutionis deponitor, & pœniteat ſeptem annis. 50. diſt. minor.

15. Homicidia caſualis pœniteat ſeptem annis, & hoc ſecundum Ray. ſi culpa caſum præceſſit, aliter non, niſi forte ad cautelam. diſt. 50. eos. & duobus cc. ſequentibus.

16. Si quis fecerit homicidium propter neceſſitatem evitabilem, pœniteat duabus annis. diſt. 50. cap. de his Clericis.

17. Matricida pœniteat decem annis ſecundum formam ſatis aperte traditam 33. quæſt. 2. Latronem. Uxoricidæ vero gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, & qui Dominum occidit, nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec Matrimonium contrahit, uſque ad decem annos carnem non comedit, nec vinum bibit, & alia quæ habentur 33. q. 2. admonere. &c. quicunque,

18. Qui Presbyterum interfecit, pœniteat duodecim annis. extr. de pœniten. & remiſſ. cap. 2.

19. Qui injuſte alium ad mortem accuſat, quadraginta diebus in pane & aqua per ſeptem annos jejunet, & pœniteat, & hoc ſi accuſatus ſit acciſus; ſi autem tantum membrum perdiderit, triennio pœniteat. extra de accuſ. accuſaſti.

20. Perjurus quadraginta diebus in pane & aqua jejunet, & ſeptem annis ſequentibus pœniteat, & ſemper debet eſſe in pœnitentia ſcilicet interiori. 6. q. 1. quicunque.

21. Qui compulſus conditionaliter a Domino ſcienter pejerat, ſi liber ſit, quadraginta diebus in pane & aqua (& hoc ſecundum gloſſ. intellige vel continue vel interpolate) pœniteat ſeptem annis ſequentibus, non tamen in pane & aqua, ut dicit Gloſſ. ſi vero ſervus ſit ejus, qui eum coegerit, tribus quadrageſimis & legitimis feriis ſcilicet 2. 4. & 6. 22. q. 5. qui compulſus.

22. Qui pejerat in manu Epiſcopi, vel in cruce conſecrata, pœniteat tribus annis, ſi vero in Cruce non conſecrata, una anno. Qui vero coactus & ignorans ignorantia juris, & poſtea cognoſcit, pœniteat tribus quadrageſimis. 22. quæſt. 5. c. 2. Qui vero coactus pro vita redimenda, vel qualibet cauſa vel neceſſitate pejerat (quia corpus plus quam animam dilexit) tribus quadrageſimis pœniteat, ead. q. 5. c. ſi quis coactus.

23. Qui falſum ſcienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus quadraginta pœniteat in pane & aqua: ſeptem ſequentibus annis nunquam ſit ſine pœnitentia ſcilicet interiori. Alii etiam ſi conſcii fuerint, ſimiliter pœniteant. 22. quæſt. 5. ſi quis convictus.

24. Qui menſurat in falſa menſura 30. diebus in pane & aqua jejunet. extra. de contrah. empt. ut menſura.

25. Qui frangunt pœnitentiam ſolemnem, ſive redeundo ad crimina priora, vel ſimilia, ſive redeundo ad negotiationem vel militiam ſæcularem, quæ ſibi fuerant interdicta; ſola inter Eccleſiam fidelibus oratione junguntur, a Communione ſuſpenduntur, a Catholicorum conviviis ſeparantur, & pœnitere debent decem annis, & communicent in fine vitæ. 33. qu. 2. de his vero. & de pœn. diſt. 5. ſi quis vero.

26. Qui canit Miſſam, & non communicat, debet uno anno pœnitere, & interim Miſſas non cantare. de conſecr. diſt. 5. relatum.

27. Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla altaris, pœniteat decem annis, & menſibus quinque, Diaconus vero triennio & dimidio. de conſecr. diſt. 1. nemo per ignorantiam.

28. *Qui committit Sacrilegium, Eccleſiam violando, vel Chriſma, ſive Calicem ſacrum pollutis manibus accipit, vel ſimilia Sacrilegia committit, pœniteat ſeptem annis. Primo anno extra cœmeterium, quod violavit, conſiſtat, ſecundo anno ante fores Eccleſiæ, tertio in Eccleſia; & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, niſi in Paſcha vel Natali, non offerat, nec Communionem accipiat: quarto anno communicabit; & in illo & in quinto & ſexto & in ſeptimo tribus feriis a carnibus & vino abſtineat jejunando, 12. q. 2. damon. Comburens autem Eccleſiam quindecim annis pœniteat, & eam reſtituat. 17. q. 4. §. Si quis in verſ. majus.*

29. *Si parentes frangunt ſponſalia filiorum, a Communione triennio ſeparentur: & ſimiliter filii ſi ſint in culpa: ſi tamen filii ſecundum promiſſionem factam contraxerint, excuſantur utique: ſcilicet quoad pœnam Eccleſiæ, ſed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium. 31. q. 3. ſi qui parentes. arg. de pœn. diſt. 1. ſicut.*

30. *Qui blaſphemaverit publice Deum, vel aliquem ſanctorum, & maxime Beatam Virginem, illi debet Epiſcopus hanc pœnitentiam injungere: ſcilicet ut ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum Miſſa cantatur, exiſtat, & ultimo illorum dierum Dominicorum pallium & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & ſeptem præcedentibus ſextis feriis in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus: & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel ſaltem unum reficiat, ſi poteſt: & ſi non poteſt, hæc pœna in aliam commutetur: quod ſi renuerit agere omnia ſupradicta, interdicatur ſibi Eccleſia, & in morte privetur Eccleſiaſtica ſepultura. extra. de maledic. ſtatuimus. Item Blaſphemus ſi dives fuerit 40. alioquin 30. vel 60. & ſi ad hoc non ſufficit, quinque ſolidorum uſualis monetæ pœna mulctetur, nullamque miſericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem.*

31. *Qui revelat Confeſſionem, de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinari. de pœn. diſt. 6. Sacerdos.*

32. *Qui in dicendis horis Canonicis & aliis Officiis divinis diſcrepat a conſuetudine Metropolitanæ Eccleſiæ, 6. menſibus privatur Communione, ſi hoc accidat ex contemptu. 17. diſt. de his.*

33. *Epiſcopus, qui ordinat ſine juſta cauſa Clericum invitum, aut reclamantem, vel penitus invitum, abſolute ſuſpenditur anno uno. 74 diſt. cap. 1.*

34. *Epiſcopus, qui correctionem de venditione Miniſteriorum diſſimulat, duobus menſibus: Preſbyter quatuor, Diaconus tribus, Subdiaconus & cæteri ad arbitrium judicis pœnitere debent. 1. quæſt. 1. quicquid inviſibilis.*

35. *Sortilegus 40. diebus pœniteat. extra. de ſortileg. requiſiſti.*

36. *Qui videt in aſtralabia, pœniteat duobus annis. extra de ſortileg. ex tuarum.*

37. *De ſtilla ſanguinis altaris cadentis in terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Preſbyteri, debet Preſbyter pœnitere 40. diebus, ſi cecidit ſuper pallia altaris, pœniteat quatuor diebus. de conſecr. diſt. 2. c. per negligentiam.*

38. *Si aliquis evomit Euchariſtiam propter ebrietatem & voracitatem, ſi Laicus, pœniteat 40. diebus, ſi Clericus vel Monachus, vel Preſbyter, vel Diaconus, pœniteat 70. diebus. Si Epiſcopus, pœniteat nonaginta diebus. Et deberet evomitura comburi & juxta altare collocari. Si vero cauſa infirmitatis evomuerit, ſeptem diebus pœniteat. de conſecr. diſt. 2. ſi quis propter ebrietatem.*

39. *Quando mus corrodit vel comedit corpus Chriſti, de pœnitentia hujus caſus inquire, ubi ſit notata. de conſecr. diſt. 2. cir. ſin.*

40. *Qui domum vel aream voluntarie ſuccendit, ſublata vel incenſa omnia reſtituat, & tribus annis pœniteat. extra. de injur. ſi quis domum.*

41. *Qui dederit vel acceperit Communionem ab Hæreticis, & neſcit hoc eſſe prohibitum ab Eccleſia, & poſtea intelligit, pœniteat uno anno. Si autem ſcivit, & neglexit, pœniteat decem annis, vel ſecundum quoſdam ſeptem, vel ſecundum alios quinque. Qui vero permittit hæreticum Miſſam celebrare in Eccleſia Catholica per ignorantiam Juris, pœniteat quadraginta diebus. Si pro reverentia ejus, per annum pœniteat. Si pro damnatione Eccleſiæ Catholicæ, & pro conſuetudine Romanorum, projiciatur ab Eccleſia ſicut Hæreticus, ſi ſit impœnitens: alioquin pœniteat decem annis. Si autem relicta Eccleſia ad Hæreticos tranſierit, & alios ad hoc induxerit, pœniteat duodecim annis, tribus extra Eccleſiam, ſeptem inter audientes, duos extra Communionem ſive oblationem, & ſic duodecimo anno Communionem, ſive oblationem percipiat. 24. q. 1. ſi quis dederit.*

42. *Patronus, qui res Eccleſiæ dilapidat, uno anno pœniteat. 16. quæſt. 7. cap. filiis.*

43. *Qui domum ſuam magicis & incantatoribus luſtrat, vel aliud facit, & qui ei hoc conſuluit, annis quinque pœniteat. 16. q. 5. qui divinatores, & rap. non liceat.*

44. *Qui pacem cum proximo ſuo non facere jurat, anno uno pœniteat, & ad pacem redeat. 22. q. 2. qui Sacramenta.*

45. *Pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro pœnitentia regulariter ſeptem anni, & ſimiliter pro fornicatione, licet non ita aſpera pœnitentia injungatur. 22. quæſt. 1. prædicandum. 33. q. 1. hoc ipſum & §. ſeq.*

46. *Qui ſcienter rebaptizatur, ſeptem annis pœniteat, & feria quarta & ſexta in pane & aqua jejunando tres quadrageſimas faciat, & hoc ſi fecit pro Hæreſi introducenda. Si autem pro munditia, id eſt pro ſalute Corporis obtinenda, ut extra. de apoſt. Capitulo 2. tribus annis pœniteat, de Conſecr. diſt. 4. qui bis; & talis, qui bis baptizatur & confirmatur, fit de foro Eccleſiæ, & cogitur fieri irregularis, ut diſt. 94. dictum eſt. De pœna autem talium habetur de conſecr. diſt. 4. eos.*

47. *Qui uxorem adulteram cognoſcit, antequam pœniteat, tres ann. pœniteat. 01. quæſt. 2. ſi quis. Qui vero cognoſcit pœnitentem ante pœnitentiam peractam, pœniteat duobus annis, eadem quæſt. ſi quis primo.*

76. Horum, & aliorum canonum pœnitentialium, quos omnes referre anguſtia hujus opellæ non patitur, uſus eſt antiquiſſimus, & ab ipſis propemodum Eccleſiæ incunabulis exordium ſumpſit; cum enim Patribus perſuaſum eſſet, pœnitentias convenientes peccatis impoſitas plurimum ad ſanationem peccatoris, & remiſſionem criminum valere, uti variis eorundem teſtimoniis oſtendit Morinus *lib. 3. de adminiſtr. ſacr. pœnit. c. 10.* magnopere ſolliciti fuere Epiſcopi, ut ſcirent, quæ, qualeſque pœnitentiæ ſingulis quibuſque criminibus congruerent; atque in re tanti momenti, a qua ipſius animæ curatio potiſſimum dependet, ſecurius procederent, nihil ferme circa hanc rem pronuntiabant, aut ſtatuebant, quod antea a multis Epiſcopis ſerio deliberatum, & examinatum non eſſet; & hac de cauſa frequenter etiam ſynodos cogebant; uti oſtendit idem Morinus *lib. 6. c. 14.* qui ibidem addit, eum morem in Eccleſia per 11. integra ſæcula duraſſe, nihilque in eo remiſſum fuiſſe; idque luculentiſſimis teſtimoniis demonſtrat.

77. Ex hac tam ſolerti Patrum cura circa ſalutares, dignaſque pœnitentibus pœnas imponendas vaſti illi, ex quibus 47. mox retulimus,

pro-

prodierunt canones pœnitentiales, qui cum tractu temporum multiplicarentur, opportunum viſum fuit, pro majori inferiorum Presbyterorum (ad quos circa ſæculum VIII. impoſitio pœnitentiæ præſertim pro peccatis occultis devolvi cœperat) commodo, Canones illos in certum ordinem, & compendium redigere; inquit Morinus *in præf. ad lib. pœnit.* quæ compendia a materia ſubſtrata dicebantur *libelli pœnitentiales*.

78. Libri hi pœnitentiales auctoritate Epiſcoporum probati, & evulgati, Presbyteris inferioribus tradebantur eo fine, ut non *ex corde*, ſed ſicut *in pœnitentiali* ſcriptum erat, pœnitentias injungerent, uti habetur in ordine ad celebrandam ſynodum circa ſæculum 10. compoſito.

79. Pro aſſequenda horum Canonum exactiore notitia nonnulla neceſſaria notanda ſunt, atque exponenda.

Primo in his canonibus frequenter occurrit mentio diverſorum graduum inter pœnitentes; quorum 4. aſſignantur ex Canone, qui vulgo Canonibus Epiſtolæ Canonicæ S. Greg. Thaumat. ſubjicitur, per quos gradatim quaſi aſcendebant, priſtinam omnimodæ, ac perfectiſſimæ communioni reſtituerentur; primus ibidem vocatur *Fletus*, ſecundus *Auditio*, tertius *Subſtratio*, & quartus *Conſiſtentia*.

80. Primus gradus juxta cit. Canonem eſt *extra partem Oratorii, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur*. In primo ergo gradu conſtitutus debebat peccata ſua publice conſiteri, & intrantibus adgeniculari, ut pro ſe orent.

81. Secundus gradus juxta eundem Canonem ita deſcribitur: *Auditio eſt intra portam in Narthece, ubi oportet eum, qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illuc egredi. Audiens enim ſcripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus cenſeatur*. Per ly intra portam intelligitur illud ædificiolum introitui Eccleſiæ connexum, quod Germani die Halle vocant, quodque in Eccleſiis Ruſticorum non tantum in Gallia, & Belgio, ſed etiam in Bohemia, & fortaſſis ubique in Germania adhuc in uſu eſt. Duo igitur teſte Morino cum his audientibus fiebant. Primo per modum pœnitentiæ publicæ diligenter auſcultare debebant ſcripturam, ejuſque expoſitionem. Secundo nullas manuum impoſitiones, una excepta, quæ fiebat in ipſa ad hanc ſtationem admiſſione, nullaſque orationes expiatorias aut alterius generis ſuper eos ſpecialiter fundebant: uti nec opera pœnalia, ac laborioſa ipſis imponebantur: ſed ea, ſicut & flentes, ſi volebant, voluntarie obibant.

82. Tertius gradus vocabatur *Subſtratio*, de qua hæc leguntur in laudato Canone: *Subjectio autem, ſeu ſubſtratio eſt, ut intra portam templi ſtans cum Catechumenis egrediatur*. Dicebatur autem ſubſtratio, eo quod tempore hujus ſtationis eſſent quaſi continuo ſub manu Epiſcoporum, & Sacerdorum, tanquam rei & humiliati, proſtrati, ſive ſubjecti; toto quippe tempore hujus ſtationis fiebant crebræ manuum impoſitiones ſuper pœnitentes, quibus manuum impoſitionibus ſemper conjuncta fuit oratio, quæ fiebat poſt lectionem ſcripturarum, & ſermonem habitum ad populum. His enim abſolutis voce Diaconi ejiciebantur *audientes*, aliique, qui hiſce intereſſe poterant; quibus ejectis, ſub manu Epiſcopi ſuccedebant hujus ſtationis pœnitentes, atque oratio ipſis propria recitabatur; hiſque peractis etiam ipſi jubente Diacono dimittebantur; eaque dimiſſione facta, fidelium miſſa inchoabatur. In hac ſtatione pœnitentes opera illa laborioſiſſima, in Canonibus pœnitentialibus ſupra relata, peragere debebant; hinc iſthæc ſtatio proprie erat *pœnitentialis*; atque in Eccleſia nunquam non viguit, cum aliæ ſtationes diſciplinæ tantum cauſa fuerint adjectæ.

83. Quarta ſtatio dicta fuit *conſiſtentia*, de qua in Canone Thaumaturgico: *Congregatio, ſive conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur: poſtremo eſt participatio Sacramentorum*. Pœna igitur, qua mulctabantur *conſiſtentes*, hæc erat; quod munera, quæ olim Chriſtiani ſacrificanti ad altare offerre ſolebant, ab ipſis oblata, ut fidelium non acciperentur, unde conſequens erat, juxta tunc vigentem diſciplinam, eos Euchariſtia adhuc privatos fuiſſe, quæ erat pœna ſecunda; ubi nota, Venerandos Patres primorum ſæculorum hanc cenſuram ſeu ſtationem inſtituiſſe propter illos, qui tres gradus priores jam abſolverant, ut nempe poſt graves ab illis toleratas pœnitentiæ moleſtias aliquanto tempore experirentur, an iis liberati vitam ducerent fideli dignam, atque poſſent illis tuto credere corpus & ſanguinem Domini.

84. Quanto tempore in una ſtatione ſeu gradu eſſet ſubſiſtendum, ex gravitate criminis Canones plerumque determinabant; Epiſcopi tamen in hoc diſpenſare poterant, attenta vita, converſatione pœnitentium, eorumque in peragenda pœnitentia fervore, mitiuſque agere, atque ex inferiori, intermiſſa media, eos ad ſuperiorem transferre.

Qui plura de hoc ſcire avet, adeat ipſum Morinum *tr. de ſacr. pœnit.* ubi hæc omnia fuſe tradit, ac copioſis veterum teſtimoniis firmat. Hoc hic adhuc notandum:

85. Quod quanquam hodierna diſciplina Eccleſiæ circa imponendas peccatoribus pœnitentias eodem, quo vetus, agatur Spiritu, quod nas nimirum velit eſſe qualitati tum criminum, tum ipſorum pœnitentium *Salutares & convenientes*; utque ſint *non tantum ad vitæ novæ cuſtodiam, & infirmitatis medicinam, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem*; ut loquitur Trident. *Seſſ.* 14. *de ſacr. pœnit.* c. 8. quem ſcopum in condendis Canonibus pœnitentialibus habuiſſe Patres & vetera Concilia ex dictis patet; nihilominus in hoc moderna diſciplina a veteri diſcrepat, quod vetus obſtringeret Sacerdotes pœnitentias & ſatisfactiones imponere, prout hæ *in Canonibus & libris pœnitentialibus* erant expreſſæ, uti ſupra vidimus; at moderna illos ab exacta & exteriori Canonum pœnitentialium obſervantia eatenus abſolvit, ut non conſtringantur pœnitentias Canonibus præſcriptas imponere, ſed earum determinatio Sacerdotum prudentiæ, & arbitrio committatur; prout conſtat ex Trident. *cap. cit.* dicente: *debent ergo Sacerdotes Domini*, quantum Spiritus & prudentia ſuggeſſerit, *pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares* & convenientes *ſatisfactiones injungere*.

86. Ex quibus ſequitur, quod quanquam Confeſſarii hodie non adſtringantur ad imponendas pœnitentias juxta præſcriptum Canonum pœnitentialium, horum tamen notitia non uno titulo ſit etiamnum hodie utilis.

Primo enim horum notitia multum ipſos juvabit ad rectum de criminum gravitate ferendum judicium; illud enim crimen, cui Patres majorem pœnitentiam determinarunt, ſine omni hæſitatione gravius cenſendum erit.

Secundo utilis erit illorum notitia, ut ipſis peccatoribus oſtendatur, quam pœnitentiam, & vindictam illis peccatis olim Patres impoſuerint; ut ita levius ferant pœnitentias leviores, & modum leviorem, quo nunc pia, atque eorundem fragilitati condeſcendens Mater Eccleſia cum illis procedit: cum etiam vulgo dictorum Rigoriſtarum

ſtarum

ſtarum pœnitentiæ graviores ne centeſimam quidem partem antiquarum ſatisfactionum attingat, ut recte obſervat Cardinalis Aguirre.

Tertio hi Canones oſtendent, quomodo de acceleratione, vel procraſtinatione reconciliationis non tam ex verbis, quam operibus pœnitentium ſtatuendum ſit. Ut enim Can. Nicæno 13. notatur: Epiſcopus de iis pœnitentibus aliquid humanius ſtatuere, & tempus pœnitentiæ contrahere poterit, *qui lacrymis, tolerantia, & bonis operibus converſionem* & opere *& habitu oſtendunt*.

Denique ſerviet horum Canonum notitia ipſis Confeſſariis pro regula directiva ad imponendas his, aliiſque peccatis congruas pœnitentias cum prudentia, & moderatione: ſi viderint, quales iiſdem a Patribus fuerint impoſitæ.

87. Fructus multiplices horum Canonum non uno in loco expoſuit Sanctiſſimus ſimul ac zeloſiſſimus animarum Paſtor S. Carolus Borromæus, qui, ut facilius illorum notitiam haurire poſſent Confeſſarii, illos ex variis Conciliis, & Canonum collectionibus juxta ordinem decalogi diſponi curavit; atque una cum inſtructionibus pro Sacramento pœnitentiæ evulgavit, & hodie habentur in *actis Eccleſiæ Mediolanenſis par.* 4. Quos utinam Confeſſarii omnes conſulerent, expenderentque!

C A P U T III.

De Collectionibus, ſeu Codicibus Eccleſiæ Græcæ in ſpecie.

§. I.

De Collectione, quæ vulgo codex Canonum Eccleſiæ univerſæ dicitur.

88. ANte ſynodum Chalcedonenſem, quæ celebrata eſt a. c. 451. exſtitiſſe jam codicem Canonum, conſtat ex ejuſdem Concilii actione IV. ibi enim ad mandatum ſynodi, ut Canones legerentur, *ſumpto* libro *Aetius Archi-Diaconus — legit Canonem* 83. Si quis Epiſcopus a Synodo depoſitus &c. & 84. Si quis Presbyter, aut Diaconus &c. habetur hæc actio apud Colet. *tom.* 4. *concil. pag.* 1427.

89. In hoc codice collectos fuiſſe Canones præcedentium Conciliorum uſque ad CP. primum conſtat ex Dionyſio exiguo, qui in præfatione ſuæ collectionis apud Colet. *tom.* 1. *pag.* 2. ita habet: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de Græco tranſtulimus, — deinde regulas Nicænæ ſynodi, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ ante eam, ſive quæ poſtmodum facta ſunt uſque ad ſynodum* 150. *Pontificum, qui apud* CP. *convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt, a primo capite uſque ad centeſimum ſexageſimum quintum, ſicut habentur in Græca authoritate, digeſſimus*.

90. Ex quo Dionyſii teſtimonio patet primo, illum codicem a ſe translatum eſſe, *ſicut habebatur in Græca authoritate*, ſeu prout apud Græcos exſtabat. Secundo, dictum Græcum codicem a Nicænis codicibus initium duxiſſe, ob ſynodi Oecumenicæ primæ authoritatem, etſi in illo Canones haberentur Nicænis antiquiores, regulæ videlicet conciliorum Ancyrani, & Neo-Cæſarienſis, 21. annis ante Nicænum celebratorum. Tertio, in illo codice fuiſſe 165. Canones e diverſis ſynodis concinnatos, hoſque ſub continua numerorum ſerie fuiſſe diſpoſitos, prout & in ipſa collectione Dionyſii hodie diſpoſiti leguntur.

91. Hoc autem codice uſam fuiſſe ſynodum œcumenicam Chalcedonenſem ex citatione canonum, ab Aetio lectorum, fit manifeſtum, ſi enim a primo canone Nicæno numeremus uſque ad canonem 4. Antiochenum, prout canones a Dionyſio tranſlati ſunt diſpoſiti, deprehendemus illum canonem 4. Antiochenum eſſe ipſiſſimum canonem 83. & can. 5. eſſe 84. Græci codicis ab Aetio in ſynodo lecti. Item regulam 95. *Si quis Epiſcopus vacans &c.* & 96. *Si quis Epiſcopus ordinationem acceperit Epiſcopatus &c.* actione 11. ejuſdem concilii a Reverendiſſimo Leontio Epiſcopo recenſitas, eſſe canones 16. & 17. ejuſdem ſynodi Antiochenæ. Quod conſtabit referendo ordinem, & numerum canonum in dicto codice contentorum.

92. In eo namque *primo* loco ponuntur Canones Concilii Nicæni. — — — 20.
Secunda, Ancyrani juxta Græcos. — 25.
Tertia, Neocæſarienſes. — — — 14.
Quarta, Gangrenſes. — — — 20.

Summa — 79.

Quinto, Antiocheni. — — — 25.
Sexto, Laodicæni. — — — — 58.
Septimo, Conſtantinopolitani in codice Dionyſii. — — — — — 3.

Summa omnium 165.

Jam ſic. Septuaginta novem canonibus uſque ad Concilium Antiochenum excluſive ſummatis adde 4. ex eadem ſynodo, prodibit quartum canonem concilii Antiocheni, *Si quis Epiſcopus a ſynodo depoſitus &c.* eſſe ipſiſſimum ab Aetio lectum ex hoc codice ſub numero 83. & conſequenter quintum ejuſdem Antiocheni concilii eſſe octuageſimum tertium. Et ſic de reliquis duobus. Solummodo adverte I. Dionyſium canones 4. & 5. Ancyranos in unum conflaſſe, adeoque in ejus codice Ancyranos eſſe tantum 24. II. In codice iſto a Juſtello edito, itemque apud Photium, Balſamonem, Zonaram, & alios Græcos numerati canones 7. Concilii Conſtant. cum tamen in codice Dionyſiano 3. tantum proſtent, & revera in Græco codice tempore Concilii Chalcedonenſis plures non exſtitiſſe conſtat ex ipſo codice Græco, quem Dionyſius latinitate donavit; cum enim plures non verterit, ſignum manifeſtum eſt, eum plures in illo non legiſſe. Nec enim audiendi ſunt, qui dicunt, Dionyſium poſteriores 3. ex induſtria omiſiſſe, eo quod ſciret, eos in Eccleſia Romana reprobari; ſi enim hoc eſſet, multo magis omiſiſſet canonem apud laudatos Græcos, & Juſtellum ordine quartum, quo ſedi CP. ſecundus a Romana locus aſſeritur, quem tamen ductu Græci codicis tertio appendit. Accedit, quod ipſe Dionyſius teſtetur: *Sub Theodoſio piiſſimo Imp. apud CP. expoſiti ſunt canones numero tres*.

93. Author hujus collectionis paulo poſt S. Joannis Chryſoſtomi obitum, ſeu initio ſæculi V. fuiſſe cenſetur Stephanus Epheſinus Epiſcopus, cujus nomen in veteri codice MS. legit adſcriptum vir canonicæ antiquitatis peritiſſimus Chriſtophorus Juſtellus.

94. Idem Juſtellus, eumque ſecuti Voelius, & Henricus Juſtellus Chriſtophori filius codicem hunc ediderunt ſub titulo, ſeu rubrica in fronte hujus §. prænotata. In illo continentur canones mox enumerati, ſervato ordine temporum, niſi quod canones Nicæni, ob ſynodi illius prærogativam, Ancyranis, & Neocæſarienſibus præponantur, ut ſupra notavimus. Qui reflexerit ad veneranda illa concilia, in quibus laudati canones editi ſunt, de eorundem authoritate, & reverentia judicare poterit, eo vel maxime, quod relati fuerint in codicem a ſynodo œcumenica Chalcedonenſi approbatum; qui codex inſuper a Græca & Latina univerſali Eccleſia a pluribus ſæculis receptus, & approbatus fuit.

95. Ex his ſequitur, qua veneratione diſciplina his canonibus expreſſa ſuſcipienda & probanda ſit; qua cura, & ſtudio, ubi adhuc ſuperſtes eſt, conſervanda, labeſcens ſuffulcienda, abolita, ſeu potius conculcata reſtituenda; omnia tamen moderante Chriſtiana prudentia, quæ temporum, & perſonarum circumſtantias, ubi de diſciplina agitur, ſedulo expendit.

§. II.
De Codice canonum Eccleſiæ Græcæ poſt Synodum Chalcedonenſem aucto.

96. VIdimus §. præcedenti codicem, quo ſæculo V. uſa eſt ſynodus œcumenica Chalcedonenſis, conſtitiſſe 165. canonibus, deſumptis ex conciliis ſupra N. 91. relatis. Videndum nunc eſt, quando, a quibus, & quomodo auctus ſit.

97. Primum itaque incrementum non diu poſt concilium Chalcedonenſe per adjectionem canonum ejusdem Concilii, & canonum Concilii Epheſini, ante Chalcedonenſe, videlicet a. c. 431. celebrati, accepit. Id ſuaderi poteſt teſtimonio Juſtiniani Imp. qui ſæculi VI. initio clavum imperii tenuit; is enim novella 131. ſancivit: *Vicem legum obtinere ſanctas eccleſiaſticas regulas, quæ a SS. IV. conciliis expoſita ſunt aut firmata, hoc eſt in Nicæna 318. in CP. SS. 150. Patrum, & Epheſina I. in qua Neſtorius eſt damnatus, & in Chalcedonica, in qua Eutiches cum Neſtorio anathematizatus eſt.* Quin eo pariter tempore canones vulgo Apoſtolorum in unum jam conflatos, & huic codici cum nonnullis S. Baſilii inſertos fuiſſe, adeoque codicem illum ſecundum augmentum accepiſſe, conſtabit ex collectione Joannis Antiocheni, dicti Scholaſtici, ab eodem Juſtiniano ad Thronum CP. promoti, quem infra N. 103. referemus.

98. Tertium augmentum ſubiit ſæculo VII. currente; in eo ſiquidem regnante Juſtiniano II. ſynodus in Trullo CP. celebrata, vulgo dicta Trullana, non modo eos omnes, quos Jo. Antioch. in ſuum opus congeſſerat, verum etiam complures alios ſecundo ſuo canone confirmavit: nimirum canones concilii Carthaginenſis, Concilii CP. ſub Nectario Patriarcha, & Theophilo Alexandrino: item multorum PP. Canones, puta Dionyſii, Petri Alexan. Greg. Neocæſ. Athanaſii, Baſilii, Gregoriorum Nyſſeni, & Nazianzeni, Amphilochii Iconii, Timothei, Theophili, & Cyrilli Alexandrinorum, Gennadii CP. & unum denique canonem e ſynodo ſub S. Cypriano celebrata. His canonibus ſi addantur 102. canones in ipſa ſynodo Trullana editi, integrum Codicem Græcum, quo ſæculo VII. uſi ſunt, habebimus.

99. Quartum augmentum accepit labente ſæculo VIII. quo ſynodus Nicæna II. 22. canones edidit, quorum primo ſex priorum conciliorum Generalium decreta confirmavit, qui 22. canones itidem codici Græcorum additi fuerunt.

100. Quintum augmentum accepit IX. fluente ſæculo, quo Photius Patriarcha CP. duas ſynodos habuit, alteram in templo SS. Apoſtolorum, in qua editi 17. canones; alteram in templo S. Sophiæ ſive Sapientiæ, quæ tres canones evulgavit. Qui canones primum a Photio in Nomocanone ab ipſo elaborato editi, poſtmodum ab Eccleſia Orientali in partem juris canonici recepti ſunt. Atque ex his, & præcedentibus integrum jus canonicum Græcum conflatum eſt. Quod cum commentariis Balſamonis, Zonaræ, & Ariſteni græce & latine evulgavit Beveregius.

101. In his collectionibus, ſeu potius in hac collectione ſucceſſive aucta obſervandum eſt I. in illa decretales Romanorum Pontificum canonibus non annumerari, atque ex Occidentalium ſynodorum canonibus præter Sardicenſes, & Africanos, alios non reperiri. II. In illa ſervari ordinem temporum.

102. Quæ codicis hujus apud Latinos ſit authoritas, quantum ad canones Apoſtolicos ſupra jam vidimus; quantum ad Photianos vero notandum, canones 17. priores, utpote in latrocinali conciliabulo factos, a Latinis prorſus rejici: e tribus vero poſterioribus, etſi etiam editi ſint a Concilio a Latinis reprobato, ſecundus nihilominus refertur a Gratiano 7. *q.* 1. *c.* 45. & ex illo a S. Th. 22. *q.* 185. *a.* 4. *ad* 2. & ab Innocent. III. *c.* 11. *de renunt.* Nam quin ibi Innoc. citet can. illum, prout in Gratiano exſtabat, nullus ambigit; quod autem concil. CP. cui illum tribuit, ibi vocat unum eſſe e conciliis, *quæ ſicut* 4. *Evangelia Eccleſia Cathol. veneratur*, evidenter oſtendunt, Innocentium hunc canonem tribuiſſe concilio CP. I. In quo doctiſſimi Pontificis ſcriniarium memoria lapſum fuiſſe monet Lupus *tom.* 2. *Scholior. pag.* 1560. quantum ad reliquos conſulendi ſunt eruditi canonum, conciliorumque evulgatores.

§. III.
De Collectionibus Græcorum, quæ alium, quam temporum ordinem ſervant.

103. EXſtant præterea celebriores aliquot Græcorum collectiones, in quibus ordo argumentorum tenetur, & una, in qua ſecundum ordinem alphabeticum diſponantur; inter priores *prima* eſt Joannis Antiocheni ſupra laudati, cujus tempore, cum ſimilis collectio in 50. titulos diſtributa jam circumferretur, in illa duo vitia ſibi deprehendere viſus eſt. I. quod in ea omiſſi fuerint canones S. Baſilii; alterum, quod ſub ſingulis titulis non referrentur canones ſimiles, ſed inſignior tantum, aut is, qui convenientior viſus fuerat; unde naſcebatur incommodum non reperiendi facile canones ejuſdem generis in unumquodque argumentum. Quapropter ad novam collectionem adornandam, in qua dictis defectibus mederetur, permotus eſt, quam in 50. titulos diſtribuit, & ſub ſingulis plures canones collocavit, eidemque 86. canones S. Baſilii inſeruit.

104. Hanc collectionem in duas partes diſtribuit author; in quarum prima canones integros recenſet, in ſecunda vero canones in prima integre relatos ſolummodo cum ſuis fontibus allegat, ipſique leges civiles integras, quas argumento congruas reperire potuit, ſubjicit. Ita ut hæ duæ collectiones, vel potius una conſtans duabus partibus recte dici poſſit *concordia legum & canonum*, in qua cernitur, in quo ambæ poteſtates concurrant ad tituli cujuſque argumentum.

105. Secunda eſt Photii Patriarchæ CP. pariter ſupra laudati. Hic duas fecit collectiones juxta ſeriem argumentorum, Joannis Antiocheni compilationi in eo ſimiles, quod canones integri in prima referantur, in altera autem ſimpliciter laudentur, iiſque ſubjiciantur leges congruæ, quoties tales repertæ ſunt; multifarie vero ab ea diſcrepantes. Nam

I. Ambæ dividuntur tantum in titulos IV. verum ſinguli tituli ſecantur in capita plura, aut pauciora, prout argumenti conditio poſtulabat.

II. Utrique adjecti ſunt omnes canones poſt Joannis Antiocheni collectionem facti.

III. Argumenta aliter diſponuntur, fitque initium ex Theologia & fide, canonibus & ordinationibus. Qui titulus, in quo hæc 3. argumenta tractantur, in 38. capita dividitur. Quorum

rum primum ad fidem pertinet, ſecundum varia recipiendorum canonum genera enumerat, cætera ad ordinationes ſpectant, ſub quibus continentur electiones, translationes, aliæque viæ, quibus dignitates, aliaque miniſteria eccleſiaſtica acquiruntur, nec non collatio ordinum, in quo ordinem ſervat primæ partis decreti Gratiani, item libri I. decretalium formæ fere ſimilem.

IV. Photii collectiones ampliores ſunt, quam Joannis Antiocheni non ſolum quantum ad Canones Conciliorum, ſed etiam quantum ad Canones e Patribus Græcis deſumptos.

V. Legum tantum compendium a Photio refertur, integræ referuntur a Joanne Antiocheno, Balſamon in utraque collectione notat leges ab illo relatas, ſed a Conſtantino Leonis Philoſophi filio abrogatas, leges vero poſt Baſilicorum editionem promulgatas addit. Per quod horum codicem utilitatem ſervavit.

106. Tertia, cujus ordo excellens, eſt Harmenopuli Judicis Theſſalonicenſis. Dividitur hæc collectio in ſectiones 6. quarum 1. ſpectat Epiſcopos, 2. Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, 3. Clericos, 4. Monachos, 5. Laicos, 6. Mulieres, unaquæque ſubdividitur in titulos congruos. Reperitur initio tomi *Juris Græco-Romani*. Decreta Summorum Pontificum propter Sedis eorum dignitatem in hac collectione cum Conciliorum, & Patrum aliorum canonibus relata ſunt, at ſecundo poſt ſynodorum generalium canones loco.

Hic obiter nota; in tomo mox relato Juris Græco-Romani etiam reperiri duos libros *Decretorum*, aut ſententiarum ſynodalium Patriarcharum CP. quibus ſimiles ſunt decretales Pontificum RR. ex Conſilio Cardinalium conditæ, quarum magna eſt copia in collectionibus Corporis Juris *Decreto* Gratiani poſterioribus.

107. Quarta eſt Matthæi Blaſtare a. 1335. concinnata, in qua omnes collectiones Græcæ, de quibus locuti ſumus, in unum corpus redactæ ſunt. Hujus collectionis, vel potius farraginis titulus eſt, *ſyntagma alphabeticum*, & dividitur in viginti titulos, tituli in capita, quorum argumentum incipit ex litera tituli, ſcilicet a. b. c. &c. Opus hoc, cujus cenſuram poteris videre apud Gibertum *to. 1. Prolegomenorum parte 1. tit. 24. c. 3. pag.* 237. mole, confuſione, interpolatione & incommodum eſt, & ingratum.

C A P U T IV.

De Collectionibus Eccleſiæ Latinæ, quæ extra Corpus Juris, quo hodie utimur, vagantur.

§. I.
De veteri Codice Eccleſiæ Romanæ.

108. LEgatos Apoſtolicos in ſupra N. 88. relata ſynodo Chalced. diverſum habuiſſe codicem a codice Orientalium, quem ibi ſub titulo *codicis Eccleſiæ univerſæ* retulimus, variis momentis adſtrui poteſt. Primo, cum in eadem ſynodo actione 16. pro aſſerenda prærogativa Epiſcopi CP. ab Orientalibus in ſuo codice canonum lectus eſſet Canon 3. CP. Lucentius Reverendiſſimus Epiſcopus Sedis Apoſtolicæ Legatus dixit; *Canones iſtius ſynodi in ſynodicis conſtitutionibus non habentur*: uti videre eſt apud Coletum *tom. 4. Concilior. pag.* 1747. Ergo Lucentius diverſum a Græcis habuit codicem, cum Græcorum Codex canonibus CP. terminatus fuerit, ut ſupra vidimus.

Secundo. In eodem concilio eadem actione pag. mox citata Paſchaſinus Reverendiſſimus Epiſcopus Vicarius item Sedis Apoſtolicæ recitavit canonem VI. Nicæni concilii his verbis: *Quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum, teneat autem Ægyptus, ut Epiſcopus Alexandriæ omnium habeat poteſtatem, &c.* Quam regulam poſtmodum devotus Secretarius divini Conſiſtorii ex dato ſibi ab Aetio Archi-Diacono codice pariter recitavit, omiſſis illis primis verbis, *quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum*; & ſequentibus aliter relatis, videlicet: *antiqua conſuetudines teneant in Ægypto, ut Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem*. Ex quo fit manifeſtum, alium fuiſſe codicem, quo uſus fuit Paſchaſinus, & alium, quo Græci utebantur, atque aliis verbis canonem 6. Nicænum ex utroque codice relatum.

Tertio. Ex teſtimonio Dionyſii Exigui, qui in ſua præfatione translationi codicis Græcorum præfixa teſtatur, ſe cohortatione quorundam, qui *confuſione* priſtini codicis Romani offendebantur, inductum fuiſſe, ut novam translationem canonum adornaret, videlicet illam, in qua poſt canones Apoſtolorum integrum, & immutatum omnino codicem Græcorum in hoc concilio lectum ponit; ergo manifeſte codex Eccleſiæ Romanæ, & numero canonum, & diſpoſitione eorundem erat diverſus ab illo.

109. Codex iſte Eccleſiæ Romanæ Innocentii I. temporibus, ſeu ſæculi V. initio non continebat alios canones, prætetquam Nicænos, & Sardicenſes, & hos quidem in unum conflatos, atque continua numerorum ſerie collocatos, & quaſi pro iiſdem reputatos.

110. Prima pars conſtat duplici evidenti teſtimonio ipſius Innocentii, quorum primum habetur in ejus *ep. ad Clerum populumque CP.* relata apud Colet. *tom. 3. Concilior. pag. 63.* & ita ſonat: *Canonibus porro obſequendum eſſe ſcribimus, qui Nicææ ſunt decreti; quos ſolos conſectari decet Eccleſiam Catholicam, & juxta eos judicare.* Secundum in ejuſdem Pontificis *ep. ad Theophilum Alex.* relata apud eundem Colet. *tom. cit. pag. 69.* ubi ita ſcribit: *Itaque ſi conſcientiæ confidis, tu quoque judicio accurre ad ſynodum proxime celebrandam, & illi juxta Nicæni Concilii canones, & decreta contende: alios quippe canones Romana non admittit Eccleſia.*

111. Secunda pars patet ex facto Zozimi, & Bonifacii Romanorum PP. Innocentii I. Succeſſorum in famoſa illa cauſa Apiarii Presbyteri Africani ab Urbano Epiſcopo exauctorati, atque ab ea ſententia ad judicium Sedis Apoſtolicæ appellantis. Cum enim ea de cauſa ſynodus Carthagine eſſet celebranda, Zozimus P. M. Legatos miſit ad Africam cum mandatis ad illius Regionis ſynodum (quæ eſt VI. Carthaginenſis) deferendis: quorum primum ſuit *de Appellationibus Epiſcoporum ad Romanum Pontificem* tuendis, quod caput juſſu ejuſdem Pontificis, ex ejuſdem commonitorio ſibi Romæ dato, legati in eodem concilio probarunt ex canone 3. & 7. Concilii Sardicenſis, quos tamen ſub nomine canonum *Nicænorum* laudarunt. Idem fecit Bonifacius Zozimi ſucceſſor; ergo canones Nicæni, & Sardicenſes in illo codice erant in unum conflati.

112. Nec dicas cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus præfatos Pontifices id præmeditata fraude feciſſe: ſi enim hoc factum fuiſſet, non eſt credibile, quod Bonifacius ad inſtantiam Patrum Carthaginenſium, qui de genuitate codicis Romani dubitabant, e veſtigio legatos ſuos ad Orientales Eccleſias pro conquirendis authenticis exemplaribus concilii Nicæni miſiſſet; ſiquidem non erat tam craſſæ naris, ut caſu quo in mala fide fuiſſet, non olfaceret, illis exemplaribus impoſturam ſuam detectum iri. Nihil porro vero-

ſimi-

ſimilius, quam erroneam illam Zozimi, & Bonifacii citationem inde natam, uti advertit de Marca, quod Canones Nicæni, & Sardicenſes in eodem volumine, nullo diſcrimine adhibito, ſub titulo canonum Nicænorum deſcripti eſſent. Quo proin codice Magdeburgenſium putidæ calumniæ proſus profligantur.

113. Vetus codex, quo ante Dionyſianum utebatur Eccleſia Romana, non eſt ille, quem ex vetuſto MS. Chriſtophori Juſtelli Henricus ejus filius, & Voelius *tom. 1. Bibliotheca juris canonici veteris* ediderunt; ſed Græculi alicujus ad latinam aſpirantis, ſuumque in ea profectum periclitantis tentamentum, prorſus Romana Eccleſia indignum, ut bene advertit Quenellius. Id conſtat ex hujus codicis ſtupenda barbarie, & quia in eo continentur plurima toti antiquitati ignota præter alias ſuppoſitionis notas, quas legere poteris apud eruditos.

114. Veroſimilius igitur eſt, codicem veterem Romanæ Eccleſiæ eſſe illum, quem mox citatus Quenellius in re canonica peritiſſimus *tomo* 2. *operum S. Leonis* vulgavit ex quodam manuſcripto vetuſtiſſimo, quod ad minus 600. annorum teſtatur ipſe, & ſcriptor illius pag. 34. adnotat, aliud a ſe ex vetuſtiſſimo exemplari conſcriptum fuiſſe. Characteres enim priſci hujus codicis eidem magnopere conveniunt. In illo ſiquidem primo canon VI. Nicæni concilii eodem modo legitur, quo eum in concilio Chalced. legit Paſchaſinus, ut ſupra N. 108. vidimus. *Secundo* Canones Nicæni cum Sardicenſibus in eo confunduntur, ita ut nomine Nicænorum 46. exhibeantur. *Tertio* in eo non quidem abſunt canones Conſtantinopolitani, ſed ita extra ordinem poſiti, & ad calcem rejecti, ut dubitari nequeat, quin poſt ſynodum Chalcedonenſem, cujus etiam canonibus poſtpositi, adjecti fuerint; adeoque tempore hujus ſynodi in hoc codice non haberentur. *Quarto* confuſio, qua priſtinum Romanæ Eccleſiæ codicem laboraſſe teſtatur Dionyſius ſupra, nec huic codici deeſt. Conſtat autem 60. capitulis, quæ in plura capita, vel canones dividuntur, non quidem, ait laudatus Quenellius, quod omnes codicis partes ejuſdem ætatis credendæ ſint, ſed aliæ aliis antiquiores, & per ſuccedentia ætatum intervalla additæ, de quibus conſule laudatum authorem l. c.

§. II.
De Codice Eccleſiæ Africanæ.

115. **H**ic Codex, quem Voelius & Henricus Juſtellus *tom. 1. Bibliotheca Juris Canonici veteris* ediderunt, quemque Binius in 4. partes diſſectum, & quod pejus, perturbato ordine ſuæ Conciliorum editioni inſeruit, eſt ille ipſe, quem ſæculi V. fine, aut VI. initio ſuæ collectioni Canonum de novo adornatæ ſub titulo *Synodi apud Carthaginem Africanorum* inſeruit Dionyſius exiguus; eadem ſerie eſt modo, quibus apud Juſtellum cit. & apud Labbæum *Tom.* 2. *Concilior.* proſtat.

116. Eſto autem Dionyſius huic codici Titulum particularis Concilii præfixerit, probabilius tamen eſt, eundem ex omnibus Canonibus Africanis, & Conciliorum illius Regionis, uſque ad Concilium Carthaginenſe VI. incluſive actis, ſua authoritate collectionem aliquam adornaſſe, omiſſis iis, quæ ſibi pro diſciplina Eccleſiæ utilia aut neceſſaria non videbantur, aut ſuæ collectioni jam antea erant inſerta, adeo, ut codex ab illo concinnatus, atque a Juſtello & Labbæo græce & latine editus, *compendium* aliquod ſit eorum, quæ in illa Carthaginenſi VI. Synodo 217. Patrum partim ex præcedentibus Conciliis lecta, partim de novo decreta ſunt.

117. Canones Africani, aliaque Synodorum acta, quæ hunc codicem conficiunt, ab Authoribus & Conditoribus primum latine edita, poſtea in græcum verſa, ab Orientalibus in codicem Canonum ſub nomine *Concilii Carthaginenſis* recepta, & a Synodo Quini-Sexta ſeu Trullana Canone 2. probata ſunt. Adeo ut integer Codex in corpore Canonum Eccleſiæ Græcæ hodie exſtet. Cumque integer paritae in Codice Canonum Dionyſii exigui contineatur, ipſaque Eccleſia Romana (ut mox videbimus) Dionyſii codicem probaverit, etiam hunc Africanum probaſſe, ac recepiſſe cenſenda eſt. Unde de Canonibus Africanis notant Correctores Romani ad can. 1. diſt. 20. *Eos Eccleſia Romana videtur probaſſe & uſa eis eſſe, quando in codicem Canonum referendos curavit.*

§. III.
De Codice Dionyſii exigui.

118. **D**ionyſius natione Scytha, ſed moribus Romanus, quemadmodum cognomento exiguus, ſed doctrina & ſanctitate maximus (ut habet Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus S. J. *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*) hujus collectionis Author eſt. Vixit tempore Theodorici Regis Italiæ, & ſucceſſorum ejus, ſeu ad Sæculi V. finem, & Sæculi VI. initium, ac præter hanc celeberrimam Canonum collectionem a. c. 527. adornatam ſcripſit Cyclum Paſchalem, in quo omiſſa profana computatione annorum ab Imperio Diocletiani impiiſſimi Cæſaris, numerare cœpit annos ab Incarnatione D. N. J. C. Quapropter hanc Æram, nunc vulgarem, *Dionyſianam* vocitamus.

119. Cauſam aſſumpti in hoc edendo codice laboris aſſignat ipſe in ſua ad Stephanum Epiſcopum Salonitanum Epiſtola, quæ codici per modum præfationis præfigitur, in qua ita ſcribit: *Quamvis chariſſimus frater noſter Laurentius aſſidua & familiari cohortatione parvitatem noſtram regulas Eccleſiaſticas de græco transferre perpulerit, confuſione credo priſca translationis offenſus; nihilominus ingeſtum laborem tua beatitudinis conſideratione ſuſcepi.*

120. Oeconomiam operis paulo poſt explicat his verbis: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, de græco tranſtulimus: —— deinde regulas Nicæni Concilii, & deinceps omnium Conciliorum, ſive quæ antea, ſeu quæ poſtea facta ſunt uſque ad Synodum 150. Pontificum, qui apud CP. convenerunt, ſub ordine numerorum, id eſt a primo capitulo uſque ad 165., ſicut habentur in græca authoritate, digeſſimus: tum S. Chalcedonenſis Concilii decreta ſubdentes, in his Græcorum Canonum finem declaramus. Ne quid præterea notitiæ veſtra videamur ſubtrahere, ſtatuta quoque Sardicenſis Concilii, atque Africani, quæ latine ſunt edita, ſuis a nobis numeris cernuntur eſſe diſtincta.*

121. Bifariam dividitur codex Dionyſianus, cujus partes, ſive tempus confectionis, ſive materiam ſpectes, plurimum inter ſe diſcrepant. Nam quantum ad primum, prior (de qua ſolum intelligenda ſunt ea, quæ ex ipſius Dionyſii præfatione modo tranſcripſimus) ipſo teſte in præfatione partis poſterioris longo tempore poſteriorem præceſſit; quantum vero ad ſecundum, prior ſolos Canones Conciliorum partim græcorum, partim latinorum continet; poſterior vero ſolas decretales epiſtolas, ſive decreta Romanorum Pontificum exhibet: & propterea ab ipſo vocatur *Collectio Decretorum Pontificum Romanorum.*

122. Itaque prior pars hujus codicis præter Canones Apoſtolorum, atque illos, qui in codice Eccleſiæ Græcæ ſupra N. 90. continebantur, adhuc continet Canones Concilii Chalcedonenſis 27.

Sar-

Sardicenſis 21. & Carthaginenſis, ſeu diverſorum Africæ Conciliorum, qui codicem Africanum, de quo §. præcedenti, conſtituunt, 138. poſteriores vero prætteritorum ſedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, incipiens a decretis Siricii Papæ, qui ſub finem ſæculi IV. ſedit; *quæ*, ait Author in præfatione hujus partis, *qua valui cura diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis diſtinxi compoſitis; ita duntaxat, ut ſingulorum Pontificum, quotquot a me præcepta reperta ſunt, ſub una numerorum ſerie terminarem, omneſque titulos huic præfationi ſubnecterem eo modo, quo dudum de Græco ſermone Patrum transferens Canones ordinaram, quod vobis nimium placuiſſe cognoveram.* Quo loco indicat, quod ſicut in tranſlatione græcorum canonum, & additione latinorum ordinem ſervavit temporum, ita & in compilatione decretorum ſummorum Pontificum.

123. Hic codex, ſive perſonam rogantem, ſive condentem, ſive fidem compilationis ſpectes, opus privatum fuit; cæterum ut primum manibus privatorum teri cœpit, mox apparuit, ſive canonum Græcorum verſio ſpectaretur, ſive totius materiæ coordinatio, & relationis fidelitas, illum priſtino canonum codici in multis præſtare; hinc contigit, ut codicem hunc vix editum Eccleſia Romana ceu quoddam canonum corpus ſuſceperit, uti teſtatur Caſſiodorus Dionyſii coævus *divinarum lectionum c. 23. Fuit noſtris temporibus Dionyſius Monachus, —— qui petitus a Stephano Epiſcopo Salonitano ex græcis exemplaribus* (Canones Eccleſiaſticos) *moribus ſuis, ut erat planus, atque diſertus, magna eloquentiæ luce compoſuit, quos hodie uſu celeberrimo Eccleſia Romana complectitur.* Imo hæc collectio continuo uſu ab Eccleſia Romana ita probata, & ſuſcepta fuit, ut a Nicolao I. *diſt.* 19. c. 1. & Leone IV. *diſt.* 20. c. 1. ac omnibus ſequentibus canonum collectoribus *Codex canonum* dicta ſit, quemadmodum obſervant Correctores Romani *in præfatione ad Decretum Gratiani*; qui & addunt: *& hæc eſt* (collectio) *quæ in notationibus, quæ nunc eduntur, abſolute codex canonum vocatur*; pergùntque: *Iſidorus* (de quo infra) *partim hac ipſa Dionyſii verſione, quanquam raro, partim priſca illa, cujus mentionem in præfatione ſua* (mox laudata) *Dionyſius facit, uſus eſt aut integris, aut partim immutatis, quæ tunc, ut ipſemet Iſidorus teſtatur, exſtabant, hodie, præterquam apud ipſos decretorum collectores, non exſtant.* Probabiliter autem Quenellius priſcum Romanum codicem tandem invenit, ut ſupra N. 114. vidimus.

§. IV.
De Codice Martini Epiſcopi Braccarenſis.

124. Hic codex, ſeu collectio eſt prima inter Occidentales, quæ ordinem argumentorum ſervat. Illius author eſt Martinus prius Dumienſis Monaſterii SS. Abbas, poſtea Braccarenſis in Hiſpania Epiſcopus, homo non Græcus, ſed Pannonius, ſeu Ungarus; ut ex poſitivis hiſtoricorum teſtimoniis, ejuſque epitaphio demonſtratur. Hic cum ex Orientis partibus navigans Galliciam, hodie Luſitaniam, veniſſet, ibique Suevorum populus ab Ariana impietate ad fidem Catholicam convertiſſet, uti teſtatur S. Iſidorus Hiſp. *de viris illuſtribus c.* 22. videns, quod in canonibus Orientalibus Græco ſermone primum conſcriptis interpretum tum imperitia, tum oſcitantia multa omiſſa fuerint, ac propterea multi ſimplicioribus apparerent obſcuriores, conſilium iniit, ut in gratiam Hiſpanorum cum omni diligentia *ea, quæ per tranſlatores obſcurius dicta erant, & ea, quæ per ſcriptores fuerant immutata* (verba ſunt illius in præfatione illius codicis) *ſimplicius & emendatius reſtauraret.*

125. Codicem ſuum in duas partes diviſit Martinus, quarum prima agit de iis, quæ ad Epiſcopum, vel univerſum Clerum; ſecunda de iis, quæ ad Laicos pertinent, tractat; quemadmodum ipſe teſtatur in præfatione citata. Prima pars continet capitula 68. altera 16.

126. Hæc capitula potiſſimum ex Canonibus Græcis deſumpſit Martinus, paucis ex conciliis Africanis & Hiſpanicis adjectis. Nec fontes indicat, ex quibus illa ſumpſit; quem defectum ſupplevit Doujatius, qui & variantes hujus codicis lectiones ad marginem indicavit. Quæ cum hac lectionum varietate, & canonum adſcriptione adornata, inſerta ſunt *tomo* 1. *Bibliothecæ juris Canonici veteris*, habenturque apud Coletum *tom. 6. Concilior. a pag.* 585.

127. Gratianus multa capitula ex hoc codice deſumpta citat ex *Concilia Martini Papæ*, cujus erroris originem credit Ant. Auguſtinus *Dialogo* 1., *ut cum aliquis hæc capita Martini Papæ, hoc eſt Epiſcopi* (qui antiquitus Papæ dicebantur) *inſcripſiſſet, alius Papæ Romani interpretaretur.* Qui error a Correctoribus Romanis pleriſque in locis notatus. Ad hæc Gratianus non advertens capitula Martini e Canonibus Græcis deſumpta, illa tanquam ab his plane diverſa in ejuſdem quæſtionis deciſionem retulit; v. g. *diſt.* 64. c. 1. exhibet 4. canonem Nicænum, & eundem ex verſione Martini rurſus refert c. 7. Plurima alia in hanc rem exempla videri poſſunt apud Ant. Auguſt. cit. dial. 10. & 33. Quin & interdum nec ipſa Martini capitula a Gratiano fideliter relata ſunt: ſic enim 26. q. 5. c. 3. plura capitula Martini in unum canonem conflavit, idque ordine, quo in codice Martini exſtant, plane diverſo.

128. Hinc ergo patet, collectionem Martini Braccarenſis nonnunquam poſſe ſubſervire aſſequendo genuino ſenſui canonum in Decreto Gratiani occurrentium. Ex illa etiam eluceſcit, qualis tempore Martini in Eccleſiis Hiſpaniarum diſciplina viguerit; cum admodum veriſimile ſit, Martinum canones ſuos præcipue adaptaſſe diſciplinæ, quam ibidem vigere videbat.

129. Hic codex ad concilium Provinciale Lucenſe in Hiſpania A. 572. a Martino directus eſt, atque ab eodem approbatus; unde illius authoritas, & epocha deſumi poteſt.

§. V.
De Collectione Iſidori vulgo Mercatoris.

130. Hæc collectio, quæ anterioribus multo eſt locupletior, Iſidori tum *Mercatoris*, tum *peccatoris* titulum præfefert in codicibus vetuſtis MSS. nunc autem communiter collectio *Iſidori Mercatoris* vocitatur: quoniam mos eam ſic nominandi invaluit. Cæterum & circa authorem, & circa tempus, & circa locum, ubi in lucem prodiit, omnia ſunt incerta. Nos lite hac maxima parte ob anguſtiam operis aliis relicta, duo ſolum præambulariter ſtatuemus. Primo, quod hujus collectionis author non ſit S. Iſidorus Hiſpalenſis, qui a. c. 636. in cœlum migravit: alterum, quod hæc collectio ante Sæculi VIII. ſupremа in lucem non prodierit; quia horum duorum punctorum evictio cauſam noſtram circa veterum Romanorum Pontificum uſque ad Siricium Papam epiſtolas huic collectioni inſertas, infra contra eximium Patrem Liberium a Jeſu recentiſſimum earundem defenſorem, magnopere juvabit. Itaque a primo ordiendo ſit

131. Aſſertio I. *Hujus collectionis auctor non eſt S. Iſidorus Hiſpalenſis.* Hanc propoſitionem probant eruditi ſequentibus momentis. *Primo*: quia in illam multa illata ſunt, quæ poſt ejus mortem conſcripta fuere. S. enim Iſidorus mortuus eſt a.

c. 366.

c. 636. in hac autem collectione præter alia habentur concilia Toletana 6. 7. & reliqua uſque ad 13. Item decimum ſeptimum Emeritenſe, & Bracarenſe II. quæ omnia poſt mortem Iſidori celebrata ſunt, prout conſtabit inſpicienti collectiones conciliorum. Item epiſtolæ Gregorii II. qui a. c. 716. & Zachariæ, qui a. c. 741. ſedit.

Reſpondet eximius Pater Liberius a Jeſu, collectioni huic contigiſſe, quod aliis quoque collectionibus eveniſſe in aperto eſt; ubi enim primus author deſiit, alter ſubortus eſt, qui inchoatum opus vel proſecutus eſt, vel perfecit. Explicit Iſidorus Hiſpalenſis collectionem ſuam conſtitutis, ſeu decretis per Concilium Hiſpalenſe II. a. c. 619. celebratum, quo anno adhuc ſuperſtes fuit; alter vel plures reliqua uſque ad Gregorium addiderunt. Veritati huic ſuffragatur præfatio juris Canonici juſſu Gregorii XIII. correcti, atque editi; in qua Correctores Romani teſtimonio duorum antiquiſſimorum codicum MSS. quorum unus exſtat in Vaticana Bibliotheca, alter in Monaſterio Dominicanorum ſuper Minervam, probant collectionem Iſidori protendi a Canonibus Apoſtolorum uſque ad Concilium Hiſpalenſe II. inſuper teſtantur collectionem hanc in editionibus conciliorum exſtare impreſſam, in antiquioribus quidem puriorem, in recentioribus vero multis aliis conciliis, ſcriptiſque *admiſtam*.

132. Fateor hanc reſponſionem eſſe ſatis ſolidam, tum quia negari non poteſt, multas collectiones hanc vicem ſubiiſſe, uti patet ex jam dictis, & infra amplius conſtabit; tum quia fulta eſt teſtimonio relatorum codicum MSS. ſicut & editionibus antiquioribus conciliorum; tum quia ipſe Author in præfatione hujus collectionis teſtatur ſe in Gregorio M. qui a. c. 604. adeoque vivente & florente S. Iſidoro Hiſpalenſ. obiit, deſinere his verbis: *ſubjicientes etiam reliqua decreta Præſulum RR. uſque ad S. Gregorium, & quaſdam epiſtolas ipſius*. Ex quo etſi evidenter non colligatur, primitivæ huic collectioni inſerta non fuiſſe concilia Toletana, quæ mox notante Antonio Auguſtino retulimus, quoniam præfatio relata non innuit Concilium, in quo compilatio in illa promiſſa exſpiret, quemadmodum rem determinat circa decreta, & epiſtolas Romanorum Pontificum; ſed ſolummodo generaliter dicit: *Poſtmodum vero Nicænam Synodum conſtituimus, —— deinceps diverſa concilia Græcorum & Latinorum, ſive quæ antea, ſive quæ poſtmodum facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum locavimus*; evidenter tamen apparet, Epiſtolas Gregorii II. Zachariæ, item Vitaliani, Martini, & Gregorii III. quas Jacobus Merlinus Doctor Pariſienſis edita integra hac Iſidori collectione *tom. 1. ſuæ collectionis*, tanquam ex ipſo Iſidori codice ſubdidit, recentiori manu eſſe aſſutas, quamvis idem de conciliis Toletanis, & aliis poſt Concilium Hiſpalenſe ibidem relatis fortiter probent codices Vaticanus & Minervitanus relati; eo quod vetuſtiſſimi ſint, & in præfato concilio terminentur; ex ipſis tamen evincitur hanc collectionem non eſſe S. Iſidori Hiſpalenſis. Nam primo ipſi Correctores Romani a Liberio adducti in laudata præfatione dicunt, in Minervitani codicis præfatione initium eſſe, *Iſidorus Mercator Servus Chriſti*, nec multo ſecus in Vaticani; ergo in vetuſtiſſimis codicibus, qui exſtant, & quos viri illi illuſtriſſimi ſuis oculis inſpexerunt, non legitur Iſidorus Hiſpalenſis, ſed *Mercator*, & conſequenter vires ad intentum Liberii juvandum amittunt. Secundo, cum teſtibus correctoribus Romanis in dictis codicibus exſtet initium præfationis Iſidorianæ, ergo etiam ipſa præfatio, ex hac autem validiſſimum contra eundem Liberium deſumitur argumentum, ſiquidem in illa Author inter alia concilia etiam laudat Synodum Oecumenicam VI. ſub Agathone Papa a. 681. adeoque 45. annis poſt mortem S. Iſidori Hiſpalenſis celebratam; quo fit, ut hæc præfatio alio in loco juncta cum codicibus relatis cauſam eximii Liberii juvare quidem videatur quantum ad hoc, quod *primæva* hæc collectio deſierit quantum ad Concilia in Hiſpalenſi, & quantum ad decreta Romanorum Pontificum in Gregorio M. quod tamen ex aliis momentis infra ſubvertemus; deſtruat autem quantum ad hoc, quod hujus collectionis, ubicunque demum deſierit, Author ſit S. Iſidorus Hiſpalenſis. Id quod nihilominus caput rei eſt. Sed evidentius argumentum attexamus.

133. Secundum igitur momentum eruditorum eſt, quia S. Braulio Cæſar-Auguſtanus Epiſcopus Iſidoro coævus, ipſique amiciſſimus, in catalogo ipſius operum nullam hujus collectionis mentionem facit. Uti nec S. Ildephonſus Epiſcopus Toletanus, ejuſdem S. Iſidori Diſcipulus, ac in ſede Hiſpalenſi ſucceſſor, in eodem, quem de ejus operibus texuit, catalogo.

Reſp. Liberius a Jeſu I. S. Braulionem teſtari, S. Iſidorum edidiſſe plures, quam ab ipſo recenſitæ ſint, lucubrationes, dicit enim: *ſunt & alia ejus viri opuſcula multa, & in Eccleſia Dei multo cum ornamento inſcripta inſtrumenta*.

Reſp. II. In prænotatione ejuſdem Braulionis apud veterem codicem haberi: *in canonico quoque, & civili jure permaxima compoſuit inſtrumenta*. —— Idem teſtantur, qui operam navarunt, ut abſque mendis editio S. Iſidori in lucem prodiret. Canonicum porro inſtrumentum eſt illa collectio.

134. Sed contra primam eſt: licet S. Braulio teſtetur id, quod a Liberio relatum eſt, ibidem tamen diſerte profitetur, ſe omnes libros recenſere, qui ad ejus notitiam pervenerunt, teſte Natali Alex. *ſæc.* 7. c. 4. §. 4. Mirum autem valde, imo incredibile eſt, opus tantæ molis, *quod incipere, & perficere* Authorem illius 80. *Epiſcopi coegerunt*, uti expreſſe dicit in præfatione hujus ſuæ collectionis relata apud Coletum *tom.* 1. *concil. pag.* 4. quodque epiſtolas primorum R. E. Pontificum a Clemente S. Petri diſcipulo uſque ad Siricium, antiquitate, atque authoritate fere adorandas, atque eo uſque orbi incognitas, e latebris ſcriniorum eduxit, ad notitiam nec Braulionis Iſidori amiciſſimi, nec Ildephonſi ejuſdem diſcipuli, ac in ſede Hiſpalenſi Succeſſoris perveniſſe. Nonne Braulio ejus amiciſſimus debuit eſſe in hypotheſi Liberii inter 80. Epiſcopos, qui S. Iſidorum ad hanc collectionem moliendam *coegerunt*? Nonne S. Ildephonſus ejuſdem ſedis & Scriniorum Hæres, illam non evulgatam, ſaltem in iiſdem reperire debuit? Nonne denique hoc opus tam vile erat, ut ab uno horum Iſidorianæ gloriæ præconum taceretur, ab altero levi brachio ſub Ly *multa alia* comprehenderetur? de oppoſito hodie literatus convincitur orbis. Quare

135. Contra II. Liberii reſponſionem dico: illum ibi una cum citatis a ſe editoribus operum Iſidorianorum provocare ad unum *veterem* codicem, cujus nec quidem domicilium nominat, ut alias in materia critica conſuetum eſt; quæ ratiocinatio conſequenter replicam noſtram non alterat. Accedit, quod teſte Bellarmino *in Iſidoro*, Pariſienſis operum S. Iſidori editio de a. 1608. quamvis multa habeat, quæ in catalogo S. Ildephonſi, quem ibi adnumerat, deſunt, quæque proinde viro emunctiſſimæ naris ſuſpecta ſunt, nullam tamen mentionem aliquorum inſtrumentorum utriuſque juris faciat.

136. Objicit Liberius a Jeſu I. teſtimonium Hincmari Viri acerrimi ingenii & ſæculo IX. florentis, quo apertis verbis S. Iſidorum hujus collectionis facit Authorem. Sed ad hanc authoritatem commodius infra N. 176. reſpondebimus.

137. Objicit II. authoritatem codicis Neapolitani, quo Correctores Romani uſi ſunt, qui codex S. Iſidoro Hiſpalenſi adſcribitur, ſicut & Vaticanus codex, ut teſtatur Cardinalis de Aguirre.

Reſp. Quomodo Vaticani codices inſcribantur, ſupra N. 130. ex ipſis correctoribus Romanis informati fuimus. Qui ſi in Neapolitano nomen Iſidori Hiſpalenſis inveniſſent, utique illo ſuam ſententiam, quæ eadem eſt cum Liberiana, confirmaſſent, interim ibi codicis Neapolitani nec mentionem faciunt. Unde ad teſtimonium Eminentiſſimi Cardinalis de Aguirre ſequens apud Coletum *tom.* 1. *pag.* 7. habetur nota: *licet noviſſime Cardinalis de Aguirre in apparatu ad Concilia Hiſpanica illam* (collectionem) *pro viribus conetur S. Iſidoro Hiſp. adſcribere, vereor, ut ſatis aquæ emunctioris naris experiatur lectores, quibus potior illius collectionis decretalium pars* (*a Clemente nimirum uſque ad Siricium*) *ſuppoſititia videtur.*

138. Objicit III. duorum Illuſtriſſimorum, atque omnium juris Pontificii conſultorum omnino eruditiſſimorum virorum teſtimonia, quibus grande pondus ſuæ ſententiæ accedere exiſtimat. Primum eſt Illuſtriſſimi Pariſienſis Archiepiſcopi Petri de Marca, qui *lib.* 3. *de concordia Sacerdotii & imperii c.* 5. refellens Chronicon Laurentii Ramirez ait: *Satius eſſe ſtandum Hincmari teſtimonio, qui non Mercatori Setubenſi Epiſcopo, ſed Iſidoro Hiſpalenſi, ætate ſua collectionem tributam eſſe teſtatur.* Secundum eſt Antonii Auguſtini Epiſcopi Tarraconenſis, qui *in Epiſtola Nuncupatoria antiquarum collectionum ad Gregorium XIII.* ſcribit: Imprimis laudandi ſunt Iſidori Hiſpani duo, qui & Pontificum Romanorum Epiſtolas, & omnium conciliorum decreta collegerunt.

139. Reſp. I. indirecte, authoritates horum virorum, omni exceptione majorum, eximio, atque eruditiſſimo Patri Liberio magis obeſſe quam prodeſſe quantum ad epiſtolas Romanorum PP. in hac collectione contentas, quarum tamen gratia de tanto hujus collectionis authore litigamus. Antonius ſiquidem Auguſt. adnotando Legum Imperatoriarum verba, & quæ ſub Aniani nomine extant ad codicem Theodoſianum Scholia, aliquot ſæculis his Pontificibus poſteriora, primus eas ſuſpectas reddidit. Petrus vero de Marca lib. & cap. cit. quod integrum refert Labbæus apud Colet. *tom.* 1. *pag.* 79. eas non ſemel aperte dicit ſuppoſititias, præſertim his verbis: *Epiſtolas contentas in collectione Iſidori, non repudiatas ab Epiſcopis Gallicanis, quia* de falſitate illarum *nondum conſtabat.* Et ne magno, ac cum reverentia nominando Iſidoro Hiſpalenſi cogatur impoſturam impingere, ejuſdem reum ſuſpicatur Riculphum Archiepiſcopum Moguntinum ſæculo VIII. viventem.

140. Reſp. II. directe, & primo ad Teſtimonium Petri de Marca; illum capite citato latis fluctuare circa Auctorem hujus collectionis: ſcribit enim mox ante verba a Liberio relata: *inde autem colligitur Iſidoro Hiſpalenſi non eſſe tribuendam hanc collectionem, quia ſæpe meminit Conciliorum poſt obitum illius ſancti Pontificis celebratorum.* En Argumentum noſtrum ſupra N. 132. allatum! deinde refert Chronicon relatum, quod Iſidorum Setubenſem hujus codicis compilatorem facit, ſed quia hoc Chronicon non tantum ipſi, ſed etiam omnibus eruditis ſuſpectæ fidei eſt, ſubjungit: *Satius eſt ſtandum teſtimonio Hincmari*; nimirum reſpective ad hoc Chronicon ſuſpectum, non autem ſimpliciter, quia & argumentum a ſe allatum non ſolvit, nec illud penitius diſcutit, quemadmodum nos ſupra fecimus.

Ad Teſtimonium Antonii Aug. dico: illius authoritatem l. c. Eximio Patri Liberio favere non poſſe; ſiquidem collectionem hanc Iſidoro Hiſpalenſi diſertis verbis abjudicat; nam *Lib.* 1. *de emendatione Gratiani dialogo* 6. poſtquam ex Gratiani *diſt.* 16. retuliſſet Canonem 4. quo Canones Apoſtolorum ab Iſidoro dicuntur *a pluribus recipi*, eorumque ſententiæ *a* Patribus *inter Canonicas conſtitutiones* eſſe appoſitæ; & deinde Canonem 1. quo item ab Iſidoro iidem Canones dicuntur Apocryphi, atque eorum geſta *authoritate Canonica, & Apoſtolica* eſſe remota: ita pergit: *hæc verba* (ſcilicet poſtrema) *in omnibus veteribus libris Hiſpaniæ conciliorum inveniuntur, non illa, quæ Iſidorus Mercator in præfatione conciliorum ſcripſit, quæ etiam Gratianus in capite* 4. *ejuſdem diſtinctionis poſuit, neque diſtinxit varietatem horum ſcriptorum, ut debuit, cum contraria dicerent, hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille* (nempe Hiſpalenſis) *rejecerat; ſed utrumque Iſidorum vocat.* Relatum autem cap. 4. eſt deſumptum ex præfatione collectionis præſentis, de cujus authore litigamus, uti conſtat non tantum ex nota Correctorum Romanorum eidem ſubjuncta, ſed etiam inſpicienti ipſam præfationem apud Colet. *lib. cit. l. b.* fit manifeſtum. Authorem autem hujus præfationis, & codicis in ea effigiati Antonius Aug. vocat *Mercatorem*, eumque ab Iſidoro Hiſpalenſi aperte diſtinguit; & conſequenter quidquid Antonius Auguſt. per citata a Liberio verba intelligat, nihilominus ſentit Iſidorum non Hiſpalenſem, ſed diverſum ab eo, & quidem ipſiſſimum noſtrum *Mercatorem* hujus collectionis eſſe authorem. Imo ipſi correctores Romani, qui in præfatione laudata ad Decretum Gratiani Hincmari Rhemenſis de hujus collectionis authore judicium, quod nempe is ſit S. Iſidorus Hiſpalenſis, videntur probare; in nota ad can. 1. hujus diſt. 16. de hoc ipſo fluctuant, dum ajunt: *Caput hoc* (id eſt illud, in quo Canones Apoſtolorum reprobantur) *eſt in præfatione Iſidori ad collectionem conciliorum, quæ ex Bibliotheca Eccleſiæ Toletanæ deſcripta Romam miſſa eſt, nam in illa, quæ* vulgatæ Iſidori collectioni, *de qua initio* (id eſt in præfatione ſua decreto Gratiani a ſe correcto præfixa) *dictum eſt, præponitur, contrarium potius videtur dici, & refertur infra cap. placuit ſeu* 4. *hac eadem diſt. ſi modo NB. idem eſt Iſidorus.* Satius ergo eſt ſtandum ſilentio Braulionis & Ildephonſi, circumſtantiis tam notabilibus qualificato, aliiſque motivis a nobis allatis, quam his Liberii momentis a nobis tantopere infirmatis.

141. Aſſertio II. Hæc collectio ante ſæculi VIII. ſuprema non eſt concinnata. Probatur tum ex Epiſtola Zachariæ huic collectioni illata, tum ex laciniis, quas plurimas ſumit Auctor ex ep. Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini ad Ethilbaldum Regem a. c. 744. data, & ex Epiſtola celebris Abbatiſſæ Cangith poſt a. 720. ad eundem Bonifacium ſcripta; & quamvis vix non certum ſit Epiſtolam Zachariæ, aliaque monumenta a nobis ſupra N. 132. recitata huic collectioni eſſe recentiori manu aſſuta, uti ibidem probavimus, & confeſſi ſumus; aliud tamen ferendum eſt judicium de laciniis ex Epiſtola Bonifacii & Abbatiſſæ Cangith, hæ enim ipſis Epiſtolis Rom. Pontificum, quas collectioni non eſſe aſſutas Liberius ipſe fatetur, imo propugnat, ſunt intertextæ, & conſequenter vehementer ſuadent, corniculam, quæ has plumas ab illis furata eſt, poſteriorem ipſis eſſe. Et hæc de Authore atque Epocha hujus collectionis.

142. Materiam hujus collectionis auctor, quiſquis ille demum extra Iſidorum Hiſpalenſem ſit, in præfatione operis relata recenſet. Ex illa autem habetur, quod I. loco ponat ordinem celebrandi Concilium, deſumptum ex Concilio Toletano IV. II. Canones Apoſtolorum 50. quos ſuo adhuc ſæculo teſtatur a quibuſdam *apocryphas* dici.

ci. III. Epiſtolas decretales Veterum Pontificum a Clemente uſque ad Sylveſtrum. IV. Nicænam ſynodum *propter authoritatem ejuſdem magni Concilii. Deinceps Concilia Græcorum & Latinorum, ſive quæ ante, ſive quæ poſt* (Nicænum) *facta ſunt, ſub ordine numerorum ac temporum —— ac etiam reliqua decreta Præſulum RR. uſque ad S. Gregorium, & quaſdam ejus epiſtolas*. Ex quibus patet hanc collectionem ſervare ordinem temporum.

143. Dicta autem Concilia, & decreta Summorum Pontificum, quæ verbis illis generalibus inſinuat, ſunt hæc: Fides Gregorii Majoris; Concilium Ancyranum, Neo-Cæſarienſe, Gangrenſe, Sardicenſe, Antiochenum, Laodicænum, Conſtantinop., Epheſinum, Chalcedonenſe, edictum Marciani Imperatoris, *Sacra* Valentiniani & Marciani Imper., edictum Marciani Imper. contra hæreticos, epiſtola formata qualiter debeat fieri; Concilium Carth. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Milevitanum, Arelatenſe 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatenſe, Regienſe, Auriacenſe, Eliberitanum, Tarraconenſe, Gerundenſe, Cæſar-Auguſtanum, Ilerdenſe, Valentinum, Toletanum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 13., Braccarenſe 1. & 2. Liber Capitulorum ex diverſis Conciliis collectorum a B. Martino Braccarenſi Epiſcopo; Concilium Braccarenſe 3. Hiſpalenſe 1. & 3. Excerptiones ex decretis Sylveſtri Papæ, Decreta Marci Papæ, Julii, Liberii, Felicis, Damaſi, Siricii, Anaſtaſii, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cœleſtini, Sixti; Decreta Epiſtolica Leonis Papæ I. Decreta Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelaſii, Anaſtaſii, Symmachi; Liber Ennodii, Decreta Hormiſdæ Papæ, Libellus fidei Joannis CP., Decreta Joannis Papæ, Felicis, Bonifacii, Joannis, Agapiti, Sylveſtri, Vigilii, Pelagii, Joannis, Benedicti, Pelagii, & Gregorii M.

144. Gratianus, & alii canonum Compilatores magna ex parte Iſidorianam collectionem in ſuos codices retulerunt; magnopere igitur intereſt diſcernere, quas genuinas, quas ſpurias merces Mercator hic illis obtruſerit? Multa autem ſunt, quæ in hac collectione pro apocryphis a modernis eruditis fere omnibus habentur; inter quæ primo loco occurrunt famoſæ illæ epiſtolæ decretales Veterum Romanorum Pontificum a S. Clemente uſque ad Siricium Papam, de quarum ſuppoſitione convictos ſe fatentur moderni eruditi fere omnes; quas tamen recentiſſime vindicare conatur nuper laudatus eruditiſſimus Liberius a Jeſu Carmelita diſcalceatus, ſpeciali diſſertatione ſuper hac re edita, quæ extat in calce tom. 1. operum ejus hiſtorico-critico-polemicorum poſthumorum; contra quem proinde veritatis eruendæ gratia noſtra procedet

QUÆSTIO CRITICA.

An Epiſtolæ Romanorum Pontificum a Clemente I. uſque ad Siricium Papam, qui ſedit a. c. 385. ſint ſuppoſititiæ?

145. NOn agimus hic de epiſtolis S. Clementis ad Corinthios prima, & ſecunda, prima enim inter omnia opera eidem adſcripta cenſetur ab omnibus genuina, & quamvis inter veteres aliqua fuerit controverſia circa ſecundam, eas tamen præſefert antiquitatis notas, ac veterum teſtimonia, ut a peritioribus genuinus maximi illius Pontificis partus cenſeatur. Nec ſermo nobis hic eſt de illorum priſcorum Pontificum literis, quæ in genuinis Patrum operibus vel integre, vel fragmentatim conſervatæ ſunt. Uti ſunt epiſtolæ *S. Cornelii*, quæ extant inter opera S. Cypriani. *Julii I.*, quæ referuntur a S. Athanaſio apologia ſecunda. *Liberii*, quæ a S. Hilario in fragmentis recenſetur. *Damaſi* ad Illyricos, quam Theodoretus lib. 2. hiſt. Eccl. c. 22. exſcripſit; aliæque ejuſdem Pontificis epiſtolæ apud S. Hieronymum exiſtentes, has enim genuinas eſſe ultro fatemur.

146. Sed de illis noſtra occupabitur diſſertatio, quas ex hac Iſidori Mercatoris collectione, tanquam ex *ſolo & unico fonte* Conciliorum Editores in ſuas collectiones tranſtulerunt, atque habentur apud Coletum *tom.* 1. *&* 2. *Conciliorum*, ſingulorum Pontificum, qui eorum feruntur authores, vitis ſubjectæ.

Quarum hic eſt Catalogus, quo adſcribuntur

Clementi	V.	Lucio	I.
Anacleto	III.	Stephano I.	II.
Evariſto	II.	Sixto II.	II.
Alexand.	III.	Dionyſio	II.
Sixto I.	II.	Felici I.	III.
Teleſphoro	I.	Eutichiano	II.
Hygino	II.	Cajo	I.
Pio I.	IV.	Marcellino	II.
Aniceto	I.	Marcello I.	II.
Sotero	II.	Euſebio	III.
Eleuthero	I.	Melchiadi	I.
Victori	IV.	Sylveſtro	I.
Zephirino	II.	Marco ad Sanctum Athanaſium, ut ſupponitur, data	I.
Calliſto I.	II.	Julio I.	II.
Urbano I.	I.	Liberio	II.
Pontiano	II.	Felici II.	II.
Antero	I.	Damaſo plures; nimirum ad S. Hieronym.	III.
Fabiano	III.	Ad Aſtos	I.
Cornelio	III.	De Chorepiſcopis	I.
Quarum una inſcribitur, *Chariſſimis atque Dilectiſſimis Fratribus S. Eccleſiæ Dei Filiis, & omnibus Domino recta fide famulantibus*. Altera *Ruſo Coepiſcopo*. Tertia *Lupicino Viennenſi Epiſcopo*.		Ad univerſos Epiſcopos Italiæ	I.
		Ad Aurelium	I.
		Summa Epiſtolarum	LXXX.

147. Priuſquam tamen præſentem quæſtionem, quæ non parvi momenti eſt, diſcutiamus, videndum eſt I. Quid rei cauſa fuerit, quod hæ decretales tot ſæculis indubitatam fidem meruerint? II. Quibus gradibus eorum ſuppoſitio fuerit detecta?

148. Quod primum attinet: hoc duplici ex capite contigit, primo quod hæ epiſtolæ prænotarentur venerandis nominibus illorum Pontificum, qui non tantum proximi S. Petri in Romana ſede Succeſſores, ſed etiam doctrina, ſanctitate, & Martyrio celebres habebantur. Secundo, quod illo ſæculo collectio, qua in lucem publicam portabantur, nomine Iſidori eſſet larvata, quem non tantum Hincmarus Rhemenſis illa tempeſtate celeberrimus, ſed plerique alii, ſi non omnes crediderunt eſſe Iſidorum Hiſpalenſem, virum a doctrina, ſanctitate, atque ſinceræ fidei integritate illis temporibus omnium ore celebratiſſimum. Accedit, quod hæ epiſtolæ multum faverent Majeſtati, & Juriſdictioni Sedis Apoſtolicæ, quas proin non tantum Romani Pontifices, verum etiam Epiſcopi, Judiciis Metropolitanorum ſeſe ſubducere avenies, ambabus, ut ajunt, ulnis amplexi ſunt. Veluti conſtat ex famoſa illa controverſia, quæ Nicolaum I., cum Epiſcopis Galliæ commiſit, de qua infra. Et inter Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum, & Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum, Rhemenſis Suffraganeum. Quorum primus, id eſt Nicolaus, harum epiſtolarum authoritatem acerrime propugnavit ad tuendam ſuam ſupra Epiſcopos Galliæ

in cauſa appellationis authoritatem; alter vero, id eſt Hiocmatus Laudunenſis, ad minuendam ſuam erga Metropolitam Rhemenſem ſubjectionem: illis interim harum epiſtolarum authentiam non negaotibus, ſed canones poſteriores, illarum decretis obverſantes, & conſequenter, ut prætendebant, iiſdem derogantes, opponentibus.

149. Dum ergo nemo harum epiſtolarum veritatem in dubium traheret, ipſique Romani Pontifices, pluresque Epiſcopi, earum authoritatem vehementius urgerent, tandem eo deventum eſt, ut quaſi uno conſenſu, tantis nominibus veterum Pontificum, & Martyrum cedentes Epiſcopi, eas in authoritatem, & pro jure receperint. Ac ita per 4. ſæcula in pacifica poſſeſſione permanſerint.

150. Quod ſecundum attinet: poſtquam ſæculo XVI. exorti Lutherani, Calviniſtæ, aliique hæretici, Romanæ Sedis hoſtes infenſiſſimi, omnem movere cœperunt lapidem, ut venerandæ antiquitatis monumenta, quibus dogmata, & Eccleſiæ diſciplina ſuæ prætenſæ reformationi contraria aſſerebantur, vel ſuppoſititia, vel dubiæ fidei redderent, aut ad alium, quam hactenus crediderat, ſenſum detorquerent, videruntque in Catholicorum præcipue recentiorum libris ad confirmationem tum dogmatum, tum diſciplinæ cumulatim ex his veterum PP. decretalibus teſtimonia adduci, armis pene omnibus ſpoliandos Catholicos crediderunt, ſi has decretales epiſtolas ſuppoſititias probarent.

151. Itaque Centuriatores Magdeburgenſes primi his decretalibus bellum indixerunt; argumentaque nonnulla pro illarum ſuppoſitione adduxerunt; quibus præ cæteris Catholicis obviam ivit Turrianus nominatus e S. J. Theologus, harumque decretalium defenſionem ſuſcepit V. editis libris. Qui dum in manus hæreticorum perveniſſent, Blondellus Calvinianus in Gallia Miniſter illas ſingulari, & accurato criterio examinare aggreſſus eſt, atque accuratiſſime demonſtravit, ex quibus authoribus ſententiæ, & verba ipſa harum epiſtolarum defloratа eſſent. Ante quem Antonius Aug. ſupra laudatus, in iis multa ex Theodoſiano codice, & Aniani ſcholiis notaverat, ut ſupra pariter retulimus. His excitati Catholici propius & ipſas decretales hac occaſione ſepoſito præjudicio ex tot ſæculorum conſenſione iiſdem ingeſto, inſpicere cœperunt, atque argumenta tum Magdeburgenſium, tum illa, quæ poſt editam a Turriano apologiam a recentioribus oppoſita ſunt, tum quæ in ipſarum epiſtolarum lectione ſponte ſua occurrebant, expendentes intelligere cœperunt, ex earum decretalium authoritate fidem Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis præeminentiis non dependere; multaque revera eſſe, quæ eas dubiæ fidei eſſe ſuaderent.

152. Hinc Eminentiſſimus Bellarminus *lib.* 2. *de Rom. Pontif. c.* 14. inquit: *Indubitatas* (has epiſtolas) *eſſe affirmare non audeam*. Et Baronius *Tom.* 10. *annalium: At vero ex multis eas reddi ſuſpectas Epiſtolas, per ea, quæ dicta ſunt ſecundo Annalium tomo, dum de ſingulis actum eſt, ſatis eſt demonſtratum, ſimulque demonſtratum, illis non indigere S. R. Eccleſiam, ut ſi falſitatis arguantur, ſuis ipſa deſtituatur juribus, & privilegiis, cum, etſi illis careat, ex legitimis germaniſque aliorum Pontificum RR. epiſtolis decretalibus ſatis ſuperque ſubſiſtat*. Idem cenſet doctiſſimus Cardinalis Peronius.

153. At eruditiſſimus Cardinalis de Bona *lib.* 1. *rerum Liturgicarum*, ipſas aperte cenſet *ſuppoſititias*, inſuper addens, id *dudum a viris eruditis* obſervatum fuiſſe. Cui ſubſcribunt Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus de Marca, ſupra N. 139. relatus, & Natalis Alexander *hiſt. Eccleſiaſticæ ſæc.* 1. *diſſert.* 21., qui ibi in ſcholio ſubjungit: *Mirabitur omnis eruditorum hominum natio, quod Religioſi cenſores* (id eſt illi, qui Romæ ſua opera cenſuratunt) *præcipuam diſſert. hujuſce meæ propoſitionem in indiculo ſuo notaverint his verbis: epiſtolæ decretales RR. Pontificum ad Siricium uſque apocryphæ*. Ambo autem ſicut Blondelli, utut hæretici, criterium, quo abjudicat has decretales dictis Pontificibus, cordate laudant: ita blaſphemum, & calumnioſum, id eſt Calviniſticum ejus ſpiritum, quo eas traducit, abhorrent. Quibus accedunt Doctiſſimus Baronii Criticus Pagius *ad a. c.* 100. *N.* 4. Contius, Sirmondus, Petavius, Labbæus, Chriſtianus Lupus, Schelſtratius, le Cointe, Vaneſpen, Gibertus, & fere omnes moderni eruditi; qui ex momentis mox aſſerendis omnino ſe *convictos* fatentur de earundem decretalium ſuppoſitione.

154. Contra hos tot, ac tantos viros Patrocinium harum epiſtolarum nuperrime ſuſcepit, eaſque a ſuppoſitionis cauterio vindicare conatus eſt eruditiſſimus Liberius a Jeſu ſupra ſæpe laudatus; cujus replicas recentiſſimas ex profeſſo diſcutere placet, atque argumenta ſolvere, non eo quidem, quo illa propoſuit ordine, ſed illo, qui a nobis, dum in hoc opuſculo hiſtorice, critice, vel dogmatice diſputamus, electus eſt, chronologico.

PROPOSITIO.

Epiſtolæ Romanorum Pontificum a Clemente I. uſque ad Siricium Papam ſunt ſuppoſititiæ.

155. PRobatur I. Ex eo, quod nemo unus Scriptorum Eccleſiaſticorum per 8. fere ſæcula harum decretalium mentionem fecerit, non S. Hieronymus in ſuo catalogo, non Euſebius, non Theodoretus, non Siricius, non Innocentius primus, nullus denique: ergo ſignum manifeſtum eſt, illas ante ſæculum VIII. non exſtitiſſe, conſequenter tunc primo fabricatas, adeoque ſuppoſititias.

Reſp. Liberius, argumenta a ſilentio petita, ſeu negativa vulgo ab eruditis infirma exiſtimari, eo quod opera, de quibus ſilent ſcriptores, ipſis ignota eſſe potuerint. Additque I. Natalem Alex. diſſert. 22. & 23. hac ipſa reſponſione tueri epiſtolas S. Ignatii Martyris, & opera Dionyſii Areopagitæ. II. S. Martyrem Maximum in prologo ad opera S. Dionyſii teſtari Euſebium plura in ſua hiſtoria omiſiſſe, & prætertim ex Clementinis *non niſi* duas epiſtolas retuliſſe; ac proinde cenſet Clementem plura ediſſe.

156. Sed contra eſt: ſilentium a nobis additum adeo qualificatum eſt, ut has epiſtolas videatur evincere ſuppoſititias. Nam *primo* hoc ſilentium non habet pro objecto opus aliquod privati authoris, aut Epiſcopi, ſicut fuerunt opera Dionyſii, & epiſtolæ S. Ignatii Martyris; ſed epiſtolas RR. Pontificum œconomiam univerſalis Eccleſiæ tractantes, atque ad diverſas mundi partes datas. *Secundo* de his epiſtolis non tantum ſiluere Eccleſiaſtici ſcriptores, ſed etiam Romani Pontifices, & quidem per 8. fere ſæcula, quos tam incurios fuiſſe, ut Scrinia Romana per tam immanem temporum intercapedinem, videlicet uſque ad Hadriani, vel Nicolai I. tempora, ſeu ſæculi VIII. finem, (quo Liberius dicit, has epiſtolas inibi ab iis repertas fuiſſe, ut infra videbimus) nunquam ex integro luſtraverint, aut privilegiis Sedis Apoſtolicæ, totiuſque Reipublicæ Chriſtianæ emolumento tam invidos, ut inventas non publicaverint, ſibi facile non perſuadebit, qui animo revolvit, quanto plauſu hæ epiſtolæ, quam primum in hac Iſidoriana collectione apparuerunt, a plurimis ſuſceptæ, quam rapaci curſu in omnes regiones diſperſæ, & quanta con-

ta contentione tum a Romanis Pontificibus, tum ab Epiſcopis, ut vim canooicam habeotes, propugnatæ fuerint.

Ad id, quod addit Liberius ex S. Maximo Martyre Reſp. Cum S. Maximus Monachus Conſtantioop. teſte Bellarmino *de ſcript. Eccl.* mortuus fuerit a. c. 660. quo tempore non taotum duæ Clemeotis epiſtolæ, ſed alia etiam ejus opera, videlicet *canones, & conſtitutiones Apoſtolorum* eidem præſertim a Græcis adjudicabantur, ſed immerito, ut ſupra vidimus, ejoſdem authoritas veritatem decretalium *clare* noo comprobat, ut nimis fideoter jactas eximius Liberius. Sed ad uberiorem hujus replicæ coofirmationem

157. Probatur Propoſitio II. Dionyſius exiguus, vir ſumma eruditione & ſanctitate præditus, *in præfatione 2. partis ſuæ collectionis*, ſeu potius collectionis ſecundæ canonum, quæ exſtat apud Colet. *tom. 1. conciliar. pag. 3.* aperte teſtatur; *ſedis Apoſtolicæ Præſulum conſtituta, qua valui cura, diligentiave collegi;* hic tamen vir *planus* atque dilertus, collectionem illam ordiatur a conſtitutiooibus Siricii Papæ, & conſequenter epiſtolas ſuorum prædeceſſorum in ſcriniis Apoſtolicis non invenit; cur enim quæſo illas publico iovidiſſet?

Reſp. Liberius hoc argumentum ferire adverſarios; ſi quid enim roboris habet, jam plane evincitur celebrem illam Clemeotis Epiſtolam primam ad Coriothios ab Irenæo, ab Euſebio, aliiſque relatam, alias item aliorum Pontificum ab aliis Patribus recenſitas decretales eſſe ſuppoſititias, eo qood illas Dionyſius in codicem ſuum noo retulerit, imo plorimas Leonis, aliorumque Pontificum inter Siricium & Anaſtaſium, id eſt ab a. c. 385. uſque ad a. 496. ex eadem ratione, quia nempe illas Diooyſius io ſuam collectionem ooo intulit, pariter eſſe apocryphas, cujus tamen contrarium conſtat.

158. Sed contra eſt, quod ſcopus argumenti adducti non ſit probare has Epiſtolas ex hoc ſolo eſſe ſuppoſititias, quia a Diooyſio in codicem Caoonum ooo ſunt relatæ; ſed quod Dionyſii, qui Apoſtolica Scrinia taota diligentia & cura perquiſivit, de illis ſilentium, junctum ſilentio Hiſtoricorum, Patrum, Conciliorum, atque imprimis Romanorum Pontificum per octo fere ſæcula de monumeotis, e quibus in tot ac tantis occaſionibus tum fidei dogmata, tum Sedis Apoſtolicæ privilegia, tum Eccleſiaſtica diſciplina firmari, atque nervoſiſſime cootra adverſarios tueri poterant, argumentum iſtud negativum, ſeu ex ſileotio deſumptum magnopere roboret, eo vel maxime, quod Epiſtolæ Clementis ad Coriothios, aliorumque Pontificum a Diooyſio omiſſarum (fortaſſis, vel quia originaliter in ſcrinii a ſe luſtratis noo exſtabant, vel quia aliunde jam obviæ erant) authenticitas e Hiſtoricorum, Patrumque mooumentis abunde comprobetur, quibus tameo omoibus deſtitutæ ſunt præſeotes Epiſtolæ, ut in objectionibus videbimus.

159. Probatur III. ex eo, quod dictæ Epiſtolæ contineant lacinias plorimas Epiſtolarum, operum, decretorum Patrum, Legum Imperialium, ſcholiorumque io eas, Pootificibus, quibus inſcribuntur, longe poſteriorum; ergo ex his videntur cooſarcinatæ.

Reſpondet Liberius I. ut aliquid evinceret argumentum, probandum eſſet, ſenteotias illas, quæ in Epiſtolis, Decretiſque Pootificum laudatorum reperiuntur, primo a poſterioribus dictas fuiſſe, & non potius ex illis decretalibus exſcriptas.

Reſpoodet II. fieri potuiſſe, ut ſeoteotiæ illæ, quæ io dictis decretalibus eodem tenore referuntur, quo exſtaot in receotioribus operibus, atque cum aliis noo bene cohærent, genuinis illorum Pontificum ſententiis recentiori manu aſſutæ fueriot; qoo pacto tantum evinceretur, Epiſtolas illas eſſe ioterpolatas, oon vero prorſus ſuppoſititias.

Reſpondet III. fieri potuiſſe, ut Pontifices priores, & Patres atqoe Imperatores poſteriores in verbis & ſententiis circa eandem materiam conveneriot; quod exemplis confirmat.

160. Sed contra I. Reſp. eſt: Quod ſi poſteriores Patres, Scriptores, Imperatores, Commentatores fragmenta illa a Blondello turmatim notata, & apod Coletum l. c. margioes fere implentia, ex his Epiſtolis defloraſſent, unus ſaltem ex mille tam cordatus, tamque pius in tantos Pootifices exſtitiſſet, qui dediſſet gloriam Chriſti in terris Vicariis, Martyrii laurea clariſſimis, eoſque deflorando laudaſſet; nec autem alienigena quidem ioveotus eſt; cum tamen eorundem laudatio haud vana foiſſet, ut expendenti patebit.

161. Contra II. Reſponſiooem eſt: quod eſto daremus, ſimilem corruptelam in aliquibus exemplaribus irrepere potuiſſe, id tamen credibile non eſt reſpectu omnium.

162. Contra III. Reſponſionem eſt quod, quamvis id fieri poſſet in uoa alterave ſeoteotiola, præſertim ſymbolica, id quod evincunt exempla a Liberio allata; nulli tamen a præjudiciis libero perſuadebitur, id eſſe poſſibile quantum ad integras paginas, ut infra N. 168. notabitur.

163. Probatur IV. ex eo, quod in dictis epiſtolis ſcriptura ſacra frequentiſſime uſurpetur ſecundum vulgatam Hieronymi editiooem, quæ tameo caois illis Pontificibus multo eſt junior.

Reſp. Liberius a Jeſu 1. fieri potuiſſe, ut Pontifices textus illos deſumpſerint ex verſione antiquiſſima, quæ *Itala* vocatur, quam S. Hieronymus in multis intactam reliquit, & conſequenter oobis reſtare probandum, qood laudati textus oon ſint illi, quos ille ſcripturiſta intactos reliquit.

Reſp. II. Cum Turriaoo, aſſigoando cauſam, cur Hieronymiana verſio in has Epiſtolas irrepſerit. Id oempe non alia de cauſa factum eſſe, *niſi quia, cum primum hæ epiſtolæ, ut a nullis ignorarentur, ad Eccleſiæ uſum vulgatæ ſunt, jam interpretatio veteris teſtamenti in manibus omnium erat, æque fere, ut vetus illa interpretatio 70. trita, idcirco viſum eſt tunc prudenter, & utiliter fieri, ſi utraque interpretatio ex parte adhiberetur, ita, ut in quibuſdam locis interpretatio 70. propter antiquitatem ſuam relinqueretur, & in multis interpretatio Hieronymiana in locum 70. Interpretum ſuccederet, & in aliis non paucis horum interpretatio temperata.*

164. Sed cootra I. Reſp. eſt. Quod niſum coilibet erudito apparebit, veteres Pootifices in laudatis Epiſtolis accurate tantum illa verba, ſenteotiaſqoe retuliſſe, qoas S. Hier. in verſione Itala reliquit immutatas; cum ergo nos eidem eximio exhibeamus has ſententias in verſiooe Hieronymiana, onus illi incumbit eaſdem oobis exhibendi in verſiooe Itala, alias manebimus in poſſeſſione.

165. Cootra II. Reſp. eſt: tantum abeſſe, ut eximius Turriaous arrepta hac Oeconomia (quæ vitis emunctioris naris ſat apparet violenta) has Epiſtolas juvet, quin potius ſuſpicionem modernorum Criticorum vehemeoter augeat; nimirum authorem harum merciom, dum has Epiſtolas, partim ex ſuo, partim ex Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum, Imperatorumque effata compilaret, ſcripturas allegaſſe, vel prout ſoo tempore obtinuerunt, vel prout illas io præfa-

.torum monumentis, quæ deſloravit, reperit; aut callido demum imponendi conſilto mixturam illam diverſarum verſionum conflaſse.

166. Probatur V. ex eo, quod epiſtolarum illarum argumenta non conveniant primis Eccleſiæ ſæculis, quibue Ponttfices Siricii anteceſſores floruerunt; quia non agunt de Hæreticis aorum ſæculorum, de perſecutionibue adverſus Eccleſiam, de lapſis, de conſolatione Confeſſorum, de exhortatione ad Martyrium &c. da quibua tamen plura habent illorum ſæculorum tum Patrum, tum Pontificum, tum Conciliorum monumenta.

Reſp. Eximius Liberius, non omnee omnia verſant, ſicut non omnie fert omnia tellus. Et pergit: Verum quam falſum ſit, quod priſcorum Pontificum epiſtolæ pro illorum temporum opportunitate atque indigentia non verſent argumenta, ex iiſdem Epiſtolis probat Turrianus l. 2. c. 22. poſt quæ adducit verba Turriani, qui dicit I. Anacleti primam epiſtolam verſara argumentum *de conſolatione Martyrum*. II. Evariſti primam reſutare hæreſim ſuſtinentium *ſolum Patrem inhabitare lucem inaccesſibilem*. III. Alexandri primam refellere hæreticos *Trinitatem aut Unitatem* negantes in Deo, qui vel jam erant, vel eſſe poterant.

167. Sed contra axioma a Liberio hic uſurpatum eſt, quod illud prædictas epiſtolae haud liberet a ſuppoſitionis nota; mirum enim cuilibet a præjudicia libero videbitur, quod omnes iſti Pontificee illo tempore illa ſolummodo argumenta tractaverint, quæ aum erant prorſus peregrina, & illa ne quidem digito moverint, quæ tum erant domeſtica. Verum quia nec ipſe eruditiſſimus ſcriptor in hac reſponſione acquieſcit,

168. Contra II. Reſp. eſt: quod magis ſit condeſcendendum eruditiſſimo Turriano, qui ante notatas posteriorum ſcriptorum lacinias in his epiſtolie mala conſutae ſcripſit, quam Exlmio P. Liberio, qui crambem hanc diu nauſeatam denuo recoxit; etſi enim in Anacleti Epiſtola ab eruditis non negetur illa exhortatio ad patientiam, quæ ibi *ex 1. Petri v. 1. ex ep. Pauli ad Rom. 5. & Jacobi* 5. exordium conficit, tanquam a recentiore codice emandicata; integra tamen, & longa illa reſutatio illorum, qui negabant *Filium inhabitare lucem inaccesſibilem*, quæ laudatur *ex ep. Evariſti*, ſicut & illa, quæ citatur *ex ep. Alexandri*, a capite ad calcem, & de verbo ad verbum deſumpta eſt ex reſponſione Ithacii ſive Idacii Clari, natione Hiſpani, adverſue Warimodum Arianum; qui author ſæculo IV. aut ſi idem eſt cum Vigilio Tapſenſi, ſæculo V. aut ſexti initio, adeoque duobus, vel tribus integris ſæculie poſt hos Pontifices floruit, ut poſt alios eruditos in margine harum epiſtolarum notat vir emunctiſſimæ naris Labbæus S. J. apud Coletum *tom. 2. Conciliorum pag.* 537. & 550. Cujus rigidiorem oppido cenſuram in has epiſtolas, earumque authorem, ac defenſores lege, ſi placet, ibi poſt epiſtolas Clementis.

169. Probatur VI. ex eo, quod plures ex dictis epiſtolis uſurpent vocabula Archiepiſcoporum, Primatum, Patriarcharum, Clericorum &c. quæ nomina, ſicut & gradus conſtat poſterioribus ſæculis inductos. Uno verbo ea tractant, quæ primis ſæculis minime, octavo vero, quo hæ epiſtolæ prodierunt, apprime conveniunt; & ne dicarum gratis hoc aſſeruiſſe videamur, exemplia, quanquam a plurimis, quæ paſſim in dictis epiſtolie occurrunt, paucie ad comprobamus.

Primo. S. Clemens in ſua ad Jacobum fratrem Domini mentionem facit veſtium, in quibus Presbyteri ſactificare debent, pallarum, vaſorum ſacrorum, oſtiarii, Archidiaconi, aliorumque miniſtrorum, atque Apoſtolum ibi circa adminiſtrationem ſacramentorum inſtruit.

Secundo. Idem epiſtolam tertiam inſcribit ad *Clericos*, quod tamen nomen ne notum quidem tum erat, omneſque *magnos, & parvos* Principes, qui tunc erant nulli.

Tertio. Anacletus, qui viginti aliquot ad ſummum annis poſt mortem Petri ſedit, in ep. 1. præcipie, quatenus Epiſcopus in ſolemnibus diebus celebrans, aut 7. aut 5. aut 3. Diaconos, qui ejus *oculi* dicuntur, & miniſtros reliquoe ſecum habeat, qui ſacrie induti ſint veſtibus a fronte & a tergo; ſimulque Presbyteri e regione dextra levaque conſiſtant. Idem ibi aſſerit a ſententiia Judicum ſæcularium ad tribunalia Eccleſiaſtica appellari poſſe: atque plurima de variis cauſarum eccleſiaſticarum generibue ſtatuit; non tantum Primatum & Metropolitanorum, ſed etiam Apocriſiariorum, ſeu Nuntiorum Apoſtolicorum mentionem facit. Et in ep. 3. Patriarcharum & Regum Chriſtianorum, qui tunc certiſſime erant nulli, diſtributioniſque Eccleſiaſticarum Provinciarum meminit.

Quarto. Evariſtus in priori Epiſtola mentionem facit matrimonii Clandeſtini, atque hujus Sacramenti cæremonias deſcribit.

Ac tandem omnes reliquorum Pontificum Decretales quam plurima continent, quæ a primis illis adhuc quodammodo naſcentis, & ſub gentilium Imperatorum dirie perſecutionibue quaſi deliteſcentis Eccleſiæ ſæculis tam longe abeſſe apparent viris eruditis, quam diſtat cœlum a terra; quorumque nulla penitue mentio ſit in ſinceris illius ætatis monumentis.

Quapropter hoc argumentum his exemplis firmatum fortiue eſt, quam ut illud facile diſſlari exiſtimet Liberius a Jeſu ex eo, quod in libris Areopagitæ habeatue vocula *Hypoſtaſis*, & in Epiſtolis Ignatii diſtinctio inter *Epiſcopatum & Presbyteratum*, quæ etſi tunc non eſſent in uſu, ab illis tamen *primo* uſurpari potuerunt.

170. Nam contra eſt: quod ex Hiſtoria conſtet Presbyteratus & Epiſcopatus eſſentialem diſtinctionem tempora Ignatii jam invaluiſſe. Et ſublimem Dionyſium unius voculæ potuiſſe eſse authorem; ſed quid hæc una hirundo ad turmam allatam?

171. Probatur VII. ex eo, quod omnes illæ Epiſtolæ ſcriptæ ſint Stylo Barbaro, qui Pontificum illorum ætati, in qua nitor & elegantia latinitatis floruit, prorſue non convenit. Accedit I. Quod in omnibue illis ſit ſtyli ſimilitudo, & idem ſcribendi character, qui eundem authorem manifeſte indicat. II. Quod omnes fere falſis temporum conſulatumque notie conſignatæ ſint, uti monſtrant marginalia.

Ad argumentum Reſp. Liberius, etiam Auguſtinum ſimplicem ſtylum ſæpe affectaſse. Concedo, ſed tunc, quando loquebatur ad Plebem, & hunc quidem non *Barbarum*, ſed nitidum. Hæ autem Epiſtolæ directæ ſunt plerumque ad Eccleſiæ Præſules, atque in cauſis Eccleſiaſticis momenti maximi.

Ad Conf. I. Reſp. Eoe in ſtylo convenire potuiſſe, ſicut apparet in Apoſtolie. Sed notandum 1. Apoſtolos eodem tempore vixiſse, hos Pontifices a ſe ſæculorum intervallis diſtare. II. Pauli Epiſtolas tacte S. Petro aſse ſtyli ſublimitate ab aliorum Apoſtolorum ſcriptis multum diverſas.

Ad II. varia quoque quærit effugia, ſed illa nihilominus juncta cum præcedentibue manet evidens ſuppoſitionis harum decretalium nota.

Mo-

Momenta Adverſatiorum,
& præcipue eximii Liberii a Jeſu expenduntur.

172. PRo baſi ſuæ diſſertationis ponit eruditiſſimus hic Author regulam Juris 65. in 6. *potior eſt conditio poſſidentis*, cui ſubjungit hanc minorem: ſed veterum Pontificum Epiſtolæ non tantum prioribus, ſed etiam poſterioribus Eccleſiæ ſæculis, atque ex aliis momentis veritatis prærogativam poſſident; ergo in ea ſunt manutenendæ. Singula membra principalis hujus minoris rationibus fulcit, quas ordine Chronologico pro poſſibili proponemus. Itaque

173. Objicit I. probando primum membrum principalis minoris. Gelaſius in Concilio Romano a. 494. celebrato libros Authenticos ab Apocryphis per ſpecialem catalogum accuratiſſime diſcernens, ita habet: *Item decretales Epiſtolæ, quas beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab Urbe Romana pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendæ ſunt;* ergo hæ epiſtolæ prioribus Eccleſiæ ſæculis veritatis prærogativam obtinuerunt.

Reſpondet Natalis Alexander, cum hæc Gelaſii ſententia ſit indefinita, conſtabit ejus veritas, ſi ad eas epiſtolas referatur, quas Siricius, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Cœleſtinus, Sixtus III. S. Leo, Hilarius, Simplicius, Felix III. Gelaſii anteceſſores ſcripſerant.

174. Hanc reſponſionem Liberius a Jeſu vocat voluntariam, eamque ſic impugnat: eo ipſo, quod hæc Gelaſii ſententia ſit *indefinita*, omnium Anteceſſorum Gelaſii a primo Petri ſucceſſore datas comprehendit Epiſtolas. Probat aſſumptum ex regulis Logicæ; juxta quas indefinita Propoſitio exigitur ſecundum capacitatem materiæ, ſeu, ut ajunt, ad exigentiam prædicati.

Reſp. ad hanc dialecticam in materia Critica replicam, negando aſſumptum. Ad ejus probationem ex regulis Logicæ deſumptam dico, materiam epiſtolarum Pontificum Gelaſii anteceſſorum non poſſe extendi ad decretales, de quibus litigamus, cum tunc necdum exſtiterint, uti probatum eſt ſupra argumentis criticis, ergo ruit argumentum deſumptum ex regulis Logicæ.

175. Sed inſtat redeundo ad materiam ſubſtratam: omnes fateri debent morem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ primis illis ſæculis ad fidelium inſtitutionem ſcribendi Epiſtolas, uti conſtat ex genuinis Epiſtolis Clementis, Damaſi, Cornelii, Julii &c. cur ergo ad has, aliaſque ejuſmodi indefinita Gelaſii ſententia extenditur, & ad cæteras non?

Reſp. quia tunc illæ exſtiterunt, ut probant Patrum, & Scriptorum monumenta nobis relicta, hæ vero non, uti evincunt rationes a nobis ſupra per longum allatæ.

176. Urget. Hincmarus ſæculi IX. author, cum longe propinquior fuerit Gelaſii ætati, quam critici XVI. ſæculi, verius ac facilius ſcire potuit Romani Concilii ſenſum, atque extenſionem, quam illi: atqui Hincmarus *in opuſc. 55. capitum* has epiſtolas ex authoritate ejuſdem Pontificis in argumento relata agnoſcit genuinas, id ſolum contendens, quod, cum a corpore canonum, id eſt, Dionyſiana collectione abſint, canonicam authoritatem non habeant; ergo manifeſte genuinæ ſunt.

Reſp. I. indirecte, retorquendo argumentum ex propinquitate Hincmari tota ſæculorum quadriga a Gelaſio ſejuncti male deſumptum. Venerabilis Beda Hincmaro acumine multo ſuperior, & inſuper Hiſtoricus Eccleſiaſticus ex profeſſo, Niceno Concilio fuit multo propinquior, quam correctores Romani, & moderous orbis literatus univerſus, utpote qui ſæculo 8. floruit; hic tamen relatus *diſt. 16. c. 9.* aſſerit Nicænum Concilium celebratum fuiſſe *ſub Julio primo*; ergo male eſt nota laudatorum correctorum ibi, dum ajunt: *certum eſt ſynodum Nicænam I. celebratam eſſe tempore Sylveſtri, ſed in illa* temporum obſcuritate (id eſt ſæculo VIII. quo hæ epiſtolæ prodierunt) *mirandum non eſt Bedam*, & alios *erraſſe*. Notet hic cordatus Lector, quid præſidii cauſæ ſuæ Liberius a Jeſu, Sæculorum horum *obſcurorum*, & reliquorum, ea bona fide ſequentium (ut infra, referendo collectiones hac Iſidoriana poſteriores, *demonſtrabitur*) authoritate, quam ſolam fere adducit, adſerat?

Reſp. II. Hincmarum honeſto nomine Iſidori, quem hæc collectio præſeferebat, deceptum, ejus authorem crediſſe Venerandum Iſidorum Hiſpalenſem; & conſequenter piaculo ſibi cum omnibus coætaneis duxiſſe, vel minimam fraudem in opere divini viri ſuſpicari; unde factum eſt, ut ſententiam Gelaſii ad has quoque epiſtolas, in hac collectione contentas, extenderet. Cujus ſententiam poſteriores eodem fato ſecuti ſunt, donec hæreſibus ſæculo XVI. exurgentibus res, a qua fides, vel privilegia Sedis Romanæ, teſte Baronio, minime dependent, ad lancem criticam appenſa inventa eſſet minus habens. Quod autem ſæculo Hincmari venerandum eſſet S. Iſidori Hiſpalenſis nomen, adeoque ad imponendum prorſus opportunum, patet ex Synodo Toletana 8. ſexto decimo anno poſt ejus obitum celebrata, in qua vocatur Doctor egregius, Catholicæ Eccleſiæ noviſſimum decus, in ſæculorum fine doctiſſimus, & cum reverentia nominandus. Uti habetur etiam in Breviario Romano ad 4. Aprilis. Illum autem non eſſe hujus collectionis authorem ſupra ex profeſſo, nec gratis, demonſtratum eſt.

177. Objicit II. Confirmando idem primum membrum principalis minoris. Leo M. ſæculo V. florens celebre fere teſtimonium pro decretalium epiſtolarum veritate, dum *ep. 5. univerſis Epiſcopis per Campaniam, & Picenum data* ait: *Ne quid vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia decretalia conſtituta, tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium prædeceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & canonum ordinata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire mandamus, ut ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari.*

Ad hanc confirmationem ſicut & ad Concilii Toletani III. A. 589. celebrati Canonem 1. atque ad replicas dialecticas, quas eiſdem Eximius Scriptor denuo ſubjungit, fundatas quam maxime in ly *omnium*, redeunt reſponſiones ſupra N. 173. & 174. datæ, quas hic repetere judicamus ſuperfluum. Criticam hic ſubjungimus, quæ ſic ſonat.

178. Concilium Vaſenſe I. anno ſecundo ejuſdem Leonis Pontificatus celebratum, adeoque duobus annis ante datam mox laudatam epiſtulam, clare innuit, Leonem etiam loqui de his decretalibus, ſic enim capite 6. habet: *ex epiſtola S. Clementis utilia quæque præſenti tempore Eccleſiis neceſſaria ſunt honorifice proferenda, —— ex quibus, quod ſpecialiter placuit, propter venerandam antiquitatem, ſtatutis præſentibus roboramus.* Interitque deinde nonnullas periodos ex prima Clementis inter 6. ſupra relatas, quæ eſt ad Jacobum fratrem Domini, cujus etiam doctrina in decretalibus Fabiani, & Aniceti Pontificum reperitur.

Reſp. Concilium Vaſenſe hoc loco ſolummodo laudare epiſtolam particularem, & quidem illam, quæ ante annum 442. quo decreta eſt hæc ſynodus, a Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis

cum

cum multis aliis Clementinis de ſuppoſitione notata fuit.; quamque moderni eruditi vel ex ſola ejuſdem ſuperſcriptione Clementi ſuppoſitam evincunt; ſiquidem poſt obitum S. Petri datam ex ipſius ordine, & ſerie conſtat, adeoque ad Jacobum fratrem Domini ſcripta eſſe non poteſt, qui 7. annis ante Petri martyrium Hieroſolymis occiſus eſt, anno videlicet ſeptimo Neronis.

179. Objicit III. Probando ſecundum membrum principalis minoris. Quod nempe hæ epiſtolæ ſæculis S. Iſidoro Hiſpalenſi (cui earundem collectionem tribuit, quique obiit ſæculo VII. ſeu a. c. 636.) poſterioribus pro genuinis agnitæ ſint, & primo ſic argumentatur: Sæculo VII. habito Hiſpalenſi Concilio A. videl. 609. Iſidoriana collectio publice apparuit, cœpitque per univerſas Provincias evulgari, adeo ut ineunte ſæculo IX. Galliarum, atque Germaniæ Regiones illas epiſtolas obtinuerint; ergo hæc collectio eſt S. Iſidori Hiſpalenſis, qui eidem concilio præſedit, & conſequenter epiſtolæ in ea contentæ vel hoc ipſo manent in poſſeſſione veritatis.

Reſp. Concedendo ſæculo IX. Galliam & Germaniam per Riculphum Archiepiſcopum Moguntinum hac collectione, atque his epiſtolis repletam fuiſſe, ut teſtatur aperte Hincmarus; ſed nego illam poſt Hiſpalenſe Concilium, ſeu ſæculo VII. jam cœpiſſe divulgari; ſi enim hoc ita ſe haberet, Braulio & Ildephonſus texendo catalogum librorum S. Iſidori Hiſpalenſis ejuſdem meminiſſent, ut ſupra a N. 133. late probavimus. Hoc ergo aſſertum eximii Liberii prorſus eſt voluntarium.

180. Objicit IV. ad idem. Leo IV. qui a. c. 847. ſedere cœpit, ad Epiſcopos Britanniæ ita ſcribit, & refertur *diſt.* 20. *c. de libellis: De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare; —— quibus autem in Eccleſiaſticis judiciis utimur, ſunt Canones Apoſtolorum, —— & cum illis Regulæ Præſulum Romanorum Sylveſtri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Cæleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Hormiſdæ, Simplicii, & Gregorii Junioris.* Quo loco, cum ante Siricium nominet Sylveſtrum, etiam aliorum Romanorum PP. ejuſdem Siricii Prædeceſſorum epiſtolas comprehendit.

Reſp. hunc ipſum Leonis IV. ſicut & primi locum has epiſtolas reddere vehementer ſuſpectas, ſiquidem ex omnibus Pontificibus, qui Siricium præceſſerunt, nullius decreta memorat Leo I. hic autem ſolius Sylveſtri; unde ſuſpicatur Blondellus *c.* 16. *Prolegamenon*, mendum eſſe in textu Leonis IV. & loco iſtorum nominum, *Sylveſtri Siricii*, legendum eſſe *ſcilicet* Siricii, quia nullas Sylveſtri regulas habet vetus Eccleſiæ Romanæ Canon; quæ conjectura eſto plauſibilis ſit, eo quod Correctores RR. l. cit. notent Leonem ibidem indicare *Canones & regulas, ex quibus conſtat corpus vel codex canonum, quo Romani Pontifices præſertim in judiciis utebantur*, ſeu Dionyſianum, in quo Sylveſtri regulæ deſiderantur, utpote qui a decretalibus Siricii incipit; probabilior tamen eſt illa, quam ſubjungit, Leonem IV. forte reſpexiſſe acta Romanæ Synodi ſub Sylveſtro jam ſuo tempore conficta: concinnata quippe fuerant cum actis Sylveſtri, quæ Gelaſius in Synodo Romana *a multis in urbe Romana Catholicis legi teſtatur, eumque morem plures Eccleſias imitari*, quæ etiam acta citaverat VII. Synodus Oecumenica 60. & amplius annis, antequam Leo IV. eam Epiſtolam ſcriberet. Denique quod Leo reſpexerit ad acta Synodi Romanæ ſub Sylveſtro, colligitur evidenter ex ipſiuſmet epiſtolæ initio, ubi regulam in dicta Synodo conſtitutam profert ad judiciorum Canonicorum ordinem decernendum.

181. Objicit V. ad idem. Nicolaus I. ſæculo IX. poſt Leonem IV. regnans, non tantum ex profeſſo propugnavit harum epiſtolarum authentiam, ſed etiam aſſeveravit illarum autographa in ſcriniis apoſtolicis aſſervari; ergo manifeſte ſunt authenticæ. Utraque pars conſtat ex ejus *ep.* 42. *ad univerſos Galliæ Epiſcopos* apud Coletum *tom.* 10. *pag.* 280. prima quidem ex variis argumentis in hunc finem a Nicolao ibidem adductis, ſecunda vero ex eo, quod inibi aſſeveret: *Abſit, ut cujuſcunque, uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem, qui in vita catholica perſeveravit, vel decretalia conſtituta, vel de Eccleſiaſtica diſciplina qualibet expoſita, debito cultu, & cum ſumma diſcretione non amplectamur opuſcula; quæ duntaxat, & antiquitus S. R. E. conſervans, nobis quoque cuſtodienda mandavit, & penes ſe in ſuis archivis, & vetuſtis rite monumentis, recondita veneratur. Abſit, ut ſcripta eorum quoquo modo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore S. Eccleſiam aut roſeo cruore floridam, aut rorifluis ſudoribus, & ſalubribus eloquiis adornatam.* Ex his enim habetur 1. Romanam Eccleſiam priorum Pontificum, qui pro Chriſto ſanguinem fuderunt, ut Nicolaus teſtatur, conſtituta ſervaſſe. 2. Prædeceſſores ea cuſtodienda ſucceſſoribus tradidiſſe. 3. In ſuis vetuſtis archivis fuiſſe recondita.

Reſp. Quidquid contra moliatur Nat. Alexand. concedo primam partem A. Nimis enim clarum eſt ex dicta epiſtola, Nicolaum has epiſtolas ut authenticas propugnaſſe. Et nego ſecundam, illum videlicet hoc loco aſſeverare, has epiſtolas in Romanis Archivis fuiſſe reconditas. Nicolaus enim in periodo allata nil aliud dicit, quam primo, quod decretalia conſtituta *cujuſcumque*, & *qualibet* ejuſdem de Eccleſiaſtica diſciplina opuſcula cum ſumma veneratione & diſcretione ſint amplectenda, modo *in fide catholica* obierit. Secundo, quod R. E. eorum *duntaxat* decretalia conſtituta, & de eccleſiaſtica diſciplina opuſcula antiquitus conſervet, poſteriſque cuſtodienda mandet, & penes ſe in ſuis archivis & vetuſtis rite monumentis recondita veneretur, qui *in fide catholica* obierunt. Quæ propoſitio ſi æquivaleret huic a Liberio prætenſæ: *Eccleſia Romana in ſuis archivis aſſervat veterum Pontificum, de quibus diſceptamus, epiſtolas;* etiam hæc, in Bibliotheca A. *duntaxat* aſſervantur Authores Catholici, æquivaleret huic: *in Bibliotheca A. aſſervantur opera S. Gregorii.* Quod falſum eſſe nemo non videt. Has autem Epiſtolas tempore Nicolai I. in Archivis Romanis, niſi fortaſſis in collectione Iſidoriana, aut inde excerptas non extitiſſe, evincitur non tantum ex eo, quod Dionyſius exiguus, qui dicta ſcrinia aliquot ſæculis ante Nicolaum diligentiſſime luſtravit, eas ibi non invenerit; ſed inde quoque, quod nullus Pontifex ante Nicolaum primum eas pro roborandis fidei dogmatibus, tuendiſque Sedis Apoſtolicæ privilegiis adeo accommodas eruerit, & Eccleſiis legendas in lucem emiſerit. Quia eſto Dionyſio prohibitus fuiſſet aditus ad ſecretiora R. E. ſcrinia, uti divinat eximius Liberius, eum tamen fuiſſe prohibitum Nicolai anteceſſoribus, aut eos in graviſſimis ſæpe negotiis ex ſupina negligentia illa ſcrinia non luſtraſſe, nemo eſt, qui affirmare audeat. Unde ſponte corruit dilemma Liberii huic objectioni ſubnexum, Nicolaus enim neque mentitur in allata periodo, nec epiſtolæ dictæ in ſcriniis Romanis fuerunt aſſervatæ, quia ejus propoſitio hoc non dicit.

Nec obeſt nobis tanti Pontificis authoritas, tum quia in ſubſtrata materia Doctoris privati duntaxat obivit provinciam, tum quia illo ſæculo floruit, quo ſub honeſti Iſidori Hiſpalenſis nominis larva hæ epiſtolæ habebantur ab omnibus indubiæ.

182. Sed inſtat. Nicolaum verſiciter aſſeruiſſe in Romanis Archivis priſcorum Pontificum codices exſtare ineluctabile argumentum evincit, quoniam 100. circiter annis ante illum Hadrianus I. Pontifex omni exceptione major ex monumentis Romæ exſtantibus ſummam capitularium collegit, cujus transſumptum dedit Ingilramno; horum autem nonnulla iiſdem pene verbis ex epiſtolis, de quibus controvertitur, excerpta leguntur. Cum vero prædicta non ipſe confinxerit, in Romanis Cartophilaciis exſtitiſſe fatendum eſt. Neve dicendum putes a libro Riculphi Moguntini excerpta fuiſſe, cum hoc contigerit nondum adepta a Riculpho Epiſcopali dignitate.

Reſpondeo ex mox dictis conſtare, Nicolaum ſimpliciter non aſſeruiſſe in Romanis Archivis laudatas epiſtolas exſtare. Ad authoritatem e Hadriano I. deſumptam dico, capitula iſta Hadriano quidem tribui ab Hincmaro *in opuſc. adverſ. Hincmarum Laudunenſem c.* 24. qui eorundem collectionem Ingilramno datam affirmat; ſed illam ipſi Ingilramno inſcribunt codices MSS. optimæ fidei, & venerandæ antiquitatis in Bibliothecis S. Victoris Pariſienſis, & Monaſterii Lætienſis. Et tam Hadriano tribui non poſſe vel ipſa ex his epiſtolis excerpta eidem illata evincunt; illas enim decretales videtur noviſſe ſuppoſititias emonctæ naris Pontifex. Siquidem codex canonum, quem Carolo Regi obtulit Romæ a. c. 774. de quo §. ſequenti, decreta Romanorum Pontificum a Siricio *duntaxat* ad Gregorium Juniorem complectitur. Quod conſtat tam ex aliis vetuſtiſſimis codicibus, tam nominatim ex illo, qui Caroli ipſius M. temporibus exaratus A. ſcil. Regni ejus 37. Chriſti 805. aſſervatur Pariſiis in Bibliotheca S. Germani, ut probat Sirmondus apud Coletum *tom* 8. *pag.* 565. Addidiſſet autem & epiſtolas primorum Pontificum, ſi ullius fuiſſent apud ipſum authoritatis, inquit Nat. Alex. *ſæculo VIII. c. 1. a. 9.*, qui & ſubjungit: *Recte igitur Antonius Auguſt. Juris Canonici peritiſſimus Præſul iſta capitula Hadriano I. abjudicat Dial.* 15. *de emendatione Gratiani*.

Doctiſſimus Pagius *ad a. c.* 786. *N.* 3. *&* 4. ita habet: *Sed quemcunque authorem nacta ſit hæc capitularium collectio, Marca lib. 7. de concordia c.* 20. *vetuſtiorem illam cenſet Iſidoro, quem iiſdem capitulis uſum dicit in adornanda collectione epiſtolarum apocrypharum*. Exiſtimat præterea Illuſtriſſimus Præſul hæc capitularia excerpta eſſe ex antiquis canonibus, & genuinis Pontificum Romanorum epiſtolis, tum etiam ex legibus codice Theodoſiano comprehenſis, vel potius ex legum illarum breviario. Qua ſtante conjectura certe plauſibili, eſto Hadrianus harum capitularium eſſet auctor, tamen non ſequeretur has epiſtolas tunc jam in Romanis ſcriniis exſtitiſſe, vel a libro Riculphi excerptas fuiſſe; ſed potius Iſidorum ab his capitularibus, ex genuinis fontibus, Pontificum nimirum, ac Imperatorum decretis, ab Hadriano deſumptis, occaſionem ſumpſiſſe illas epiſtolas fabricandi, utpote quæ plenæ ſunt legibus Theodoſianis, in ſcholiis Aniani; quæ primus notavit Antonius Aug. ut ſupra vidimus.

183. Objicit VI. Excerpta ex his epiſtolis magni facta ſunt a prudentiſſimis Galliæ Regibus, atque inter capitularia eorundem relata, ergo ſunt genuinæ. Secundo Doctiſſimus, ac Celeberrimus Tarraconenſis Archiepiſcopus Antonius Aug. capitularia illa, quæ apud Coletum habentur *tom. VIII. a pag.* 597. notis illuſtrando, fontes illorum non ſemel indicat præſentes epiſtolas, uti videre eſt in notis ad cap. 3. & alibi paſſim ſ. mox cit. a pag. 607.

Reſp. Benedictum Levitam, qui capitularium libros digeſſit, eoſque Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus, Ludovici Pii Imperatoris Filiis dedicavit circa a. c. 850. ſatis innuere, has epiſtolas non eſſe genuinas; ſiquidem illas ſuppreſſo nomine citavit, ne recens detegeretur impoſtura; ſatiſque habuit monere, decreta illa, quæ juſſu Autgarii Moguntini Archiepiſcopi ex ſcriniis Moguntiacæ Eccleſiæ collegerat, & ſparſerat in tribus poſtremis capitularium libris, *a* Romana Eccleſia probata fuiſſe; ne quis adverſus ea mutire auderet. Id notavit Baronius ad a. c. 865. ita ſcribens: *Sed & ipſe Benedictus Levita, etſi ex eadem Iſidori collectione accepit multa, tamen bene conſcius auctoritatem illarum epiſtolarum haud adeo conſtantem, ſed mutare admodum, nunquam aliquem illorum citavit authorem, ut fecit in reliquis, quorum fides conſtans eſſet; --- ſed & magna cautela, quod ſciret ex eis accepta haud adeo haberi firma, curavit* (ut ipſe in fine teſtatur) *eadem authoritate Apoſtolica confirmari*.

Reſp. II. Præfata excerpta a prudentiſſimis Galliæ Regibus magni facta fuiſſe, quia plena ſunt æquitatis, compilator enim harum epiſtolarum bene multa habet, quæ primis, & poſterioribus ſæculis ſapientiſſime conſtituta ſunt.

Ad II. dico, authoritatem Antonii Aug. nobis non officere; verum quidem eſt, quod peritiſſimus ille Præſul in relatis notis ad capitularia Hadriani, illa in has epiſtolas ceu in fontes reducat, quoniam contra Marcam ſentit, illa capitularia ex his epiſtolis eſſe deflorata; cæterum ipſe eſt, qui priorum Pontificum Romanorum epiſtolas cum eodem Marca, Baronio, Pagio, & aliis eruditis de ſuppoſitione arguit; ut ſupra vidimus, & conſtat ex ejuſdem notis ad capitulum 36. Hadriani I. ubi hæc habet: *adde conſtitutionem Valentiniani --- & epiſtolam Damaſi ad Aurelium Carthaginenſem poſitam initio conciliorum, quæ pleriſque ſuſpecta eſt, ut alia nonnulla antiquiorum Damaſo Pontificum*.

184. Opponit Liberius. Eſto Antonius Aug. de aliquibus epiſtolis dubitet, non tamen in dubium revocat ipſum corpus epiſtolarum, ſed potius firmat, quoniam certa ab incertis diſcernit.

Reſp. Cum Antonius Aug. diſertis verbis corpus harum epiſtolarum eſſe authenticum non affirmet, ſed in pleriſque epiſtolis ea notet, quæ ſponte ſua ſuppoſitionem earundem indicant; inſuper alias aperte ſuſpectas habeat; ipſe celeberrimus, & de re canonica per ceiſim reſtauranda meritiſſimus Præſul nobis magis favet, quam eruditiſſimo Liberio. Quas enim epiſtolas ille habuit ſuſpectas, de earundem, ſicut & de totius corporis harum epiſtolarum ſuppoſitione poſt fractam primam, ut ajunt, ab ipſo glaciem, admota poſtmodum non ſemel lima critica, viri eruditi ſe fatentur convictos, non enim uno ſemper ictu quercus cadit.

185. Objicit VII. ex Gravina. Quod ſi hæ epiſtolæ eſſent ſuppoſititiæ, a tot Pontificibus, viris illuſtribus, & præſertim Tridentino Concilio, quod tot volumina obſcura, ſpuria, contumelioſa, Chriſtique Sponſæ indecora flammis tradidit, in illas debuiſſet animadverti; quod cum factum haud ſit, inde fit, ut Patroni noſtræ ſententiæ ſint criminatores horum omnium.

Reſp. ad hoc oppido zeloſius argumentum; quod ſi illud nos, qui non Blondelli ſpiritu in has epiſtolas invehimur, ſed cum illuſtriſſimo de Marca *lib.* 3. *de concord. Sacerd. & Imp.* c. 5. ſentimus, *illas e ſententiis & verbis legum, canonum antiquorum, & ſanctorum Patrum, ſi pauca demas*, (nempe ea, quæ Baronius *ad a. c.* 336. vocat *mendacia, & quiſquilias*) *eſſe concinnatas*, injurioſos atque criminatores facit dictorum Ponti-

tificum, virorum illuſtrium, ac Concilii Tridentini, uti ibidem vociferatur zelo non ſecundum ſcientiam Gravina, Correctores decreti Gratiani dicendi quoque ſunt injurioſi atque criminatores ſummorum Pontificum, virorum illuſtrium, & conciliorum a cunis decreti illius, ſeu a ſæculo XII. quo editum eſt illud decretum, uſque ad ſæculum XVI. quo eidem emendando authoritate trium Pontificum manus admoverunt; ſiquidem liber hic ab illis emendatus *mendis, & teſtimoniorum depravationibus*, teſte Greg. XIII. in Bulla emendato Gratiano præfixa, erat *pleniſſimus*, quæ tamen Pontifices, viri illuſtres, atque Concilia quatuor fere ſæculorum intacta reliquerunt. Telum ergo, quod Gravina hocce argumento in nos vibrat, ipſum ferit.

Sed nunquid his ſtantibus omnes recenſiti in alterutrum ſcopulum impingent? abſit; ſua manet & dictis Pontificibus, & Viris Illuſtribus, & conciliis in utroque caſu ſarta tecta authoritas; fuerunt ſæcula, queis ad opera polemica lucubranda, alia, quando ad opera Theologica concinnanda, hæc poſteriora denique, quibus ad ſpuria antiquitatis monumenta a genuinis ope critices ſecernenda nati ſunt homines. Hæreticorum inſultus anſam dederunt Catholicis, ut ſe applicarent ex profeſſo ad lucubrationes polemicas. Patrum, præſertim Auguſtini, & Anſelmi, opera methodica Theologiæ ſcholaſticæ ad apicem perfectionis evehendæ facem præluxerunt. Criminationes Lutheranorum in decretum Gratiani poſt ejus publicam a Luthero factam combuſtionem, teſte ipſo Liberio, Romanos PP. Pium IV. Pium V. & Gregorium XIII. excitarunt, ut eidem cenſoriam virgam admoverent. Has epiſtolas illi, aliquot demptis, intactas reliquerunt, at poſt criminationes Magdeburgenſium, & Turriani apologiam eruditi critici, tum orthodoxi, tum heterodoxi, ſepoſitis præjudiciis, rem, a qua non dependet Eccleſiæ, vel Sedis Pontificiæ ſalus, maturius examinandam judicarunt, dictaſque epiſtolas Critices ad lampadem erutinantes, in illis multo vehementiora ſuppoſitionis indicia invenerunt, quam vel Magdeburgenſes objeciſſent, vel Turrianus ſolviſſet.

Mitius ergo, atque diſcretius loquitur Modernus noſter Sanctiſſimus Benedictus XIV. eruditorum criticorum facile princeps in ſuo aureo opere *de Servorum Dei beatificatione, & Sanctorum canonizatione* tit. 1. N. 209. relato; dum in ſimilibus facti materiis Romano Breviario poſt multiplicem reviſionem ejuſdem illatis, de quorum veritate nihilominus adhucdum in utramque partem litigatur, ita fatur: prout ibidem pariter retulimus. *Videtur quidem tuto pede aſſeri poſſe, non modicum authoritatis pondus factis hiſtoricis accedere, quæ relata ſunt, & approbata in Breviario Romano; ... attamen ita, ut vetitum exiſtimari non poſſit, debita cum modeſtia, & gravi fundamento, quæ occurrunt in factis hiſtoricis, difficultates exponere, eaſque judicio Sedis Apoſtolicæ ſupponere, ut earum veritatem, & robur perpendat, ſi quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: quæ ipſa videtur eſſe ſententia plurimorum, qui de hiſtoriis relatis in nonnullis lectionibus ſecundi Nocturni Breviarii Romani dubitare viſi ſunt.*

186. Objicit ultimo ab eodem Gravina, & Patre Dominico a SS. Trinitate expenſum argumentum, quod ad longum propoſitum dein ſub hac forma ſtringit; non minoris videntur auctoritatis Epiphanius, Beda, Leo I. Leo IV. Gregorius VII. inſuper mox citata Concilia, quam Ruffinus, Euſebius, Photius, Athanaſius, &c. ſed quia ipſi aut referunt, aut epiſtolarum aliquae priſcorum Pontificum meminerunt, illas ut genuinas eruditi critici approbant; ergo quia illi literarum Iſidorianæ collectionis mentionem faciunt, iſtam pari veneratione debent ſuſcipere.

Reſp. Leonem I. & IV. non loqui de his epiſtolis, ut ſupra N. 173. & 177. viſum eſt. Quod Bedam, & Greg. VII. attinet, de illis una reſponſum eſt N. 176. Ad Epiphanium, quem cum Ruffino pro ſolis Epiſtolis Clementinis refert, dico pariter ut ſupra, de authentia harum epiſtolarum primis jam ſæculis inter Patres fuiſſe diſceptatum. Accedit, quod S. Epiphanius loco a Liberio ex hæreſi 30. citato circuitus Petri cenſeat genuinum S. Clementis fœtum, qui tamen non tantum a Gelaſio in decreto ſupra relato, ſed a tota literatorum Republica inter apocrypha amandantur. Et hæc de primaria collectionis Iſidorianæ parte conformiter ad inſtructionem ſaluberrimam Sanctiſſimi Patris Noſtri Benedicti Papæ XIV.

187. Præter decretales epiſtolas Romanis Pontificibus a Clemente I. uſque ad Siricium falſo inſcriptas, nonnulla in hac collectione inveniuntur, atque a Gratiano adoptata ſunt non minus de ſuppoſitione ſuſpecta, imo convicta. Quæ ob operis anguſtiam hic recenſebimus indicando duntaxat authores, qui de illis ex profeſſo agunt. Itaque primo loco occurrit *edictum*, ſive *donatio Conſtantini M.* quæ exſtat apud Gratianum *diſt. 96. c. & 14.* ſub nomine *palcæ*, quam ſuppoſititiam probant Cardinalis Cuſanus *lib. 3. Concord. Cath.* c. 2. S. Antoninus *p. 1. hiſt. tit.* 8. c. 2. Baronius *ad A.* 1191. Lupus *tom. 5. ſcholiorum ad can. 8. dictatus Greg. VII.* Nat. Alex. & alii.

188. Secundo, in hac collectione exhibetur Synodus Romana II. ſub S. Sylveſtro A. 324. habita, cum 20. ſuis canonibus; eaque *tanquam excerpta quædam ex ſynodalibus geſtis S. Sylveſtri proponitur*; quæ geſta Burchardus, Ivo, & Gratianus pro indubitatis habuere; illius canonem 3. refert Gratianus 2. *q.* 4. c. 2. item *q.* 7. 10. canonem 14. 11. *q.* 1. c. 9. & 10. quam ſuppoſititiam probant notæ Labbæi ad hoc concilium, Petrus de Marca, Lupus, Nat. Alex. & alii.

189. Tertio, in illa proſtat exemplar epiſtolæ *formatæ* ſub hoc titulo: *epiſtola formata, qualiter debet fieri*; refeturque a Gratiano *diſt.* 73. *c.* 1. & 2. quam ex fictitiis Iſidori commentis eſſe notant eruditi; ſicut & epiſtolam S. Athanaſii *ad Marcum Papam*, cujus fragmentum eſt apud Gratianum *diſt.* 16. c. 12. quam cum cæteris putidis mercibus hujus mercatoris rejiciunt Baronius, Bellarminus, aliique periti Critici, ut monet nota marginalis Labbæi *tom. 2. concilior. Labbæanæ editionis col.* 469.

190. Quarto, præter epiſtolas jam exploſas Siricii anteceſſorum, Anaſtaſio I. Siricii ſucceſſori ſuppoſuit idem Iſidorus epiſtolam primam *ad omnes Germaniæ & Burgundiæ Epiſcopos*, cujus fragmenta referuntur *diſt.* 98. c. 2. & *diſt.* 2. *de conſec.* 68. item ſecundam *ad Nerianum*, quam inſinuat Gratianus 3. *q.* 2. c. 27. utramque fictitiis Iſidori mercibus annumerat Labbæus, aliique.

191. Quinto, Sixto III. probabiliſſime etiam ſuppoſita, atque ex Gregorii M. Sixto multo junioris ſcriptis conſarcinata videtur *ep. ad Orientales Epiſcopos*, cujus meminit Gratianus ſub nomine Gregorii I. 11. *q.* 3. c. 55. item 2. *q.* 5. c. 10. item 2. *q.* 8. c. 4. & 2. *q.* 7. c. 50. ſub nomine ſynodi Romanæ; circa quam in margine notat Labbæus: *fides admodum ſuſpecta, imo nullius.*

192. S. Leoni I. adſcriptam *ep. ad univerſos Germaniæ & Galliæ Epiſcopos* de privilegio Chorepiſcoporum ſive Presbyterorum *ſuppoſitam mul-*

ta

ta arguunt, inquit Labbæus. Fragmentum illius refertur a Grat. *diſt.* 68. *c.* 4. illam poſſe adſcribi Leoni III. cenſet Quenellius.

193. Septimo, Joannis I. epiſtolam decretalem *ad Zachariam Archiepiſcopum* de non accenſendis Epiſcopis nota conſularis adſcripta, alii que multa ſuppoſititiam, & ab Iſidoro fabricatam eſſe evincunt, monente Labbæo, & conſentit ipſe Binius. Ejus fragmenta plura ſunt in Gratiano ſub nomine Euſebii 2. *q.* 7. *c.* 13. & ibidem *q.* 2. *c.* 4. & 3. *q.* 1. *c.* 4. & *c.* 3. præcedente ſub nomine Joannis I.

194. Octavo, Bonifacii II. Ep. *ad Eulalium Alexandrinum Epiſcopum* falſam & adulterinam, & Eccleſiæ ſumme injurioſam proclamant Bellarminus, Baronius, aliique, unamque eſſe ex impudentiſſimis hujus Pſeudo-Iſidori commentis oſtendit, & promerito exagitat Baronius ad *a.* c. 530. & in notis ad Martyrologium R. ad 16. Octobris, pag. 705. Fragmentum eſt apud Gratianum *diſt.* 89. *c.* 7.

195. Nono, literas Joannis III. *ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ* adulterinas omnes docti cenſent, nec ipſe, Baronio præeunte, auſus eſt refragari Binius, ait Labbæus in nota marginali *tom.* 5. *concilior. col.* 823. Occurrit fragmentum apud Gratianum 8. *q.* 1. c. 1.

196. Decimo, Epiſtolam *ad Secundum incluſum* S. Gregorio vel integram ſuppoſuit Pſeudo-Iſidorus, vel ſaltem variis aſſumentis interpolavit; atque inter alia decretum de recipiendis lapſis Sacerdotibus relatum a Grat. *diſt.* 50. c. 16. huic epiſt. aſſutum eſſe erudite oſtendit Petrus Guſſanvillæus in notis ad dictam ep. *lib.* 7. *indict.* 2. *ep.* 54.

197. Plura quidem in hac collectione ſuppoſititia obtruduntur, at hæc ſpecialiter indicare placuit; ut canonum Studioſi Gratiani decreto incumbentes apocrypha a ſinceris vetuſtatis monumentis ſecernere queant; præſertim quia & Correctores Romani ſuppoſitionis harum mercium notitiam nullam habuiſſe videntur, aut ſaltem eam nec verbo inſinuarunt, ut patet manifeſte ex literis Bonifacii II. & Joannis III. N. 194. & 195. relatis, quas, licet nunc ab univerſo eruditorum orbe unanimi conſenſu reprobentur, illi tamen non notarunt.

§. VI.
De Capitulis vulgo Hadriani.

198. HÆc capitulorum collectio prodiit ad ſæculi VIII. finem, videlicet a. 785. ut ſcribit Hincmarus Rhem. *in opuſc. adverſus Hincmarum Laudun.* c. 24. eamque pleræque editiones repræſentant ſub hoc titulo: *Hadriani Papæ capitula, quæ ex Græcis & Latinis canonibus, & ſynodis Romanis, atque decretis Præſulum ac Principum Romanorum ſparſim collecta ſunt, & Ingilramno Mediomatricæ Urbis Epiſcopo Romæ a Beato Hadriano Papa tradita ſub die 13. Kalendas Octobris, indictione IX. A. vero C.* 785. ut ſuſpicatur Antonius Auguſtinus. Ex quo titulo habemus materiam hujus collectionis. In cujus diſpoſitione nec ordo temporum, nec argumentorum ſervatus, cum non ſit integra canonum collectio, ſed epitome. Exſtant hæc capitula cum notis ejuſdem illuſtriſſimi Præſulis apud Coletum *tom.* 8. *Concil. a pag.* 597. cum hac Sirmondi admonitione; *Qui ſequuntur Hadriani Canones, & decreta, ſeu ſententiæ --- in poſtrema editione, quæ Antonii Aug. notis illuſtrata eſt, ita diſtincta atque diſtributa ſunt, ut 72. capitulis comprehendantur. Cæterum 80. numero fuiſſe conſtat. Hoc enim priores editiones titulo ſuo teſtantur, & Gratianus, aliique canonum Collectores, cum horum Canonum teſtimonio utuntur, eundem numerum agnoſcunt. Quare, quoniam in exemplaribus quoque noſtris confuſi, & ſine numerorum notis erant, priſtinum numerum, id eſt octogenarium ex conjectura reddimus.*

199. Quis ſit author horum capitulorum, ſicut an epiſtolæ decretales veterum Pontificum ex his capitulis, an potius hæc capitula ex illis epiſtolis ſint conflata, ſupra N. 182. jam viſum eſt. Sed quidquid ſit de primo, ſitne Hadrianus I. an Ingilramnus horum capitulorum collector dubitari nequit, quin hæc collectio, licet Ingilramnum Authorem habuiſſet, Hadriano non tantum fuerit oblata, ſed etiam benigne ac gratioſe ab eo recepta: ut nec mirum ſit, ſi ſucceſſu temporis Hadriani nomine fuerit publicata.

200. Porro ſicut decretales illæ veterum Pontificum faventibus ſummis Pontificibus, & nonnullis Epiſcopis ſumma veneratione ſuſceptæ fuere, & in authoritatem tranſiere, ut ſuperius dictum eſt, ita quoque hæc capitula, multa cum iiſdem communia habentia, tantam venerationem ſibi conciliarunt, ut etiam nonnunquam Epiſcopi eadem ſibi & Eccleſiis ſuis pro lege obſervanda propoſuerint; inter quos ſpecialiter nominandus venit Hincmarus Laudunenſis. Earundem authoritatem ſtuduit infringere Hincmarus Rhemenſis, qui propterea Hincmari Laud. ſubſcriptionem his capitulis factam vellicat *c.* 36. *opuſc.* adverſus eundem editi.

201. Plurima ex his, quæ in laudatis capitulis occurrunt, decreto Gratiani inſerta ſunt. At e multis colligitur, Gratianum illa non ex hac capitulorum collectione ſumpſiſſe, ſed ex variis canonum collectoribus. *Primo*, quia nunc ſub uno, nunc ſub alio titulo proponuntur. *Secundo*, quia ſegmenta horum capitulorum ſæpe valde mutile ac confuſe refert. *Tertio*, quia interdum plura fragmenta ex variis his capitulis deſumpta in unum conflat; eaque conflatione & ſenſum obſcuriorem, & a textu originali aliquando plane diſſonum efformat. *Quarto*, quia neſcivit, aut certe non advertit hæc capitula eſſe deſumpta, aut materiam eandem habentia cum decretalibus veterum Pontificum; nam 4. q. 6. c. 3. verba refert ex ep. Felicis Papæ, quæ canone 4. repetit ſub nomine Hadriani Papæ; ſub quo nomine ut plurimum hæc capitula laudat; nunquam vero in fronte canonum ex his capitulis relatorum Ly *capitula* nominat, ut monet Baluzius; in canone enim 40. 2. q. 6. ubi in editione Romana correcta legitur: Hadrianus Papa ait in *capitulis a ſe collectis cap.* 44. hæc poſteriora per correctores ſunt addita, cum antea ſimpliciter legeretur; *unde Hadrianus Papa ait*. Hinc quiſque facile colliget, quam utilis ſit ad intellectum canonum in decreto Gratiani relatorum hæc capitulorum notitia, ac inſuper ſcire, quæ horum ſit authoritas; ut & ſenſus canonum Gratiani haberi poſſit, & ſtatui, quam vim obligandi habeant, cum hæc major eſſe nequeat, quam ſit ipſorum fontium, unde deſumpta ſunt, uti infra agendo de Decreto Gratiani monſtrabitur.

§. VII.
De Capitularibus Regum Francorum.

202. CApitularia Regum Francorum hoc potiſſimum nomine donata ſunt, quod in publicis comitiis vel ſynodis Epiſcoporum & populi conſenſu ab ipſis Principibus ederentur, in iis præſertim caſibus, pro quibus in legibus Francorum nulla habebatur diſpoſitio. Unde doctiſſimus du Freſne in ſuo Gloſſario verbo *capitularia*, hæc capitula ait fuiſſe *legum appendices* & additamenta, eaque in ſynodis ſancita. Quamvis iiſdem cæteroquin ad *veram* rationem *legum* nil defuerit.

203. Hæc capitularia ut plurimum in generali Procerum tam Eccleſiaſticorum, quam Laicorum conventu edita fuiſſe ſat aperte colligitur tum ex Carolo M. *lib. 6. capitular. c.* 372. & Carolo Calvo in capitulari apud Cariſiacum a. 837. c. 8. tum clarius ac latius ex ejuſdem capitularis ibidem a. 877. habiti c. 2. Ex quo docemur, in his conventibus adſuiſſe cum ipſo Principe Epiſcopos, & cæteros fideles, id eſt Abbates, Duces, Comites, alioſque Proceres, uti legitur in præfatione c. 2. a. 813.

204. Ex his patet magnam horum capitularium etiam in cauſis Eccleſiaſticis fuiſſe authoritatem, paremque iis cum ſacris Conciliorum Canonibus honorem ab Epiſcopis delatum fuiſſe ſat innuit præfatio Epiſcoporum, qui a. 881. apud Marſyrium S. Mariæ convenerunt, quæ exſtat apud Coletum *tom.* 11. *pag.* 509. Quin uno verbo Epiſcopi Gallicani capitularia vice Canonum habebant; nam Herardi Turonenſis Archiepiſcopi capitula, quæ conſtat ex libris capitularium Regum Francorum eſſe excerpta, dicuntur *excerpta ex corpore ſacrorum Canonum*. Verum nihil eſt, quod capitularium authoritatem amplius commendare poſſit, quam illud, quod ex epiſt. Leonis IV. poſt Ivonem refert Gratianus *diſt.* 10. *c.* 9. ubi ait: *De capitulis vel præceptis imperialibus veſtris, & veſtrorum Pontificum prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſervandis, quantum valuimus Chriſto propitio, & nunc & in ævum nos conſervaturos omnibus modis profitemur. Et ſi fortaſſe quilibet vobis aliter dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatis eum pro certo mendacem.*

205. Anſegiſius Abbas vulgo Lobbienſis circa A. 827. Caroli M. & Lodovici Pii capitula diverſis temporibus edita, ac ſparſim in membranis aſſervata primus in unum corpus collegit, eaque in 4. libros digeſſit; duobus libris comprehendens ea, quæ pertinent ad legem Eccleſiaſticam, & duobus ea, quæ pertinent ad legem mundanam; atque ſemper in primo libro Caroli M. & in ſecundo Ludovici Pii capitula complectens; uti expreſſis terminis habet in præfatione. Hanc collectionem Ludovicus Pius ſuam fecit, & Carolus Calvus eam, tanquam publicum legum Francicarum codicem laudat in capitularibus poſt A. 827. editis.

206. Anſegiſius plurima Caroli M. & Ludovici Pii capitula omiſerat, nec conſtitutiones Pipini, & Carolomanni ſuæ collectioni intulerat, quarum tamen frequens uſus erat; quapropter Benedictus Levita Moguntinenſis juſſu Autgarii illius Metropolis Archiepiſcopi novam, ac uberiorem Capitularium collectionem ex ſcriniis Moguntiacis circa A. 845. adornavit, eamque in tres libros diſtributam nobiliſſimis Ludovici Pii Imperatoris Filiis Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus dedicavit.

207. Materiam hujus collectionis, ejuſdemque diſpoſitionem ipſe in præfatione aperit; & ſecundum illam primo loco ponit nonnullos verſ. in laudem horum Principum; deinde libro I. comprehendit ea capitula, quæ circa controverſiam edita eſſent a Regibus Francorum in publicis conventibus; ac ſubinde duobus poſterioribus ea complexus eſt, quæ Principum juſſu ab Epiſcopis, aut viris doctis excerpta erant ex ſacris ſcripturis, Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, ex dictis SS. Patrum, ex conſtitutionibus ſynodalibus, ex codice Theodoſiano, ſeu Aniani interpretationibus, Pauli ſententiis, Julii anteceſſoris novellis, codice legum Wiſigothorum, ex lege Salica, ex lege Ripuariorum, ex lege Bojuariorum; ex his enim Benedicti collectio conflata eſt, confuſe ſane facta, nullo ſervato temporum ordine, & aliis mendis laborans; nec tamen culpandus eſt vir ille, cujus labore & induſtria ex ſchedulis confuſis ſcriniorum Eccleſiæ Moguntiacæ nobis conſervata ſunt temporum illorum pulcherrima, & utiliſſima monumenta, prout ea invenire potuit. Quibus tamen intermiſcuit permulta ex epiſtolis apocryphis Veterum Romanorum PP. de quo vide ſupra N. 183. & alia quædam incerta, ac ipſa Patrum loca mutila interdum refert. Ut proin horum capitularium fides quidem nos certos reddat de eo, quod ſæculo illo moribus obtinuit, aut creditum fuit; primitivam tamen Eccleſiæ diſciplinam magno cum delectu ex iiſdem colligere debeamus.

208. Hæc Benedicti collectio mox recepta fuit, atque 4. libris Anſegiſii Abbatis aſſuta. Cum illis hodie conſtituit 7. libros capitularium Regum Francorum, ita ut primus liber Benedicti ſit ordine quintus. Poſt quos hodie ſequuntur 4. additiones. Quorum omnium abſolutiſſimam editionem A. 1677. adornavit doctiſſimus Stephanus Baluzius.

209. Quantopere horum capitularium lectio conducere queat ad moderni juris canonici notitiam, advertet is, qui pervolvendo decretum Gratiani videbit, quam multa in eo ex capitularibus paſſim occurrant, quæ ex iiſdem dilucidari debent. Eoſdem enim defectus commiſit in referendis his capitularibus, quos ſupra N. 201. occaſione capitulorum Hadriani notavimus. Quibus occurrere ſtuduerunt Correctores Romani, qui proinde emergente caſo conſulendi erunt.

§. VIII.
De Collectione Reginonis Abbatis.

210. COllectionem hanc ſub initium ſæculi X. Regino Abbas monaſterii Prumienſis Ordin. S. Benedicti in Diœceſi Trevirorum, jubente Rathbodo Trevirenſium Archiepiſcopo, adornavit, cum æmulorum inſidiis, & injuriis auctoritate Principis Abbatiali dignitate cedere coactus, ſimplicem Monachum ageret, teſte Trithemio in chronico Hirſaugienſi.

211. Titulum operi præfixit ſequentem: *Incipit libellus de Eccleſiaſticis diſciplinis, & Religione Chriſtiana, collectus ex juſſu D. Metropolitani Rathbodi Trevericæ Urbis Epiſcopi a Reginone quondam Abbate Prumienſis monaſterii, ex diverſis Sanctorum Patrum Conciliis, & Decretis RR. Pontificum feliciter in nomine Domini. Amen.*

212. Hanc materiam ordine argumentorum non vulgari artificio digeſſit: opus namque diviſit in duos libros; in quorum primo tractat de rebus, & Perſonis Eccleſiaſticis, in ſecundo de vita, & converſatione Laicorum; ut ipſemet docet in præfatione libri ſecundi. Deinde in fronte libri I. ponit *inquiſitionem*, ſeu formulam inquiſitionis, ſecundum quam Epiſcopi interrogare debebant de vita, & converſatione Clericorum; ſub initium vero ſecundi *inquiſitionem* ab Epiſcopo faciendam contra Laicos. His generalibus inquiſitionis regulis poſtea ſubjicit authoritatem canonicam, id eſt canonum, aliarumque ſanctarum inſtitutionum auctoritatem, quibus fulciri, & probari queant capita, quæ in utraque *inquiſitione* continentur. Inter quas frequenter citat epiſtolas Romanorum Pontificum, quas vere illorum eſſe conſtat: at veterum Pontificum Pſeudodecretales ab Iſidoro confictas raro; ut vel inde appareat, Reginonem non magni eas feciſſe.

Hoc Reginonis opuſculum, quod merito inter collectiones canonum reponitur, poſt Hildebrandi Helmeſtadienſis de A. 1659. factam editionem, vulgavit, ac notis illuſtravit doctiſſimus Baluzius.

213. Hæc collectio imprimis ſtudioſis loco compendii ſervire poteſt, in qua compendioſe pleraque diſciplinæ Eccleſiaſticæ puncta variis canonibus, & teſtimoniis aſſerta videant. Inſuper ſubſervit, ut reperiantur fontes aliquorum, quæ apud poſteriores collectiones reperiuntur; plura enim Burchardus, de quo §. ſequenti, ex Reginone derivavit: Burchardo autem Gratianus, & decretalium collectores frequenter uſi fuere, ejuſque fidem ſecuti ſunt, ut infra oſtendetur.

§. IX.
De Decreto Burchardi Epiſcopi Wormatienſis.

214. B*Urchardus ex Monacho Lobienſis monaſterii Ord. S. Benedicti Epiſcopus Wormatienſis in Germania, Alberti Gemblacenſis Abbatis apud Lobias quondam auditor, atque diſcipulus; cujus in canone ſit mentio 73. diſt. c. 2. in nomine Domini; vir in divinis ſcripturis ſtudioſiſſimus, & valde eruditus, ſcripſit ex ſententiis Sanctorum Patrum, & generalium Conciliorum, atque Summorum Pontificum magnum, & inſigne opus poſt Iſidorum, videlicet Decretorum, quod diviſit in libros XX.* ſcribit Trithemius in *libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*.

215. Hoc volumen, quod hodie per abuſum ad exemplum fortaſſis *decreti* Gratiani vocatur *decretum* Burchardi, aggreſſus fuit Burchardus hortante, & urgente Brunchone Wormatienſi Eccleſiæ Præpoſito, ut ipſe refert in ep. operi præfixa, & Præpoſito inſcripta. Motivum, cur laudatus Præpoſitus ad obeundam hancce Provinciam eundem adhortatus fuerit, & urſerit, in eadem præfatione exponit; quod nempe canonum jura, atque pœnitentiarum formæ in ſua Diœceſi valde eſſent confuſæ, & inter ſe diſcrepantes, atque magnopere neglectæ; unde fiebat, ut pœnitentibus non facile ſubveniretur; cui malo proinde hac ſua compilatione occurrere voluit.

216. Opus itaque ſuum in 20. libros diſtribuit, atque unicuique ſuam materiam attribuit, ſingulorumque librorum indicem, & ſummam in fronte ſui operis præmittit. De quo Antonius Aug. *in opuſculo de collectoribus canonum c.* 27. ita loquitur: *Laudanda eſt Burchardi maxima diligentia in colligendis variis ſententiis ex Conciliis, & Decretis Pontificum Romanorum, & aliis ſcriptis SS. Virorum. Item ex Imperatorum, & Regum ſanctionibus, aliiſque libris. Laudo etiam ejus prudentiam in diſcernendis, & ſeparandis rebus, de quibus agitur: quamvis alius fortaſſe ordo aptior inveniri potuiſſet, tamen hic ipſe ab eo excogitatus non eſt inutilis &c.* Hoc unum dolendum Burchardum pro ſæculi ſui obſcuritate & incuria nullum penes habuiſſe ſcriptorum delectum; ſed omnia, quæ ſuo ſcopo videbat congruere, in unum congeſſiſſe; opuſque ſuum multis apocryphis, & falſis inſcriptionibus implevisse.

217. Quod inde factum eſt, quia ea erat ſæculi, quo floruit Burchardus, miſeria, ut authenticum crederetur fere, quidquid in canonum, aut aliorum monumentorum collectionibus inveniebatur. Hinc in more poſitum erat, non ad ipſos fontes recurrere, ſed ſolas canonum collectiones revolvere; & quidquid in iis pro materia, quam tractare volebant, opportunum videbatur, tanquam authenticum arripere; uti recte notavit Antonius Aug. & decretum Gratiani correctum demonſtrat.

218. Quapropter cum ætate ſua famoſa eſſet Iſidori Mercatoris collectio, ea ſine diſcretione uſus eſt, & fragmentis epiſtolarum apocrypharum Veterum RR. Pontificum, aliorumque ſuppoſititiorum monumentorum volumen ſuum implevit. Ex Reginone etiam notante Baluzio 670. circiter capita ſine omni criterio defloravit; & conſequenter omnia illius menda in ſuam collectionem tranſtulit; quin ex malo intellectu Reginonis plurimos errores proprios addidit.

219. Hinc factum, ut quemadmodum Burchardus neglectis fontibus rivulos, & ſtagna conſuluit; ita qui poſt Burchardum canones colligere inſtituerunt, Burchardi fidem ſecuti, plurima ab ipſo collecta in ſuas collectiones tranſtulerint. Et quidem Gratianum in multis ſimpliciter Burchardi fidem ſecutum fuiſſe, eoque ex capite in multiplices errores incidiſſe, a multis jam pridem annotatum eſt, & videri poteſt in notis correctorum RR. Quod vero ad Collectores Decretalium attinet, hi non tantum Burchardi fidem in referendis canonibus, & decretis ſecuti ſunt, ſed & nomen ejuſdem aut operis laudarunt, nomen quidem ſub literis B. aut corrupta voce *Brocard*, uti conſtat tum ex Bernardo Papienſi authore primæ collectionis Decretalium *lib.* 4. *de ſponſa duarum* c. 2. tum ex B. Raymondo eodem *lib.* 4. *de ſponſa duarum c.* 2. volumen vero ſub nomine *Brocardicorum*, quod etiam ſub iſto vocabulo invaluit.

§. X.
De Collectione Ivonis Epiſcopi Carnotenſis.

220. T*Eſte* Sigeberto de Viris Illuſtribus *c.* 168. Ivo Carnotenſis Epiſcopus, qui ſæculi XII. initio obiit, præter alia *compoſuit etiam inſigne volumen canonum*. Duplex autem ſub ejus nomine hodie exſtat canonum collectio, una quæ vulgo dicitur *Decretum D. Ivonis Epiſcopi Carnotenſis*, cum tamen vetus titulus ab ipſo authore in prologo operis expreſſus eſſet: *Excerptiones Eccleſiaſticarum Regularum*. Quem titulum multo convenientiorem eſſe moderno nemo non videt. Altera collectio inſcribitur *Panormia*, ſeu *Panomia Ivonis*, id eſt ſumma, ſive compendium legum, aut regularum in Decreto Ivonis contentarum; *Pan* enim græce latine totum, aut ſummam ſignificat, *nomos* vero græcis legem, *nomia* juſtitiam, & *norma* latinis regulam ſonat.

221. Dubitant eruditi, *an* ipſe, an aliquis alius Decretum ejuſdem compendiando Panormiam conſcripſerit? Probabilius tamen eſt, Ivonem ipſum Panormiæ eſſe authorem, prout conſtat ex ejuſdem Prologo eodem utrique operi ab eo præfixo. Decretum Ivonis primum typis evulgavit Molinæus a. c. 1561. Poſt hunc Fronto 1647. Panormia vero primum impreſſa eſt cura Sebaſtiani Brand 1499. Altera editio prodiit *a.* c. 1557. opera Melchioris *a* Voſmediano.

222. Fontes, e quibus opus ſuum hauſit Ivo, indicat ipſe in prologo utrique operi præfixo. *Excerptiones Eccleſiaſticarum regularum*, inquit, *partim ex epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum, partim ex inſtitutionibus Catholicorum Regum nonnullas in unum corpus adunare curavi*. Ex quo habetur materia hujus codicis, qui teſte Molinæo in præfatione ejuſdem parum vel nihil ſcientiæ Pontificiæ poſt Decretum Burchardi præſtat, ſi duo excipias. Unum, quod contra hæreſim Berengarii, ſuo tempore exortam, Ivo parte 2. decreti, & parte 2. Panormiæ, multas Conciliorum, Patrumque ſententias referat ad confirmationem dogmatis Catholici de reali præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia; quarum nulla apud Burchardum occurrit; ſed eas poſtmodum ex Ivone Gratianus in ſuum decretum tranſtulit. Alterum, quod in Ivone & non in Burchardo reperitur, eſt conjunctio Juris Civilis cum Canonico. Ivo enim parte 15. ſui decreti, & parte 5. Panormiæ *c.* 43. & ſequentibus tractans de cauſis & negotiis Laicorum multa adfert ex

libris juris civilis, cum Burchardus ejuſdem ne quidem meminerit, niſi quod ſemel iterumque codicis Theodoſiani teſtimonio uſus fuerit; adeo ut Ivo primus credatur, qui in Occidente Jus civile cum canonico conjunxit; quem ſecuti fuerunt Gratianus, aliique poſteriores canonum, & decretalium collectores.

223. Hanc materiam decreti, ſeu potius ipſum decretum in 17. partes ſive titulos diſtribuit Ivo, adeoque ſervat ordinem argumentorum, quem etiam ſervat in Panormia; at huic viro, cæteroquin erudito ex ſui temporis miſera conditione pariter accidit, quod non ex fontibus, ſed ex ſtagnis hauriendo, Apocrypha in ſuam collectionem intulerit, quamobrem etſi plurima, eaque graviſſima venerandæ antiquitatis complectatur monumenta, cum delectu tamen ſunt legenda.

224. Si quis Panormiam Ivonis cum Gratiani decreto contulerit, Gratianum ex hoc libro pleraque, & quidem eodem ordine, ut loquitur Ant. Aug. ſumpſiſſe apparebit. Hinc, ſi fontes eorum, quæ apud Gratianum relata ſunt, reperire deſideras, frequenter, ni Ivonis opus conſulas, fruſtra quæres. Cujus rei plurima exempla occurrent Lectori, ſi Gratiani ſententias ſive canones poſt correctionem Rumanam attenderit; quas ex Ivone depromptas, & ad verbum ſæpe deſcriptas deprehendet; ut non immerito gloriatus fuerit Joannes Molinæus, quod adepto Ivonis opere, repurgando Gratiano, ejuſque ſententiis ad fontes ipſos reducendis, ſummum ſenſerit ſubſidium.

§. XI.

De variis collectionibus decretalium factis quidem poſt Decretum Gratiani, ſed corpori Juris, quo hodie utimur, non illatis.

225. QUinque decretalium collectiones poſt compilationem Gratiani uſque ad collectionem decretalium Gregorii Papæ IX. prodierunt; quæ ſicut & hæ citari ſolebant per voculam *extra*, eo quod collectæ eſſent ex iis, quæ *extra* Decretum Gratiani *vagabantur*. Primæ Author eſt Joannes *Circa* Præpoſitus Papienſis, quam ipſe *Breviarium extra* ſive extravagantium appellat ex ratione mox data.

226. Materia hujus collectionis præter antiqua a Gratiano omiſſa monumenta, ſunt RR. Pontificum epiſtolæ decretales & decreta, ſignanter Alexandri III. & decreta concilii Lateran. III. & Turonenſis III. Ordinem librorum & titulorum eundem pene ſervat, quem Gregoriana.

227. Secundæ, quæ 12. circiter annis primam inſecuta eſt, Author eſt Joannes Gallenſis, ſive Vallenſis; conſtatque ex eorundem Pontificum decretis in prima omiſſis, quibus quaſdam Cœleſtini III. decretales adjunxit: antiquiorum quoque nonnulla a Gratiano prætermiſſa immiſcens. Habet eundem cum prima ordinem, niſi quod illa multo prolixior ſit, quam hæc.

228. Tertiam collectionem (rejecta illa, quam Bernardus Compoſtellanus ex regiſtris Innocentii III. uſque ad a. 13. ſui Pontificatus concinnavit) authoritate ejuſdem ſummi Pontificis fecit Magiſter Petrus Beneventanus ejuſdem Notarius. Hæc collectio notante Auguſtino prima fuit, quæ auctoritate publica facta eſt. Materiam ejuſdem conſtituunt ſolæ epiſtolæ Innocentii III. ex ejuſdem regiſtris defloratæ; atque eundem cum præcedentibus ordinem ſervat.

229. Elapſo quinquennio ab edita tertia collectione, quarta prodiit; eidem concinnandæ occaſionem præbuit Concilium Lateranenſe Generale IV. in quo idem Pontifex Innocentius III. capita 72. ediderat: ſed & illo quinquennii ſpatio poſt tertiam collectionem aliquot ediderat conſtitutiones; atque ita duplex editio exſtat, ait Ant. Aug. *in proœmio de antiquis collectionibus: altera canones ejuſdem concilii tantum continet, alia alias quoque conſtitutiones*; monetque, in hac collectione poſteriore, quam ſolam edidit, *permulta eſſe, quæ in ſuperioribus collectionibus duriora aut obſcuriora videbantur, mutata rectius, & maxima cum prudentia atque æquitate moderata*. Idem rurſus hujus collectionis atque præcedentium librorum & titulorum ordo.

230. Honorius III. immediatus ſucceſſor Innocentii III. in multis eum imitatus, epiſtolas edidit decretales 10. libris comprehenſas, juxta numerum 10. annorum, quibus Eccleſiam rexit; quemadmodum Innocentius III. juxta 16. annos ſui Pontificatus, in totidem libros ſuas epiſtola digeſſerat.

231. Collectionem hanc ordine quintam ad exemplum anteceſſoris ſui, ſervato ſimili librorum ac titulorum ordine e ſuis epiſtolis confici juſſit Honorius; ac per Magiſtrum Tancredum Bononienſem Archidiaconum, quemadmodum Innocentius, ſolemniter publicari fecit, atque publicatam ab omnibus recipi tam in judiciis, quam in ſcholis; prout conſtat ex ep. ejuſdem Tancredi, quæ conficit primum capitulum hujus collectionis.

232. Omnes has collectiones edidit, notiſque illuſtravit Ant. Aug. præter ultimam, cujus, etſi jam pridem canonum interpretes meminerant, exemplar non fuiſſe nactum veroſimile eſt. Primus itaque eam ex vetuſtis MSS. Bibliothecæ Albienſis a. c. 1645. evulgavit, doctiſſimiſque ſcholiis illuſtravit Innocentius Cironius.

233. Præcipua harum decretalium utilitas eſt, quod ſubſidium grande adferant recto intellectui Decretalium Gregorii IX. quæ earundem compendium quoddam ſunt. Quapropter & Correctores Romani operæ pretium duxerunt, plurimis capitulis inibi occurrentibus, multa, & varia ex his veteribus decretalibus addere, quæ ibi notantur per Ly *& infra*, atque diſtincto charactere poſt ipſa capitula ponuntur.

CAPUT V.

De Collectionibus In Corpore Juris, quo hodie utimur, exſtantibus.

234. COrpus Juris Canonici, quo hodie utimur, ſex partes continet, videlicet: Decretum Gratiani, quinque libros Decretalium Gregorii Papæ IX., Sextum decretalium, Clementinas, Extravagantes Joannis XXII. & Extravagantes communes. De quibus jam ordine.

§. I.

De Decreto Gratiani.

235. AUctor hujus vulgo dicti *Decreti* eſt Gratianus Monachus Monaſterii SS. Felicis & Naboris Bononienſis, Ordinis S. Benedicti. Communis eſt opinio, illum hoc opus adornaſſe circa annum 1151. In pleriſque vetuſtis exemplaribus, inquiunt correctores Romani in præfatione, hæc tanquam inſcriptio rubris literis poſita eſt: *Concordia diſcordantium canonum*, *Decretorum collectanea* Demochares, & *decretorum canonicorum collectanea* Contius in ſuis editionibus rectius illud appellarunt, quam *decretum*; *cum*, prout loquitur Ant. Aug. *decretorum collectionem eſſe hanc, non unius decreti explanationem, nemo negaverit*. Interim vox hæc *Decreti* in ſcholis adeo invaluit, ut potius tanquam res modica a Prætore non ſit curanda, quam gratis impugnanda. Gratianus illud vocavit *concordiam diſcordantium canonum*; quoniam non tantum decretis colligen-

ligendis, uti Iſidorus, Burchardus, Ivo, alliqut antiqui canonum collectores fecerant, operam dedit; ſed eo potiſſimum incubuit, ut certis quæſtionibus propoſitis, quid in utramque partem ex canonibus, qui inter ſe nonnunquam pugnare videbantur, inquiunt Romani correctores in præfatione, dici poſſet, ipſe & afferret, & explicaret; omniumque eorum varietatem, quæ ſpeciem diſſenſionis habebat, *ad concordiam* revocaret. Titulus ergo ad intentum authoris ſic ſonat: concordantia *ad ſpeciem* diſcordantium canonum.

236. Hoc decretum e tribus potiſſimum tanquam materia conflatum eſt; videlicet I. ex conciliorum, Pontificumque decretis, Patrum, aliorumque auctorum Eccleſiaſticorum ſententiis, atque Regum ac Imperatorum Sanctionibus. II. Ex *paleis* ſeu illis, quæ non ſimpliciter, quemadmodum priora, nomine *canonis* exprimuntur. III. Ex propriis ipſius Gratiani verbis, quibus caſus, aut quæſtionis poſitionem, vel ſuam circa quæſtionem propoſitam opinionem, aut pro contraria opinione objectiones & argumenta expreſſit. Quid nomine *palea* ſignificetur, non convenit inter eruditos; veroſimilius eſt, canones hac inſcriptione inſignitos eſſe quaſdam additiones, non eodem tempore factas, quo prima Gratiani collectio prodiit; ſed poſtea margini adſcriptas, quæ deinceps vel librariorum, vel ſcriptorum incuria, aut ignorantia in textum irrepſerunt: ſunt quædam ex illis tam venerandæ, ut vile hoc nomen prorſus abhorreant.

237. Opus ſuum Gratianus in tres principaliores partes diviſit. *Prima* continet diſtinctiones 101. ſeu capita, aut ſectiones, quibus materiam diſtinctam proponit, & ſubjectis canonibus exponit. *Secunda* continet 36. cauſas; & ſingulæ cauſæ ſuas quæſtiones. Porro cauſæ ſunt quaſi totidem hypotheſes ſeu caſus poſitiones; quarum occaſione varias quæſtiones format, & proponit; quas frequenter in utramq; partem allegatis canonibus diſcutit, ſuam deinde ſententiam depromens. *Tertia*, quæ hodie ab aliquibus, propter tractatum de pœnitentia, qui ſecundæ partis cauſæ 33. poſt q. ſecundam interponitur, vocatur quarta, continet tractatum de conſecratione in quinque diſtinctiones diviſum.

238. Quid in ſingulis diſtinctionibus, cauſis, & quæſtionibus tractet Gratianus ſummatim hic exponerem, niſi in ipſo decreti initio dilucide extaret ſub hoc titulo: *Decretum abbreviatum ſingillatim cuncta attingens*. Hoc iſthic pro juris candidatorum ſublevamine annotare placet: quod in 1. parte decreti diſtinctiones dividantur in canones, & canones, ſi longiores ſint, in §§. & ſic citari ſoleant: *diſt. vel d.* 16. c. *placuit* 4. *vel* c. *placuit vel* c. 4. *vel* c. *placuit diſt.* 16. Lege: prima parte decreti, diſtinctione, quæ inter centum & unam eſt ordine 16. canone, qui incipit verbo *placuit*, & eſt ordine quartus. In ſecunda parte cauſæ dividuntur in quæſtiones, hæ in canones, & hi, ſi longiores ſunt, in §§. & ſic citantur: *Cauſa I. q.* 2. *c. Nullus. vel ſimpliciter* 1. *q.* 2. *c. Nullus* 1. *aut ſimpliciter nullus*, *aut* c. 2. Lege: Cauſa prima, quæſtione ſecunda, canone, qui incipit vocabulo *nullus*, & eſt ordine ſecundus. In eadem parte, ut mox notatum eſt, quæſtio 3. cauſæ trigeſimæ tertiæ dividitur in ſeptem diſtinctiones, quæ continent tractatum de pœnitentia; diſtinctiones dividuntur in canones, & hi, ſi longiores ſint, in §§. atque citantur ſicut diſtinctiones primæ partis, cum addito tamen iy *de pœnitentia*; v. g. *diſt.* 1. *de pœnitent.* c. *Petrus* 1. Sicque etiam dividitur, & citatur quarta pars decreti, cum addito iy *de conſecratione*. Ut *diſt.* 4. *de conſecr.* c. 4. *non poteſt.* *aut* c. 4. *d.* 4. *de conſec.* *aut de conſec. diſt.* 4. *c. non poteſt*. Seu qui incipit *non poteſt*, & eſt ordine 4.

239. Ordinem Decreti non adeo eſſe exactum paſſim notant eruditi, ſed id præſertim vitii quarum ad illum Gratiano exponunt eruditi, quod ſæpe leviſſima data occaſione filum ordinis abrumpat, & ad aliquid illuc non pertinens tranſiliat. Illuſtre illius exemplum accipe. In parte 3. decreti a cauſa 27. cœperat agere de matrimonio, cui 10. cauſas propter materiæ utilitatem, & vaſtitatem deſtinaverat: cauſa vero 33. hunc caſum proponit: *Quidam vir maleficiis impeditus uxori debitum reddere non potuit; alius interim eam clanculo corrupit: a viro ſuo ſeparata, corruptori ſuo publice nubit; crimen quod admiſerat, corde tantum Deo confitetur*. Occaſione horum finalium verborum format hanc quæſtionem: *Si ſola confeſſione cordis crimen poſſit deleri?* & hacce occaſione arrepta inter ſecundam, & quartam quæſtionem propoſiti de matrimonio argumenti, totum tractatum de pœnitentia late diſcutit, qui inſuper nulla facta diſtinctionum partitione in antiquioribus Gratiani exemplaribus uno contextu legebatur; ut poſt Antonium Contium monent Correctores RR. Quo abſoluto pergit fidenter in interrupto filo, & quæſtionem IV. iterum format de matrimonio.

240. Errata Gratiani in hoc decreto Ant. Aug. *lib.* 1. *dial.* 1. *de emendatione Gratiani* ad hæc præcipue capita reducit: 1. Quod ſæpe erratum ſit in nominibus hominum, Urbium, Provinciarum, conciliorum, & aliarum rerum. 2. Quod ſæpe falſæ inſcriptiones canonum occurrant, quarum aliquas ſupra, agendo de codice Martini Braccarenſis, & capitulis Hadriani, notavimus. 3. Quod multa Patribus, v. g. Ambroſio, Auguſtino &c. tribuantur, quæ aut nuſquam extant, aut aliena ſunt. 4. Quod ſæpe recte inſcripta non recte referantur; ſæpe enim, inquit, contrarias ſententias referri ſcimus, ſæpe valde præciſas. 5. Quod ea, quæ ex Græcis fontibus manant, ex variis interpretationibus afferantur, quaſi ſint aliorum ſcriptorum, ac ſæpe aliud græce, aliud latine ſignificent.

241. Poſtea eorundem fontes indicat, quorum I. eſt; quod Gratianus ex ſæculi ſui more, non ipſa concilia, aut regeſta Pontificum, neque alia ſanctorum Patrum ſcripta ob librorum penuriam (ut ajunt Correctores RR.) revolverit, & conſuluerit: ſed quæ in variis canonum aut ſcriptorum compilationibus reperit, ſine ullo diſcretionis examine in ſuam collectionem tranſtulerit: atque ita quidquid ab illis ex ignorantia, vel incuria, aut interdum ex propoſito erratum fuit, in ſuum codicem invexit. II. Quod, cum ea ætate nondum nota eſſet ars typographica, virorum eruditorum ſcripta amanuenſium opera communicari, ac divulgari deberent. Horum vero imperitia, & oſcitantia, aut nonnunquam audacia, & præſumptione, plurima ſæpe mutabantur, aut mutilabantur, aliaque ratione corrumpebantur. Hinc manuſcriptorum codicum frequens varietas. III. Quia nonnunquam, vel manuſcriptorum defuit copia, vel non vacavit, aut lubuit manuſcripta inter ſe conferre, quorum collatione errores deprehendi potuiſſent; unde factum eſt, ut ex uno manuſcripto vitiato errores ulterius fuerint propagati, atque etiam in Gratiani Decretum irrepſerint. In *quo* proinde *multa a parum æquis hominibus exagitabantur* (verba ſunt Correctorum RR. in præf.), *nonnulla pii etiam, & verecundi interdum deſiderabant*. Videlicet poſterioribus his ſæculis.

242. Nam (quod ſane mirandum eſt) hoc decretum (cujus Author omnino nec diligentiſſi-

 mus,

mus, nec accuratiſſimus, nec emunctiſſimæ naris ab omnibus eruditis non ſolum, ſed etiam ex ipſo opere defectuoſo notatus, & quantum poſſibile eſt, ex mox dictis, a cordatis pie excuſatur) præ omnibus reliquis præcedentibus canonum collectionibus tum ſtatim, ac ſubſequentibus ſæculis uſque ad XVI. habuit plauſum, ac ſucceſſum, ut præcedentibus omnibus tenebris obvolutis in omnium manibus verſaretur, multorum Doctorum illuſtraretur lucubrationibus, in judiciis omnibus adhiberetur, atque tum a Theologis, tum a Canoniſtis in pretio haberetur, ac in ſcholis caplicaretur. Ut habet Anton. Aug. *lib. 1. dial. 1. de emendat. Gratiani*.

243. Et ſane de Juriſtis per ſe patet, cum eorum commentarii vix ex alio, quam ex Gratiani decreto canones exhibeant. Theologi, præſertim antiquiores, auctoritates vix alias, quam ex Gratiano petitas, dum canones in ſubſidium adhibent, aſſumunt. At demum collectiones Decretalium Gratiano poſteriores ejus collectionem tanquam canonum corpus reſpexerunt, atque illa, quæ inibi inveniebantur, per vocem *ſupra*, quæ vero non, per vocem *extra* deſignarunt, ut conſtat ex notis Antonii Auguſtini ad collectiones decretalium §. præcedenti allatas. Omnes autem tum Juriſperitos, tum Theologos, tum collectores illorum ſæculorum nimium tribuiſſe authoritati hujus decreti, minuſque fuiſſe ſollicitos, num ea, quæ ex illo retulerunt cum ſuis originalibus correſponderent; conſtat vel ex eo, quod in illis paſſim occurrant ab ipſis ex Gratiano relata, nec virga cenſoria notata; quæ tamen a correctoribus Romanis ſæculo XVI. ſunt amendata; ut ab exemplis bene multis abſtineamus.

244. Duo autem potiſſimum opus iſtud privati cæteroquin Monachi recommendarunt, atque præ aliis collectionibus complectendum illius ætatis literatis perſuaſerunt. Primum eſt Methodus tractandi, & materia, quæ inibi tractatur; cum enim ſub idem tempus, quo decretum prodiit, exoriri cœpiſſet diſciplina tractandi, quam vulgo dicimus ſcholaſticam, quæ in argumentationibus, variiſque quæſtionibus in utramque partem diſcutiendis non parum occupatur: mire placuit Doctoribus illius temporis Methodus Gratiani N. 137. indicata, utpote ſcholaſticum tractandi modum multum redolens. Acceſſit, quod quantum ad materiam Gratianus præ reliquis canonum collectoribus jure civili Romanorum utatus, quod tum primum Bononiæ doceri & exponi cœpit; quo titulo Academiæ illius Doctoribus, præcipue Juris Conſultis Gratiani collectio præ reliquis placuit.

245. Alterum, quod ad diffundendam longe lateque hujus operis famam juvit, erat Academiæ Bononienſis tunc nomen celeberrimum; ad quam cum ex toto pene orbe Chriſtiano Juris candidati confluerent, atque in ea nihil præter decretum Gratiani prælegi audirent, illudque ut unicum Sacri Juris codicem conſuli, magnam illius æſtimationem naturaliter conceperunt, atque reduces in patriam aliis etiam inſtillarunt.

246. At ſæculo XVI. cum ab hæreticis pleraque Eccleſiæ Catholicæ antiqua monumenta allatrari cœpiſſent, Catholici Doctores ad ſtudium criticæ excitati ſunt; cumque ut loquuntur Correctores RR. L. ſupra 141. cit. multa in hoc decreto a parum æquis hominibus exagitarentur, nonnulla pii etiam & verecundi interdum deſiderarent; virga cenſoria operi, ad quod, tanquam ad inſtructiſſimum armamentarium paſſim & Theologi & Canoniſtæ recurſum habebant, a viris celeberrimis adhibita eſt, ut ejus ope a falſis inſcriptionibus & mendis purgaretur, Apocrypha a veris monumentis decernerentur; atque ita in meliorem ordinem formamque reduceretur.

247. Et quidem ante correctionem Romanam Antonius Contius & Antonius Demochares capita ſive canones in Decreto Gratiani numeris diſtinxerunt; cum hoc antea in illo a Lectoribus cum magno tædio deſideraretur; ac præterea plurimas addiderunt notas, quibus & veras canonum inſcriptiones, atque Apocrypha nonnunquam feliciter ſatis indicarunt. At eorum opera ad illud plene repurgandum minime ſuffecit.

248. Hinc Romani Pontifices rei amplitudinem conſiderantes, unaque expendentes, quam indecorum eſſet, ut volumen, quod majorem corporis Juris Canonici partem conficit, adeo eſſet mendoſum, ſeu ut loquitur Gregor. XIII. in Bulla Gratiano præfixa, *mendis & teſtimoniorum depravationibus pleniſſimum*: ex iiſdem Pius IV. & Pius V. ſelectis quibuſdam viris illius emendationem, atque correctionem commiſerunt; quæ demum ſub Gregorio XIII. qui primum Bononiæ Jus Canonicum fuerat interpretatus, ac poſtmodum a Pio IV. factus Cardinalis, pro eadem emendatione fuerat delectus, conſummata fuit a. c. 1580. *Qua diligentia illud factum eſt*, inquiunt Correctores hujus decreti in præfatione ſæpe laudata, *ut, cum jam pro magna parte ſuum unicuique tributum ſit, --- vix quiſquam errare, atque incerta pro certis ſequi, certa vero pro incertis ſuſpecta habere poſthac queat*. Et hinc eſt, quod Gregorius XIII. in Bulla in commendationem decreti Gratiani jam emendati edita, injungit omnibus Chriſti fidelibus, *ut quæ emendata & repoſita ſunt, omnia quam diligentiſſime retineantur, ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*.

249. Ex quibus authoritatibus eruitur primo, Correctores Romanos, etſi præpropera confidentia non aſſeruerint, ſe in opere vaſtæ adeo molis, & humanam pene effugientis diligentiam (qualis fuit Gratiani eiſdem injuncta ad fontes manuſcriptos, atque ex Bibliothecis conquiſitos, emendatio) nihil humani paſſos fuiſſe; cum dicunt in eo *magna ex parte* ſuum unicuique tributum fuiſſe; nihilominus aſſeverare, poſt factam ab illis correctionem vix *quemquam* impoſterum erraturum. Secundo, Gregor. XIII. etſi ſanctiſſime caverit, ne obvius quiſque pro libidine ſua decretum Gratiani tanta maturitate, diligentiaque emendatum, reemendare, ac typis ſubjicere præſumat; illum tamen nunquam vetuiſſe, ne viri eruditi poſthac notarent, quæ diligentiam Correctorum Romanorum, & ſuam fortaſſis effugerunt, atque rationibus ſtabilita judicio ſedis Apoſtolicæ ſubjicerent, ut loquitur in ſimili materia de Lectionibus II. nocturni Breviarii Romani, ſæpius licet virga cenſoria luſtratis quam Decretum Gratiani, SS. noſter Dominus Benedictus XIV. feliciter regnans, in opere ſupra tit. 1. N. 109. cit. pares enim mihi videntur duo hi Summi Præſules nunquam ſatis laudandi tam in deperitione veritatis, quam in hoc, ne ſimplex, & recta Chriſti Sponſa, quæ veritatis fundamentum, & columna eſt, Pſeudepigraphis, quibus nunquam eguit, nunquam egebit, oneretur magis, quam honoretur.

250. Hinc factum eſt, ut ex viris poſt decreti Romani correctionem laborioſiſſimis, & eruditiſſimis, illud emendare denuo, & ſic reemendatum typis vulgare quidem nullus præſumpſerit, plura tamen in eo notarint, quæ Correctorum Romanorum diligentiam licet maximam effugiſſe videntur, quæque eruditis partim omnibus, partim plurimis, ſunt vel certo, vel probabiliſſime apocrypha; inter quæ primo loco veniunt famoſæ illæ veterum RR. Pontificum a Clemente uſ-

ſte uſque ad Siricium Papam epiſtolæ, quas cap. præced. §. V. diſſertatione ſpeciali diſcuſſimus, quæ licet ſæpius occurrant in decreto Gratiani, a Correctoribus tamen non ſunt notatæ. Præterea Bellarminus *de ſcriptoribus Eccl. in Gratiano* apud me pag. 233. ſex notat loca ex iis Patrum monumentis deſumpta, quæ partim ipſo, partim Baronio judice ſunt ſuppoſititia, ea tamen intacta reliquerunt laudati Correctores. Præterea hoc ſæculo prodierunt plurimorum Patrum caſtigatæ editiones, in quibus tanquam ſuppoſititia ejecta fuere multa, quorum fragmenta ſub nomine illorum Patrum Gratianus retulerat, & Correctores Romani pro indubitatis habuere. Quæ hic veritatis, & Juris Candidatorum utilitatis gratia adnotare volui.

QUÆSTIO SCHOLASTICA.

An Decretum Gratiani Legalem authoritatem poſſideat?

251. **D**Ecretum Gratiani nullam publicam authoritatem a ſuo Authore poſſe mutuare, conſtat ex eo, quod & homo privatus fuerit, & nulla publica authoritate illud compilaverit. An autem Decretum hoc ante ſui correctionem, vel ſaltem poſt illam ex aliis titulis vim legalem obtinuerit, jam videndum eſt.

PROPOSITIO.

Decretum Gratiani nec ante, nec poſt correctionem Romanam vim codicis legalis obtinet.

252. **L**. *Arrianus ff. de obligat. & action.* habemus: *ubi de obligando quæritur, propenſiores eſſe debemus nos, ſi habeamus occaſionem, ad negandum*: atqui magnam habemus occaſionem ad negandum, quod decretum Gratiani vim obligandi legaliter totum orbem Chriſtianum non habeat; ergo negandum eſt. P. m. authoritate Rotæ Romanæ apud Pennam *decisione* 480. ubi ſe contra authoritatem Decreti Gratiani tuetur ex eo, quod ejus compilator *non legi condendæ authoritatem habuerit, nec ab aliqua Romana Pontifice liber ille tanquam authenticus, & legalis approbatus fuerit.* Addo ego, nec conſuetudine vim legalem eundem librum obtinuiſſe, id quod ex ſolutione argumentorum patebit.

Oppoſita expenduntur.

253. **O**Bjicies I. cum Molfeſio in ſumma *tom.* 1. *tr.* 9. *c.* 5. N. 73. Gelaſius Papa II. approbavit hoc decretum. Item Eugenius III. teſte Trithemio approbavit omnia contenta in decreto; ergo jam ante correctionem Romanam habuit legalem authoritatem.

Reſp. I. Quantum ad teſtimonium Gelaſii Molfeſium craſſe errare, ſi tamen ita habet, prout refertur a Reiffenſtuel *in proœmio Juris Canonici* N. 64. hic enim Gelaſius obiit a. c. 1119. & decretum Gratiani perfectum eſt ab ipſo vel A. 1151. vel 1152. nullus autem in catalogo RR. Pontificum poſt hunc alius reperitur Gelaſius; poſt mortem ergo ſuam decretum approbare debuit.

Reſp. II. Ad authoritatem Trithemii, illum ſolum eſſe, qui refert Eugenium III. ſub quo vixit Gratianus, hoc decretum approbaſſe; cujus tamen teſtimonium hodie ab omnibus rejicitur ut ſuſpectiſſimum, cum nec S. Antoninus in ſimilibus annotandis diligentiſſimus, nec Platina Scriptor vitarum RR. Pontificum accuratiſſimus ſimilis approbationis cum ullo alio authore coævo vel recentiori meminerit, nec ulli veterum Gratiani exemplarium MSS. præfixa inventa fuerit.

254. Obj. II. cum Cardinali Thuſco *lit. D. concl.* 110. N. 2. & 11. ubi ait: hodie temporibus noſtris fuit approbatum decretum, & contenta in eo ſunt leges canonicæ effectæ; ut in Bulla fel. rec. Greg. XIII. ergo ſaltem poſt correctionem Romanam, quæ hac Bulla præmunita eſt, Decretum Gratiani authoritatem codicis legalis obtinet.

Reſp. In illa Bulla non fuiſſe approbatum decretum, *ſed emendationem* ejuſdem duntaxat; dicit enim ibi Pontifex, *ut quæ emendata & repoſita ſunt, omnia quam diligentiſſime retineantur*, & ne putaremus retinenda eſſe per modum canonum, univerſaliter & indiſcriminatim obligantium, caute ſubnectit: *ita ut nihil addatur, mutetur, aut imminuatur*; privata ſcilicet authoritate, ut ſupra notavimus.

255. Obj. III. Cum Maranta. Decretum & legitur publice in ſcholis, & adhibetur in judiciis, & uſu populi communiter eſt approbatum; ergo vim codicis legalis habet.

Reſp. ad I. Ante Gratiani Decretum Panormiæ Ivonis uſus erat tum in ſcholis, tum in judiciis, & tamen nemo eidem vim codicis legalis adſcribit. Tam ergo ſcholæ, quam judices, ac populus, ſive docendo, ſive judicando, ſive uſu eam relatis in decreto Gratiani authoritatibus vim obligandi tribuerunt, quam habebant in fontibus, ex quibus illas Gratianus excerpſit; cum enim decretum nunquam fuerit authoritate Pontificia confirmatum, aliter ac dicto modo ſe contentis in illo obligare per conſuetudinem non intendebant, conſuetudo autem non operatur ultra intentionem inducentium illam. Secus eſt diſcurrendum (ut replicam præveniamus) de decretalibus, & pandectis civilibus, quæ licet a privatis compilatæ fuerint, quia tamen a ſupremis reſpectiva Poteſtatibus approbatæ fuerunt, eſto lis ſit quantum ad decretales, an legaliter pro toto mundo ſint promulgatæ, tamen uſu & conſuetudine vim legalis codicis obtinuerunt.

256. Relata ergo a Gratiano in ſuo decreto (id, quod per modum corollarii inferimus) majorem authoritatem non habent in illo ea, quam ſortiuntur ex fontibus, unde deſumpta ſunt. Et ita quidem decreta Summorum Pontificum, & conciliorum generalium univerſaliter obligant, nbi iiſdem per legitimam conſuetudinem, vel per conſtitutiones poſteriores non eſt derogatum. Secus tamen dicendum eſt de canonibus conciliorum particularium (niſi hi a Romano Pontifice, vel a ſynodo generali ſint approbati), item de fragmentis PP. de legibus civilibus, & magis de privatis Gratiani opinionibus, quæ inibi referuntur; hæc enim omnia menſura authoritatis ſuorum fontium metienda ſunt; ac inſuper notanda, quæ ſupra N. 250. retulimus.

257. Hoc unum hic adhuc notandum eſt, a Gratiano relata non mox ut apocrypha aut falſa rejicienda eſſe; eo quod hodie ſub nomine ſynodi, aut authoris, e quo Gratianus illa recitat, non reperiantur; cum certum ſit, multa vara fiſſe, quæ temporum vetuſtas nobis ſubtraxit, aut hactenus calavit. Quidni enim quædam Gratianus ſuo tempore vidiſſe potuit, quæ vel temporum injuria perierunt, vel hactenus ſub pulveribus Bibliothecarum deliteſcunt? Sobrie ergo in tanto conflictu authoritatum circa decretum Gratiani correctum agendum erit candidato Juris Eccleſiaſtici, ita nempe, ut authoritati Correctorum & tanti Pontificis, qualis fuit Gregorius XIII. reverentiſſime plurimum deferat, ac veritati operetur, aut fortaſſis reperiendæ palmam demum conferat.

§. II.

De Decretalibus Gregorii Papæ IX.

258. **Q**Uamvis poſt Decretum Gratiani, tum privatorum opera, tum Pontificum Romanorum authoritate decretales co-

rundem Pontificum, eorumque in conciliis, ſive extra editæ conſtitutiones variis temporibus in unum collectæ fuerint; ita ut quinque ejuſmodi hoc temporis intervallo, videlicet ab editione Decreti Gratiani uſque ad Greg. IX. tempora prodierint, ut capite præced. §. XI. monſtratum eſt: omneſque, tametſi duæ priores publica authoritate non eſſent confectæ, aut probatæ, in ſcholis fuerint prælectæ, atque Doctorum commentariis illuſtratæ; nihilominus in corpus juris, quo hodie utimur, non ſunt relatæ; ſed in eorum locum præſens collectio, quæ eſt quoddam illarum veluti compendium, ſucceſſit, atque in eodem corpore canonico ſecundum ſibi locum vendicat.

259. Occaſionem motivam, atque authorem hujus collectionis indicat ipſe Gregorius IX. in epiſtola confirmatoria eidem præfixa, quæ incipit; *Rex pacificus &c.* ubi ita habet: *Sane diverſas conſtitutiones & decretales Epiſtolas prædeceſſorum noſtrorum in diverſa diſperſas volumina, quarum aliqua propter nimiam ſimilitudinem, & quadam propter contrarietatem, nonnulla etiam propter ſuam prolixitatem, confuſionem inducere videbantur: aliqua vero vagabantur extra volumina ſupradicta, quæ tanquam incerta frequenter in judiciis vacillabant: ad communem & maxime ſtudentium utilitatem, per prædictum Filium F. Raymundum Capellanum, & pœnitentiarium noſtrum, illas in unum volumen, reſecatis ſuperfluis, providimus redigendas, adjicientes conſtitutiones noſtras, & decretales epiſtolas, per quas nonnulla, quæ in prioribus erant dubia, declarantur.* Quo loco etiam fontes, e quibus laudata collectio a S. Raymundo Ordinis Prædicatorum ipſo mandante confecta eſt, indicat.

260. Quorum primus ſunt diverſæ Pontificum epiſtolæ decretales, & conſtitutiones, *quæ in diverſa volumina*, ſeu in prænominatas quinque collectiones jam tum erant diſperſæ; deſumpta ergo magna ex parte eſt hæc collectio ex quinque præcedentibus decretalium collectionibus; cum autem in illis non tantum Pontificum conſtitutiones, & decretales epiſtolæ continerentur, ſed inſuper nonnulla ex ſcriptura ſacra, antiquis conciliis, & ſanctis Patribus, etiam in hac Gregoriana plurima ſub eorum nominibus reperiuntur. Secundus ſunt, ut dicitur in eadem epiſtola decretalibus præfixa, epiſtolæ decretales, & conſtitutiones Pontificum prædeceſſorum Gregorii, quæ extra ipſas veteres decretalium collectiones vagabantur; quæ ob id tanquam incertæ in judiciis frequenter vacillabant. Tertius denique ſunt decretales & conſtitutiones variæ ipſius Gregorii, uti eadem ep. teſtatur. Circa quas ex Cujacio Juris Conſulto *ad cap. ultimum extra de re judicata*, notandum venit, Gregorium IX. ex fine in cit. ep. indicato, ut nempe nonnulla ex ſuis decretalibus, quæ in prioribus erant dubia, declararentur, ex jure civili ultro, non addictum Conſultoribus ullis vel litigatoribus, pleraque ſumpſiſſe, & interuiſſe, *qua fit, ut in ejus conſtitutionibus plerumque nemo inſcribatur, ad quem conſtitutiones dirigantur.* Veram eſſe hanc Cujacii reflexionem patebit eas inſpicienti. Et hæc materia hujus collectionis.

261. Quantum ad formam, ſive ordinem hujus collectionis, ea dividitur in V. libros, libri in titulos, hi in capitula, hæc, ſi longiora ſint, in §§. & iſti interdum in verſiculos. In illis vero concinnandis S. Raymundus ſecutus eſt methodum, quam præcedentes collectores decretalium ſervaſſe deprehendit, id eſt codicis Juſtinianæi, qui tunc elevari cœpit. Nam ſicut ille codex a titulo *de Summa Trinitate* initium ſumit, ita & hæc collectio; quæ poſteaquam tribus ſequentibus libri primi titulis, ſecundo videl. tertio, & quarto, partes & ſpecies juris canonici tum ſcripti tum non ſcripti declaravit, eodem libro I. agit de judicibus Eccleſiaſticis, & præparatoriis ad judicia, lib. II. de judiciis, lib. III. de inferioribus Clericis, rebuſque eorum, atque Eccleſiarum; lib. IV. de rebus quidem Laicis propriis, ſed ſacris, adeoque ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, id eſt de ſponſalibus & Matrimonio; & lib. V. de accuſationibus, de criminibus, ac de diverſis pœnis pro ipſis infligendis. Qui libri hoc noto verſiculo indicantur;

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

Atque in iis contenta ſic citari ſolent: *C. firmiter, vel c. firmiter 1. vel ſimpliciter c. 1. de Summa Trinitate, vel c. firmiter extra, vel ſimpliciter per literam X. de Summa Trinitate;* Lege: Capitulo firmiter, quod eſt primum ſub titulo de Summa Trinitate, vel extra decretum Gratiani cap. firmiter &c. libri in his decretalibus nunquam indicantur, ſed beneficio indicis aut uſus inveniendi ſunt.

§. III.

De reliquis Corporis juris canonici partibus, ſeu de Sexto decretalium, Clementinis, Extravagantibus Joannis XXII. & Communibus.

262. SUb finem ſæculi XIII. Bonifacius VIII. Anno IV. ſui Pontificatus novam decretalium collectionem (quæ eſt tertia pars Juris Canonici hodierni) fieri mandavit, & ſuo nomine publicavit. Ejus concinnandæ provinciam Guilelmo Archiepiſcopo Ebrudunenſi, Berengario Epiſcopo Biterrenſi, & Richardo de Senis S. R. E. Vice-Cancellario J. U. D. contulit; uti exhibet ejus epiſtola eidem collectioni præfixa.

263. Ex ead. ep. pariter pateſcit ſcopum Bonifacii fuiſſe, Decretales Pontificum, quæ extra collectionem Gregorii IX. vagabantur, & quarum fides in judiciis vacillabat, quæſtioneſque frequentes excitabant, in unum volumen redigere, eaque redactione diſcernere, quæ recipiendæ, & quæ repudiandæ eſſent.

264. Materia quoque, e qua collectionem fieri voluit, non obſcure innuitur: *nimirum* hanc ſuam collectionem eſſe compilatam ex ipſius Gregorii IX. decretalibus, quas ipſe ſuæ collectioni non incluſerat, & quæ ante editam Bonifacii compilationem dicebantur *Extravagantes Gregorii IX.* & interdum titulis decretalium adjungebantur, & a Doctoribus una cum reliquis capitulis decretalium illorum exponebantur. Quibus adjunxit aliorum Pontificum, qui ipſum inter & Gregorium interceſſerunt, decretales epiſtolas; potiſſimum autem occurrunt Innocentii IV. Greg. X. Alex. IV. Nicolai IV. & ipſiuſmet Bonifacii VIII. frequentiſſimæ; ac inſuper conſtitutiones duorum Conciliorum Lugdunenſium, quorum unum ſub Innocen. IV. A. 1245. alterum ſub Greg. X. A. 1292. celebratum eſt.

265. Hanc collectionem voluit eſſe quaſi appendicem, ſive ſupplementum decretalium Gregorii IX. quæ cum quinque libris conſtarent, voluit ſuam collectionem vocari *ſextus Decretalium*; tametſi quinque libros æque ac collectio Gregorii contineat, eandemque methodum, quoad materiæ diviſionem in libros, & titulos, quemadmodum illa ſervet, ex qua proinde capitula ſicut ibi citantur addita particula *in Sexto*.

266. Poſt *Sextum* Decretalium in Corpore Juris Canonici quartum ſibi locum vendicat collectio, quæ vulgo *Clementina*, ſive *Liber Clementinarum* dicitur. Hanc Clemens V. qui ſub initium ſæculi XIV. electus fuit Pontifex, & primus Avenione in Gallia Cathedram Petri collocavit, partim ex canonibus Concilii Viennenſis, cui ipſe præ-

præſedit, partim ex propriis conſtitutionibus confici curaverat; at morte præventus non publicavit, uti in epiſtola huic collectioni præfixa monet ejus immediatus Succeſſor Joannes XXII. qui ſuo nomine eam publicavit. Ex gloſſa autem, ſive Joanne Andrea ad illa verba præfationis *de cætero patet*, quod licet omnia capitula legantur in hac collectione cum hac inſcriptione *Clemens V. in Concilio Viennenſi*, nihilominus non tantum omnia, ſed forte admodum pauca in hoc concilio fuerint edita, ſaltem eo modo, & illis verbis, quibus in Jure Canonico referuntur. Conſtat curſus hæc collectio quinque libris, eiſque in titulos diviſis, ſervata methodo præcedentium decretalium collectionum; atque citatur ſicut decretales Gregorii IX. addita voce *in Clementinis*, vel *Clementina*, vel ſimpliciter omiſſo ly *Capitulo*, *Clementina*; v. g. *Clementina ſicut de appellatione*, vel addito numero, *v. g. Clementina 1. de appellatione*.

267. Idem Joannes XXII. ſpatio 18. annorum, quibus Pontificatum geſſit, varias decretales evulgavit, e quibus 20. in unum collectæ fuere; quo authore neſcitur; vocanturque ſimpliciter *extravagantes Joannis XXII.* eo quod nullæ alterius Pontificis decretales, aut conſtitutiones admiſceantur; efficiuntque quintam partem moderni Juris Canonici. Collectio hæc ob paucitatem decretalium in libros non dividitur; ſed tamen ipſæ decretales, ſive extravagantes ſecundum ordinem præcedentium collectionum diſponuntur, & 14. titulos componunt. Atque ad differentiam extravagantium communium ſub nomine Joann. XXII. citari ſolent, *v. g. extravagan. vel extra. vel ex. vel X. ad conditorem 3. Joann. 22. de v. S.* Lege extravaganta Joannis XXII. capitulo tertio, quod incipit *ad conditorem*, ſub titulo *de verborum ſignificatione*.

268. Plures ejuſdem Pontificis decretales poſtmodum in unum volumen cum aliorum nonnullorum Pontificum conſtitutionibus collectæ ſunt; quæ collectio nomine *extravagantium communium inſignitur*, conſtituitque ſextam, & ultimam juris canonici, quo hodie utimur, partem. Cum vero inter illius collectionis decretales quædam etiam reperiantur ſub nomine Xiſti IV. qui in Pontificatu ſedit ab Ao. 1471. uſque ad An. 1484. neceſſe eſt, ut nonniſi circa hoc tempus hæc collectio prodierit. Eſt vero eadem librorum, ac titulorum methodo diſpoſita, qua præcedentes, niſi quod libro IV. quo in aliis de matrimonio agitur, careat.

269. Quo authore hæc atque præcedens collectio facta ſit, non conſtat. De eo inter omnes convenit, authoritate publica neutram inchoatam, aut expreſſe probatam eſſe: ideoque multo tempore, tanquam nullius, aut exiguæ authoritatis habitas fuiſſe: atque tanquam *extra* Corpus Canonicum *vagantes*, dictas eſſe *extravagantes*; quod nomen ipſis adhæſit etiam poſtquam corpori canonico, quo authore neſcitur, adjunctæ fuerunt. Citari ſolent ſimpliciter ſub nomine *extravagantium*, vel addito ly *inter communes*, vel *in communibus*.

QUÆSTIO SCHOLASTICA.

An Decretales Gregorii IX. & reliquæ partes Corporis Juris Canonici authoritate legali polleant?

270. COllectionem Decretalium Gregorii IX. Sextum decretalium, & Clementinas authoritatem legalem pro toto orbe Chriſtiano obtinere manifeſtum eſt ex Gregorii IX. Bonifacii VIII. & Joannis XXII. epiſtolis, his collectionibus præfixis; in iis liquidem expreſſa præcipitur, ut earum uſus ſit *in Judiciis & Scholis*; Papa autem habet a Deo poteſtatem leges univerſam Eccleſiam obligantes condendi.

PROPOSITIO.

Non tantum Decretales Gregorii IX. Sextus, & Clementinæ; verum etiam Extravagantes Joannis XXII. & Communes authoritate legali pollent.

271. RAtio pro prioribus jam eſt aſſignata; & quantum ad extravagantes probatur. Quantumvis neſciatur has extravagantes, aut publica authoritate collectas, aut ſimili authoritate veteris Juris Canonici partibus fuiſſe adjectas; ſunt tamen hodie paſſim in Scholis, & Judiciis conſuetudine longiſſima tanquam Decretales Pontificum, ſcientibus, & conſentientibus ipſis, ſufficienter publicatæ; ſed conſuetudo poteſt id, quod legiſlator, ergo idem eſt, ac ſi per illum fuiſſent publicatæ; & conſequenter vim legis habent.

Solvuntur Objecta.

272. OBjicies I. Summi Pontifices quinque libros decretalium, ſextum item, & Clementinas ſolis *Doctoribus & Scholaribus Bononiæ commorantibus* tranſmiſerunt, uti patet ex eorundem proœmiis; ergo hi libri non ſunt pro univerſa Eccleſia promulgati.

Reſp. cum gloſſa in proœmio decretalium Greg. IX. *v. Bononiæ* & aliis: id factum eſſe propter ſtudium, quod tunc Bononiæ fuit generalius & communius, præſertim in utroque jure, ibique ex omnibus mundi partibus ſtudioſi confluxerunt, atque ideo potius Bononiam ſunt directæ, quam alio; mandatis interim Pontificiis, ut iis *omnes* in judiciis & ſcholis utantur, univerſos Chriſtianos obligantibus; idquod declarat communis horum librorum in Orbe Chriſtiano uſu confirmata receptio; quidquid Galli circa ſextum Decretalium cauſentur. Quæ receptio etiam extravagantes a telo hujus objectionis, quod illas magis ferit, utpote non ita promulgatas, ſalvat.

273. Objicies II. Pleræque harum juris partium decretales ad particulares Epiſcopos vel Prælatos ſuper individualibus controverſiis ſunt directæ, ut patet ex earumdem ſuperſcriptionibus; ergo non poſſunt obligare univerſam Eccleſiam.

Reſp. N. C. nam ex quo ejuſmodi decretales publica authoritate, vel uſu huic authoritati innixo in corpus Juris Canonici redactæ fuerunt, nullus relinquitur dubitandi locus, quin univerſalis legis vim & robur obtinuerint. Duo enim ſunt, quæ regulam aliquam vel legem univerſalem efficiunt. Primum, ſi illa lex ſit a legiſlatore pro tota communitate edita, & promulgata, etſi in corpus juris publici non ſit relata. Secundum, etſi a legiſlatore in cauſa particulari ſit lata, vel ab aliquo privato ſcite dicta, ſi authoritate legiſlatoria vel uſu eidem authoritati innixi in codicem legum publicarum, eadem authoritate confirmatum, referatur: juxta illud l. 1. §. ſed neque C. de vetere jure enucleando: *omnia noſtra facimus, quibus noſtram impartimur authoritatem*. Et hos characteres habent decretales in relatis libris adnumeratæ; non vero ſententiæ Patrum, leges civiles, aut decretales Pontificiæ ad particulares directæ, relatæ in decreto Gratiani, vel in Bullario.

274. Tanta ergo harum decretalium eſt authoritas, ut quemadmodum Jus civile Romanum ubique pene gentium pro *Jure communi* habetur; ut nimirum, jure Patrio & conſuetudinario deficiente, cauſæ civiles, ac Reipublicæ negotia ex illo dirimantur; & ſi quid in lege Patria dubii occurrat, ex Jure Romano dilucidationem accipiat; ita quoque cauſæ Eccleſiaſticæ, ac exterior Eccleſiæ diſciplina jure canonico, ſeu his quinque partibus ejuſdem tanquam *Jure communi*

muni diriguntur, dirimuntur, deciduntur, & ſi quid difficultatis in jure eccleſiaſtico particulari aut conſuetudinario occurrut, ex illo interpretationem accipere debet. Quinimo ea eſt hujus juris authoritas, ut etiam in foro civili, & in civilibus cauſis, ſi Jus Romanum civile dubium ſuerit, ex jure Canonico interpretationem ſumat, juxta regulam juris communitee receptam. Ulterius ſi jus civile juri canonico repugnet, etiam in foco civili hoc prævalebit, ſi ſubſit materia peccati. Quæ omnia adductis variis diverſarum gentium anctoribus latius tradit Arturus Duck *lib.* 1. *de auth. Juris Civilis c.* 7. qui numero 16. & 17. ex eo vel maxime hoc jus commendat, quod Principes, & Proteſtantes Germaniei, etſi & fidem Catholicam, & obedientiam Summo Pontifici debitam duce Luthero, & Calvino excuſſerint, Jus tamen Canonicum mordicus contra ipſum Lutherum retinuerint.

§. IV.

De Appendicibus Corporis Juris hodierni in aliquibus editionibus annecti ſolitis.

275. A Sæculo jam Corpori Juris Canonici ad calcem adjici ſolent Inſtitutiones Juris a Joanne Paulo Lancelloto Juris conſulto Peruſino conſcriptæ, ad imitationem inſtitutionum in quatuor libros diviſæ. Verum tametſi Author in proœmio ſui Operis aſſerat, ſe opus illud ex mandato Papæ compoſuiſſe, illudque a commiſſariis Papæ reviſum, & correctum eſſe, nihilominus quia de publica approbatione non conſtat, nemo hactenus his Inſtitutionibus authoritatem Juris impertitur, propterca quod reliquis Juris Canonici partibus annectantur; cum neſciatur illud publica authoritate factum.

276. Altera collectio, quæ editioni Lugdunenſi de A. 1661. eſt appenſa, alibique ſimiliter reperitur, authorem habet Petrum Matthæi J. U. D. Lugdunenſem, qui eam ſub titulo *Septimi Decretalium* compilavit, eo fine, ut ea ſuppleret, quæ a corpore Juris abſunt a Sixto IV. ad Sixtum V. ſcilicet Bullas Pontificum, & decreta Conciliorum in illo intervallo habitorum. Sed præterquam quod hæc collectio & privata authoritate ſit procuſa, & excuſa, Doujatius, qui de ea loquitur *Prænotationum lib.* 4. c. 26. *N.* 1. *&* 3. eam plurimorum graviſſimorum vitiorum arguit; nam primo dicit titulum ejuſdem ineptum eſſe, magiſque convenire Clementinis, quæ ſextum Decretalium immediate ſubſequuntur, quam huic ſeptimo, qui potius reſpective ad reliquas partes nonus dici deberet. Præterea, inquit ille, author neque librorum, neque titulorum ordinem ſecutus eſt, qui in præcedentibus fuit obſervatus, pluresque novos inſeruit, quorum plerique ad aliquem e titulis decretalium referri potuiſſent: denique omnibus rite diſcuſſis apparet, illum decreta utilia omiſiſſe, ac minus neceſſaria collegiſſe.

CAPUT VI.

De Jure noviſſimo e Conſtitutionibus Eccleſiaſticis.

277. JUs Canonicum noviſſimum dicimus omne illud, quod in materia diſciplinæ, & œconomiæ Eccleſiaſticæ, ſive perſonas, ſive res, ſive judicia, eorumque formam, & ordinem ſpectans, poſt evulgatas collectiones, quæ hodierno Corpore Juris Canonici continentur, a legitima poteſtate editum, & promulgatum eſt. Hujus generis ſunt decretales, ſive conſtitutiones Romanorum Pontificum, quas hodie *Bullas* appellitamus, Regulæ Cancellariæ, & Decreta Concilii Tridentini; de quibus jam pauca ad ſcopum noſtrum dicemus.

§. I.

De Bullario Romano.

278. BUllarium Romanum a Laertio Cherubino præſtantiſſimo Juris Conſulto Romano colligi cœptum, ab ejus filio Angelo Maria Cherubino Monacho Caſſinenſi continuatum, per RR. Patres Angelum a Lantuſca, & Joannem Paulum a Roma Ordinis Minorum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ ulterius productum, aliorum denique præclariſſimorum virorum opera, ac ſtudio uſque ad bullas moderni Sanctiſſimi excluſive anno, quo hæc ſcribo, 1751. perductum eſt.

279. Operis hujus præſtantiſſimi, quod tum alibi, tum Luxemburgi prælo ſubjectum XV. tomos jam complectitur, materia ſunt *Bullæ* ſive conſtitutiones Pontificum Romanorum a Leone M. uſque ad Clementem XII. incluſive de facto perductæ; quas nimirum variis temporibus atque in diverſis materiis, vel interrogati, aut interpellati, aut *motu proprio* ediderunt.

280. Hæc magni Bullarii Romani collectio diſſert a collectione Corporis Juris Canonici primo, quod in Corpore Juris Canonici præter conſtitutiones RR. Pontificum etiam referantur canones conciliorum, Sententiæ Patrum, & Leges civiles, in Bullario autem ſolæ conſtitutiones Romanorum Pontificum. Secundo, quod ibi hæ conſtitutiones referantur *abbreviatæ*: hic vero *integræ*. Tertio, quod ibi ſervetur ordo argumentorum, hic ordo temporum, & ſucceſſionis RR. Pontificum.

281. Scopus, quem ſibi in adornando vaſtiſſimo iſthoc opere viri Illuſtriſſimi præfixerunt, fuit, ut Conſtitutiones Pontificiæ, quæ ſingulæ in paucorum, & plurimum in eorum tantum manus perveniſſent, quos concernebant, in unum collectæ, omnibus, expenſas adeo utiles facere volentibus, fierent communes. Et certe ſi materiæ vaſtiſſimi hujus operis præſtantiam, dignitatem, authoritatem, utilitatemque expendamus, convincimur, illud Bibliothecis tam Eccleſiaſticorum Præpoſitorum, quam Religioſarum Familiarum, atque Juris Eccleſiaſtici Anteceſſorum non tantum eſſe utiliſſimum, ſed omnino neceſſarium; utpote in quo ad longum habentur plurima, eaque ſane maxima, quæ ſingulos concernunt. Hoc tamen notandum: Bullarium Romanum nunquam a Sede Romana pro codice legali obligante univerſam Eccleſiam fuiſſe approbatum, ac proinde conſtitutiones Papales privatos concernentes ab iis, quæ univerſam contingunt Eccleſiam, ſecernendæ ſunt. Imo nunquam legaliter declaratum eſt, Bullas in eo contentas ſuis autographis quoad omnia correſpondere. Quo fit, ut quamvis temerarium eſſet, de illarum authenticitate, poſtquam in camera Apoſtolica Bullario impreſſæ, vel ad illius exemplaria reimpreſſæ ſunt, dubitare: nihilominus *pleniſſima convictio* ex ſola authoritate Bullarii, in quo proſtant excuſæ, haberi nequeat. Pro cujus dilucidatione aliquid de ipſis Bullis RR. Pontificum adjicere placet.

282. *Bulla* igitur hodie dicuntur illæ literæ Apoſtolicæ, ſeu Papales, quæ ex ſtylo Romanæ Curiæ expediuntur per Cancellariam ſub plumbo, ſive Sigillo plumbeo pendente ex cordulis, conſcriptæ in membrana magis nigra & rudi, atque antiquo charactere Gallico. Quo charactere præcipue differunt a *Brevibus Apoſtolicis*, quæ in membranis ſubtilibus & candidis, charactere Latino, & nitido deſcribuntur, & a tergo cera rubea chordulis lineis incluſa ſunt illitæ, annuloque Piſcatoris ſignatæ, ac manu Secretarii

ſub-

ſubſcriptæ, atque per Secretariam Apoſtolicam expeditæ. Differunt præterea in hoc a Brevibus, quod illa plerumque dentur in negotiis brevibus, & non magni momenti, Bullæ vero in arduis:

283. Circa has bullas notandum eſt *primo*: quod ad hoc ut effectum ſuum conſequantur, legitimæ, & authentice conſtare debeat, num Bulla, ſive decretalis, aut conſtitutio, quæ profertur a Rom. Pontifice, revera ab ipſo emanaverit; aut forſan præter ejus intentionem alterata non ſit, quod non ſemel contigiſſe notorium eſt, ac circa famoſam Bullam Pii V. contigiſſe teſtatur Gregor. XIII. in ſua Bulla, quæ incipit *In tanta &c.* habeturque in Bullario tom. II. ordine nona inter Gregorianas, pag. 397. editionis Luxemburgenſis. *Secundo*: ſi eam a Romano Pontifice emanaſſe conſtiterit, dubia adhuc poteſt *eſſe* ejus intentio: vel etiam ſatis ex contextu liquere, quod non omnia loca, omnes perſonas, vel tempora omnia comprehendere voluerit: de quibus, priuſquam pro lege ſuſcipiatur, inquirendum eſt. *Tertio*: An legitime ſit publicata?

284. Quæ autem ſit legitima cujuſvis Bullæ Pontificiæ publicatio ad hoc, ut omnes ubique gentium Chriſtianos obliget, grandis eaque graviſſima inter Doctores eſt controverſia, aliis aſſerentibus ſufficere, ſi Romæ more ſolito publicetur, ſaltem ſi habeat clauſulam adjectam, quod tunc jam obliget; aliis e contra pro aria & focis id negantibus, & ſimilem clauſulam pro non adjecta habendam contendentibus. Quidquid ſit de hac intricata, & odioſa Controverſia, a qua hic abſtinemus, id certum eſt *quarto*: quod ubi conſuetudo introducta eſt, ut Bullæ Papales verſantes in pura materia morum non recipiantur, niſi prius ab ordinario atque etiam e ſæculari legitima poteſtate cum debita reverentia examinentur, an congruant publicæ utilitati ſuarum Diœceſium, vel Reipublicæ, ob inveteratas & rationabiles earundem conſuetudines, genium plebis, defectum finis legis, quia v. gr. latæ fuerint ob pericula & defectus, qui ibidem generatim non graſſantur, imo quandoque vix noſcuntur &c. ſimiles Bullæ ante tale examen, & poſt illud acceptum *placitum regium*, ac promulgationem ab Ordinario factam, non obligent.

285. Hinc fit, quod in Gallia, Belgio, atque alibi, ubi uſus placiti regii viget, plures Bullæ Pontificiæ concernentes externum Eccleſiæ regimen (nec enim de dogmaticis hic loquimur; uti nec de illis, quæ certas forſan Regularium familias concernunt, nec eorum clauſtra egrediuntur) non obligent, quia nempe ob aſſignatas rationes a Principibus ſupremis non ſunt, ut ajunt, *placetatæ*, ſeu placidatæ, atque ab Ordinariis non promulgatæ, conſentiente, ſeu tacite connivente Pontifice; aut denique conſuetudine legitima abrogatæ; uti quantum ad Germaniam docet Layman *in Theol. morali lib.* 1. *tr.* 4. *c.* 2.

§. II.
De Regulis Cancellariæ.

286. Regulæ Cancellariæ ſic dicuntur, non quod ſolam Cancellariam Apoſtolicam, ſeu Officiales ipſius obligent, ſed quia magna ipſarum pars concernit expeditionem literarum Apoſtolicarum in Cancellaria Papæ faciendam, quatenus tradunt certam formam in ipſarum expeditione obſervandam, ſimulque quia regulæ illæ in Cancellaria Apoſtolica publicari conſueverunt, & regeſtis ejus inſeri, teſte Rebuffo in praxi beneficiorum *tit. additiones in regulas Cancellariæ v. Cancellariæ*.

287. Author harum Regularum eſt Joannes XXII. qui primus circa a. 1330. Cancellariæ Apoſtolicæ Regulas ſcripto dedit; idque probat Ludovicus Gomez ex eo, quia in vetuſto quodam membranæ codice (quem vulgares *quinternum Cancellariæ Apoſtolicæ* vocant) primus omnium in ordine ponitur Joannes XXII. Regularum Author: neque ante ipſum alius Summorum Pontificum invenitur, qui hoc antea *ſcripto* præſtiterit; etſi enim longe antea extiterit Cancellaria Apoſtolica, utpote cujus jam Lucius III. qui fuit electus c. a. 1181. meminit *in c. ad hæc ſummos* 10. *de reſcriptis* illis verbis: *de Cancellaria noſtra literas accepiſſe*; eo tamen tempore negotia ejuſdem non regulis ſcriptis, ſed vivæ vocis mandato fuerunt directa.

288. Pauciores ab initio fuerunt, at ſucceſſu temporis ſunt augmentatæ, quædamque mutatæ, reſectæ, aut magis declaratæ. Cum enim hæ regulæ non ſint perpetuæ, ſed morte Pontificis finiantur, quod in proœmio illarum ſignificatur his verbis: *& ſuo tempore duraturas*; ſinguli Pontifices altero ſuæ aſſumptionis die eas de novo probant, atque in Cancellaria per vice-Cancellarium publicari jubent; interdum novis additis, vel etiam antiquis immutatis, aut etiam nonnunquam omiſſis; uti ad ſingulas pene oſtendit Gomeſius, & poſt eum Chovier in commentario ad has regulas. Urbanus VIII. a. c. 1623. ſeptuaginta & unam fecit, Clemens vero XI. 72. publicari curavit. Illarum tenor concernit reſervationes Beneficiorum, modum, quem Officiales Cancellariæ in literis expediendis ſervare debent, & poſt Nicolaum V. alique circa judicia, in quantum concernunt actum in curia agendum, ut inquit Gomez, obſervanda. Videri poſſunt hæ regulæ ut a variis Pontificibus renovatæ in Bullario Romano.

290. Regulæ Cancellariæ hoc ſpeciale præ aliis legibus & conſtitutionibus Apoſtolicis habent, quod de facto ſtatim obligent ab eo tempore, quo e Neo-electo Pontifice Romano reaſſumuntur, licet nondum fuerint publicatæ; prout liquet ex ipſarum præfatione nunc uſitata, & ſic loquente: *quas etiam ex tunc, licet nondum publicatas, & ſuo tempore duraturas, obſervari voluit*, videlicet neo-electus Pontifex. Quod autem Rebuffus l. c. dicat, illas obligare a *die promulgationis*, inde factum eſt, quia ſuo tempore clauſula mox relata præfationi illarum necdum erat addita; alioquin vero leges etiam ad præterita facta trahi, quando *nominatim in eis de præteritis cavetur*; textus eſt *in cap. ult. de conſtit. & l.* 7. *c. de legibus*, videlicet quantum ad nullitatem actus in contrarium geſti, non vero quoad pœnam vel culpam incurrendam, antequam debite promulgentur.

291. Præterea, ut jam ſupra inſinuavimus, hoc ſpeciale habent, quod non ſint perpetuæ, ſed ſolummodo ad vitam Pontificis durent, & in morte ejus illico exſpirent. Ex quo ſequitur I. quod ſede vacante ceſſent reſervationes Beneficiorum in eiſdem *duntaxat* contentæ; ſecus enim dicendum eſt de reſervationibus in corpore Juris clauſis. II. & conſequenter, quod durante hac vacatione Jus ordinariorum revertatur ad primævos terminos Juris communis; unde collator ordinarius poterit tunc conferre beneficia cæteroquin reſervata *ſolum* per regulas Cancellariæ, ut pote vacantia in menſibus Papalibus, dummodo id fiat antequam Papa noviter creatus eas regulas conſtituat. Qui plura de his regulis ſcire avet, conſulat Canoniſtas in tractatu de beneficiis.

§. III.
De Concilio Tridentino.

292. Præcipuus Juris Eccleſiaſtici noviſſimi fons eſt Concilium Tridentinum, de

cujus

cujus Epocha &c. vide titulo primo §. 9. N. 241. ſiquidem illius decreta Jus nuviſſimum continent, quo proinde non cognito, Jus anterius vix explicari poteſt; ſiquidem in illo diſcitur id, quod juri antiquo vel additum, vel in eo mutatum eſt. Loco mox citato in titulo primo, referendo ejus ſymbolum, ea ſummatim retulimus, quæ de fide ſancivit contra noſtri ſæculi hæreticos; nunc perſtringere placet ea, quæ circa morum reformationem ab eodem ſapientiſſime & ſalubertime conſtituta ſunt.

293. Itaque poſtquam ſacro-ſancta & œcumenica Synodus in primo ſeſſionis quartæ decreto declaraſſet *ſe ſuſcipere omnes libros tam veteris, quam novi teſtamenti*; atque animadverteret *primo*, ingentem tunc temporis verſionum latinarum ſcripturæ ſacræ eſſe multitudinem ac varietatem; *Secundo*, magnam ſibi quemque arrogare interpretandi eas licentiam, eaſque ſæpe in alienos pravoſque ſenſus detorquendi; *Tertio* denique, tantam ex parte Typographorum in ſacris edendis ſcripturis gliſcere corruptelam, ut eas ſæpius ex corruptis exemplaribus ederent, pravaſque eiſdem aſſuerent interpretationes; ad hos abuſus radicitus evellendos tria iſta præcipue in ſecundo hujus ſeſſionis decreto declarat; *Primo*, verſionem ſcripturæ ſacræ, dictam *vulgatam*, qualem nunc habemus, eſſe authenticam, eamque cæteris ſcripturæ ſacræ verſionibus *latinis*, quæ tunc circumferebantur, eſſe præponendam; *Secundo* diſtricte prohibet, ne quis ſcripturam ſacram ad improprium detorqueat ſenſum, aut contra unanimem Patrum conſenſum interpretari præſumat, aut ejus verba ad profana, ſcurrilia &c. deflectat; *Tertio* denique ſtatuit atque vetat, ne ullus deinceps de rebus ſacris imprimatur liber abſque ordinarii licentia, & ſine expreſſo authoris nomine ſub pœna anathematis, & mulctæ pecuniariæ.

294. Decretum *de reformatione* in quinta ſeſſione editum duo capita continet. *Primum* eſt de inſtituendo Theologo in ſingulis Metropolitanis & Cathedralibus Eccleſiis, nec non in collegiatis inſignium oppidorum pro lectione ſcripturæ ſacræ, & de aſſignanda ei præbenda, vel alio ſtipendio congruo. *Secundum* eſt de Evangelii prædicatione, decernitque omnes Epiſcopos teneri per ſe ipſos, ſi legitime non fuerint impediti, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium; ſi vero contigerit eos legitimo detineri impedimento, teneri juxta formam Concilii Lateranenſis viros idoneos aſſumere ad hujuſmodi prædicationis Officium ſalubriter exequendum. Decreti reliqua pars Regulares ſpectat, quibus interdicitur, ne in Eccleſiis etiam ſuorum ordinum conciones habeant, niſi a ſuperioribus ſuis de vita, moribus, & ſcientia examinati, ac petita ab Epiſcopis benedictione; in aliis vero Eccleſiis ſine licentia Epiſcoporum ne concionentur, qui ſacro munere iis interdicent, ſi errores aut ſcandala diſſeminaverint, ubicunque conciones habeant.

295. Decretum *de reformatione* ſeſſionis ſextæ quinque capita continet. *Primum* decernit, teneri Prælatos reſidere in ſuis Eccleſiis. *Secundum* ſtatuit Presbyteros beneficiatos, habentes curam animarum, per Ordinarios ad reſidentiam eſſe cogendos. *Tertium* definit exceſſus Clericorum ac Regularium degentium extra Monaſterium corrigi debere ab Ordinario loci, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato. *Quartum* ſancit Eccleſias quaſcunque majores earumque perſonas poſſe ab Epiſcopis viſitari, quoties opus fuerit. *Quintum* denique declarat nulli Epiſcopo licere Pontificalia in aliena diœceſi exercere, nec ordines conferre, niſi volente & conſentiente loci Ordinario.

296. Decretum *de reformatione* ſeſſionis ſeptimæ quindecim capita continet, quibus damnatur pluralitas beneficiorum incompatibilium, & præſcribuntur dotes, examen, cæteraque id genus, quæ prærequiri debent ab his, qui ab Epiſcopis ad id genus beneficia promoventur. Hæc omnia decreta ſub Paulo III. P. M.

297. Decretum *de reformatione* ſeſſionis decimæ tertiæ, quæ tertia eſt ſub Julio III. octo complectitur capita, quæ Prælatorum Juriſdictionem ſpectant, & appellationibus modum imponunt.

298. Decretum *de reformatione* ſeſſionis decimæ quartæ tredecim complectitur capita, Eccleſiæ Prælatos, Beneficiatos, vel Clericos fere omnia ſpectantia, & inter cætera alia ſancit, ut Clerici, qui in ſacris ordinibus ſunt conſtituti, aut Eccleſiaſtica beneficia poſſident, utantur veſte ordini, ac dignitati congruente: voluntarii homicidæ ab ordinibus arceantur, aut ſi jam ſint ordinati, a miniſterio ſeparentur, ac omnibus beneficiis careant. Ut Religioſi tranſlati ad alium ordinem in Clauſtro ſub obedientia maneant, & beneficiorum ſæcularium incapaces exiſtant. Ut nemo Jus-Patronatus obtineat, niſi ex fundatione, vel donatione, & ille, qui a legitimo Juris-Patronatus poſſeſſore ad aliquod beneficium Eccleſiaſticum eſt præſentatus, non ab alio, quam ab ordinario, ſeu Epiſcopo inſtituatur. Hæc omnia decreta ſunt ſub Julio III. P. M.

299. Decretum *de reformatione* Seſſionis vigeſimæ primæ, quæ eſt quarta ſub Pio IV. novem continet capita, in quibus decernit *primo*, ut nihil Epiſcopi, aut alii ordinum collatores, vel eorum miniſtri pro Ordinum collatione, vel pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus etiam ſponte oblatum, quovis prætextu accipiant, & contrarias huic decreto conſuetudines ait Sancta Synodus eſſe abuſus, & corruptelas ſimoniacæ pravitati faventes. *Secundo* ſtatuit S. Synodus, ut nullus abſque beneficii, aut Patrimonii titulo ad ſacros ordines promoveantur; poteſt tamen Epiſcopus aliquem abſque titulo ordinare, ſed tunc tenetur ordinato alimenta ſuppeditare. *Tertio* poteſtatem dat S. Synodus Epiſcopis uniones perpetuas faciendi in caſibus a Jure permiſſis. *Quarto* præcipit S. Synodus, ut Monaſteria commendata, in quibus non viget regularis obſervantia diſciplinæ, & beneficia quæcunque ab Epiſcopis, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatis, viſitentur; ſi vero in iis vigeat diſciplina regularis, admoneantur paterne eorum ſuperiores ab iiſdem Epiſcopis, ut juxta eorum regularia inſtituta debitam vivendi rationem obſervent, & obſervari faciant: ſi autem ſex poſt admonitionem menſibus illi negligenter ſe gerant, tunc Epiſcopi ea monaſteria viſitare poſſint, & Monachos, vel Canonicos Regulares corrigere. *Quinto* jubet S. Synodus, ut Quæſtorum nomen, & officium penitus aboleatur. Quæſtores autem dicebantur hi, qui colligebant eleemoſynas, quas erogabant illi, quibus indulgentiæ concedebantur; ſed quia iſti Quæſtores ſua poteſtate abutebantur, & multis adhibitis fraudibus pecunias e ſimplicis plebis pietate in ſuum proprium comodum emungebant; neceſſarium omnino viſum eſt Patribus Concilii Tridentini illos penitus abolere, & facultatem promulgandi indulgentias, & alias Sedis Apoſtolicæ gratias transferre in Epiſcopos, qui oblata a fidelibus in pios uſus ſubſidia, ſeu eleemoſynas abſque ulla mercede colligerent.

300. Decretum *de reformatione* ſeſſionis vigeſimæ ſecundæ undecim capita complectitur; quibus inter cætera alia præcipitur *primo*, ut veteres de vita, & honeſtate Clericorum canones innoventur. *Secundo*, ut hi, qui ad cathedrales Eccleſias regendas aſſumuntur, præter morum probitatem, ea ſcientia polleant, qua injuncti ſibi muneris, angelicis humeris formidandi, poſſint neceſſita-

ceſſitati ſatisfacere. Præſcribitur etiam, ut ii, qui in dictis Eccleſiis beneficia obtinent, quibus onera ſunt varia annexa, infra annum ordines ſuſcipiant requiſitos; atque cum eo concilii decreto praxim ſuam concilient, ſi poſſint hi, qui *ſere nuſquam* ſacros ordines ſuſcipiunt, quamvis fruantur canonicatibus & beneficiis, quibus *annex*um eſt onus miſſam celebrandi.

301. Decretum *de Reformatione* Seſſionis vigeſimæ tertiæ octodecim comprehenditur capitulis, in quorum *primo* declarant PP. eos, quibus incumbit animarum cura, teneri ad perſonalem in ſua Eccleſia, vel Diœceſi reſidentiam, eo quod, inquiunt, *præcepto divino omnibus, quibus animarum cura demandata eſt, mandatum ſit, ut oves ſuas agnoſcant, pro iis ſacrificium offerant, verbique divini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum operum exemplo paſcant;* quæ omnia ſine perſonali reſidentia præſtare nequaquam poſſunt. In aliis ejuſdem decreti capitulis Patres circa legitimas cauſas, propter quas Paſtores a ſuis Eccleſiis, vel diœceſibus abſunt, circa Clericorum ordinationes, & Seminariorum erectionem, multa decernunt, quæ puriorem veteris Eccleſiæ diſciplinam redolent.

302. In ſeſſione vigeſima quarta præter decretum fidem ſpectans, duo alia huc pertinentia ſunt edita. *Primum* eſt *de reformatione Matrimonii*, complectens capita decem, in quorum *primo* Patres edixerunt, matrimonia clandeſtina fuiſſe valida, quamdiu Eccleſia ea irrita non declaravit, ſed deinceps fore invalida, ſi aliter, quam præſente Parocho, de ipſius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus teſtibus contracta fuerint. *In ſecundo* ſanxerunt rata, & valida eſſe matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta. *In tertio* varia ſtatuerunt de proclamationibus neceſſario præmittendis ad celebrationem matrimonii, de cognatione ſpirituali, de impedimento publicæ honeſtatis, de affinitate, de raptu, aliiſque matrimonii impedimentis. Secundum decretum in hac ſeſſione editum eſt *de morum, ac diſciplinæ reformatione*, in quo uno & viginti capitulis multa ac varia, quæ tum Eccleſiæ Miniſtros, eorum electionem, viſitationes, conciliorum diœceſanorum celebrationes, judicia, præbendas, &c. tum etiam Laicos concernunt.

303. In ſeſſione vigeſima quinta præter decretum fidem ſpectans, pariter duo alia huc pertinentia ſunt edita. *Primum* concernit regulares utriuſque ſexus in ſpecie, continetque ſanctiones viginti duas. In quibus de obſervatione Regularum, de votis, de clauſura, de electione Superiorum, de eligendorum ætate & qualitatibus, de ſubjectione eorumdem Ordinariis, vel exemptione, juriſdictione, præcedentia, de judiciis, pœnis, novitiatu, profeſſione, plurima, eaque ſaluberrima ſtatuuntur, atque capitulo ultimo eorundem ſtatutorum executio, atque obſervatio, quam primum poſſibile fuerit, præcipitur. *Alterum* eſt de *reformatione*, continetque capitula viginti unum; in quibus multa, eaque diverſa Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantia capita ſaluberrime ſanciuntur. Quibus in continuatione ejuſdem Seſſionis adjiciuntur alia adhuc decreta; videlicet de uſu ac moderatione indulgentiarum, de delectu ciborum, jejuniis, & diebus feſtis devote celebrandis, de indice librorum, catechiſmo, breviario, & miſſali, de loco Oratorum Principum, de legendis omnibus ejuſdem ſynodi decretis, ac poſtremo decretum de finienda ſynodo, & de confirmatione omnium definitionum ac decretorum, quæ in ſynodo Tridentina edita fuerent, a Summo Pontifice Pio IV. petenda.

304. Hujus ſynodi tum legitimitatem, tum univerſalitatem, tum libertatem in genere, & ejus acta, tam fidem, quam mores ſpectantia in ſpecie allatrarunt hæretici, aliique maleferiati homines; qui a noſtris Scriptoribus tum hiſtoricis, tum polemicis egregie retunduntur, ad quos Lector benevolus remittitur; cum noſtri ſoti non ſit ampliſſimam hanc materiam hic loci diſcutere. Aliqua igitur ſolummodo circa ejuſdem ſynodi decreta obſervabimus. Et

305. *Primo*. Cum ſacra ſynodus *ſeſſione* 22. *cap.* 1. *de ref.* præcipiat, ut veteres de vita, & honeſtate Clericorum canones innoventur, erroſis convincuntur quidam recentiores Caſuiſtæ, qui auſi ſunt aſſerere, omnes antiquos de moribus Clericorum, & Chriſtianorum canones per deſuetudinem, ſeu per non uſum eſſe penitus abrogatos. Quos certe falſi convincunt præcepta, quæ paſſim ad obſervandos antiquos canones inculcant PP. Concilii Trid. eorum ardens deſiderium, ut inſtaurarentur, diligens cura, ſtudium, conatio, ut adhuc vigentes ſedule tenerentur, retinerentur collabentes, prorſus collapſi renovarentur: moderante tamen omnia Chriſtiana prudentia, ne præcipiti zelo pax Eccleſiæ, & fidelium concordia perturbaretur. Ex quo liquet, nunquam ſic exoleſcere poſſe antiquos canones Conciliorum ad mores pertinentes, ut eos velut penitus abrogatos, & tanquam Lacædemoniorum aut Athenienſium leges abolitos pridem & extinctos ſpectare liceat; ſemper enim in corde Clericorum, & omnium Chriſtianorum impreſſi, & conſignati eſſe debent, ibique vivere. Semper ad eos conniti, & contendere debent omnes Chriſtiani, ac ſibi ipſis graviter ſuccenſere, quod ab eorum obſervatione tam longe abſint.

306. Secundo, Synodum œcumenicam tam quoad dogmata, quam morum reformationis decreta ab omnibus Chriſtianis nationibus eſſe receptam; ab aliquibus tamen Provinciis cum hac clauſula; ſalvis juribus, privilegiis, ac libertatibus tum Eccleſiarum, tum utriuſque poteſtatis tam ſacræ, quam profanæ; ut patet in Eccleſia Gallicana, cujus Clerus, poſtquam a Regibus Chriſtianiſſimis iteratis, atque importunis precibus promulgationem ejuſdem ſynodi cum præfata clauſula urſiſſet, facta A. 1615. iterum Ludovico XIII. in hunc finem ſupplicatione, in ſolemniſſima, atque totam Gallicanam Eccleſiam repræſentante congregatione, idem concilium ſubſcriptione ſua ac juramento recepit, ac ſe recipere declaravit; atque in Conciliis Provincialibus ſolemni ritu recipiendum, & comprobandum decrevit, *ſalvis Regni Juribus, & privatorum rationibus*, quorum gratia Summus Pontifex rogaretur a Clero, ut quædam ejuſdem ſynodi capita temperaret; veluti conſtat ex oratione in his comitiis ad Regem habita a Franciſco Harlæo; quæ orationes editæ ſunt *tom. 5. commentariorum Cleri Gallicani*.

CAPUT VII.

De quibuſdam aliis Corpus Juris Canonici concernentibus.

§. I.

De Declarationibus Cardinalium.

307. INter alias Congregationes pro feliciori univerſalis Eccleſiæ regimine a diverſis Pontificibus Romanis inſtitutas, eminet illa, quam vocamus *Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum*. Vocatur notanter *Congregatio Cardinalium*, quia ex ſolis Cardinalibus, ſi Secretarium ejuſdem excipias, conſiſtit.

308.

308. Ejuſdem Erectæ a. c. 1564. fuit Pius IV. qui poſtquam in Bulla confirmationis ſacri ac œcumenici Concilii Tridentini hoc anno die 16. Februarii edita, ad vitandam perverſionem & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret pro libitu in decreta concilii commentarios & interpretationes edere, authoritate Apoſtolica inhibuiſſet, ne quiſquam ſimile quid ſub pœna *interdicti*, ſi Prælatus, aut *excommunicationis latæ ſententiæ*, ſi inferior eſſet, attentare præſumat, quovis petito colore; aliquot poſt menſes prædictam Congregationem inſtituit per motum proprium, qui incipit *Alias nonnullas*.

309. In hac Bulla Pius IV. ſolam *executionem & obſervantiam* Concilii Tridentini dictæ Eminentiſſimæ Congregationi demandavit, reſervata ſibi interpretatione ejuſdem; at Sixtus V. ejuſdem ſucceſſor, ut decreta Concilii Tridentini *ad mores diſciplinamque* pertinentia eo magis ab omnibus obſervarentur, in ſua conſtitutione, quæ incipit *Immenſa* a. 1587. 11. cal. feb. edita, memoratæ congregationis facultatem ampliavit; eidemque inſuper conceſſit facultatem *interpretandi* decreta ejuſdem œcumenici Concilii, quæ de *morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis Judiciis, aliiſque ejuſmodi* ſtatuta ſunt, ſi quando in ipſis dubietas, aut difficultas emergeret: ita tamen, ut hoc fiat conſulto prius Romano Pontifice (ut ibidem Papa exprimit verbis *nobis tamen conſultis*), ſimulque eorum decretorum, quæ ad *fidei dogmata* pertinent, interpretatio ipſimet Papæ reſervata maneat; prout amplius habetur in dicta conſtitutione.

310. Reſponſa magni hujus Synedrii vocantur *Declarationes Cardinalium*; circa quas controverſia eſt inter authores, an vim legis habeant? Quam decidet ſequens

QUÆSTIO SCHOLASTICA.

An Declarationes Cardinalium vim legis obtineant?

311. ANte reſolutionem præſupponendum eſt primo: Declarationes ſive impreſſas, ſive imprimendas, ſive manuſcriptas fidem non facere, adeoque nec legaliter obligare, niſi afferantur in forma authentica; id enim ob compertas plurimas fraudes ipſa ſacra Congregatio de ſpeciali juſſu Urbani VIII. a. 1631. mandavit, præcepit, ac declaravit; dicuntur autem in forma authentica afferri, ſi exhibeantur munitæ *ſolito ſigillo, ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, & Secretarii ejuſdem Congregationis pro tempore exiſtentium*. Qua habita vim legis habent ſaltem inter partes, ad quarum petitionem dantur.

312. Nec dicas: ergo fruſtra toties allegantur a Canoniſtis aliiſque Doctoribus declarationes Cardinalium, gratis enim membranam occupant, cum nullam ſive *in* ſive *extra* judicium fidem faciant; negatur enim conſequentia, primo, quia declarationes iſtæ a cordatis viris relatæ vel maxime proſunt in curia Romana, eo quod ibidem nimis facile ſit, de earum veritate ſe ſe certum reddere, & ita cauſam lucrari. Deinde juvant etiam pro aliis locis, tum quia hauſta prævia notitia ex diligentibus collectoribus, eas fideliter allegantibus, difficile non erit, quamlibet illarum pro occurrentis negotii qualitate a memorata ſacra Congregatione in forma authentica obtinere, ac dein in judicio pro plena facienda fide adducere; tum quia ſæpe dictas declarationes Cardinalium, cæteroquin in probatis collectoribus allegatas, & de quarum veritate nulla ſubeſt probabilis ratio dubitandi, ex eo duntaxat rejicere, quod non afferantur in forma authentica, atque idcirco libere contrariam ſententiam tueri vix abeſt ab irreverentia & temeritate; uti notat Fagnanus *in c. quoniam. n. 59. de conſtit.* ubi ſubdit, quod recte faciat Judex, qui declarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum authorem, ut veras habet & ſequitur, etiamſi a parte nec allegentur, nec producantur.

313. Obſervandum ſecundo declarationes in hac Congregatione frequenter dari occaſione caſuum particularium, qui ad hanc Congregationem deferuntur; & in hoc caſu erroneum dicit eſſe Cardinalis de Luca, in illis *cum conſueta cœca fide vim conſtituere, cum illæ, quæ ſingulos, vel particulares concernunt caſus, ex eorum particulari qualitate, & circumſtantiis manare ſoleant; ideoque alteri, diverſas circumſtantias habenti, non ſemper ſint applicabiles, cum diverſimode ob diverſam facti qualitatem ſæpius decernere congruat, quod vulgus male concipit, atque contrarietatem appellat*. Ita ille *in annot. ad Concil. Trid. diſcurſu* 1. N. 22. Ut ergo declaratio ab hac Congregatione emanata alicui caſui particulari applicetur, expendendum, ac inquirendum eſt, num forſan hujuſmodi declaratio non emanaverit occaſione alicujus particularis caſus, quibuſdam particularibus circumſtantiis veſtiti, aut certe non cum iiſdem, quæ caſum præſentem circumſtant; ſi enim ita ſe habet, nec *generaliter* in omnibus caſibus obligabit vel juvabit, nec *particulariter* in caſu diverſis circumſtantiis veſtito.

314. Obſervandum tertio. Cum hæc Congregatio a Sixto V. facultatem interpretandi Concilium Tridentinum cum clauſula *nobis tamen conſultis*, acceperit, interpretationem ſecus factam non eſſe legalem, ſed doctrinalem fatendum eſt. Certum præterea eſt, quod, ubi aliqua decreta Concilii Trid. non ſunt recepta, ibi etiam declarationes illorum legis vim non habeant. Hæc certa ſunt apud omnes, ſed dubium eſt, an, cum ſimiles declarationes non ſoleant promulgari, & promulgatio ſit de eſſentia legis ad hoc, ut in actu ſecundo obliget, ſi *generales ſint*, & in forma authentica afferantur, nec jus novum conſtituant, ſed præexiſtens declarent, vim legis obtineant, vel potius interpretationis legalis, & non meræ doctrinalis? dixi notanter, *ſi Jus novum non conſtituant*, ſi enim hoc fiat, tunc in hunc finem Romæ more ſolito & publicari ſolent, & debent; uti patet in decreto ejuſdem Congr. de regularibus Apoſtatis & ejectis edito die 21. Sept. 1624. (ac refertur tom. 4. Bullarii Rom. conſtit. 28. Urbani VIII.) & aliis.

315. Statu quæſtionis ita expoſito, magna animorum contentione diſceptatur inter Canoniſtas circa authoritatem harum declarationum, qui in tres ſententias abeunt; aliis aſſerentibus, has declarationes eſſe ſolummodo doctrinales; aliis e contra eas vim canonicæ legis in utroque foro obligantis habere, ſi NB. ſolemniter promulgentur; aliis denique contendentibus, eas vim legis univerſalis, atque in utroque foro obligantis habere, etſi promulgatæ ſolemniter non ſint, modo *conſulentibus* in forma authentica ſupra deſcripta ſint extraditæ, atque in curia conſueta exhibitæ. Quam poſteriorem ſententiam ex profeſſo, & latiſſime propugnat Fagnanus in *cap. quoniam n. 6. & ſeqq. de conſtit.* Antequam mentem noſtram declaremus,

316. Notandum adhuc eſt, declarationem legalem alicujus canonis, vel conſtitutionis eſſe eam, quæ fit vel ab ipſo legiſlatore, ejuſque ſucceſſore, vel ad ejuſdem mandatum a privatis quidem, ſed nomine ac authoritate ejuſdem. Cujus ſortis olim erant in jure civili reſponſa Prudentum, quibus a Cæſare conceſſum fuit jura publice interpretandi, cum tanta authoritate, ut judici ab eorum reſponſo recedere non liceret, *§. reſponſa prudentum inſtit. de jure nat. gent. &*

civ.

civ. Declarationem vero Magiſtralem illam, quæ fit & ab homine privato, & ſimul privata authoritate, a qua proinde ex motivo contrario etiam non evidenti recedere cuilibet fas eſt.

317. Notandum II. Legislatores, dum aliis facultatem interpretandi legaliter, id eſt nomine ſuo conſtitutiones a ſe vel a Prædeceſſoribus latas tribuunt; eam quidem hiſce interpretibus elargiri authoritatem, ut leges juxta earundem declarationem in praxim mitti debeant, prout conſtat ex mox relato §. *inſtit. de jure nat. &c.* at nequaquam efficere, ut dicti Interpretes hac ipſa conceſſione donum infallibilitatis nanciſcantur, quo præditi genuinum ſemper legis ſenſum proculdubio aſſequantur; cujus rei exemplum nobis ſuppeditat ipſa, de qua impræſentiarum agimus, Eminentiſſima Cardinalium Congregatio, quæ aliquoties interpretationes ſuas, re maturius conſiderata, corrigendo, monſtravit, ſe donum infallibilitatis hac in re non habere; exempla ſimilium correctionum ex Fagnano *in c. ſeſſ.* 24. videri poſſunt. His prænotatis ſit

PROPOSITIO.

Declarationes Cardinalium ſupra N. 309. deſcriptæ ſi generales ſint, non ſunt mere doctrinales, ſed legales, ſeu vim legis Canonicæ, omnes Chriſtianos pro utroque foro obligantis, habentes.

318. PRobatur ratione fundamentali, etiam illos ſtringente, qui Concilium ſupra Pontificem eſſe aſſeverant. Oecumenicum Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. in fine *de recipiendis & obſervandis decretis concilii*, confidit R. Pontificem dubia, ſi quæ in hujuſcemodi ſanctionibus occurrerint, ſoluturum, eidemque id muneris, *commodiore quacunque ratione ei viſum fuerit*, exequendum committit. Sixtus V. R. Pontifex in cit. conſtit. *immenſa* §. *Deo autem Patri &c.* impertitur *Cardinalibus præfectis interpretationi & executioni Concilii Tridentini, ſi quando in his, quæ de morum reformatione, diſciplina, ac moderatione, & Eccleſiaſticis Judiciis, aliiſque hujuſmodi ſtatuta ſunt, dubietas aut difficultas emerſerit*, (ipſo tamen conſulto) *interpretandi facultatem*; ergo ſi generales ſint, & reliq. cit. num. requiſita habeant, vere ſunt legales. P. C. ex N. 316. ubi ex Jure civili probavimus eam interpretationem eſſe legalem, quæ fit nomine & authoritate ſupremi Principis, cum juxta illud Imperatoris effatum *l.* 1. §. *ſed neque C. de veteri jure enucleando* ibi. *omnia merito noſtra facimus, quia ex nobis omnis eis impertitur authoritas*; ergo ſi declarationes Papales debemus recipere tanquam legales, ſeu vim legis habentes, a quibus recedere fas non ſit, eadem reverentia recipiendæ erunt Declarationes Cardinalium.

Momenta Adverſariorum expenduntur.

319. OPponit Gibertus *Prologomenorum in Corpus Juris Canonici per regulas ordine naturali digeſti parte priore Tit.* 23. I. Cum magnus ſit numerus Congregationum Cardinalium, utpote quarum ad 15. inſtituit Sixtus V. & quarum ſingulæ Pontificis authoritatem exercent; ſi illarum Declarationes eſſent legales, leges in infinitum creſcerent, & ſimul occaſiones prævaricandi. II. Principes ſupremi, quorum nullus tot ſubditis præeſt, quot Papa, nemini concedunt Jus ferendarum legum ſubditorum univerſitatem ligantium. III. Nulla affertur conſtitutio Pontificia, qua expreſſe ſit declaratum, Pontificem intendere & cavere, ut Congregationum Declarationes vim legis univerſalis ſortiantur; quamvis opinionum varietas circa Declarationum earundem authoritatem eum non lateat; nec veriſimile eſt, factum fuiſſe, ut a tam neceſſaria definitione abſtineret, ſi vim legis univerſalis ejuſmodi declarationibus impertiri dignatus fuiſſet. IV. Sunt aliæ prærogativæ minus inſignes Pontificis perſonæ reſervatæ, quæ nunquam ſine ſpeciali clauſula communicantur ipſis etiam legatis *a Latere*, quorum tamen Officium ampliſſimum eſt c. 4. *de Off. Legati*. V. Leges vulgo Legislatoris nomine feruntur; ipſe in eis loquitur, & voluntatem ſuam diſerte aperit: Declarationes nomine Cardinalium proponuntur. Hæ conſiderationes, inquit, gravem adverſus Fagnani ſententiam præſumptionem efficiunt.

320. Reſp. Primo indirecte ad omnes, Gibertum omnium Congregationum Romanarum Declarationes indiſcriminatim oppugnare, adeoque ejus argumentum eſſe confuſum & inerme, cum omnium authoritatem non eadem decempeda metiamur; quare reſponſiones noſtras ad præſentem reſtringendo,

Reſp. Secundo directe ad I. Cum Declarationes Cardinalium non ſint *novæ* leges, ſed Canonum Tridentini Concilii Legales & Authenticæ interpretationes, id abſurdi non ſequitur, alias etiam dicamus illud ſequi ex interpretatione Papæ.

321. Ad II. Reſp. nos hic non loqui de poteſtate *ferendi* leges, ſed de poteſtate eas interpretandi legaliter, ſcilicet, ut talis interpretatio in eodem honore habeatur, ac ſi a ſuprema poteſtate fuiſſet lata, neminique ab ea recedere liceat, & talem olim fuiſſe conceſſam Juris Conſultis oſtendimus ſupra N. 316. ex Inſtitutionibus; ſimilemque Congregationi Cardinalium quoad decreta Concilii Tridentini a Sixto V. elargitam fuiſſe ex ejus conſtitutione N. 318. relata pariter eluceſcit. Per quod patet ad III. in quantum noſtram Congregationem ferit.

322. Ad IV. Dico, ſicut Pontifex habet ſuas rationes, quare ſibi minores prærogativas reſervet; ſic eas pariter habuiſſe cenſendus eſt Sixtus V. dum in cit. Conſtitut. poteſtatem declarandi Concilium Trid. Cardinalium Congregationi tribuit; & quæſo, ſi Cardinalium Congregatio eguit Conſtitutione Pontificia ad hoc, ut evadat Magiſterialis, nonne omnes Doctores pro ſuis commentariis egebunt Conſtitutione Pontificia? ſecedit, quod Papa Cardinalibus non dederit illimitatam poteſtatem interpretandi Concilium, ſed *ſe conſulto*, quod manifeſte evincit, illas interpretationes eſſe legales, Papamque id in ea Bulla intendiſſe.

323. Ad V. dico, ejus primum membrum tranſmitti poſſe, ſi loquamur de legibus, non autem de legum declarationibus, quæ non obligant tanquam novæ leges, ſed ad hoc, ut juxta illarum ſenſum Lex præhabita intelligatur, & executioni mandetur.

324. Objicit II. Vaneſpen *p.* 1. *Juris Eccleſ. univ. tit.* 22. c. 5. & I. quidem principale Adverſariorum fundamentum. Declarationes ab hac Congregatione emanantes per modum legis aut conſtitutionis publicari non conſueverunt; ergo non ſunt habendæ pro legibus generalibus. II. ſacra Congregatio ſua decreta nonnunquam correxit, ut ſupra N. 317. vidimus; igitur non eſt infallibilis in attingendo genuino ſenſu decretorum Concilii Trident. & conſequenter ejus Declarationes non ſunt tantæ authoritatis, ut ab iiſdem recedere nonnunquam non liceat.

325. Reſp. ad I. Argumentum, illud falſum eſſe, ſi loquatur de illis Declarationibus, quæ *novum* Jus conſtituunt, hoc eſt decretis Concilii aliquid addunt, vel ea diminuunt &c. Has enim Romæ authoritate Pontificia ſolemniter promulgari, ſupra N. 314. oſtendimus. Si vero loquatur de *nudis* Declarationibus genuinum ſenſum de-

Digitized by Google

creti ſolummodo exponentibus, Reſp. C. A. N. C. Nam promulgatio quidem requiritur in legibus ad hoc, ut obligent in actu ſecundo, non item in Declarationibus Legum, quæ legibus ipſis intrinſece inſunt, ac proinde non faciunt Jus novum, ſed ſolummodo Jus, quod prius erat, manifeſtant, atque declarant; atque juxta illas Lex ſemper fuit intelligenda juxta gl. *in cap. ſicut nobis v. Reſpondemus, de verborum ſignificatione*. Ac deſumitur ex Auth. *de muliere raptum paſſa §. Fin. collat. 9.* ubi Imperator de tali legum ſuarum declaratione loquens, ait: *quam interpretationem non futuris tantummodo caſibus, verum in præteritis etiam valere ſancimus, tanquam ſi noſtra Lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuiſſet a nobis.*

326. Inſtat Gibertus l. cit. Si ratiocinio huic locus eſſet, Conciliorum Generalium definitiones tam circa fidem, quam circa mores promulgatione haud indigerent; quoniam in lege divina includuntur, quam Scriptura & Traditio continent; & conſequenter ipſa nihil aliud ſunt, quam iſtius Legis Declarationes; nihilominus hæc Concilia definitiones ſuas promulgari jubent, eo fine, ut omnibus notum fiat id, quod in eis continetur, non ſolum in globo, quemadmodum fit in Scriptura & Traditionibus, verum etiam ſigillatim, ut diſtincte credi poſſit id, quod diſerte definitum eſt, & obſervari, quod præceptum eſt; ſicut ergo definitiones Conciliorum ante ſui promulgationem vim legis non habent circa eos, qui concilio interfuerunt; cum lex non obliget prius ſingulos, quam communitatem; ita hæ declarationes nunquam vim legis habebunt, quia nunquam ſolemniter promulgantur.

Reſp. I. Hanc replicam corrigere Imperatorem & ejus Legem a nobis mox allatam, in qua dicit *Declarationem* pro tempore præterito, quo nondum promulgata fuit, valere.

Reſp. II. Illam inſuper nimis, & conſequenter nihil probare; probat ſiquidem nullam Legem humanam poſitivam dari, cum tam civilis, quam Canonica contineantur in Lege divina, vel æterna, vel poſitiva, quarum Legum iſtæ juxta hanc replicam ſunt meræ declarationes; quod eſſe falſiſſimum, ſi declaratio ſtricte ſumatur, clamant myriades Legum Civilium & Canonicarum. Diſtinguere ergo debuiſſet egregius ille ac laborioſiſſimus Juris Canonici per regulas ordine naturali digeſtor inter Declarationem *large & ſtricte* ſumptam, & nobiſcum huic difficultati reſpondere: quod declarationes large ſumptæ, ſeu illæ, quæ continentur in lege aliqua v. g. Scriptura, & Traditionibus per modum ſequelarum ex principiis generalibus, promulgatione egeant ad hoc, ut obligent; non autem declarationes ſtricte ſumptæ, ſeu quæ genuinum ſenſum Legislatoris ſolummodo exponunt, juxta Legem citatam & veritatem. Primi generis Declarationes ſunt definitiones Conciliorum in replica allatæ, & illæ plerumque Declarationes Cardinalium, quæ Jus novum conſtituunt: ſecundi vero generis illæ, quæ in diſputationem præſentem inducuntur. Quamvis & has promulgari poſſe non diffiteamur, ſed quod promulgatio eſſentialiter ad hoc requiratur, ut rationem Legum, vel potius legalium interpretationum (ſic enim magis proprie appellari debent, cum non ſint novæ leges Concilio vel contrariæ, vel ex eodem eductæ) induant, id ex rationibus allegatis negamus.

327. Jam ad II. Vaneſpii Argumentum reſpondeo: eſto exempla relata evincant Eminentiſſimam Congregationem Cardinalium non eſſe prorſus infallibilem in attingendo vero ſenſu decretorum Concilii Trid. non tamen evincunt ejuſdem Congregationis declarationes non eſſe legales; ſi enim ad hoc, ut aliquis poſſet facere Interpretationem legalem alicujus legis, requireretur, ut dono infallibilitatis in attingendo ejus ſenſu ſit præditus, nullam interpretationem legalem haberemus, præter illam, quæ fit ab ipſo legis conditore, & quidem adhuc durante bona memoria, cum nec ejus ſucceſſores infallibilitatis dono quantum ad hoc ſint prædíti. Nec probant, quod pro libito privatis liceat a ſimili Declaratione recedere, vel nonnunquam ſaltem ex gravi momento; ſi enim Judicibus in Jure civili non licebat recedere a reſponſis Juriſconſultorum, eo quod eſſent legales interpretes Legum Civilium, multo minus ex eadem ratione a Declaratione Cardinalium recedere licebit; eo vel maxime, quod reliquæ Congregationes Romanæ atque etiam ipſa Rota Romana, de qua ſtatim, eiſdem Declarationibus abſque ulla oppoſitione vel ambiguitate ſe ſe ſubmittant, eaſque omnimode obſervent, etiam dimiſſis ipſis Rotæ deciſionibus, ſi quando contrariæ ſunt; quod manifeſtum ſignum eſt, has declarationes, ſi circumſtantias ſupra enumeratas habeant, eſſe authoritativas, & vim legis habentes.

Ad dictorum hucuſque majorem intelligentiam ſummatim hic referemus ſex Concluſiones Fagnani, quibus *in cap. cum veniſſet, de Judiciis* decretorum ſupra rel. ſenſum exponit. 1. itaque contendit neminem alium, quam Pontificem decreta Trid. interpretari poſſe, *per formam legis univerſalis*. 2. Pontificem hanc facultatem committere poſſe, & de facto commiſiſſe Congregationi Cardinalium, ad interpretationem Tridentini conſtitutæ. 3. Epiſcopos non poſſe interpretari hæc decreta neque in Conciliis Provincialibus, neque in Synodis Diœceſanis, neque extra hæc comitia in modum legis ad ſuum diſtrictum directæ, neque Judices in ſuis Judiciis in modum ſtatuti. 4. Doctores neque *Gloſſas*, neque *Commentarios*, neque *Notas* in illa decreta facere poſſe ſub pœna excommunicationis. 5. Aſſerit Doctores & Judices illa decreta interpretari poſſe ratione alicujus difficultatis ſolvendæ: & litis dirimendæ; quam interpretationem vocat indirectam, & incidentem, quæ non cadit principaliter in decreta, ſed in difficultatem aut litem, quæ ipſi occaſionem præbuit. 6. Has Bullas non interdicere Interpretationem literalem aut grammaticalem ad decretorum intellectum neceſſariam, quales fiunt in Scholis, Concionibus, & Catechiſmis (1).

§. II.
De Rota Romana.

328. HOc Summi Pontificis in cauſis *Litigioſis* Tribunal & Judicium *Rotæ* nomen veroſimiliter accepiſſe, eo quod ejus membra in circulari menſa accumbunt, exiſtimat Cardinalis de Luca *diſcurſu 32. in relatione Curiæ Romanæ forenſis num. 61.* Olim 14. & quandoque plures pro arbitrio Pontificum exſtiterunt Auditores Rotæ: verum Sixtus IV. in Conſtitutione, quæ incipit *Romani Pontificis*, illos ad numerum duodenarium reduxit; iidemque non niſi ex famoſis Juris Doctoribus, ac præcipue experimentatis, ſimulque ex diverſis aſſumuntur nationibus, ut hac ratione in illo tribunali exiſtant viri, qui in ſingulis reſpective Provinciis & nationibus verſati ſunt.

(1) *Quæ hactenus hinc inde allata ſunt argumenta, facili negotio componuntur. Nam ſi Cardinalium declarationes & interpretationes ſint univerſaliter ab Eccleſia receptæ, & traditionibus, ac Canonum ſanctionibus uniformes, tunc jure merito vim legis habere debent. Si vero peculiares ſint pro aliqua Provincia vel loco dumtaxat emanatæ, tunc nonniſi doctrinales ac inſtructivæ eſſent.*

329. Otcsſiuntem, imo neceſſitatem inſtiruendi hujus Tribunalis Romanis Pontificibus impoſuit ingens cauſarum, & negotiorum moles, quæ ſucceſſu temporis ad Romanam Sedem devolvi cœperunt; cum enim ſingulis terminandis Romanus Pontiſex intereſſe non poſſit, præter *Conſiſtorium*, in quo pro expediendis primariis & majoribus negotiis ſolet Adjurores, & Conſiliarios adhibere Cardinales, ab antiquo jam erectum fuit *Auditorium Rotæ*, cujus Officium eſt univerſorum Chriſti Fidelium cauſas Eccleſiaſticas, ac etiam ſæculares eorum, qui temporali Juriſdictiooi Pontificiæ ſubſunt, ex commiſſione Pontificia coguoſcere, & juſte terminare: quamvis de facto poſt erectas tot alias ſacras Congregationes non amplius tam copioſus ſit numerus cauſarum ſpiritualium ſeu Eccleſiaſticarum in hoc Tribunali diſcuticndarum, ſicut antiquitus.

330. Deciſiones Rotæ Romanæ non faciunt Jus univerſale, ſed ſunt Magiſtrales & probabiles tantum. Ratio eſt, quia nullibi reperitur Auditoribus Rotæ Romanæ fuiſſe conceſſam poteſtatem Jus novum condendi, ſed duntaxat ſecundum jura jam poſita in cauſis particularibus judicandi, aut ſententiam ferendi, uti conſtat ex Bulla Martini V. quæ incipit *in Apoſtolica*, ubi §. 18. præcipit Pontiſex, *quod prædicti Auditores, & eorum loca exercentes libros Juris ordinarios ad minus continuo ſecum habere teneantur*, ſecundum quos videlicet ſententiam ferant. In qua Bulla, ſicut & in 44. Pii IV. quæ incipit *in Throno*, plene habetur materia de qualitatibus, admiſſione, & Officiis auditorum Rotæ, ſicut & de iis, quæ in hoc tribunali tractantur.

331. Faciunt tamen Jus inter partes litigantes, hoc enim commone eſt cæteris ſententiis judicialibus, ſi pars lapſa non appellet, vel tres ſententias conformes reportet. Ubi ſciendum, quod in Rota Romana ordinarie (niſi videlicet pro caſu ſpeciali aliud mandaverit Pontifex) ſolum 4. ex 12. Auditoribus circa ſingulas cauſas votum proferant; atque ſi in eandem concorditer conſpirent ſententiam, vel ſaltem tres ex ipſis concordent, capiatur reſolutio; a qua ſi pars ſuccumbens appellarit, aliis 4. ex eodem gremio cauſa examinanda, & definienda committitur, niſi quis in duplici jam appellatione ſuccubuerit, ut habet Card. de Luca l. cit.

332. Imo Deciſiones Rotæ Jus facere in curia Romana ad inſtar ſtyli tradit Joannes Franciſcus Pavinus *in Præludiis Extrav. Joan. 22. v. Deciſiones Rotæ*, & poſt ipſum Fagnanus; unde etſi Juris Quæſtio ſit admodum controverſa inter Doctores, ſi tamen ſuper una ejus parte uniformes ac ſæpius repetitæ procedant deciſiones Rotæ, tandem faciunt conſuetudinem & ſtylum in curia ita communiter decidendi, quamvis alii Judices aliter judicare poſſint, cum hæ deciſiones, uti diximus, non faciant Jus commune: quæ tamen in genere magnum authoritatis pondus habent, eo quod ſint deciſiones unius ex ſupremis Chriſtiani Orbis tribunalibus, & nonniſi ſumma cum maturitate prodeant; ita ut Imola, Fagnanus, & alii cenſeant, eas prævalere communi opinioni.

§. III.
De Rubricis, Summariis, Superſcriptionibus, & Gloſſis Juris Canonici.

333. Rubricæ, quantum ad Jus Canonicum, ſicut & civile, vocantur *titulorum* inſcriptiones, eo quod antiquitus rubeis literis notarentur. In Miſſalibus, Breviariis, Pontificalibus &c. præcepta iiſdem inſerta, ob eandem Characteris diſtinctionem, eodem vocabulo deſignantur. Inveniuntur tantum in illis collectionibus, quæ ordinem argumentorum ſeu titulorum ſervant, quoniam non ſunt aliud, quam ipſi tituli rubris literis ſcripti, ſub quibus coordinarunt Collectores Canones Conciliorum, decreta Pontificum, ſententiæ Patrum, & Leges civiles de eodem argumento tractantes.

334. Rubricæ generaliter dividi poſſunt dupliciter, videlicet in authenticas, & Magiſteriales. Authenticæ ſunt illæ, quas Compilatores codicum, ſervantes ordinem argumentorum, in ſuis collectionibus canonibus ordine præfixerunt, quæque ſubinde cum tota compilatione a legitima poteſtate approbatæ ſunt. Magiſteriales vero ſunt eæ, quæ ultima prærogativa authenticarum carent, ſeu quæ in tali compilatione exiſtunt, quæ nunquam fuit approbata. Primi generis ſunt Rubricæ Decretalium Gregorii IX. & reliquarum partium has decretales in corpore Juris Canonici ſequentium, eo quod omnes authoritatem Codicum legalium habeant, ut ſupra c. 5. a §. 2. probatum eſt, & poſteriores inſuper iiſdem titulis vehantur, quibus Decretales Gregorii IX. quamvis paucioribus. Secundi generis ſunt Rubricæ Decreti Gratiani, cum enim illud Decretum authoritate legali careat, ſeu nunquam approbatum fuerit a legitima poteſtate, quamvis Sanctiones in eo relatæ ut plurimum a ſuis authoribus vim legis obtineant, Rubricæ tamen, quia vel a Gratiano, vel ab alio privato confectæ, Magiſtrales ſolummodo cenſentur.

335. Rubricæ authenticæ ulterius dividi poſſunt in præceptivas & non præceptivas, ſeu, quod idem eſt, imperfectum ſenſum habentes. Rubricæ authenticæ præceptivæ, ſeu perfectum ſenſum habentes, vim legis habent, poſſuntque allegari *diſpoſitive*, ut loquuntur Canoniſtæ. Exempla earundem adducemus ex Decretalibus Gregorii IX. cum reliquæ partes Juris Canonici eaſdem Titulos ſervent. Primum exhibet *lib. 2. tit. 6. ut lite non conteſtata, non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam.* Alterum eſt ibi *tit. 16.* Tertium eſt in *lib. 3. tit. 9.* Quartum eſt ibi *tit. 12.* Quintum eſt pariter ibi *tit. ult.* Sextum eſt *lib. 5. tit. 4. & 5.* Ejuſmodi præcepta eo majus habent pondus, quod multis poſtea confirmentur textibus relatis in Titulo, cujus ſunt inſcriptio. Rubricæ authenticæ perfectum ſenſum non habentes, ſeu quæ nihil præcipiunt aut vetant, adeoque vim legis non habent, triſariam dividuntur; quædam ſignificant actus quoſdam in certis caſibus licere, in cæteris vetari; talis eſt rubrica de *rebus Eccleſiæ alienandis, vel non &c.* Quædam docent, quibus modis auxilium Superioris imploretur circa Judicium redditum, vel reddendum; talis eſt rubrica de *appellationibus, recuſationibus, relationibus.* Quædam enumerant modos procedendi adverſus ſontes; talis eſt Rubrica *de accuſationibus, inquiſitionibus, & denuntiationibus.*

336. Nulla eſt, ut jam dictum eſt, nova Rubricarum ſpecies in collectionibus Gregorianæ poſterioribus; in Gregoriana autem ſunt quinque a veteribus decretalium collectionibus, de quibus ſupra c. 4. §. 11. egimus, abſentes. E quibus juxta ordinem alphabeticum prima eſt *de cuſtodia Eucharistiæ, Chriſmatis, & aliorum Sacramentorum* lib. 3. tit. 44. Secunda *de litis conteſtatione* lib. 2. tit. 5. Tertia *de maledicis* lib. 5. tit. 26. Quarta *de reliquiis, & veneratione Sanctorum* lib. 3. tit. 45. Quinta *de Summa Trinitate, & Fide Catholica* lib. 3. tit. 1. Unam Rubricam, quæ reperitur in veteribus Decretalibus, omittit Collectio Gregoriana, videlicet illam, quæ in ſecunda collectione habetur lib. 5. tit. 22. *De Suffrageneis*, id eſt, de *Suffragiis*, ut indicant Argumenta Textuum ſubjectorum ad miſſam, preces,

 officia-

officiaque divina pertinentium. Ex 185. Rubricis collectionis Gregorianæ 83. e Codice Juſtinianeo deſumptæ ſunt; cæteræ illas imitantur. Bernardus Papienſis primus eſt utrarumque author, quod eas fecerit, aut collegerit, aut ordinaverit in prima collectione *Decretalium* poſt Decretum Gratiani a ſe adornata, de qua ſupra c. 4. §. 11.

337. Proverbium in Jure eſt, *valet argumentum a rubro ad nigrum*, ſeu a Rubrica ad Textum; quod perinde vult dicere, ac quod Rubricæ *Decretalium* recte allegentur in Judiciis, atque ad deciſiones cauſarum Eccleſiaſticarum; eo quod perinde ac textus, ſeu nigrum, ſint a poteſtate legitima authorizatæ, quoniam juxta reg. 80. in 6. *In toto partem non eſt dubium contineri*. Pro qua argumentatione nota ſequentem regulam generalem: videlicet aut rubrica conſonat nigro, aut eidem contradicit; ſi contradicit, non licet argumentari a rubro ad nigrum, ſed ſtandum eſt nigro, ſive clara textui Canonis, Legis, aut Statuti, tanquam magis deliberato, magiſque ſpeciali, & ſimul poſteriori, cum poſteriora prioribus, & generi ſpecies deroget, nec rarum ſit in Jure Canonico, quod a Rubrica generaliter loquente poſtmodum excipiantur caſus ſpeciales. Quod ſi vero Rubrica conſonet nigro, tunc ſi ſecundum ſuperius dicta continet ſenſum perfectum, allegatur *diſpoſitive* ſicut ipſa lex, ſeu nigrum, atque per illud roboratur. Si vero ſenſum perfectum, vel etiam imperfectum continet, tunc vel allegatur *declarative*, hoc eſt, quod per illam verba nigri obſcura, vel ambigua poſſint, ac debeant declarari: vel *extenſive*: nam Rubrica generalior nigro, & habens perfectam orationem debet attendi, ac ſufficit ad deciſionem cauſarum, & non reſtringitur per nigrum magis ſpeciale, ſed potius iſtud ampliat: dummodo hoc intelligatur ſub certis modificationibus. De quibus vide P. Reiffenſtuhl in proœmio ſui Juris Canonici §. 6. a N. 100. ad finem.

338. Summaria in Jure Canonico ſunt breves illæ periodi, quibus Capitula ſub Titulis ſeu Rubricis ſingulis contenta ſummantur, ſeu in brevem ſummam rediguntur. Non habent authoritatem legalem, nec ſunt de textu, ſed tantum magiſterialem, quia pro majori legentium commoditate primum addita fuerunt a privatis Doctoribus. Quia vero conſtituuntur ex his, quæ canonum ſive legum expreſſa verba ſonant, merito ſummaria in magna æſtimatione ſunt habenda, ſed non ideo præciſe, verum etiam ex ſequentibus utilitatibus.

339. Nam 1. ſi variæ ſunt textus interpretationes, illud docemur per Summarium, quod monet, quinam intellectus vulgatior, aut veroſimilior ſit. 2. Si textus varios ſenſus patitur, monet id Summarium, atque utrumque exhibet. 3. Si textus alium in terminis ſenſum habeat, quam in mente, id ſignificat Summarium dicens, *adhærendo literæ*, vel *ſecundum mentem*, ſive *intellectum*. 4. Quando aliquid in textu deficit, atque illud ſuppeditat gloſſa, utrumque in ſumma jungitur, ut ſenſus purior, atque perfectior eruatur, idque indicatur. 5. Si textus crebro locum habeat, id monet Summarium. 6. Idem præſtat, ſi diſpoſitio ſingularis aut inſignis fuerit. 7. Si textus aliis textibus adverſetur, illud obſervat ſumma, ſimulque id, cui inhærendum eſt. 8. Si plures ſint partes in textu §§. non diſtinctæ, Summarium dat ſingularum partium ſenſum. 9. Quando textus res alienas continet aut non congruas, id monet Summarium, quod eligit partem titulo congruentem; quod ſignificat per hæc verba *quoad Titulum*. 10. Quoad prolixos textus valde laborem, quem Lector in iis abſque auxilio legendis pateretur, imminuit Summa. 11. Quando textus plura continet invicem non cohærentia, ſummarium illam varietatem ſæpius advertit.

340. Veteres Decretalium Collectiones ante Gregorianam editæ non habent Summaria. In Gregoriana ſicut & in ſexto, & Clementinis plurima nominatim ſuos referunt authores, ex quo vel ab ipſis perſonaliter facta, vel ſaltem ex eorum doctrina deſumpta ſint. In Extrav. Joan. XXII. & communibus nullus Author in Summis Textuum nominatur, qui proinde ignorantur. In Decreto Gratiani non omnes Canones Summariis inſtruuntur, pauciſſima ſunt in Canonibus, qui continentur in diſt. 7. *in pœnitentia*, & longe pauciora præfiguntur *paleis*; eorundem authores pariter ignorantur.

341. Summariorum Authores, qui referuntur in Decretalibus Gregorii, ſunt Joannes Andreas, qui ſæculo XIV. Antonius de Butrio, qui ſæculo XV. floruit, & Abbas Panormitanus, cui major pars Summariorum adſcribitur, ſive ipſe fecerit, ſive ex ejus operibus deſumpta fuerint; quædam etiam a *Gloſſa* excerpta ſunt. In ſexto & Clementinis Joannes Andreas ſæpe occurrit, tum Dominicus a S. Geminiano, qui ſæculo XV. vixit. Multa fecit Zenzelinus, vel ea ex ejus operibus deſumpta ſunt. Nonnulla ſunt Joannis de Panvinis, multa e Gloſſa deſumuntur, aut ad eam remittunt.

342. Superſcriptiones Capitulorum nihil aliud ſunt, quam indices fontium, unde Canones, Decreta Pontificum, Sententiæ Patrum, & Leges civiles deſumptæ ſunt. Tam Decretum, quam reliquæ partes Corporis Juris Canonici habent ſuperſcriptiones. Sic ſæpe Gratianus Canoni a ſe relato præfigit: *Unde Hieronymus ait in epiſt. ad Titum, unde Auguſt. ait in epiſt. ad Titum*, quo ſignificat ſe Canonem defloraſſe ex horum Patrum Commentariis in ep. ad Titum &c. Sic in Decretalibus, & aliis Corporis Juris Canonici partibus ante capitula habetur: *Ex Concilio Lateranenſi*, vel *Gregorius Maximo Salonenſi Epiſcopo &c.* Quibus indicatur, capitula eſſe deſumpta ex Canonibus Concilii Lateranenſis, vel ex epiſtola Gregorii ad Maximum Salonenſem Epiſcopum &c. Plurimas in Gratiani Decreto non correcto eſſe partim falſas, partim Apocryphas Superſcriptiones, nec omnes a Correctoribus Romanis eſſe ſublatas ſupra c. 5. §. 1. agendo de eodem Decreto monſtravimus. Imo etiam in Decretalibus una vel altera a viris eruditis notatur, de quibus videatur Antonius Auguſtinus in ſuis Dialogis de emendatione Gratiani. Cæterum ſuperſcriptiones capitulorum in Decretalibus poſitæ exiſtunt authenticæ, atque ex illis in Jure validum ſumitur argumentum, cum in volumine Decretalium a Papa approbato, aliis ſuperfluis rejectis, hæ ſuperſcriptiones manſerint.

343. Gloſſæ nomine intelligimus hic illas interpretationes Canonum, aut etiam notas in quædam illorum verba, expoſitione indigentia, quæ cum ipſis Corpori Juris inſeri ſolent, & ad marginem extra textum collocari, atque in textu per ſigna alphabetica, vel alia ad ipſas remitti. Si de Juris generatim ſpectati interpretatione ageretur, Ivo Carnotenſis, & Gratianus inter Latinos Gloſſatores agmen ducerent; primus enim in ſuæ Collectionis præfatione abſolutiſſimas Juris Interpretandi exhibuit regulas; quibus alter in conciliatione diſcordantium ad ſpeciem canonum uſus eſt. Poſt hos Bernardus Papienſis in primam veterum Decretalium a ſe adornatam compilationem gloſſas ſcripſit.

344. Vetuſtiores Gloſſatores Collectionum Corpori Juris inſertarum ſæculo XIII. floruerunt, recentiores XV. Quidam ex iis Gloſſas in plures

Colle-

Collectiones elucubrarunt. Sic Guido Baiſius, dictus Archidiaconus, Gloſſas ſcripſit in Decretum, & Decretales. Joannes Andreas in ſextum & Clementinas. Juxta S. Antoninum in Gloſſatores Decrati primas obtinet Hugutio, ſive Hugo Vercelenſis, ſecundas Joannes Semeca natione Germanus, qui celeberrimus eſt, & nomine *Joannis* antonomaſtice indicatur. Eidem ſucceſſit Bartholomæus Brixienſis, qui in Gloſſas Joannis Semecæ operam contulit, eum, ubi erraverat, emendando, ejus omiſſiones ſupplendo, denique mutationes in Jure, poſt ejus Gloſſam factas, obſervando. Præcipuus Decretalium Gregorii IX. Gloſſator eſt Joannes Parmenſis, item Abbas Panormitanus, ſeu Siculus, Zabarella, qui ſæpius ſub nudo Cardinalis nomine laudatur, Zrozelinus, & Joannes ab Imola in Clementinas & Extravagantes Gloſſas confecerunt; quibus junga Joannem Picardum Cardinalem, Gulielmum de monte Cauduno, & Pavinum.

345. Inter omnes conſtitutiones corpori Juris Canonici inſertas *c. 3. de verborum ſignif. in 6.* quod regulam S. Franciſci Seraphici declarat, hoc ſpeciale habet, quod Nicolaus III., cujus hæc eſt Conſtitutio, in fine ejuſdem ſub pœna anathematis illud gloſſari prohibuerit. Joannes vero XXII. agnoſcens hanc prohibitionem eſſe periculoſam, eam ſuſpendit, donec aliter Sedi ſuæ videretur. Nicolai III. exemplum ſecuti ſunt Pius IV. & V. qui ſub eadem pœna vetuerunt, ne decreta Concilii Tridentini gloſſarentur, ut ſupra N. 308. vidimus.

346. Licet magna, & cæteris paribus major ſit authoritas Gloſſæ, quod digna judicata fuerit, ut ad Canonis declarationem in Corpore Juris poneretur; nihilominus illa non habet authoritatem Legis, cum a privatis Authoribus condita, & nunquam pro lege approbata ſit, nec eſt attendenda, quando meliora Juris fundamenta, & rationes contra illam militant; imo in ipſa Gloſſa Doctrina & Authoritas ejuſdem Authoris inſpicienda eſt; quæ teſte Laimanno inſuper inaniter allegatur abſque textu, ſi ipſum Jus expreſſum habetur, utpote ex quo tota pendet reſolutio. Si vero Gloſſa plures refert opiniones, tunc in dubio & niſi aliud ex verbis ejus colligi poſſit, præſumitur approbare ultimam. Poſtremo Correctores Romani a Greg. XIII. ad emendationem Decreti Gratiani delecti ita Gloſſæ pepercerunt, ut ab omni emendatione abſtinuerint, quæ Gloſſæ intellectui officere potuiſſet. Unde ſæpe leges illa verba: *Sed propter Gloſſam nihil eſt mutatum*; ex quo patet, quanta in æſtimatione illo tempore fuerit Gloſſa.

CAPUT VIII.

De Concordatis Sacerdotium inter & Imperium, ſtatum Germaniæ concernentibus.

347. CONcordatorum nomine veniunt in Jure Eccleſiaſtico pacta Pontificem inter & Principes in bonum Eccleſiæ conventa, quibus nempe ceu pacificis tranſactionibus, quælibet pars aliquid ex prætenſis Juribus dimittebat, & rurſum aliquid obtinebat. Non agemus hic de concordatis antiquioribus Pontifices inter & Imperatores, qualia ſunt pacta Adriani cum Carolo M., & ſuccedentium Pontificum cum Ottonibus; item de famoſa renuntiatione Henrici V. ac reverſalibus Calliſti ſecundi; ſicut nec de concordatis aliarum nationum cum ſede Romana, qualia ſunt concordata inter Franciſcum I. Galliæ Regem, & Leonem X. R. Pontificem, tum quia tam amplum tractatum præſentis opuſculi anguſtia non ſuſtinet, tum quia ſcopo hujus capitis non deſerviunt, utpote quod notis noſtris Hiſtoricis in Symbola & Conſtitutiones Pontificias, præcedentis capitis Paragrapho poſtremo jam abſolutis, per modum appendicis pure in gratiam cupidæ Legum Eccleſiaſticarum juventutis in Germania exiſtentis adjicitur, ut illius adminiculo circa Conſtitutiones Pontificias Generales, quibus pacta conventa derogant aut illas modificant, limatius Judicium inſtituere valeat; quod utique ex concordatis noviſſimis, quæ derogant, aut plane abrogant priora, optime conſequetur. Sit igitur

§. Unicus.

De Concordatis inter Fridericum III. & Nicolaum V.

348. HÆc concordata inter Fridericum III. Imp. & *nonnullos* Imperii Principes tam Eccleſiaſticos, quam Laicos ex una, uti habetur ex ipſorum Concordatorum ingreſſu, nec non Legatum Nicolai V. Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem ex altera parte ſunt inita Aſchaffenburgi, ac poſtea a. 1447. a Nicolao V. ſolemniter confirmata. Exſtantque tum alibi, tum apud Goldaſtum tom. 1. Collectionis Conſtitutionum Imperialium pag. 408.

349. Occaſio horum Concordatorum fuit querela Germanorum circa reſervationes Beneficiorum a Sede Apoſtolica ſucceſſive factas, item circa gratias exſpectativas, quibus Jura Ordinariorum, Capitulorum, Patronorum, atque Collatorum lædi querulabantur; atque etiam circa exceſſum Annatarum, quarum nomine intelliguntur fructus primi anni, ex beneficiis Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & ab eadem impetratis, Cameræ ipſius perſolvendi; quibus præſentibus concordatis remedium allatum eſt.

350. Sex potiſſimum conſtant articulis hæc concordata, in quorum *primo* Papa ſuæ collationi reſervat omnia Beneficia Eccleſiaſtica, cujuſcunque dignitatis, & nominis, quæ apud Sedem Apoſtolicam vacare contigerit. Dicitur autem beneficium apud *Sedem Apoſtolicam* vacare, ſi Papa deponat beneficiatum, vel illum beneficio privet, transferat, electionem caſſet, poſtulationem repellat, reſignationem admittat; item ſi beneficiatus ſit Cardinalis, vel actualis Papæ familiaris, aut ſi moriatur in loco ultra duas diætas Roma non diſſito, quiſcunque demum fuerit; aut ſi promoveatur a Papa ad Epiſcopatum, Prioratum &c. In *ſecundo* Eccleſiis Metropolitanis & Cathedralibus, ſicut & Monaſteriis immediatis Jus eligendi ſuos reſpective Prælatos ſecundum terminos Juris communis aſſeritur, ita tamen, ut electiones præſententur Romano Pontifici, qui legitimas confirmabit: *niſi ex rationabili & evidenti cauſa*, ac de conſilio Cardinalium de digniori, & utiliori perſona Papa duxerit providendum. In *tertio* modificantur gratiæ exſpectativæ quantum ad hoc, quod, ut ibi dicitur, *Regularia* beneficia ſub exſpectativis gratiis non cadent, reſervatis interim beneficiis ſæcularibus hujuſmodi gratiis, quæ tamen gratiæ exſpectativæ, ſicut & reſervationes mentales a Concilio Trid. *ſeſſ.* 24. a. 19. penitus ſunt abrogatæ. Cujus ſummarium eſt tale: *Exſpectativis hactenus conceſſis uti nulli fas eſto. Reſervationes mentales &c. nulli concedantur.* In *quarto* Papa ſibi reſervat majores poſt Pontificalem dignitates in Eccleſiis Cathedralibus, & principales in Collegiatis. Ubi notandum, quod alicubi in Collegiatis Eccleſiis principalis dignitas ſit Præpoſitura, alicubi Decanatus; ſed hæc reſervatio in multis Eccleſiis non viget. In *quinto* ſtabilitur *alternativa menſium* inter Papam & Collatores ordinarios, quibus nimirum Papa, vel Collatores ordinarii beneficia vacantia conferant.

Menſes Papales ſunt *Januarius*, *Martius*, *Majus*, *Julius*, *September*, *Novembre*. Menſes ordinariorum Collatorum ſunt reliqui; ita ut ſi beneficium v. g. Canonicatus vacet in *Januario*, illud Papa, ſi in Februario illud ordinarius Collator conferet. Menſibus Papalibus ex Privilegio fruuntur Cardinalis, ex indulto unus alterve Elector Eccleſiaſticus; Collatarius item Romæ debet impetrare novam proviſionem. In *ſexto* Annatis exigendis modus ſtatuitur, ut ſi quæ Eccleſiæ exceſſive gravatæ ſunt, provideatur ſpecialiter in gravatis regionibus, ad quod petentibus pontifex reſpondet daturum commiſſionem in partibus.

351. Hæc Conventio ex mente paciſcentium eſt perpetua & abſoluta; duo ſolum articuli habent adjectam conditionem: *niſi in futuro Concilio de conſenſu dictæ nationis aliter fuerit ordinatum*; nempe circa alterationem menſium, & ſolutionem Annatatum. Illi igitur derogare nequit, niſi renuntiatio, & derelictio alterutrius partis, qui tamen modus ſeſe liberandi e concordatis vix habet locum, cum utraque pars invigilet obſervantiæ concordatorum. Validior eſt exceptio *non exhibiti conſenſus & antiquiſſimæ conſuetudinis*, quam pro ſua libertate multæ Eccleſiæ, etiam tantum collegiatæ in Germania opponunt concordatis. Fundamentum prioris exceptionis præbet ipſe tenor horum concordatorum, quod nempe illa facta ſint non concurrente toto corpore Germanico, ſed *nonnullis* Eccleſiaſticis, & ſæcularibus Principibus, & conſequenter probare debet Curia Romana, illos, contra quos allegantur concordata, fuiſſe de numero conſentientium. Hinc Eccleſiæ Herbipolenſes tum Cathedrales, tum Collegiatæ ignorant menſes Papales. Alibi majores & principales dignitates ex conſuetudine ſunt electivæ, in quo jure, juxta Capitulationem noviſſimam Franciſci I. Rom. Imp. ſemper Auguſti art. 14. §. 1. Capitula ſunt protegenda. Ubi etiam Imperator ſe obligat, & vult omnem poſſibilem conatum apud Sedem Romanam adhibere, Das gegen der Erk und Biſchoffen, oder der Dom-Capiteln abſonderliche Privilegia, hergebrachte Statuta, und Gewohnheiten, ſonderlich durch *Reſignation*, dann darauf unternehmende Collation all ſolcher Præbenden, Prælaturen, Dignitäten, und Officien (welche ſonſten per obitum ad Curiam Romanam nicht devolviret werden, ſondern jederzeit, ohnerachtet in welchem Monath ſie auch ledig, und vacirend würden, denen Erk-und Biſchöffen, auch Capiteln, und anderen Collaturen heimbfallen) in keine Weiſe gehandelt werdt. Quæ ſtipulatio derogare videtur articulo primo concordatorum; vigore ejus quæcunque beneficia per *renuntiationem* ad Pontificem devolvi poſſunt in verbis: vel per eos facta *renuntiatio*, & admiſſa authoritate noſtra extiterit.

CAPUT IX.

De Pace Religioſa.

352. CUm Pax Monaſterienſis, ſeu Weſtphalica a Ferdinando Imperatore, cum Germaniæ, & Sveciæ Principibus heterodoxis inita, communi Imperatoris, Reginæ Sveciæ, & Principum Germanorum conſenſu (Catholicis quidem dura neceſſitate, & metu majoris mali, ob fractas ea tempeſtate eorundem vires ad id adactis) ſtabilita ſit, ac confirmata, ita, ut tenore articuli 17. *in Legem perpetuam, Sanctionemque Pragmaticam* Imperii Romano-Germanici evaſerit; atque in hujus pacis art. 5. §. 1. *Tranſactio Paſſavienſis*, & illam ſecuta *Pax Religioſa*, juxta quod A. C. 1556. Auguſtæ Vindelicorum, & in aliis diætis Imperii confirmata fuit, quoad omnia puncta, articuloſque manutenenda, ſancteque, ac inviolabiliter obſervanda præcipiatur; ut utriuſque hujus pacis Religioſæ nimirum, & Monaſterienſis, ſeu Weſtphalicæ, in quantum Religionis concernit negotium, adeoque ad præſens inſtitutum pertinet, notitia non defraudetur Juris Eccleſiaſtici Candidatus Allemannicus, de prima agemus præſenti capite, de altera ſequenti, quo & præſens opuſculum terminabimus. Deſumemus autem materiam utriuſque capitis ex principiis Juris publici Eccleſiaſtici Catholicorum ad ſtatum Germaniæ accommodatis nupertime editis, ex quibus etiam quædam delibavimus Capite præcedenti.

353. Poſt tranſactionem Paſſavienſem inter Ferdinandum Regem Romanorum, & Mauritium Saxoniæ Ducem, aliosque Fœderatos A. C. 1552. initam, (quæ exſtat apud Goldaſtum tom. 1. pag. 566.) in qua de viſceribus cauſæ Religionis, ac fidei controverſiis nihil actum eſt, ſed de ſolo vitæ, ac converſationis externæ pacifico commercio, ac inter alia primo loco ſtatutum: *ut Cæſar* (Carolus V.) *indiceret intra ſemeſtre Comitia, in quibus deliberetur de modo Religionis diſſidium componendi*; hoc ſemeſtri ob varia præſertim belli intercurrentia negotia, uſque ad triennium protracto, tandem A. 1555., quo Ferdinandus Rex cum plenitudine poteſtatis, adjunctis ſibi e latere Commiſſariis Cæſareis, & reliqui Ordines Imperii tam Catholici, quam Auguſtanæ Confeſſioni addicti Auguſtam Vindelicorum convenerunt, pax iſta, quæ ob materiam eidem ſubſtratam *Religioſa* dicitur, condita eſt; quæ commode etiam dicitur *pacis publicæ* Paſſaviæ initæ *ad cauſas Religionis extenſio*.

354. Scopus hujus pacis fuit, ut per eam *via* ſterneretur ad componendum principalem diſſidentis Religionis articulum; damit man deſto ehe zu chriſtlicher, freundlicher, und endlicher Vergleichung der ſpaltigen Religion kommen möge. §. 25. Hic enim articulus velut res altioris indaginis, & longioris moræ in aliud opportunum tempus ibidem §. 9. 10. & 11. differtur. Unde objectum hujus pacis non erat ipſa fides, nec approbatio novæ Religionis, utpote ſphæram poteſtatis hujus Auguſtani congreſſus excedens, ſed *ſola Tranquillitas externa*, tanquam unicum præliminare medium ad reſtaurandam poſtea in fide concordiam.

355. Articuli Pacis Religioſæ ſunt ſequentes. I. Nullus ſtatus Imperii propter Auguſtanam Confeſſionem vim aut contemptum patiatur §. 15. quod ipſum extenditur ad Nobilitatem immediatam §. 26.

II. Diſcors Religio non aliter, quam Chriſtianis, amicis, ac pacificis viis & mediis ad unanimem conſenſum reducetur. *ibid.*

III. Maneat Converſio quorundam Collegiorum, Monaſteriorum, aliorumque bonorum Eccleſiaſticorum (niſi bona occupata pertineant ad ſtatus Imperii, item, niſi Eccleſiaſtici, etiam *mediati*, tempore tranſactionis Paſſavienſis, aut hactenus illa poſſediſſent) ad pios & alios uſus a Proteſtantibus facta. §. 19.

IV. Suſpenſa eſto Juriſdictio Eccleſiaſtica (ſalvis tamen Eccleſiaſticorum reditibus, decimis, cæteriſque juribus) adverſus Auguſtanam Confeſſionem. §. 20.

V. Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes nullam moleſtiam inferent ſtatibus Catholicis, eorumque Capitulis. §. 16.

VI. Quod ſi Prælatus Eccleſiaſticus, aut alius quiſcunque a veteri Religione diſceſſerit, excidet ſuo dignitate & beneficio (ſalva tamen exiſtima-

tione)

rione) & Capitulum vel Patronus ſubſtituet alium. Statutum iſtod vocatur *Reſervatum Eccleſiaſticum*, der Geiſtliche Vorbehalt, quod partibus non convenientibus Ferdinandus anſeruit *de plenitudine poteſtatis*, & nequicquam renitentibus Proteſtantibus executi ſunt Catholici A. 1583. in Gebhardo Truchſeſio Archiepiſcopo Colonienſi. Conſenſere demum in hunc articulum Proteſtantes, art. 5. §. 5. Pacis Weſtphal. ſed ſub lege *reciprocæ paritatis*.

VII. Integra eſto cuilibet ſtatui ſuperioritas ſecularis, quam quis ante orta Religionis diſſidia habuit in proventus Eccleſiarum in Territorio ſuo conſtitutos, §. 21. & 22. ſic tamen, ut ex iſtis reditibus ſuſtententur Monaſteria, Parochiæ, Scholæ, Hoſpitalia, prout olim moris erat, *abſque diſcrimine Religionum*.

VIII. Nullus ſtatus conſtatum, ejuſque ſubditos vi, aut arte pertrahat in ſuam Religionem, aut hos contra Magiſtratum ſuum in tutelam ſuſcipiat §. 23. Salvo tamen jure protectionis, quod unus alterve ab antiquo poſſedit.

IX. Conceditur ſubditis utriuſque Religionis Jus emigrandi. §. 24.

X. In Civitatibus Imperialibus, ubi mixta Religio, Cives & Incolæ tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares vivent pacifice. §. 27.

XI. Excluduntur ab hac pace, qui neque Religioni veteri (id eſt Catholicæ) neque Auguſtanæ Confeſſioni adhærent.

356. Perpetuitas hujus pacis eſt *conditionata*, nempe, *niſi ſequatur abſoluta & finalis Compoſitio Religionis ac fidei* mediante Concilio generali, aut nationali, colloquio, comitiis: evaſit tamen abſoluta per pacis Weſtphalicæ art. 5. §. I. ut ſupra N. 352. adnotatum eſt.

357. Pacis hujus ineundæ Conſilium ex parte Catholicorum multi quidem exagitant, ſed Author Principiorum Juris publici Eccl. ſupra laudatorum illud juſtificare conatur, tum ex objecto hujus congreſſus, quod erat *Pax publica externa*, quam etſi cum Heterodoxis colere in *Theſi* malum ſit, *in Hypotheſi* tamen pro avertendo majori malo neceſſarium eſſe oſtendit arg. *c.* 13. *S. Matth. v.* 28. & ſeqq. tum ex fine omni laude digno, quem exprimit §. 28. hujus pacis; tandem ex temporum illorum anguſtiis, quas dicit melius tunc noviſſe expertos Cæſarem & Status Catholicos, quam alios peregrinos extra tempeſtatem conſtitutos.

C A P U T X.

De Pace Weſtphalica.

358. POſt Pacem Religioſam tractatum fuit aliquoties de componendis fidei diſſidiis, ſed opus ſaluberrimum languit. Imo Imperium eo ruit, quod Catholici ferventius deludarent in retinendis recuperandiſque juxta tenorem pacis Religioſæ bonis Eccleſiaſticis, & Lutherani Catholicis zelo non eſſent remiſſiores in illis ſæculariſandis, rurſus in factiones diviſum eſt, Lutheranis *unionem* Halæ Suevorum, Catholicis *Ligam* Herbipoli conſtituentibus. Inſuper poſt decennium harum unionum erupit bellum Tricennale, occaſione Rebellionis Bohemicæ ortum, edicto reſtitutorio Ferdinandi Imper. ingraveſcens, nec Pace Pragenſi extinctum.

359. Poſt variam belli fortunam rebus Catholicorum in pejus ruentibus, A. 1641. cogitatum eſt de pace. Congreſſus pro eadem cœpti ſunt Monaſterii Weſtphalorum & Oſnabrugis A. 1644. ac tandem cum magno præjudicio ret tum Catholicæ, tum Eccleſiaſticæ ob Proteſtantium potentiam A. 1648. Pacificatio eſt abſoluta.

360. Hæc pax duplici conſtat inſtrumento, *Monaſterienſi* videlicet, & *Oſnabrugenſi*. Prius erectum fuit inter Ferdinandum III. Imp. & Ludovicum IV. Galliæ Regem, unde *Cæſareo-Gallicum* dicitur: poſterius inter Ferdinandum & Chriſtinam Sueciæ Reginam, nec non utrinque fœderatos, unde *Cæſareo-Suecicum* appellatur. Negotia Religionis in hoc ultimo potiſſimum comprehenduntur ab articulo quinto. Quæ ad quatuor titulos reduci queunt, quorum primus eſt *Declaratio Pacis Religioſæ*: alter *Tolerantia trium Religionum*: tertius *Ceſſio beneficiorum & bonorum Eccleſiaſticorum*; quartus *Æqualitas exacta mutuaque* inter utriuſque Religionis ſtatus omnes & ſingulos.

361. Quod primum Titulum attinet, Declaratio Pacis Religioſæ *inhæſive* habetur art. 5. §. 1. in terminis generalibus, item §. 45. ubi de reditibus Eccleſiaſticis, & §. 48. ubi de ſuſpenſione Juriſdictionis Epiſcopalis &c. agitur. *Extenſiva* vero art. eodem §. 15. ubi *reſervatum Eccleſiaſticum* quoque extenditur ad Proteſtantes. Item §§. 31. 32. & ſeqq. ubi Autonomia antehac ſolis ſtatibus conceſſa, ſuo modo producitur ad ſubditos. Item §. 52. ubi pro finiendis cauſis Religionis *ſola* amicabilis Compoſitio placet, excluſa in comitiis pluritate votorum.

362. Quod ſecundum Titulum attinet, Tolerantia trium Religionum ſtat in prohibitionibus & præceptis negativis; nequaquam enim ibi approbantur tres Religiones, quis enim prudens approbabit *repugnantia*? De veritate aut falſitate nihil in comitiis & congreſſu pacis eſt actum. Sane Cæſar & ſtatus Catholici non declararunt tutos eſſe in conſcientia, & coram Deo inſontes, qui Religiones novas amplexati ſunt, præſque fundationes occuparunt; *ſola Securitas externa* contra quamcunque perſecutionem Juris & facti Proteſtantibus ſpondebatur. Quanquam vero Catholici æque *tolerentur* inter Proteſtantes, ac hi inter illos, hoc tamen præcipui habet Religio Catholica ſive vetus præ reliquis duabus, quod *a* majoribus ante reformationem non fuerit *mere tolerata*, *ſed publice approbata*, cultaque velut unice ſalvifica. Cæterum Religiones illæ tres in Imperio toleratæ ſunt *Catholica*, *Lutherana*, *& Calviniſtica*, art. 7. §. 1.

363. Hæc præcepta negativa ſeu prohibentia circa tolerantiam Religionum ſunt I. Religionis intuitu nemini ſive Catholico, ſive Proteſtanti vis inferatur Art. 5. §. 2. in fin. Nihil contra conſcientiam & principia Religionis ſuæ injungatur ſubdito. art. 5. §. 48.

II. Nemo deſpicatui habeatur, nec a Mercatorum, Opificum, aut Tribuum Communione, Hæreditatibus, Legatis, Hoſpitalibus, Leproſoriis, Eleemoſynis &c. multo minus publicis cœmeteriis, honoreve ſepulturæ arceatur. art. 5. §. 35.

III. Nemo prohibeatur mutare Religionem, art. 5. §. 34. etiamſi Perſona Eccleſiaſtica foret. § 15.

IV. Nullus ſubditus diverſæ Religioni addictus a Domino Territoriali cogatur emigrare, ſi Religio ejus quacunque anni 1624. parte in loco habuerit exercitium publicum vel privatum §. 31. & 32. Quid de aliis, qui nulla dicti anni parte exercitium ſuæ Religionis habuerunt, conventum ſit, docet §. 11. quem intelligo, inquit prælaudatus Author, niſi emigrandi neceſſitatem eis injungat Dominus, ne confligat cum §. 15.

364. Quod attinet Titulum tertium, *Ceſſio beneficiorum & bonorum Eccleſiaſticorum* his claudi-tur articulis. I. Stabilitus dies normalis, nempe prima Januarii anni 1624. velut unica Regula reſtitutionis aut retentionis bonorum Eccleſiaſticorum; ut cujus quicunque anno & die iſto in *reali* poſſeſſione bonorum Eccleſiæ fuerat, in ea manere debet, omni exceptione remota.

II. Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, aliæque digni-

gnitatis Eccleſiaſticæ, quæ cum appertinente Territorio Proteſtantibus cedebantur, vel fuerunt ſæcularizatæ, vel in ordine Principatuum Imperii Eccleſiaſticorum permanſerunt.

III. Pontifici Romano adimuntur Annatæ, Jura Pallii, menſes Papales (de quo tamen vide §. 20. art. 5.) in Eccleſiis Proteſtantium. Art. 5. §. 19. Nec non Confirmatio Epiſcoporum Proteſtantium, qui inveſtiendi ſunt a Cæſare a. 5. §. 21.

IV. Jus primariatum precum firmatur Imperatori, ubi illud exercuit, ſub limitatione tamen art. 8. §. 19.

V. Fundationibus immediatis ſtabilitur Jus eligendi, & poſtulandi, Art. 5. §. 16. excluſa ſucceſſione hæreditaria §. 17.

365. Quod attinet ad quartum Titulum, *æqualitas exacta mutuaque* inter trinæ Religionis ſtatus omnes & ſingulos exigit, ut, quod uni parti juſtum eſt, alteri quoque ſit juſtum. Verum, quouſque illa ſe debeat porrigere, non eſt ob generaliores terminos, qui ibi adhibentur, par omnia deciſum. Ex hac æqualitate derivatur I. Quod Principes Proteſtantes Eccleſiaſtici eodem Titulo, & proedria gaudeant, qua Catholici. Art. 5. §. 22.

II. Quod Principes Catholici tam ſæculares, quam Eccleſiaſtici, intra fines territorii ſui æque *Jus diœceſanum & reformandi* exercere poſſint in ſubditos Proteſtantes, aut Principes Auguſtanæ Confeſſionis in ſubditos Catholicos. Art. 5. §. 30. & 45. Art. 8. §. 1.

III. Quod in Camera Imperiali, & in Judicio Cæſareo Aulico tam cauſæ Eccleſiaſticæ, quam politicæ, quæ inter Catholicos, & Proteſtantes Status, vel inter hos ſolos vertuntur, adlectis ex utraque Religione *pari numero* Aſſeſſoribus, diſcutiantur, & judicentur. Art. 10. §. 53. Numerus tamen Aſſeſſorum diſpar eſt. Catholicorum quippe ſunt præter Judicem Cameræ, & Præſidem 26. Proteſtantium 24. In Judicio aulico pauciores ſunt Confeſſioni Auguſtanæ addicti.

IV. Quod Imperator æque protegere debeat Jura Proteſtantium, ac Catholicorum.

V. Quod Matrimonia Proteſtantium habenda ſint pro veris, filii pro legitimis, nec obtentu hæreſeos avitæ filio Catholico facto via præcludi poſſit ad dignitates, & beneficia Eccleſiaſtica.

366. Contra hanc pacem Innocentius X. P. M. in Bulla, quæ incipit *Zela domus Dei &c.* ſolemniſſime proteſtatus eſt; ac ex ſuo tenore, atque Imperatorum Confirmatione perpetua eſt, ejuſque valorem Germano impugnare haud licet. Prima pars hujus aſſerti conſtat ex cit. Bulla Innocentii X. ubi ita habetur: *Alterius, ſeu utriuſque pacis hujuſmodi articulos, cæteraque in dictis inſtrumentis contenta, quæ Catholicæ Religioni, Divino Cultui, animarum ſaluti, eidem Sedi Apoſtolicæ Romanæ, & inferioribus Eccleſiis, ac Ordini, & Statui Eccleſiaſtico, illorumque Perſonis, membris, rebus, bonis, Juriſdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, Privilegiis, Prærogativis, & Juribus quibuſcunque quomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, ſeu intuliſſe, & alias nocere, aut nocuiſſe quoquo modo dici, intelligi, prætendi, vel cenſeri poſſent, cum omnibus inde ſecutis, & quandocunque ſequendis ipſo Jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribuſque & effectu vacua omnino fuiſſe, eſſe, & perpetuo fore; neminemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſint, obſervantiam teneri &c. &c.* Secunda pars conſtat legenti ejuſdem pacis Articulum I. & V. Tertiam & quartam habemus ex noviſſima Capitulatione FRANCISCI I. Rom. Imp. ſemper Auguſti feliciter regnantis, in cujus Art. II. N. II. ſupremus Monarcha ſpondet ſe cuſtoditurum Pacem Religioſam, juxta quod A. 1656. Auguſtæ Vindelicorum, & in aliis Diætis Imperii confirmata eſt, ſicut & tractatus Monaſterienſem, & Oſnabrugenſem: & N. VI. ſe rejecturum, & annullaturum conformiter dicto tractatui omnes *Proteſtationes*, & oppoſitiones factas contra eundem *tractatum*, *cujuſcunque* nominis eſſe, & a *quocunque* provenire poſſent, utpote jam diu *rejectas*, & annullatas; atque puniturum illos, qui attentaverint *ſcribere*, *aut publicare tractatus impreſſos contra utramque partem*. Quæ pro coronide hujus opellæ in gratiam Allemannicæ juventutis ex inſtrumentis Sacerdotii & Imperii circa Pacem Religioſam, & Weſtphalicam adduco, & calamum excutio.

Laus Deo. Honor Virgini.

T I T U L U S VI.

De Electione, & electi Poteſtate.

PRæſentem Titulum in 4. §. ſecabimus. Primus aget de electione Epiſcoporum, alter ... elect. Rom. Pontific. tertius de confirmatione, quartus de Ordinatione Epiſcoporum.

§. I.

De electione Epiſcoporum.

1. ELectio hic non ſumitur pro quacunque proviſione ad beneficium Eccleſiaſticum, quomodo comprehendit præſentationem, collationem &c. nec pro quacunque proviſione, quæ fit cum interventu ſuffragiorum, quo modo alicubi Decani, & alii Officiales ſolent eligi: ſed ſtricte pro proviſione ſuffragativa ad dignitatem Paſtoralem vacantis Eccleſiæ, quo ſenſu Electio eſt *Perſonæ habilis Canonica vocatio ad vacantis Eccleſiæ dignitatem Paſtoralem per vota Capitularium facta, & per ſuperiorem confirmanda*. Ita in re communiter ſentiunt Canoniſtæ ex c. 7. & 45. h. t. Ex quo patet, quod ille, qui dignitatem Paſtoralem non adipiſcitur per vota Capitularium, juxta modernam diſciplinam non cenſetur ad dignitatem illam electus, ſed alia via promotus.

2. Pragmatica Sanctione a Chriſto inſtitutum eſt, neminem vel ad minimum Sacerdotalis officii gradum venire debere, niſi vocatum, & juſſum. Ad Hebr. 5. v. 5. & 6. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a DEO tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret.*

3. Hinc ex ejuſdem Salvatoris diſcipulis duodecim ad munus Apoſtolatus, & ſeptuaginta ad munus prædicationis non ſe ipſos ingeſſerunt, ſed a Chriſto electi ſunt. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui, ut eatis, & fructum afferatis.* Joan. 15. v. 16.

4. Hæc pragmatica Chriſti Sanctio poſt ejus ad cœlos aſcenſum ſancte obſervata eſt ab Apoſtolis. Ita Actor. 1. Matthias Epiſcopatum prævaricatoria Judæ electione accepit. Sic Actor. item 6. ſeptem Diaconi ad miniſterium non profanum, ſed ſacrum electi ſunt.

5. Illa tamen Sanctione modus eligendi Eccleſiæ

cleſiæ Miniſtros in individuo determinatus haud eſt, ſed Eccleſiæ Judicio relictus.

Id Exempla evincunt. Nam Apoſtoli immediate a Chriſto electi ſunt. Matthias ab Apoſtolis & Diſcipulis per ſortem. Per ſuffragia ſeptem Diaconi. In Eccleſia nunc electio fuit penes ſolos comprovinciales Epiſcopos, nunc penes Clerum, nunc penes Epiſcopos, Clerum, & populum ſimul; quandoque devoluta eſt ad capitula, ſubinde ſolo Romano Pontifici reſervata; aliquando Principibus Laicis conceſſa, quemadmodum ex progreſſu conſtabit.

6. Dignitates, ad quas in Hierarchia Eccleſiaſtica proprie eliguntur perſonæ habiles, ſunt Papatus, Patriarchatus, Exarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus.

Papæ nomine, quo olim etiam ſimplices Epiſcopi veniebant, hodie antonomaſtice intelligitur is, qui jure divino, & ex Chriſti inſtitutione eſt Primas totius Eccleſiæ, & ejuſdem Salvatoris in terris Vicarius, nec non Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Caput viſibile. Cujus proinde Juriſdictio ſpiritualis ad univerſum orbem ſe extendit.

Patriarchæ nomine hodie venit is, qui pluribus præeſt provinciis, pluresque Archiepiſcopos habet ſubordinatos. Officia & Privilegia Patriarcharum ante Nicænam Synodum A. 325. & quidem ex antiqua conſuetudine in uſu erant, non item nomina, in Synodo ſiquidem illa canone 6. vocantur Epiſcopi. Ætas ſubſequens Exarchos Diœceſeos (quo nomine tum plures Provinciæ complectebantur) appellavit, ac demum ſæculi V. medio circa tempus Chalcedonenſis Concilii Patriarchæ dicti ſunt. Tres in præfato Niceno Canone enumerantur Patriarchæ Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, quibus ſubinde acceſſerunt Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus, & hodie plures. Illorum privilegia Synodus Nicæna præfato canone obſcurius, apertius octava A. C. 869. canone 17. declaravit, nempe ut Præſules ejuſmodi univerſis ſibi ſubjectis Metropolitis, ſive per manus impoſitionem, ſive per diſpenſationem Pallii Epiſcopalis dignitatis firmitatem tribuant; & ad convocandos eos urgente neceſſitate in Synodicos conventus poteſtatem habeant; executionem canonum in Provinciis ſuæ Diœceſi ſubjectis procurent; demum in majoribus cauſis judicium ferant.

Exarchi nomine olim veniebat is Epiſcopus, qui Metropolitanis ſuperior; Patriarchis dignitate inferior exſtitit; quorum tamen juriſdictioni non ſemper ſuberant. Tres fuerunt in Orientali Eccleſia ſpectatiſſimi, videlicet Epheſinus in Aſia, Cæſareenſis Cappadociæ in Ponto, & Heracleenſis in Thracia; horum enim diœceſes junctæ cum Orientali, cujus caput erat Antiochia, & Ægyptiaca, cujus princeps fuit Alexandria, efficiebant quinque famoſas Provincias, quæ in civilibus parebant Præfecto prætorio Orientis. Hos Autocephalos, ſeu a Patriarcharum Antiochiæ & Alexandriæ Juriſdictione independentes Exarchos procul dubio intellexere Niceni Patres canone ſexto ſæpe laudato, dum ajunt: *Similiter apud Antiochiam, & cæteras Provincias privilegia ſerventur Eccleſiis.* Synodus quoque I. Conſtantinopolitana A. C. 381. tres hos Exarchos poſt Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas nominat. Brevis tamen eorum fuit authoritas, ſiquidem Conſtantinopolitano Patriarchatu ſæculo V. inſtituto, & firmato, illorum autocephalia deſiit; ſub ipſius tamen Juriſdictione eximiis fruebantur honoribus, & in Conciliis œcumenicis poſt quinque majores Patriarchas ſedebant; cum quibus, dum ſarta tecta adhuc ipſis eſſet independentia, in Privilegiis ſupra enumeratis reſpectu ſuarum diœceſeon communicabant.

Primatis nomen variis Eccleſiæ ſæculis fixum determinatumque ita non fuit, ac Patriarcharum. Initio dicebantur iidem, ac qui tum Exarchi, tum Patriarchæ, ii nempe, qui nulli ſuberant alii ſeu Exarcho, ſeu Patriarchæ, aliis vero Metropolitis præerant. Apud Afros non erat tam lata Primatis ſignificatio; Metropolitani enim quique illis Primates erant, nec hæc dignitas ſedi alicui erat affixa, ſed qui ordinatione erat antiquior, is jam Primas dici incipiebat. A qua tamen lege Carthaginenſis Præſul eximebatur; eo quod huic Eccleſiæ, ut alibi extra Africam, hæc dignitas eſſet affixa. Imo in reliquo Occidente Primatis nomen omnibus fuit Metropolitanis commune ad VI. & VII. uſque ſæculum, & ipſum Jus Metropoliticum Primatus appellabatur. Cæpere tamen Hiſpani nomen Primatis ad eos reſtringere, quos Græci dicebant Exarchos, ſeu qui pluribus præerant Metropolitis, illaque iſtius nominis ſignificatio reliquum pertranſiit Occidentem. Nulli autem in Occidente juriſdictionalis hæc authoritas, nomenque obtigit, niſi cui ſuas vices, authoritatemque Summus Pontifex, qua Occidentis Patriarcha, delegaret, ut proinde Primas idem eſſet ac Romanæ Sedis delegatus & Vicarius. Quæ idcirco dignitas aliquando perſonis, aliquando ipſis Sedibus fuit affixa. Quorum officium fuit, curare, ut ab omnibus ſervarentur canones, jus dicere jus iis Epiſcopis, ac Provinciis, ad quas demandata eorum poteſtas porrigebatur. Præter iſtos primi ordinis Primates, erant ex Hincmaro adhuc alii ſecundi quodammodo ſubſellii, ii nempe, qui ut nullos infra ſe, ita nec ullos ſupra ſe habebant Metropolitas, nulloque interjecto medio pendebant ab ipſo Romano Pontifice. Vide Thomaſſinum de Vet. & nova Eccl. diſcipl. p. t. l. 1. variis capitibus fuſe de hoc differentem.

Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi dicebantur ii, quorum Sedes erat in Metropoli alicujus Provinciæ Romani Imperii. Jam Sæculo IV. in qualibet Provincia Metropolitanus præſidebat. Eſtque hæc dignitas ab ipſis Apoſtolis inſtituta, qui primas Eccleſias in Provinciarum Metropolibus, ſeu primariis civitatibus fundarunt. Eorum authoritas ex monumentis eccleſiaſticis Sæculi IV. maxime eluceſcit, videlicet ex can. 9. Laodiceni, can. 4. Niceni, can. 9. Sardicenſis, & demum 9. Antiocheni Concilii, qui ita habet: *Epiſcopos, qui ſunt in unaquaque Provincia, ſcire oportet, Epiſcopum, qui præeſt Metropoli, etiam curam ſuſcipere totius Provinciæ: eo quod in Metropoli undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia &c.* Eorum jura ex monumentis ejuſdem Sæculi IV. & poſteriorum præcipua fuerunt: Suffraganeos Epiſcopos ordinare, convocare concilia Provincialia, & eis præſidere, viſitare omnes provinciarum ſuarum Eccleſias, Epiſcopos ſibi ſubditos judicare cum Provinciæ Synodo, Clericorum etiam inferiorum cauſas cognoſcere, ſi ab Epiſcoporum ſuorum judicio appellarent, literas formatas concedere, Suffraganeis ſuis ad comitatum Imperatoris, aut alio extra Provinciam pergentibus, invigilare, denique ut canones ab illis ſervarentur ad amuſſim.

Quamvis & Patriarchæ & Metropolitæ poteſtate ordinis non ſint niſi Epiſcopi, Epiſcopi tamen antonomaſtice dicuntur ii, qui ſub Metropolita uni Diœceſi ſuperintendunt. Epiſcopos Sæculo IV. habebant majores quæque civitates, eoque tempore frequentibus decretis prohibitum fuit, ne in agris, villulis, aut modicis civitatibus conſtituerentur Epiſcopi. Videlicet can. 57. Concilii Laodiceni, can. 6. Sardicenſis &c. Præcipua eorum jura ſuum Clerum diœceſanum ordinare, convocare Concilia diœceſana, eiſque præſidere, viſitare ſuæ Diœceſis Eccleſias, Cleri diœceſani cauſas cognoſcere, iiſdem literas dimiſſoriales dare, invigilare deni-

denique ut Canones in Diœceſi obſerventur &c.

7. Ad horum omnium electionem primis Eccleſiæ Sæculis in utraque Eccleſia concurrebant Epiſcopi comprovinciales, Clerus, & populus,

S. Cyprianus Sæculo III. florens ep. 68. editionis Rigaltii: *propter quod*, inquit, *diligenter de traditione divina & Apoſtolica obſervatione obſervandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque & fere per Provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus eligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum pleniſſime perſpexit*. Eadem diſciplina in variis Conciliis primorum Eccleſiæ Sæculorum ſarta tecta ſervata eſt; inter quæ can. 1. Carthaginenſis IV. A. C. 398. ita habet: *Cum* (eligendus) *in his omnibus examinatus inventus fuerit plene inſtructus, cum conſenſu Clericorum & Laicorum, & conventu totius Provinciæ Epiſcoporum; maximeque Metropolitani vel auctoritate, vel præſentia ordinetur Epiſcopus*. Et ita teſte Cypriano ep. 52. in Latina Eccleſia electus eſt Cornelius Papa. In Græca vero Stephanus Epiſcopus Epheſinus hoc modo ſe canonice electum teſtatur in Chalced. Synodo A. C. 451. act. 9. &c. &c.

8. Hic tamen modus eligendi ipſis primis Eccleſiæ Sæculis non erat univerſalis.

Alexandriæ a Marco uſque ad Heraclam & Dionyſium, ſeu ab A. C. 43. uſque ad A. 265. Preſbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum Epiſcopum nominabant, teſte Hieronymo ep. 85. ad Evagrium.

9. Ex Epiſcopis Comprovincialibus tres de neceſſitate debebant intereſſe electioni Epiſcopi, reliquis, qui ob neceſſitatem vel itineris longitudinem impediebantur, pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus.

Canon 4. Concilii Nicæni A. C. 325. ita habet ex verſione Dionyſii: *Epiſcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui ſunt in Provincia, ordinari; ſi autem hoc difficile fuerit, vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tribus tamen omnimodis in idipſum convenientibus, & abſentibus pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur*. Id eſt electio, ut res ipſa loquitur, & τὸ *Cheirotoniec enckan*, quod tum electionem, tum ordinationem exprimit, patitur. Quomodo enim abſentes Epiſcopi ad ordinationem concurriſſent?

10. Vigente illa diſciplina ſoli Epiſcopi habebant ſuffragia electiva, Clerus vero, & populus tantum poſtulativa, & informativa.

Perpendatur canon 4. Concilii Nicæni mox relatus.

S. Athan. Sæculo IV. florens ep. ad omnes Orthodoxos Gregorii invaſionem in Sedem Alexandrinam inter cætera ex eo probat, quod ejus electio peracta non fuerit *juxta Canones Eccleſiaſticos, & Pauli dictum, congregatis populis cum Spiritu conſtituentium cum D. N. J. C. poteſtate --- populis & Clericis, qui poſcerent, præſentibus*. En Epiſcopos conſtituentes, Clericos & populum poſcentes. Et S. Cyprianus rel. N. 7. eadem ep. inquit: Exemplum conſecrationis Eleazari filii Aaron - *oſtendit ordinationes Sacerdotales nonniſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere: ut eo præſente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur*.

11. Jus ſuffragii poſtulativi & informativi non competebat populo jure divino, ſed Eccleſiaſtico.

Alias enim ab electione nunquam excludi potuiſſet, cum jus divinum mutationem per Eccleſiam ſubire nequeat; contrarium tamen factum eſſe tam vetus, quam media ac poſterior hæc diſciplina teſtatur. Nec obeſt authoritas Cypriani N. 7. relata; nil enim aliud vult, quam modum eligendi Eccleſiæ Præſulem præſente plebe exemplis e divinis ſcripturis, electionis nimirum Eleazari in veteri, & ſeptem Diaconorum in novo Teſtamento, eſſe comprobatum.

Quantum ad 2. partem ad authoritates N. 7. & 10. relatas, accedit teſtimonium Cypr. ep. rel. in qua ait: *Quando ipſa* (plebs) *maxime habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi*. Item Siricii Papæ Sæculo IV. ſedentis, & ep. ad Himerium Tarraconenſem docentis, *Diacono Presbyterium aut Epiſcopatum dari, ſi eum Cleri, & plebis evocaverit electio*.

12. Hinc ſuffragia Cleri, plebiſque nullum jus ad rem dabant ſic electo.

Cum enim juxta dicta N. 10. illorum vota fuerint ſolummodo poſtulativa & informativa, Epiſcopi iiſdem non obligabantur; ſed poterant relicto illo, etſi digno, alium æque dignum in Epiſcopum eligere. Unde Cœleſtinus I. Sæculi V. initio ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ ita ſcribit: *Docendus eſt populus, non ſequendus. Noſque ... quid liceat, quid non liceat, commonere, non ... conſenſum præbere debemus*. Diſt. 62. c. 2. Quia tamen voluntati deſiderioque populi non conſentire difficile erat, & invitis ac reluctantibus Paſtorem dare infauſtos non raro pariebat exitus, hinc multum ſolliciti fuerunt Epiſcopi, ut populus inſtrueretur, atque ad poſtulandum idoneum induceretur, quemadmodum innuit relata Cœleſtini epiſtola.

13. Nihilominus Suffragia Cleri, populique, vigente illa diſciplina, videntur regulariter neceſſario præcedere debuiſſe inſtitutionem Canonicam Epiſcoporum.

Ex horum enim defectu Ath. N. 10. Gregorii in Sedem Alexandrinam electionem probat nullam. Et Cœleſtinus I. decernit: *Ut nullus invitis detur Epiſcopus, Cleri, plebis, & ordinis conſenſus, & deſiderium requiratur*. S. Leo etiam Sæculo V. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum ſcribit: *Cum ergo de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtulaverit; ita, ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præponatur, qui majoribus & ſtudiis juvatur, & meritis, tantum ne ullus invitis, & non petentibus ordinetur*. Et infra: *Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſint electi, nec a plebe expetiti, nec a Provincialibus cum Metropolitani judicio conſecrati*.

14. Hoc jus ſuffragandi Clericis, Laiciſque non eſt ablatum can. 4. Concilii Nicæni, can. 13. Laodicæni, aut Canonibus 19. & 23. Antiocheni Sæculo IV. celebratorum.

Canon enim 13. Laodicænus turbas ſolummodo ab electione excludit; vultque non eſſe deferendum plebi tumultuanti, ac per ſpeciem quandam ſeditionis ordinationem alicujus acclamanti; qualem pulchre ac late deſcribit S. Auguſtinus ep. ad Albinam. Reliqui vero cum Clericos, Laicoſque ab electione poſitive non excludant, ſolum innuunt, Epiſcoporum comprovincialium ac Metropolitani præcipuas in ea partes eſſe. Quod praxis utriuſque Eccleſiæ illa ætate confirmat.

15. Invaluit nihilominus poſt hæc Concilia in Eccleſia Orientali mos, ut Epiſcopi comprovinciales excluſo Clero & populo Paſtores Eccleſiæ eligerent.

Hoc enim modo Epiphanium Salaminæ Cypri, & Baſilium Cæſareæ Epiſcopos electos tradunt, qui eorum vitas conſcripſerunt, & eo ſpectare videtur Baſilius ipſe, dum ep. 194. ad Nicopolitanos ſcribit: *Epiſcoporum partes eſſe populo Epiſcopum dare, populi datum ſuſcipere*.

16. Sæ-

16. Sæculi VI. initio plebs excluſa fuit ab electione, Clericis & Primoribus civitatum tantum admiſſis.

Novella enim 123. Juſtiniani Imperatoris cap. 1. ſancit: *Quoties opus fuerit Epiſcopum ordinari, Clericos & Primates civitatis, cujus futurus eſt Epiſcopus ordinari, mox in tribus Perſonis decreta facere &c.*

17. Poſt medium IX. Sæculi Laici ab electione Epiſcoporum prorſus excluſi ſunt.

Id ſancivit Synodus Generalis VIII. Conſtantinopoli A. C. 869. celebrata, canone 22. *Promotiones, atque conſecrationes Epiſcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, ac decreto Epiſcoporum Collegii fieri, & ſancta hæc & univerſalis Synodus definit & ſtatuit; atque jure promulgat, neminem Laicorum Principum vel Potentum ſemet inferere electioni Patriarchæ vel Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi, —— eum nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat; ſed potius ſilere, ac attendere ſibi, uſquequo regulariter a Collegio Eccleſiaſtico ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis. Si vero quis Laicorum ad concertandum, & cooperandum ab Eccleſia invitatur, licet hujuſmodi cum reverentia, ſi forte voluerit, obtemperare ſe aſciſcentibus.*

18. Diſciplina hoc canone ſancita prius in Oriente, quam in Occidente executioni mandata eſt; ibique Clerus citius, quam hic ab electione excluſus eſt.

Aſſerti veritas quantum ad Eccleſiam Græcam patet ex Balſamone; qui de Græcorum & Orientalium moribus Sæculo XI. & XII. quo ſeneſcente ipſe vivebat, teſtitur, electiones Epiſcoporum a ſolis frequentari Epiſcopis, eumque uſum ſua ætate jam *inveteratum* dicit; quamvis judice Thomaſſino, in hiſtoria parum verſatus vir ille grandis, morem illum male auguretur a temporibus Concilii Nicæni; cum contrarium teſtetur & hiſtoria Eccleſiaſtica, & Novella 123. Juſtiniani mox relata. Quantum ad Eccleſiam Latinam, electiones Epiſcoporum liberis Cleri, populique ſuffragiis ad finem Sæculi XI. factas fuiſſe teſtantur abunde epiſtolæ Gregorii VII. Imo Sæculo XII. eundem morem adhuc viguiſſe in Eccleſia Latina non obſcure colligitur ex S. Bernardo ep. 13. in qua innuit electionem Epiſcoporum Cabilonenſis, & Gebennenſis peractas fuiſſe cum conſenſu Populi.

19. Antiquata penitus veteri hac eligendi Epiſcopos cum Cleri, populique ſuffragiis diſciplina, Jus electionis Epiſcopi in Eccleſia Græca Sæculo XI. privative tranſiit ad Epiſcopos, in Latina vero Sæculo XIII. ad Capitula.

Quantum ad 1. partem expendatur teſtimonium Balſamonis N. præcedenti relatum.

Quantum ad ſecundam hæc nova diſciplina teſte Eſpenio cœpit Sæculo XII. at fallitur, cum ex apertis teſtimoniis Ditmari Merſeburgenſis Lib. 2. & 4. Chronici conſtet, tempore Ottonum, ſeu ad finem Sæculi X. & XI. initium Capitula Magdeburgenſe, & Halberſtadienſe jus eligendi habuiſſe. Id certum eſt, circa initium Sæculi XIII. hanc diſciplinam ſtabilitam fuiſſe; id enim Epiſtolæ & Reſponſa Innocentii III. & ſequentium Pontificum, Decretalibus Gregorii IX. inſerta, loquuntur. Quin jus iſtud electionis tempore Innocentii III. ita proprium erat Canonicis Cathedralibus, ut ipſi Suffraganei Epiſcopi ad electionem Metropolitani cum Capitulo non concurrerent, nec ipſorum aſſenſus requireretur; niſi eſſet aſſenſus *de antiqua, & approbata conſuetudine* requirendus, ut loquitur idem Innocentius c. 4. de poſtular. Prælat. Et Honorius III. Innocentii Deceſſor cap. Meſſana 55. de elect. edicto perpetuo prohibet: *Ne per Laicos cum Canonicis Pontificis electio præſumatur. Quæ ſi forte præſumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem, non obſtante contraria conſuetudine, quæ dici debet potius corruptela.*

20. Principes Laici ſe quandoque immiſcuerunt ſacris electionibus.

Veritas facti conſtabit exemplis Imperatorum tum Orientalium, tum Occidentalium, Regumque Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, mox referendis.

21. Idque fecerunt duplici via, nimirum aut Epiſcopos nominando, vel aliunde electos probando.

Conſtantinus M. ſacris electionibus aliter ſe non immiſcuit, niſi diſſenſionum compeſcendarum gratia, atque ut canones ſuaderet obſervari. Euſebius in ejus vita lib. 3. c. 60. 61. & 62. Plus ſibi arrogabat degener ejus filius Conſtantius, Epiſcopos e palatio in Sedes Paſtorales mittendo, quem proin tanquam contra canones agentem liberrima objurgat S. Athanaſius ap. ad Orthodoxos. Theodoſius M. inter Catholicos Imperatores primus fuit, qui ad evitandum Schiſma in Eccleſia, & ſatisfaciendum populi tumultuantis deſiderio, Neſtorium Sæculi IV. fine Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ delegit Antiſtitem, ſi fides Sozomeno lib. 5. c. 8. S. Joannem Chryſoſtomum Arcadius Imperator vel ipſe nominavit, vel populi Clerique ſuffragio aſſenſum præbuit. Sozomenus lib. 5. c. 25. Synodus quoque Epheſina Imperatorem ad Epiſcopi Conſtantinopolitani nominationem compellavit actione 1. qualia exempla occurrunt & in Chalcedonenſi act. 3. & 11. In Occidente Ottones & S. Henricus, Epiſcopatuum liberaliſſimi fundatores Sæculo X. & XI. Epiſcopos ipſi ut plurimum vel nominabant, vel aliunde electos approbabant; ut plurimis exemplis ex chronico Ditmari Epiſcopi Merſeburgenſis probat Thomaſſinus de vet. & nov. Eccl. diſcipl. p. 2. lib. 2. c. 38. Idem fecerunt Reges Galliæ Merovingicæ gentis teſte Sirmondo in præf. Appendicis ad Tom. II. Conciliorum antiqu. Galliæ. Et paulo ante Toletanum Concilium XII. A. C. 681. celebratum, eandem authoritatem ſibi ſumpſerunt Reges Hiſpaniæ. Sic enim ſonat Canon 6. ejuſdem Concilii: *Unde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, ut, ſalvo privilegio uniuſcujuſque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque Regalis poteſtas elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicio dignos eſſe probaverit, in quibuslibet provinciis in præcedentium Sedibus præficere Præſules.* Idem mos, teſte Willalmo Malmesburienſi lib. 2. de geſtis Regum Angliæ c. 8. aliiſque hiſtoricis, ante Gregorii VII. tempora quoque viguit in Anglia.

22. Iidem Principes Laici ratihabitionem electionum non ſolum voce, vel ſcripto, ſed etiam traditione quorundam ſignorum ſenſibilium ſubinde exhibere cœperunt; qui approbationis modus inveſtitura dicebatur.

Signa externa erant communiter virga paſtoralis & annulus, vel ſceptrum. Solemnitas conſiſtebat in hominio & juramento fidelitatis, ob inveſtiendo Principibus præſtando. Hinc inveſtitura finibus ſuis terminiſque juſtis circumſcripta nil aliud erat, quam *conſenſus ab Imperatore vel Rege adhibitus electioni facta alicujus ad Epiſcopatum vel Abbatiam, & conceſſio bonorum Eccleſiaſticorum ſolemni quodam ritu facta.*

23. Inveſtituræ per Baculum & Annulum tempore Gregorii VII. ſeu ad finem Sæculi XI. recens erant uſurpatio.

Ottones enim primi leguntur inveſtituras hoc ſolemni ritu dediſſe, & quidem illæſo electionum jura, magnaque circumſpectione, ac modeſtia,

qui-

quibus cum ſæculo tantum poſterior fuerit Gregorius VII. patet ſuo tempore inveſtituras etiam innocuas recentem fuiſſe uſurpationem, & conſequenter multo magis eas, quibus ſacrarum electionum libertas ab Henrico IV. opprimebatur. De quo latius infra in diſſertatione.

24. Conſenſus Regius, nominatio, & inveſtitura Prælatorum Eccleſiæ olim non competebat Principibus Laicis jure communi Divino vel Eccleſiaſtico; ſed exercere cœperunt vel uſurpatione, vel peculiari privilegio, vel demum Eccleſia connivente.

N. 7. & ſeqq. monſtratum fuit, Jus electionis Paſtorum Eccleſiæ ex Apoſtolica traditione & ſacrorum Canonum diſpoſitione primitus fuiſſe apud Epiſcopos, Clerum, & populum, deinde ab his ex eadem Canonum diſpoſitione in Eccleſia Græca tranſiiſſe ad Epiſcopos, in Latina vero ad Capitula nulla facta Principum mentione, imo poſitiva quoad ingeſtionem excluſione (N. 17. 18. h. t.). Hinc eſt, quod Gregorius II. Sæculi VIII. initio ep. 2. ad Leonem Iſaurum auream illam ſcripſit ſententiam: *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi: ſic neque Imperator in Eccleſias introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi.*

Exempla ad rem ſecundæ partis facientia occurrunt N. 21. & ſeqq. quæ Eccleſia nunquam legitur reprobaſſe, quamdiu immunitati ſuæ, atque a Chriſto ſibi conceſſæ libertati non præjudicabant; digni enim erant Principes de Matre ſua optime meriti, ut vel ſimilis favor ipſis concederetur, aut ſi zelo bono in Eccleſias introſpicerent, id pie diſſimularetur.

25. Eccleſia nunquam toleravit in Principibus appropriationem horum jurium in præjudicium Libertatis Eccleſiaſticarum electionum.

De Eccleſia Græca vide N. 17. citatum can. 22. Synodi VIII. quo proprie ſimilis ingeſtio Principum excludi videtur. Concordat Canon 3. Synodi Generalis VII. De Latina conſule diſſertationem de inveſtituris, & ſequentia.

26. Inveſtituras primus omnium prohibuit & condemnavit Gregorius VII. Hujus exemplum ſecuti ſunt ejus Succeſſores. Contra quos conſuetudinem inveſtiturarum mordicus retinuerunt Romani Imperatores Henricus IV. & V. ejus filius, aliique Principes. Funeſtum tandem negotium inter Calliſtum II. & Henricum V. Wormatiæ complanatum atque in Concilio Generali Lateranenſi I. A. C. 1123. conſummatum eſt.

Quantum ad primam p. hæc damnatio & prohibitio facta eſt A. C. 1075. non in prima, ſed in ſecunda Synodo a Gregorio Romæ celebrata ſequenti expreſſione: *Si quis deinceps Epiſcopatum, vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos vel Abbates habeatur; inſuper ei gratiam B. Petri, & introitum Eccleſiæ interdicimus. Similiter etiam de inferioribus eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus. Item ſi quis Imperatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel qualibet ſæcularium Poteſtatum, aut Perſonarum Inveſtituram Epiſcopatus, vel alicujus Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, ejuſdem ſententiæ vinculo ſe adſtrictum ſciat.* Confirmata eſt hæc prohibitio & damnatio inveſtiturarum ab eodem Pontifice in Synodo Romana V. A. 1078. Can. 2. & in VII. A. 1080. Can. 1. & 2.

Quantum ad ſecundam, Victor III. in Synodo Beneventana A. 1087. Urbanus II. in Synodo Melfitana A. 1089. & in Claromontana A. 1095. denique in Romana A. 1099. Paſchalis II. in Guaſtallenſi An. 1106. in Trecenſi 1108. ac in duplici Romana 1110. inveſtituras damnarunt. Privilegium inveſtiturarum ab Henrico poſtliminio a ſe extortum reſcidit in Synodis Romæ habitis A. 1112. & 1116. idem Paſch. II.

Pro parte 3. vide infra diſſertationem de inveſtituris.

Pro quarta parte adnumeramus ipſum tenorem pactorum conventorum a Calliſto II. & Henrico V. A. 1122. Wormatiæ initorum, ex Colet. Concilior. collect. tom. 12. col. 1327.

Ego Calliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei Gratia Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad regnum pertinent, in præſentia tua fieri, abſque ſimonia & aliqua violentia; ut ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani & Comprovincialium judicio ſaniori parti aſſenſum, & auxilium præbeas. Electus autem a te regalia accipiat per ſceptrum: exceptis omnibus, quæ ad Romanam Eccleſiam pertinere noſcuntur: & quæ ex his jure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii conſecratus, infra VI. menſes regalia per ſceptrum a te recipiat. De quibus vero mihi querimoniam feceris, & auxilium poſtulaveris, ſecundum officii mei debitum, auxilium tibi præſtabo. Do tibi veram pacem, & omnibus, qui in parte tua ſunt, vel fuerunt tempore hujus diſcordiæ.

Reſcriptum Henrici Imperatoris.

Ego Henricus Romanorum Imperator Auguſtus, pro amore Dei, & S. Romanæ Eccleſiæ, & Domini Papæ Calliſti, & pro remedio animæ meæ, remitto Deo, & SS. Apoſtolis Dei Petro & Paulo, & Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ omnem inveſtituram per annulum & baculum: & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno & Imperio meo ſunt, canonicam fieri electionem, & liberam fieri conſecrationem. Poſſeſſiones & regalia B. Petri, quæ a principio hujus diſcordiæ uſque ad hodiernam diem, ſive tempore Patris mei, ſive etiam meo, ablata ſunt, quæ habeo, eidem S. Romanæ Eccleſiæ reſtituo, quæ autem non habeo, ut reddantur fideliter adjuvabo. Poſſeſſiones etiam omnium aliarum Eccleſiarum, & Principum, & aliorum tam Clericorum, quam Laicorum, conſilio Principum, & juſtitia, quæ habeo, reddam, quæ non habeo, ut reddantur, fideliter juvabo. Et do veram pacem Domino Papæ Calliſto, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & omnibus, qui in parte ipſius ſunt, vel fuerunt: & in quibus S. Romana Eccleſia auxilium poſtulaverit, fideliter juvabo.

Reſtitutionem inveſtiturarum ab Henrico Imperatore factam, & in eodem Concilio confirmatam vide apud Coletum in Conciliorum collectione tom. 12. col. 1338.

27. Romani Pontifices non tantum damnarunt inveſtituras ſimoniacas, & libertatis electionum Eccleſiaſticarum oppreſſivas, ſive quibus non ſola regalia, aut bona feudalia Epiſcopatuum, & Abbatiarum, ſed ipſi Epiſcopatus, & Abbatiæ dabantur; verum etiam eas, quibus hæc regalia conferebantur per traditionem baculi & annuli, quamvis prudenti œconomia inveſtituras regalium per alia ſigna Principibus permiſerint.

Utraſque enim dimittere debuit, & vi pactorum Wormatienſium, in Concilio Lateranenſi I. confirmatorum, dimiſit Henricus V. Imperator.

Electus autem regalia per ſceptrum ab ipſo (Imperatore) *recipiat, —— & quæ ex his jure ipſi debet, faciat;* verba ſunt pactorum conventorum, vi quorum non remanebat Imperatoribus ex jure inveſtiturarum inique uſurpato poteſtas aſſiſtendi electionibus, & dijudicandæ cum conſilio vel judicio Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum litis, ſi eſſent controverſæ. Eadem fere œconomia uſi ſunt Romani Pontifices erga Reges Galliæ & Angliæ.

28.

28. Innocentius III. Ottonem IV. A. 1209. adegit, ut mox enarratam duplicem poteſtatem, Imperatoribus poſt pacta conventa Wormatien-ſia reliquam, & qua Fridericus I. illis ample nimis interpretatis abuſus fuerat, prorſus ab-dicaret.

Raynaldus ad A. C. 1209. N. 10. Exemplum Ottonis ſecuti ſunt Fridericus II. & Rudolphus I. teſte eodem ad A. 1213. N. 23. & 1275. N. 38. qui inſuper jure Regaliæ renuntiarunt teſte Thomaſſino de V. & N. Eccl. diſcipl. p. 2. l. n. c. 37. N. 8. & ita illis ſæculis pleniſſima electionum in Germania fuit libertas, atque ſub eodem Innocentio privative ad Canonicos, & Capitula Cathedralia ſpectabat.

29. Vigente hac diſciplina mandatis Apoſtolicis, ac reſervationibus in beneficiorum collationibus interdum locus fuit: per quas tandem jus eligendi Capitulorum ad nihilum redactum eſt.

Paupertas proborum Clericorum, qui nullum beneficium Eccleſiaſticum habebant, Romanos Pontifices, & ipſum Innocentium ad hujuſmodi collationes primum impulit. Ep. 165. ad Epiſcopum Wratiſlavienſem. Poſt Innocentium minora Epiſcopatu beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia reſervavit Clemens IV. 1265. *antiqua*, ut ipſe ait *cap. licet de præb. & dign. in 6.*, *fretus conſuetudine*. Cujus tamen nullum veſtigium exſtat in Gregoriana Decretalium collectione. Clementis ſtatutum declarat Bonifacius VIII. A. 1294. *cap. præſenti 34. eodem tit. in 6.* explicans quid ſit vacare beneficium in Curia Romana. Hi ergo Romani Pontifices ſibi Epiſcopales Eccleſias necdum reſervarunt. Poſt hos Benedictus XI. Bonifacii Succeſſor A. 1303. fuit, qui primus ſtatuit, non poſſe IV. Patriarchalibus Eccleſiis provideri R. Pontifice inconſulto *Extrav. S. Romana inter communes*, qua electionem Capitulis non tollit, ſed ſolum reſtringit, ut ibi videre eſt. At Clemens V. ejus Succeſſor A. 1305. *in extrav. etſi in temporalium de præb. & dign. inter communes* generaliter ſibi reſervavit Patriarchales, Archiepiſcopales, & Epiſcopales Eccleſias apud Curiam vacare contingentes, cum aliis minoribus beneficiis a Clemente IV. & Bonifacio VIII. reſervatis, verum *pro hac vice tantum*, ut ibi loquitur. Idem in Clementina *in pleriſque de elect.* earum quoque Eccleſiarum proviſionem Romani Pontificis diſpoſitioni reſervavit, quæ Clero & populo Chriſtiano carerent. Joannes XXII. Clementis V. Succeſſor A. 1316. ejuſdem, & Bonifacii VIII. veſtigia terens, *in Extrav. ex debito de elect. inter communes* proviſioni ſuæ Epiſcopales, & his majores ſedes, aliaque beneficia, quæ apud Romanam Curiam vacare contingeret, Apoſtolicæ Sedi reſervavit; qua extravagante vacationem in Curia a Bonifacio explicatam ad plures alios caſus extendit. Qui poſſunt videri ibi, & in notis noſtris hiſtoricis hoc libro tit. n. N. 350. Joannis XXII. exemplum A. C. 1334. ſecutus eſt Benedictus XII. *Extrav. ad Regimen de Præb. & dign. inter communes*; donec per regulam ſecundam Cancellariæ generaliter omnes Patriarchales, Primariales, Archiepiſcopales, Epiſcopales &c. Eccleſiæ Romani Pontificis diſpoſitioni reſervarentur, & jus eligendi Prælatos apud Capitula a temporibus Innocentii III. exiſtens ad Sæculi XIV. medium penitus annihilaretur.

30. His ſummorum Pontificum reſervationibus renitebantur tum Epiſcopi, tum Capitula, tum Patroni, jura ſua per illas lædi cauſantes, Regibus ac Principibus jura eorum tuentibus.

Imprimis Romanus Honorii III. Legatus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Cleroque Gallicano A. 1226. perſuadere non potuit, ut reſervationes minorum Epiſcopatu Beneficiorum, quæ tunc a RR. Pontificibus quandoque precibus, quandoque præceptis exequebantur, admitterent. Nec eo felicior apud Anglos fuit Otto, ejuſdem Sedis Apoſtol. Legatus, ut refert Matthæus Pariſius ad hunc annum. Quorum Proceres inſuper jura Patronatus per has reſervationes lædi literis conqueſti ſunt apud Gregorium IX. A. 1239. & apud Innocentium IV. A. 1245. Tempore diſſidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Franciæ Regem interjectæ ſunt ab illo preces contra reſervationes; jus tamen moderatarum a Pontifice vindicatum. Et hæ erant quereiæ contra reſervationes Beneficiorum Epiſcopatu minorum. At poſtquam etiam ipſi Epiſcopatus, & his majores dignitates reſervari cœpiſſent, quidam Anonymus Sæculo XIV. in Synodo Viennenſi oratione, quam refert Odoricus Raynaldus ex MS. Vaticano ad A. 1311. graviter conqueſtus eſt. Deinde Sæculo XV. Eccleſia Gallicana contra amplitudinem earundem reſervationum Decretum edidit Pariſiis, quod Carolus VI. Rex Chriſtianiſſimus edicto confirmavit A. 1406. Et aliquot poſt annis Synodus Conſtantienſis 1414. celebrata ſancivit, ut Romanus Pontifex proxime eligendus reformationem faceret cum Concilio præſertim ſuper articulis aliis per Nationes in reformatorio oblatis, quorum unus erat *de reſervationibus Apoſtolicis*. Verum Martino V. & ipſo Concilio rem hanc in aliud tempus referente, tandem Baſileenſe Concilium A. 1431. tribus decretis, ſeſſione 12. & 23. editis, illas omnino antiquavit.

31. Miſſa legitimitate hujus Concilii uſque ad ſeſſionem 25. Reſervationes nihilominus Pontificiæ poſt hæc decreta majori ex parte abolitæ ſunt, & multum limitatæ.

Ambabus enim ulnis illa excepit Conventus Eccleſiæ Gallicanæ Biturienſis, quibus Rex Chriſtianiſſimus Carolus VII. famoſa illa Pragmatica Sanctione vim & robur publicæ legis addidit, qua in Galliis electio Epiſcoporum Capitulis Cathedralibus reſtituta fuit. Germani quoque Proceres poſt hæc acrius abrogationem & limitationem reſervationum Apoſtolicarum urſerunt, atque A. 1448. intentum ſuum aſſecuti ſunt per Concordata inter Nicolaum V. & Fridericum III. Imperatorem, quæ vide hoc lib. tit. 2. N. 348.

32. Non diu hac electionum libertate, poſtliminio revocata, gaviſa ſunt Capitula aliarum Nationum. Sola Germania ſe in illa in hanc uſque diem tuetur.

Quantum ad 1. part. Pius II. A. 1548. ad Pontificatum aſſumptus, ejuſque Succeſſores apud Reges Chriſtianiſſimos abrogationem Sanctionis pragmaticæ vehementer urſerunt; atque hac ſuper re 50. & amplius annis decertatum eſt, obnitentibus Prælatis, Parlamentis Regiis, & Univerſitate Pariſina. De quibus conſulenda eſt hiſtoria pragmaticæ, & concordatorum. Donec A. 1516. initis concordatiis inter Leonem X. & Franciſcum I. res ita ſopiretur, ut abrogatis denuo electionibus, nominatio Prælatorum Eccleſiæ Regi, Confirmatio vero eorundem Romano Pontifici reſervaretur. In Hiſpania Carolo V. & ejus Succeſſoribus jus præſentandi Epiſcopos Adrianus XI. perpetua lege conceſſit, cum antea ad eorum ſupplicationem precario a RR. Præſulibus inſtituerentur, ut refert Mariana lib. 26. de rebus Hiſpaniæ c. 26.

Secundam partem praxis ipſa Germaniæ Concordatorum mox laudatorum obſervantiſſimæ docet. Non poſſum hic omittere animadverſionem doctiſſimi Thomaſſini de N. & V. Eccl. diſcipl. p. 2. lib. 2. c. 37. N. 10. Illud arcanæ Numinis providentiæ, inquit, non poſſumus non magnopere mirari conſilium, quod cum in Germa-

nia electiones & audacius fuerint, & diutius impugnatæ, ea ipſa nunc ſit earum retinentiſſima, & una propemodum Chriſtiani orbis provincia, in qua adhuc vigeant. Nec illud forſan minus ſtupendum, quod, ut priut RR. Pontifices inviciſſima conſtantia iegerunt contumaciam Principum Germanorum electiones impugnantium, poſt Germani Principes ſtrenue certarint, ut concordata ſibi ſua ad tuendas electiones concederentur a Pontificibus, adverſus Pontificias maxime reſervationes. Hæc ille.

33. Jure eligendi non gaudent Proteſtantium capitula immediata, quamvis alicubi Paſtores baſſorum beneficiorum eligantur.

Superintendentes enim & Inſpectores, qui quodammodo cum noſtris Epiſcopis comparari poſſunt, imponuntur a terræ Principe. Ziegel de Superintendentibus c. 4. §. 7.

Exemplum pro 2. par. adfert Fleiſcherus in manuductione ad Jus Canonicum Proteſtantium ex Eccleſiis Parochialibus Argentoratenſibus. In quibus tria vel 4. Subjecta a Conſilio Eccleſiaſtico Senatui præſentantur. Qui juxta ordinationem de A. 1670. p. 390. periculum ſuæ habilitatis concionibus publicis facere tenentur, poſt quod *a* Patrono duo in charactere conſtituti ordinantur, qui Parochianorum vota ſingillatim & ſeparatim excipiunt, ac demum, qui pluribus gaudet, a Patrono inſtituitur.

§. II.
De Electione Romani Pontificis.

34. CUm Romani Pontifices inter omnes Chriſtiani Orbis Antiſtites ſpeciali nota digni ſint, de eorum electione ſingulari Paragrapho agere dignum judicavimus; eo præſertim, quod iſthoc argumento præſens Titulus magnopare illuſtrabitur, Lectorique tam utile, quam jucundum ſit futurum.

35. Ad V. uſque Sæculum Romani Pontifices, ut alii orbis Antiſtites, communibus populi, Cleri, atque Comprovincialium Epiſcoporum ſuffragiis eligebantur.

Rei decantatæ exemplum unum ex S. Cypriano, Sæculi III. ſcriptore, adferimus, qui de Cornelii in Romanum Pontificem electione ep. 52. Ad Antonianum ſcribit: *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum teſtimonio*. Quæ diſciplina imperturbata manſit uſque ad Epocham interitus Occidentalis imperii ſub Auguſtulo, quem A. 476. devicit, ac relegavit Odoacer Herulorum Rex.

36. Hic Odoacer Herulorum Rex, poſt mortem Simplicii, occupata Italia, primus edictum promulgavit, ne novus *ſe inconſulto* Pontifex eligeretur.

Ad hoc edictum promulgandum a Simplicio ipſo ſe exoratum affirmat, ut compeſcerentur eæ tumultuationes, quibus electiones plerumque fœdabantur. Teſte Thomaſſ. de V. & N. Eccleſiæ diſciplina, p. 1. lib. 2. c. 16.

37. Hoc edicto jacti ſunt conatus præluſorii, & quædam veluti ſemina, ut in Italiæ Regum poteſtatem Romanorum Pontificum devolveretur electio.

Eſto enim abrupta & diſſipata eo ſtatim tempore fuerint Odoacris Uſurpatoris conſilia, dum, ipſo bello decretorio cum Theodorico Oſtro-Gothorum Duce, ſuo æmulo, involuto, quo tandem vita ſimul, ac Italia privatus eſt, libere Romæ eligebantur more conſueto, Felix, Gelaſius, & Anaſtaſius Simplicii Succeſſores; infelix nihilominus Schiſma, quo a Laurentio Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, procurante Feſto Romano Senatore, vexata ſunt Symmachi Papæ poſt mortem Anaſtaſii A. 498. exordia, opportunam porrigebat anſam Theodorico Regi, Odoacris victori, Italiæ Urbiſque uſurpatori, vendicandæ ſibi totius in Electionem Papæ poteſtatis; non enim tantum Schiſmatis, occaſione legis ab Odoacro latæ, a factionibus rogatus eſt arbiter, teſte Anaſtaſio Bibliothecario in vita Symmachi; verum etiam, illo recrudeſcente, a Feſto & Probino Romanis Senatoribus eodem teſte interpellatus, Romanæ Eccleſiæ viſitatoris conſtituendi Proviſor. Quam utramque provinciam nihilominus præſtantiſſimus & conſultiſſimus Rex, eſto Arrianus, ita obivit, ut mallet juſtitia, & pietate, quam poteſtatis incremento clareſcere. Quin & Symmachi ſucceſſores Hormiſdam, & Joannem I. canonice *a* Clero, populoque Romano electos paſſus eſt. Teſte eodem Anaſtaſio in horum Pontificum vitis. At tandem in fine corrumpens Rex alias, ſalva fide, incorruptiſſimus, non tantum Joannem I. fidei cauſa neci dedit, verum etiam Felicem III. Joannis Succeſſorem, prætermiſſo eo, cui plura Canonicorum electorum aſpirabant ſuffragia, ſua authoritate in Petri Sede collocavit. Quo facto elegit quidem meliorem, at non melius, ſed peſſime finalis ille tyrannus.

38. Poſt Odoacri legem, & Theodorici factum, Gothorum Reges aſſenſum in electiones Romanorum Pontificum cum ipſa eorundem nominatione ſtabilire conati ſunt, quamvis fruſtra.

Hunc in finem Athalaricus Theodorici ex filia nepos & ſucceſſor, ſtatim poſt mortem Avi congratulatorias ad Senatum Romanum literas miſit, quod nominationi Felicis ab Avo factæ tandem aſſenſus eſſet. *Nec enim fas eſſe a judicio, & voluntate Principis diffidere; oportebat enim arbitrio boni Principis obediri*; verba ſunt illius apud Caſſiodorum lib. 8. ep. 15. En quomodo jam ſerpſerit uſurpatio novella! Poſt Felicis obitum A. 530. fœdum Schiſma rurſus erupit inter Bonifacium & Dioſcorum. An ex eo id emerſerit, quod Athalaricus Pontificem obtrudere tentarit, omnino non conſtat. At poſt Bonifacii obitum Joannes & Agapetus Sedem Apoſtolicam obtinuere Gothibus Regibus inconſultis, qui & ipſi variis bellis alibi diſtinebantur. Nihilominus Agapeto Conſtantinopoli A. 536. defuncto Sylverius Hormiſdæ Papæ filius *a* Theodato Gothorum Rege Pontifex creatus eſt, ne umbra quidem electionis adhibita, quin & intentata morte, ſi qui voluntati regiæ reniterentur, teſte Anaſtaſio in ejus vita. Qui huic Pontifici ibi perperam ſimoniæ labem innuit juxta Natalem Alex. hiſt. Eccl. Sæc. VI. c. 2. art. 8. Contrarium ſentit Thomaſſinus L. cit. *Tentata ergo, & aliquando uſurpata fuerat a Regibus Gothis Papæ eligendi poteſtas, nunquam ſatis fixa & firmata: ut quæ bis, terque duntaxat eruperit, ex occaſione tumultuoſarum electionum, & graſſantis quandoque Clericorum ambitionis*, inquit Thomaſſ. L. cit. N. 6.

39. Victis a Juſtiniano Orientis Imperatore per Beliſarium & Narſetem circa medium Sæculi VI. Gothis, atque Italia pulſis, dum Romæ Urbis Principatum reciperent Græci Imperatores; Confirmationem, aut etiam electionem Romanorum Pontificum continuarunt, ſtabilemque fecerunt, nulla tamen poſitiva conceſſione, ſed indulgentia & tolerantia.

Initia hujuſcemodi Juriſdictionis conſecrare tentavit Theodora, famoſa illa Juſtiniani Uxor, dum Vigilium poſt mortem Agapeti, ſpe damnandi ab ipſo Chalcedonenſis Concilii allecta, pollicitatione ſeptem centenariorum auri, & promiſſio-

miſſione præcepti ad Beliſarium dandi, ut Papa ordinaretur, ad ſuſcipiendum Pontificatum pellexit, atque ſibi aſſentientem Romam miſit; qui tamen Sylverium a Theodato Gothorum Rege jam ordinatum repecit; ac poſtea Sylverio A. 540. martyrio, inediæ confectione, coronato, legitimis comitiis, terrore nihilominus minacis Beliſarii, ac ſtudio pacis & unitatis actis, dignitatem Pontificiam obtinuit, ſuaque peſſima initia glorioſo progreſſu & fine emendavit, ut habet Anaſtaſius in ejus vita. Quibus, poſt Romam per Narſetem cum tota Italia Orientis Imperio ſubjectam, laudatum in propoſitione ædificium ſuperſtruxerunt reliqui poſt Juſtinianum Conſtantinopolitani Imperatores, Romanos Pontifices, aliosque Latii Epiſcopos vel nominando, vel confirmando, ut conſtat ex Pelagii I. Vigilii Succeſſoris ep. ab Holſtenio pag. 227. collect. Rom. publicata, atque ex decantata Gregorii M. electione apud Joannem Diaconum in ejus vita, aliiſque Eccleſiaſticis monumentis. Ex quibus tamen illud notabile colligitur: *Generaliter* libera ſemper ſuffragia ſua ad Pontificis electionem contuliſſe Clerum, Senatum, & populum Romanum, Imperatoreſque tantum *confirmaſſe* electionem, ita, ut ſi electum abjeciſſent, alius eſſet eligendus. Thomaſſ. L. cit. N. 8.

40. Græcorum Imperatores inſuper penſiones pecuniarias a Romanis Pontificibus ita electis exegerunt.

An Ævo S. Gregorii ſeu Sæculi VI. fina hæc penſio Græcanica in uſu fuerit, non ſatis liquere ait Thomaſſ. L. cit. N. 9. ipſo tamen, & aliis teſtibus, pecuniæ penſioni parum canonicæ obnoxii fuere Romani Pontifices, qui Gregorio ſucceſſere, uſque ad imperium Conſtantini Pogonati, a quo Sæculo VII. adulto Agatho Papa, teſte Anaſtaſio in ejus vita, *accepit divalem juſſionem, ſecundum ſuam poſtulationem, per quam relevata eſt quantitas, quæ ſolita erat dari, pro ordinatione Pontificis facienda. Sic tamen, ut ſi contigerit poſt ejus tranſitum, electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem* (Conſtantinopolim) *ſecundum antiquam conſuetudinem, & cum earum conſcientia, & juſſione debeat ordinatio provenire.* Hoc decreto, ſeu divali juſſione probatur & præſens propoſitio, penſiones pecuniarias pro Ordinatione Romani Pontificis Græci Imperatoribus fieri ſolitas, quas Thomaſſinus l. mox cit. Gregorii Ævo in dubium vocat, Natalis vero Alex. Hiſt. Eccl. Sæculo VI. cap. 5. art. 4. a Gothorum Regibus aſſerit jam introductas; atque præcedens, nimirum *Confirmationem* electionis Romanorum Pontificum a Græcis Imperatoribus exerceri ſolitam nulla poſitiva Juris Eccleſiaſtici diſpoſitione, ſed conſuetudine, & Arrianorum Gothicæ gentis Regum uſurpatione nata, atque ob temporum duram conditionem ab Eccleſia tolerata, niti.

41. Idem Religioſiſſimus, atque in Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram pientiſſimus Imperator Conſtantinus Pogonatus *Confirmandi* Jure Romanos Pontifices, ſe, ſuoſque poſteros inſuper abdicavit.

Sub Pontificatu enim Benedicti II. qui incidit in annum 684. ad Clerum, populum, & exercitum Romanum literas dedit, ut electus ſemel Pontifex ſtatim ordinaretur. *Conceſſit, ut electus e veſtigio abſque tarditate Pontifex ordinetur*, verba ſunt Anaſtaſii in hujus Pontificis vita, a quo & perhibetur Joannes V. eo beneficio primum uſus, his verbis · *Hic poſt multorum Pontificum tempora vel annorum*, nimirum ab Odoacro (N. 36. h. t.) uſque ad Conſtantinum Pogonatum (juxta priſcam conſuetudinem, hoc eſt illam, quæ ab Apoſtolorum temporibus uſque ad Odoacri Arriani legem Romæ immota perſtitit, legibus divinis, Eccleſiaſticiſque firmata (toto §. 1. h. t.) *a generalitate* (a Clero, populoque Romano) *in Eccleſia Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, electus eſt, atque exinde in Epiſcopatum introductus*, ſeu conſecratus.

42. Solus Joannes V. plena illa libertate in Romanum Pontificem electus eſt, poſt cujus obitum Græci Imperatores aliis eam cuniculis ſubvertere ſtuduerunt.

Id Juſtinianus Rhinometus Conſtantini Pogonati Succeſſor tentavit, ſcilicet per militares copias, quæ tum vocem in capitulo, ut dici ſolet, cum Clero, Senatu, populoque Romano adeptæ ſunt, non alteri dandam, quam qui ſibi arrideret, quemque inſuper a ſuo Exarcho Ravennatenſi oporteret confirmari. Ex quo & illud obortum eſt malum teſte Baronio ad A. 686. *Ut ambientes Pontificatum, per Exarchi miniſterium illum conſequi conarentur, ſive muneribus, ſive aliis officiis hominem demerentes.* Id quod eodem anno fecit Paſchalis Archidiaconus Romanæ Sedis, poſt mortem Cononis, cum Theodoro Archipresbytero contra Sergium I. pertinacior æmulus, qui Sergius, quem Exarchus Platyn deponere jam non valuit, homini impudentiſſimo nihilominus centum libras auri, a Paſchali ſibi promiſſas, ſolvere per vim adactus debuit, teſte Baronio A. cit. Et in ipſa Cononis electione factione Exercitus turbata, dum hic tandem Clero, populoque Romano conſentiret, *Miſſos* (ſeu Nuntios) *pariter una cum Clericis, & populo ad Excellentiſſimum Theodorum Exarchum, ut mos eſt, direxerunt.* Verba ſunt Anaſtaſii, quibus innuit, tunc jam iterum cœptam, vel innovatam *confirmationis* electionis Romani Pontificis a ſæculari poteſtate, nimirum Ravennatibus Exarchis conſuetudinem, quæ etiam nunc aperta, nunc palliata apud ipſos cum ſuis quandoque interpolationibus perduravit uſque ad A. 752. quo Ravenna ab Aiſtulpho Longobardorum Rege capta Exarchatui huic finis impoſitus eſt, teſte Petavio in Rationario temporum ſucceſſione 59. Audiatur Baronius ad A. 705. *Incredibiles perſpicias*, inquit, *fuiſſe Græcorum artes, quibus niſi ſunt ſibi ſubjicere (ſi licuiſſet) Romanam Eccleſiam. Quod enim confirmationi Romani Pontificis, ſibi tyrannice uſurpatæ, tandem renuntiaſſent Imperatores, ſtuduerunt alia via eidem Romanæ Eccleſiæ dominari, agentes nimirum, ut in collegium S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium allegerentur Orientales, qui etiam, opera Exarchorum adnitente, crearentur Romani Pontifices. Hinc videas poſt Benedictum Pontificem* (quo mortuo Conſtantinus Pogonatus uſurpationem confirmationis remiſit, ut ſupra N. 41. diximus) *Joannem V. Syrum natione creatum ſucceſſorem, deinde Cononem Thracem, poſtea Sergium Syrum, Joannem deinde Græcum pariter ordine VI. dictum, inde hunc, de quo agimus, Joannem VII. itidem Græcum, poſtea Siſinnium Syrum, itidemque Gregorium III. Syrum etiam, nec non poſt eum Zachariam Græcum; ut appareat inter hos omnes vix unum Gregorium II. intercalatum Romanum natione Pontificem.* Spe tamen ſua per ipſos Græcos Pontifices, Apoſtolicos vere viros, iidem deluſi ſunt, ut ibi monſtrat Baronius.

43. Poſt Zachariæ obitum, Græcis Exarchatu a Longobardis ſpoliatis, priſtina Romanorum Pontificum eligandorum libertas revixit.

Sic enim teſte libro Pontificali, *Stephanum Presbyterum ad Pontificatus ordinem cunctus populus ſibi elegit*, A. 753. Fuit is Stephanus II. Zachariæ Succeſſor. Poſt quem Stephanus III. ſimili modo electus fuit. Et Paulus I. hujus Succeſſor

in literis ad Pipinum datis ait: *In Apoſtolatus Ordinem a cuncta populorum Caterva mea infelicitas electa eſt. Et dum hæc agerentur, convenit Romam Chriſtianiſſima Excellentiæ tuæ Miſſus.* Concilior. Galliæ tom. 2. pag. 40. Et quamvis Toto Nepeſinus Dux poſt Pauli obitum in Romanam civitatem irrumpens, germanum ſuum *Conſtantinum* eligi extorſerit; nihilominus Romani optimates, Antipapæ pertæſi, auxilio Deſiderii Longobardorum Regis freti, Clero, exercitu, populoque convocato Stephanum IV. A. 768. libera & canonica electione Throno Pontificio invexere, ut habet Anaſtaſius in ejus vita. Eodem modo Adrianus I. apicem apoſtolicum adeptus eſt.

44. Adrianus I. jus eligendi Rom. Pontificem, caſſata veteris electionis forma, in Carolum M. ejuſque ſucceſſores non tranſtulit. An vero, tranſlato a Græcis in ſe, ſuoſque ſucceſſores Imperatoris Romani titulo, confirmationis ejuſmodi electionum Privilegium poſtliminio exercuerint, intricatum eſt. Illud certum, tantata eſſe multa ab Adriani I. temporibus, ſeu ab A. 800. uſque ad electionem Adriani II. ut neceſſitati Confirmationis Imperatoriæ ſubjacerent Romani Pontifices.

Prima propoſitionis pars in aprico eſt. Suppoſititium eſt enim Privilegium Adriani, quo Carolo M. poteſtas conferri narratur eligendi Romanum Pontificem &c. ſicut & illud Leonis VIII. Antipapæ (N. 50. 51. h. t.) vel ex hoc etiam, quod Leo III. Adriani Succeſſor, *una concordia, eademque voluntate a cunctis & Sacerdotibus, ſeu Proceribus, & omni Clero, necnon & Optimatibus, vel cuncto populo Romano electus eſt*, teſte eodem Anaſtaſio; ſimiliter ejus ſucceſſores Stephanus V. Paſchalis I. Eugenius II. Valentinus, Gregorius IV. Sergius II. Leo IV. Benedictus III. Nicolaus I. & mentionatus in propoſitione Adrianus II. ut ex Anaſtaſio Bibliothecario ſub Nicolao I. florente, horumque ac aliorum uſque ad ipſum Nicolaum Pontificum vitæ Scriptore, referunt authores.

Quantum ad II. p. quod poſt mortem Adriani I. Imperatores Occidentis Romanorum Pontificum electionem per ſe vel ſuos Miſſos, ſeu Legatos *ratam* habuerint, probare videntur *Primo* decretum Stephani V. qui ſub ipſa Imperii Ludovici pii, Caroli M. filii, initia decretum edidiſſe a Gratiano refertur diſt. 63. can. 28. quo ſtatuitur: *Ne ordinari poſſit electus Papa, niſi adſtantibus Imperatoriis Legatis. Secundo*, quod Author vitæ Ludovici Pii, quem Ademarum Monachum fuiſſe ſuſpicantur, ſcribat; hunc Pontificem ante ſuum in Galliam adventum præmiſiſſe legationem, *quæ ſuper ordinatione ejus Imperatori ſatisfaceret. Tertio*, quod Eginardus, vitæ Caroli M. cui familiaritate conjunctus erat, de Gregorio IV. teſtetur: *Gregorius electus, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris* (Ludovici) *Romam veniret, & electionem populi examinaret*; cui conſentit author vitæ ejuſdem Imperatoris apud Duchenium tom. 2. pag. 305. apud quem tom. 3. pag. 200. Annales Bertiniani de electione Sergii II. Gregorii IV. Succeſſoris ſequentia quoque referunt: *Sergius ſubſtituitur, quo in Sede Apoſtolica ordinato, Lotharius* (Ludovici pii filius & in imperio ſucceſſor) *filium ſuum Ludovicum* (ſecundum) *Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit, acturos, ut deinceps decedente Apoſtolico, quiſquam illic præter ſui juſſionem, Miſſorumque ſuorum præſentiam ordinetur Antiſtes. Quarto*, quod ipſe Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis IV. Sergii II. Succeſſoris circa ejus electionem ſcribat: *Romani novi electione Pontificis gaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine Imperiali non audebant authoritate futurum conſecrare Pontificem*; quem tamen ex urgentiſſimis cauſis ſine permiſſu Principis pro illa vice eos conſecraſſe refert: & de Benedicti III. Leonis IV. Succeſſoris electione, cui ipſe interfuit, affirmet; *priſtinam conſuetudinem eſſe ſervatam, ut differretur ordinatio, donec ad Imperatores* (Lotharium & Ludovicum II.) *mitteretur decretum electionis. Quinto*, quod Legati Ludovici II. excanduerint, ſe ab electione Adriani II. Benedicti III. poſt Nicolaum I. ſucceſſoris excluſos fuiſſe, Romanos vero hanc excluſionem purgaſſe, prætextu formidinis, *ne videlicet Legatus Principum in electione Romanorum Præſulum mos exſpectandi per hujuſcemodi fomitem inoleſceret*. Mos igitur jam erat eos exſpectandi. E contra: quod libera, & a recentium Imperatorum Occidentis confirmatione immunis fuerit Romanorum Pontificum electio, aperte teſtatur *Primo* Florus Magiſter in tractatu *de electione Epiſcoporum*, quem ſcripſit circa A. 820. ſub Ludovici Pii imperio, in quo tractatu ſequentia narrat: *In Romana Eccleſia uſque ad præſentem diem cernimus, abſque interrogatione Principis ſolo diſpoſitionis divinæ judicio, & fidelium ſuffragio Pontifices conſecrari. Secundo*, ipſe Ludovicus pius conſtitutione, ipſo promotionis Paſchalis I. anno, videlicet 817. promulgata, atque a Gratiano eadem diſt. 63. can. 30. relata ſancit, ut electio Romani Pontificis, ſimiliter & conſecratio, gaudeat pleniſſima libertate ſequentibus verbis: *Quando divina vocatione hujus ſacratiſſimæ Sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno noſtro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo ſub noſtra poteſtate conſtitutus, licentiam habeat, contra Romanos aut publice aut privatim conveniendi, aut electionem faciendi. — Liceat Romanis cum omni veneratione, & ſine qualibet perturbatione honorificam ſuo Pontifici exhibere ſepulturam, & eum, quem divina inſpiratione, & B. Petri interceſſione, omnes Romani uno conſilio, atque concordia, ſine qualibet promiſſione ad Pontificatus ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate, vel contradictione more canonico conſecrari, & dum conſecratus fuerit, legati ad noſtros Succeſſores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, & charitatem, ac pacem ſocient*. Amicitiæ ergo, charitatis, & pacis ſociandæ, non *confirmationis* obtinendæ gratia Romanos Legatos ad Imperatores mitti oportebat ex conſtitutione Ludovici Pii.

Tertia pars allatæ propoſitionis ex dictis pro ſecunda conficitur. Eſto enim Thomaſſinus de V. & N. Eccl. diſcipl. p. 2. l. 2. c. 25. N. 4. ea, quæ pro jure confirmationis Papalium electionum Imperatoribus adſerendo ratione *c.* 2. & 3. ſecundæ hujus partis proferuntur, diluere conetur, dicendo ad primam, Ceterum illud Stephani V. fictitium evinci vel ex ipſa Paſchalis I. ejus Succeſſoris electione, *quem uno voluntate a cunctis Sacerdotibus — cunctoque populo Romano electum* aſſerit Anaſtaſius, nulla mentione legatorum Imperialium, aut Imperatoriæ confirmationis facta; idemque Anaſtaſii, & Adonis Viennenſis in chronico ſilentium opponat iis, quæ ratione 2. ex Ademaro, Annalibus Eginardi, & Bertinianis contraduntur, ſimul cum poſitivo teſtimonio Flori a nobis in Sed contra primo loco adducto; atque ad tertiam dicat, Anaſtaſium, & Adonem in hoc conſentire, *eo tantum pertinuiſſe iter Romanum Ludovici Lotharii filii, ut Imperatoria corona cingeretur*, non vero mandatum ibi notatum deferret: nihilominus etiam candide fatetur, teſtimonium ex ipſo Anaſtaſio ratione 4. adductum pro electione Leonis IV. *pene ſolum, ſi vel maxime ei accedant annales Eginardi, elevare poſſe, quæ in contrarium diſputata ſunt omnia*. Et certe

ſi his

ſi his junguntur ea, quæ ibidem, & ratione 5. ex eodem Anaſtaſio de electionibus Benedicti III. & Adriani II. ſubjunguntur, manifeſtum fit, tanta multa iſſe, ut neceſſitati confirmationis Imperatoriæ ſubjacerent Romani Pontifices, alternata tamen magis, quam ſtabiliter decreta, & in uſum perpetuum deducta. Unde Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. Imperatores ignaviæ arguit, quod Privilegium Adriani I. (quod genuinum falſo exiſtimat) tam ſegniter urſerint.

45. Adriano II. vita functo electiones, & ordinationes Romanorum Pontificum celebratæ ſunt Legatis imperatoriis, tum Imperatoribus ipſis inconſultis.

Vidimus enim N. præcedenti ratione 5. primæ partis membri ſecundi propoſitionis allatæ Legatos Imperatorios ab electione Adriani II. vie facti fuiſſe excluſos, *ne mos hujuſmodi Legatos exſpectandi per ſimilem fomitem inoleſceret*, Legatoſque, imo ipſum Imperatorem huic excluſioni tandem acquieviſſe conſtat ex ſerie hiſtoriæ relata a Grat. diſt. 63. can. 29. Hac igitur acquieſcentia freti Romani, defuncto Adriano II. ſimili electione ſubſtituerunt Joannem VIII. Marinum, & Adrianum III. qui de electione Pontificis decrevit, *ut in ipſo creando Imperatoris auctoritas exſpectaretur; idque ideo, ut Cleri & populi libera ſint ſuffragia*. Ut habet ejus vita in Colletana Concilior. collect. tom. 11. col. 533.

46. Excluſio Romanorum Imperatorum ab electionibus, ſive conſecrationibus Apoſtolicorum non diu duravit.

Facta enim primum eſt in electione Adriani II. quæ contigit A. 868. & duravit ad A. 904. quo Joannes IX. ob perturbationes, tumultuſque crebros in illis exortos compulſus eſt decernere, *ut ne poſthac fieret Romani electio Antiſtitis, niſi publice ab Epiſcopis & Clero, Senatu, & populo, & ne conſecraretur electus, niſi adſtantibus Legatis Imperatorum*. Decretum iſtud refert Thomaſſ. L. ſupra cit. qui ibi N. 6. pergit: *Hoc porro ex Decreto patet 1. non ad electionem, ſed ad ordinationem tantum admiſſos fuiſſe Imperatorios Oratores. 2. Nec admiſſos fuiſſe niſi prævertendis diſſenſionibus, & graſſationibus*: qui violentiam, & ſcandala in ejus conſecratione non permittant fieri. 3. *Morem advocandi Imperatoris Legatos ad Pontificis Ordinationem tum habitum fuiſſe pro canonico ritu & conſuetudine*. Nec canonico ritu, & conſuetune ab Imperatore directi interſunt Nuntii. Quia nimirum hæc conſuetudo apud Græcos Imperatores ſubinde viguiſſet (N. 39. h. t.) apud Francos alternationibus ſubjecta utcumque perduraſſet (N. 44. h. t.) & 20. abhinc annis ab Adriano III. primo abrogata fuiſſet. (N. 45. h. t.)

47. Ex neglectu Decreti Joannis IX. electiones Romanorum Pontificum omnem pene libertatem amiſerunt, atque in imperatoriam poteſtatem fere redactæ ſunt.

Inde enim factum eſt, ut fatali illo ſæculo X. Marchiones Hetruriæ, & Comites Tuſculani, cum Magnatibus Romanis opprimerent de novo libertatem Eccleſiæ, creando, & deponendo Pontifices juxta propriam libidinem, & quemadmodum plus minuſque ſuis paſſionibus id expedire judicabant, teſte P. Maimbourgo in hiſtoria magni Schiſmatis in Occidente, ipſorumque Pontificum e Joanne IX. uſque ad XII. vitis apud Nat. Alex. Sæculo X. ſeu uſque ad A. 962. Quo Otho I. a Joanne XII. contra Berengarii tyrannidem evocatus, Romam venit, atque imperatoria dignitate ab eodem auctus eſt, teſte Flodoardo, Reginone, Luitprando, qui etiam mutuam fidelitatem ab Imperatore & Pontifice ſibi fuiſſe juratam referunt. Quo anno teſte Baronio annalium tomo X. diploma edidit, quo non tantum donationes Pipini & Caroli M. Eccleſiæ Romanæ factas confirmat, verum etiam Romani Pontificis electionem canonice fieri ſancit, vetatque ne *ullus* impedimentum Romanis illis afferret, quos ad hanc electionem per conſtitutionem Sanctorum Patrum antiqua admiſit conſuetudo. Juſſit vero, ut Pontifex electus non ante conſecraretur, quam promiſſionem de Reipublicæ conſervatione procuranda feciſſet, præſentibus Imperatoris Legatis, & omni populo, inſtar ejus, quam fecerat Leo III. Per hoc igitur diploma caſſatum fuit decretum Joannis IX. A. 904. editum (N. 46. h. t.) aſſenſuſque imperatorius ab electione Romanorum Pontificum excluſus. At at poſtquam A. ſequenti ſeu 963. Joannes XII. immorigeratus Pontifex juramenti Othoni facti ſpreta religione Alberico contra eundem faveret: Otho, teſte Luitprando, advolat in urbem, a Romanorum Optimatibus clam invitatus, cives Imperatorem cum ſuis ſuſcipiunt, fidelitatem ſpondent, atque inſuper jurant, *nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum, atque electionem Othonis Cæſaris Auguſti, filiique ejus Auguſti*. Celebratur in continenti Synodus, Joannes XII. de atrociſſimis criminibus accuſatus, Leoque VIII. adhuc Laicus, Romanæ Eccleſiæ Proto-Scriniarius, ut Sigebertus ſcribit, Pontifex, ſeu potius Antipapa electus, & conſecratus eſt. Cum vero A. ſequenti, ſeu 964. mortuo Joanni XII. Benedictus V. a Romanis, contra ſacramenti Othoni nuper facti religionem, fuiſſet ſubſtitutus, ab eodem Romam denuo advolante pacti coacti ſunt, Leonem denuo Sedi Apoſtolicæ intrudi, Benedictumque Sanctiſſimum Pontificem in exilium Hamburgum ablegari, in quo & mortuus eſt. Hic Leo VIII. in uſurpata Petri Sede confirmatus, in Pſeudo-Synodo conſtitutionem ediddiſſe fertur, qua Othoni Imperatori, ejuſque Succeſſoribus privilegium ab Adriano I. Carolo M. datum confirmat, vi cujus ipſis in perpetuum facultas conceditur eligendi Romanum Pontificem, & inveſtituras Epiſcopis tribuendi, quam refert parum accuratus Gratianus diſt. 63. cap. in Synodo.

Ex his porro monumentis liquet paucorum annorum ſpatio, *Aſſenſum* imperatorium in electiones Romanorum Pontificum, ● Imperatorio edicto fuiſſe excluſum, & Romanorum Procerum Suffragiis jure jurando firmatis requiſitum, & tandem ipſam *nominationem* iiſdem Pontificio diplomate delatam, confirmatam. Verum ſicut jus nominandi Romanum Pontificem Imperatoribus nequaquam aſſeri poteſt ex Leonina conſtitutione, cum, præterquam quod ſit a Pſeudo-Pontifice (N. 79. h. t.) edita, inſuper una cum Privilegio Adriani exiſtat apocrypha (N. 71. & 72. h. t.) ita & *excluſio* aſſenſus imperatorii in Romanas electiones ex conſtitutione Othonis I. peti certo nequit, cum teſte Thomaſſino de V. & N. Ecc. diſcipl. p. 2. l. 2. cap. 25. N. 7. *tot vexetur difficultatibus, ut vehementer diffidat tam dubio fundamento committi quidquam poſſe, quod fixum ac ratum ſit*. Præcipuas adducit ibi. 1. Quod ea de re ſileant Luitprandus, Regino, & Flodoardus, ejus ævi ſcriptores. 2. Quod cauſæ ſubducendi Eccleſiam Romanam jugo pudendo tot latrunculorum, a quibus jam dudum lancinabatur, quæ Joannem IX. permovebant, ut neceſſitatem imperatoriæ aſſiſtentiæ in Romani Pontificis conſecratione decreto ſanciret, ſimulque inde redundans in Imperialem Majeſtatem honor Othoni contrarium perſuaſiſſe debuiſſent ab eo, quod illa prætenſi diplomatis appendice decreviſſe narratur. 3. Quod in ſponſione Romanorum Civium Othoni poſtliminio facta, de non eligen-

do Pontifice abſque ſuo, filiique aſſenſu, nulla fiat mentio rationum revocandi, retractandique hujus beneficii a ſe anno abhinc elapſo conceſſi. Media igitur via incedendum, atque narratio Luitprandi, a nullo conteſtata, amplectenda, vi cujus decretum Joannis IX. (Imperatorios Legatos *Ordinationi* Romani Præſulis, ad prævertendas diſſenſiones, & graſſationes, intereſſe jubens (N. 46. h. t.) ab Optimatibus Romanis extenditur ad ipſum *aſſenſum* imperatorium ipſi electioni præſtandum. Quam extenſionem imprudenter & temere a Romanis, odio vatiniano in Joannem XII. immorigeratum & fœdifragum Pontificem animatis, factam, eoſque hoc facto limites ſuæ poteſtatis exceſſiſſe affirmat Nat. Alexander. Quidquid autem ſit circa punctum iſtud intricatiſſimum, certum eſt primo ſub Adriano III. excluſum fuiſſe aſſenſum imperatorium ab electionibus Rom. Pontificum (N. 45. h. t.); certum eſt II. decreto Joannis IX. præſentiam Legatorum imperialium tantum in *Ordinatione* horum Præſulum gratia *compeſcendorum tumultuum* fuiſſe requiſitam (N. 46. h. t.); certum denique eſt III. Romanos Proceres in actu mox recenſito, ſua aſſenſus imperatorii in eaſdem electiones juramento non ſanxiſſe, niſi Othoni I. & ejus filio (N. 47. h. t.); certum tandem eſt IV. Othonem I. ejuſque filium jure ſibi delato uſos fuiſſe, ut mox videbimus; certum finaliter eſt V. hac limitatione non obſtante, Othonem III. Othonis I. nepotem non fuiſſe eum, qui elabi ſibi pateretur privilegium, in quo nunquam fuerat incluſus. Quandoquidem ubi Romam venit, Brunonem conſanguineum ſuum, filium Othonis Saxonum Ducis, in Pontificem eligi curavit, ſub nomine Gregorii V. A. 996. cujus etiam favore Sylveſter II. poſt mortem Gregorii V. Thronum Apoſtolicum conſcendit. Audiendus rei totius illuſtrandæ gratia Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. in operibus Grecerionis noviſſimæ editionis Ratisbonenſis tom. 6. p. 107. *Satis autem conſtat* (verba ſunt ipſius) *Joannem XII. qui Leoni VIII. immediate ſucceſſit, Gregorium V. & Sylveſtrum II. Apoſtolicæ Sedi ſola Imperatorum auctoritate impoſitos fuiſſe, nullis Cleri, vel populi Romani ſuffragiis expetitis. Cæteri vero Romani Pontifices, qui inter Joannem XIII. & Sylveſtrum II. fuerunt, etſi eos electos fuiſſe ab Imperatoribus non legatur, ſed a Clero, Senatu, populoque Romano; id accidit, quod electionis tempore Imperatores Urbe abſentes, adeo maximis in Germania, & alibi bellis impliciti eſſent, ut de nova Pontifice Romanæ Sedi providere non poſſent. Illud tamen conſtat, dum Imperatores, tres Othones loquor, in Urbe, aut certe in Italia fuerunt, & Romanam forte Eccleſiam Paſtore vacare tum contigiſſet, eos novum Pontificem dediſſe. Si vero tempore novæ electionis eos ab Italia procul eſſe contigiſſet, certum eſt, tum Romanos Pontifices a Clero, Senatu, populoque Romano electos, non abſque Imperatorum conſenſu conſecratos fuiſſe. Fuerunt autem Benedicti duo VI. & VII. Bonifacius VII. Apoſtolicæ Sedis invaſor, qui etiam exactus fuit, & Joannes XIV. XV. XVI. quorum noviſſimus, ut quidam ſcribunt, quod ſine Imperatoris Othonis III. conſenſu electus, & conſecratus eſſet, urbe fugatus, Sacerdotio mulctatus eſt, Gregorio V. ſubrogato.* Syſtema electionis Romanorum Pontificum a Joanne XII. id eſt ab A. 956. uſque ad Sylveſtrum II. ſeu ad A. 999. ſub tribus Othonibus, ad hiſtoriæ leges fideliter videtur exponere Onuphrius, ut ſcrutanti monumenta patebit. In hoc ſolo errat, quod hanc Othonum œconomiam fundet in ſuppoſititio Adriani I. privilegio, per Leonem VIII. Antipapam apocrypha confirmatione roborato (N. 72. h. t.), cum potius repetenda ſit ex Romanorum conceſſione Othoni I. ejuſque filio, miſera urgente neceſſitate, jurata, & quidem male (N. 47. h. t.) atque adeo pejus ab Othone III. nepote uſurpata.

48. S. Henricus II. e Duce Bavariæ Imperator, ejuſque Succeſſor Conradus II. Eccleſiæ Romanæ plenam electionis ſuorum Pontificum reſtituerunt libertatem, illam, ad exemplum Imperatorum Francorum, Clero, populoque committentes.

S. Henrici diploma hac ſuper re conſignavit Baronius ad A. 1014. in quo ad propoſitum ſequentia leguntur: *ut in electione Pontificum neque liber, neque ſervus ad hoc venire præſumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per conſtitutionem SS. Patrum antiqua admiſit conſuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod ſi quis contra hanc noſtram conſtitutionem venire præſumpſerit, exilio tradatur. Inſuper etiam, ut nullus miſſorum noſtrorum cujuſcumque impeditionis argumentum componere audeat in præfatam electionem, prohibemus, &c.*

49. Henricus III. Conradi II. filius, & Henricus IV. ejus nepos œconomiam Othonum circa electiones Romanorum Pontificum circa A. 1046. reaſſumpſerunt annuentibus Romanis, & Nicolao II. in Concilio Romano conſenſum imperatorium confirmante.

Quantum ad 1. p. Clemens II. opera ſtudioque Henrici III. Germaniæ Regis, ſummo Romani Cleri conſenſu creatus eſt Pontifex A. 1046. & A. 1048. Poppo Brixienſis Epiſcopus ejuſdem Henrici Imperatoris nutu creatus eſt Pontifex, qui nomen ſibi ſumpſit Damaſi II. Hoc defuncto, ab eodem Henrico Imperatore, id auctoritatis peſſimis illis temporibus ſibi tribuente, in Conventu Wormatienſi A. 1048. Romanus Pontifex deſignatus eſt Leo IX. ut refert Natalis Alexander hiſt. Eccl. tom. 6. p. 405. & vita ejuſdem Pontificis in Colet. Concilior. collect. tom. 11. col. 1317. ubi, cum Cardinales per legationem ab Imperatore referantur petiiſſe ſuo nomine eligi, & præſentari aliquem idoneum, qui Benedictum (Antipapam dictum IX.) jam tertium Sedem Apoſtolicam invadentem, ejicere poſſet, certum eſt eos in hanc Imperatorum œconomiam conſenſiſſe, at duro Schiſmatis neceſſitate adactos; atque ita Leonis IX. ſucceſſor Victor II. Clero Romano legationem ad Henricum III. mittente, Sedi Apoſtolicæ ab eodem invectus, atque poſt mortem Stephani IX. Victoris II. Succeſſoris, aſſenſu Agnetis Imperatricis, ad comprimendam audaciam Antipapæ Benedicti X. a Legatione Romana expetito, Senis Nicolaus II. Papa electus eſt.

Quantum ad 2. p. idem Nicolaus II. A. 1059. in Concilio Romano Decretum de Romani Pontificis electione edidit, ſtatuens: *ut vacante Sede Cardinales Epiſcopi convenirent, de electione tractaturi, aſſumptiſque ſecum Clericis Cardinalibus, communibus ſuffragiis Pontificem eligerent ex Eccleſiæ Romanæ gremio, ſi reperiretur idoneus, accedente reliqui Cleri, populique conſenſu, ſalvo debito honore, & reverentia Henrici IV. Germaniæ Regis & futuri*, ut ſperabatur, Imperatoris, cui Nicolaus ipſe privilegium confirmavit, ejus Patri (Henrico III.) ab Apoſtolica Sede collatum, ut abſque ipſius aſſenſu Romani Pontificis electio rata non eſſet. Teſte Nat. Alexand. L. cit. ex actis & authoribus coævis.

50. Impugnata eſt hæc Eccleſiæ Romanæ circa Electionem Summorum Pontificum ſervitus, duris variorum temporum conditionibus introducta cum ſuis Corollariis, in alias particulares Eccleſias redundantibus, a Gregorio VII.

Alc-

Alexandri II. poſt Nicolaum II. A. 1073. Succeſſore, ac tandem a Calliſto II. ablata.

Quantum ad 1. p. vide N. 26. h. t. quo inveſtituræ omnium in genere Epiſcopatuum damnantur.

Quantum ad 2. vide compacta inter Calliſtum II. & Henricum V. Henrici IV. filium relata hoc tit. N. 26. Pro utraque autem integram diſſertationem de inveſtituris hoc titulo; quo tempora, uſque ad præſens independentes a Laicæ poteſtatis nominatione, vel aſſeolu manſerunt Romanorum Pontificum electiones, domi ſuæ jam penitius inſpiciendæ. Vidimus autem (N. 35. h. t.) quomodo electio Romani Pontificis a primis Sæculis facta ſit communibus populi Romani, Clerique ſuffragiis; vidimus præterea a N. 36. uſque ad præſentem quemadmodum a Laicis Principibus fuerit infeſtata, & a Romanis Pontificibus poſtliminio vindicata; nunc videamus, quemadmodum ad S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales demum devoluta ſit, excluſis tam Clero, quam populo Romano.

51. Sæculi XI. medio præcipua electionis ſparta Collegio Cardinalium delata eſt, Epiſcopis Cardinalibus primas obtinentibus.

Id ſancivit Nicolaus II. in Concilio Romano A. 1059. conſtitutione edita ſequentis tenoris: *Obeunte Pontifice imprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſime ſimul delegatione tractantes, mox ipſi Clericos Cardinales adhibeant; ſicque reliquus Clerus & populus ad conſenſum novæ electionis accedat.* Canonice ergo Cardinalium electio præcedere debebat, ac deinde Cleri, populique aſſenſus accedere. diſt. 79. c. 1. diſt. 23. can. 1. *Nec inane hoc erat ſtudium attollendæ Cardinalium Auctoritatis*, inquit Thomaſſinus, *extorquenda enim erat Germanis Imperatoribus ea poteſtas eligendi ſua ante Romani Pontificis, quam jam diu uſurpare permiſſi fuerant*: ut præſenti §. videri poteſt. Quamvis huic electionis Romani Pontificis reformationi occaſionem dederint Schiſmata, Eccleſiam Dei poſt mortem Stephani, Nicolai hujus Prædeceſſoris, graſſantia, ut innuit idem Pontifex in ipſo decreto, in quo etiam, comprimendorum horum gratia, ſalvus habetur honor Romani Imperatoris, aſſentiendi nimirum electioni factæ, ut ſupra N. 49. vidimus.

52. Per idem decretum amplius adhuc minutum eſt jus ſuffragii populi Romani in electione Summi Pontificis.

Additur enim ibi: *Quod ſi pravorum, atque iniquorum hominum ita perverſitas invaluerit, ut pura, ſincera, atque gratuita fieri in urbe non poſſit electio: Cardinales Epiſcopi cum Religioſis Clericis, Catholiciſque Laicis, licet paucis, jus poteſtatis obtineant, eligere Apoſtolicæ Sedis Pontificem, ubi congruere viderint.*

53. Hæc diſciplina, ut nempe Epiſcopi Cardinales primas in electione Romani Pontificis partes haberent, Cardinales Clericos nihilominus adhibeant, ac ita per majoritatem votorum electionem faciant, cui factæ Clerici inferioris vota, populique plauſus accedant, duravit uſque ad Alexandrum III. electum A. 1159. a quo immutata eſt.

Prima pars propoſitionis patet ex electionibus Alexandri II. qui Nicolao ſucceſſit; Gregorii VII. ex cujus electionis decreto fragmentum retulimus N. 84. h. t. aliorumque poſt Gregorium VII. uſque ad Alexandrum III. Romanorum Pontificum inaugurationibus, quarum œconomiam ad ideam allatæ propoſitionis exactam ipſe legi apud Baronium ad horum temporum periodum. Hoc notandum, quod in electione Alexandri & Gregorii exquiſitus adhuc fuerit imperatorius conſenſus, & uſque ad Calliſtum II. prætenſus, ut hoc §. vidimus. Quæ res ſæpe Schiſmatibus locum dedit; uti videri poteſt apud Petavium in rationario temp. in tabula chronol. Schiſmatum, & Antipaparum.

Quantum ad 2. p. cum Alexander III. triſti experientia edoctus fuerit decreto Nicolai II. ſupra allato adhuc ſat efficaciter non occurri ambitioni malevolorum hominum, & majoria parte electo, minoribus ſuffragiis ſæpe oppoſitum fuiſſe Pontificem, id quod in ſua electione contigit, in qua duo ſoli Cardinales tituli S. Martini, & Guido Tituli S. Calliſti Presbyteri, Octavianum tituli S. Cæciliæ, reliqui Collegii votis in ſe conſpirantibus, Romanorum Senatorum ope auxilioque ab Octaviano pretio comparatis, ipſi oppoſuerunt, atque potentia Friderici Imperatoris uſque ad mortem ſuſtinuerunt; ſtatuit, ut ſolus ille legitimus haberetur Pontifex, in quem duæ partes ſacri Collegii concordaverint. Quo decreto relato tit. 6. de elect. cap. 6. prærogativa Cardinalium Epiſcoporum ablata eſt, omnibus æqua juris ſparta quantum ad præſentem actum diſtributa, Romani Pontificia electio ab electionibus aliorum præſulum, in quibus majoritas votorum ſufficit, diſtincta, atque aſſenſus Cleri, non Cardinalis, populique Romani excluſus. Quæ diſciplina uſque in præſentem diem perſeverat.

QUÆSTIO DOGMATICA

An Romani Pontifices Gregorius VII. ejuſque Succeſſores inveſtituras juſte damnaverint?

54. MElchior Goldaſtus Haimiusfeldius, Calviniſta, Conſtitutionum & Receſſuum Imperialium Collector, Apologias Reverendiſſimorum & Illuſtriſſimorum S. R. I. Principum pro Henrico IV. hoc eſt, illorum, qui tempore funeſti Schiſmatis hunc Imperatorem inter & Gregorium VII. a partibus prioris ſteterunt, recenſuit, emendavit, Auctoribus ſuis reſcripſit, & Natalibus, ut ipſe loquitur, reſtituit, atque Hannoviæ contra Jacobum Gretſerum S. J. 1611. publicavit. Huic volumini præter Schiſmaticorum, qui vitas Gregorii VII. atque Henrici, ac poſterioris apologias ſcriptorivere, lucubrationes, duodecimo loco inſeruit Waltrami Naumburgenſis Epiſcopi tractatum *de inveſtitura Epiſcoporum, pro juribus Imperatorum & Regum contra Paſchalem Papam*. Quo tractatu egregius Henrici ſatelles inveſtiturarum uſum juſtificare conatur. Cujus argumentis hic ſatisfacturi imus, horum Summorum Pontificum, præprimis vero Gregorii VII. œconomiam contra Goldaſti, aliorumque Proteſtantium nigras calumnias, Deo propitio, vindicaturi.

55. Ut autem cauſam graviſſimam pro meritis inſtruamus, Lectorique claram ſimul, atque ab omni æquivocationis fuco depuratam ideam rei, de cujus jure Sacerdotium inter & Imperium luctuoſa illa tempeſtate pro aris quaſi & focis decertatum eſt, ingeramus; & hinc efficiamus, ut & cauſæ Pontificiæ æquitatem facilius perſpiciat, & ſcriptorum, qui ejuſdem patrocinium tum ſuſcepere, ſenſum aſſequatur; obſervandum duximus, tria in inveſtitura conſiderari poſſe: inter quæ primo loco venit ipſa laicalis promotio, vel confirmatio ad Eccleſiaſtica beneficia medio ſigno exteriori, puta datione annuli, & baculi. Secundo, debitam eſſe Laicali poteſtati hujuſcemodi promotionem independenter ab Eccleſiaſtica poteſtate. Tertio, per Laicalem inveſtituram aliquod dari Sacramentum vel rem alicujus Sacramenti eccleſiaſtici, aut denique ſpiritualem poteſtatem.

56. Qui jus inveſtiendi Principibus Laicis ſecundo vel tertio modo ſumptum aſſereret, hære-

reſeos notam apud Catholicos non effugeret. Econtra inveſtituram primo modo ſumptam non niſi temere & imperite quis hæreſeos arguat, cum per eam tum non conferretur inveſtito poteſtas Ordinis, vel juriſdictionis ſpiritualis, ſed bona Epiſcopatus vel Abbatiæ temporalia, & ſæpe tandem ipſi Epiſcopatus, Abbatiæve cum oppreſſione libertatis electionum eccleſiaſticarum, & ſimoniaca pravitate.

57. Certum autem ac indubitatum eſt, nec Gregorium VII. neque ejus ſucceſſores inveſtituras laicas, prout a RR. Imperatoribus, Regibuſque Chriſtianis cum dicta libertatis Eccleſiaſticæ oppreſſione, atque ſimoniaca pravitate fiebant, hæreſis labe notaſſe, eaſque ut tales damnaſſe; id quod eorumdem epiſtolæ, decretaque hac ſuper re edita legenti loquentur; neque Laicos Principes in eam dementiam prolapſos, ut crederent electiones Paſtorum Eccleſiæ independenter ab ejus conceſſione, & jure quodam divino ad ſe pertinere, vel ſe aliquod Sacramentum per inveſtituras conferre, poteſtatem videlicet Ordinis, aut ſpiritualia juriſdictionis; cum earumdem uſum potius ex poſitiva Eccleſiæ conceſſione, & legitimæ conſuetudinis præſcriptione vindicare conati ſint, ut infra videbimus; nec unquam exiſtimaverint, ſe per annulum & baculum ſpiritualem quampiam poteſtatem, vel Sacramentum aliquod dare; ſed vel conſenſum in canonicam electionem, vel illa poſthabita ipſum Epiſcopatum, Abbatiamve, ac tandem feudorum, aliorumque bonorum Eccleſiaſticorum collationem.

58. Quare oppido injurii fuerunt Scriptores illi, zeloque non ſecundum ſcientiam acti, qui Paſchali II. a quo Henricus V. confirmationem inveſtiturarum toties jam prædamnatarum inique extorſerat, objicere auſi ſunt, illum *hæreſim* confirmaſſe: ſiquidem authoritates, quas adducunt, & intemperanter exaggerant, tantum convincunt, inveſtituras laicas a canonibus, Pontificumque decretis eſſe prohibitas, non autem hæreſi notatas. Excuſatione tamen digni, vel quod inveſtituras dictas in ſecundo aut tertio ſenſu uſurpaverint, vel quod ſignificationem hæreſeos in latiori ſenſu acceperint, quemadmodum ſimonia ab aliquibus hæreſis appellari conſuevit; vel tandem, quod controverſiæ cruentæ Sacerdotium inter & Imperium ideam minus exactam habuerint.

59. Non me latet id, quod Binius ad Concilium Quintilineburgenſe celebratum ſub Gregorio VII. A. 1085. aliique notarunt: authoritate nimirum Schiſmaticorum Henricianorum, quos idem Gregorius excommunicaverat, ortam eſſe hæreſim Henricianam, cujus ſectarii docebant Imperatoribus & Regibus non tantum temporalia, ſed etiam ſpiritualia eſſe ſubjecta, adeoque non eſſe legitimum Petri Succeſſorem, niſi quem Rex Germaniæ in Petri Thronum intruſiſſet. Sed hæc erat vox turbæ tumultuantis, & ante jam erant inveſtituræ, & quidem in ſenſu minime hæretico damnatæ; cum teſte Petro Diacono lib. 4. Chronici Caſſinenſis cap. 42. Henricus ſibi nunquam perſuaſerit dando inveſtituras ſe Sacramentum, aut effectum Sacramenti conferre, ſed regalia feuda ſola ſe dare. Quæ tamen ſola non dedit, ſed ipſos etiam Epiſcopatus, & Abbatias cum oppreſſione libertatis canonicarum electionum. Ex quamvis Paſchalis II. decreta Vienneſis in Gallia Synodi A. 1112. celebratæ, in cujus primo canone inveſtitura de manu Laica accepta hæreſis judicatur, abſque exceptione confirmaverit; data ad Guidonem Synodi præſidem epiſtola, cujus exemplum ex codice Petri Catalaunenſis a Patre Sirmondo exſcriptum & in Labbæana Conciliorum editione vulgatum eſt, illud tamen, quo inveſtitura ſacrarum dignitatum de manu Laica judicatur hæreſis, haud cenſendus eſt approbaſſe, niſi forte hæreſeos nomen minus proprie, & latiore quadam ſignificatione a Patribus illis acceptum intellexerit, inquit Natalis Alex. Sæc. XI. & XII. diſſert. 4. N. 5. Siquidem in Concilio Lateranenſi, quod celebravit A. 1116. ferre non potuit Brunonem Siginum Epiſcopum in priori ſententia pertinacem, & palam propugnantem, privilegium de inveſtituris Henrico Imperatori conceſſum hæreſim continere, uti ex actis ejuſdem Concilii patet.

60. Quare cardo cauſæ in diſceptationem adductæ in hoc unice vertitur. An jure aliquo poſitivo, aut legitima conſuetudine inveſtituræ, quibus non poteſtas aliqua Ordinis, vel ſpiritualis Juriſdictionis, ſed ipſi Epiſcopatus, & Abbatiæ cum eorum bonis temporalibus conferebantur; poſthabita canonicarum electionum libertate, Principibus laicis tum competiverint. 2. An in manifeſtos abuſus degeneraverint, erroriſque ac ſcandali occaſionem dederint? Et ſi nullo jure vel conſuetudine nitebantur, inſuperque in manifeſtos abuſus degenerarunt, erroriſque, ac ſcandali occaſionem dederunt, an juſte a RR. Pontificibus proſcriptæ fuerint?

Propoſitio eſt affirmativa.

61. PRobatur. Uſus illarum inveſtiturarum nullo jure poſitivo, aut legitima conſuetudine nitebatur; quia recens erat uſurpatio contra primigenium Eccleſiæ morem, ſacroſque Conciliorum, etiam generalium Canones; inſuper in manifeſtos degeneravit abuſus, quibus Eccleſiæ in ſacris electionibus libertas opprimebatur, & beneficia ſimoniacis, atque indignis paſſim conferebantur, erroriſque ac ſcandali occaſionem dedit; juſte igitur a Romanis Pontificibus proſcriptus eſt. Cum evidentia momentoſi conſequentis ex certitudine Antecedentis unice dependeat, illud quoad ſingula membra prius demonſtrandum eſt.

62. Et quidem prima ejus pars, quod nempe dictus inveſtiturarum uſus nullo jure poſitivo, aut legitima conſuetudine nitebatur, ſed recens erat uſurpatio, patebit ex ſolutionibus argumentorum Waltrami, quibus contrarium perſuadere conatur, quas adferemus infra N. 75. & ſeqq.

63. Quod autem hæc uſurpatio fuerit contra primigenium Eccleſiæ morem, ſacroſque conciliorum, etiam generalium Canones; id quod dicit 2. antecedentis pars: ex notis hiſtoricis in hunc titulum de facto datis compertum eſt, in iis ſiquidem monſtravimus a primis Eccleſiæ Sæculis ſacrarum electionum partes præcipuas penes Epiſcopos fuiſſe (N. 10. h. t.), Clerique ac populi ſuffragia tantum fuiſſe poſtulativa & informativa (ibi), Jus nominandi præficiendum, vel electioni conſentiendi, Principibus Laicis, tanquam Eccleſiæ Advocatis, ab illa in ſuum bonum ſubinde conceſſum, ſubinde permiſſum (N. 21. 24.), ingeſtioni vero huic negotio eam ſemper reſtitiſſe (N. 17.), quo numero retulimus canonem 22. Synodi Generalis VIII. A. 889. celebratæ, hanc Principum ſæcularium in ſacras electiones ingeſtionem proprie prohibentem. Accedit Canon 29. Apoſtolorum (hoc lib. tit. 2. N. 25.) primorum ſæculorum diſciplinam, eſto apocryphus, referens, & mandans; ut *ſi quis Epiſcopus ſæcularibus poteſtatibus uſus, Eccleſiam per ipſos obtineat, deponatur, & ſegregetur, omneſque, qui illi communicant*. Item Canon VII. Concilii Nicæni II. ſeu ſeptimi Generalis A. 787. habiti, in quo ſancitur, ut *omnis electio a Principibus facta Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi irrita maneat, ſecundum regulam: ſi quis Epiſcopus &c.* mox relatam. Plures hanc in rem Cano-

Canones videantur ſparſim in notis jam datis.

64. Jam quod in manifeſtos degeneraverit abuſus, quibus Eccleſiæ in ſacris electionibus libertas tum opprimebatur, atque beneficia ſimoniacis, indigniſque conferebantur, teſtibus idoneis adſtruendum. Inter quos agmen ducit S. Anſelmus Lucenſis Antiſtes, qui Henrici IV. hoc in paſſu tyrannidem Lib. 1. paucis exponit, ſic Antipapam Guibertum compellans: *Rex tuus ſine intermiſſione vendit Epiſcopatus, edictu proponens, ut nullus habeatur Epiſcopus, qui a Clero electus, vel a populo fuerit expetitus, niſi præceſſerit honor regius, quaſi ipſe ſit hujus Oſtii Oſtiarius, de quo Veritas dicit: huic Oſtiarius aperit*. Et infra, *Vas*, inquit, *Eccleſiæ Catholicæ, quum invaſiſtis per totum regnum, membra diſtrahitis, & in ſervitutem redacta, qua vile mancipium in dominium veſtrum redigitis, & divini juris libertatem veſtro obſequio mancipatis, dicentes, omnia Imperatoris juri eſſe ſubjecta, Epiſcopatus, Abbatias, omnes omnino Dei Eccleſias, cum Dominus dicat Eccleſiam meam, Columbam meam, oves meas. Paulus dicit: nemo aſſumit ſibi honorem, niſi qui vocatus eſt a Deo tanquam Aaron. In parte tua quis præficitur, niſi quem aut gratia exhauſto fœnore, vel munus a manu, vel munus a lingua, vel munus ab obſequio attraxerit? quis moribus, quis honeſtate, quis vitæ integritate eligitur? perſequendi ſunt itaque lupi &c.* De duobus accuſat Anſelmus Henricum, de libertatis electionum canonicarum oppreſſione, & de ſacrilega Epiſcopatuum, Abbatiarumque nundinatione. De quibus ipſum etiam accuſat Herrandus Halberſtadienſis Epiſcopus in ſua ad Waltramum epiſtola, quam Goldaſtus in citata apologia hoc miti marginali notat: *crimina hæc ſunt a rebellibus excogitata, ut rebellioni ſuæ injuſtiſſimæ, & perfidiſſimæ prætextum facerent.*

65. Sed quam hæc non ſint cordati viri, patet primo ex eo, quod Anſelmus quantum ad primam propoſitionem ipſam Henricianorum refeſtas ſententiam, dicentium: omnia Imperatoris juri eſſe ſubjecta &c. quem ad exordium libri ſecundi ex profeſſo refellit. Quantum ad ſecundam vero ipſa Henricus Epiſtola ad Gregorium VII. data exclamet: *Heu criminoſi nos & infelices! partim pueritiæ blandientis inſtinctione, partim auctoritatis noſtræ imperioſa libertate, partim etiam eorum, quorum ſeductilia nimium ſecuti ſumus conſilia, ſeductoria deceptione peccavimus in cælum & coram vobis —— non ſolum enim nos res Eccleſiaſticas invaſimus, verum quoque indignis quibuslibet, & ſimoniaca felle amaricatis, & non per oſtium, ſed aliunde intrantibus, Eccleſias ipſas vendidimus &c.* Refertur hæc ep. in Coletana Conciliorum collectione tom. 12. col. 624. Quæ omnia cum confirmet luculento teſtimonio Willelmus Tyrius lib. 1. hiſt. c. 13. aliique plurimi Scriptores, ex tantorum virorum teſtimonio, Henricianorum ſententia, & ipſius Henrici confeſſione, veritatem quæſtionis facti a nobis propoſitæ non erit, qui inficias iverit. Accedunt, & rem quoad illam conficiunt pacta conventa inter Calliſtum II. & Henricum V. Henrici IV. filium N. 26. inſinuata, in quibus cum Imperator concedat, *in omnibus Eccleſiis fieri liberam electionem, & liberam conſecrationem, ipſum eas prius exemplo Patris ſui impediviſſe in aprico eſt.*

66. Quod autem inveſtituræ erroris & ſcandali occaſio fuerint, id, quod dicit 4. pars anteced. inde patet, quod populus facile inducebatur ad credendum, Imperatorem annulo, & baculo inveſtito dare poteſtatem ſpiritualem, quam iſthæc ſigna ſuapte natura exprimere videntur. De quo vide infra N. 81. Antecedens ergo argumenti quoad omnes ſuas partes adſertum eſt.

67. An autem conſequentia adeo realis, quæ nempe ablationem inveſtiturarum adeo realium ex cauſis in antecedente poſitis jure factam infert, cum illo legitimo nexu copuletur, jam videndum. Id quod conficimus ex ſequenti principio: cum Privilegium conceſſum a Gubernatore ſocietatis, ſi ejus uſus vitio Privilegiati in perniciem ejuſdem vertatur, eidem jure auferri poſſit, majori jure auferri poterit ſimile privilegium per conniventiam, & tolerantiam recens, atque contra Sanctiones totius ſocietatis uſurpatum. Enimvero certum eſt, uſum inveſtiturarum, quibus ipſi Epiſcopatus, & Abbatiæ per annulum & baculum conferebantur, fuiſſe privilegium, & quidem non poſitive datum (N. 50. h. t.) ſed Eccleſia connivente, & dum ejus uſus in ſuum bonum cederet, tolerante, recens uſurpatum (N. 21. h. t.) & quidem contra primævum ejus jus, conſuetudinemque (N. 64. h. t.) ſacroſque canones conciliorum etiam generalium (ibi); ergo dum in perniciem ejus, & oppreſſionem Jurium ab ipſis ſuis exordiis poſſeſſorum (ibi) exercebatur a Principibus Laicis, ab illa vel ejus ſupremis œconomis iiſdem jure ablatus eſt. Nemo enim diffiteri poteſt, qui ſe filium Eccleſiæ profitetur, quin illa jure potiatur libertatem ſuam tuendi; cum enim Chriſtus ipſi libertatem ſanguine ſuo pepererit, & Regis Gloriæ ſponſa ſit, Dominaque gentium, authoritate, qua donata eſt a Chriſto, poteſt uti contra quoſvis Chriſtiani nominis homines, tanquam ſingularia membra totius corporis, etiam contra Principes, qui ſuam opprimere libertatem nituntur; & conſequenter adverſus eos leges condere, ſi fines temporalis poteſtatis excurrant, & in ſua jura involent. Poteſt eos excommunicationum fulminibus arcere, niſi a cœptis deſiſtant. Poteſt, quos mores in ipſis toleravit, emendare, immutare, prohibere, damnare, ſi jure non nitantur, in manifeſtos degenerent abuſus, erroriſque ac ſcandali anſam præbeant, multo magis, ſi aliquod nefas contra jus divinum, aut Canonicum adjunctum habeant. Poteſt denique canones antiquos renovare, & eorum executionem temperare.

Waltrami Tractatus expenditur & refellitur, aliæque objectiones ſolvuntur.

68. PRiuſquam id præſtemus, ſcire oportet, Waltramum cum ſuis confœderatis nuſquam ſuſcepiſſe patrocinium inveſtiturarum ſimoniacarum, quis enim Chriſtianorum hominum has tueatur? ſed ſolum contendiſſe, inveſtituras, quibus nimirum non tantum feuda Epiſcopatuum, ſed ipſi Epiſcopatus dabantur, ad Principes Laicos pertinere, non quidem jure divino, ſed poſitivo Eccleſiaſtico: conſequenter Pontificibus quidem incubuiſſe ſimoniam ab illis, minime vero inveſtituras ipſas tollere, utpote & jure poſitivo, & conſuetudine legitime præſcripta Principibus competentes. Quare bifariam procedunt illorum rationes, aliæ ſuperædificantur legibus, aliæ conſuetudini innituntur.

69. Argumenta ex legibus ſequentia affert Waltramus: primum deſumit *ex diſt. 63. c. 22.* quo Adrianus Papa Sæculo VIII. jus & poteſtatem confert Carolo M. eligendi Romanum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem, atque Epiſcopos per ſingulas provincias inveſtiendi, ita quidem, ut niſi Archiepiſcopos, vel Epiſcopus a Rege laudetur, & inveſtiatur, a nemine conſecretur; & hoc quidem ſub anathemate, ac bonorum confiſcatione. Secundum ex ejuſdem diſtinctionis Canone 23. in quo Leo VIII. Sæculo X. ad exemplum Adriani idem privilegium Othoni I. ejuſque Succeſſoribus ſub anathemate confirmavit. Addi poteſt his argumentis primo ora-

tio

tio Gregorii VII. quam teſte Willhelmo Malmeſburienſi l. 2. de geſtis Regum Anglorum paulo ante mortem habuit, in qua hæc inter alia dixiſſe fertur: *Laudatus eſt prædeceſſor noſter Adrianus I. quod investituras Eccleſiarum Carolo M. conceſſerit, ita ut nullus electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi prius a Rege inſigniatur & annulo, & baculo.* Secundo, quod Paſchalis II. apud eundem Wilhelm. lib. 5. in privilegio inveſtiturarum Henrico V. conceſſo profiteatur ſequentia: *Illud igitur dignitatis* (ſeu inveſtiturarum) *privilegium, quod Prædeceſſores noſtri veſtris Prædeceſſoribus,* Catho*licis Imperatoribus, conceſſerant, nos quoque tuæ dilectioni concedimus.* Igitur jure poſitivo eccleſiaſtico inveſtituræ Principibus Laicis competebant.

70. Reſp. I. ſi authentia eorum, quæ a Waltramo in medium allata ſunt, admittatur, ex illis nil aliud extundi, quam Imperatoribus ob inſignia eorum in Eccleſiam merita Privilegium inveſtiturarum, juſque nominandi Eccleſiæ Prælatos a RR. Pontificibus conceſſum fuiſſe; ſed quid inde? nunquid horum Pontificum Succeſſores tollere non poterant privilegium, quo in Eccleſiæ perniciem abutebantur Romani Imperatores, aliique Laici Principes, quod ab eorundem deceſſoribus horum anteceſſoribus in ejuſdem ædificationem conceſſum eſt?

71. Reſp. II. ad primum argumentum, Adrianum I. nunquam conceſſiſſe Carolo M. jus eligendi Romanum Pontificem, & Prælatos Eccleſiæ inveſtiendi; ſed hiſtoriolam illam, a Sigeberto Henrici IV. contra Gregorium VII. egregio Satellite in fine ſuæ chronographiæ Anno 1111. confictam, & ab incauto Gratiano in ſuum decretum circa A. 1151. illatam, eſſe putum putum figmentum, ad conciliandum deſperatæ Henricianæ cauſæ quale quale ſubſidium. Quod graviſſimis argumentis evincunt noſtri Critici, præſertim Natalis Alexander hiſt. Eccl. Sæc. 8. cap. 2. Quorum primum eſt: quod ejuſmodi conceſſionis non meminerint Anaſtaſius Bibliothecarius, Eginhardus, aliique antiqui Authores, qui res geſtas Caroli M. ſcriptis commendarunt. Secundum: quod duplicis adventus Caroli M. Romam in ea hiſtoria narratio repugnet teſtimoniis Authorum Carolo ſynchronorum. Tertium: quod Adrianus, quemadmodum ibi narratur, Carolo Patriciatum nullum conceſſerit, nec ipſi eam dignitatem contulerit, in commentitia illa Synodo: ſiquidem Stephanus III. ipſum cum Pipino Patre, & Carolomanno fratre Patritium Romanorum appellaverat. Quartum: quia inveſtituræ nomen recentius eſt ævo Caroli, ad ſignificandam Epiſcoporum inſtitutionem uſurpatum. Quintum: quia incredibile eſt, quod ibi narratur, Carolum poſt Paſcha Papiam adiiſſe ad caſtra, urbem illam regni Longobardici caput ad deditionem compuliſſe, ibi rebus ordinatis Romam rediiſſe, Synodo interfuiſſe, inde Spiram rediiſſe, & Laureshamenſis Eccleſiæ dedicationi interfuiſſe poſtridie idus Auguſtas: hæc enim tam brevi temporis intervallo confecta veriſimile non eſt. Sextum: quod neque Carolus, nec ejus filii fictitio illo jure in Rom. Pontificis electione unquam uſi fuerint (N. 44. h. t.). Septimum: quod Adrianus in epiſtola ad Carolum M. A. 787. data, quo Privilegium iſtud juxta Sigebertum quartum decimum annum necdum exceſſiſſet, indicet deſiderium Chriſtianiſſimi illius Regis, ut Epiſcopi Ravennatis electio non fieret abſque miſſorum ſuorum interventu. Cui reſpondet Adrianus, id nunquam factum, ſed morem iſtum obſervatum etiam temporibus Pipini Regis, ut decreto *Cleri atque plebis* ad Sedem Apoſtolicam perlato proprium Antiſtitem ſibi conſecrandum Ravennates peterent. Multo minus ergo 14. abhinc annis Carolo jus conceſſit eligendi Romanum Pontificem. Sed quod impoſtorem Sigebertum amplius detegit, eſt, quod idem Pontifex anno ſequenti ab illo, in quem epocham hujus conceſſionis collocat, nempe 774. ad eundem Imperatorem ſcribat: *Factas a ſe Epiſcoporum in regno Longobardico, a Carolo nuper ſubacto, conſtitutorum ordinationes, poſt Cleri & plebis decretum ad ſe miſſum.* Jus itaque inveſtiendi, ſive inſtituendi Epiſcopos Carolo non conceſſerat in Romana Synodo. Octavum: quod Florus Magiſter in tractatu de electione Epiſcoporum, quem ſcripſit circa annum 822. adeoque paucis poſt obitum Caroli M. annis, conſenſum Regis in electione Epiſcoporum conſuetudine inductum doceat; ipſi ergo incognita erat Conceſſio Adriani, & Romanæ Synodi. Lupus etiam Ferrarienſis Abbas ep. 81. de jure Regum in electionibus ſtabiliendo tractans, omne robur trahat a conceſſione Zachariæ Pipino Regi facta, non omiſſurus certe privilegium ab Adriano I. & Romana Synodo Carolo M. collatum, ſi quod extitiſset.

72. Ad ſecundum dicit idem Natalis Alex. loc. cit. Leonis VIII. Antipapæ nullam eſſe in contrarium authoritatem, qui falſo exemplo ſe munivit, ut privilegium a ſe conceſſum Othoni, a quo fuerat intruſus, ſpecioſo colore indueret. At melior eſt reſponſio Baronii ad A. 774. ubi ait: *At non alterius, quam ejuſdem Auctoris* (id eſt Sigeberti) *vel huic ſimilis putamus parem illam impoſturam eſſe, quæ ejuſdem Leonis VIII. nomine ab eodem Gratiano ibidem* (id eſt canone ſequenti) *mox apponitur iiſdem verbis in Synodo &c. nam nulla in tota hiſtoria occurrit mentio Concilii Romani a Leone VIII. in Eccleſia S. Salvatoris habiti, vel conceſſionis hujuſmodi factæ Othoni.* Accedunt aliæ falſitatis notæ, quarum prima eſt: quod falſum ſit Adrianum I. Carolo M. hujuſmodi privilegium conceſſiſſe (N. præced. h. t.). 2. Quod abſurdum ſit, Leonem VIII. conceſſiſſe Othoni jam *Imperatori*, ut eſſet *Patritius* & *Rex*, ut ibi habetur. 3. Quod hujus conſtitutionis violatoribus, non modo excommunicatio, ſed ultimum etiam ſupplicium irrogetur; quod a ſtylo Pontificiarum Conſtitutionum alienum procul dubio noviſſet Leo, quondam Sedis Apoſtolicæ Proto-Scriniarius.

73. Ad primam additionem, inquit Nat. Alex. Sæculo XI. diſſert. 4. art. 2. in fine: *Conceſſionem illam Carolo M. ab Adriano I. factam figmentum eſſe olim obſervavi*, id eſt, loco mox a nobis relato: *nec forſan verius eſt, ſic Gregorium VII. peroraſſe, adeoque Willhelmum deceptum fuiſſe; aut ſi ita eſt, ipſum Gregorium VII. in ſuppoſititium inſtrumentum incidiſſe*, cum N. 71. luce clarius demonſtratum ſit, hanc Adriani conceſſionem eſſe ſuppoſititiam. Sed ſi adverſarii nihilominus vim quandam hac in oratione Gregoriana ponere volunt, auſcultent & ſequentia, continua periodo ab eodem Pontifice dicta. *Contra*, pergit, *laudatur in noſtri Sæculi Pontificibus, quod has donationes tulerunt Principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabiliter debet auferri. Cur ita? quod erat animus Magni* (*Caroli*) *adverſus avaritiam invictus, nec facile aditum inveniſset aliquis, niſi intraſſet per oſtium. —— Nunc omnia palatia Regum luxus & ambitus occupavit. Quare merito libertatem ſuam ſponſa Chriſti aſſeverat, ne illam tyrannis ambitioſo uſurpatori proſtituat.* Cujus ſententiæ & nos ſumus (N. 64. h. t.). Quam autem vera ſint, quæ in hac periodo narrantur, patet ex N. 61. & ſeqq.

74. Ad ſecundam additionem adverto Paſchalem II. in allato ibi fragmento nullam Adriani facere mentionem, ſed Prædeceſſores ſolummodo laudare, quæ nominatio, ſicut & ipſum privile-

gium,

gium, cum ab Henrico V. ipſi per ſommam violeniam extorta fuerint, rationibus N. 70. allatis præponderare haud debent, eo vel maxime, quod privilegium iſtud a Paſchali in libertatem adſerro ſolemniter fuerit reſciſſum, & anuullatum.

75. Argumenta pro coufuecudine legitime præſcripta ibidem ex factis Laicorum Priucipum adnumerat Waltramus. Et primo adducit epiſtolam Gregorii M. quem Theodorico, Theodeberto, ac Brunihildi inſinuare ait, *ut abſque ſimonia inveſtituras Epiſcoporum faciant*. Qui etiam Gregorius I. (addit ibidem) non eſt cuuſecratus, donec Mauritii Imperatoris adſuit conſeuſus. Secuodo iu medium adfert facta ſucceſſorum Caroli M. quos ait inveſtituas Epiſcoporum feciſſe, & eorum conſecrationibus vel per ſe, vel per Nuncios ſuos adſtitiſſe. Tertio contendit, longe aute decretum Adriani Papæ, ejuſque Succeſſorum non unctos, ſeu Majores domus inveſtituras Epiſcoporum feciſſe, ſcilicet Dagobertum, Sigibertum, Theodoricum, Hildericum, Pipinum filium Beggæ, Majorem domus, Theodebertum. Ab his inthronizatos eſſe Remaclum, Amandum, Audomarum, Antpeatum, Eligium, Lambertum, aliosque ſanctiſſimos Præſules: cum Reges iſti in moribus ſuis ſatis eſſent notabiles, & ſolo nomine Regio per Majores domos viverent. Quarto denique adfert exempla Othonis I. qui Joaonem XII. deponi fecit, & in locum ejus Leonem ordinari. Quinto item Henrici II. qui tribus de Papatu contendentibus depoſitis Clementem II. in Sede Romana collocavit.

76 Reſpondeo I. generatim, recenſita a Waltramo plus non probare, quam conſenſum regium in canonicas electiones, & inveſtituram regalium ſeu feudorum Regibus præſertim Galliæ ab antiquo in uſu fuiſſe, id quod ipſum loquuntur Notæ hiſtoricæ in hunc titulum; at at probandum erat egregio Henrici V. contra Paſchalem II. Apologiſtæ, uſum inveſtiturarum, quo ipſe, & ejus Deceſſor Henricus IV. non tantum regalia epiſcoparuum, ſed ipſos epiſcopatus cum libertatis electionum canonicarum oppreſſione, ſimoniace, & cum exotica illa baculi annulique ſolemnitate, concedebant, antiqua niti conſuetudine, vel poſitiva Eccleſiæ conceſſione, quod tamen nec præſtitit, nec præſtare potuit, cum recens fuerit uſurpatio, in Othonibus, eorumque ſucceſſoribus Sæculo X. facta, atque dum in apertam tyrannidem, epiſcopatuumque nundinationem ſacrilegam necdum vergeret, conniventibus oculis ab Eccleſia tolerata. (N. 23. h. t. & §. 2. fere per totum.)

77. Reſpondeo II. ſpeciatim, & quidem ad primum: me omnes Epiſtolas Gregorii Papæ ad præfatos Galliæ Principes apud Coletum tomo 6. Conciliorum pag. 738. & ſeqq. perlegiſſe; nomen tamen inveſtituræ, multo minus, quod fieret ea ſolemnitate, quæ tempore Gregorii VII. in uſu erat, non inveniſſe. Quinimo Gregorius M. ſupponit liberam illa tempeſtate in Gallia Cleri, plebiſque electionem, utut cum neceſſitate aſſenſus vel permiſſionis regiæ: dum ep. 5. & 114. ad Brunihildem, ep. 119. ad Theodoricum, & 57. ac 64. ad Brunihildem lib. IX. auxilium horum Regum Chriſtianiſſimorum in convocanda Synodo, ad exſtirpandam deteſtabilem Simoniam, electionibus ſacris tunc paſſim irrepentem, implorat. Sed ex his ipſis Gregorii M. epiſtolis cauſa Gregorii VII. mirifice juvatur. Si enim electoribus ſimoniacis compeſcendis regum morigerorum authoritatem recte imploraſſe dicitur Gregorius I. regum ſimoniacorum tyrannicis auſibus, quibus ſimili via obviari nequiit, recte quoque per Vaticana fulmina, & ablationem materiæ nocendi obſtitiſſe dicendus eſt Gregorius VII. itemque Calliſtus II. nominationem ipſam, & aſſenſum regium auferendo, eo ipſo, quod privilegium in perniciem concedentis, vel tolerantis verſum, auferri privilegiato omnibus divinis, humaniſque juribus poſſit. (N. 67. h. t.) Ad id, quod ibidem additur, *Reſpondeo*: illud ſolum evincere R. Imperatoris conſenſum in electione Romani Pontificis fuiſſe neceſſarium: cæterum libertatem ſacrarum electionum ſartam tectam manſiſſe. Teſte enim Joanne Diacono in Gregorii M. vita lib. 1. c. 39. illum *renitentem totis viribus Clerus, Senatus, populuſque Romanus ſibi concorditer Pontificem delegerunt*. Aliter ſe res habuit in cauſa Gregorii VII. & Henrici IV. ut ex dictis liquet. Quin dum poſterioribus temporibus Græci Imperatores, aliique Principes privilegio hoc ab Eccleſia ipſis gratioſe conceſſo abuterentur, ſeque in electiones ſacras *ingererent*, frænum ipſis quemadmodum a Gregorio VII. Sæculo XI. a Concilio Generali VIII. Sæculo IX. canone 22. impoſitum eſt: (N. 17. & 63. h. t.) nihil itaque novi tentavit Sanctiſſimus Pontifex.

78. Ad *II. Reſp.* rem facti eſſe, nec illos Principes inveſtitura ad opprimendam ſacrarum electionum libertatem uſos fuiſſe (quamvis hoc nomen illorum temporibus ne notum quidem eſſet). Quid, quod Adrianus I. Carolo M. conſilium impertiit, ne ſe ullis unquam epiſcopalibus electionibus interponeret? & ipſe Carolus M. profiteatur, conceſſam a ſe eſſe Clero Gallicano electionum epiſcopalium libertatem, non tanquam novæ aliquid gratiæ, & largitatis ſuæ, ſed tanquam jus antiquum, quod ſanxiſſent Canones; tanquam libertatem, quæ Eccleſiæ agnata, & cum illa adulta eſſet, cujus cuſtodes eſſent Reges, & defenſores? De quibus vide Conciliorum Galliæ tomum II. pag. 96. & 120. item librum I. Capitularium c. 84. & utique conceſſimus pridem Adverſariis conſenſum regium, regiam nominationem, imo inveſtituram variis Eccleſiæ ſæculis Principibus Laicis fuiſſe tum conceſſam, tum toleratam, imo de facto pluribus ex variis concordatis convenire; ſed quid inde? nunquid illud, quod in Eccleſiæ emolumentum a bonis & piis Principibus ipſa vel concedente, vel connivente exercitum eſt, & de facto exercetur, ab ipſa reſcindi non potuit, vel non poteſt, dum in ejuſdem perniciem attentatur? certe qui animum advertit, Proviſionem Eccleſiarum non eſſe propter Proviſores, ſed propter Gregem Chriſti; nec de modo providendi in Eccleſia toties variato, nec de œconomia oppoſita Gregorii VII. & Leonis X. infra referenda ſcandalizabitur. Quæſtio ſolum eſt, an Henricus IV. per uſum inveſtiturarum ſacris electionibus ſe ingeſſerit? an earundem libertatem oppreſſerit? Epiſcopatus, Abbatias &c. ſimoniace vendiderit? & an hoc ſacri Canones prohibeant? an proinde juſte illis a Gregorio VII. privatus fuerit, eo vel maxime quod ejuſmodi inveſtituræ ſuo tempore recens uſurpatio fuerint, in uno vel altero Henrici Prædeceſſore tolerata? id, quod in reſolutione noſtra evinciſſe confidimus. Per quod etiam patet ad tertium. Eſto etiam daremus præfatos Reges in moribus ſuis fuiſſe ſatis notabiles, illorum tamen vitia non redundabant in perniciem libertatis ſacrarum electionum, cum ipſo Waltramo teſte Sanctiſſimos Præſules vel nominaverint, vel inveſtiverint, & ſi quandoque per unum vel alterum fuit violata, res illa facti erat, nec malum adeo evaſit œcumenicum, ut œcumenica, quemadmodum ſub Gregorio VII. medicina eguiſſet.

79. Ad quartum dicimus, Othonem hoc in facto limites ſuæ poteſtatis exceſſiſſe, adeoque graviter peccaſſe, quod Joannem XII. legitimum Pontificem convocata Synodo exauctorari fecerit ea ex cauſa, quod ad Adalbertum Berengarii filium

lium defecerat; etſi enim dictus Joannes Sedem Apoſtolicam invaſerit, quia tamen deinceps Eccleſiæ conſenſus acceſſit, legitimus Pontifex evaſit. Videatur N. 47. h. t. quo vires hujus 4. & 5. argumenti penitus enervantur, atque invicte monſtratur, *aſſenſum* Imperatorium in Rom. Pontificum *electiones*, vel ipſam etiam *nominationem* non alio niti fundamento, quam conceſſione populi Romani Othoni I. ejuſque filio *ſolum* facta, non vero Henrico III. ut perperam aſſerit Waltramus, & poſt eum Onuphrius Panvinius opere infra ſæpe citando, quæ ſicut perperam, & abſque poteſtate legitima fuit facta, & ad Othonis filium tantum extenſa; ita ab Othone III. Othonis I. nepote mero facto fuit continuata. Cæterum Otho Romani Pontificis electionem canonice fieri ſanxit, vetuitque: *ne ullus impedimentum Romanis illis afferret, quos ad hanc electionem per conſtitutionem SS. Patrum admiſit conſuetudo ſub pœna exilii*; adeoque qui privatæ vindictæ cupidior in tranſverſum actus manus in Sacrarium extendit, ut publicus Eccleſiæ advocatus errorem domeſticum emendavit. Nec obſtat, quod poſtea cives Romani eidem Imperatori contra perduelles Joannem & Adalbertum Romam advolanti, juraverint nunquam ſe Papam electuros, aut ordinaturos præter conſenſum atque electionem Othonis Cæſaris Auguſti, filiique ejus Regis Othonis (quod ſub Henrico factum perperam aſſerit Waltramus); id enim imprudenter & temere, odio vatiniano in Joannem XII. immorigeratum Pontificem egere, & limites ſuæ poteſtatis exceſſere: circa hoc tamen videatur (N. 47. h. t.)

80. Ad V. Certum eſt, tres Pſeudo-pontifices Benedictum IX. Sylveſtrum III. & Joannem Presbyterum Romanum a Gratiano religioſo Presbytero pecuniæ pacta perſuaſos fuiſſe, ut Pontificatu cederent; ipſumque Gratianum poſtea electum, ac Gregorii VI. nomine inſignitum, de Simonia in Sutrienſi Synodo A. 1046. ab Henrico III. convictum, ab eodem non fuiſſe depoſitum; cum idem Pontifex eidem Synodo haud invitus præſederit, & *Synodicis canonibus atque ſententiis ſimoniacus probatus, ſponte ſua Sede deſiliens, pontificalibus ſe infulis exuerit*, teſte Leone Oſtienſi lib. 2. chronici Caſſinenſis c. 18. Nec Clementem II. Romanæ Sedi intruſit idem Henricus: ſed opera & ſtudio ejuſdem ſummo Romani Cleri conſenſu creatus eſt Pontifex in Dominicæ nativitatis pervigilio eodem A. 1046. Verum ſicut Sæculi VI. initio ſchiſmaticorum hominum factiones indomabiles in cauſa fuere, quod Eccleſia brachium ſæculare Regum componendis fluctibus implorare debuerit; quemadmodum tempore ſchiſmatis inter Symmachum legitimum Pontificem & Laurentium Antipapam contigit, hæcque res in ejuſdem libertatis præjudicium ſenſim ceſſit, cum abinde Reges Gotthi, etiam Arriani, & poſt ipſos Græci Imperatores uſque ad Pipini & Caroli M. tempora, ſeu ad ſæculi VII. finem ſe ſacris Antiſtitum Electionibus immiſcuerint, uti illorum temporum docet hiſtoria, & exemplo Gregorii M. a Waltramo allato, aliorumque Præſulum conſtat; quæ Regum manus, longior ſenſim evadens, ſubinde per Concilium Generale VIII. (ut jam inſinuavimus) fuit decurtanda; ita mox enumerato turbulentiſſima Romanorum ſchiſmata juncta fœdiſſimæ ſimoniæ, aliiſque vitiis, dum Othones, Henricoſque Eccleſiæ periclitanti Sæculo X. evocarent Advocatos; eorum Succeſſoribus intemperantioribus anſam præbuere manus in Sacrarium altius inferendi, non alia quam Gregoriana conſtantia, atque ab eodem accepta œconomia Sæculo ſequenti inde ejiciendas.

81. Argumentum III. Waltrami deſumitur ex modo procedendi Gregorii VII. hac in cauſa, quem indiſcretionis, & vehementiæ intempeſtivæ arguit ob excommunicationis ſententiam in inveſtientes latam. En ejus verba! *Romani Pontifices* (inquit) *aliique Præſules de fundis & rebus per devotos Laicos & Laicas adquiſitis, & a ſæculari poteſtate confirmatis ſtruxerunt, & ornaverunt Eccleſias, & a quibus acceperunt gratiam, non debent ipſis inferre contumeliam: & ſi de inveſtituris peccaverunt, exempla Gregorii exhibeantur, quod Paulus dicit: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Addit: *Nil enim refert, ſive verbo, ſive præcepto, ſive baculo, ſive alia re, quam in manu tenuerat, inveſtiat & inthronizet Rex, & Imperator Epiſcopum, qui die conſecrationis veniens, annulum & baculum* (a Rege vel Imperatore acceptum) *ponit ſuper Altare, & in curam paſtoralem ſingula ſuſcipit a ſtola & authoritate S. Petri*. Vult ergo Waltramus Principes inveſtituris abutentes corrigendos quidem fuiſſe, at non ſpoliatione jurium nominandi Epiſcopos, eoſque inveſtiendi &c. utpote qui hæc cumulatis adeo in Eccleſiam beneficiis, puta fundatione Epiſcopatuum, eorundem ampliſſimis dotationibus, Epiſcoporum in S. R. I. Principes, Statuſque evectione, regalium conceſſione &c. ſaltem meriti fuerint.

82. Ad hanc Waltrami querelam, quam recentior quidam Publiciſta Anonymus in jure publico Germanico, Amſtelodami ab hinc 4. annis typis Gallicis excuſo, tom. 1. c. 3. ex Onuphrio Panvinio Ord. S. Auguſt. in hiſt. Greg. VII. apud Gretſeh. tom. 6. p. 1. pag. 97. recentiſſimæ editionis recoquit, aut quam potius ipſe Onuphrius, vir alioquin Catholicus, & doctiſſimus, in vita Gregorii VII. deſcribenda Sigeberto, Waltramo, aliiſque Henrici fautoribus nimium fidens, ex Waltrami tractatu, quem hic refutandum ſuſcepimus, teſte eodem Gretſehero ibidem in ſcholio exſcripſit; fatetur Natalis Alexander hiſt. Eccl. Sæculo XI. diſſert. 4. N. 3. quod ſi Romani Imperatores iis finibus, quibus inveſtituræ initio circumſcribebantur, vi quorum *præcedere debebat electio, ſeu Cleri & populi conſenſus, tum accedere conſenſum Regium oportebat, qui electionem probaret, ſecundum hæc Epiſcopatus donum, ſeu inveſtitura, quæ gratis omnino fieri debebat, conſecratio denique ſequebatur*; ſi, inquam, his finibus Romani Imperatores ſe continuiſſent, nullam de inveſtituris quæſtionem Romani Pontifices illis intuliſſent: quamquam meo judicio ex notione aptæ & convenientis cæremoniæ infra adſerendæ (t. t. 8. N. 48. & 49.) baculus & annulus valde inepte & inconvenienter adhibebantur ad exprimendam traditionem temporalium bonorum Epiſcopatus vel Abbatiæ, cum ex natura ſua hæc ſigna Paſtoralem poteſtatem, & ſpiritualem deſponſationem electi cum Eccleſia exprimant, quæ utique authoritate laica fieri nequaquam poſſunt. At quomodo ſeſe his finibus continuerit Henricus, ex dictis N. 64. & ſeqq. patet. De Philippo vero I. Galliarum Rege ſcribit Gregorius VII. ep. 35. lib. 1. *Inter cæteras noſtri hujus temporis Principes, qui Eccleſiam Dei perverſa cupiditate venumdando diſſipaverunt, & matrem ſuam ancillari ſubjectione penitus conculcarunt, Philippum Regem Francorum Gallicanas Eccleſias in tantum oppreſſiſſe certa relatione didicimus, ut ad ſummum tam deteſtandi hujus facinoris cumulum perveniſſe videatur*. Quibus ſi addantur oppreſſiones & iniquitates, quas Willhelmus Rex Angliæ prætextu juris inveſtiendi perpetravit, junctis illis, quæ Henricus ejus ſucceſſor attentavit in Anſelmum ſanctiſſimum Archiepiſcopum, non obſtante quod die inaugurationis ſuæ juraſſet, *omnes oppreſſiones & iniquitates, quæ ſub fratre ſuo emerſerant, in omni ſua dominatione, tam in Eccleſiis,*

quam

Digitized by Google

quam in ſaecularibus negotiis ſe prohibiturum, & ſubverſuram, de quibus conſule Eadmerum, qui harum rerum, quibus interfuit, ſeriem ſimul & vitam Beatiſ. illius Præſulis ſcripſit, miſeram Eccleſiæ faciem ſub inveſtiturarum jugo ſatis conſpicere licet. Quæ alia, quam Gregorii VII. ejuſque ſucceſſorum œconomia hactenus enarrata reformari non potuit, qua nempe collatio Epiſcopatuum, Abbatiarumque Principibus Laicis ablata, & inveſtitura temporalium bonorum per ſceptrum ipſis permiſſa eſt. (N. 27. h. t.)

83. Sed ut Waltramo, ejuſque huc in §. exſcriptori Panvinio ex aſſe ſatisfaciamus, atque ita dulcorem ſecretæ ſatisfactionis, quam ex hac Panviniana periodo haurit, lectoribuſque illius ibidem ſpondet relatus publiciſta, abſynthio aliquantiſper aſpergamus, ex ejuſdem Gregorii VII. vita ab Onuphrio exarata, atque ex propriis SS. hujus Pontificis Epiſtolis demonſtratum imus, eundem Paulinam amuſſim in negotio inveſtiturarum prætergreſſum haud fuiſſe. Imprimis ergo idem Author apud Gretſ. l. cit. pag. 108. col. a. de Henrico ita fatur: *Henricus enim IV. Imperator, cum multis & maximis bellorum occupationibus implicitus ingenti pecuniæ vi indigeret, Epiſcopatus & Abbatias plerumque his, qui plus ei afferebant, largiebatur, perſonarum conditionis ratione nulla habita. Quod factum hæreſis ſimoniacæ labem fugere non poterat. De hac igitur re, & aliis multis criminibus apud Sedem Apoſtolicam tam ſub Alexandro II.* (Gregorii deceſſore) *quam ſub Gregorio VII. accuſatus eſt.* Quid facere debuit Gregorius Supremus Eccleſiæ Paſtor, Juriumque ejuſdem defenſor (Id enim contra Dominos Proteſtantes, velint nolint, hac in controverſia ſumimus, cum non quæratur, an increpatio Henrici ſimoniaci ad Romanum Pontificem pertinuerit; ſed an Romanus Pontifex modum in increpando Henrico ſervaverit) Quid, inquam, facere debuit? Juxta Waltramum arguere, obſecrare, increpare in omni patientia, & doctrina.

84. An id fecerit, audiamus ex Panvinio l. cit. Juxta eundem pag. 102. col. 2. Hildebrandus A. D. 1073. mortuo Alexandro II. Calendas Maji, in ſui deceſſoris exequiis a *S. R. E. Cardinalibus, Clericis, Acolythis, Subdiaconis, Diaconis, & Preſbyteris, præſentibus Venerabilibus Epiſcopis, & Abbatibus, Clericis, & Monachis, conſentientibus plurimis utriuſque ſexus, diverſique Ordinis, & acclamantibus laicis*, invitus & reluctans in Romanum Pontificem electus eſt, ut habet ejuſdem electionis forma, a Panvinio ex libro Regiſtri Gregoriani ibidem pag. 103. col. 1. relata, qua ſola injuſtæ fabellæ Bennonianæ, aliorumque Schiſmaticorum aniles narratiunculæ circa electionem Gregorii VII. tum in vulgus ſparſæ refellerentur, 3a. probatæ fidei ſcriptoribus, quos Bellarminus lib. 4. c. 13. Controverſiæ de Romanis Pontificibus eidem imperitiſſimo Bennoni, & duobus, vel tribus ejuſdem farinæ ſcriptoribus pro eodem opponit, etiam omiſſis. Et conſentit ipſe Panvinius l. cit.

85. *Electus igitur Hildebrandus Archidiaconus in Romanum Pontificem tempus opportunum inveniſſe ratus eſt, quo Eccleſiaſticam libertatem, tam Romanæ Eccleſiæ, quam aliarum, pro qua tantopere privatus laboraverat, jam Pontifex maximus renuntiatus, aſſerere poſſet, omniaque in priſtinam vendicare libertatem.* Onuphrius pag. 103. col. a. Malum an bonum propoſitum? Bonum. Quare? Quia in Germania, in Gallia, in Anglia &c. opitulantibus Principibus, atque Beneficia plus offerentibus aulicis vendentibus, ſimonia, atque concubinatus Eccleſiam inundabant, gregibus lupi, hortis ſponſæ immaculatæ Chriſti hirci præficiebantur. (N. 64. 8a. &c. h. t.)

86. Ut propoſitum tam plenum aleæ vir unus, quem mundus fortaſſis protulit, exequeretur, atque frontem adamantinam frontibus ferreis Principum potentiſſimorum, audacium, juvenum, atque de prætenſis ſuis Juribus zelotyporum, coſumque ſequacium Eccleſiæ Præſulum, pro carne ſua, quam concubinæ ſuavitee fovebant, proh! pudor! mori paratorum, opponeret, quid fecit? audiatur in compendio Panvinius. Imprimis, ut electionem ſuam firmaret, atque omni exceptioni ſuperiorem redderet, dum res arduæ, ab eo præconceptæ, in executionem ituræ eſſent, duræ neceſſitati, & prætenſæ ab Imperatoribus conſuetudini ceſſit, rationem electionis ſuæ per legatos ſuos Henrico exponendo, eumque, ne aſſenſum præberet, attentius exorando, *quod ſi non faceret, certum ſibi eſſet, quod graviores, & manifeſtos ipſius exceſſus nullatenus impunitus toleraret.* Baronius ad A. 1073. qua tamen proteſtatione non obſtante atque aulicorum, id ipſum Henrico vaticinantium, ſuaſionibus poſthabitis, idem Imperator explorata Gregorianæ electionis genuitate, atque approbata, eundem in Sede Apoſtolica *lætiſſimo animo* confirmavit; aſſerens illum eſſe virum ſanctum, & tanto Sacerdotio digniſſimum. Uti teſtatur idem Panvinius l. cit. pag. 104. col. 4. & ipſa Gregorii acta apud Baronium ad A. 1073. tomo XI. pag. 419.

87. Electione ſua in Romanum Pontificem per Gregorium Vercellienſem Epiſcopum, Italiæ Regni Cancellarium, ab Henrico firmata, & ipſe poſt eandem demum conſecratus, (conſecrari enim prius noluit) ipſo ſuæ electionis anno, videlicet 1074. Romæ in Baſilica Lateranenſi Synodum celebravit, in qua 30. illa famoſa capitula, quæ *dictatus* appellantur, edidit. Quibus contra præviſam tempeſtatem, a zelo ſuo Apoſtolico, quem exſtirpandæ ſimoniæ, concubinatui, atque libertati Eccleſiaſticæ poſtliminio revocandæ accinxerat, in vortice turbulentiſſimo excitandam ſeſe munivit. In quo dictatu principia, quibus jura tollendi inveſtituras, & libertatem Eccleſiæ reſtituendam, divinis, humaniſque legibus conformia defendimus, de aliis, quæ huc non pertinent, præſcindendo.

88. Dictatus igitur ſui præſidio, & cauſæ æquitate fultus Gregorius VII. A. 1075. in ſecunda Synodo Romæ a ſe celebrata tam recipientes inveſtituras, ſeu Epiſcopatus, vel Abbatias de manu Laica, quam Imperatores, Duces, Marchiones, & alios Laicos eas conferentes gratia B. Petri, & introitu Eccleſiæ interdixit (N. 26. h. t.). *Benigne tamen primum, & humaniter Henricum Regem per litteras ſuas deprecatus eſt, ut ſubjectionem S. Romanæ Eccleſiæ non abnueret, tanquam bonus & Catholicus Princeps, atque ſe eidem Eccleſiæ devotum filium exhiberet; hortatuſque eſt, ut a ſimoniaca hæreſi, id eſt, ab Epiſcopatuum, & Abbatiarum venditione, ſive mercatu, quas largitione correptus, conferebat, omnino ſe temperaret.* Quod erat unum ex Panvinio l. cit. pag. 105. col. a. Item ut a collatione ipſa Epiſcopatuum, & Abbatiarum per annulum & baculum abſtineret, liberamque Eccleſiis electionem reſtitueret, & quidem *ſemel*, *ſecundo*, & *tertio*, quod erat alterum ex Willhelmo Tyrio de bello ſacro lib. 1. cap. 13. Rem ipſam ex epiſtola 10. libri 3. Greg. VII. ad Henricum data in apricum deducamus. In ea fatetur decreto ſuo hoc numero relato inveſtituras ſuſtuliſſe. *Attamen*, pergit, *ne hæc ſupra modum tibi gravia, aut iniqua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus, ne pravæ conſuetudinis* (inveſtiturarum) *mutatio te commoveret, mitteres ad*

nas, quos ſapientes & Religioſos in Regno tuo invenire poſſes: qui ſi aliqua ratione demonſtrare vel adſtruere poſſent, in quo ſalvo æterni Regis honore, & ſine periculo animarum noſtrarum promulgatam Sanctorum Patrum poſſemus temperare ſententiam, eorum conſiliis condeſcenderemus. Quod quidem etſi a nobis tam amicabiliter monitus non fuiſſes, æquum tamen fuerat, ut prius in quo te gravaremus, aut tuis honoribus obſtaremus, rationabiliter a nobis exigeres, quam Apoſtolica decreta violares.

89. Jam quæſo ex Waltramo, an Paulinam regulam Gregorius exceſſerit? Inveſtituræ, quibus ipſi Epiſcopatus, & Abbatiæ per annulum a Principibus Laicis conferebantur, nulla poſitiva divina vel Eccleſiaſtica conceſſione fulciebantur (N. 71. & ſeqq. h. t.), ſed erant recens uſurpatio ab Eccleſia tolerata (N. 23. h. t.) erant inſuper contra conſuetudinem a primis Eccleſiæ ſæculis vigentem (N. 62. h. t.) inſuper contra Canones Conciliorum etiam generalium (N. 17. 63.) erant inſuper fœdatæ labe turpiſſimæ ſimoniæ (N. 64. & ſeq.). Gregorius VII. propoſuit ſimoniam de medio Eccleſiæ tollere, & libertatem electionum jure divino, & Eccleſiaſtico ſancitam Eccleſiæ reſtituere (N. 86. h. t.) ad utrumque hunc finem conſequendum A. 1075. Inveſtituras laicales tam imbecillibus fulcris innixas, & in tantos abuſus vergentes ſuſtulir (N. 87. h. t.) Henricum ſemel, ſecundo, ac tertio, ut eas dimitteret, paterne admonuit, (ibi) ſe ipſas illi permiſſurum, ſi jure fultas demonſtrare poſſet, promiſit, (ibi) Henricus inconſtans finaliter tandem via facti illas retinuit, (Ep. 10. citata) Pontificem, quem prius invitum, & zelum ſuum ſibi comminantem *lætiſſimo animo*, rejecto aulicorum ſuorum Epiſcoporum conſilio, ipſe in ſede Apoſtolica confirmaverat, poſt ſui hoc anno increpationem, ſequenti Anno 1076. in Conciliabulo Wormatienſi depoſuit. Quis igitur claſſicum ad triſtes illas ſequelas, quas adeo exaggerat laudatus publiciſta, in Germania cecinit? Non eſt hic loci juſtificare omnia, quæ poſthac Gregorius VII. in Henricum egit; ſufficit, eundem ab eo ob pertinacem retentionem inveſtiturarum juſte excommunicatum fuiſſe, his enim armis contra perturbatores Eccleſiæ uſi etiam ſunt Apoſtoli. (ad Corinth. c. 5. v. 4. ad Theſſ. c. 3. v. 6. 14) Non igitur clamet Panvinius decretis Gregorianis Romani Imperii dignitatem fuiſſe everſam, Cæſarique dimidium imperii fuiſſe ereptum. Imperium enim everti nequit, ſi jus cuique ſuum tribuatur, aut poſtliminio reſtituatur, quod hoc in caſu factum eſſe demonſtravimus. Nec Cæſari ereptum dici poteſt id, quod jure non poſſedit. Neque conqueratur ter laudatus Publiciſta, decretis Caliſtinis rem Cæſari eſſe ereptam, umbram vero relictam, dum illis nominatio Epiſcoporum, Abbatumve Henrico V. ablata, inveſtitura vero quantum ad Regalia Epiſcopatuum &c. permiſſa eſt. Ut enim juſta eſſet querela, rem ipſam Imperatores jure poſſidere, & juſte exercere debuiſſent, cujus tamen contrarium a nobis hucuſque probatum eſt.

90. At dices. Si Romani Pontifices jure damnaverunt inveſtituras, quibus ipſi Epiſcopatus & Abbatiæ conferebantur; cur Leo X. in Galliis liberas electiones per famoſum concordatum Gallicum poſtliminio ſuſtulit, & jus nominandi Eccleſiæ Præſules Regibus ex aſſe contulit?

91. *Reſpondeo*. Cum ſacri canones, Pontificumque decreta ingeſtionem in ſactas electiones Laicis Principibus ſolum prohibeant, nullatenus autem inhabiles declarent juris nominandi ad Epiſcopatus & Abbatias, id, quod ex hactenus dictis in aprico eſt; atque electiones ipſæ non in bonum & utilitatem Electorum, ſed gregis dominici inſtitutæ ſint; utriuſque Pontificis oppoſita circa illas œconomia approbanda eſt, quando prior ingeſtionem in illas, dum in detrimentum Eccleſiæ, gregiſque dominici cedebat, atque a Principibus Laicis nativo quodam jure exercebatur, prohibuit; alter jus nominationis in bonum & utilitatem Eccleſiæ Regibus Galliæ gratioſe conceſſit.

92. Argumentum IV. ſumitur ex ep. 60. S. Ivonis Carnotenſis A. C. 1099. ad Hugonem Lugdunenſem Archiepiſcopum, Sedis Apoſtolicæ Legatum data, quam idem Goldaſtus in eadem Apologia adducit ſub hoc titulo: *Reverendiſſimi, & Illuſtriſſimi Principis Ivonis Epiſcopi Carnotenſis de inveſtitura Epiſcoporum & Abbatum pro Henrico IV. Imperatore, & Philippo I. Rege Francorum, contra Urbani II. novationes in imperio, & regno*. Verum quantum erraverit homo bile in Sedem Apoſtolicam excæcatus, apologiam Ivonis Sanctiſſimi Epiſcopi etiam ad Henricum IV. extendendo, ex ſcopo hujus epiſtolæ, textu ipſo, aliiſque circumſtantiis fit manifeſtum. Præceperat Hugo Ivoni & comprovincialibus Epiſcopis, ut a conſecratione Daimberti Senonenſis Archipræſulis electi abſtinerent duplicem ob cauſam; primam, quod ſibi ante conſecrationem præſentari, ac ſubjectionem & obedientiam tanquam Primati profiteri deberet; ſecundam, quod inveſtituram Epiſcopatus de manus Regis accepiſſet, contra Pontificum & Synodorum decreta. Quod primum impedimentum ſpectat, reſpondet Ivo, ad illam Primati obedientiæ profeſſionem Epiſcopos ante conſecrationem non teneri: nec jus iſtud in Senonenſi Provincia, aut in aliis antiquitatem inſtituiſſe, vel conſuetudinem ſervaſſe. Quod ſecundum attinet, Daimbertum inveſtituram a Rege accepiſſe negat: quamvis conceſſio Epiſcopatus poſt canonicam electionem, quovis modo a Rege facta, fidei vel Religioni minime obeſſet, cum traditio baculi & annuli a Principibus nullam Sacramenti ſpeciem gerat. Hujuſmodi conceſſionem & inveſtituram ab Eccleſia non eſſe improbatam, ſed ſolam canonicarum electionum oppreſſionem, & corporalem inveſtituram per traditionem annuli & baculi ab Urbano II. fuiſſe prohibitam & damnatam. Octavam Synodum prohibuiſſe quidem Principibus, ne electioni ad ejus opprimendam libertatem ſe immiſcerent, non vero ne Epiſcopatus poſt legitimam electionem concederent. Parum autem referre, quo ſigno fieret hujuſmodi conceſſio, cum Reges nihil ſpirituale dare ſe perſuaſum habeant; ſed ſolam feudorum poſſeſſionem, quæ Regibus accepta referri debet, qui munificentia ſua Eccleſias ditarunt. Ex his ſiquidem manifeſto liquet S. Ivonem defendendas ſolummodo ſuſcepiſſe inveſtituras, quæ fiebant ſalva libertate canonicarum electionum, & abſque baculo & annulo, quales, dimiſſis ad mandatum Urbani II. illis, quibus libertas electionum opprimebatur, & quæ fiebant per baculum & annulum, ſolum retinuiſſe Philippum conſtat tum ex tenore hujus epiſtolæ, tum ex eo, quod Paſchalis II. Urbani Succeſſor in Gallias confugerit, Ludovici Craſſi præſidium adverſus Henricum V. Imperatorem imploraturus, qui uſum inveſtiturarum contra Pontificia decreta, & anathema pertinaciter retinebat. Quod ſane Paſchalis non feciſſet, ſi Rex Galliarum tunc temporis ſolemnem inveſtituram, prout erat ab Urbano II. damnata, æque ac ipſe Imperator uſurpaſſet. Quod autem ibi dicit Ivo: *Quæ conceſſio, ſive fiat manu, ſive nutu, ſive lingua, ſive virga, quid refert?* quibus verbis ſugillare videtur Romanos Pontifices, alioſque Catholicos Præſules, qui in ſolemnitate baculi &

li &

li & annuli ſcandalizabantur, eamque una prohibebant, nil refert: imprimis enim hæc ſolemnitas non fuit principale motivum damnandi, tollendique inveſtituras; ſed oppreſſio libertatis Eccleſiaſticarum electionum, & fœda ſimonia, quæ ob altiſſimas, quas, patrocinantibus inveſtituris, fixeras radices, funditus, his non ſublatis, eradicari haud poterat. Aliunde autem hæc cæremonia erat inconveniens, eo quod baculus & annulus de ſe ſint ſigna ſpiritualis poteſtatis, & conjugii Epiſcopum inter & Eccleſiam, ut dictum eſt (N. 82. h. t.).

§. III.

De Confirmatione Epiſcoporum.

93. EX dictis §. I. ſatis liquet, a primis Eccleſiæ ſæculis in uſu fuiſſe, ut electus Prælaturam ſive Epiſcopatum non obtineret, niſi per confirmationem, ſeu probationem electionis factæ a debita inſtantia.

Can. 4. Concilii Nicæni N. 9. h. t. Can. 12. Concilii Laodicæni N. ſequenti, &c.

94. Jus confirmandi, ſeu approbandi Epiſcopum a Clero & populo electum primitus videtur fuiſſe communiter apud Metropolitanum & Comprovinciales Epiſcopos.

Can. 12. Concilii Laodicæni ante Nicænum celebrati edicitur, ut Epiſcopi judicio Metropolitanorum, & eorum, qui circum circa ſunt Epiſcoporum, provehantur ad eccleſiaſticam dignitatem. Metropolitano igitur cum viciniis, id eſt comprovincialibus Epiſcopis defert hæc Synodus conſtitutionem, ſive provectionem Epiſcoporum, idque indubie ob approbationem, & confirmationem electionis, quæ ab ipſis ſecundum temporis illius diſciplinam dependebat.

95. Senſim tamen, ſaltem ex tacito Eccleſiæ conſenſu jus electionem Epiſcoporum diſcutiendi, eaſque ut canonicas vel approbandi, vel reprobandi præcipue ad Metropolitanum devolutum eſt.

Id colligitur ex can. 4. Concilii Nicæni, apud Gratianum diſt. 64. c. 1. ubi Synodus *earum, quæ fiunt* (in electione), *confirmationem in unaquaque Provincia a Metropolitano fieri mandat*. Item ex can. 6. ejuſdem Synodi, apud Gratianum cit. diſt. ordine 8. ubi ait: *illud generaliter clarum eſt, quod ſi quis præter ſententiam Metropolitani fuerit factus Epiſcopus, hunc magna Synodus definivit Epiſcopum eſſe non oportere*. Congruentiam hujus relationis Canoniſtæ ex eo deducunt, quod Metropolitanus inter Epiſcopos Ordinatores primus, & Præſes eſſet; neque ſemper omnibus comprovincialibus Epiſcopis commodum eſſet ad ſingulas Epiſcoporum ordinationes venire.

96. Jus tamen confirmandi electos Epiſcopos primis V. Sæculis non competebat Metropolitanis privative ad Patriarchas, Vicarios Apoſtolicos, & Exarchos.

Quantum ad 1. p. famoſus canon 6. Concilii Nicæni confirmat antiquam conſuetudinem, quæ poteſtatem Epiſcopi Alexandrini propagabat in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim: propterea quod conſimilis conſuetudo effundat in longe plures Provincias poteſtatem Romani Pontificis. Cujus canonis, miſere a multis lacerati, genuinus ſenſus eſt: quod Patriarchæ Alexandrino ſartum tectum debeat manere exercitium Metropoliticum, ſeu poteſtas confirmandi, & conſecrandi Epiſcopos in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ex antiqua conſuetudine eidem competens, non obſtante, quod ampliſſima hæc diœceſis plures numeraret Metropolitas; quemadmodum illud ex ſimili conſuetudine competat Romanæ Urbis Epiſcopo, qua Patriarchæ Occidentis. Id quod conſtat tum ex occaſione conditi hujus canonis, quam dedit Meletius Sycopolitanus in Ægypto Epiſcopus, *qui adverſus Alexandrum in Alexandria ſeditionem movens, multis Urbibus & Epiſcopos ordinavit, & Presbyteros & Diaconos*, quem propterea *Nicæni Patres ab Eccleſiæ gubernaculis repulerunt*, ut ſcribit Theodoretus hæret. Fab. lib. 4. c. 7. tum ex ipſis verbis canonis, quæ ſubſequuntur, videlicet: *Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua privilegia, ac ſua dignitates Eccleſiis ſerventur. Illud autem eſt omnino manifeſtum, quod ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, eum magna Synodus definivit non eſſe Epiſcopum*. Quid evidentius, quam hic de ſolis Metropolitanis, ac præcipue privilegiatis ſermonem eſſe? unde Dionyſius exiguus canoni hunc præfixit titulum *de privilegiis, quæ quibuſdam civitatibus competunt*. Et Innocentius I. ep. 18. ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum ait: *Revolventes authoritatem Nicænæ Synodi —— quæ ſuper diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam* (Antiochenam) *non ſuper aliquam Provinciam* (1) *recognoſcimus conſtitutam. —— Itaque arbitramur, frater chariſſime, ut ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari, ſic & cæteras non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſervabis, ut longe poſitos literis datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum arbitratu ordinant; vicinas autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas pervenire. Quarum enim te maxime expectat cura, præcipuum tuum debent mereri judicium*.

Quantum ad 2. p. Leo Papa ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Archipræſulem, ſuum in provinciis Græciæ ditioni Patriarchatus Romani adſcriptis, Vicarium Apoſtolicum ep. 84. c. 6. hæc ſcribit: *De perſona conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſque conſenſu Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet Authoritas*.

Quantum ad 3. p. De tribus famoſioribus Exarchis Epheſino in Aſia minori, Cæſarienſi in Ponto, & Heracleenſi in Thracia, quorum ampliorem mentionem fecimus N. 6. h. t. exſtat canon 2. Synodi Conſtantinopolitanæ I. quæ eſt Generalis II. ſequentis tenoris: *Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt ultra ſuam Diœceſim, ſuaſque limites, non accedant* (maxime confirmationis & ordinationis cauſa), *ſed ſecundum canones, Alexandriæ quidem Epiſcopus Ægyptum ſolum regat; Orientis autem Epiſcopi Orientem ſolum adminiſtrent, ſervatis privilegiis, ac præeminentiis, quæ ſunt in Nicæni Concilii canonibus* (can. 6. mox relato), *Antiochenæ Eccleſiæ. Et Aſianæ Eccleſiæ Epiſcopi, quæ ſunt in ſola Aſiana adminiſtrent: & Thraciæ Epiſcopi Thraciam tantum regant, & Pontanæ Ponticam. Non vocati autem Epiſcopi ultra Diœceſim ne tranſeant ad ordinationem &c.* Deinde in Concilio Chalcedonenſi A. 451. illud novatum eſt, ut ab Epiſcopo Conſtantinopolitano poſthac ordinarentur Metropolitani trium horum Exarchatuum, nec non & Epiſcopi omnes barbaricarum circumpoſitarum regionum: permiſſis unicuique Metropolitano ordinationibus Epiſcoporum ſibi obnoxiorum in ſingulis. Erat ergo inter hos Primates, ſeu Exarchos diſcrepantiæ nonnihil, inquit Thomaſſinus de ver. & nova Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 1. c. 8. cum alii ordinarent ſuæ vaſtiſſimæ ditionis (quæ diœceſis nomine in ſenſu contrario ad modernam hujus vocabuli ſignificationem veniebat) non Metropolitanos tantum, ſed & Epiſcopos prorſus

(1) *Diœceſis juxta dialectum illius ætatis plures ſub ſe Provincias continebat.*

ſus omnes: alii ſolos Metropolitanos ordinabant: alii neutros ordinabant, ſed ordinationem ſuſpendebant, donec electionem examinaſſent, approbaſſentque. In communi vero illud obſervabatur: *Ut confirmarentur hi Epiſcopi omnes, non a ſuo tantum Metropolitano, ſed & a Primate, ſeu Exarcho totius Diœceſis, ſeu territorii Patriarchalis.*

97. Iiſdem & ſequentibus ſæculis uſque ad VIII. ipſi Metropolitani a ſuis Primatibus vel Exarchis, Vicariis Apoſtolicis, ſive a Patriarchis confirmabantur.

Vide dicta N. præcedentis. 2. pars inde conſtat, quod Hormiſdas Papa ep. 22. ad Dorotheum Epiſcopum Theſſalonicenſem, cauſam Joannis Nicopolitani Metropolitæ, nolentis confirmationem a dicto Primate Theſſalonicenſi, homine in Acaciano Schiſmate obfirmato, petere, Sæculo VI. inde non excuſet, quod illam ab ipſo non petierit, ſed quod illam ab homine Schiſmatico petere noluerit. Id tamen juris in Metropolitanos Galliæ ejuſdem Regni Primatibus, aut Vicariis Apoſtolicis nunquam conceſſum fuiſſe, affirmant rerum Gallicarum Scriptores, & ex mox dicendis clareſcet.

98. Vigente ea diſciplina Romanus Pontifex plures Metropolitanos, quibus nulli præerant Primates, vel Exarchi, confirmabat; non tamen in Gallia, Anglia, Africa.

Sic S. Gregorius M. lib. 3. cap. 15. ad Epiſcopos Dalmatiæ prohibet, ut nulli in Salonitana Eccleſia ſine ſua permiſſione, ſeu confirmatione manus imponant; & Maximi præſumptionem hoc in paſſu redarguit. Sic idem lib. 4. ep. 6. ad Epiſcopos Illyrici ordinationem Joannis Archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ confirmat. Sic lib. 2. ep. 29. 30. & 31. Joanni Subdiacono in commiſſis dat, ut Conſtantium Diaconum in Mediolanenſem Archiepiſcopum cum ſuæ authoritatis aſſenſu faciat conſecrari.

Quantum ad Gallias Aurelianenſe Concilium A. 833. can. 7. jubet Metropolitanos ordinari ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, quod ea pervetuſta ſit Eccleſiæ conſuetudo. Item Aurelianenſi III. A. 538. can. 3. ſatius viſum eſt a Metropolitanis aliis ordinari Metropolitanos, aſtantibus omnibus Provinciæ Epiſcopis. *In his parte*, inquit doctiſſimus Thomaſſinus p. 2. lib. 2. cap. 16. N. 10. *ne veſtigium exſtitit, ex quo ſuſpicari poſſit, Galliæ Metropolitanos a Papa confirmandos fuiſſe*. Idque roborat ex eo, quod Vicarii Apoſtolici in Galliis a confirmatione Metropolitanorum ſemper abſtinuerint, quemadmodum N. præcedenti inſinuavimus. De Anglia, & Africa idem author adeatur l. cit.

99. Patriarchæ, Vicarii Apoſtolici, & Primates uſque ad tempora reſervationum Pontificiarum a nullo confirmabantur.

Vicarios enim Apoſtolicos ipſa Sedes Romana inſtituit. De Primatibus Sæculo IX. Hincmarus opuſc. 33. c. 17. ita diſcurrit: *Quibus canonum decretis, & Sedis Romanæ ſententiis claret, eoſdem Metropolitanos Primates eſſe ſingulos ſingularum Provinciarum, qui ex antiqua conſuetudine, & Apoſtolica traditione, & convocare Synodos, & ordinare Epiſcopos, & ordinari a Provincialibus, ſine cujuſdam alterius Primatis interrogatione poſſunt, & diſponere regulariter quæque per ſuas Provincias queunt &c.* Loquitur hoc loco Hincmarus de Primatibus honorariis, ſeu illis, qui nullos Metropolitanos ſub ſe habebant, & nulli alteri Primati erant ſubjecti, de quibus nos N. 6. h. t. Si ergo hi ſine alterius Primatis interrogatione, ſeu confirmatione ordinabantur, multo magis Primates Juriſdictionales, & ipſi Patriarchæ. Quamquam enim Patriarchæ datis ad Romanos Pontifices epiſtolis, iiſdem primitias ſuæ ordinationis dedicarent; id tamen ſolummodo fiebat officioſæ humanitatis, charitatis, & unionis cum prima Sede teſtandæ gratia, uti ex ep. 71. Hormiſdæ ad Epiphanium Conſtantinopol. Patriarcham data, & ejuſdem Epiphanii reſponſoria ad hunc Pontificem liquet. Quas vide apud Coletum tomo V. Conciliorum col. 665. & 666.

100. Dum diſciplina illa obtineret, ut Epiſcopi a ſuis Metropolitanis, hi a ſuis Primatibus, vel Patriarchis confirmarentur; ſæpe nihilominus recurſus fiebat ad Summum Pontificem.

Id inuſitatis tantum quibuſdam caſibus fiebat, ut nimirum inexpugnabiles quidam obices poſt electionem ſubmoverentur; puta, dum irritanda eſſet Metropolitani confirmatio canonibus infeſta, vel dum confirmatio danda, quæ ſine diſpenſatione dari nequiret, vel dum miſſo Pallio Archiepiſcopi quodammodo confirmarentur; vel denique dum ob diſſidia electorum, aut tergiverſationem Metropolitani nominatio, vel confirmatio ad Papam devolveretur; quemadmodum exemplis mediæ ætatis probat Thomaſſinus p. 2. lib. 2. c. 30. per totum.

101. Romani tamen Pontifices per ſimiles devolutiones juri Metropolitico ante reſervationes beneficiorum (N. 29. h. t.) derogare noluerunt: nec confirmandi jus exercuerunt, niſi ad utilitatem Eccleſiæ.

Quantum ad 2. p. ſatium tectum fuiſſe Metropolitanis jus confirmandi Epiſcopos, Primatibus vero & Patriarchis jus confirmandi Metropolitas per octo priora Sæcula ex dictis ſatis liquet. Pro IX. Sæculo magnificum hanc in rem exemplum ſuppeditat Stephanus VI. teſte Flodoardo lib. 3. c. 1. qui Theutoboldum Eccleſiæ Lingonienſis Diaconum a Clero & populo in ejuſdem civitatis Epiſcopum electum, atque ad ſe propter Lugdunenſis Metropolitæ in denegando eidem confirmatione contumaciam bis miſſum (volens Lugdunenſi Eccleſiæ privilegium immutilatum conſiſtere) confirmare, & ordinare, niſi poſt ulteriorem ejuſdem Lugdunenſis Archiepiſcopi induratione, noluit. Pro eodem IX. & X. Sæculo itidem fidem faciunt Epiſtolæ Hincmari, & formulæ antiquæ promotionum Epiſcopalium, quas edidit Sirmondus tomo II. Conciliorum Galliæ. Imo Sæculo XI. & XII. hanc diſciplinam in pleno vigore adhuc perſtitiſſe teſtatur Decretalis Lucii III. *ſi Archiepiſcopus* relata a Gregorio IX. illo ævo ſedente cum aliis ſimilibus in ſuam collectionem titulo *de temporibus ordinationum*, ex quibus Canoniſtæ uno aſſenſu concludunt: Epiſcopum de jure communi confirmandum eſſe a ſuo Metropolita.

Quantum ad 3. p. videantur exempla in Thomaſſino N. præcedenti citato.

102. Crebreſcentibus Sæculis poſterioribus hiſce devolutionum ad Sedem Pontificiam cauſis, paulatim invaluit recentior diſciplina; atque jus confirmandi non tantum Epiſcopos, ſed etiam Metropolitanos, atque Primates, & Patriarchas ad ſolam Sedem Romanam devolutum eſt.

Epocha hujus devolutionis dimenſuranda eſt juxta epocham reſervationum Pontificiarum, quæ Sæculo IX. invaleſcere cœperunt (N. 29. h. t.). Cum enim eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ fuerint, pariter jus confirmandi Epiſcopos Metropolitanis ademptum, & Sedi Apoſtolicæ reſervatum eſt. Indignum quippe credebatur, ut a Romano Pontifice ad Epiſcopatum deſignatus a Metropolitano confirmationem petere juberetur.

103. Quemadmodum autem reſervationes beneficiorum querelas Antiſtitum, Principumque non leves excitarunt (N. 30. h. t.), ita & reſervationes confirmationum. Longa tamen diverſum

exitum

exitum ſortitum eſt negotium de confirmationibus, quam illud de reſervatione collationis beneficiorum.

Querelæ de utriſque depoſitæ ſunt in Concilio Conſtantienſi. Illud ſeſſione 40. apud Coletum tomo XVI. Conciliorum col. 706. decretum edidit, quo urgetur futurus Pontifex inter alia cum hoc ſacro Concilio, vel deputandis per ſingulas nationes reformare caput ſecundum de reſervationibus Sedis Apoſtolicæ, & quintum de confirmationibus electionum, in reformatorio per Nationes oblato, antequam Concilium diſſolvatur. Vota tamen ejuſdem nonniſi in Baſileenſi executioni mandata ſunt, in quo Seſſione XXIII. §. 5. & 6. apud Coletum tomo 17. col. 332. & 333. non tantum reſervationes beneficiorum caſſantur (N. 30. h. t.), verum etiam confirmationes Epiſcoporum juxta juris communis diſpoſitionem (N. 101. h. t.) fieri jubentur. Vide etiam ſeſſionem XII.

Quantum ad 2. p. Poſt varias agitationes inter Romanam Sedem, & Nationes circa hoc negotium continuatas adhuc poſt Concilium Baſileenſe, cujus decreta multis in locis non ubtinuere, per concordata quidem Capitulis Cathedralibus jus electionis ibidem majori ex parte reſtitutum eſt (N. 31. h. t.): jus tamen electos confirmandi penes Romanum Pontificem remanſit (ibi). In Gallia vero per concordata inter Leonem X. & Franciſcum I. jus nominationis Epiſcoporum &c. ad Regem eſt devolutum, & jus confirmationis ad Petri Sedem poſtliminio reverſum (ibi); & ita factum eſt, ut omnium Epiſcoporum confirmatio ad Romanum Pontificem nunc pertineat, non item electio.

§. IV.
De Epiſcoporum Ordinatione.

104. PRimis Eccleſiæ temporibus conſecratio Epiſcoporum ab ipſa confirmatione vix ſejungebatur: ſed Metropolitanus cum Epiſcopis Comprovincialibus, examine ſupra electionis forma, ac Perſona electa facto, ſi electionem canonicam, & Perſonam idoneam reperiſſet, electionem ratihabendo confirmavit electum, & ad ordinationem ſeu conſecrationem proceſſit.

Id conſtat ex monumentis primitivæ Eccleſiæ a nobis ſparſim relatis, in quibus electio, confirmatio, & conſecratio, verbo *Chirotonias*, ſeu Ordinationis exprimitur, & ex ipſa praxi, nam teſte Thomaſſino de Ver. & Nova Eccl. diſcipl. lib. 2. c. 8. N. 12. Epiſcopi conſecratio plerumque ſtatim poſt ejus electionem fiebat ab ipſis electoribus, niſi ubi alicujus conſenſus erat exſpectandus; uti colligitur ex can. 6. Concilii Sardicenſis; & certe tunc vetabatur differri conſecratio ultra 3. menſes ſine inexorabili neceſſitate juxta canonem 25. Synodi Chalcedonenſis.

105. Sicut in confirmatione, ita & in conſecratione Epiſcoporum primas partes per 13. ſæcula obtinuerunt Metropolitani.

Huc faciunt dicta a N. 94. & ſeqq. in quibus etiam ea, quæ de conſecratione Metropolitanorum, & hic majorum hic deſiderari poſſent, enarrantur. Jonge diſt. 64. c. 6.

106. Epocha reſervationis conſecrationum Epiſcopalium Sedi Apoſtolicæ dimetienda eſt ex reſervationibus beneficiorum & confirmationum; & quæ de his reſervationibus, earumque ſequelis dicta ſunt, huc quoque applicari poſſunt.

De reſervationibus beneficiorum egimus a N. 29. h. t. confirmationum a N. 102. Omnes autem Epiſcopi ſicut Romani Pontificis authoritate hodie confirmantur, ita & conſecrantur. Unde in Pontificali Romano Titulo *de conſecratione electi in Epiſcopum* præmittitur hoc monitum: *Nemo conſecrari debet, niſi prius conſtet conſecratori de commiſſione conſecrandi, ſive per literas Apoſtolicas, ſi ſit extra curiam: ſive per commiſſionem vivæ vocis oraculo a Summo Pontifice Conſecratori factam, ſi Conſecrator ipſe ſit Cardinalis &c.* & ex præſcripto ejuſdem Pontificalis Ordinator, priuſquam conſecrationem inchoat, petit ab Epiſcopis aſſiſtentibus, & electum Conſecratori, ut eum ad onus Epiſcopale ſublevet, præſentantibus: *habetis mandatum Apoſtolicum?* quo lecto demum ad conſecrationem procedit.

107. Sive autem antiquam, ſive recentiorem diſciplinam ſpectemus, duo Epiſcopi cum Metropolitano, aut alio tertio religioſe in hunc uſque diem ad conſecrationem electi adhibentur; illos tamen, imo nec duos ad ſubſtantiam conſecrationis requiri & authoritas ſuadet, & exempla docent.

Quantum ad 1. p. Canon IV. Concilii Nicæni Epiſcopum conſtitui vult ab omnibus Epiſcopis comprovincialibus; vel ſi hoc fieri nequeat, ſaltem a tribus. Rituale Græcorum, *tres vero*, inquit, *ſive etiam plures Pontificium omnem ornatum induti in ſellis ſuis ſedent ante ſacras ſancti Altaris fores*. Latinæ Eccleſiæ praxis eſt notoria ex ipſo Pontificali Romano, quod titulo de conſecratione electi in Epiſcopum mandat: *adſint* (præter Conſecratorem) *ad minus duo Epiſcopi aſſiſtentes*.

2. P. patet ex canone I. Apoſtolorum. *Epiſcopus a duobus vel tribus ordinatur*. Item ex conſtitutionibus Alexandrinis apud Beveregium in notis ad hunc canonem, ubi præcipitur: *ut ordinetur Epiſcopus a tribus Epiſcopis, neceſſitate vero cogente a duobus*. Nec deſunt exempla: ſic enim Pelagius I. Epiſcopus Romanus a duobus Epiſcopis & uno Presbytero ordinatus eſt, teſte Anaſtaſio in ejus vita. Quod autem nec duo requirantur, liquet tum ex eo, quod Innocentius I. in ep. ad Victricium relata diſt. 64. c. 5. & S. Anſelmus in literis ad Regem Hyberniæ, dum ajunt Epiſcopum non debere ab uno conſecrari, eo quod hoc ſit a ſacris canonibus prohibitum, rationem hujus non aſſignent ex invaliditate conſecrationis in caſu; ſed quia ſic conſecratus quaſi furtive & non publice intret in ovile; tum ex eo, quod Syneſius ep. 67. Sydeſium Palebiſcæ Epiſcopum a Philone Cyrenenſi ſolo ex neceſſitate ordinatum fuiſſe refert, & S. Gregorius M. Auguſtino Anglorum Apoſtolo licentiam dederit Epiſcopos inibi ſe ſolo ordinandi; eo quod alii Epiſcopi ibi tunc non haberentur lib. 2. ep. 27. in qua vera eſt lectio Bedæ *ſine Epiſcopis*, non illa alia *cum Epiſcopis*, uti notat, ac ſolide probat mox relatus Beveregius l. cit. Hiſque conformis eſt moderna praxis Romanæ curiæ circa Ordinationem Epiſcoporum in Indiis, uti notat Fagnanus ad cap. 7. de temp. Ord. N. 20.

T I T U L U S VII.

De Translatione Epiſcoporum.

1. Cum juxta Innocentium III. *c. 4. de transl. Epiſcop.* ſpirituale fœdus conjugii, quod eſt inter Epiſcopum & Eccleſiam, in electione initiatum, in confirmatione ratum, in conſecratione intelligatur conſummatum: translationes aut potius tranſmigrationes Epiſcoporum de una Eccleſia ad aliam, & Patribus antiquis, & recentioribus Pontificibus ſemper viſæ ſunt eſſe ſpecies quædam adulterii ſpiritualis, adeoque quantum eſt de ſe, ſemper vetitæ.

Quantum ad 1. p. Epiſcopi Concilii Ægyptiaci apud S. Athanaſium Apologia 2. dum verba faciunt de Euſebio, qui a Berithenſi Eccleſia tranſilierat ad Nicomedienſem, & ab hac rurſum migravit ad Conſtantinopolitanam, ita fantur: *Non habens præ oculis illud præceptum, alligatus es uxori, ne quære ſolutionem. Quod ſi hoc de uxore dictum eſt, quanto magis de Eccleſia, atque adeo de Epiſcopatu, cui cum quis alligatus eſt, aliam quærere non debet, ne adulter in ſacris literis deprehendatur.* Junge capitulo hujus tituli.

Quantum ad ſecundam canon 13. Apoſtolorum ita habet: *Epiſcopo, qui Parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto: licet a pluribus ad hoc compellatur: niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat; nempe quod plus lucri & utilitatis his, qui illic conſtituti ſint, verbo pietatis conferre poſſit: neque hoc tamen a ſeipſo, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & exhortatione maxima.* Et canon 15. Concilii Nicæni ſic: *Propter multum tumultum, & ſeditiones, quæ fiunt, omnino viſum eſt, ut conſuetudo, quæ præter canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur; ut a civitate in civitatem nec Presbyter, nec Diaconus tranſeat. Si quis autem poſt ſanctæ & magnæ Synodi definitionem tale quippiam aggreſſus fuerit, vel ſe rei ejuſmodi dederit, quod factum erit, omnino reformabitur, & Eccleſiæ reſtituetur, cui Epiſcopus, vel Presbyter ordinatus fuerit.* Ex quibus canonibus liquet, quam ægre Eccleſia ab ipſis incunabulis translationes non tantum Epiſcoporum, ſed etiam inferioris Ordinis Miniſtrorum tulerit; & quam ſerio res iſta non tantum ex parte transferentium, ſed etiam transferendorum tractata fuerit.

2. Cauſa præcipua, cur Patres translationes, ſeu potius tranſmigrationes Epiſcoporum, aliorumque Eccleſiæ Miniſtrorum tam ægre tulerint, fuit fundata ſuſpicio intercurrentis vel ambitionis, vel avaritiæ, unde etiam minus canonice translatos graviſſimis pœnis plectendos decrevere.

Quantum ad 1. p. in Sardicenſi Concilio A. 347. canone 1. Oſius Præſes Concilii dixit: *Non minus mala conſuetudo, quam perniculoſa corruptela funditus eradicanda eſt: ne cui liceat Epiſcopo de civitate ſua ad aliam tranſire civitatem.* Deinde hujus corruptelæ rationem notandam ſubjicit: *Manifeſta eſt cauſa, qua hoc facere tentant; cum nullus in hac re inventus ſit Epiſcopus, qui de majori in minorem tranſiret; unde apparet avaritiæ ardore eos inflammari, & ambitioni ſervire, & ut dominationem agant.*

Pro parte 2. ſubdit: *Si omnibus placeat, hujuſmodi pernicies ſevius, & auſterius vindicetur, ut ne laicam communionem habeat, qui talis eſt. Reſponderunt univerſi: placet.* Et canone II. proſequitur idem Oſius: *Etiamſi talis aliquis extiterit temerarius, ut fortaſſis excuſationem afferens aſſereret, quod populi literas acceperit, cum manifeſtum ſit, potuiſſe paucos præmio, & mercede corrumpere eos, qui ſinceram fidem non habent, ut clamarent in Eccleſia, & ipſum petere viderentur Epiſcopum, omnino has fraudes damnandas eſſe arbitror, ita ut nec laicam communionem in fine talis accipiat: ſi vobis omnibus placet, ſtatuite. Synodus reſpondit: placet.*

3. Nunquam tamen in Eccleſia translationes Epiſcoporum vel aliorum Eccleſiæ Miniſtrorum ſimpliciter fuere prohibitæ.

Id innuunt aperte canon Apoſtolicus 13. & Nicænus 15. N. 1. relati. Ex quibus doctiſſimus Thomaſſinus de vet. & nova Eccl. diſcipl. de benef. p. 2. lib. 2. c. 61. N. 4. probabile exiſtimat, Patres Concilii Antiocheni A. 341. partium ſtudio, quam fidei Catholicæ zelo fuiſſe ardentiores, dum translationes Epiſcoporum canone 21. ſimpliciter damnarunt his verbis: *Epiſcopus ab alia Parochia in aliam ne tranſeat, nec ſe ſua ſponte ingerens, nec a populis vi adactus, nec ab Epiſcopis coactus: maneat autem in ea, quam a DEO ſortitus eſt, Eccleſia, & ab ea non recedat, ſecundum decretum prius de ea re editum.*

4. Nihilominus non fiebant translationes, niſi graviſſimis de cauſis, & maxima cum deliberatione, ac judicio.

N. 1. h. t. N. 5. & ſeqq.

5. Ad canonicam igitur Epiſcopi, vel alterius Eccleſiæ Miniſtri translationem, ſicut nunc, ita jam in primitiva Eccleſia requirebatur gravis neceſſitas, & utilitas Eccleſiæ; & longe abfuit, ut transferendus translationem ſibi peteret.

Primum propoſitionis membrum ipſis verbis innuit canon Apoſtolicus 13. etſi apocryphus, Eccleſiæ primitivæ diſciplinam nihilominus referens (tit. 1. N. 26. &c.); facit inſuper huc in rem canon 27. Synodi Carthaginenſis A. 398. ubi habetur: *Epiſcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non tranſeat, nec quiſquam inferioris ordinis Clericus: ſane ſi utilitas Eccleſiæ fiendum popoſcit, decreto pro eo Clericorum, & laicorum Epiſcopis porrecto, in præſentia Synodi transferatur.* Adde canonem 13. dictatus vulgo Gregorii VII. ubi dicitur: *quod Papæ liceat de ſede ad ſedem neceſſitate cogente Epiſcopos transferre.*

Secundum membrum ejuſdem propoſitionis adſtruit tenor ejuſdem canonis 13. Apoſtolorum N. 1. h. t.

6. Judicium de utilitate & neceſſitate translationum, ſicut & translationes ipſæ in primitiva Eccleſia ſpectabant ad Metropolitanum, & Epiſcopos comprovinciales, ſeu potius ad ipſam Synodum Provincialem.

Veritas facti innumeris antiquitatis monumentis comprobari poſſet. Unum vel alterum ſeligo: & imprimis rem ipſam dicit mox relatus canon 27. Synodi Carthaginenſis IV. & canon 16. Antiochenus aperte quoque ſupponit Epiſcopum auctoritate Synodi Provincialis, quam *perfectam* vocat, de Eccleſia in Eccleſiam transferri poſſe: *Si quis vacans Epiſcopus in vacantem Eccleſiam irrumpens, ſedem arripuerit abſque perfecta Synodo, is ſit ejectus, niſi omnis populus, quem invaſit, eum elegerit. Sit autem illa perfecta Synodus, cui una quoque adeſt Metropolitanus.*

7. Hæc diſciplina uſque ad Sæculum IX. integra permanſit: circa illa vero tempora paulatim

ſim ad Sedem Apoſtolicam devolvi cœpit Epiſcoporum tranſlatio.

Exempla pro 1. p. vide apud Thomaſſinum p. 0. lib. 2. c. 60. quamvis teſte eodem c. 60. primis etiam V. Sæculis Romani Pontifices in tranſlationum negotio ſubinde, & quidem ab ipſis Synodis Provincialibus adirentur.

Quantum ad 2. p. id præſertim factum eſt in Gallia teſte eodem Thomaſſino c. 64. N. 14.

8. Sæculo XI. jam erat acceptiſſima illa regula juris, & conſuetudo, duodecimoque ineunte ne quidem in controverſiam vocabatur: *Epiſcoporum tranſlationes Romano Pontifici eſſe reſervatas*; quod jus & conſuetudinem Innocentius III. Sæculo XIII. decretis ſuis, hoc titulo relatis, ſolum roboravit, non introduxit, ut quidam ouganiur.

Pro primo membro plures tum authoritates, tum exempla profert Thomaſſinus c. 66. inter alia epiſtolam Paſchalis II. ad Archiepiſcopum Regni Poloniæ datam, in qua inter alia conqueritur: *quid ſupt Epiſcaporum tranſlationibus laquor, quæ apud vos non authoritate Apoſtolica, ſed nutu Regis præſumuntur*. Sed præcipuum Argumentum eſt, quod Gratianus, qui Sæculo duodecimo floruit, dum 7. q. 1. c. 33. ex epiſtola ſuppoſititia Anteri (tit. 1. N. 145. & ſeqq.) refert: *Quod ſicut Epiſcopi habent poteſtatem ordinare regulariter Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes; ſic quoties utilitas, aut neceſſitas coegerit, ſupra dicto modo & mutare* (hoc eſt transferre) *& inthronizare poteſtatem: addat ex ſuo, non tamen ſine Sacra-Sanctæ Romanæ Sedis authoritate, & licentia*. Nam ut recte notant Correctores Romani, hæc verba non leguntur in Epiſtola Anteri, neque in Panormia, neque apud Burchardum, & Ivonem. Quæ epiſtola cum circa Sæculi IX. initium ab Iſidoro Mercatore fabricata ſit, (N. 130. tit. 1.) ex ea dicimus, illa tempeſtate tranſlationes adhuc per Metropolitanos fieri conſueviſſe. Et cum Sæculo XII. Gratianus hanc clauſulam ai in ſua Collectione canonum adjecerit, illo tempore tranſlationes Epiſcoporum Romano Pontifici jam reſervatas fuiſſe, dubitare non poſſumus. Id enim cauſæ fuit, quod illam adjecerit.

Secundum membrum ſequitur ex mox dictis. Et confirmatur ex ejus epiſtola, quam primo Pontificatus ſui anno ad Epiſcopum Hildesheimenſem ſcripſit idem Pontifex, teſte Raynaldo ad A. C. 1198. N. 11. ubi ait: *SS. Patres majores Eccleſiæ cauſas, utpote ceſſiones Epiſcoporum, & ſedium tranſlationes ſine Apoſtolicæ Sedis licentia fieri vetuere*: ubi ſubjungit Thomaſſinus: *ubi conſuetudo annis 100. aut 000. viguit, tunc jure ſua gloriam ſibi vendicat, & majeſtatem venerandæ antiquitatis*.

9. Eædem fere cauſæ, quæ electiones, confirmationes, & conſecrationes, etiam tranſlationes Epiſcoporum ad Sedem Apoſtolicam ſucceſſive devolverunt.

Præcipua fuit, quod Conciliis Provincialibus ſæpe ſatis virium non fuerit ad coercendam Epiſcoporum ambitionem & contumaciam, adeoque neceſſum crebro fuerit recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, cujus pondere & Majeſtate opprimerentur turbulentorum hominum factiones. Cujus rei exempla vide apud Thomaſſinum cit. p. & lib. 2. c. 60. & 61. &c. ipſa autem rerum experientia conſtat, hac frequenti ad ſuperiores ſedes majorum cauſarum relatione conſuetudinem ſenſim inoleſcere, & ex inolita conſuetudine legem confirmari earundem eo ſemper referendarum. Et hac via majores cauſæ complures in Conciliis antea tractari & terminari ſolitæ, ad Sedis Apoſtolicæ judicium traductæ ſunt, & longo ſæculorum uſu confirmatæ. Non ergo Romani Pontifices occuparunt *ipſi*, ambieruntque, ut hæc ad ſa *judicia* perferrentur; ſola *inferiorum* Præſulum, Judicumque diſſenſio, vel populorum in eos contumacia *in* cauſa fuit, ut ad ſuperioris poteſtatis opem confugerent, idque non *arbitrario*, ſed exigente hunc ordinem ipſa Chriſti inſtitutione, qua ſub uno capite viſibili in terris Romano Pontific. S. Petri Succeſſore pulcherrimo ordine conſurgit Hierarchia Eccleſiaſtica.

Difficultas orta ex cap. 2. hoc titulo explanatur, & dictum capitulum cum Notis hiſtoricis in hunc titulum conciliatur.

10. TRanſlationem Epiſcoporum de una Eccleſia in aliam *jure divino* ad Sedem Apoſtolicam pertinere, & quidem *privative* ad quemcumque alium, videtur manifeſto innuere Innocentius III. relatus *cap. inter 2. h. t.* ubi ita diſſerit: *Non enim humana, ſed potius divina poteſtate conjugium ſpirituale diſſolvitur, cum per tranſlationem, depoſitionem, aut ceſſionem auctoritate Romani Pontificis (quem conſtat vicarium eſſe Jeſu Chriſti) Epiſcopus ab Eccleſia removetur: & ideo tria hæc, quæ præmiſimus, non tam conſtitutione canonica, quam inſtitutione divina ſoli ſunt Romano Pontifici reſervata*.

11. E contra Metropolitanos cum Synodo Provinciali jus transferendi Epiſcopos habuiſſe, idque per novem Sæcula communiter exercuiſſe, ex hucuſque relatis canonibus, & exemplis in aprico eſt. Vel ergo Innocentius III. vel tota retro erravit Eccleſia.

12. Nodum hunc gordium ſolvet ſequens poſitio, quam inſinuat doctiſſimus Thomaſſinus cit. p. 0. lib. 2. c. 64. N. 6. verbo *illud ſecundo obſerva*: quam ſic formo. Innocentius divina inſtitutione ſoli Romano Pontifici jus admittendi ceſſiones Epiſcoporum, aut tranſlationes decernendi, permittendique reſervatum aſſerit: quia poteſtas diſpenſationes concedendi per totam Eccleſiam, & majora quædam negotia ſibi reſervandi, appendix quædam eſt divini primatus. Verba auctoris hic adnumero, e quibus praxim veteris Eccleſiæ cum ſententia doctiſſimi Pontificis facile conciliabis. *Illud*, inquit, *ſecundo obſerva, quam conſiderate & circumſpecte Innocentius loquatur: ubi ait: Sedem Apoſtolicam a Chriſto ipſo Principatu omnium Eccleſiarum donatam eſſe: Concilia vero poſteriora, ei exemplo ut ſe accomodarent, majores cauſas ei reſervaſſe: ex quo contigit, ut ſæculis ſolventibus cum tranſlationes quoque Epiſcoporum majoribus cauſis fuerint adſcriptæ, ex quoque Sedi Petri reſervarentur. Ita videri poſſunt hi veluti rivuli ab illo primigenio manaſſe Primatus fonte, etſi nonniſi longo poſt tempore in lucem erupterint. Tria ergo ſunt rerum genera, tria ſingulorum tempora. Primatus Sedis Apoſtolicæ, cauſæ majores in genere, tranſlationes ſpecialiter Epiſcoporum. Primatus ab ipſo immediate Chriſto ſcaturiit. Reſervatio cauſarum majorum Conciliis innititur, & conſtitutionibus Eccleſiaſticis, ut corollarium quoddam Primatus, idque antiquiſſimum. Recentior eſt tranſlationum reſervatio, ſed & ipſa quodam ſuo modo dimanat a Primatu; cum ex illo privilegio generali, quod Beato Petro, & per eum Eccleſiæ Romanæ Dominus noſter indulſit*, (*verba ſunt Innocentii cap. 1. h. t.*) *ex divini juris Primatus! Canonica poſtmodum manaverint inſtituta, continentia majores cauſas Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem perferendas. Hæc eſt cauſarum majorum reſervatio, in Conciliis quidem facta, ſed ab origine tamen aliquo modo ſcatens divini Primatus, in quantum Concilia contemplatione & reverentia divini Primatus has reſervati-*

vationes ſanxere. Ac per hoc translationes Epiſcoporum, ac Sedium mutationes ad Summum Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem de jure pertinent; ita conſentante antedictis jure Canonico ceſſiones & translationes Epiſcoporum cauſis majoribus ſunt annumerata. Hæc ille. Quibus & dictum capitulum ſecundum cum primo, & utrumque cum notis noſtris hiſtoricis conciliatur.

T I T U L U S VIII.

De authoritate & uſu Pallii.

1. PRæter ornamenta Pontificalia omnibus Epiſcopis communia, eſt unum admodum famosum ipſis Metropolitanis, & his majoribus proprium, nec ullis Epiſcopis in Eccleſia Latina juxta antiquam, modernamque diſciplinam commune, niſi ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Privilegio munitis. *Pallium* illud dicitur. De cujus authoritate & uſu præſens, quem hiſtorice commentandum ſuſcipimus, agit Titulus.

2. Formam Pallii ita deſcribit Innocentius III. lib. 1. Myſt. Miſſæ c. 63. *Pallium fit de candida lana contextum, habet deſuper circulum humeros conſtringentem, & duas lineas, ſive faſcias ex eodem panno ab utraque parte dependentes: quatuor autem cruces purpureas, ante & retro, a dexteris, & ſiniſtris: ſed a ſiniſtris pallium eſt duplex, ſimplex a dextris: cui in tres partes concisa tres acus infiguntur* (ſpinas vocant alii) *quibus conſuitur*. Atque ex his Innocentii verbis habemus (inquit Nicolaus de Bralion Presbyter Oratorii) fidelem & exactam formæ Sacri Pallii delineationem, etiam ut nunc eſt, hoc excepto, quod habeat nunc ſex cruces ex ſerico inſertas (additis duabus paucis, ut opinor, ab hinc annis), quatuor ſcilicet in circulo, nempe ante & retro, a dexteris & ſiniſtris: & præterea unam in medio utriuſque lineæ: & quod cruces intextas, quas dicit eſſe purpureas, recentiores quidam Canoniſtæ ſcribant eſſe nigras, & revera nigræ apparent non ſolum in Palliis, quibus nunc utuntur Archiepiſcopi, ſed in illo antiquiſſimo, quo utebatur Stephanus III. Papa, qui ſedebat An. 750. quodque ipſe reliquit apud D. Dionyſii Baſilicam, Mauſolæis Chriſtianiſſimorum Regum celebrem, ubi adhuc oſtenditur.

3. Ejus longitudo in Eccleſia Latina ante Sixtum IV. (ſub quo decurtari cœpit, quemadmodum ex ejuſdem effigie ænea A. 1493. elaborata, in qua linea Pallii anterior vix longitudinem palmi unius ſuperat, conſpicuum redditur) uſque ad mediam tibiam protendebatur, teſte Joſepho Catalano Presbytero, recentiſſimo atque egregio commentatore Cæremonialis Epiſcoporum, SS. D. N. Benedicto XIV. dicati, cap. 16. §. 5. N. 6. ubi ex Ciaconii Tomo 2. refert effigies ſepulcrales Urbani VI. Bonifacii IX. Martini V. Sixti IV. Deceſſorum hanc ſacræ faſciæ longitudinem exhibentes; ac difficultatem ex figura ſepulcrali Eugenii IV. ortam enodat.

4. Principalem materiam pro conficiendis his Palliis ſuppeditant Agni, prius in Miſſa ſolemni in Eccleſia S. Agnetis extra muros urbis, die ejus cultui dicato, oblati. Qua autem forma hi agni offerantur, & eum in finem a Pontifice benedicantur, ac poſtmodum educentur, deſcribit mox laudatus de Bralion ſequentibus: Subdiaconi Apoſtolici ſeu Miniſtri Eccleſiaſtici Papæ, qui quidem quinque numero ſunt, procurant, ut die feſto S. Agnetis, qui eſt vigeſima prima Januarii, habeantur duo candidiſſimi agni, qui ponuntur ſupra equum hinc inde in duabus ciſtellis, in ejus Eccleſiam portandi. Conſuetudo autem eſt, ut conductor primum cum his tranſeat per plateam S. Petri ante Palatium Vaticanum Papæ, qui a feneſtra manu eos benedicit. Dehinc vero per mediam urbem eos defert ad præfatam Eccleſiam S. Agnetis, in qua ejus S. corpus religioſe aſſervatur, & colitur, ubi in Miſſa ſolemni, cum perventum eſt ad Agnus Dei, offeruntur a Religioſis hujus Eccleſiæ, qui nunc ſunt Canonici S. Salvatoris; deinde traduntur duobus Canonicis Baſilicæ Lateranenſis S. Joannis, quæ eſt Cathedralis Papæ, a quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apoſtolicis, qui primum eos in paſcuis quibuſdam particularibus ad tempus ſervant, deinde eorum lanam a certis Monialibus in filum duci curant, ex quo filo, adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cum iſta non ſufficiat, vel ipſi, vel illæ Moniales faſcionales, eas lanas intertexendo, conficiunt, & ex illis pallia poſtea benedicenda apud S. Petrum.

5. Hæc benedictio Palliorum non fit ſingulis annis, ſed rarius, prout neceſſitas mittendorum Palliorum exigit; & fit non in Altari majori S. Petri, quod cernitur in medio ſuperioris partis Eccleſiæ, ſed in alio inferioris partis, quod eſt ſub iſto, & ideo ſepulturæ S. Petri viciniori. Facta demum Benedictione, relinquuntur Pallia una nocte ſuper Altare Sepulturæ S. Petri; deinde reconduntur in capſula, ſeu arcula parva, quæ ponitur, & aſſervatur ſupra Cathedram S. Petri, in qua primum Romæ ſedit.

6. Uſus Pallii & olim viguit, & hodiedum in utraque Eccleſia viget.

Aſſerti veritas ex ſequentibus patebit.

7. Quando præciſe, & quomodo uſus hujus ornamenti inceperit, ſat obſcurum eſt, ſive Græcam, ſive Latinam Eccleſiam ſpectemus.

Equidem in famoſa illa Conſtantini M. donatione, relata apud Gratianum *diſt. 98. c. 14. §. 3.* legimus: Beato Sylveſtro ab illo Imperatore præter alia imperialia ornamenta etiam *ſuperhumerale*, videlicet lorum, quod imperiale circumdare aſſolet collum, contraditum. At cum eruditis hodie fere perſuaſum ſit, donationem iſtam poſteriori ætate fabricatam eſſe, ex illa Epocham initii uſus Pallii tuto figere non poſſumus. Nec liber Pontificalis, qui ſub nomine Damaſi circumfertur, revera autem, ſi non totus, ſaltem majori ex parte eſt Anaſtaſii Bibliothecarii Authoris Sæculi IX. eadem referens hic attendendus, cum illa referat ex dicta donatione.

8. Nihilominus uſus Pallii ab Imperatoria in Chriſti Sacerdotes largitate & pietate ortum probabiliſſime habuit.

Id adſtruere conatur doctiſſimus Thomaſſinus in veteri & nova Eccleſiæ diſciplina de beneficiis p. 1. lib. 2. c. 45. N. 8. ex Theodoreti lib. 2. cap. 27. ubi data occaſione illius ſtolæ ſacræ meminit, quam olim Conſtantinus M. Macario Jeroſolymitano Epiſcopo geſtandam dederat tum, cum ſolemniter baptizaret, quo loco ex Theodoreto relato ſubjungit: *Dubitare poſſet, an ejuſmodi Cappa ex iis eſſet, quas vulgo haberent Epiſcopi, hoc ſolo pretioſior, quod illam donaſſet Imperator? an vero eſſet ipſum regale Pallium* (id eſt faſcia & lorum regalis Pallii) *qua & ſpirituale Epiſcoporum regnum ornari pro ſua ſumma pietate voluit*,

ut

ut & ipſum Imperiale faſtigium e ſumma Sacerdo-tii Majeſtate novi aliquid ſplendoeis acciperet ? & pergit : *hoc poſtremum ſi amplectare , recta conji-cies primam hanc eſſe Pallii Archiepiſcopalis ori-ginem.* Et quamvis ſicut ex donatione Conſtan-tiniana mox telara , ita ex hoc Theodoreti loco evinci haud poſſit , Conſtantinum M. eſſe Autho-rem Archiepiſcopalis Pallii ; cum tamen illud per aliquot ſæcula de ſolo Imperatorum conſenſu ab ipſis etiam ſummis Pontificibus collatum fuerit ; (N. 25. h. t.) certum videtur ab eorundem ma-gnificentia origioem areniſſe. Accedit , quod , uti advertit idem Thomaſſ. cit. p. 2. l. 2. c. 49. n. 7. fictitia illa doatio Conſtantiniana (circa Secu-lum IX.) non eo conſilio concinnata fuerit , ut acceſſio aliqua ornamantorum vel Pontifici fieret , vel Cardinatium Collegio : ſed ut ea , quibus jam fruebantur , ad altiorem originem revocarentur . Et hinc pergit : *Unum id nobis videtur ſtudioſe commendandum animo , perſuaſiſſimum tunc omni-bus fuiſſe , ab Imperatoribus Chriſtianis manaſſe pre-tioſiſſima illa Sacerdotii Ornamenta.*

9. Hinc nihilominus propoſitionem intra proba-bilitatis limites permiſi , quoniam ſupra laudatus Catalanus eodem c. 17. Cæremonialis Epiſcopo-rum §. 7. n. 4. ex Ruperti Tuitienſis Abbatis , S. Maternum a S. Petro ordinatum Epiſcopum Trevirenſis Ecclefiæ hæreditatem Pallii ſuis Suc-ceſſoribus reliquiſſe lib. 1. de divinis officiis cap. 27. ajentis , teſtimonio , contendit : coævum eſſe Chriſtianæ Religioni Pallium Pontificale , eoque uſum Apoſtolorum Principem Petrum , a quo il-lud S. Maternus accepiſſet. Pergitque : *Scio a qui-buſdam recentioribus Pſeudo-Criticis flocci-pendi Ruperti auctoritatem , quod ſine veteram teſtimo-nio Auctor ipſe duodecimi duntaxat Seculi , tam antiquam Pallii conceſſionem facit. Veram ſcitiſſime reſpondet Lupus Tom. 8. Operum de Africanæ Ec-cleſiæ Romanis Appellationibus cap. 13. Rupertum omnino adjuvari teſtimoniis veterum irrefragabili-bus , præſertim vero teſtimonia S. Marci , quippe qui Alexandrinam Eccleſiam non tam ſuo , quam potius Apoſtoli Petri nomine , ac vice fundavit , inſedit , ac rexit. —— Ac proinde quidquid ſacræ diſciplinæ Marcus iſthic inſtituit , a S. Petro haud dubie accepis.* Teſtimonium hoc Numero ſequenti videre & expendere poteſt cordatus Lector , atque cum dictis præſenti numero , & per decurſum , præſertim N. ſeq. dicendis conferre , & ita judi-cium ſuum ferre.

10. Antiquiora uſus Pallii indubitata monu-menta proſtant apud Eccleſiam Græcam , quam Latinam.

Ejus enim & uſum & finem apud Græcos ante Sæculi V. medium deſcribit Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 136. his verbis : *Epiſcopi Pallium , Omophoi-rion , ex lana , non ex lino contextum , ovis illius , quam Dominus aberrantem quæſivit , inventamque ſuis humeris ſuſtulit , pellem ſignificat. Epiſcopus enim , qui Chriſti Typum gerit , ipſius munere fun-gitur , atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſten-dit , ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſ-ſe , qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* Et Liberatus Archidiaconus Carthaginenſis IV. Sæculi Auctor (in cujus tamen teſtimonio ob mox advertenda vim non ponimus) in ſuo bravia-rio refert , antiquiſſimum morem Alexandriæ vi-guiſſe , ut qui Epiſcopo demortuo ſuccaſſurus erat , ſuper ejus corpus excubias noctis ageret , dexte-ram demortui ſuo capiti imponeret , eoque de-mum terræ mandato , Pallio B. Marci indueretur , atque ita conſcenderet Thronum Marci . Cum e contra in Eccleſia Latina primus omnium Sym-machus Papa circa Sæculi V. finem Pallium in Oc-cidentem direxiſſe legatur ad Cæſarium Arelaten-ſem Epiſcopum , quemadmodum colligitur ex *ep.* 8. Vigilii Papæ , Symmachi Succeſſoris , ad Auxa-nium Arelatenſem Epiſcopum , apud Coleeum Tom. 5. Conciliorum col. 1300. ubi ait : *Ut agen-ti vices noſtras Pallii non deſiit ornatus , uſum ſibi ejus , ſicut Prædeceſſori tuo Prædeceſſor noſter S. re-cordationis Symmachus legitur contuliſſe , B. Petri S. Authoritate concedimus.* Idem Symmachus Papa Laureacenſi Archiepiſcopo (*cujus metropolis olim famoſiſſima rudera ad oppidum Anaſum in ſuperiori Auſtria conſpiciuntur*) Pallium Archiepiſcopale cum Legatione Vicis Apoſtolicæ in Pannonia , & Moravia A. 501. miſit , cujus miſſionis inſtrumen-tum , quod a Colero tom. V. Concil. col. 440. re-fertur , cum teris hæreditariis glorioſum exiſtat , patriotis uberem reflexionum hiſtoricarum mate-riam ſuppeditet , atque calumniatoribus facei hu-jus veſtitus ora obſtruat , ad longum adducere placuit.

Symmachus S. Apoſtolicæ Sedis gratia Dei Epiſ-copus Reverendiſſimo Fratri Theodoro S. Lau-riacenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

Dilebus vita tua Pallii uſum , quem ad Sacer-dotalis Officii decorem , & ad oſtendendam unanimitatem , quam cum B. Petro Apoſtolo univer-ſus grex Dominicarum ovium , quæ ei commiſſa ſunt , habere dubium non eſt : ab Apoſtolica Sede , ſicut decuit , popoſciſti , quod utpote ab eiſdem Apo-ſtolis fundata Eccleſiæ majorum more libenter indul-ſimus ad oſtendendum te Magiſtrum & Archiepiſ-copum , tuamque Sanctam Lauriacenſem Eccleſiam Provinciæ Pannoniorum Sedem fore Metropolita-nam. Ideirco Pallio , quod ex Apoſtolica charitate tibi deſtinamus , quo uti debeas ſecundum morem Eccleſiæ tuæ , ſolerter immonemus , pariterque vo-lumus , ut intelligas , quia ipſe veſtitus , quo ad Miſſarum ſolemnia ornaris , ſignum prætendit cru-cis , per quod ſcito te cum fratribus debere compa-ti , ac mundialibus illecebris in affectu crucifigi . Unde cum te foris hujuſmodi inſignio indueris , in-tus in animo conſiderea , quod hoc ſit magis oneris , quam honoris , atque cor tuum Deo regente ab ap-petitu iſtius ſæculi ſic tempera , ut & commiſſam exequi gubernationem ſtudeas , & adeptæ dignitati , cujus ſublimaris Officio , & probitate morum , & vivacitate ſollicitudinis , ac cuſtodia integerrimæ fidei congruas , quatenus tu ipſe a remuneratore omnium bonorum Deo & benedictionis gratiam , vi-tamque æternam conſequi merearis. Amen.

Nec obſtat can. 1. diſt. 100. in quo Pallii men-tio diſerta habetur , & a Burchardo , Anſelmo , atque authore Panormiæ Damaſo , qui Sæculo IV. Eccleſiam gubernavit , tribuitur ; nam præterquam quod Gratianus illum citet ex Pelagio Sæculo VI. ſedente , eruditis exploratum eſt , illum eſſe ex ſuppoſititiis Iſidori Mercatoris mercibus , adſti-pulante ipſo teterrimo commentatore Cæremo-nialis Epiſcoporum jam laudato , c. 16. §. 1. n. 6. cujus tamen ſententia n. 9. relata Pallii , de quo loquimur , uſum in Latina , quam Græca Eccle-ſia antiquiorem non evincit , quia fundatur tan-tum in probabili conjectura , argumentis contra-riæ ſententiæ nonaminenti , eo vel maxime , quod ignoremus , quale iſtud B. Marci Pallium ex refe-rend. n. 12. fuerit.

11. Illud certum eſt , tempore S. Gregorii , & Juſtiniani Imperatoris , ſeu Sæculo VI. in utra-que Eccleſia uſum Pallii viguiſſe.

De eo ſiquidem frequens eum in Gregorii Epi-ſtolis , quarum plura Fragmenta exſtant apud Gra-tianum diſt. 100. tum in Juſtiniani Novellis oc-currit mentio.

12. Pallium hactenus deſcriptum non fuit prio-ribus Sæculis omnibus Epiſcopis ſive Græcis , ſive Latinis tanquam propria eorum veſtis tem-pore ſuæ Ordinationis communicatum ; ſed fuit

peeu-

peculiare Metropolitanorum, & his majorum ornamentum.

Id colligitur ex ſynodi Oecomenicæ VIII. A. 870. celebr. Can. 27. apud Colet. Tom. 10. col. 650. ubi habetur: *Secundum traditas formas per ſingulas Provincias, ac Regiones, & Urbes in Eccleſiaſticis promotionibus, & conſecrationibus illa, quæ indicia & ſigna ſunt ordinis, qui unicuique ineſſe videtur, retineri decernimus; ut Epiſcopi, quibus conceſſum eſt Palliis uti certis temporibus, in eiſdem temporibus & locis iis induantur, & tali ac tanto non abutantur amictu propter Typhum & inanem gloriam.* Non ergo Epiſcopis omnibus fas erat uti Pallio, & quidem ſecundum *traditas a Prædeceſſoribus formas.* Hactenus dicta confirmantur ex ejuſdem Concilii can. 17. in quo Metropolitæ a quatuor Patriarchis dicuntur promoveri ad Metropoliticam dignitatem ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem; ſuperflue enim dediſſent Pallium Metropolitis, ſi hi illud jam habuiſſent ut Epiſcopi. *Duplex igitur videtur diſtinguendum Pallium apud Græcos,* inquit Thomaſſinus: *unum quod totum obvolvebat corpus Cappæ inſtar, a collo ad talos uſque ſine manicis, ſciſſuriſque ullis, & eo ſolùm parte apertum, quo poſſet caput inſeri, exerique, & de hoc videntur intelligenda illa, quæ Pallium exhibent, ut Epiſcoporum Græcorum Inſigne, omnibus commune, quippe illis datum a Metropolitano in ſuo ordinatione. Alterum, de quo hic proprie loquimur, ſeu lorum illud, faſciaque quatuor circiter pollices lata, crucibuſque diſtincta, quæ cingit collum, & ante pectus defluit ſupra caſulam, pendetque infra genua, & de iſto intelligenda videntur illa teſtimonia, quæ ſuadent Pallium apud Græcos non fuiſſe antiquitus omnibus Epiſcopis commune.* Correſpondet huic conjecturæ & utriuſque Pallii diſtinctioni atque deſcriptioni ex aſſe effigies S. Joannis Chryſoſtomi, copiata ex vetuſta admodum icone ejuſdem Sancti Conſtantinopoli olim depicta, ac ejuſdem operibus edit. Antwerpienſis de An. 1713. præfixa; in ea ſiquidem auteì otis oratorem ut Epiſcopum & Metropolitam utroque Pallio accurate juxta formam a Thomaſſino delineatam indutum hiſce conſpexi.

13. Pallio a Principibus primo decorati ſunt tantum Patriarchæ, qui ab iiſdem Imperatoribus impetravere primum eo donari Metropolitanos inſigniores, deinde omnes.

Prima pars aſſertionis conſtat ex eo, quod Eccleſiaſtica monumenta ſolos Patriarchas recenſeant iis in locis, ex quibus colligitur Pallium ab Imperatoribus datum fuiſſe; Metropolitas vero a Patriarchis miſſo Pallio confirmatos oſtendant. Legimus ſiquidem in Breviario Liberati lib. 1. c. 22. Anthimum Patriarcham Conſtantinopolitanum, ab Agapeto Sæculo VI. exauctoratum, Pallium reddidiſſe Imperatori, & ita diſceſſiſſe. *Videns ſe ſede pulſum, Pallium Imperatoribus reddidit, & diſceſſit.* Ei ergo reddidit, a quo illud acceperat. Et Gregorius M. per literas Imperatorum eodem Sæculo ſe interpellaſſe dicit lib. 1. ep. 27. *Ad Sebaſtianum Epiſcopum Rhiziniensem* apud Colet. tom. 6. col. 758. ut Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum, quem Antiochiæ conſiſtere vetabat, Romæ ſedere pateretur, conceſſo uſu Pallii. In Imperatoris ergo poteſtate & arbitrio erat, quandiu, & ubi Patriarchæ Pallio uterentur.

De ſecunda ita loquitur Thomaſſinus cit. p. 1. lib. 2. c. 53. n. 9. *Hoc autem pene indubitatum eſt, aliquot ſaltem Sæculis non ſine voluntate Imperatoris in Oriente Pallium, ſicut & in Occidente conceſſum fuiſſe Metropolitanis. Cum enim veſtimenti id genus initia Regium fuiſſet, eaque voluiſſent Imperatores, quæ eximia illorum erat & ſingularis pietas, regule Chriſti decorare Sacerdotium, hanc viciſſim illis per aliquot Sæcula pietatem, gratitudinemque rependit Eccleſia, ut illo præter eorum aſſenſum indueretur nemo.* Idque præter alia probat exemplo Vigilii Papæ, qui Auxanio Metropolitæ Arelatenſi Pallium miſit, requiſito conſenſu Juſtiniani & Theodoræ. *Oporteat*, inquit in ep. n. 10. relata, *fraternitatem veſtram inceſſantibus ſupplicationibus Deo noſtro preces effundere, ut DD. Filios veſtros Juſtinianum atque Theodoram ſua ſemper protectione cuſtodiat, qui pro his* (inter quæ etiam erat conceſſio Pallii) *veſtræ charitati mandandis pia præbuerunt devotione conſenſum.* Cum tamen ſubinde, videlicet ſæculo VIII. veſtes Sacerdotum a Laicalibus prorſus diſtingui inciperent, ſacræque evaderent, ac uſui civili ſubductæ, etiam Pallium non amplius ab Imperatoribus dari decuit, ſed a Pontificibus, vel Patriarchis, neglecto eorundem conſenſu. Eo vel maxime quod, utcumque etiam aliquando decorum fuerit, aut neceſſarium Imperatoris, aut Regis ante explorare voluntatem, & aſſenſum, quam uſus Pallii concederetur, non alia tamen magis, quam Apoſtolica authoritate concederetur; quemadmodum ex mox laudata Vigilii Epiſtola clare eruitur, in qua Pallium Arelatenſi Metropolitæ *B. Petri authoritate* concedit: *Pallium*, inquit, -- *B. Petri authoritate concedimus.*

14. In Eccleſia Latina Romani Pontifices primitus, ſeu uſque ad Sæculum VIII. non miſerunt Pallium niſi ad Metropolitas; eoque inſtituebantur in Papæ Vicarios; ac Primatum, Patriarchaliſque poteſtatis participationem ſupra Metropolitas alios aſſequebantur.

Ita Vigilius Papa ad exemplum Symmachi Prædeceſſoris ſui Sæculo VI. Auxanio Arelatenſi Metropolitæ Pallium mittit, viceſque ſuas per Galliam committit. Ita Vigilii Succeſſores tum Arelatenſibus, tum aliis Metropolitis Theſſalonicenſi, Hiſpalenſi, Cantuarienſi, Moguntino &c. Pallia cum Primatus, ac Vicariatus ſui prærogativa contulerunt, ut obvie loquuntur eorum monumenta.

15. Nonniſi Sæculo VIII. factum eſt, ut Pallium Metropolitani acceperint, qui meri Metropolitani manſerunt.

Id conſtat ex ep. 4. Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium hoc Sæculo ſcripta, apud Colet. Tom. 8. col. 237. in qua Grimoni Abeli, & Arberto, qui meri Metropolitani erant, Pallium largitur. Et ex Epiſtola S. Bonifacii ad Angliam directa in comperto eſt, Metropolitanos Galliæ An. 742. Pallium ab eodem Zacharia petiiſſe, & omnes eandem impetraſſe. Imo illud omnes Occidentis Metropolitæ erant adepti circa VIII. Synodi Generalis tempus, ſeu circa Annum 869. uti exempla plurima demonſtrat Thomaſſinus p. 1. cit. lib. 2. c. 56. quibus & eorum erroneam opinionem refellit, qui exiſtimant, quod prima omnium hæc Synodus neceſſitatem poſtulandi Pallii, & profitendi Romano Pontifici obedientiam Metropolitis inflixerit. Nec obſtat, quod Sæculi VI. fine a Gregorio M. duo in Angliam Pallia miſſa fuerint, unum Cantuarenſi, alterum Eboracenſi Metropolitæ, quem morem & ſervarunt ejus Succeſſores, cum tamen una Provincia tunc non ſoleret habere duos Vicarios Apoſtolicos; hi enim ex ejuſdem Pontificis inſtituto certa in ſe ſe mutua jura, & alternam quodammodo poteſtatem exercebant, adeoque neuter erat ſimplex Metropolita.

16. Simplices etiam Epiſcopi, & quidem antequam Pallium omnibus Metropolitis eſſet commune, & poſtea quoque, ſeu Sæculo IX. illud a RR. Pontificibus impetrarunt.

Illud

Illud miſit Gregorius M. ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum lib. 7. ep. 113. apud Colet. tom. 6. col. 1096. Et Aiglibertum Cenomanenſem Epiſcopum eo donatum An. 685. probat Contius. Sæculo IX. Actardo Nanoetenſi Præſuli Pallium conceſſit Adrianus II. Item Adalgario Auguſtodonenſi Joannes VIII.

17. Metropolitæ per conceſſionem Pallii Juriſdictioni Vicariorum Apoſtolicorum, & Epiſcopi poſt Sæculum IX. per eandem Juriſdictioni Metropolitanorum ſubducti ſunt, & Romanæ Sedi immediate ſubjecti.

Prima pars aperte colligitur ex Ep. S. Bonifacii ad Zachariam Papam, in ea ſiquidem legimus Sæculo VIII. in Gallia adeo fuiſſe collapſam, conculcatamque Eccleſiæ diſciplinam, *ut per tempus 50. annorum* (verba ſunt Bonifacii ibi) *Synodum non fecerint, nec Archiepiſcopum* (hoc eſt Vicarium Apoſtolicum Arelatenſem, is enim a ducentis retro annis unus erat Galliæ Archiepiſcopus) *habuerint*. Rogavit igitur Carolomannus Francorum Rex eundem Bonifacium, ut in Gallia Synodum congregaret, & Eccleſiæ diſciplinam poſtliminio revocaret. Quo in Concilio cum animadverteretur, quod cum ruina Primatus Arelatenſis & eadem corruerit, deliberatum fuit, an debeat peti novus Vicarius Apoſtolicus; an vero antiqua renovari conſuetudo, qua Summo Pontifici Metropolitani ſinguli ſine medio ſubjicerentur? poſtremum præplacuiſſe colligitur ex ejuſdem Pontificis Ep. 105. ad Angliam data, in qua habetur: *Omnes Epiſcopi debent Metrapolitano, & ipſi Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoſſibile eſt, notum facere*. Et Francos ſaltem poſt obitum Bonifacii ad illam veterem diſciplinam redire maluiſſe, dubitari haud poteſt. Itaque Metropolita quiſque ſuo quodam modo fiebat Primas, utpote qui nulli alio Primati ſubeſſet, ſolique Papæ ſubjiceretur. Novæ autem hujus libertatis & immunitatis ſignum aptiſſimum fuit Pallium. Et hæc quidem cauſa Epiſcopos Concilii, a Bonifacio celebrati, adduxit, ut Metropolitanis omnibus a Pontifice Pallia peterent; *decrevimus* ---, inquit Germaniæ Apoſtolus in prælaudata Epiſtola, *Pallia ab illa Sede quærere*.

Quantum ad II. partem, Epiſcopi, qui ante Sæculum IX. quandoque a Sede Apoſtolica Pallio decorabantur, per illud exemptionem a Juriſdictione ſui Metropolitæ non obtinebant, ſed ſolam præcedentiam inter alios ejuſdem Provinciæ Suffraganeos, cum honore Archiepiſcopi, ſeu Proto-Throni inter Epiſcopos; poſt Sæculum vero IX. gratia in propoſitione inſinuata Pallio, nudis Epiſcopis dari ſolito, annecti cœpit; uti variis exemplis probat Thomaſſinus cit. p. 1. lib. 2. c. 56. quæ ibi videri poſſunt. Inter alia adducit Privilegium Adriani II. Actardo Nannetenſi Epiſcopo cum uſu Pallii conceſſum, in quo legere eſt: *Sed Apoſtolicæ Sedis reſerveris tantum examinandus incunctanter arbitrio; cujus videlicet decreto, vel largitate vacanti Eccleſiæ incardinatus, vel palliatus eſſe dignoſceris*. Habetur hoc privilegium in Conciliis Galliæ Tom. II. pag. 434. Id igitur diſcrepantiæ inter pallium Metropolitanis Sæculo VIII. & ſequentibus miſſum, & illud, quod Epiſcopis dabatur, obſervare hic juverit: quod Metropolitani per illud ad priſtinum ſtatum, in quo erant *ante* Sæculum VI. quo leguntur a RR. Pontificibus inſtituti Vicarii Apoſtolici, id eſt, ad immediatam Papæ qua Occidentis Patriarchæ ſubjectionem redierint, Epiſcopi vero privilegium alias nunquam habitum obtinuerint, videlicet exemptionem a Juriſdictione Metropolitani.

18. In Eccleſia Græca Patriarchæ, poſtquam conſuetudo Pallium ab Imperatoribus accipiendi exoleviſſet, a Sede Romana illud accepere; aut ad minus de ejuſdem Sedis licentia a ſuo Conſecratore.

Id colligitur ex teſtimonio Luitprandi, qui circa Sæculi X. medium in Græcia legatione fungebatur, & eorum, quæ ibi agebantur, oculatus teſtis exiſtit; hic enim in ſua hiſtoria apud Baronium ad A. 935. teſtatur, Theophylactum Patriarcham Conſtantinopolitanum ſibi ſuiſque Succeſſoribus impetraſſe a Papa facultatem utendi Pallio, non expectata Romani Pontificis licentia; ergo prius tam ille, quam ejus Collegæ ad minus licentiam ejuſdem Sedis exſpectare debebant.

19. Hi nihilominus Patriarchæ Pallium ſuis Metropolitis ipſi conferebant; idque vel præſentibus, dum eos ipſi ordinabant, vel abſentibus, dum eos confirmabant.

Id aperte colligitur ex Synodi VIII. ſupra relatæ can. 17. ubi legimus: *Qua pro cauſa & hæc magna & S. Synodus tam in ſeniori & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ, ac Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari; ita, ut earum Præſules univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem*. Notanda hic *priſca conſuetudo*; ea ſiquidem Patres Conſtantinopolitani Sæculo illo indicare volunt, dudum Metropolitas a Patriarchis miſſo Pallio fuiſſe confirmatos.

20. Sæculi XIII. initio Patriarchæ Orientales a Sede Romana Pallium impetrare debebant, caſſatis Privilegiis N. 18. relatis.

Id ſtatutum eſt in Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. poſtquam Latini Conſtantinopolim, & Orientale Imperium ſuæ poteſtati ſubegere; in eo ſiquidem de dictis Patriarchis, cum Latina Eccleſia communicantibus, diſponitur: *Poſtquam a Romano Pontifice receperint Pallium, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis largiantur*, C. 13. de Privilegiis.

21. In Eccleſia Græca Sæculo X. uſus Pallii omnibus Epiſcopis communis factus eſt, quod in Latina nunquam evenit.

Id N. 18. laudatus Luitprandus ex ibi relato Privilegio, a Pontificibus Græcis Patriarchis conceſſo, manaſſe aſſerit: *mos inolevit*, inquiens, *ut non ſolum Patriarcha, ſed etiam Epiſcopi totius Eccleſiæ Palliis uterentur*. Quem morem nunquam irrepſiſſe in Eccleſiam Latinam res ipſa loquitur.

22. Olim palliandi in Perſona Romam ſe conferre debebant, nec ſufficiebat Procuratorem, qui illud ipſorum nomine reciperet, conſtituere.

Id auctoritate Pontificum ſuorum anteceſſorum decretum fuiſſe Sæculo XI. ſcribit Gregorius VII. ad Brunonem Veronenſem Epiſcopum. *Quam utique dilectionem tuam*, verba ſunt Pontificis, *in his, quæ a nobis expoſtulaſti, id eſt in Pallii conceſſione, ad præſens non recompenſamus, quia anteceſſorum noſtrorum decrevit authoritas, niſi præſenti Perſonæ Pallium non eſſe concedendum*. Hanc diſciplinam originem ſumpſiſſe ex ſuppoſititia Decretali ab aliis Damaſo, a Gratiano Pelagio adſcripta, & relata diſt. 100. c. 1. notat Thomaſſinus. Ea nihilominus ob varia incommoda hodie ſublata eſt, dum diſſiti Epiſcopi per Procuratores Pallia petunt, & Petrus Damiani lib. 7. ep. 4. advertit, dum ea vigeret, Pallium a RR. Pontificibus ad plurima loca fuiſſe tranſmiſſum per Nuntios, tanquam Apoſtolicæ Sedis Legatos.

23. Metropolitæ debent Pallium inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime petere.

Hæc petitionis forma fundamentum habet in ipſis Sæculis, quibus Pallii uſus incœpit, & in-

va-

valuit. Nam S. Gregorius Sæculo VI. ſcripſit: *Priſca conſuetudo obtinuit, ut honor Pallii, niſi exigentibus meritis*, & fortiter *poſtulantibus dari non debeat*.

24. Metropolitæ utriuſque Eccleſiæ jam olim nec Pontificalia munera, nec alias functiones Archiepiſcopales obire poterant ante receptum a ſuis reſpective Patriarchis Pallium.

De Eccleſia Latina habemus luculentum Teſtimonium Nicolai Papæ Sæculo IX. ſedentis, qui in reſponſione ad Bulgaros cap. 73. affirmat, receptiſſimum jam ſuo tempore eum fuiſſe toto orbe Chriſtiano morem. En ejus verba: *Archiepiſcopum Epiſcopi ſimul congregati conſtituant. Sane interim in Throno non ſedeutem, & præter Corpus Chriſti non conſecrantem, priuſquam Pallium a Sede Romana recipiat. Sicut Galliarum omnes, & Germaniæ, & aliorum Regionum Archiepiſcopi agere comprobantur.* Eum vero morem ex Græca Eccleſia in Latinam derivatum fuiſſe, vanam non eſſe opinionem conjicit Thomaſſinus cit. p. 1. lib. 2. c. 57. N. 7. cum œcumenicæ Synodi VIII. verbis ſupra relatis innuatur; Metropolitanos omnino omnes ſuæ dignitatis cumulatiſſimam plenitudinem jam accepiſſe, aut ab ipſomet ordinatos Patriarcha, aut *Pallio ab eo accepto*. Ea autem œconomia uſi ſunt RR. Pontifices, aliique Patriarchæ, maxime per Orientem, ut vel ſuam in Metropolitanos poteſtatem in famoſo illo ſexto canone Nicæno ipſis tributam (N. 72. h. t.) hoc præſidio ſtabilirent; vel Metropolitani hoc, quidquid eſt, conſuetudinis, ſponte ſua invexerunt eo tempore, atque corroboraverunt, quo tanto ſervebant Pallii deſiderio.

25. Solus Papa in Miſſarum ſolemniis, id eſt Solemnitatibus, ut notat ibi Gl. Marg. Semper & ubique Pallio utitur; alii vero nonniſi certis & temporibus & locis.

Utraque pars determinatur c. 4. de authoritate & uſu Pallii: ubi Innocentius III. & rationem hujus differentiæ aſſignat; quoniam, inquiens, R. Pontifex aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ Poteſtatis; alii autem in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis vocati. Cæterum hanc limitationem ad certa tempora etiam apud Græcos Sæculo IX. receptam fuiſſe colligitur ex ſupra laudato can. 17. Synodi VIII. utpote in quo ſancitur, ut deſignati ad ſuperhumeralia (id eſt Pallia) geſtanda Epiſcopi *certis, ſtatiſque temporibus* —— *& locis* ea geſtent. Quibus autem locis geſtari poſſit Pallium, determinatur in c. 1. hoc tit. & tempora enumerantur a Gl. in ejuſdem tituli c. 4. & fuſius in Pontificali Romano. Quam vero ob cauſam ex Eccleſiæ præſcripto nonniſi inter Miſſarum ſolemnia uti Pallio Antiſtites poſſint, ex teſtimonio Iſidori Peluſiotæ N. 10. a nobis relato explicat prælaudatus Catalanus cit. c. §. 3. n. 4. inquiens: *Cum itaque ex recitato Iſidori teſtimonio laneum Pallium perditam Ovem ſignificet, hæc autem reperta non eſt, niſi per cruentum Crucis Sacrificium, jure ac merito Epiſcopi Redemptorem noſtrum, ac Ovis portitorem, Chriſtum Dominum repræſentantes, Pallio niſi in incruenta Sacrificia Altaris uti non poſſunt; & ſi alicubi dicatur uti poſſe Pontificem Pallio, cum Epiſcopos conſecrat, vel Eccleſiam dedicat, intelligendum id cenſet Gonſalez in cap. Cum ſis 6. de auth. & uſu Pallii, quia memoratæ functiones inter Miſſarum ſolemnia peraguntur. Et hinc juxta præſcriptum Cæremonialis Epiſcoporum c. 16. Pallium dum Archiepiſcopo imponitur, ſemper imponitur ſuper planeta, in qua ſacrificatur.* Reprehenditque idem Commentator ibi §. 5. n. 6. pictores illos, qui Sanctos Archiepiſcopos contra Eccleſiaſticum ritum pingere ſolent cum Pluviali & Pallio, & aliquando etiam cum Pallio ſuper monaſtico habitu, quem juxta inſtitutum, quod ante Pontificatum profeſſi fuerant, geſtabant.

QUÆSTIO DOGMATICA.

An uſus Pallii ſit Cæremonia Rationabilis?

26. Clariſs. Wolfius parte 2. *Philoſophiæ practicæ Univerſalis* de Cæremoniis tractans §. 450. hæc ſcribit: *Elucet hic denuo neceſſitas notionum diſtinctarum, ſi circumſpecta deſiderentur judicia, quæ nullibi fere magis deficiunt, quam ubi de cæremoniis feruntur. Quotquot enim ſunt, qui ſatis diſtincte perpendunt, quid ſibi velint Cæremoniæ? pleriſque nonniſi quædam, eaque parum determinata eſt Cæremoniarum notio, ut tantum non omnes in numerum Ludicrorum referantur.*

27. Hiſce coloribus multorum Proteſtantium noſtri temporis ingenia ad vivum depingi nemo non videt. Quot enim ſunt ex illorum Scriptoribus, qui ex defectu limpidæ notionis, & circumſpecti Judicii Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cæremonias canitie licet priſcorum ſæculorum venerandas inter Ludicra non referant, Zoilique dente non arrodant, blaſphemantes quæcunque ignorant?

28. E horum grege non poſtremus fuit Molinæus lib. *de Paſtorum vocatione*, ubi inter alios Eccleſiaſticos ritus etiam uſum Pallii fidenter irridet. Hunc præſenti diſſertatione refutabimus Deo auſpice. Ut autem Dominis Proteſtantibus minus ſuſpecti ſimus, quamvis domeſticis tractatoribus de ſacris Cæremoniis omni exceptione majoribus abundemus, nihilominus ex ejuſdem præclari authoris opere relato primo quædam de utilitate & neceſſitate Cæremoniarum in genere deflorabimus, ex quibus fore confidimus, ut vel ipſi Domini Proteſtantes perſpiciant, quam longe aliter egregius iſte & cordatus illorum Philoſophus de illis ſentiat, quam vulgo apud ipſos fieri aſſolet; deinde notiones claras & diſtinctas tum ingenuarum, tum ſpuriarum ex eodem ſubjungemus, ad quas (cum rationi conformes ſint, atque ex ipſa Cæremoniæ natura deductæ) uſum Pallii exigemus, juſtificaturi ex eiſdem data occaſione & alios Eccleſiæ Catholicæ ritus, & ſimul viſuri, an Papatus in ea, quam hactenus præfert forma, cum genuina Philoſophia & accurata cogitandi methodo ſubſiſtere poſſit, an vero his ſtantibus de ipſo conclamatum ſit? ut nimis impudenter effutiit nuperus Eccleſiæ Romanæ deſertor Roth Fuſcherus in ſua de ſuo ab hac Eccleſia ad Evangelicam, ut ait, tranſitu informatione, Lipſiæ anno præterlapſo evulgata. §. 69.

De Utilitate & Neceſſitate Cæremoniarum ex parte II. Philoſophiæ practicæ Univerſalis Illuſtriſſimi Baronis Wolfii.

29. Qui Cæremoniam inſtituit, omnimodam actionis rectitudinem intendit, —— atque adeo de Cæremoniarum utilitate, imo neceſſitate dubitare nequit, qui ad hunc finem animum advertit. §. 456.

30. Minus adeo probandum eſt, quod Cæremoniæ uſu receptæ minime explicentur, ut plerique earum ſignificatum ignorent, conſequenter uſum nullum facere poſſint, ut adeo abuſus tanto ſit facilior. Accidit hoc non culpa Cæremonias inſtituentis, ſed eorum, qui alios docere tenentur, quæ ipſis ad actiones ſuas rite determinandas neceſſaria ſunt. §. 457.

31. Cæremoniæ juvant exercitium virtutis, & fugam vitiorum. Inſignis prorſus eſt hic Cæremoniarum uſus, & major, quam putatur. Sunt enim homines in Cæremoniis obſervandis valde tenaces, quemadmodum conſtans omnium temporum,

rnm, & populorum experieotia loquitut. Quamobrem vix ſecurius tepetite ilcet medium, quo vittutis exetcltinm, & vitiorom ſuga facilitetur. Dubio procul hinc cæremoniarum uſum jam olim adverterunt Sinæ, qui cum omnia ad vitam recte agendam, & Rempublicam bene admioiſtrandam ditigerent, in multiplicandis cætemoniis omnem collocatunt opetam. —— Nec eſt, quod te moveat exceptio, quam exempla ſuggerent, quaſi homioes ita cæremoniis inhærere ſoleant, ut actionibus extetnis contenti parum curent internas, vel ea prorſus negligant, quæ ratio agenda præſctibit, id enim vel inde erit, quod cæremoniatum ſignificatum non doceantur, quemadmodum fieri debere demooſtravimus; aut non doceantur matnte, quemadmodum ſuo conſtabit loco. §. 460.

32. Etſi adeo cætemnniarum veſtitatum multo præclarior ſit nius, quam nudatum, ob quem eas nudit præferendas eſſe oſtendimus; caveodum tamen eſt, ne propterea nudæ prorſus damnentut. —— Qui alitet judicant, judicium præcipitant; in quod haud taro latens influit ambitio. §. 490.

33. Cæremoniarum cum lege naturali convenientiam, & ab ea manantem obligationem ad eas ioſtitnendas non capiunt, qui nimis abjecte de cæremoniis ſentiunt, eaſque rebus lodicris accenſent. Imo qui eas protſus damnant, ac tanquam illicitat rejiciunt. —— Probe igitut conſiderandum, cæremonias, ſi recte ſe ſe habeant, eſſe medium bene & recte agendi. §. 501.

Notiones Generales Cæremoniarum deductæ ex ejus definitione ab eodem Authore, eodem Libro.

34. CÆremoniæ ſunt ſigna eorum, quotum in executione propoſiti alicujus meminiſſe debemus.

Ita prælaudatus Philoſophus definit cæremonias, cujus definitionem exemplo ejuſdem declaramus. Qui veri Doctoris partes omnibus numeris adimplete intendit, is debet habere propoſitum duplex, nimitum ſibi ſoli non ſapere, ſed etiam quid alii ſentiant, ioquirete velle; & demum cœco aſſenſu aliorum non amplecti ſententiam authoritatis præjudicio. Hoc itaque duplex propoſitum juge *exequi*, ſeu in praxim mittere debet Doctor, ſi rem cum nomine meteri velit; ut autem id præſtet, ejuſdem propoſiti *meminiſſe* opottet. Ad juvandam autem memoriam in promotione ſua accipit *ſignum*, videlicet librum nunc clauſum, nunc apertum. Eſt igitur liber nunc clauſus, nunc apertus ſignum eorum, quorum io executinne propoſiti ſui meminiſſe debet Doctor, adeoque cæremonia.

35. Si Cæremoniæ dijudicandæ, primo perpendenda ſunt ea, quorum in dato negotio meminiſſe debemus. Secundo inquitendum eſt, num per Cæremoniam iſtam nobis in memotiam quid revocetur, cujus ſacile obliviſci poteramus. Quod ſi enim hoc obtinet, Cæremoniæ tationi conformes ſunt. §. 444.

36. Si, quod Cæremonia in memotiam revocate debet, id ad negotium animum advertenti per ſe patet, Cæremonia ſuperflua eſt. §. 445.

37. Quod ſi Cæremonia aliqua in ſututum uſum adhibetur, ea ſuperflua cenſeti nequit; etſi in præſenti negotio nullum oſum habeat. §. 446.

38. Si Cæremonia aliena a præſenti negotio in animum revocat, & attentionem ab iis, quæ agenda ſunt, ad ea trahit, abſurda eſt. - Abſurditas enim in contradictinne conſiſtit. §. 450.

39. Cæremonias unicuique in ſuum uſum inſtituere licet, niſi inſtituwo pugnet cum officio qoodam erga alios. §. 454.

40. Cæremoniæ conſiſtunt vel in aliqua actione, vel in aliquo alio ſeoſibili. Si actio aliqua externa, vel ſenſibile quoddam aliud in memoriam revocat ideam aliquam, quæ in appetitum, vel averſationem, cui actio quædam tunc committenda, vel omittenda reſpondet, influit; Cæremonia juvat commiſſionem actionis, ſeu in cauſa eſt, ut actionem hanc committas vel omittas. §. 459.

41. Cæremoniæ nudæ (ſeu tantum ſignificativæ) ſunt, quæ tantummodo ſigna ſunt eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debemus. Snnt autem veſtitæ (ſeu ſimul exhibitivæ), quæ in ipſam præterea actionum determinationem influunt. §. 462.

42. Si Cæremonia nullo fine adhibetur, nulla eſt. §. 462.

43. Quoniam Cæremoniæ ſeſe habent ad actiones per modum medii ad finem, ſi veto finem intendere non licet, nec mediis uti licet ad finem conſequendum deſtinatis, ejus conſequendi gratia; ſi actiones, quibus Cæremooiæ inſerviunt, illicitæ ſunt, nec Cæremoniis eatum gratia uti licitum eſt; conſequentet Cæremoniæ ſunt illicitæ, quatenus ſunt Cætemnniæ huic actui deſtinatæ. §. 468.

44. Quia Cæremoniæ illicitæ ſunt, quæ actui illicito inſerviunt, ſeu ejus gratia adhibentur; ſi Cæremoniæ bono fine introductæ imponitur ſignificatus illicitus, ſen actus illiciti gratia adhibetur, — Cæremonia licita in illicitam degenerat. 469.

45. Si Cæremoniæ, quæ in actu per ſe minime illicito conſiſtit, ſed finis illiciti gratia introducta, imponatur ſignificatus licitus, ſen ea ad actum licitum adhibetur, illicita non eſt. §. 470.

46. Quoniam Cæremoniæ ſe habent ad actus, quibus ioſerviunt, per modum medii ad finem, ſi Cæremonia in actu illicito conſiſtit, quæ ad actum bonum adhibetur, illicita eſt. §. 472.

47. Si Cæremonia conſiſtit in actu indecoro, vel illum ſignificat, indecora eſt, & rejicienda. §. 480. & 482.

48. Cæremonia apta dicitur, ſi ex ipſo negotio, in quo adhibetur, reddi poſſit ratio, cur hac potius re, vel hoc actu ad aliquid ſignificandum utamur, quam alia re, vel actu alio. Inepta veto appellatur, ſi ex ipſo negotio, in quo adhibetur, nulla apparet ratio, cur hæc res, vel hic actus ad aliquid ſignificandum adhibetur. §. 483.

49. Si in notione rei vel actus, qui ad ſignificandum aliud quid in dato negotio adhibetur, continetur ratio, cur id ſignificet, Cæremonia dicitur conveniens. Quod ſi vero io re iſta, vel actu iſto continetur quidpiam, quod contratiatur ſignificatui, ſeu ratio ſignificatus contrarii, Cæremonia inconveniens appellatur. §. 485.

50. Si in Cæremoniis nil deſiderari debet quoad ſignificatum earundem determinandum, & aptæ, & conveoientes eſſe debent, ſeu aptæ & convenientes ſimul. §. 488.

51. Cæremonias de præſenti vocamus, quæ nobis in memoriam tevocant quidpiam, cujus nunc maminiſſe debemus, vel etiam in determinationem actus præſentis quomodocunque influunt. Cæremoniæ autem de futuro a nobis appellantur, quæ nobis memoriæ inſigunt quidpiam, cujus poſthac recordari debemus. §. 491.

52. Si Cæremonia debet eſſe recta, in ſignificatus impoſitione nil deſiderari debet ex parte intellectus, voluntatis, & noluntatis. §. 499.

53. Si Cæremoniæ uſu tollitur vel diminuitur jus perfectum alterius, vel uſus ejus quomodocunque impeditur, Cæremonia injuſta eſt. §. 505.

54. Si vero —— jus imperfectum, iniqua eſt. §. 506.

55. Si qua Cæremonia majorem admittit abuſum, quam uſum habet, ab ea abſtinendum. §. 508.

56. Scholion Authoris. Multa cautione opus eſt, ne in principio hoc applicando aberres. Fieri enim poteſt, ut abuſus quidem vincat uſum vitio eorum, qui Cæremonia uti debent, ſed quod corrigi poteſt, ut abuſus omnis tollatur, & impoſtarum præcaveatur. Hæc ille. Jam ad noſtra redeundo,

57. Ex dictis N. 10. liquet, Pallio Epiſcopali jam Sæculo V. inditum fuiſſe ſignificatum ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit: qua ſignificatus Epiſcopum ſui muneris admonere debere. Præterea ex formula traditionis ejuſdem, hodie in Eccleſia Latina conſueta, colligimus, Pallium inſuper ſignificare *plenitudinem Pontificalis Officii* in eo, cui confertur, qui propterea Patriarchæ, vel Archiepiſcopi nomen una ſortitur. Ex eo vero, quod vi ejuſdem formulæ Pontifex in Miſſarum ſolemniis Pallio ſemper & ubique utatur, Patriarchæ vero & Epiſcopi intra Eccleſiam ſuam, & certis tantum diebus, quemadmodum N. 25. notavimus, ſignificatus plenitudinis Pontificalis Officii, quem Pallium ſecundum ſe exprimit, reſtringitur ad indicandam vocationem in partem tantum ſollicitudinis, quæ major ſit Epiſcopali, minor Papali. c. 4. h. t. Eſt ergo ſignificatus Pallii Cæremonia, ſeu ſignum eorum, quorum Palliatus in executione propoſiti ſui tam erga ſe, quam erga ſubjectas oviculas, ſubordinatos Epiſcopos, ac tandem erga Romanum Pontificem meminiſſe debet.

PROPOSITIO.

Uſus Pallii eſt Cæremonia Rationabilis.

58. PRobatur. Illa Cæremonia eſt rationabilis, quæ nullo vitio ex adductis in notionibus Cæremoniarum laborat; ſed uſus Pallii nullo ex his vitiis laborat; eſt igitur Cæremonia rationabilis. Minor propoſitio adſtruitur. Signum, quod ordinem & unionem in Hierarchia Eccleſiaſtica exprimit, atque illos, qui eo donantur & utuntur, Officii ſui admonet, inſuper ad hæc exprimenda, & illud commemorandum aptum & conveniens eſt, nec ſuperfluitatem, injuſtitiam, vel iniquitatem involvit, nullo ex adductis vitiis laborat: ſed Pallium, ſeu uſus Pallii eſt ſimile ſignum; nullo proinde ex dictis vitiis laborat. Minor propoſitio jam operoſius ſtabilienda. Imprimis itaque Pallium apte de corpore B. Petri ſumitur, & candidato per Summum Pontificem vel ejus Delegatum confertur, cum ex ipſo negotio unionis candidati cum Eccleſiæ Capite, atque ſubordinationis ejuſdem ad illud (quod tunc intenditur) (1) ratio reddi poſſit, cur Pallium ſumatur de corpore B. Petri, & detur a Romano Pontifice potius, quam non, quod eſt eſſe Cæremoniam aptam. (N. 48. h. t.) Convenienter etiam ad hoc ſignificandum de corpore B. Petri ſumitur, & a R. Pontifice confertur Pallium ex lana, non lino contextum, quia in laneo Pallio continetur ratio, cur ſignificet unionem & ſubordinationem inter *Paſtores* Eccleſiæ, quod eſt eſſe Cæremoniam convenientem (N. 49. h. t.). Ex eadem ratione ad exprimendum, Papam eſſe vocatum in plenitudinem Paſtoralis Officii, ſeu ad Regimen totius Eccleſiæ; Patriarchas vero & Archiepiſcopos in partem ſollicitudinis, ſeu ad Regimen particularium Eccleſiarum, apte ille pallio utitur ſemper, & ubique in Miſſarum Solemniis, hi vero nec ſemper, nec ubique. Nihil etiam prohibet, quod in Hierarchia Eccleſiaſtica Epiſcopi aliis dignitate vel juriſdictione eminentiores, quales in Nicæno Concilio indicentur Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus; aliquo ſigno exteriori ab his diſcernantur, cum id in qualibet bene ordinata Republica ſolemne ſit, quam diſcretionem apte & convenienter per Pallium fieri ex dictis in aprico eſt. Quæ proinde impugnari nequeunt, niſi negando Primatum Petri, & Ordinem Hierarchicum in Eccleſia, quod huc non pertinet, cum ſupponatur.

59. Præterea Pallium, ſeu etiam uſus ejus Cæremonia quam maxime conveniens eſt ex eo, quod vi materiæ ſuæ & formæ geſtantem admoneat eorum, quorum in executione propoſiti meminiſſe debet. Audiatur Clemens II. ad Joannem Salernitanum. *In quo Pallio*, inquit, *quia de vellere ovis eſt, intellige te ipſum Paſtorem, & quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoſcas, & undique circumſpicias, ne aliqua erret, & in morſus incidat luporum. Quod ſi aliquando, quod abſit, contigerit, eam debes in humeros ad caulam reportare & priſtinæ ſocietati condonare. Quod vero & ante, & retro Crux Domini habetur, illud Apoſtolicum ſemper docet ante oculos mentis habere: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.*

60. Solemnitates etiam, quæ in oblatione Agnorum, Palliique confectione, & benedictione adhibentur, nequaquam irrationabiles ſunt, cum per eas dignitati, atque exiſtimationi tanti veſtimenti apud plebem Chriſtianam maxime conſulatur. Alias irrideamus etiam, per me licet, ſolemnitates militares in erectione Vexillorum, &c. Nec ſuperflua hæc omnia ſunt, cum faſti Eccleſiaſtici nos heu nimis perſuadeant, Romanos Pontifices propoſiti ſeu officii ſui in univerſam Eccleſiam, Patriarchas & Archiepiſcopos propoſiti ſeu officii ſui erga Romanos Pontifices in obtemperando, erga Suffraganeos in præſidendo, erga Diœceſes ſuas in paſcendo facile obliviſci poſſe, proin per pallium, vel collationem, aut uſum ejus horum officiorum rationabiliter commonendi. Notent igitur Domini Proteſtantes ſaluberrimas illuſtriſſimi & valde cordati Domini Baronis cautelas in dijudicandis Cæremoniis, & caute impoſterum dentem in eas figant. Sed audiatur Molinæus.

Calumniæ Molinæi exploduntur, aliæque nonnullæ difficultates expediuntur.

61. CAlumnia I. Pallii uſus eſt ſuperſtitioſus, execratam enim Gentilitatem redolet; ſolemne namque fuit apud Gentiles, quod vir ſuper mulierem ducendam in uxorem Pallium extenderet, ut innuit Euripides, dum patrem filiam nuptui traditurum ſic affatur: *Cum ſub egregii viri pallium veneris, reliqua ſtudia viro ſinito.* Hanc autem execratam Gentilitatem imitantur Papiſtæ, dum Archiepiſcopum cum Eccleſia deſponſant, ſed inverſo ordine ſupra Sponſum pallium reponunt.

62. Reſpondeo I. Calumniatori probandum incumbere, Eccleſiam hunc Gentilium ritum ſibi imitendum ſumpſiſſe in conceſſione Pallii; in iis quidem, quæ de ipſo in præſenti diſſertatione adnotavimus, ne veſtigium hujus adoptionis apparet.

63. Reſpondeo II. ex Illuſtriſſimi Baronis Wolf Philoſophiæ practicæ univerſalis p. 2. §. 470. Molinæum cum aliis plurimis falli, dum ſibi perſuadent, recte damnari Cæremonias, ubi oſtendi poteſt, eas a Gentilibus eſſe deſumptas. *Etenim ſi Gentiles*, verba ſunt Authoris, *alio fine Cæremonias iſtas introduxerant, alio autem eaſdem receperunt Chriſtiani, modo actus, in quibus conſiſtunt, per ſe illiciti non ſint, nil eſt, quod in iis reprehen-*

(1) Paſchalis II. ad Archiepiſcopum Panormitanum: *Cum a Sede Apoſtolica veſtem inſignia dignitatis exigitis, quæ a Beati Petri tantum corpore aſſumitur: juſtum eſt, ut vos quoque Sedi Apoſtolicæ ſubjectionis debitæ ſigna ſervetis, quæ vos cum B. Petro tanquam membra de membro hærere, & Catholici Capitis unitatem ſervare declarent.*

Digitized by Google

bendas; nec ratio iſta, quod Gentiles iiſdem fuerint uſi, ſufficit, ut eaſdem damnes; quoniam ſignificatus, qui actui cuidam tribuitur, Cæremoniam facit, actus vero in ſe ſpectatus Cæremonia non eſt; nec dici quidem poteſt, Chriſtianos uti Cæremoniis, quibus uſi Gentiles. Actus communis eſt, non Cæremonia, conſequenter cum is minime illicitus ſit per Hypotheſim (& in caſu revera), non quod illicitum, ſed quod licitum eſt, Chriſtiani cum Gentilibus commune habent. Eo hæc primo in calumnia obeſam Molinæi de Cæremoniis ideam. Sed non minus pinguis eſt altera ſimilis, dum ait uſum Pallii ex corruptis, inanibuſque Judaicis fontibus emendicatum; legimus enim Booz extendiſſe Pallium ſuum ſuper Ruth, quam ſibi deſponſare intendebat. Ruth *3. v. 9.* Eſto enim id concederetur ſomniatori, ex dictis tamen retunditur. Eo vel maxime, quod hæc extenſio Pallii tam apud Gentiles, quam Judæos etiam in ratione Cæremoniæ non erat mala, cum ſignificaret protectionem & curam a viro imposterum mulieri exhibendam. Aliæ autem ſunt rationes, cur Pallium Archiepiſcopale non imponatur Eccleſiæ, cui deſponſatur, ſed Archiepiſcopo; a nobis adductæ, & juſtificatæ.

64. Calumnia II. Inter ſuperſtitioſos ritus amandandi ſunt hi, qui novitatem ſapiunt; Pallii autem uſus nuperus eſt, ſiquidem de eo agitur in recentioribus monumentis, noviterque excogitatæ fuerunt ejus ſignificationes, atque a temporibus Innocentii III. lib. *1. de myſteriis Miſſæ* c. *63.* Pallium Sacramentis refertum enuntiatur.

65. Minus emuncta de Cæremoniis idea! eſt nova, igitur ſuperſtitioſa. Lex naturæ dat nobis jus inſtituendi Cæremonias, quæ ad bene & recte agendum faciunt, inquit Wolfius loc. cit. §. *503.* Lex naturæ dat nobis jus ſignificatum Cæremoniarum pro arbitrio amplificandi, inquit idem §. ſequenti. An novus ſit uſus Pallii ex hactenus dictis erui poteſt. Quod ejus ſignificatus nunc reſtrictior, nunc amplior fuerit in Eccleſia, arbitrii eſt inſtituentium tam lege naturæ, quam Chriſti, modo ex aliquo capite vitioſus non ſit.

66. Calumnia III. Per Pallium Romano Pontifici, & non Deo obedientia juratur; in ejuſdem quoque collatione dicitur, quod plenitudo poteſtatis Paſtoralis confertur, quæ tamen ſoli Chriſto convenit, adeoque eſt ritus Deo & Chriſto injurius (N. 53. h. t.), hinc tollendus.

67. Tollenda ergo ex mente Molinæi Juramenta Militum, & Vaſſallorum Regibus, non Deo præſtari ſolita. Zoilei non tantum Deo, ſed etiam terrenis poteſtatibus obediendum eſt, & ſi effreni libertati in Officio continendæ repagulum Legum impar eſt, Divini Nominis Religione eſt coercenda. *Hac nimirum mala, ac neceſſitate*, ſcribit Paſchalis II. ad Archiepiſcopum Polonum, *compellimur juramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere*. Vide N. 76. h. t. Secundum membrum allatæ calumniæ imperitius eſt primo; ſupponit enim Eccleſiam Pallio indidiſſe ſignificatum *poteſtatis plenitudinis Chriſti*, cum Romani Pontifices Patriarchis & Archiepiſcopis ne quidem plenitudinem ſuæ poteſtatis eodem conferre intendant, ut ex dictis patet.

68. Calumnia IV. Pallium eſt Cæremonia indecora, dedecet enim Miniſtrum Chriſti ornamentum, quod *non* præfefert humilitatem Chriſti. Tale autem Pallium eſt Archiepiſcopale. Nam Chriſto Pallium fuit alba veſtis, qua illuſus fuit ab Herode; & alia purpurea, qua contumelioſe a Pilati Militibus fuit circumdatus: Pallium Archiepiſcopale ex perfectiſſima lana contextum eſt, ſericis crucibus adornatum.

69. En notionem præclaram Cæremoniæ inde-
cotæ ſupra ex Wolfio deſcriptæ (N. 47. h. t.). Pallium hoc ex perfectiſſima lana contextum eſt, & ſericis crucibus adornatum; ergo res indecora. Decora ergo eſſet Cæremonia, ſi Paſtores Eccleſiæ joculari purpura, vel candido centone contumelioſe in ſua inauguratione veſtirentur, quaſi vero Chriſto hac inveſtitura non foret atrociſſima injuria irrogata, quæ inſuper ipſo mandante in primarios ſuos Miniſtros continua ſerie prorogari deberet. Qui Eccleſiaſticam pompam carneis oculis aſpiciunt, dubio procul decipiuntur; nihil enim in illa ſpiritus mundi, nihil ſpiritus carnis ſibi vendicant, ſi finis, ſi circumſtantiæ eliquatis a præjudiciis oculis contemplentur. Veſtitus Aaronis in Exodo deſcriptus abunde valet ad intemperantium hominum dicteria retundenda. Nolo autem hic juſtificare exceſſum quorundam particularium hac in re, hunc enim non approbat, imo coercet S. Mater Eccleſia. Et hæc quantum ad Molinæum, cujus calumnias non ex fonte, ſed fide digno Authore Liberio a Jeſu Carmelita diſcalceato tomo 5. ex poſthumis, ubi hanc materiam ſua pertractat methodo, excerpſimus. Quædam adhuc diluenda ſuperſunt.

70. Objicies V. Pallium, ſive uſus ejuſdem videtur eſſe cæremonia injuſta; hujus enim novæ rei præſidio videtur Synodus VIII. Metropolitis ferreum illud neceſſitatis vinculum, quo a Papa Pallium petere, activitatem ſuam ab eodem præſtulari quodammodo, eique obedientiam præſtare coguntur, impoſuiſſe. Imo Romani Pontifices Metropolitanos Galliæ rei hujus novæ miraculo videntur obſtupefeciſſe, quæ initio magnifica, paulatim antiquam eorum libertatem per cuniculos infregit, & Synodorum Provincialium auctoritatem peſſumdedit; inquit Petrus de Marca l. 6. *de concordia Sacerd. & Imperii c. 6.* Idem neceſſitatis petendi, & obedientiam profitendi jugum per Pallium ipſis Patriarchis a Romanis Pontificibus impoſitum videtur.

71. Ut ordine procedamus, retundendum eſt primo allatæ objectionis membrum primum, quod eſt ſententia nonnullorum, quos tacito nomine refert Thomaſſinus de diſciplina Eccl. p. 1. l. 2. cap. 56. N. 8. quod priuſquam fiat, adnumero fragmentum Canonis 17. laudatæ Synodi VIII. in quo Adverſarii vim ponunt, ex Col. To. X. Concilior. col. 643. ſequentis tenoris. *Sancta & univerſalis Nicæna prima Synodus* (Canone ſexto) *antiquam conſuetudinem jubet ſervari per Ægyptum, & Provincias, quæ ſub ipſa ſunt, ita ut horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens: quia & in Romanorum civitate hujuſmodi mos prævaluit: qua pro cauſa & hæc magna & Sancta Synodus tam in ſeniori & nova Roma, quam in Sede Antiochiæ ac Hieroſolymorum, priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſervari, ita ut earum Præſules univerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promoventur, & ſive per manus impoſitionem, ſive per Pallii dationem Epiſcopalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant poteſtatem, videlicet ad convocandum eos, urgente neceſſitate, ad Synodalem Conventum, vel etiam ad coercendum illos, & corrigendum, cum fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſaverit.* Hoc Canone in favorem adverſariorum nil extundi poſſe patet I. quia illo non præcipitur Metropolitanis, ut Pallium poſtulent: ſed tantum ut Patriarchæ Concilio ſe ſiſtant Metropolitæ, a quo vel ordinati ſunt non ſine largitione Pallii, vel miſſo Pallio confirmati. Ergo nihil novi Juris hic conditur, ſed receptæ conſuetudini novum robur accedit. II. Idipſum conceptis verbis profitetur Synodus, -*priſcam conſuetudinem decernendo in omnibus conſervari*. Si ergo a Concilio Nicæno quarto Sæculo Patriarchalis Juriſdictio

in Metropolitanos Alexandrino, & Antiocheno Epiſcopo ad exemplum Romani Pontificis, qua Patriarchæ Occidentis, fuit non data, ſed confirmata tanquam antiqua, hoc eſt primorum Sæculorum conſuetudo, id quod ſolum vult famoſus ille 6. canon hujus Concilii, de Pontificia authoritate in univerſalem Eccleſiam nihil diſponens, ut ſuo tempore & loco contra miſere illum lacerantes tam noſtros, quam heterodoxos, monſtrabimus: quare hujus juriſdictionis ſignum aliquod conſtitui nequiit? & cur in Eccleſiæ Catholicæ Syſtemate Romanus Pontifex ex eadem ratione etiam erga Patriarchas hacce œconomia uti non potuit, cum ille ſit Primas Eccleſiæ? Per quod patet ad tertium membrum.

72. Quod autem ſententiam Petri de Marca attinet, illa graviter propterea ab aliis viris doctis, & cordatis reprehenditur. Falſiſſimum enim eſt RR. PP. per uſum Pallii Galliarum Metropolitis libertatem juſtam abripere voluiſſe. Nam ut exemplis luculentiſſimis oſtendit Natalis Alexander *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sæc. IX. & X.* c. 5. art. 2. Adrianus I. & ejus tum Anteceſſores, tum Succeſſores, Pallia Gallicanis Metropolitis non niſi ad ardentiſſimas preces Dynaſtarum & Regum Galliæ conceſſere. Et ex N. 15. h. t. conſtat, Metropolitanos Galliæ unanimiter a Romano Pontifice Zacharia Pallia petiiſſe, & omnes tandem impetraſſe, atque Romanæ Sedi obedientiam ad canonea revinctam profeſſos fuiſſe. An igitur credibile, Galliæ Dynaſtas, Reges, Imperatores, ipſos Metropolitanos tam obtuſæ mentis fuiſſe, ut poſteriores ſervitutem affectaſſent, priores cumulatis precibus eandem ipſis impetraſſent?

73. Huic reſolutioni obſtare videtur, quod ex geſtis S. Bonifacii ſuboſfacere liceat, Metropolitas Galliæ ad petendum a Romano Pontifice Pallium, eique jurandam obedientiam adactos fuiſſe; cum enim Franci ſtatuiſſent petere a Zacharia tribus Metropolitanis Rutomagenſi, Remenſi, & Senonenſi Pallia tria, quaſi præſagirent animo, quibus ſe induerent laqueis, petitionem diſtulerunt, idque moleſte tulit Pontifex, nec Bonifacius habuit, quo apud eum has moras excuſaret. Quæ omnia in ejus Epiſtola ad eundem Pontificem exprimuntur his verbis: *De eo, quod jam præterito tempore de Archiepiſcopis & de Palliis a Romana Sede petendis juxta promiſſa Francorum, Sanctitatis Veſtræ notum feci, Indulgentiam Sedis Apoſtolicæ flagito: quia quod promiſerunt, tardantes non impleverunt, & ventilatur, & quid inde perficere velint, ignoratur.* Quæ quomodo cum mox dictis cohæreant, non apparet.

74. Huic difficultati ſatisfaciet N. 17. hujus Tit. ex quo diſcimus, quam fuerint eo tempore profligatæ res Eccleſiæ Gallicanæ, ob quas Decretum de petendis Palliis a Sede Romana in Synodo ibi citata factum eſt, quo Metropolitani juriſdictioni Vicarii Apoſtolici ſubducerentur, & Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjicerentur. Et quia, inquit Thomaſſinus p. 1. lib. 2. c. 55. fortaſſis tribus enumeratis tantum initio illud poſtulaverant; deinde vero ſatius exiſtimaverint æquatis omnibus *Metropolitanis Pallia ab illa Sede quærere*, - ex voluntatis hujus mutatione, illa mora orta eſt, quæ anxios habuit Bonifacium & Papam. Nec magni momenti cenſeri debet hæc inſtantia ſoboſcura, cum alia exempla luce meridiana clariora N. 72. indigitata eam penitus elidant.

75. Pro coronide opponi poteſt communis Proteſtantium opinio; quod nempe Conceſſio Pallii hodie evaſerit in *Cæremoniam Simoniacam*, eo quod a Sede Romana Archiepiſcopis pro numerata pecunia vendatur. Hæc objectio mihi nuper Glacii facta eſt ab urbis patriæ Proconſule, Viro Juris ſane perito, mihique uſque ad aras amiciſſimo, ex Joannis Fleiſcheri Proteſtantis Juris Conſulti *manuductione ad Jus Canonicum Proteſtantium* Magdeburgæ A. 1729. typis teutonicis evulgata, ubi titulo 26. de *Pallio Archiepiſcoporum* §. 6. hæc ſcribit: *Primitus Pallium* gratis *concedebatur; at hanc œconomiam avaritia Pontificum immutavit. Ita quidem, ut tandem pro eodem oporteret ſolvi mille, poſt duo millia imperialium, hodie vero illud conſtat* 30000. *florenis Rhenanis. Hanc ob cauſam graves, præſertim in Germania natæ ſunt querelæ. Cum enim morte, ſive alia vocatione Archiepiſcopi interveniente, ejus Succeſſor Pallio Anteceſſoris uti nequeat, ſed novum redimere cogatur; facto computu prodiit, in ſolo Archiepiſcopatu Moguntino paucorum annorum curriculo hujuſmodi Pallii redemptionem* 175000. *florenos Rhenanos conſtitiſſe*. Citatque Goldaſtum tomo II. Conſtit. Imperiál. pag. 120. Seckendorfium hiſt. Luth. lib. 2. ſect. 7. §. addit. lit. a.

76. Huic objectioni, quæ Sedi Apoſtolicæ manifeſtam calumniam infert, dum Pallium ab illa Archiepiſcopis vendi ſupponit, efficaciter occurrit clariſſimus D. Joannes Caſparus Barthel &c. SS. Theol. & U. J. Doctor, Reverendiſſimi & Celſiſſimi Epiſcopi & Principis Herbipolenſis Conſiliarius intimus &c. in ſuis *Vindiciis Pallii Herbipolenſis*, Herbipoli 24. Auguſti Anno 1753. editis cap. ult. a N. 15. ad finem, quorum tenorem, cum melius aliquid ex propria penu adferre nequeam, huc tranſcribo.

77. Tandem Eccleſia Reſpublica quidem ſacra eſt, viſibilis tamen & exterior; non inter ſpiritus, ſed inter homines hac in terra conſtituta; unde, quamvis ſacra hæc Reſpublica mediis præcipue ſacris & ſpiritualibus, atque ad fines ſpirituales dirigatur, ſubſidiis tamen etiam temporalibus carere non poteſt. Et cum Eccleſiæ Miniſtri, Antiſtites, & ipſe Summus Pontifex ex hominibus aſſumpti ſint, humanis ſine mediis neutiquam ſubſiſtere poſſunt, de quibus ipſe Chriſtus iiſdem proviſum voluit, juxta illud Evangelii, Lucæ 10. v. 7. *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Et in eo Paulus Apoſtolus totus eſt, ut hanc temporalia Miniſtris Eccleſiæ ſubſidia præſtandi neceſſitatem inculcet, maxime 1. Corint. 9. verſ. 13. Ibi: *Neſcitis, quoniam, qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui Altari deſerviunt, cum Altari participant. Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? &c.* Hinc ſicut in Republica profana ejuſmodi tributa publica ejuſdem baſis & nervus ſunt, & pro ſuprema cura Principibus pendi debent; ita in Republica ſacra, quamvis hæc temporalia media nervus rerum gerendarum principalia non ſint, tamen veluti acceſſorium ſubſidium neutiquam excluduntur, & ſic Principibus quoque Eccleſiæ propter curam ſpiritualem negari non debent.

78. Attento equidem principio pariter ex oraculo Chriſti prodito: *Gratis accepiſtis, gratis date*: Matth. 10. v. 8. in capit. cum in Eccleſiæ 9. de Simonia, dicitur horribile nimirum eſſe, quod in Eccleſiis locum venalitas perhibeatur habere, ita ut pro Epiſcopis & Abbatibus, vel quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis ponendis in Sedem, ſive introducendis Presbyteris in Eccleſiam, nec non & pro Sepulturis & Exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, ſeu aliis Sacramentis aliquid requiratur. Verum in capit. *ad Apoſtolicam audientiam* 42. eod. tit. circa has easdem exactiones præcipitur pias obſervari conſuetudines, & eaſdem ex fermento hæreticæ pravitatis ſub prætextu Canonicæ pietatis per

Lai-

Laicos nonnullos infringi, vetatur. Unde colligitur, quod circa has temporales præſtationes in Eccleſia, quatenus ſub diverſa facie, & diverſis obtutibus ſpectantur, diverſum ſit judicium. Non diſpari ratione Annatarum exactio diverſa ratione, & variis obtutibus ſpectata, Simoniæ damnabatur, & ab omni Simoniæ ſuſpicione immunis judicabatur: damnabatur ut Simonia, cum nondum exploratum erer, eas vero, reali, & legitimo ſubventionis, ſive ſubſidii titulo e Romano Pontifice exigi, & eidem ſolvi, ſed vel pro electionum ſacrarum confirmatione, aut propter aliorum miniſteriorum ſpiritualium collationem; a vitio Simoniæ vero liberæ judicabantur, & etiamnum judicantur, ſi exigerentur, ac ſolverentur, uti exiguntur ſolvunturque modo, & ab annis retro pluribus exactæ ſunt & ſolutæ, vero titulo ſubventionis, accedente præſertim & ab omni ſpecie Simoniæ liberante Eccleſiæ, Imperatoris, Regum, & Principum Imperii tam Eccleſiaſticorum, quam Sæcularium in concordatis publicis expreſſo conſenſu.

79. Simile judicium olim formabatur de ita vulgo & abſolute hodie dicta Pallii redemptione; & ex eo, quod Summi Pontifices perſuaſum ſibi habuerint, Sedis Apoſtolicæ favores pretio vendendos non eſſe, graviſſimæ Simoniæ deputabant temporale aliquod emolumentum pro inſigniori Sacræ & Pontificiæ dignitatis Ornamento per ſe, vel per ſuos Miniſtros recipere, ut ipſe Gregorius Magnus teſtatur in epiſtola 55. ad Joannem Corinthiorum Epiſcopum dete, & relata Can. Novit. diſtinct. 100. & can. ſicut Epiſcopum I. q. 2. *Antiquum Patrum Regulam ſequens*, inquit, *nihil unquam de Ordinationibus accipiendum eſſe conſtituo, neque ex datione Pallii.* Idemque judicium & huic conformem praxin perduraſſe etiamnum Romæ An. 744. patet ex reſponſione Zachariæ Papæ ad Sanctum Boniſacium data, ubi idem Pontifex proteſtatur, nullam ſe pecuniam unquam exegiſſe pro Pallii conceſſione, neque etiam pro chartis confirmationis, & veluti Simoniam abhorruiſſe, pretium aliquod recipere ratione Pallii in epiſt. 143. Quod idem fere repetit paulo poſt in eadem epiſtola, oſtendendo, quantum a Simoniaca hæreſi ſit alienus, quamque ei diſpliceat falſus rumor per Provincias contra Romanam Eccleſiam diſperſus. Quare cum illo tempore hæc datio rerum temporalium appareret veluti venditio rerum ſpiritualium, & tanquam injuria ipſis rebus ſpiritualibus, quæ pretio diſtrahi exiſtimabantur, illate, quamvis de ſe & ſub alio reſpectu Legi Divinæ & naturali adverſa non foret; jure merito extitit prohibita, eo quod ſuſpecta, ſcandaloſa, & piorum ac puſillorum etiam oculorum tunc temporis fuerit offenſiva, ut ab omni mali ſpecie abſtineretur.

80. Verumtamen aliud quoque, uti de Annatis, ita de præſtationibus Pallii modo formatur judicium, cum ſub alia facie & obtutu diverſo res hæc aſpicitur, & comperrom eſt, quod hæ præſtationes non veluti pretia & merces ſacræ inveſtituræ, quæ per conceſſionem Pallii de ſacra Dignitate tribuitur, exigantur & ſolvantur, ſed eodem vero & reali titulo ſubventionis vel ſubſidii propter ſupremam curam univerſæ Eccleſiæ Summo Pontifici incumbentem, nec non pro ſuſtentatione neceſſariorum Officialium propter commune eidem Summo Pontifici præſtandum conſilium & operam pendi ſoleant. Proinde ex dicto Chriſti oraculo, *Gratis accepiſtis, gratis date*, utique omnis venalitas, ſive mercatura Miniſteriorum ſacrorum, & eorum, quæ illuc pertinent, prohibita eſſe dignoſcitur; & ſit venalitas ſacrarum functionum in dicto cap. 9. de Simonia Epiſcopis & Parochis recte quidem reperitur inhibita; juxta alterum tamen ſacræ Scripturæ effatum, *Qui ſervit Altari, vivat de Altari*, occaſione harum functionum ex vero ſuſtentationis vel ſubſidii titulo eaſdem moderate exigere & recipere, tanquam pia & laudabilis conſuetudo perhibetur, & ſervanda omnino præcipitur. Aliud nimirum eſt vivere de Altari, aliud de Altari quæſtum & mercimonium facere. Sane ſicut Sacerdotibus juſtitiæ in Tribunalibus hæc quidem venalis eſſe nequit, non tamen idcirco uſus ſportularum ſemper illicitus & prohibitus eſt; ita quoque in Eccleſia ejuſdem Miniſtris & Antiſtitibus venalitas miniſteriorum & functionum ſpiritualium, aliorumque, quæ eo pertinent, veluti iniqua & ſimoniaca vetita, & damnata eſt; præſtationes tamen, quæ eiſdem vero titulo ſuſtentationis aut ſubventionis debitæ penduntur, ideo eo minus iniquæ ſunt, quod per has ad eccleſiaſtica miniſteria via non præcludatur dignioribus, aperiaturque minus dignis, uti nec per ſportulas judiciales Judicis indifferentia & impartialitas tollitur, ob cujus tollendæ periculum acceptio pretii & munerum potiſſime prohibetur.

81. Quæſtus equidem, abuſos, & exceſſus Adminiſtrorum vitio (ut fert humana conditio, maxime in ampliſſimis Curiis & in tanta Officialium multitudine) in ejuſmodi conceſſionum & gratiarum Apoſtolicarum indulgentia & literarum expeditione irrepſiſſe, & rurſus repullulaſſe etiam in materia Pallii, & ulterius ſuccreſcere poſſe non negatur; ſed hæc in ſummorum Pontificum invidiam detorqueri non debent: eoſdem enim vero ejuſmodi abuſibus, quantum humanitus fieri potuit & poteſt, præcavendis nunquam non intentos fuiſſe, & fore, ex tot veterum Pontificum literis & Succeſſorum conſtitutionibus ſuperabunde liquet. Graviſſimas deſuper editas ordinationes a Martino V. Eugenio IV. aliiſque Romanis Pontificibus e Quinterno cancellariæ extractas & impreſſas reperire eſt apud Ciambin. de origine abbreviat. pag. 9. & pluribus ſequentibus; quæ omnia a Joanne XXII. ejuſque Succeſſoribus Nicolao V. Innocentio VIII. aliiſque jam antea ſtatuta, vel poſtea confirmata Regulis Cancellariæ inſerta ſunt, ex quibus Regula LXVII. continet ſequentia: *Item idem Dominus noſter exactionibus, quas Sanctitas ſua non ſine diſplicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ Curiæ, qui conſtitutis ſibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a proſequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem curia exigere non verentur, obviare volens, diſtricte præcipiendo inhibuit omnibus, & ſingulis quævis Officia in eadem curia obtinentibus, ne de cætera quidquam prætextu officiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujuſmodi exigere, ſeu ad hunc effectum expeditionem earum, quæ eis incumbunt, malitioſe differre, ſub excommunicationis & præter illam ſuſpenſionis a perceptione emolumentorum hujuſmodi pro prima ad ſemeſtre, & pro ſecunda ad annum, & pro tertia vicibus, quibus ſic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus ſic exceſſerint, pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. Vice-Cancellarius, & Camerarius, excedentes ipſos reſpective, prout eis ſubſunt, per ſubtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujuſmodi illicitis exactionibus abſtinere, ac contra eos per prædictas pœnas, & alias, prout melius expedire viderint, procedant.*

82. Porro ſicut hæ burſales præſtationes & Cancellariæ taxæ in conceſſione Pallii ex vero ſuo & a Summis Pontificibus invento titulo nullam Simoniacam referunt mercaturam, ita neque æquos moderationis terminos excedunt, ſed veluti

tos tamporum & communi Nationum Catholicarum praxi probatæ in moderationis juſtæ ſunt poſſeſſione ; nec illa *viginti quinque millia* pro Pallii redemptione, quæ paſſim per ora non benè ſentientium nec recte loquentium volitant, calamiſque expreſſa frequenter notantur, non conceſſionem Pallii ſolitariam, ſed *annatis* conjunctam, & quidam nonniſi in uno alterove potantiori Archiepiſcopatu important. Cæterum referente & teſtante Wagnereck de Exeges. §. 4. Annatæ, quæ unius duntaxat ac primi anni fructus ſunt, ſe habent ut unum ad quinque, proin nec fructus integri unius anni, neque dimidia, ſed horum ſolummodo pars juxta modo dictam moderatam Camaræ Apoſtolicæ taxam de Archi- & Epiſcopatibus Germaniæ ſolvenda eſt ; nihil memorando, quod in concordatis Germaniæ, ſi taxa hæc pro qualitate circumſtantiarum exceſſiva judicetur, retaxatio per Commiſſarios in partibus oblata & promiſſa ſit, & quod de reliquis inferioribus dignitatibus, quæ conſiſtoriales non ſunt, cæteriſque itidem Canonicatibus & Beneficiis nullæ in Germania ſolvantur annatæ.

83. Cæteroqui ea, quæ in Novellis de exceſſivæ taxæ ſolutione pro conceſſione Pallii Herbipolenſis malevole ſparſa ſunt, apertæ repugnant veritati ; cum pro expeditione literarum juris perpetui Pallium geſtandi, & Crucem Archiepiſcopalem præferri faciendi, item actualis ejuſdem Pallii conceſſionis aliiſque expenſis neceſſariis ſumma ſecundum computos debite ſubſcriptos & ſubſignatos ultra ſexcenta ſcuta monetæ Romanæ non excurrerit ; porro, uti certa fides habetur, pro erectione novi Epiſcopatus Fuldenſis nullum Annatarum auctuarium ſupervenerit.

84. Demum Sedi Apoſtolicæ ſucceſſu temporis præbitas eſſe ingentium ſumptuum occaſiones & aucta onera, univerſalis itidem Eccleſiæ neceſſitatibus Pontifices conſulere debere pro viribus, ærario vacuo id non poſſe, ſatis conſtat ; proinde conſuetum annatarum & taxæ Pallii ſubſidium, cujus ſolutio iis interdum vel in totum, vel in partem condonatur, qui ob merita in Eccleſiam, vel ad Epiſcopatus belli aut temporum injuria in bonis ſuis imminutos promoventur, ſuperfluum reapſe non eſt Pontificibus, qui in Eccleſiæ neceſſitatem & utilitatem bona & reditus ejuſmodi impendunt, ſive ad Eccleſiæ ejuſdem defenſionem adverſus infideles ; ſive ad ſubveniendum Chriſtianis & Catholicis Regibus, cum ex factionibus Acatholicorum, aut quorumvis perduellium conjurationibus eorum Majeſtas & Regna in diſcrimina verſantur, ſive ad deſtinandos, fovendoſque Prædicatores & Miſſionarios in terris infidelium ad fines Eccleſiæ propagandos, ſive ad Neophytorum & fidei cauſa exulum ſubſidia, ſive ad pauperum levandam inopiam aliaſque publicas & pias cauſas ; quorum exempla in Summis Pontificibus tam antiqua, quam recentiora palam extant, & a moderno Summo Pontifice Benedicto XIV. glorioſiſſime regnante exæquantur, imo ſuperantur, utpote qui modum quidem domeſticis ſumptibus, charitati vero & liberalitati circa uſus publicos, pios, & Eccleſiæ ſalutares ponere laudatiſſime nullum novit, & hactenus conſuevit. Eidem ſuus in Urbe Roma quondam diſcipulus, qui in temporis anguſtia præſentem de Pallio tractatum conſcripſit, proſperum a Deo ex Germano corde precatur Regiminis curſum ad multos annos.

Hæc velim probe expendant Domini Proteſtantes, ſibique impoſterum caveant, ne ſimile quid temere contra hujuſmodi diſciplinæ Catholicæ capita in ventum ſcribant, unde ab oculatioribus rideantur.

T I T U L U S IX.

De Renuntiatione.

1. Renuntiatio eſt ſpontanea beneficii Eccleſiaſtici dimiſſio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante.

De tribus ejuſdem ſpeciebus notas hiſtoricas dabimus ; nempe de renuntiatione ſive reſignatione ſimplici, de facta in favorem tertii, & de facta cauſa permutationis.

2. Ex his Renuntiationis ſpeciebus multis Eccleſiæ Sæculis nota tantum & practicata fuit reſignatio ſimplex.

Nulla enim de reſignationibus conditionatis, quales hic deſcribuntur, in monumentis eccleſiaſticis primorum ſæculorum occurrunt veſtigia. Si enim quandoque Antiſtites deſignarent ſucceſſores, vel ſibi deligerent coadjutores ; hæ non erant reſignationes in favorem tertii, vel cauſa permutationis, ut modo in uſu ſunt. Cumque de reſignatione cauſa permutationis nulla occurrat mentio apud Iſidorum, Burchardum, Ivonem, & apud noviſſimum Gratianum Sæculo XII. canones colligentem, & de reſignatione in favorem tertii neque in decretalibus Gregorii IX. Sæculo XIII. editis, recte Boetius Epo priores Sæculo XI. & Franciſcus de Roye poſteriores Sæculo XIII. necdum in uſu fuiſſe colligunt, quamvis utrarumque fundamenta illis Sæculis jacta fuerint.

3. Sæculo XI. & XII. Reſignationes, quæ prioribus Sæculis rariores erant, vehementer multiplicari cœperunt.

Incontinentiæ & ſimoniæ fœdus torrens, qui deplorandis illis temporibus Eccleſiæ agrum inundavit (tit. 6. N. 64. &c.), *dolendam neceſſitatem inflixit, vimque attulit Pontificibus, ut novam hanc ſinerent illabi diſciplinam, quæ niſi inexorabili neceſſitate extenderetur, diſciplinæ potius relaxatio, & corruptela videri poſſit ;* inquit Thomaſſinus p. 2. lib. 1. c. 50. *ne enim Eccleſiæ pleræque ea tempeſtate paſtoribus orbatæ ſqualerent, neve cauterio ſeveriori cicatrix domus Dei exulceraretur, zelum ſuum in Concubinarios, & Simoniacos tum Epiſcopos, tum alios Clericos* (quos, niſi his delicatis circumſtantiis obſiſtentibus, juxta rigorem canonum beneficiis prorſus privari oportuiſſet) *Romani Pontifices ita moderati ſunt: ut eos beneficia reſignare quidem cogerent, ſed poſt pœnitentiam peractam priſtinis dignitatibus poſtliminio reſtituerent.* Sic ſub Victore II. in Concilio Lugdunenſi A. 1055. quadraginta quinque Epiſcopi, & viginti ſeptem Prælati abdicarunt ſeſe dignitatibus, quas turpiſſime nundinati fuerant, teſte Baronio ad A. C. 1049. quamvis Petrus Damiani tantum 6. enumeret, qui pene omnes, etſi depoſitione digni, ob rationem tamen inſinuatam ſedibus ſuis reſtituti ſunt. Dirum quoque Schiſma, quod contra Gregorium VII. conflavit Henricus IV. Inveſtituræ item Laicorum multiplicandis reſignationibus occaſionem præbuere ; nam & Schiſmatici, & ita inveſtiti ad frugem redeuntes, ſub eodem Pontifice, & ejus Succeſſoribus hac miti œconomia tractati ſunt, ut ſponte ac libere ſuis Eccleſiis renuntiarent in manus

Pon-

Renuntiarent vel Epiſcopatum, & ab iis poſtliminio reſtituerentur. Nec ſimulatæ, aut theatrales erant hæ Epiſcopatuum in manus Pontificis reſignationes ad culpas ſiva per ſimoniam, ſive concubinatum, ſive inveſtituram commiſſas eluendas, ut male affecti ſuſpicari poſſent; cum poſt talem reſignationem liberum fuerit Pontificibus beneficium abdicatum reſignanti vel alteri conferre, renuntianteſque ex animi præparatione illa abdicarent, quemadmodum exemplo Othonis Epiſcopi Bambergenſis, & S. Thomæ Cantuarienſis liquet, & canone 7. Concilii Romani ſub Urbano II. A. C. 1099. celebrato tel. cap. *Si aliquis de elect.* de *ignoranter* ſimoniace electo edicitur, quod poſt *liberam* reſignationem Epiſcopus cum illo poſſit diſpenſare; quamvis hæc pia Romanorum Pontificum indulgentia longa ſui continuatione in legem tandem convaluerit, ut reſignans reſignato reſtitueretur beneficio, neceſſitate acerba id poſtulante, ut validius allicerentur ſimoniaci beneficiarii ad proviſiones canonicas ſibi comparandas. De quibus omnibus vide Concilia ſub his Pontificibus contra concubinatus, ſimoniæ, & inveſtiturarum labem habita, ex quibus hæc illorum œconomia plene juſtificatur. Canonem 11. mox laudati Concilii ſub Urbano II. hic ſolum adnumero: *Quamvis miſericordiæ intuitu, magnaque neceſſitate cogente, hanc in ſacris Ordinibus diſpenſationem conſtituerimus, nullum tamen præjudicium ſacris canonibus fieri volumus, ſed obtineant proprium robur, & ceſſante neceſſitate illud quoque ceſſet, quod factum eſt pro neceſſitate. Ubi enim multarum ſtrages jacet, ſubtrahendum eſt aliquid ſeveritati, ut addatur amplius charitati.* S. Aug.

4. Eadem incontinentiæ ac ſimoniæ labes, illis Sæculis immaniter ſerpens, viam ſtravit reſignationibus in favorem tertii.

Ex ea enim tanquam ex fœcunda matre naſcebatur beneficiorum pluralitas; etenim cum ſimonia impune graſſaretur, quiſque ſibi emebat beneficia, quotquot volebat; & cum Clerici nonnulli eſſent concubinarii, familiæ alendæ neceſſitate hanc beneficiorum congeriem, Laicorum inveſtientium & ſacros canones flocci habentium præſertim fulti authoritate, excuſabant, omnibus ex rigore canonum ſpoliandi; ſed cum hunc rigorem non ferret deploranda illorum temporum conditio, non poterat promptior parari medicina, quam ut tales Papæ vel Epiſcopo beneficia reſignarent: qui tanto faciliores ſe præſtabant ad Illis conferenda, quos reſignantes *deſignaſſent*, quanto certiores erant, eam eſſe expeditiſſimam rationem perficiendi, ut reſignarent, idque onus exonerent, quo alioquin ad æternæ damnationis barathrum præcipites agerentur. Hinc cum Abbas, cui duæ erant Abbatiæ, alteram S. Remigii Rhemis reſignare voluiſſet, ſcripſit Gregorius VII. ad Archiepiſcopum Rhemenſem, ut reſignationem admitteret, Abbatiamque reſignatam ei conferret, quem reſignans indigitaſſet, lib. 1. Ep. 53. Et eo tempore cœperunt Epiſcopi reſignationes Laicorum, qui Parochiales Eccleſias invaſerant, ea conditione, quaſi in favorem admittere, ut Monaſteriis conferrentur. Cumque io ſimplicibus reſignationibus ſæpiſſime contingeret, ut reſignantis voluntas intima & occulta ſpe non fraudaretur, irrepſit tandem mos exprimendæ hujus voluntatis, tanquam conditionis neceſſariæ.

5. Sæculi XVI. initio reſignationes in favorem tertii *& non alias* frequentari cœperunt, earumque uſus ad noſtra uſque tempora perductus eſt.

Prima pars inde patet, quod illo tempore hæ clauſulæ *in favorem*, *& non alias*, *nec aliter* in procuratoria irrepere cœperunt, quæ res in Gallia quæſtionem excitavit, utrum reſignatio in favorem certæ perſonæ valeret, vel cenſeretur illicita? aliis id affirmantibus, aliis negantibus, teſte Ruzæo ſupremæ Curiæ Pariſienſis conſiliario in ſuo tractatu juris Regaliorum privilegio 32. qui & ſcribit has reſignationes per Arreſtum ſupremæ Curiæ cenſitas fuiſſe illicitas, & ſimoniacas. Quo tamen non obſtante, uſus earum invaluit, nec tantum in Curia Romana, ſed etiam in ſenatibus regiis admiſſæ ſunt. Quin judicatum fuit, Papam non poſſe beneficia in favorem certæ perſonæ reſignata cum clauſula *non alias*, *nec aliter*, alteri conferre, quo judicio correcta fuit prior erronea ſententia, cum tales reſignationes ex hoc ſolo pacto, præciſis aliis, revera ſimoniacæ non ſint; quamvis frequenter in illas ſimonia mentalis irrepere poſſit; propter quod nomine Caroli IX. Regis Galliæ a Patribus Tridentini Concilii poſtulatum fuit, ut reſignationes in favorem rejiciantur omnino a Curia Romana.

Quantum ad 2. p. Quamvis quoad expreſſionem verborum circa reſignationem *in favorem* nonnihil mutatus ſit ſtylus Curiæ Romanæ, mandante Gregorio XII. ut non apponerentur illa verba *in favorem*, tanquam non neceſſaria & ſuſpecta, *neque in capite*, *neque in corpore* procuratorii, & loco ipſorum adſcribatur *reſignatio ſimplex*, ut notat Flaminius Pariſius lib. 8. q. 7. N. 36. illa tamen idem valet, ac reſignatio *in favorem*; nam *ille reſignans* (pergit idem) *renuntiat ſimpliciter in manibus Papæ, qui poſtea ad preces reſignatarii ei reſignatum beneficium confert: nam Papa non habet reſpectum ad mentem reſignantis, ſed ad ſupplicationem humiliter ſibi factam a reſignatario, ſeu illa, in cujus favorem alter reſignat.* Unde etiam nunc in reſignationibus factis a promotis ad incompatibilia ſupplicæ inſcribitur reſignatio ſimplex *ſine proviſione*, quia nempe in tali ſupplica nullus pro collatione, ſeu proviſione inſtat, quemadmodum in proviſione *in favorem*, quæ tamen ſimplex inſcribitur, fieri notavimus.

6. Sæculo XII. Reſignationes *cauſa permutationis* & non aliter ab aliquibus frequentari cœperunt.

Id conſtat ex Concilio Toronenſi ſub Alexandro III. hoc Sæculo celebrato, cujus canon relatus cap. 8. de præbendis permutationem dignitatum fieri prohibet. Verum cum Concilium Turonenſe de ſola permutatione dignitatum loqueretur, quæſitum fuit: *num permutatio præbendarum licita foret?* reſpondit Urbanus III. in cap. 5. de rerum permutatione, *generaliter tenras, quod commutationes præbendarum de jure fieri non poſſunt, præſertim cum pactione præmiſſa, quæ circa ſpiritualia, vel connexa ſpiritualibus labem continet ſemper ſimoniæ.* Ex cujus, aliorumque Pontificum reſponſis, Conciliorumque decretis, circa idem tempus editis, manifeſtum eſt, permutationes beneficiorum, præſertim pactione præcedente, fuiſſe reprobatas, tanquam de ſimonia, ut minus, admodum ſuſpectas. Nequaquam tamen, inquit Vaneſpen juris Eccleſiaſtici p. 2. tit. 27. N. 22. *translationes beneficiorum authoritate ſuperioris plane reprobatæ ſunt; quas & in Epiſcopis jam pridem canones admiſerant: dummodo utilitas aut neceſſitas Eccleſiarum has translationes poſtularet.* Hinc Urbanus III. in citato reſponſo, quo permutationes præbendarum per Concilium Turonenſe vetitas reſpondit, adjungit: *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre perſonas: ut quæ uni minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere.* Evidens eſt per hanc clauſulam Pontificem non aliud velle, quam Epiſcopos poſſe beneficiatos ſua auctoritate transferre de una Eccleſia ad aliam, ſi inſpexerint cauſam neceſſariam

hujus

hujus tranſlationis. Permutationes ergo beneficiorum hic probatas eſſe, ex prædicta clauſula erui nequaquam poteſt.

7. Occaſione hujus reſponſi reſignationes cauſa permutationis invaleſcere cœperunt.

Cum enim ibi, pergit laudatus Vaneſpen, *haberetur, Epiſcopis licitum eſſe beneficiatos de uno loco in alium transferre, cœperunt beneficiati ſua beneficia ad manus Epiſcoporum reſignare, ea conditione tacita, vel expreſſa, ut eorum authoritate ad mutuas Eccleſias transferri poſſent, ſive alter alterius beneficium conſequi. Et primitus quidem credebatur hæc beneficiorum reſignatio eſſe libera; quaſi beneficia ita reſignata vere vacarent, poſſentque Epiſcopi ea libere conferre: quin & expectantes, ſeu mandatarii Apoſtolici illa tanquam vacantia acceptare; verum cum alia mens ſciretur eſſe reſignantium, ſcireturque beneficia hæc non reſignari, niſi ſub ea conditione, ut alter in alterius beneficium ſurrogaretur, reſpondit Bonifacius VIII. Sæculi XIII. fine Biterenſi Epiſcopo in cap. un. de rer. permutat. in 6.* quod expectantes, ſeu Mandatarii Apoſtolici hujuſmodi reſignata beneficia tanquam vacantia acceptare nequeant: æquitatem, *iniquitati*, præferentes hac in parte rigori: *quaſi diceret: licet de rigori talia beneficia vere vacent; tamen æquum non eſt, aliis conferri: quia reſignantes, niſi credidiſſent vi hujus reſignationis ſe ad mutua beneficia transferendos, ea non reſignaſſent. Eadem æquitatis ſpecie motus Pontifex Clemens V.* Sæculi XIV. initio, *in Clement. unica de rer. permut. declarat*: ne conceſſione juris utentibus, præſertim circa ſpiritualia illudatur, ſi qua beneficia ex cauſa permutationis ab aliquibus reſignata aliis, quam ipſis permutare volentibus conferantur, nullius hoc eſſe volumus firmitatis.

8. Poſt id tempus paſſim cœperunt beneficiati cauſa permutationis ad manus Epiſcoporum beneficia reſignare.

Erant enim poſt mox relatam Clementinam ſecuri, quod illa hac via non eſſent amiſſuri; ſed ſi Epiſcopus reſignationem non admitteret, quemlibet in ſuo permanſurum. Epiſcopi quoque ſcientes ex ſimilium permutationum rejectione nihil ſibi commodi obvenire; neque ſe poſſe de beneficiis ſic reſignatis alicui alteri providere, admodum faciles fuere, ut permutationes, ſive reſignationes ex cauſa permutationis admitterent ad beneplacitum reſignantium. Et ſic ſtabilita eſt hæc diſciplina, quæ multis Sæculis ignota fuit in Eccleſia (N. 2. h. t.). *Licet autem Eccleſia reſignationes beneficiorum hujuſmodi hodie toleret, & admittat, nihilominus non minus, quam olim turpes & illicitas pactiones in illis execratur: nec non omnes de una ad aliam Eccleſiam translationes, quas non utilitas aut neceſſitas Eccleſiarum, ſed ambitio aut turpis quæſtus, vel carnis & ſanguinis carnalis affectus extorquent: quas licet authoritas humana ſubinde probet, aut non improbet, ſemper eas authoritas divina, & lex æterna damnabit, & Eccleſia a Spiritu S. directa execrabitur.* Concludit prælaudatus Vaneſpen.

9. Reſignationes tam ſimplices, quam in favorem tertii *ſecundum ſe* ſemper in Eccleſia ſunt prohibitæ. Et ſine juſta cauſa, ab aliis quam a reſignantibus dijudicanda, fieri interdictæ.

Pro 1. p. eſt, quod reſignationes ſimplices præferebant ſpeciem ſpiritualis divortii inter beneficiatum & Eccleſiam; reſignationes vero in favorem tertii inſuper ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis in beneficiis, quæ duo ſunt valde odioſa, & ſine gravi cauſa non admittenda. Hinc Canon 35. Apoſt. de reſignantibus ſimpliciter ſancit: *Si quis ordinatus Epiſcopus miniſterium & curam populi ſibi commiſſam non ſuſceperit, hic a communione ſejunctus eſto tamdiu, donec ſuſceperit obedientiam accommodans: ſimiliter autem & Presbyter & Diaconus; ſi vero non præ voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit, maneat ipſe quidem Epiſcopus, Clerus vero ejuſdem civitatis a communione ſegregetur, eo quod tam inobedientem populum non corripuerit.* Conſonat Nicænæ Synodi Canon 16. in quo ſimpliciter reſignantes prohibentur in alia Eccleſia ſuſcipi, ſed cum omni neceſſitate ad priſtinam Eccleſiam repelli. Quantum ad reſignationes in favorem, cum prioribus Sæculis aliæ notæ non fuerint, quam acceſſitio Coadjutorum, & deſignatio ſucceſſorum, illæ quoque prohibitæ fuerunt Can. 23. Concilii Antiocheni, & aliis, juſta tamen de cauſa admiſſæ, quod exempla Sanctiſſimorum Epiſcoporum demonſtrant.

Quantum ad 2. p. Canon 18. Concilii Antiocheni A. 341. ita habet: *Si quis ordinatus non iverit ad Parochiam, ad quam eſt ordinatus, non ſua quidem culpa, ſed propter populi recuſationem, vel aliquam aliam cauſam, quæ a ſe non oritur, is ſit & honoris & muneris particeps, dummodo nullam rebus Eccleſiæ, in qua convenit, moleſtiam afferat. Is autem id ſuſcipiat, quod perfecta Provinciæ Synodus, eo, quod ad ſe allatum eſt, judicato, ſtatuerit.* Junge Canonem 17. & dicenda.

10. Cauſæ, ob quas Epiſcopi, vel inferiores Clerici ſua beneficia reſignare poterant, in genere ſemper fuerunt *Eccleſiæ utilitas & neceſſitas.*

Unde Aug. contra Creſc. lib. 2. c. 17. dicit: *Neque enim Epiſcopi propter nos ſumus, ſed propter eos, quibus verbum & Sacramentum Dominicum miniſtramus; ac per hoc, ut eorum ſine ſcandalo gubernandorum ſeſe neceſſitas tulerit, ita vel eſſe vel non eſſe debemus, quod non propter nos, ſed propter alios ſumus.* Et ſex illæ cauſæ, ob quas Epiſcopus reſignare permittitur ab Innocentio III. Sæculo XIII. expreſſæ, atque hoc tit. c. 10. relatæ, ad utilitatem & neceſſitatem tantum collimant. Junge conſtitutionem 85. Pii V. quæ incipit: *Quanta Eccleſiæ.*

11. Judicium de cauſa reſignationis Epiſcoporum, & ejuſdem admiſſio primis Eccleſiæ Sæculis ad Provincialem Synodum ſpectabat, ſicut ipſæ translationes.

C. 17. & 18. Concilii Antiocheni. (N. 9. h. t.) Fiebat nihilominus quandoque recurſus ad Principes & Romanos Pontifices; quod exemplis probat Thomaſſinus p. 2. lib. 2. c. 57.

12. Hæc diſciplina adhuc viguit ſub Imperio Caroli M. & Regiæ ejus proſapiæ (Vide Thomaſſinum p. 2. lib. 2. c. 57.), Sæculo tamen XI. frequentius fiebant in manu Romani Pontificis (Ex cauſis N. 3. & ſeqq. allatis), cui etiam poſthac ſunt reſervatæ (Titulo 7. Num. 10. & ſeqq.).

13. Non ſolum autem reſignationes ſive ſimplices, ſive in favorem, aut cauſa permutationis ab Epiſcopis factæ Romani Pontificis judicio & admiſſioni hodie reſervantur; ſed etiam reſignationes inferiorum beneficiatorum factæ in favorem; relicto Epiſcopis tantum judicio & admiſſione reſignationum ſimplicium, & cauſa permutationis.

Prima pars adeo vera eſt, ut nec Legatus Pontificis talem reſignationem probare poſſit, niſi ſpeciali facultate ſit inſtructus; uti notat Rebuffus in praxi p. 3. tit. *de reſignatione conditionali*; eaque opinio hodie communiter tum a Theologis, tum a Canoniſtis recepta eſt, eamque probavit Pius V. in mox laudata conſtit. *quanta Eccleſiæ.*

Pro ſecunda parte habemus Concilii Trid. Seſſ. 23. c. 16. ubi ait: *Quod ſi* (Clericus certæ Eccleſiæ adſcriptus) *locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur.* Et

Sæ-

Sæculo XII. Alexander III. reſcripſit Tornacenſi Epiſcopo: *Univerſis Perſonis tui Epiſcopatus ſub diſtrictione prohibeas, ne Eccleſias tuæ Diœceſis ad ordinationem tuam pertinentes abſque aſſenſu tuo intrare audeant, aut detinere, aut redimittere inconſulto.* C. 4. h. t. Plerumque tamen ex recepta conſuetudine fieri ſolet, ſaltem loquendo de beneficiis ſimplicibus, v. g. Canonicatibus, ut poſſit reſignatio fieri in manus Collatoris Eccleſiaſtici, qui non ſit Epiſcopus, teſte Laymanno *in c. admonet* h. t. N. 7. nullatenus tamen in manibus laici c. 8. h. t. niſi id competat Principibus ex privilegio Apoſtolico.

Pro tertia Parte vide dicta N. 6. 7. 8. h. t.

T I T U L U S XI.

De temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

§ I.

De ipſis Ordinibus.

1. EXactiſſimam ordinis, quemadmodum hic ſumitur, ideam nobis tradiderunt Patres Tridentini, Seſſ. 23. ex cujus cap. 1. & 2. Sylvius in quæſtionis 34. ſuppl. S. Th. articulum 1. hanc eruit definitionem: *Ordo eſt Sacramentum novæ Legis a Salvatore noſtro inſtitutum; quo traditur poteſtas conſecrandi, offerendi, ac miniſtrandi corpus & ſanguinem ejus, nec non Sacerdotio ex officio deſerviendi.* Recte autem hoc Sacramentum *Ordinis* nomine venit, eo quod in miniſterio ſacro multi ſint gradus, & variæ functiones, certa ratione diſtributæ & collocatæ.

2. Magna autem inter Catholicos eſt controverſia, 1. an ex ſeptem Ordinibus in Eccleſia communiter admiſſi ſinguli ſint Sacramenta, & conſequenter a Chriſto immediate inſtituti. Id enim ſalva fide de Diaconatu negavit, quamvis temere, Durandus. De Subdiaconatu vero & reliquis 4. minoribus ex gravibus fundamentis pleréque recentiores. 2. An his Ordinibus adnumeranda veniat prima tonſura tanquam verus Ordo, & Epiſcopatus tanquam Ordo a Sacerdotio adæquate diſtinctus? Notæ noſtræ hiſtoricæ ab his controverſiis præſcindendo, quæ certa, quæque dubia de Ordinibus ſunt, exponent.

3. Septem primis Eccleſiæ Sæculis Ordines obtinuerunt in Eccleſia Latina, videlicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus.

De Sacerdotibus & Diaconis ſacræ paginæ Act. 20. v. 28. item 6. v. 7. 1. ad Timotheum, & alibi apertam adeo mentionem faciunt, ut eos tempore Apoſtolorum exſtitiſſe certum ſit. Quantum ad reliquos Canon Apoſtolorum 42. (tit. 2. N. 25.) nominat Subdiaconos & Lectores, quibus in Conſtitutionibus, iiſdem Apoſtolis adſcriptis, additur & Exorciſta. Ex his tamen monumentis hi Ordines ad ipſos Apoſtolos tuto referri nequeunt, cum ſint ſuppoſititia, primorum tamen ſæculorum diſciplinam referentia. (N. 26. & ſeq. 66. & ſeq. tit. 2.) Et cum Ep. S. Ignatii M. ad Antiochenos, & Dionyſii libri de Hierarchia Eccleſiaſtica æque multis ſint ſuſpectæ fidei; ex illa & hujus c. 3. Subdiaconos, Lectores, Oſtiarios, alioſque Eccleſiæ Miniſtros primo Sæculo, quo floruerunt illi, exſtitiſſe tuto colligere non poſſumus. Antiquiſſimum igitur, & authenticum teſtimonium de Lectoratu habetur apud Tertullianum Sæculi II. Authorem, qui libro de præſcriptionibus c. 41. carpens hæreticorum ordinationes leves, ac temerarias inquit: *itaque alius hodie Epiſcopus, alius cras: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.* Omnium vero diſtinctam enumerationem habemus in authentica S. Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum ep. Anno 252. ſcripta, quam nobis conſervavit Euſebius in Frobeniana edit. lib. 6. c. 34. pag. 156. in Valeſiana vero lib. 6. c. 43. in qua legimus: *Is autem* (Novatus), *qui Evangelium vindicabat, neſciebat, in Eccleſia Catholica unum Epiſcopum eſſe debere, ubi videbat eſſe Presbyteros quadraginta & ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta & duos, Exorciſtas & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta & duos.* Fragmenta ex Cajo & Sylveſtro RR. Pontificibus apud Gratianum diſt. 77. c. 1. item 93. c. 5. ubi iidem Ordines enumerantur, omittimus, tum quia hi Pontifices Cornelio ſunt poſteriores, tum quia deſumpta ſunt ex eorum monumentis ſuppoſititiis. (tit. 2. N. 155.)

4. Soli autem hi VII. Ordines in Eccleſia Latina ad uſque noſtra tempora indubitanter ab omnibus pro veris Ordinibus habiti ſunt; quibus nimirum initiati, vel ex officio Euchariſtiam conficerent, offerrent, & miniſtrarent, vel Sacerdotio ex officio deſervirent.

Propoſitio, præter plura Patrum recentiorum monumenta, quibus VII. hi Ordines enumerantur, liquet 1. ex eo, quod uſque hodie Canoniſtæ & Theologi circa primam tonſuram, an ſit verus Ordo, & circa Epiſcopatum, an ſit Ordo a Sacerdotio adæquate diſtinctus, diſſidentes, de horum Ordinum veritate (præſcindendo nimirum an omnes inſuper rationem veri Sacramenti habeant) & diſtinctione conveniant, idque evincant ex ſuſpiciendo antiquitatis monumento, nimirum ex Concilio Carthaginenſi IV. Sæculi IV. fine habito, apud Coletum tomo II. Concilior. col. 1433. quod tam canone 2. 3. & 4. in quibus pertractat de ordine Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi; quam in ſequentibus, in quibus de Subdiacono & reliquis 4. minoribus verba facit, verbo *Ordinationis* utitur, Presbyter cum ordinatur, Acolythus cum ordinatur &c. de quo uberius N. 26. h. t. ex qua phraſi ſi non extunditur hos Ordines eſſe vera ſacramenta, certe evincitur contra novatores, jam tum habitos fuiſſe pro veris Ordinibus, & non pro talibus muniis, quæ obviis Laicis promiſcue & ad arbitrium imponerentur; ita ut juxta ritum Tertullianæum (N. 3. h. t.) *hodie eſſet Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter, qui cras Laicus;* ſed quibus initiati in *gradu Eccleſiaſtico* conſtituerentur, & Sacerdotio ex officio deſervirent.

5. Præter horum ordinum nomina in primitivæ Eccleſiæ monumentis occurrunt etiam nomina Epiſcopi, Pſalmiſtæ ſeu Cantoris, Cuſtodis Martyrum, Laborantis, ſeu Foſſarii, aut Veſpillonis, Canonicorum, Chorepiſcoporum, Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconiſſæ.

Nomine Epiſcopi, ſeu ſuperintendentis & Acta Apoſtolorum, & eorum Epiſtolæ, Conciliorum, Patrumque monumenta plena ſunt. De Pſalmiſtis ſeu Cantoribus agunt præter Canones Apoſtolorum Concilium Laodicenum can. 23. Carth. IV. Can. 10. S. Iſidorus apud Gratianum diſt. 21. c. 1. Foſſariorum meminerunt Author Ep. Ignatianæ ad Antiochenos jam citatæ, Epiph. in comp. doct. Cath. c. 21. & plures alii, Codex item Theodoſianus lib. 1. Juſtinianæus item Nov. 43. & 59. Cuſtodum Martyrum decreta Sylveſtri,

Aure-

Aurelianenſis II. Synodus can. 13. Gregorius Turonenſis lib. 4. Hiſt. c. 11. Canonicorum Synodus III. Toletana can. 5. Truilana can. 6. Chorepiſcoporum Synodus Aneyrana can. 9. & alia primitivæ Eccleſiæ monumenta. Diaconiſſarum &c. Epiphanius lib. cit. & alii primorum ſæculorum Patres.

6. An Epiſcopatus ſit Ordo a Presbyteratu adæquate diſtinctus ſub judice lis eſt; reliqua enumerata officia nunquam fuiſſe aut eſſe inter ordines computanda omnes facile conſentiunt.

Prima pars patet ex diſſidio Scholaſticorum. Quantum ad 2. Pſalmiſtæ apud Græcos cum Lectoribus confunduntur, & unus ordo ſunt, in Lectorum enim ordinatione præcipitur initiato, ut *ſi canere ſciat*, & Pſaltes fit, *legat* aliquid de Pſalterio, uti habet Pontificale Græcorum pag. 38. teſte Berto. Et Rituale ipſorum, quod edidit P. Goar, ordinationem Lectoris & Cantoris una Rubrica comprehendit pag. 195. *Poſtquam tonſus fuerit in Lectorem & Cantorem promovendus;* ibi. Apud Latinos vero Pſalmiſtæ peculiari ordine minime inaugurantur; hoc enim nomine vel intelliguntur ii, qui ſola tonſura initiati ad pſallendum in Choro admittuntur cum aliis Clericis, vel hi etiam, qui abſque ulla clericali initiatione funguntur Cantorum officio. Unde ſupra laudatum Concilium Carth. IV. dum canone 10. agit de Pſalmiſta, & 11. de conſecratione Sanctimonialis, a voce *ordinationis* prorſus abſtinet, dicens: *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi*. Similia habentur in ordine Romano &c.

Foſſarii, ſeu illi, qui mortuos curabant, & ſepeliebant, principio non alia ratione nomine Clericorum cohoneſtantur, niſi quia aliunde Clericis id officii mandabatur. Hinc ſcriptor de VII. ordinibus in Appendice Hieronymiana ait: *Clerici in ſimilitudinem Tobiæ ſancti ſepelire mortuos admonentur*; quod imprimis ſervatum fuiſſe in ſepeliendis corporibus Martyrum, nullum eſt dubium. Accedit quod Concilium IV. Carthag. toties laudatum canone 81. officium humandi mortuos committit publicam pœnitentiam agentibus, quod utique non feciſſet, ſi Veſpillonum officia ad miniſteria Clericalis tum pertinuiſſent.

Cuſtodes Martyrum, ſeu Martyriarii teſte Gregorio Turonenſi L. N. præced. cit. erant Subdiaconi, quibus ſacrarum reliquiarum committebatur cuſtodia, & conſtat ex notis Eruditorum ad volumen II. Anaſtaſii pag. 303.

Canonici principio vocabantur, qui Eccleſiæ inſerviebant, & univerſim Clerici omnes, aut quod ſub canone eſſent, aut quod canonicam vitam agerent; uti colligitur ex citatis canonibus Toletanæ, & Trullanæ Synodi N. præced.

Chorepiſcopi, id eſt, præcipui quidam Villarum Sacerdotes, ſic dicti, quaſi Epiſcopi ruris, ſive Epiſcopi fuerint, ſive ſimplices Sacerdotes, hoc ipſo ad peculiarem ordinem non ſpectant.

Subdiaconiſſæ denique, Diaconiſſæ, Presbyteræ, & Epiſcopæ appellatæ fuerunt a Concilio Turonenſi c. 19. uxores initiatorum. Nihilominus Diaconiſſæ quoque dictæ ſunt Mulieres quædam inſignes integritate, ac pietate, quæ obibant munia ducendi, & denodandi fœminas tingendas baptiſmate, ſuo vel ſexu Ordinationis incapaces.

7. Præter enumeratos Ordines, Clericorumque officia, antiquiſſimus eſt adhuc in Eccleſia ritus Clericalis tonſuræ.

An diſtincta ſit a Pſalmiſtatu, item an verus ordo, controvertitur. Natam inde ait Calvinus lib. 4. inſtit. c. 19. N. 9. quod priſcis Eccleſiæ Sæculis capillum non alerent niſi delicati; ideoque Clericos juſſos tonderi, ne effœminati crederentur. Joannes Spencerus item Hæreticus de Hebræorum legibus, & ritibus lib. 3. c. 6. initium tonſuræ Nazaræorum, unde permulti noſtram eſſe derivatam exiſtimant, repetit ex moribus Ethnicorum, qui in juventutis flore Apollini Pythio comam litabant, teſte Plutarcho de moribus Atbenienſium. Ex noſtris Morinus de ſac. Ord. p. 3. Exercit. 15. poſtquam de tonſuræ origine plura dixit, N. 9. ſententiam illam amplectitur, quæ aſſerit primos Eccleſiæ inſtitutores, ut majori ludibrio afficerentur, a perſecutoribus tonſos fuiſſe, quod ignominioſum erat, ac ſervitutis inſigne; poſtea vero ab iiſdem inſtitutoribus in trophæi argumentum illam tonſuram fuiſſe converſam. Alii demum, qui de ſacris ritibus pertractarunt, ut Iſidorus de off. Eccl. l. 2. c. 4. Rabanus, Martenus &c. cenſent clericalem tonſuram ab Apoſtolicis temporibus uſurpatam. Vide Bertum lib. 36. Theol. diſcipl. c. 3. N. 1. Antiquiſſimam eſſe certum eſt ex Gregorio Turonenſi Scriptore VI. Sæculi præclariſſimo, qui lib. 1. de gloria Martyrum cap. 27. ait Petrum Apoſtolum inſtituiſſe, ut caput (Clericorum) deſuper tonderetur. Ex quo apparet tempore S. Gregorii Turonenſis ſeu Sæculo VI. ritum Clericalis tonſuræ jam fuiſſe immemorialem, ſi enim recens, & memorabilis fuiſſet, mendacii vir ſummus redargui nullo negotio potuiſſet, dum illum ad B. Petri inſtitutionem retulit. Accedit, quod tam Occidens, quam Oriens, & univerſæ nationes, in quibus propugnata eſt Chriſtiana Religio, habent Clericos a Laicis corona capitis, ac tonſura diſcretos. Cujus ritus cum originem ex aliquo authentico Eccleſiaſtico monumento deducere nequeamus, (Aniceti enim Papæ, qui ſedit A. C. 84. epiſtola rel. diſt. 23. c. 21. eruditis eſt ſuppoſititiis, ſicut & volumen Abdiæ Babylonii lib. 9. Indorum Regem a S. Thoma Ap. in Clericum fuiſſe *attonſum* narrantis) eum vel ab ipſis Apoſtolis, vel eorundem immediatis Succeſſoribus derivatum valde eſt veroſimile.

8. Clericalis tonſura antiquiſſimis temporibus jam in modum coronæ deferebatur.

Id teſtatur Gregorius Turonenſis, dum S. Nicetium Epiſcopum aie pareu effuſum mirabili eventu apparuiſſe Clerici *corona* ſignatum. Et S. Iſidorus Sæculi VII. initio lib. 2. de officio Eccl. c. 2. inquit: *quod vero detonſo capite ſuperius, inferius circuli corona relinquitur, Sacerdotium, regnumque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari*. Quanquam non eandem formam in omnibus Eccleſiis hæc corona prætulerit, & de facto præferat. Nam Orientales fere totum occiput, & magnam partem ſincipitis tondere ſolent forcipe, non autem novacula, ne cute apparente videantur ſimiles raſorum, ac Sacerdotum Iſidis, & hoc tantum vult Hieronymus in c. 44. Ezechielis, dum ſcribit non debere Sacerdotes incedere raſis capitibus, ſicut Sacerdotes Iſidis; non autem improbare tonſuram clericalem, ut imperitiſſime quidam ſcripſere, cum illam potius ibi deſcribat.

9. Valde probabile eſt, primis V. Sæculis Clericalem tonſuram nunquam fuiſſe collatam ſeparatam ab aliis ordinibus, ſed ſimul cum primo ordine, velut ritum illius collationi annexum; eamque primo circa A. 700. ab omni Ordine ſeparari cœpiſſe.

Primum ſolide oſtendit Morinus de ſacris Ordinat. p. 3. Exercit. 15. c. 3. Et in Eccleſia Græca adhuc tonſuram cum Lectoratu conferri teſtis eſt Rituale Græcorum R. P. Goar rubrica de Ordine fieri ſolito in Ordinatione Lectoris & Cantoris pag. 194.

De occaſione immutationis hujus diſciplinæ in Eccleſia Latina Sæculo VIII. hæc ſcribit prælaudatus Morinus l. cit. *Parentes filios ſuos impuberes,*

ima

imo fere in$\!$ſantes Eccleſiaſticis officiis conſecrabant, & Epiſcop s inſtituendos afferebant. Eas Epiſcopi in eadem domo educandas, & inſtruendas curabant, ut eſſent Cleri reparandi velut Seminarium, earum inſtitutioni ſenex aliquis a Clero præficiebatur, atque ut plurimum Archidiaconus. Dum autem propter ætatis infirmitatem Oſtiariorum aut Lectorum officiis in Eccleſia fungi non poſſent, Ordines illos illis non conferebant; ſed ſolam tonſuram cum veſte Clericali. Tonſuram ideo ab Ordine ſeparantes, os pueri iſti Eccleſiæ miniſteriis parentum pietate devoti, ut prorſus ſæculares & profani, hominum oculis comparerent. Longo poſt tempore, quod in pueris fiebat propter ætatis infirmitatem, in ætate valentibus uſurpatum eſt, tonſuraque Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis ſeparatus, quibuſcunque ſeparatim collata eſt. Hæc ille.

10. Non eſt æque certum in Eccleſia Orientali primis Sæculis in uſu fuiſſe IV. minores Ordines N. 3. enumeratos. Quamvis plures præter Lectoratum ibidem in uſu fuiſſe ſit veriſimilius.

1. P. inde patet, quod nullus ex canonibus vel Patribus Græcis tum ibi relatis, tum aliis Acolythatus mentionem facit, præter recentiores Joannem Epiſcopum Cypri & Simeonem Theſſalonicenſem apud Goarium cit. pag. 197.

Quantum ad 2. ibi relati Patres Græci & canones Græci præter Lectores, etiam Exorciſtas & Oſtiarios nominant. Nec valere videtur quorundam effugium: Patres & concilia, dum Janitores, & Exorciſtas memorant, non de Ordinibus proprie dictis, ſed de miniſteriis in templo exercendis, abſque peculiaris Ordinis initiatione accipiendos eſſe; ut enim bene reſpondet Bertus L. cit. non quæritur, an hi Ordines ſint divinæ inſtitutionis, ac Sacramenta, vel miniſteria duntaxat ab Eccleſia inſtituta? id enim quoque diſputatur de Ordinibus ritu Latino collatis: ſed quæritur, an ipſi Ordines etiam apud Græcos primis Sæculis exſtiterint, & ſacro quodam ritu collati fuerint? Id quod de tribus Sæculis prioribus, & ſæculis mediis etiam de quatuor probare nititur Bertus l. cit.

11. In eadem Eccleſia Orientali apud Græcos hodie ſolus Lectoratus ſeorſim confertur. Acolythatus & Oſtiariatus ſimul cum Subdiaconatu. Exorciſtatus vero negligitur, qui tamen ab aliis Eccleſiis Orientis cum Diaconatu vel Pſalmiſtatu tribuitur.

Rituale Græcum primam partem in aprico ponit, in eo ſiquidem ſolius Lectoris Ordinatio inter minores Ordines deſcribitur.

Secunda colligitur ex ritu, quo Orientales initiant Hypodiaconum. Nam Græci, ut conſtat ex pluribus codicibus collectis, editiſque a Murino, in ipſa Subdiaconi Ordinatione utuntur formula, in qua præter alia leguntur ſequentia: *Ipſe Domine conſerva illum in omnibus ſine querela, & ' tripuſenſions: da illi amare honeſtatem, & decorem domus tuæ, aſſiſtere portis templi ſancti tui, accendere lumen tabernaculi gloriæ tuæ.* Hinc SS. Dominus noſter Benedictus XIV. in Conſtit. *etſi Paſtoralis*, de ritibus Græcorum N. 7. definit: *Quod ſi Clericus Græcus, Lector tantum initiatus, ex benignitate Sedis Apoſtolicæ obtinuerit, ut majores Ordines Latinis Cæremoniis ſibi conferantur; is antequam Subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omiſſos debeat ritu Latino ſuſcipere. Si vero præter Lectoris Ordinem ad Subdiaconatum etiam Græco ritu aſcendit, & ex diſpenſatione itidem Apoſtolica facultas ſibi facta ſit, cæteros Ordines ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter Diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus* Exorciſtatum *tantummodo ſupplere cogitur; cum per Subdiaconatum Græco ritu collatum Acolythatum, & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur.*

Pro 3. p. expendantur illico dicta.

Quantum ad 4. Maronitæ cenſent Exorciſtatum conferri in Ordinatione Pſaltis, quia Epiſcopus Pſaltem initians, & porrigens ei librum Pſalmorum, quo in Eccleſia Orientali energumeni exorcizantur, inquit, *Mereatur conculcare ſerpentes & ſcorpiones*. At Abraham Echellenſis & alii opinantur apud Syros Exorciſtatum conferri ſimul cum Diaconatu.

12. Ex enumeratis VII. Ordinibus alii vocantur ſacri, alii non ſacri. Sacri ſunt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Non ſacri ſunt reliqui IV. minores.

13. Unde dicantur Ordines Sacri, Scholaſtici non conveniunt.

Plurimi judicant Ordines dici ſacros, quia ipſis annexum ſit votum ſolemne caſtitatis. Sed difficile, imo falſum videtur Berto & Eſpenio cælibatum ad ſacri Ordinis ſubſtantiam requiri; quia ſi hoc eſſet, Subdiaconatus Sæculo VI. jam fuiſſet Ordo ſacer, cum illo tempore generaliter omnibus ad illum promovendis a S. Gregorio M. lib. 1. Ep. 42. cælibatus impoſitus fuerit; quod tamen eſt contra propriam illorum ſententiam, qua exiſtimant Subdiaconatum per priora XII. Sæcula in Eccleſia Latina non fuiſſe exiſtimatum Ordinem ſacrum. Inſuper Græci, qui uxores ante Subdiaconatum ductas retinent Diaconi, & Presbyteri, non haberent ſacros Ordines.

Alii Ordinem ſacrum & majorem illum exiſtimans, qui confert in Eccleſia Juriſdictionem aliquam, & Principatum. Et hoc ſenſu cenſens ſolum Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum poſſe appellari Ordines ſacros, ſeu Hierarchicos; non autem Subdiaconatum; quoniam ipſis ſolis ab antiquis temporibus Hierarchica reſpective juriſdictio competit, videlicet plebem regere, Sacramenta aliqua miniſtrare, prædicare verbum Dei, & benedicere.

Denique Ordo ſacer dicitur, quatenus tribuit ſpiritualem facultatem propius interviendi in miniſterio Altaris, in illo collocandi oblationes, & ſacra vaſa proprio ſibique commiſſo munere contrectandi, & ſi Ordo ſacer hoc ſenſu dicatur, contendit Bertus de Sacramento Ord. c. 5. etiam Subdiaconatum a primis Eccleſiæ Sæculis fuiſſe ſacrum Ordinem.

Nos litem hanc declinando, aſſerimus Subdiaconatui votum continentiæ Sæculo V. imponi cœpiſſe, & Sæculo VI. generaliter mandatum fuiſſe; uti conſtat ex ep. 12. Leonis M. ult. edit. atque ex 42. Gregorii M. mox relata; ac deinde tribus poſt Sæculis in aliquibus Eccleſiis ſacris Ordinibus annumerari, & junctim cum his inter Miſſarum ſolemnia conferri cœpiſſe; tandem Sæculo XIII. ſeu tempora Innocentii III. inter ſacros Ordines communiter computatum fuiſſe. Vide cap. a multis 9. de ætate, & qualit. & Ord. præficiendorum, & citatum ibi canonem 4. diſt. 60. qui eſt Urbani II. A. 1091. ſedentis non primi, ut mendoſe impreſſum paſſim habetur in citato cap. nono.

14. Quatuor minores Ordines, imo & Subdiaconatus primis Eccleſiæ Sæculis non præmittebantur ſemper Diaconatui, & Sacerdotio; neque, quemadmodum hodie, exiſtimatum fuit, illum per ſaltum, aut minus canonica fuiſſe ordinatum, qui uno, aut pluribus, vel ſubinde etiam omnibus minoribus omiſſis, ad Diaconatum, altioremque Ordinem promotus fuiſſet.

Hanc fuiſſe diſciplinam Eccleſiæ Græcæ vel ex eo conſtat, quod non omnes quatuor ex his ordinibus apud ipſam in uſu fuerint (N. 10. h. t.). De Latina habemus exempla luculenta: ſic Paulinus Monachus & frater S. Hieronymi, teſte S. Epiphanio ep. 60. inter Hieronymianas, per multos Diaconos apprehenſus, Diaconus *primum*, deinde

inde Preſbyter ordinatus eſt. Sic Severus Sulpitius in vita S. Martini Turonenſium Epiſcopi narrat, S. Hilarium Pictavienſium Epiſcopum voluiſſe B. Martino, cum adhuc *Laicus* eſſet, ſtatim Diaronatum conferre; cum autem ſe indignum tantæ dignitatis exiſtimaret, ei Exorciſtatum contulit, quo ſolo habito deinde ad Diaconatum aſcendit. Quo uno exemplo invicte demonſtratur intentum, non enim tum Juris Canonici, tum conſuetudinum Eccleſiæ Sæculo IV. receptarum imperitus, vel incurius cenſendus eſt Magnus Hilarius. Alia exempla videri poſſunt apud Morinum p. 3. Exercit. 11. c. 2. & apud Thomaſſinum p. 1. l. 2. cap. 35. Decretum Sylveſtri Papæ relatum diſt. 77. c. 1. dictis non obeſt, tum quia non eſt aperte contrarium, tum quia viris eruditis eſt ſuppoſititium (tit. 2. N. 155.). Eis vero favent Canones 2. & 3. citatæ diſt. in quibus a Zozimo & Siricio inter gradus ad majores Ordines non omnes quatuor minores enumerantur.

15. Iiſdem tamen Eccleſiæ Sæculis in utraque Eccleſia Ordo Preſbyteratus non conferebatur niſi Diaconis, nec Epiſcopatus niſi Preſbyteris.

Utriuſque Propoſitionis fundamentum habemus in Sardicenſis Concilii Canone 13. ubi ſtatuitur: *ut non prius ordinetur Epiſcopus, niſi ante & Lectoris munere, & officio Diaconi, aut Preſbyteri fuerit perfunctus: & ita per ſingulos gradus, ſi dignus fuerit, aſcendat ad culmen Epiſcopatus.* In hoc Canone particulam *aut* copulative pro & ſumi conſtat ex textu Græco eum ita vertente, & ex tò *per ſingulos* gradus aſcendat, aperte colligitur, ſicut & ex ipſo ſcopo canonis, cum editus potiſſimum fuerit adverſus Iſchyram, famoſum illum S. Athanaſii adverſarium, cui iogeſto Epiſcopatu, etſi Preſbyter non fuiſſet, authoritatem conciliare ſe poſſe ſperaverunt ejus fautores. Quod præter leges omnes Eccleſiæ ſanctiſſimas molitos eſſe, & Indificatoria Ordinatione in fumos diſſipata, tam non eſſe Epiſcopum Iſchyram, quam nec Preſbyterum profitetur S. Athanaſius Apologia II. Theodoret. lib. 2. cap. 8. Socrates lib. 2. c. 20. idque firmat conſtans Eccleſiæ conſuetudo, Ordinem Preſbyteratus nonniſi Diaconis, & Epiſcopatus nonniſi Preſbyteris conferentis, fundata in decretis Siricii, Innocentii, Zozimi, Cœleſtini, & Gelaſii relatis diſt. 77. ita ut veritati utriuſque propoſitionis obeſſe non poſſit ſilentium ſcripturæ in Ordinatione Barnabæ, Silæ, Barſabæ, Titi, Timothei &c. cum argumentum negativum, adeoque hac in re infirmum, ſolum efficiat, nec exempla quarundam extraordinariarum Ordinationum in Preſbyteros & Epiſcopos, quæ refert Thomaſſinus L. præcedenti N. citato, quia vel non clare contrarium monſtrant, vel meri facti ſunt, miranda potius, quam imitanda.

§. II.

De materia, forma, & ritu Ordinum.

16. **M**Ateria horum Ordinum in Eccleſia non fuit ſemper eadem.

In Eccleſia Latina Sæculi IV. ſine Preſbyteratus non conferebatur per Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia; nec Diaconatus per Evangeliorum traditionem: ſed prior per manus Epiſcopi, & præſentium Sacerdotum; poſterior per ſolius Epiſcopi manus impoſitionem, teſte Canone 3. & 4. Concilii IV. Carthaginenſis ſæpius jam laudati, cujus Eccleſiæ diſciplina illis ſæculis Romanam ex aſſe ſpirabat. De Eccleſia Græca certum eſt, apud illam in Ordinatione tum Preſbyterorum, tum Diaconorum incognitam ſemper fuiſſe, & de facto eſſe traditionem illam inſtrumentorum, Ritualibus illorum tum antiquis, tum recentioribus id atteſtantibus. Videatur infra N. 19.

17. Major tamen eſt modernæ diſciplinæ cum antiqua conformitas in Eccleſia Latina quantum ad Subdiaconatum, & reliquos minores Ordines.

Nam Canone V. dicti Concilii Sæculi IV. ſine celebrati pro Subdiaconatu, quemadmodum nunc, determinatur traditio Calicis vacui, & Patenæ vacuæ per Epiſcopum, & urceoli cum aqua, atque manutergii per Archidiaconum, libri vero Epiſtolarum nulla fit mentio. Canone VI. pro Acolythatu, quemadmodum nunc, determinatur Ceroferarium cum cereo, & urceolum vacuum, tradenda tamen ab Archidiacono. Canone VII. pro Exorciſtatu determinatur liber Exorciſmorum tradendus ab Epiſcopo. Canone VIII. pro Lectoratu, quemadmodum nunc, determinatur Codex Verbi Dei tradendus ab Epiſcopo; hoc tamen ſpeciale habet, quod Epiſcopo præcipiat, ut cum ordinatur Lector, de illo verbum ad plebem faciat, indicans ejus fidem, vitam, atque ingenium, quod hodie non obſervatur. Canone denique IX. pro Oſtiariatu, quemadmodum nunc, determinatur traditio Clavium Eccleſiæ, nulla mentione facta cymbali. In Eccleſia vero Græca ex dictis N. 11. h. t. & Oſtiariatus, & Acolythatus cum Subdiaconatu conferuntur, neque autem in Subdiaconatu, neque in Lectoratu conferendo traditio inſtrumentorum in Eccleſia illa adhibetur, teſte Morino exercitatione 11. nimirum tanquam materia Ordinis; nam teſte Goario in rituali Græcorum in notis ad Ordin. Subdiaconi N. 18. pag. 207. Officiorum quidem ſuorum inſtrumenta tradunt *recenter* ad Ordinem promotis Græci, non quibus primam & radicalem, ut dicunt, Ordinis poteſtatem illis conferre cenſeantur, ſed quibus potius ad acceptum munus exercendum excitent. Id quod primo etiam intendebatur in Eccleſia Latina, dum Diaconis, & Preſbyteris inſtrumenta tradi cœpere (N. 19. h. t.).

19. Hæc inſtrumentorum traditio videtur primo facta fuiſſe poſt Ordinationem, ut indicaretur Ordinato, quid vi Ordinationis ſuſceptæ agendum haberet.

Hæc conjectura fundamentum habet in Hugone a S. Victore, qui Sæculi XII. initio lib. 2. de Sacramento fidei p. 3. c. 12. de Preſbyteris hæc ſcripſit: *Accipiunt & Calicem cum vino & patenam cum hoſtiis de manu Epiſcopi.* Rationem ſubjungit: *quatenus his inſtrumentis poteſtatem ſe accepiſſe agnoſcant, placabiles Deo hoſtias afferendi.* Similia eadem tempeſtate ſcribit Magiſter ſententiarum lib. 4. diſt. 24.

20. Cum primitus in Eccleſia Latina Preſbyteratus & Diaconatus non conferretur, quemadmodum nunc, per traditionem dictorum inſtrumentorum, nec formam modernam in collatione horum Ordinum fuiſſe adhibitam certum eſt.

Propoſitio vel ex eo conſtat, quod verba in traditione horum inſtrumentorum hodie ab ordinante proferri ſolita ipſi traditioni ceu quædam formulæ ſubſerviant; nec ab Eccleſia Græca ex defectu ſimilis traditionis adhibeantur. Quamvis autem hactenus dicta abunde evincant, traditionem inſtrumentorum non poſſe dici materiam vel formam *eſſentialem* Ordinum, ita ut illa *ſemper* fuiſſet neceſſaria, aut nunc ubique ita requireretur, ut defecto illius Ordo *invalide* cenſeretur collatus; tamen in his omnibus cum omni exactitudine ſervanda ſunt ſingularum Eccleſiarum Ritualia: nec quidquam omittendum eo prætextu, quod illud cæremoniale duntaxat videatur: præſertim quod licet ſatis conſtet, traditionem inſtrumentorum, & verba ei reſpondentia, aliaque recenter in Ordinum collatione adhibita, non poſſe dici *ſemper* fuiſſe materias, aut formas eſſentiales a Chriſto inſtitutas; tamen certum videatur, quod poſtquam ab Eccleſia Latina communi-

muniter præſcripta ſunt, & recepta cum reliquis, quæ antiquitus ſemper adhibita ſunt, conſtituant nunc materiam & formam eſſentialem, a qua validitas Ordinis dependeat.

21. Inter ſacros ordinationum ritus præcipue notanda venit unctio Presbyterorum in manibus adhiberi ſolita.

Illa non eſt in uſu apud Græcos, teſtibus eorum Ritualibus. Apud Latinos tempore Nicolai Papæ I. ſeu Sæculi IX. medio ignota adhuc fuit; ſic enim ſcribit Radulpho Archiepiſcopo Bituricenſi apud Gratianum diſt. 23. cap. 12. *Præterea ſciſcitaris, utrum ſolis Presbyteris, an & Diaconis debeant, cum ordinantur, manus Chriſmatis liquore perungi? quod in ſancta Romana Eccleſia, cui Deo Auctore deſervimus, neutris agitur; ſed & quia ſit a nova legis Miniſtris actum, nuſquam (niſi nos fallat oblivio) legimus.* Imo plures Eccleſias eam ſatis ſero admiſiſſe probat Morinus Exercit. 6. c. 4. N. 1. & 2.

§. III.
De Officiis Ordinatorum.

22. Officia IV. minorum Ordinum in Eccleſia Latina Sæculo IV. eadem fere erant, quæ modo.

Vi enim materiæ ex decreto Canonum 6. 7. 8. & 9. Concilii Carth. IV. his Ordinibus initiandis tradendæ (N. 17. h. t.) Oſtiario committebatur cura claudendi, & aperiendi ea, quæ clavibus ab Altario ei traditis recondebantur. Lector de Codice ſacro ſibi tradito, populo prælegere, cumque inſtruere debebat. Exorciſtæ dabatur facultas manus energumenis imponendi, eoſque exorcizandi; ac demum Acolythus ſcire debebat *ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, atque ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.* Verba ſunt Canonis. Hoc tamen diſcrimen inter veterem illam ac modernam diſciplinam obſervandum; olim ſingulos ordinatos in ſingulis Ordinibus prius fuiſſe *exercitandos*, antequam ad altiorem gradum aſcendere permitterentur: nunc autem & IV. minores ſimul conferri, & illorum officia vel per conſtitutos in altioribus, vel per Laicos obiri. Ex S. Cypriano præterea diſcimus Lectorem in Africa pacem populo annuntiaſſe, & Evangelium in Eccleſia legiſſe; Acolythos inſuper detuliſſe eccleſiaſticas Epiſcoporum ad ſuos Collegas epiſtolas, quibus graviſſimis de rebus Eccleſiæ, ſæviente perſecutionum procella, inter ſe conſultabant. Hæc ille lib. 2. ep. 5. 8. 10. & lib. 3. ep. 7. 11. & 24.

23. Officia Subdiaconorum enumerat Pontificale Romanum, *Subdiaconum*, ajens, *oportet aquam ad miniſterium Altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas Altaris, & Corporalia abluere, Calicem & Patenam in uſu Sacrificii eidem offerre, denique Epiſtolam in Eccleſia Dei legere.*

Priora Officia Subdiaconorum hodie fere reducuntur ad miniſterium Altaris in Miſſa ſolemni, cum in Miſſis privatis illa vel per Laicos, vel per Sacerdotem obeantur. Imo in ipſa Miſſa ſolemni ſæpe tum per Diaconos, tum per Presbyteros, quod olim non erat in uſu. Poſterius etiam Officium, quod hodie præcipuum creditur, videlicet ſolemnis decantatio epiſtolæ, olim in Eccleſia Latina inter Officia Subdiaconi non recenſebatur; cum Canone V. Concilii Carthag. IV. nulla libri epiſtolarum mentio fiat (N. 17. h. t.) & fuſe oſtendit Morinus p. 3. Exercit. 12. cap. 1. Nec hodie apud Græcos recenſetur, ut idem probat ibidem. Cui tamen obſtare videtur teſtimonium Neophyti Rhodini, qui praxim Eccleſiæ ſuæ teſta Goario L. N. 17. cit. Romæ nuper vernacule expoſuit; atque ait: *Subdiaconi munus eſt, ut induat Epiſcopum & Sacerdotem: ut propoſitionem præparet, calicem, patenam, & reliqua pro Offertorio, ut vela lavet*, & Apoſtolum legat. Subdiaconorum præterea officium apud Græcos fuit, Eccleſiarum foribus adſtare, inducere, & educere Catechumenos, pœnitentes, & quoſvis alios. Teſte Blaſtare c. 4. item Crucem in Proceſſionibus & publicis ſupplicationibus deferre, quod etiam apud nos obſervatur. Vide Goarium l. cit.

24. Ampliſſima primis Eccleſiæ Sæculis erant Diaconorum officia, quæ tamen ex moderna Eccleſiæ diſciplina multum ſunt reſtricta, imo nec hæc ab ipſis plerumque exercentur.

Membrum primum evincunt eloquia Diaconis ſeu Miniſtris a Patribus recitata. *Sine ipſis Sacerdos nomen habet, officium non habet*, verba ſunt Iſidori de div. off. l. 2. c. 8. Et Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. c. 44. poſt relata plurima Diaconorum officia ait: *ceterum ſit Diaconus Epiſcopi auris, & oculus, & iterum os, cor, & anima, ne Epiſcopus ſollicitudine multarum rerum, ſed graviorum duntaxat urgeatur.* Nec immerito hæc dicta ſunt, ſiquidem in divino Officio ita Diaconus Sacerdoti Miniſter aſſiſtebat, ut pene omnia ipſo monente, & intendente peragerentur; quin & conſecratus Sanguis in vaſe, & in quibuſdam Eccleſiis corpus ipſum Dominicum per ipſum fidelibus diſtribueretur. Plurima inſuper in ſacris Ordinationibus, in Baptiſmis ſolemnibus antiquorum, in conſecratione Chriſmatis, & omnibus Eccleſiaſticis Officiis Diaconorum erant Officia; quin imo negotia fori utriuſque, voluntarii nimirum & contentioſi, Epiſcopi per Diaconos ut plurimum componebant; quæ cauſa fuit, ut ſe aliquando ipſis Presbyteris præferrent. Lege Morinum p. 8. Exercit. 9. late de his differentem.

Quantum ad 2. Pontificale Romanum Officia Diaconorum hiſce fere complectitur: Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare, & præterea legere Evangelium in Eccleſia Dei.

Tertium uſus hodiernus ipſe demonſtrat, quot enim videmus Diaconos baptizantes, & prædicantes? imo illorum Officium ad Altare ut plurimum a Sacerdotibus exercetur. Quæ diſciplinæ mutatio inde ortum habet, quod hodie nullus ordinetur in Diaconum, ut in Diaconatu perſeveret, in eoque miniſtret; ſed ut gradum ad Sacerdotium acquirat.

25. Presbyterorum functiones Pontificale Romanum ordinandis proponit his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare*; deinde peracta Ordinatione, ad Ordinatum dici jubet; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.*

Primum Officium videlicet offerre Sacrificium competit omnibus Presbyteris indiſcriminatim, & vi ſuæ Ordinationis: ſecundum vero ſeu benedicere publice per certas preces ex. gr. aquam, fruges &c. per aliquarum Eccleſiarum uſum, reſpectu quarumdam rerum reſervatur Epiſcopis, vel Parochis. Tertium, nimirum *præeſſe*, hodie exercent Presbyteri, dum populo in fundendis publicis precibus præſunt. Circa poſtremas eorundem functiones, quæ ſunt prædicare, & baptizare, ſicut & circa abſolutionem pœnitentibus impertiendam notandæ ſunt diſpoſitiones ſacrorum Canonum, præſertim Concilii Tridentini; nec non conſuetudines Eccleſiarum; licet enim harum functionum exercitium Presbyteris in ſua Ordinatione ſimpliciter, & ſine reſtrictione concedatur, per laudatas tamen diſpoſitiones varie reſtrictum eſt. Interim illud ſat conſtat, Presbyteros eum in finem ordinari, ut una cum Epiſcopis quiſque pro ſuo talento, & ut Eccleſiæ neceſſi-

ceſſitas vel utilitas poſtulaverit, laborent, & Eccleſiam ædificent.

§. IV.
De Interſtitiis.

26. ANtiqua utriuſque Eccleſiæ Lex eſt, ut uno Inferiore Ordine ſuſcepto aliqua temporis mora interponatur, priuſquam ad altiorem aſcendatur. Quam moram poſterior ætas *interſtitia* appellavit.

In Sardicenſi Concilio ab utraque Eccleſia recepto A. 347. Oſius edixit: *Habebit autem uniuſcujuſque Ordinis gradus non minimi temporis longitudinem, per quod & fides, & morum probitas, & conſtantia, & moderatio poſſit cognoſci.* Quæ Lex præcipue quantum ad majores Ordines fundamentum habet in Apoſtolo, Neophytum ad Epiſcopatum ſublevari prohibente.

27. Hanc moram a Sardicenſi indefinitam Siricius Papa Anno 385. epiſt. ad Hymerium Tarraconenſem c. 8. & 10. determinavit.

Juxta illam ſiquidem Lectorum Ordo (ſi ab infantia ſe ſe aliquis Eccleſiæ vovit obſequiis) ab illo obeundus erat ad pubertatem, Acolythorum vero & Subdiaconorum a pubertate ad annum ætatis 30. qui fere 20. ſunt anni tyrocinio ante Diaconatum ſubeundo dicati, inter Diaconatum vero & Presbyteratum interſtitii quinquennium poſuit; ac demum inter hunc & Epiſcopatum decennium. Qui vero adultus, ſive laicus, ſive Monachus ad Clerum aſpirabat, biennio inter Lectores, & Exorciſtas ſtipendia facere debebat; quinquennio inter Acolythos; & conſequenter ſeptennium ex indulgentia uſque ad Diaconatum curebat; a quo 5. anni Presbyteratum, & 10. ad Epiſcopatum inviolabiliter obſervandi. Refertur diſt. 77. c. 3. Quæ huc accommodari poſſent ex actis Sylveſtri Papæ Siricii Anteceſſoris, vacillantis fidei ob horum auctorum probabilem ſuppoſitionem exiſtunt. (tit. 2. N. 188.)

28. Hæc longioris temporis interſtitia diu in Eccleſia Latina religioſe obſervata ſunt, non tantum reſpectu Ordinum majorum, ſed etiam minorum.

Ea ſiquidem vehementer inculcata ſunt a Zozimo Papa A. 417. ſedente ep. 1. ad Heſychium apud Grat. diſt. 77. c. 2. De illorum obſervatione Cœleſtinus A. 427. ſedens vehementes & aculeatas expreſſiones fecit in ep. 2. ad Epiſ. Galliæ c. 3. Et quamvis Gelaſius ad Sæculi V. finem vel ſexti initium de illis aliquid remiſerit, temporum difficultate hanc indulgentiam extorquente, id tamen fecit multa adhibita cautione, priſcis pro ſui reverentia manentibus conſtitutis. diſt. cit. can. 8. Idonea quoque documenta ſuppetunt, ut hanc interſtitiorum legem in Oriente credamus valuiſſe; Theodorus quippe Diaconus Alexand. in Chalced. Synodo actione 3. ait: *Quindecim annos in eodem Clero permanſi, ſperans & majorem honorem mereri.* Alia exempla refert Thomaſſin. p. 1. lib. 2. c. 36. N. 11. Sed quanta apud hanc Eccleſiam interſtitia eſſe debuerint ex iiſdem colligi nequit.

29. Sæculi XIII. fine mos invaluit, ut interſtitia inter minores Ordines ſervarentur nulla, & inſuper omnes IV. uni eidemque perſonæ conferrentur.

Ea diſciplinæ mutatio inde nata eſt, quod tum conſuetudo inoleſceret abſolvendi minores Clericos a ſuis functionibus, quæ Laicis mandabantur. Sicut enim priorum Sæculorum laudabilis mos, quo minorum Ordinum Officia per perſonas iiſdem initiatas obiri debebant, atque ſuæ probitatis, quæ ipſos ad altiores ſubinde eveheret, in ipſis ſpecimina dare, cauſa fuit, quod non omnes IV. ſimul & ſemel, nec etiam eidem perſonæ conferrentur; ſed Clerici per intervalla ſubinde in pluribus, ſubinde in paucioribus exercerentur, prout nimirum pro cujuslibet qualitate Epiſcopo expedire videbatur (N. 14. h. t.); ita dum hæc omnia Laicis demandari cœperunt, & Clericorum aliunde, quam ex his Officiis probanda eſſet ad altiores Ordines dignitas, hæc quoque diſciplina invaluit.

30. Hanc diſciplinæ mutationem graviter illis Sæculis tulerunt Concilia varia; & antiquam reſuſcitari, quantum fieri poteſt, mandat Tridentinum.

Concilium Lambethenſe A. 1085. celebratum canone 5. inquit: *Contra dignitatem igitur tam reverentiſſimi eſſe dignoſcitur Sacramenti, quinque ſimul Ordines, ſcilicet Ordines non ſacros cum uno Sacro alicui uni homini exhibere. Unde in nonnullis aliis provinciis quatuor minores Ordines non ſimul faciliter conceduntur, & conferuntur; ut aſcendentes Clerici ad Chriſti myſteria, quaſi graduum canticum concinentes, cum probati exſtiterint in minoribus Officiis, gradatim demum procedant ad majora.* Junge Concilium Colonienſe I. A. 1536. celebratum p. 3. cap. 31. apud Colectum tomo 19. Conciliorum col. 1240.

Pro membro 2. Hæc ſunt formalia Tridentini Seſſ. 23. cap. 11. de reform. *Minores Ordines iis, qui ſaltem Latinam linguam intelligant, per temporum interſtitia conferantur; ut eo accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint edoceri, ac in unoquoque munere juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant:* Addit tamen, *niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur.*

31. Olim illi, qui interſtitia non ſervabant, dicebantur promoti per ſaltum; hodie vero ii, qui Ordines gradatim non ſuſcipiunt.

Quantum ad 1. p. Sic habet Siricius Papa in jam laud. N. 27. ep. 1. c. 13. poſt præſcripta in Monachorum Ordinatione interſtitia. *Nec ſtatim* Saltu *ad Epiſcopatus culmen aſcendant, niſi in his eadem, quæ ſingulis dignitatibus ſuperius præfiximus,* tempora *fuerint cuſtodita.* Et Zozimus in relata N. 28. ep. 1. *Nec vile ſit Exorciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per Ordinem fieri; nec hoc* Saltu, *ſed ſtatutis* majorum Ordinatione temporibus.

E contra Concilium Trid. Seſſ. 23. c. 14. de reform. ait. *Cum promotis per* Saltum, *ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare; nimirum ut in Ordine ſuſcepto miniſtret* (ita ordinatus), *poſtquam* Ordinem omiſſum *ſuſceperit; uti colligitur ex cap. Un. de Clericis per Saltum ordinatis.* Et non judicamus ordinatos per Saltum, qui quatuor minores hodie ad ſemel ſuſcipiunt, & cras Subdiaconatum; bene vero, ſi omiſſo hodie ordine Acolythatus, cras Subdiaconatus ſuſciperetur. Ratio hujus diverſitatis eſt, quod antiqui Ordines minores eo duntaxat fine conferrent, ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur: quare ſi judicaretur aliquem altiorem mereri, nec in minori alio adhuc eſſe probandum, eodem omiſſo ad altiorem promovebatur, ut jam inculcavimus, & ſolide probat Morinus p. 3. Exercit. 11. c. 2. E contra recentior diſciplina Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur, & per illarum obitionem probetur, ſed inſuper ut neceſſario prærequiſitos ad majores.

QUÆSTIO HISTORICO-CRITICA.
An Diaconiſſæ illæ, quæ in miniſterio erant Eccleſiaſtico, aliquando verum ſuſceperint Ordinem?

32. NUmero VI. h. t. Diaconiſſas partiti ſumus in eas, quæ ita dicebantur, quod eſſent uxores Diaconorum, & in illas, quæ

mini-

miniſteria quædam obibant in Eccleſia, præſertim circa mulieres; & hæ poſteriores ſunt objectum præſentis quæſtionis.

33. Harum inſtitutio temporibus Apoſtolorum coæva eſt; Paulus ſiquidem Apoſtolus cap. ult. ep. ad Rom. commendat Phœben in Miniſterio Eccleſiæ, in Cenchris, Suburbio Corinthi, exiſtentem. Ex Virginibus & Viduis aſſumebantur Diaconiſſæ: initio tamen Eccleſiæ communius fortaſſe ex Viduis, quas quidem idem Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. volebat eſſe monogamas, & ſexagenarias; quam tamen ætatem ad quadraginta annos contraxit Synodus Chalcedonenſis Sæculo V. Ab Epiſcopo ſolo velabantur, quin ordinabantur ſuo modo per manus impoſitionem, de quo infra. Continentiæ perpetuæ lege adſtringebantur, & ſi poſt factam ſui Ordinationem nuberent, anathemati ex Concilio Chalcedonenſi ſubjacebant; ex conſtitutione vero Juſtiniani capitis cum Sponſis diminutioni. Concilium item Epaonenſe in Gallia Sæculo VI. celebratum illatum conjugium jubet ſeparari; & propter adgnitam huic ſexui incontinentiam nullas deinceps in illa regione Diaconiſſas conſecrari. Cujus ſtatutum amplexi ac imitati videntur cæteri Galliarum ea tempeſtate Epiſcopi: ita ut illo Sæculo in Francia Diaconiſſarum Ordo omnino exoleverit. Paulo diutius ſubſtitit in Hiſpania. Sed ea interpoſita eſt ibi cautio, ut generoſæ illæ fœminæ quadragenariæ, quinquagenariæve continentiæ promiſſionem ſcripto firmarent. Non autem ante Sæculum X. aut XII. earundem Ordinatio penitus obſolevit in Occidente; in Oriente autem adhuc perſeverabant Sæculo XIII. ineunte, in ſola tamen Conſtantinopolitana Eccleſia, in aliis ſiquidem dudum pariter exſtinctæ erant. Vide Thomaſſ. p. 1. lib. 3. c. præſertim 50. compendium noſtrum late demonſtrantem.

P R O P O S I T I O.

Diaconiſſæ primis Eccleſiæ ſæculis ordinatæ fuerunt, ſeu ſacra aliqua cæremonia initiatæ; per quam tamen Ordinem Eccleſiaſticum non conſequebantur.

34. PRimam propoſitionis partem comprobant rum S. Pauli 1. ad Timoth. c. 5. v. 9. ea inſtituentis verba: *Vidua eligatur non minus 60. annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Viduas vero nomine Diaconiſſas intelligi ipſa verborum ſeries oſtendit, quæ de Miniſtrorum Eccleſiæ tum electione ad ordinationem prævia, tum de conſecratione ipſa manifeſtum ſermonem habet. Item primorum Eccleſiæ tum Patrum, tum Conciliorum authoritas, quæ dum de Diaconiſſarum conſecratione loquuntur, verbo *Chirotonias*, quod proprie ordinationem ſignificat, eandem communiter exprimunt; eo ſiquidem utitur Tertullianus lib. 1. *ad Uxorem* cap. 7. *Viduam*, inquit, *adlegi in* Ordinationem *niſi univiram non concedit* (Apoſtolus): item lib. *de exhort. caſtitatis*; *quantæ igitur, & quæ* ordinati *in Eccleſia ſolent, quæ Deo nubere maluerunt*. Eodem ſtylo utuntur Author conſtitut. Apoſt. lib. 8. c. 10. & alibi Concilium Chalced. can. 15. Trullanum can. 14. & 40. Accedit pro Eccleſia Latina Ordo Romanus *de conſecratione* Diaconiſſæ, pro Græca Rituale Græcorum a Goario editum ſub titulo: *Oratio in Diaconiſſæ ordinatione* pag. 218.

35. Secunda pars inde evincitur: quod neque ex Patrum, ſive Conciliorum, aut Ritualium authoritatibus allatis extundi poſſit, Diaconiſſas ordinatione ſua ad ſacrum aliquod circa Euchariſtiam miniſterium fuiſſe deſtinatas. Officia namque harum mulierum ex conſtitutionibus Apoſtolicis, quas etſi apocryphas (Tit. 2. N. 66.) Græci pro Rituali ab antiquiſſimis temporibus adoptarunt lib. 2. cap. 26. erant 1. Fœminas; ſi Epiſcopum vel Diaconum alloqui vellent, ad illos, tanquam honeſtatis illarum teſtes, adducere. 2. Ex iiſdem conſtit. l. 3. c. 7. Viduarum curam cum Diaconis quodammodo communem habere. 3. Ex lib. 3. c. 15. negotiis urgentibus, & Epiſcopum mulieres adire, aut ab ipſis commode vel decore conveniri non ſuadente honeſto, harum ſeola ad Epiſcopum, & viciſſim ſenſus voluntatemque Epiſcopi ad illas referre. 4. Ex Concilii Carth. IV. can. 12. ruſticis & imperitis mulieribus principia fidei, vel Baptiſmi ritus exponere. 5. Ex conſtit. item Apoſt. lib. 3. c. 2. & 3. in ipſo Baptiſmo in corporibus mulierum nudandis & caute, prout deceret, operiendis attendere; & Chriſma vel oleum fronti, capitique per Diaconum impoſitum per totum corpus manibus expandere. 6. Ex iiſdem lib. 8. c. 28. ad pudorem adhuc fœminarum relevandum, portam, qua in Eccleſiam ingrediebantur, cuſtodire. 7. Ex iiſdem lib. 2. c. 59. ad finem, ſingulas mulieres, ſive pauperes, ſive divites Eccleſiam ingreſſas, & qua conſiderent neſcias, proprio loco ſtatuere. 8. Ex Epiph. adverſus Hæreſes cap. ult. teſtimonium authenticum per corporalem explorationem Eccleſiæ Prælatis dare, cum de amiſſa integritate in ſuſpicionem veniebat Virgo Deo ſacrata; & tandem illarum curæ in monialium monaſteriis tota ſacra ſupellex commiſſa erat; imo ſecundum quoſdam ad ſanctum Altare penetrare illis erat licitum, & Diaconis viris munia proxima & ſimilia obire. Et propter hæc omnia in Agapis Eccleſiæ pars ſeponebatur Diaconiſſæ ex iiſdem Conſtit. lib. 2. cap. 28. & ex reliquiis oblationum portio illi aſſignatur lib. 8. c. 31.

Solvuntur Objectiones.

36. COntra primam partem allatæ propoſitionis militare videtur celebris canon 19. Concilii Nicæni; ex eo ſiquidem manifeſte colligi videtur, Diaconiſſas tempore Concilii Nicæni nequaquam fuiſſe ritu aliquo ſolemni ordinatas, ſeu initiatas, ſed nude ad miniſteria præfata deputatas. Poſtquam enim Patres ibi decreviſſent hæreticos Paulianiſtas rebaptizandos eſſe, & qui apud eos ordinati erant, ſi Sacerdotio digni forent, rurſus ordinandos, addunt quidem: *Similiter autem & de Diaconiſſis, & omnino de omnibus, qui inter Clericos annumerantur, eadem forma ſervabitur*: at ne credatur, eas, quemadmodum alios Clericos, quos inter connumerantur, aliqua ſacra cæremonia initiari, ſubdunt: *Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec illam habent manuum impoſitionem, ut omnino inter Laicos ipſæ connumerentur*. Et ita hunc canonem intelligit Cl. D. Vaneſpen in ſuo tractatu hiſtorico-canonico p. 2. c. 1. §. 7. ubi eundem ad hunc modum exponit, additque: *ne quidem ex ullo antiquitatis monumento conſtare, Diaconiſſas per manuum impoſitionem ſaltem tempore Synodi Nicænæ fuiſſe ordinatas*.

37. At ſi expendantur Authoritates tum Tertulliani, qui diu ante Concilium Nicænum ſcripſit, item conſtitutionum Apoſtolicarum, quæ ex primitivæ Eccleſiæ tum conſtitutionibus, tum traditionibus ac moribus ſunt conflatæ, aliaque plurima antiquitatis monumenta, verbo *Chirotonias*, id eſt manuum impoſitione initiationem Diaconiſſarum exprimentia; in ſententiam Eſpenii non facile eſt concedendum; ſed alia duplex naturalis explicatio canoni vexatiſſimo adhibenda; quarum prima eſt eximii Domini Witaſſe tomo VI. ſuæ Theologiæ de Sacram. Ord. p. 1. q. 6. A. 2. ubi dicit: *Patres ad calcem hujus canonis ideo*

Diaconiſſarum (quas prius in catalogo Clericorum collocaverant) iteratam mentionem facere, & inter Laicos annumerare; ne quis inde colligeret, illas vera & legitima ordinatione eſſe initiatas, non quod aliqua manuum impoſitione jam tum non donarentur, cum id conſtet, inquit, *ex innumeris Eccleſiæ monumentis*. Id quod ipſum noſtra edicit propoſitio. Altera eſt expertiſſimi in re Græca Goarii commentario in Orationem Ordinationis Diaconiſſæ pag. 220. col. 2. ubi ex Zonara in cit. can. 19. refert: *plures ante Concilium Nicænum fuiſſe Virgines, quæ caſtitate jugiter ſervata Deo ſe conſecrare ſtudebant; ex earum itaque collegio quaſdam Epiſcopi ad Diaconicum munus ſeponebant; quibus peculiarem quoque habitum (quaſi Diaconiſſis) anno ætatis 25. concedebant, & hæ, quamvis adhuc forent Laicæ, & habitum portarent ad probationem potius virtutis, quam ad Ordinis etiam tum diſpenſatione ſuſceptionem, Diaconiſſarum tamen nomine & honore gaudebant: de quibus proinde canon Nicænus cit.* inquit ille, *qui pleroſque moris hujus ignaros torſit, potuit abſque facta cuicumque alteri canoni oppoſitione dicere*: Diaconiſſarum autem meminimus, quæ in habitu quidem cenſentur, quoniam nec ullam habent manus impoſitionem, ut omnino inter Laicos ipſæ connumerentur.

38. Contra II. ejuſdem propoſitionis membrum opponi poſſunt I. Authoritates Patrum & Conciliorum pro ſtabilienda prima parte a nobis allatæ, quibus Diaconiſſæ ordinari, & initiari per manus impoſitionem dicuntur; quibus adde Epiphanium hæreſi 79. & alios Patres eas intra *Eccleſiaſticum Ordinem* concludentes. Item Nazianzenum ep. 95. & Synodum Trullanam eas in *Eccleſiaſtica Dignitate* collocatas agnoſcentes. Denique S. Baſilium ejuſmodi mulierem, ſi fornicata fuerit, *deponendam* eſſe pronuntiantem ep. ad Amphil. c. 44. Vera igitur & legitima ordinatione initiatæ erant. II. Ipſe Ritus ordinationis earundem in Rituali Græcorum ſæpe laudato expreſſus, ritui ordinationis Diaconi fere ſimilis. Sicut enim dum Diaconus ordinandus præſentatur Archiepiſcopo, ille exclamat; *Divina Gratia &c.* ita & in præſentatione Diaconiſſæ; & ſicut poſtea ſuper caput ejus manum imponit, tribuſque crucibus effictis ſuper ipſum precatur, ita ſimiliter facit cum Diaconiſſa. Quin eandem formam, quam ſub manus impoſitione profert ſuper Diaconandum, etiam recitat ſuper promovendam in Diaconiſſam. Et quod plus eſt, ſicut ſtola Diaconica humero ſiniſtro Ordinati circumponitur; ita quoque Diaconica Stola ſub Pallio collo Diaconiſſæ a Pontifice circumdatur, duas illius extremitates ante pectus reducente. Tandem ſicut Diacono, ita & Diaconiſſæ peracta communione calix in manus traditur. Et hinc Arcudius ritum hunc & præſertim formam *Divina Gratia &c.* in Ordinatione Diaconiſſarum a Rituali Græcorum olim præſcriptam judicat erroneam, immo hæreticam, per abuſum Græcorum contra mentem Apoſtolicarum conſtitutionum introductam, cum ea ſtante non dignoſceretur varia impoſitio facta Diacono & Diaconiſſæ, imo eadem plane exiſtimaretur, quando & eadem forma conſecrationis recitatur. Accedit & Ordo Romanus in Bibliotheca Patrum, ubi benedictionis iſtius formula exhibetur.

39. Reſp. ad I. Patres & Concilia allata loqui ad mentem noſtræ propoſitionis; ex eo enim quod ordinatas manuum impoſitione Diaconiſſas ediſſerant, ſatis innuunt, eas ad miniſterium ſuum inde non fuiſſe deputatas, quemadmodum nunc deputatur obvius quidam Ædituus, aut Sacriſta; ex eo vero, quod recenſendo earundem officia nil conſignent, quod Ordinis Sacri functionem redoleat, quemadmodum h. t. N. 35. vidimus, ſententia illorum de earundem Ordinatione verbis ſubjecta, de Ordine, gradu, & dignitate Eccleſiaſtica *late* ſumpta intelligenda venit.

40. Ad II. Reſp. cum Goario L. ſæpe cit. N. 3. Arcudium zelo potius, quam ratione in ſuos, quos pie exponere debuiſſet, invehi. Non enim error aut hæreſis eſt, ſi quædam ſacramentalis formæ Diaconatus verba verbis conſecrandæ Diaconiſſæ neceſſariis adjungantur, aut adaptentur. Formæ enim ſicut & rerum definitiones numeris ſunt ſimiles, quibus ſi addatur unitas, aut detrahatur, priorem numerum perdi, & alium exurgere neceſſe eſt. Itaque concedimus allata in argumento veritate niti, ſed contendimus ea propoſitioni noſtræ haud obeſſe, cum illis non obſtantibus tantæ Diaconum inter & Diaconiſſam adhuc hient rimæ, quæ vel lippo diſcretionem inter utroſque commonſtrant. Imprimis enim ipſe mulieris ſexus ſacri Ordinis ſuſpicionem ab ea longe removet. Secundo ipſa intentio Ordinantis, quæ ex miniſteriis, ad quæ per verba ordinationis deputatur, ſatis innoteſcit. Sed audiatur Græcus Commentator Matthæus Blaſtares c. 11. *Tu Guſticbein peragi convenit*, inquit ille ibi, *paucis exceptis in Diaconiſſæ Ordinatione, quæ & in Diaconi. Illam etenim ad S. Menſam adductam, maforio velari decet, pendentibus a parte anteriori ejus extremis. Poſtquam vero dictum fuerit;* Divina gratia, quæ infirma curat, *nullum ipſa inflectit genu, ſed caput ſolum. Impoſita vero illi manu precatur Pontifex, ut miniſterii opus inculpate abſolvat, continentiam & honeſtam converſationem obeat, atque ita in ſanctis Ædibus perſeveret; non tamen ipſam illibatis myſteriis miniſtrare permittit, aut flabellum obtrectandum more Diaconi illi committit. Collo deinde ipſius ſub Maforio ſtolam Diaconicam imponit Pontifex, & in partem anteriorem ejus extrema reducit. Communionis autem tempore, poſt Diaconos Sanctorum myſteriorum ipſam participem facit: & ex ejus manu illa calicem accipit, nulli tamen diſtribuit: ſed confeſtim traditum in ſancta menſa reponit.* En diſcrimina, quæ ſacrum Ordinem in Diacono aperte produnt, a Diaconiſſa aperte removent. Diaconus ſtola Diaconica & oſculo ab Ordinatore accepto flabellum recipit, & a ſanctæ menſæ dextris ſtatuitur, ut ventilet, juxta Rituale Græcorum; nihil horum Diaconiſſa. Diaconus juxta idem, accepto calice, egreſſus communicaturæ plebi illum diſtribuit; neuter Diaconiſſa vix eo tacto illum confeſtim in ſancta menſa reponit, hoc ipſo indicans, nihil ſibi negotii cum Sacrario competere.

T I T U L U S XV.

De ſacra Unctione.

1. UNgi ſolent juxta cap. un. hujus tituli, & praxim Eccleſiæ Epiſcopi, Sacerdotes, ſuſcipientes baptiſmum, confirmationem, atque extremam unctionem; quæ unctiones a Canoniſtis ſacramentales appellitantur. Item Imperatores, Reges, & Reginæ, Eccleſiæ, Altaria, etiam portalia, calices, patenæ, fons baptiſmatis, & campanæ, quæ extraſacramentales audiunt.

§. I.

§. I.

De ſacris Oleis, eorum Confectione, & Benedictione.

2. OLeum, quo dictæ unctiones perficiuntur, triplex in utraque Eccleſia reperitur; nimirum infirmorum, Catechumenorum, & Chriſma.

Oleum infirmorum æque ac catechumenorum olivarum fœtus ſunt, nec inter ſe, niſi diverſa benedictione differunt; Chriſma vero inſuper admixtione balſami ab utroque ſecernitur. Chriſmate Eccleſia utitur tantum ad Sacramenta, & ad Conſecrationes; aliis vero duobus oleis etiam ad alia. De horum benedictione, atque ſieri per illa ſolitis unctionibus hiſtorice jam commentandum.

3. Olei benedictio ex Apoſtolica traditione deſcendit.

Hæc aſſertio probari nequit ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, in quorum lib. 8. c. 29. S. Matth. ſtatuit: *ut benedicat Epiſcopus, vel in ejus abſentia Presbyter præſente Diacono aquam & oleum*; eo quod ſint ſuppoſititiæ (h. lib. tit. 2. N. *66.*). Claſſicum igitur pro illa ſtabilienda habemus teſtimonium S. Baſilii M. qui lib. de Spiritu S. c. 27. Sæculi IV. hæc ſcribit: *Benedicimus baptiſmatis aquam, & unctionis Oleum. Quibus vero ſcripturis edocti? nonne a ſecreta & ſilente traditione?* Cujus origo cum in nullo Patrum Baſilii anteceſſorum monumento conſignetur, eam ab Apoſtolis deſcendere in aprico eſt; eo vel maxime, quod olei unctionis *uſus* jam viguerit Sæculo II. (N. 15. h. t.)

4. Quamvis ex Dionyſii Areopagitæ, Theophili Antiocheni, Tertulliani, & Cypriani Scriptorum primi, ſecundi, & tertii Sæculi (ſi tamen opera Dionyſii revera ipſius ſunt) authoritatibus, quas refert Witaſſe de Sacram. Confirmationis, atque ex teſtimonio S. Baſilii M. N. præcedenti allato certum ſit, oleum ab omni ævo in chriſmatis, ſeu unguenti (1) confectione adhibitum fuiſſe; epocha tamen, qua balſamum illi admiſceri cœpit, non ita tuto figi poteſt.

Id apparet ex ſcriptorum circa illam diſſidio. Juenin enim ſentit ante Sæculum VI. admixtionem balſami, ſive aliorum aromatum apud Orientales, ſive Occidentales vix in uſu fuiſſe; ſed puro oleo inungere conſueviſſe; probabile enim eſſe ait Apoſtolos, eorumque ſucceſſores iis Sæculis, quibus perſecutio vigebat, copiam balſami non habuiſſe, quod oleo miſcerent ad Neophytos confirmandos. Probat etiam ex ſilentio Patrum Græcorum Juſtini, Baſilii, Cyrilli Hieroſolymitani: Latinorum vero Tertulliani, Cypriani, Innocentii I. Auguſtini, qui de chriſmate ſermonem habentes balſami non meminerunt. Alii vero, inter quos Gottus de Sacram. Confirm. & Witaſſii Continuator ibidem, exiſtimant mixtionem ſive balſami, ſive aliorum etiam odoramentorum cum oleo in chriſmate conficiendo Eccleſiæ, præſertim Græcæ coævam eſſe; & pro Sæculo I. adducunt Dionyſium Areopagitam de Eccleſ. Hierarch. c. 4. aſſerentem: *Unguenti compoſitionem eſſe quandam ſuaviter ſpirantium materiarum*, inter quas utique balſamum locum principem obtinuerit. Pro Sæculo II. S. Irænæum lib. c. 18. Valentinianos & Gnoſticos reprehendentem, non quod baptizatos ungere ſolerent oleo balſamo commixto; ſed quod alii eos ungere ſolerent ſolo balſamo, alii vero aqua, oleo, & balſamo una permixtis, quemadmodum locum illum explicat Witaſſii continuator tomo VII. c. 5. §. 6. ex apertis ipſius verbis. Ubi etiam contra Dallæum, Calvinum, & Magdeburgenſes evincere conatur, non Eccleſiam Romanam mixtionem balſami cum oleo a Valentinianis & Gnoſticis, quemadmodum illi calumniantur, didiciſſe: ſed potius illos hæreticos unctionem in Eccleſia oleo balſamo permixto, quod nunc chriſma vocamus, tum jam fieri ſolitam, admiſcendo aquam, vel oleum a balſamo ſeparando, pervertiſſe, quod ſimiis Eccleſiæ hæreticis ſolemne eſſe ſolet. Pro Sæculo III. adducunt Fabiani Papæ ep. 2. ad Orientales, in qua ait *Chriſtum inſtituiſſe, ut Apoſtoli die cœnæ chriſma conficerent ex oleo & balſamo*. Pro Sæculo IV. præter alios adducunt conſtitutiones Apoſtolicas, quæ etſi ſuppoſititiæ (h. lib. tit. 2. N. *66.*) infra hoc Sæculum tamen collocari baud poſſunt, in quorum lib. V. cap. 17. fit diſtinctio inter oleum baptiſmi, & unguentum, quod eſt confirmatio confeſſionis. Pro Sæculo V. allegant S. Auguſtinum lib. II. contra literas Petiliani c. 104. quo loco S. Patrem chriſmatis nomine intelligere unguentum ex oleo & balſamo confectum opinatur continuator Witaſſii L. cit. pag. 339. Verum adductæ authoritates intentum ſaltem quoad remotiora Sæcula non evincunt, tum quia de Authore librorum de Eccl. Hierarchia de facto litigatur, & Irænæus nonniſi illative adducitur; Ep. vero Fabiani Papæ eſt ſuppoſititia (h. lib. tit. 2. N. 155.); reliquæ vero adductæ authoritates ſole meridiano clariores non ſunt; tum quia alii Patres, dum de Chriſmatis unctione in confirmatione verba faciunt, ſolius olei meminerunt.

5. Poſt Sæculi VI. medium mixtio balſami cum oleo in Eccleſia Latina jam fuit in uſu.

Id aperte ſupponit canon IV. Concilii Bracarenſis A. 572. quo præcipitur: *ut nullus Epiſcoporum. pro modico balſami, quod benedictum pro baptiſmi Sacramento per Eccleſias datur, ---- quidquam ulterius exigat*. Et S. Gregorius Sæculi hujus fine Eccleſiam illuſtrans in Sacramentario *de benedict. chriſm. in cœna Domini* idipſum ediſſerit, dum ait, *Præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur Pontifici, ut accepto balſamo, & commiſcitato cum oleo, manu ſua impleat illam*.

6. Eccleſia Latina chriſmati præter balſamum nunquam aliquid aliud admiſcuit: bene vero Eccleſia Græca.

Priorem partem conficit authoritas tum mox allati canonis IV. tum Gregorii M. tum aliorum poſt ipſos hanc materiam tractantium Scriptorum, Bedæ, Alcuini, Amalarii &c. qui ſolius balſami meminerunt, & quamvis Sæculo IV. Græci Latinis objecerint, quod ex aqua fluminis chriſma conficerent, eos tamen craſſe erraſſe oſtendit tum Nicolaus I. Ep. 70. *ad Epiſcopos Galliæ*, tum hujus Eccleſiæ continuo ab ipſo ad nos uſque continuata praxis.

Quantum ad Græcos, illi præter oleum & balſamum jam olim alias quoque materias odoriferas, & hodie 35. genera aromatum cum non exigua quantitate vini ad conficiendum chriſma adhibent. Vide Græcorum Rituale a Goario editum *de officio S. Olei*.

7. Diſtinctio chriſmatis, olei Catechumenorum, & infirmorum, ſimulque diverſus. benedictio-

(1) Notandum: *Chriſma vocem Achivam latine unguentum ſonare, ac æque oleum purum, quam balſamo mixtum ex generica ſua ſignificatione exprimere; quamvis ex moderna loquendi conſuetudine ſignificatur genericus uni ex tribus unguentorum Eccleſiæ ſpeciebus, mixtæ ex oleo & balſamo appropriatur. Quod adnotare operæ pretium duximus, ne Lector idcam falſam Patrum ſententiis adfectandis aſſuat.*

ctionis eorundem ritus a primis Eccleſiæ Sæculis deduci poteſt.

Patet hoc, inquit doctiſſimus Bougettus in inſtitutionibus Catholicis tom. a. p. 3. ſect. 2. c. 8. §. 5. ex *vetuſtiſſimis Eccleſiæ ſeu Græca, ſeu Latina libris, quibus harum benedictionum ritus continentur*. Certe in Sacramentariis Gelaſiano (in Liturgia Romana a Muratorio A. 1748. edita tom. 1. a col. 554.) & Gregoriano ibidem tom. 1. a col. 54. apertiſſima horum oleorum, eorundemque conſecrationis formularum habetur diſtinctio, quas huc tranſcribere longum foret. Gelaſius autem Sæculo V. floruit, Gregorius Sæculo VI. Non fuit autem Gelaſius rituum horum inſtitutor, quod a Prædeceſſoribus accepit, hoc tradidit, & ſcripto reliquit.

8. Chriſmatis aliorumque oleorum benedictio primis illis Sæculis omni tempore fieri poterat; circa Sæculum VII. conſuetudo probabiliter invaluit, ut die Jovis ſancto tantum celebraretur; Græci hac in parte ſingularia quædam habent.

Primæ aſſertionis parti non obſtat ep. 2. Fabiani Papæ Sæculo III. *ad Orientales Epiſcopos* ſcripta, apud Gratianum c. 18. diſt. 3. de conſec. in qua ex Apoſtolorum traditione chriſmatis confectio ſancto die Jovis peragenda, & quotannis renovanda præcipitur; eſt enim ſuppoſititia (h. lib. iii. a. N. 155.): quin aperte aſſeritur in canone 20. Concilii I. Toletani Sæculo V. celebrati, ubi edicitur: *Epiſcopo ſane certum eſt omni tempore licere chriſma conficere*.

Secunda pars colligitur ex eo, quod hujus ritus fiat mentio in Sacramentario S. Gregorii M. qui hujus Sæculi initio obiit, mox cit. edit. col. 54. ſub hac Rubrica *in ipſo die* (S. Jovis) *ita conficitur chriſma &c.* in antiquo Ordine Romano, in epiſtola Pſeudo - Fabiani mox relata & circa illa tempora ab Iſidoro Mercatore cum aliis proneuſa, atque in aliis ejuſdem ævi de divinis officiis ſcriptoribus.

Quantum ad tertiam, Græci ſpecies ſuas, quas conficiendo chriſmati adhibent (N. 6. h. t.), omnes infra Quadrageſimam coacervant, & primo per miniſtros ad hoc deſtinatos tundunt, & cribrant, tum compoſitionem, deinde concoctionem faciunt, & confectum unguentum ſervant uſque ad feriam V. in cœna Domini, qua illud conſecrant ritu ſolemni, teſte antiquo Euchologio Barbetino ante 800. annos conſcripto. Eadem feria V. teſte Goario in notis ad officium S. Olei N. 22. in ſuo Græcorum Rituali pag. 353. oleum infirmorum a Græcis Pontificibus ſolemni pompa benedicitur; at cum vi cæremoniali adſtantium unctione eodem tempore conſumatur, Sacerdotibus ſimplicibus fit poteſtas, illud, quoties urſerit neceſſitas, benedicendi, qui etiam ante baptiſmi cujuslibet adminiſtrationem benedicunt oleum catechumenorum, ut ex N. ſequenti conſtabit.

9. Solis Epiſcopis ex communi & perenni Eccleſiæ Latinæ ſenſu ſemper licuit, & de facto licet conſecrare chriſma, & alia duo olea, quamquam Presbyteri ſubinde contra regulas Eccleſiaſticas hanc poteſtatem ſibi arrogaverint. In Eccleſia Græca Presbyteri ea gaudent, quantum ad conſecrationem olei Catechumenorum, & infirmorum.

Primo membro ſuffragatur canon III. Concilii Carthaginenſis II. A. 397. quo ſtatuitur: *ut Presbyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, chriſma vero nunquam conficiat*. Concordant alii canones relati a Grat. cauſa 26. q. 6.

Secundum liquet ex canone 20. Concilii Toletani I. A. 400. his verbis concepto: *Quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur chriſma conficere; placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum chriſma facere, & per Diœceſim deſtinare*. Et quidem huic præſumptioni, inquit Martene de antiqua Eccleſiæ diſciplina in divinis celebrandis officiis cap. 22. §. 9. occaſionem præbere potuit antiquiſſimus Eccleſiæ uſus, Presbyteros una cum Epiſcopo adhibendi ad chriſmatis conſecrationem, ſi non ut cooperatores, ſaltem ut tanti myſterii teſtes. Quod non obſcure innuit præſens canon 20. illis verbis: *quamvis pene ubique cuſtodiatur, ut abſque Epiſcopo chriſma nemo conficiat*.

Tertium membrum adſtruunt Græcorum Euchologia. Quam conſuetudinem ipſis non prohibuit Clemens VIII. in ſua inſtructione ad Epiſcopos Latinos, qui in ſuis Diœceſibus numerabant Presbyteros Græcos, directa, in qua ait: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea ſancta præter Chriſma ab Epiſcopis Latinis diœceſanis accipere, cum ejuſmodi olea ab eis in ipſa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur*. Benedictionem olei Catechumenorum a Sacerdote in adminiſtratione Sacramenti baptiſmi & confirmationis fieri ſolitam vide apud Goarium pag. 289. infirmorum vero ibi in N. præcedenti citata pag. 353. Quod vero non habeant poteſtatem conſecrandi chriſma, etſi confirmationis Sacramentum conferre valeant, præter jam dicta, patet ex eo, quod Arcudius apud Goarium teſtetur, Patriarcham Conſtantinopolitanum conſecratum ab ipſo ſemel in anno chriſma mittere ad Metropolitanos, qui illud Epiſcopis, hi Presbyteris dividunt.

10. Cæremoniæ in conſecratione ſacrorum Oleorum hodie adhiberi ſolitæ, & infra N. 24. deſcribendæ, præſertim inſufflationes in illa, eorundemque Salutationes ſunt antiquiſſimæ, & ſæculo VI. ſaltem, ſi non V. jam uſitatæ.

Præſcribuntur namque ad longum in Ordine Romano Veteri primo a N. 30. in editione Muratoria ſupra citata col. 992. 993. & ſeqq. qui Ordo teſte Mabillonio in admonitione ad illum, ſi Gregorii M. ævo non eſt ſuperior, certe æqualis, & Sæculo IX. ab Amalario paſſim expoſitus jam fuit. Eorundem rituum etiam meminit Rituale Rhemenſe ante mille annos conſcriptum, in quibus ne veſtigium quidem apparet hos ritus tum primum fuiſſe inſtitutos, antiquiores ergo illorum Epocha cum fundamento eos ſuſpicamur.

§. II.

De ſacris unctionibus in adminiſtratione Sacramentorum baptiſmatis, confirmationis, & extremæ unctionis, earumque ritibus.

11. SAcrarum unctionum in baptiſmate & confirmatione antiquitas certiſſima traditione conſtat. Ad Apoſtolorum tamen tempora certo deduci nequit.

Quantum ad baptiſmum S. Cyrillus Hieroſolymitanus Sæculo IV. *Catecheſi 2. Myſtag.* hæc ſcribit: *Exuti, exorcizato olea a ſummis capillis ad infimos uſque peruncti eſtis*. S. Ambroſius eodem Sæculo lib. de Sacram. c. 2. N. 4. *Venimus ad fontem, ingreſſus es, —— occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quaſi Athleta Chriſti*. Innocentius I. eodem Sæculo in ep. *ad Decentium* c. 3. *Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizent, chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum*. Junge Concilium Arauſicanum Sæculo V. habitum, quod canone 2. decernit: *nullum Miniſtrorum, qui baptizandi recepit officium, ſine chriſmate uſquam debere progredi*; & catervam Patrum.

Quan-

Digitized by Google

Quantum ad confirmationem Tertullianus Sæculo III. de bapt. c. 7. ait: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant.* Et infra, *ſic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit: quomodo & ipſius baptiſmi carnalis actus, quod in aqua mergimur, ſpiritualis effectus, quod delictis liberamur.* S. Cornelius Papa apud Euſebium hiſt. Eccl. lib. 6. c. 43. ep. ad Fabium eodem Sæculo III. *Neque ab Epiſcopo ſignatus eſt* (Novatus); *hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo potuit Spiritum S. percipere.* S. Cyprianus itidem Sæculo III. *ad Januarium* paulo poſt initium. *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate,* (id eſt unctione) *eſſe unctus DEI, & habere in ſe gratiam Chriſti* (ſupple *poſſit*). Junge Optatum Milevit. lib. 7. *contra Parmenianum*, S. Pacianum ep. 1. *ad Sempronianum*, S. Ambroſium *de myſteriis* cap. 7. & alios.

Ultima pars aſſertionis ex diſſidio ſcholaſticorum circa chriſmationis Epocham liquet, aliis eam ob teſtimonia jam allata, præſertim Tertulliani ad initium Sæculi III. referentibus, aliis ad Apoſtolorum diſcipulos, aliis ad ipſos plane Apoſtolos extendentibus, quam ultimam opinionem pro viribus tuendam ſuſcepit Witaſſii continuator tomo 7. de Sacramento Confirmationis q. 2. Artic. 3. ſect. 6. ubi ex Tertulliano lib. 1. contra Marcionem cap. 19. demonſtrat, Marcionem chriſmatis unctione confirmatum fuiſſe circa initium Sæculi II. Imo pro Sæculo I. valde fortiter urget argumentum ex Gnoſticorum & Valentinianorum modo ungendi N. 4. h. t. inſinuatum. Gravia non minus ſunt ejus argumenta pro ſua ſententia deſumpta ex authoritate tum Dionyſii Apoſtolorum diſcipuli eodem N. 4. a nobis adducta, ob majorem probabilitatem ſententiæ libros de Hierarchia eidem vindicantis; tum ex ſex authoritatibus Tertulliani, quas ad longum recenſet cit. tom. 7. §. 7. pag. 42. in quibus ſacræ hujus unctionis meminit tanquam antiquæ, a Chriſto inſtitutæ, & ubique receptæ. Quæ ejus intentum vix non demonſtrant; interim tamen obſtat ſilentium novi Teſtamenti, & authoritas aliorum virorum doctorum, de quibus diſpiciant Theologi. Nobis hic adnotaſſe ſufficiat, ex unctione Marcionis adhuc juvenis, illam Sæculo II. inter fideles jam certo in uſu fuiſſe.

12. Unctio infirmorum ab Apoſtolis uſitata, & in utraque Eccleſia ad uſque noſtra tempora perducta eſt.

Prima pars ex Epiſtolæ S. Jacobi cap. ult. v. 14. liquet: *Infirmatur quis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quam epiſtolam genuinum eſſe partum ſanctiſſimi Apoſtoli a noſtris dudum demonſtratum eſt. Accedit authoritas ex Marci 6. v. 13. *& ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.* Noſtra enim hic non intereſt, an unctiones inſinuatæ fuerint ſacramentales, nec ne?

Quantum ad 2. p. Eam uſque ad Sæculi III. initium perduraſſe teſtis eſt Origenes tunc florens hom. 2. in Levit. ubi per hanc unctionem impleri ait: *& illud, quod & Apoſtolus dicit: ſi quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Eam Sæculo IV. adhuc vegetam fuiſſe teſtis eſt Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, quem Antiochiæ ſcripſit circa A. 382. *Neque enim,* inquiens, *ſolum cum nos regenerant* (Sacerdotes), *ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur,* inquit, *inter vos aliquis? accerſat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Eam Sæculo V. ſartam tectam manſiſſe, teſtis eſt Innocentius I. in ep. ad Decentium A. 416. ſcripta cap. 8. *Non eſt dubium,* ſcribens, *de fidelibus ægrotantibus (quod in Beati Jacobi Epiſtola conſcriptum eſt) accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo chriſmatis perungi poſſunt.* Eam denique & ante Sæculum VI. viguiſſe, & poſt illud ad noſtra uſque tempora in utraque Eccleſia perduraſſe demonſtrant Sacramentarium Gregorii, Pontificale, ac Rituale Romanum, Euchologium Goarii, Epitome Gregorii Protoſyncelli, Cenſura Hieremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani adverſus Wittembergenſes; quæ omnia hic recenſere & nimis longum, & ſupervacaneum eſſet. Hoc hic notandum, Patres omnes ab Origene, & Euchologia ac ritualia omnia, dum de hac unctione loquuntur, ſe revocare ad Epiſtolam S. Jacobi. Stulte ergo, & temerarie omnis illam ex canone expunxit Lutherus.

13. Ritus ungendi baptiſmum ſuſcipientes in utraque Eccleſia variis temporibus varius extitit. Antiquiſſimus in Eccleſia ritus eſt illos ungendi ante ablutionem oleo Catechumenorum in pectore & inter ſcapulas, & poſt ablutionem chriſmate in capite.

Prima pars patet ex eo, quod primis Eccleſiæ Sæculis in Eccleſia Græca Catechumeni toto corpore ungebantur: *exuti*, inquit N. 51. h. t. relatus Cyrillus Hieroſolymitanus, *exorcizato oleo a ſummis capillis ad infimos uſque perunctí eſtis.* Qui mos hodiedum in illa Eccleſia perſeverat teſte eorum Rituali a Goario edito pag. 290. obi habetur: *tunc offertur baptizandus, & Sacerdos accepto oleo crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorſo —— in auribus, in pedibus, —— unctò vero toto corpore baptizat ſic unctum,* & quidem unico tantum oleo a ſe prius benedicto. In Eccleſia Latina teſte S. Auguſtino homilia 1. & 3. ad Neophytos in Benedictina ejuſdem operum editione tomo VII. col. 288. ſuo tempore, id eſt ſæculo V. baptizandi ante collationem baptiſmi liniebantur in auribus & naribus oleo, & poſt ſuſceptum baptiſma chriſmate in capite.

Quantum ad 2. p. hujus ritus meminit Sacramentarium Gelaſianum ad Sæculi V. finem in Muratoria editione col. 594. his verbis: *deinde tangit ei pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato;* & col. 596. *poſtea cum aſcenderit a fonte infans, ſignatur a Presbytero in cerebro de chriſmate:* & Sæculo IX. Rabanus *de inſtitutione Clericorum* lib. 1. c. 27. & 28. relatus a Gratiano diſt. 4. c. 70. & 88. *de conſecratione.*

14. Ritus ungendi confirmandos in Eccleſia Latina a primis Sæculis fiebat in fronte, & quidem probabilius ſemper ſigno crucis expreſſo; in Græca variis temporibus varius fuit.

Primam partem contra Rigaltium in Notis ad Ep. Cypriani graviſſimis argumentis adſtruit Witaſſii continuator in ſæpe citato Tomo VII. de materia confirmationis §. 4. pag. 298. & ſeqq. ex teſtimoniis Patrum a Sæculo II. uſque ad VII. incluſive deſumptis, nimirum Tertulliani lib. 3. *contra Marcionem* cap. 22. item de præſcript. c. 40. ubi confirmationem vocat *ſignaculum frontium;* ex Concilii Oecumenici II. can. 7. Cyrilli Hieroſol. catecheſi 3. Myſtag. Innocentii I. ep. *ad Decentium* c. 3. Auguſtini enarrat. in Pſal. 141. Gregorii M. *Sacramentario de Confirmatione* Tertulliano concinentium, atque unam vel alteram Cypriani & Origenis authoritatem in ſpeciem contrariam ſolvit.

Secundam partem quoque adſtruit ex mox cit. Sacramentario Gregorii M. ubi habetur; *Pontifex tincto*

tincto pallice in chriſmate facit crucem in fronte unius, ſimiliter per omnes ſingillatim; quod & tradunt Ordo Romanus, liber de divinis Officiis, aliaque id genus antiqua Ritualia, verba ſunt illius.

Quantum ad Eccleſiam Græcam Concilium Oecumenicum II. Sæculo IV. canone 7. partes ungendas enarrans, recenſet frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Cyrillus Jeroſolym. *Catech. 3. Myſt.* frontem, aures, nares, & pectus. Euchologium manuſcriptum Crypto-Ferratenſe Beſſarionis, & Barberinum S. Marci ex partibus a Cyrillo recenſitis omittunt pectus, & os addunt. Sed aliud Barberinum, quod recentius eſt, addit manuum volam & cor. Euchologium a Goario editum recenſet frontem, & oculos, & nares, & utramque aurem, & pedes. Euchologia typis excuſa, quibus modo Græci utuntur, frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus, & pedes.

15. Ritus ungendi infirmos variis temporibus tam in Eccleſia Latina, quam Græca varius fuit.

Quantum ad Eccleſiam Latinam Eugenius IV. Sæculo XV. in Inſtructione Armenorum ſeptem unctiones determinavit; videlicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum (hoc lib. tit. 1. N. 307.). Præter has unctiones antiquiſſimis temporibus uſitatas, teſtibus Ritualibus ante mille annos editis Rhemenſi, & aliis, quæ referunt Martenius, Launojus, Menardus, iiſdem vidibus eo, quo conſcripta ſunt tempore, aliæ adhuc fuerunt in uſu apud nonnullos, videlicet colli, gutturis, & ſcapularum, juxta codicem ſacramentorum S. Eligii, Tillianum, Rhemenſem, vetuſtiſſimum MS. Turonenſis Eccleſiæ, & perantiquum Siculum apud Morinum in Appendice de pœnitentia. Ad hæc Ritualia quidam libri commemorant unctiones verticis, frontis, genarum, temporum, ac pectoris, ut perantiquum MS. Eccleſiæ Cameracenſis, & quantum ad verticem capitis frontemque ſpectat, vetus quoque Pontificale ſervatum apud PP. Prædicatores Pariſienſes. Ungendam quoque illam corporis partem, quæ afficitur vividiori doloris ſenſu docent veteres duo codices mox relati Tillianus, ac Turonenſis, nec non permulti alii præcipue ante Eugenii IV. tempora. Et unctionem umbilici, præſertim in fœminis præſcribunt Ritualia, poſt tempora Eugenii edita, Bajanenſe A. 1611. Abrincenſe 1539. &c. hæc tamen unctio & in inſtructione Eugenii, & in majori antiquorum codicum numero eſt prætermiſſa, ſicut & hodie unctio renum in eodem ſexu verecundiæ, ac pudoris innati gratia omittitur. Hæc Bertus *de Theologicis diſcipl.* lib. 25. c. 5. ſparſim.

Quantum ad Eccleſiam Græcam idem loco citato aſſerit non unam viguiſſe ungendi rationem; nam, ipſo teſte, Simeon Theſſalonicenſis in libro de ſeptem Sacramentis ait liniri ſacro infirmorum oleo frontem, faciem, ac manus: at Petrus Arcudius teſtatur communiori Græcorum conſuetudine perungi frontem, mentum, genas ambas, pectus, manus, poſtremo pedes. Videatur Goarius in Notis ad officium S. olei in Rituali Græcorum a ſe edito.

§. III.

De unctionibus Epiſcoporum, Sacerdotum, Imperatorum, Regum, Templorum, Altarium, Calicum, Patenarum, Fontis Baptiſmatis, & Campanarum.

16. UNctiones Epiſcoporum & Sacerdotum nunquam in uſu fuerunt in Eccleſia Græca, in Latina needum fuerunt in uſu Sæculo V. antiquiſſimæ nihilominus ſunt.

Primum propoſitionis membrum in comperto eſt ex Ritualibus Græcorum omnibus, in quibus de hiſce unctionibus altum dominatur ſilentium.

Secundum colligitur ex Concilio Carthaginenſi, quod titulum quarti præfefert, & Sæculi IV. fine coactum fuit, atque habetur in Coletana Concilior. Collect. tom. 2. col. 1433. cujus canones, qui ritus ſacrarum ordinationum tum Epiſcoporum, tum Sacerdotum accurate determinant, nullam unctionum mentionem faciunt.

Quantum ad tertium Morinus de ſacris ordinationibus exercit. 6. c. 2. probat hanc ungendi conſuetudinem in aliquibus Eccleſiis citius, in aliis ſerius invaluiſſe; ipſamque Epiſcopalem unctionem in Eccleſia Romana antiquiorem eſſe Presbyterali. Cæterum utraque jam præſcribitur in Sacramentario Gregoriano, Epiſcopalis quidem facienda in capite & manibus chriſmate, tomo II. editionis Muratoriæ col. 440. & 441. Presbyteralis vero facienda itidem chriſmate, ſed in manibus tantum eodem modo col. 414. qui ritus ungendi uſque hodie invariatus permanſit.

17. Unctiones Imperatorum, & Imperatricum, Regum ac Reginarum quoque antiquiſſimæ ſunt in Eccleſia.

In Gallia enim a vetuſtiſſimis Sæculis, & fortaſſis a Clodoveo, qui ſæculo V. vixit, ſucceſſore Reges conſecrantur unctione chriſmatis, in hujus Monarchæ baptiſmo cœlitus allati, & hucuſque Rhemis conſervati. Et Sacramentarium Gregorianum titulo de coronatione Imperatoris editionis Muratoriæ tom. II. col. 458. hæc habet: *Poſt hæc procedent ad altare S. Mauritii, ubi Oſtienſis Epiſcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dexterum, & inter ſcapulas*. In eodem col. 465. cit. edit. habetur quoque *oratio in ſacri olei unctione* Conthoralis ejuſdem Imperatoris *dicenda*.

18. Cum ex immemoriali utriuſque Eccleſiæ praxi omnes fere conſecrationes olei, chriſmatiſve unctione perficiantur: ſicut ex irrefragabili Patrum Sæculi IV. Athanaſii, Euſebii, Gregorii Nyſſeni, aliorumque teſtimonio conſtat, Eccleſias, araſque tam in Oriente, quam in Occidente fuiſſe ſolemniter dedicatas, & conſecratas; ita iiſdem Sæculis ſacris oleis utrobique etiam fuere perunctæ.

Quod Altaria concernit, illa Sæculo I. unguentis delibuta fuerunt, ſi liber de Eccleſiaſtica Hierarchia eſt Dionyſii Areopagitæ; in eo ſiquidem c. 4. §. 12. dicitur: *Hac etiam ſancte obſerva, ut ſacratiſſimarum lex illa myſteriorum puriſſimis unguenti ſacratiſſimi affuſionibus divini quoque Altaris conſecrationem perficiat*. Sin autem; ſaltem eam jam Sæculo IV. viguiſſe conſuetudinem evincit, cum Sæculo ſequenti certiſſime in lucem emiſſus jam fuerit. Accedit Concilium Agathenſe A. 506. in cujus canone 14. *Altaria placuit non ſolum unctione chriſmatis, ſed etiam ſacerdotali benedictione ſacrari*. Cum ergo monumenta in propoſitione allata prodant Sæculo IV. non tantum Altaria, ſed etiam Eccleſias fuiſſe dedicatas & conſecratas, ex immemoriali conſuetudine conſecrationes ſacris unctionibus peragendi ſequitur, quod ſicut in conſecratione Altarium eædem fuere adhibitæ, ita & in conſecratione Eccleſiarum. Id quod S. Gregorius Nazianzenus eodem Sæculo non obſcure expreſſit, dum in quodam poemate, quod ſomnium de Anaſtaſia inſcribitur, cecinit:

Inter alia templa ædes eſt etiam auguſta Chriſti Diſcipulorum,
Lateribus cruce ſignatis quadrifariam diviſa.

Latera enim cruce ſignata quatuor Eccleſiæ parietes chriſmatis cruce conſignatos, quadrifariam totam molem dividentes, hic recte intelligit Goarius in Notis ad officium in dedicatione templi N. 23. Ritualis Græcorum a ſe editi. Qui ibidem ſubnectit ſictiora adhuc Theophanis verba, ubi

ubi Athanaſium Tyro elapſum, & Hieroſolymis ſecure agentem, preces facientem, & S. unguento ungentem, oratoriaſque domus conſecrantem deſcribit; ſed nec niſi quia *unctos*, ideo patriers *conſecrator*, & venerandam Eccleſiam ab Auguſtino lib. 4. *contra Creſconium* cap. 40. dictos idem putat ibidem.

19. Ritus unctionum in conſecratione Eccleſiæ & Altaris a Pontificali Romano præſcriptus, tenore cujus conſecrator inungit I. in modum crucis ipſum oſtium Eccleſiæ; II. quatuor angulos ſepulcri Reliquiarum, & lapidem, quo claudendum eſt, interius; III. Oleo Catechumenorum in formam crucis bis quinque cruces in medio Altaris & quatuor ejus angulis, ac tertio chriſmate; IV. Chriſmate in modum crucis frontem Altaris; V. eodem chriſmate in quatuor angulis Altaris conjunctiones tabulæ ejuſdem cum ſtipite; VI. denique eodem chriſmate duodecim cruces per circuitum Eccleſiæ in parietibus pictas, Sæculo XI. jam fuit in uſu.

Illum ſiquidem deſcribit Gemma animæ, cujus auctor hoc Sæculo floruit lib. 1. c. 162. & ſeqq.

20. Græcorum unctiones in conſecratione Eccleſiæ & ſacræ Menſæ ſeu Altaris non conveniunt omnimodis cum mox deſcripto ritu Latinorum.

Primo enim Conſecrator accepto vaſe chriſmate puro pleno inſundit menſæ, & ex eo tres cruces efformat, unam mediam, & utrinque duas. Vaſo deinde ſibi tradenti reddito, omnem ſuperne e crucium onguento menſam inungit, & in unaquaque columna tres cruces exprimit, in medio nimirum & in lateribus. II. Dum Conſecrator templum thurificando circuit, aſſiſtentium Sacerdotum aliquis pone ipſum ſequitur, unguenti vas deferens, ex eoque in columnis ſingulis, & pilis, ſtelisque per illud crucem pingit. Poſtremo denique a Græcis non ſepulcrum, & operculum reliquiarum, ſed ipſæ reliquiæ unguento perfunduntur, atque in Altaris menſa ſeu tumba reconduntur, juxta Rituale illorum a Goario editum titulo, *De officio in dedicatione Templi*. Hunc tamen Ritum ſicut & alios in dedicationibus templorum alias cum ingenti pompa obſervati ſolitos, licet antiquos, pene tamen antiquatos ſub Turcarum tyrannide deplorat Græcia: ac ideo forſitan ex editis expunxit Euchologiis, quæ in Pontificum dumtaxat MSS. Ritualibus ſecretius, & ſacratius exarata eſſe voluit, teſte Goario ibi in notis N. 1.

21. Unctio Calicum & Patenarum Sæculo VI. & VII. non eſt poſterior.

Unctionis enim patenæ aperta mentio fit in Sacramentario Gelaſiano editionis Muratoriæ tom. I. col. 611. his verbis: *Inde facit ſignum crucis de oleo S. ſuper patenam*. Et unctionis calicis in Gregoriano ejuſdem edit. tom. 2. col. 500. his verbis: *Heic faciat crucem cum chriſmate ſuper ipſum calicem de intus*. Euchologium Græcorum apud Goarium titulo de Encœniis, ſive conſecratione patenæ, & calicis novi pag. 671. hæc habet; *Mox illa S. perungit unguento*.

22. Infuſio olei & Chriſmatis in fontem baptiſmalem antiquiſſima eſt in Eccleſia Latina & Græca.

Ejus enim Sæculo VI. meminit S. Gregorius Turonenſis lib. 1. *de gloria Martyrum* c. 24. Alcuinus *de divinis Officiis* c. 19. ajens: *Fonte benedicto accipit Pontifex chriſma cum oleo mixto in vaſe ab Archidiacono, & aſpergit per medium fontis per modum crucis*. Ordines item Romani I. N. 41. 42. & ejus appendix N. 9. & X. N. 21.

Quantum ad Græcam, eorundem antiquiſſima Euchologia apud Goarium pag. 290. in benedictione fontis hanc habent rubricam: *Sacerdos cum populo ter Alleluja decantat, tres cruces oleo in aqua effuſa facit*.

23. Ritus ungendi campanas in Pontificali Romano præſcriptus antiquior eſt Joanne XIII. qui ſedit poſt Sæculi X. medium.

Eſt contra Baronium ad A. 968. ubi narrat hunc Pontificem campanam Lateranenſem miræ magnitudinis, antequam ſuper campanile elevaretur, ſacris ritibus Deo conſecraſſe, atque hunc ritum poſtea in Eccleſia perſeveraſſe; ſed multo antiquiorem eſſe ex ritualibus libris integro Sæculo ante Joannem XIII. conſcriptis palam fit, in quibus formula benedicendi, & ungendi campanas reperitur hoc præfixo titulo: *ad ſignum Eccleſiæ benedicendum*; ut eruditiſſimus Menardus teſtatur in notis ad lib. Sacrament. pag. 407. ex codice Rhemenſi tempore Caroli M. exarato, in quo & ritus illas ungendi præſcribitur diverſus aliquantiſper a moderno.

QUÆSTIO DOGMATICA.

An Ritus Benedictionis Oleorum ſit magicus, ſuperſtitioſus, vel idololatricus?

24. Ritus iſte juxta Pontificale Romanum in ſequentibus conſiſtit: imprimis præter Miniſtros ordinarios Pontificis adhibentur XII. Presbyteri, VII. Diaconi, VII. Subdiaconi, Acolythi, & alii inferiores Clerici, omnes induti veſtibus ſacris ſuo Ordini congruentibus. Quibus ad Altare ſuo ordine diſpoſitis celebratur Miſſa more ſolito uſque ad hæc verba Canonis excluſive, *per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas*. Quæ verba antequam recitet Pontifex procedit ad benedictionem olei infirmorum in hunc modum.

25. Monet Archidiaconus afferri oleum infirmis deſtinatum. Hoc Subdiaconus e ſacrario offert, & tradit Archidiacono. Archidiaconus ampullam olei acceptam a Subdiacono collocat ſuper menſam ante Pontificem, qui illud præmiſſo exorciſmo benedicit. Facta benedictione refertur oleum ad Sacrarium, ibi diligenter cuſtodiendum. Proſequitur autem Miſſam Pontifex; factaque communione, procedit ad benedictionem ſacri chriſmatis, & olei Catechumenorum in hunc modum.

26. Juſſu Archidiaconi Presbyteri duodecim, ſeptem Diaconi, totidem Subdiaconi, cæterique inferioris Ordinis Clerici ſolemni pompa vadunt ad Sacrarium: & cum eo comitatu inde Subdiaconus vaſculum cum balſamo, Diaconi ampullas ad ſacrum chriſma, & pro oleo Catechumenorum deferunt: interimque canitur Hymnus. Collocato vaſe balſami & ampulla olei chriſmalis ſuper menſam per Archidiaconum, Pontifex benedicit balſamum, benedictumque miſcet cum modico olei ex ampulla chriſmali ſumpti. Quo facto Pontifex ter halat in modum crucis ſuper os ampullæ chriſmalis: idem faciunt Sacerdotes duodecim.

27. Deinde Pontifex præmiſſo exorciſmo benedicit oleum & chriſma; mixtumque tandem cum balſamo benedicto ter ſalutat dicens: *Ave S. Chriſma*; oſculaturque labium ampullæ ſacri chriſmatis. Duodecim Presbyteri accedentes per ordinem ter quoque eodem modo ſinguli ſalutant S. chriſma, & oſculantur labium ampullæ.

28. Facta benedictione chriſmatis collocatur ſuper menſam per Archidiaconum ampulla olei pro Catechumenis, ſuper quam tam Pontifex, quam XII. Presbyteri halant modo prædicto. O[illegible] hoc deinde Pontifex præmiſſo exorciſmo b[illegible]cit, benedictumque ſalutat his verbis: *Av[illegible] O-leum*: tandemque oſculatur ampullam ol[illegible]

facto latrum chriſma & S. oleum refertur ſolemni pompa in Sacrarium, Pontifexque Miſſam proſequitur.

29. Hunc totum benedictionis Ritum Lutherani & Calviniſtæ rident, præcipue vero inſufflationem ſuper olea, eorumque ſalutationem tanquam magicum quid, ſuperſtitioſum, & idololatricum traducunt. At quam præcipiti judicio, quam temere, jam detegendum.

PROPOSITIO.

Ritus Benedictionis Oleorum neque magicus, neque ſuperſtitioſus, neque idololatricus, ſed rationabilis eſt.

30. PRobatur quantum ad ſingula membra: & primo, quod non ſit magicus. Cum magia ſit ars patrandi mira ope dæmonis, hæcque ars communiter exerceatur per aliqua ſigna; quæ communiter ritu aliquo ſuperſtitioſo huic fini aptantur: ritus magicus ille eſt, qui adhibetur circa rem aliquam ſenſibilem, in ordine ad patrandam mira illius dæmoniſque ope; atqui ritus benedictionis oleorum, ſive ille, quem primis ſtatim ſæculis adhibuit utraque Eccleſia, (N. 3. & ſeqq. h. t.) ſive ille, quem a ſæculo V. in præſens retinet Latina, non adhibetur, nec unquam adhibitus fuit in ordine ad patranda mira oleorum dæmoniſque ope; non igitur eſt ritus magicus. Quis inficiabitur minorem? erubeſcant igitur cordati Proteſtantes frontem meretriciam ſuorum anteſignanorum!

31. Secundo, quod non ſit ſuperſtitioſus. Superſtitio enim ſecundum S. Th. 2a. q. 92. a. 1. in (-) *vitium eſt Religioni oppoſitum ſecundum exceſſum, quo quis divinum exhibet cultum vel cui non debet, vel non eo modo quo debet*; atqui neutro ex his atris carbonibus notari poteſt ſacrorum oleorum benedictio, id quod ſuadebunt ſolutiones, calumniis Adverſariorum infra adſerendæ; ritus igitur benedictionis oleorum ſuperſtitioſus haud eſt. Et cum idololatria ſpecies ſit ſuperſtitionis, ſi ritui illi non convenit ratio generis, nec ſpecies convenire poteſt; bene vero adverſariis nomen & res phreneticorum calumniatorum, qui benedictionem oleorum vel ipſis teſtibus jam ab A. C. 560. uſitatam, & modernum ejus ritum a Sæculo V. vel VI. obtinentem (N. 10. h. t.) infamibus, & homini ingenuo horrorem cientibus calumniis impetere, degeneres Patrum filii, non verentur.

32. Quod vero ſit rationabilis, ſic evincitur. Cum olea ſancta, quæ die Jovis S. benedicuntur, materiam ſubminiſtrent, & ad omnia fere adhibeantur, quæ ſancta & ſuſpicienda habet Eccleſia Catholica in ſuo imperio, & Sacerdotio, cum a primis Eccleſiæ Sæculis in utraque Eccleſia unguntur in baptiſmate, in confirmatione, in periculo mortis omnes Chriſtiani (N. 11. & 12. h. t.), in capite & manibus in Latina ab antiquiſſimo tempore Antiſtites, in manibus Sacerdotes (N. 16. h. t.), in ſcapulis & brachio Reges (N. 17. h. t.), iterum in utraque a primis ipſis Sæculis reſpective Sacroſancta templa, aræ, ſocique, calices, patenæ, auguſta vaſa noſtri Sacrificii, ad ipſas uſque campanas (N. ſeqq. h. t.); rationabile certe fuit, eorundem benedictionem ſolemni quodam ritu obire, ſi ea majeſtas vel nil aliud produceret, præterquam ſublimem, & reverentialem de ſacris liquoribus, dum tantis myſteriis, tam ſuſpiciendis ſubjectis applicantur, ideam; quem finem ſemper etiam intendit Romana Eccleſia, dum ea, quæ ſive ad cultum Dei, ſive ad ſanctificationem noſtram ordinata ſunt, benedicere, atque ita a rebus profanis ſecernere ſolet, in hoc lumen naturæ ſecuta, quod ritus cæremoniaſque in omni bene ordinata Republica præcipit (h. lib. tit. 8. N. 33.), nec non in bene multis inſtitutiones ipſas Apoſtolorum, aut eorundem Diſcipulorum, quemadmodum vidimus. Et certe ſi res eſt non ſolum innoxia, ſed etiam laudabilis, dum Regum coronæ, reliquuſque apparatus, dum labara exercituum tantum cæremoniarum apparatu inſtituuntur, in publicum proferuntur, reconduntur eo fine vel ſolo, ut ſubditis, militibuſque grandis de his rebus idea reverentialiſque ingeneretur: quo jure univerſa Eccleſia per Orientem, Occidentemque, qua late patet, diffuſa, dum res divinis myſteriis, hominumque ſanctificationi partim a Chriſto inſtitutas, partim a ſe deputatas ſolemni benedictionum ritu a profanis ſecernere, eaſque populo Chriſtiano venerabiles reddere conatur, dente Theonino ab hominibus nuperis, præjudiciis excæcatis, & ideam claram de cæremoniarum natura, utilitate, atque *neceſſitate* non habentibus, allatratur? cum ipſi potius culpandi ſint, quod flocci habita traditione Patrum, ſancta *exterius* etiam ſancte non tractent (vide diſſertationem h. lib. tit. 8.).

Sed audiantur.

33. IMprimis ergo magici quidquam ſuſpicantur in eo, quod Pontifex cum aſtantibus Presbyteris halent ſuper Ampullam chriſmatis & olei Catechumenorum.

34. Verum cum halitus ille verſus olea emiſſus denotet Spiritus S. deſcenſum ſupra eadem teſte Benedicto XIV. P. M. de feſtis J. C. in die Jovis S. N. 288. & olea iſta ad accipiendum Spiritum S. præſertim in confirmatione deſtinentur; Chriſtus vero Diſcipulis daturus Spiritum S. in ipſos inſufflaverit Jo. 20. Sanctuſque Spiritus ſit Spiritus; inſufflatio Pontificis in ampullas olei & chriſmatis non eſt cæremonia magica, ſed apta & conveniens. (h. l. tit. 8. N. 48. & 49.)

35. Secundo vehementer ſcandalizantur in eo, quod Pontifex & Presbyteri olea benedicta ſalutent, eaque prorſus adorent; primumque valde puerile autumant ex eo, quod olea dicta inanime ſint elementum, quod conſequenter tantum honorem nec ſentire, nec aliqua perhumana reſalutatione demereri poteſt; alterum vero prorſus idololatricum exiſtimant, quoniam adoratio facta inanimi elemento idololatria eſt.

36. Valde itaque pueriliter egit S. Andreas Apoſtolus, qui truncum crucis eminus conſpectum ſalutavit, quemadmodum ejus acta teſtantur; & S. Paula Romanorum nobiliſſima eundem honorem parvulæ Bethlehem impendens teſte Hieronymo in ejus epitaphio tom. 4. pag. 674. itemque S. Gregorius Nazianzenus, dum Epiſcopatui Conſtantinopolitano nuntium miſſurus, in oratione ad Clerum habita, Cathedram illam, Templumque valere juſſit. Notent igitur juvenculi iſti in Eccleſia, & quidem ſatis dyicoli, quod viri ſancti, ipſique Apoſtoli autumaverint res inanimatas abſque puerilitatis vitio poſſe ſalutari. Notent præterea oleum a nobis non ſalutari phyſice & abſolute, ut in Scholis loquuntur, ſed *relative & moraliter*, quatenus Symbolum eſt Chriſti Servatoris; in quem etiam noſtra ibidem hoc modo dirigitur adoratio; & Matrem ſuam Eccleſiam, quæ ſub hoc ritu a Sæculo V. incanuit (h. t. N. 10.), irridere deſinant, cujus canos, reconditoſque ſenſus in rerum ſuarum ordinatione præ juvenili laſcivia penetrare non valent. Quod ſi *vel unum* ex Conciliis, aut SS. Patribus antiquioribus vel recentioribus, adducere potuerint, qui uſum hujuſmodi benedictionum vel obſervari urget, vel obſervatum improbet, parænefis meæ publice me pœnitebit cum Pougetto *Inſtitutionum Catholicarum parte 3. ſect.* 2. c. 8. §. 5.

37. Supereſt adhuc ſcrupulus, cur in benedictione

ctione horum oleorum tam inſolens adhibeatur miniſtrorum frequentia?

38. Reſpondeo. Cum olim Pontifici Sacra facienti miniſtrorum apparatus deſerviret, ut fit hodieque in Orientalibus Eccleſiis: ejuſque ritus veſtigium apud nos adhuc retineamus in ordinatione Epiſcoporum & Presbyterorum; & olea in Miſſa ſolemni benedicantur; mos iſte in Eccleſia Latina, quantum ad hunc paſſum perſeveravit. Si autem ultra interroges: cur olea iſta in Miſſa ſolemni benedicantur, cur benedicantur ſemel in anno, denique de aliis minutiis? tibi reſpondebo, quia Eccleſia ab antiquo ita voluit, & quia ingenui ejus filii non libenter recedunt a bene conſtitutis moribus Patrum ſuorum, & quia denique ipſo jure naturæ inſtituere cæremonias, eaſque augere, minuere, &c. arbitrii eſt cujuſque debitam authoritatem habentis. (h. lib. tit. 8. N. 39.)

T I T U L U S XXIII.

De Officio Archidiaconi.

1. Diaconos olim fuiſſe præcipuos Epiſcoporum tum in ſpiritualibus, tum temporalibus Miniſtros hoc libro titulo XI. N. 24. oſtendimus. Porro inter Diaconos emicabant Archidiaconi tanquam Principes Diaconorum, ſeu primi Miniſtrorum, & præcipui, negotiis Eccleſiaſticis ab ipſis præpoſiti, atque illud fere officium gerentes, quod modo Vicarii Generales, & Officiales.

2. Archidiaconos a ſuis incunabulis habuit & Eccleſia Latina, & Græca.

Quantum ad Latinam Severus Sulpitius dialogo II. Archidiaconi Turonenſis meminit, cui B. Martinus Sæculo IV. præcipit, *ut neceſſaria veſte pauperem donaret, quod cum ille facere ceſſaret, ſua ſe Martinus ipſe veſte exuit, induitque Chriſtum in paupere latitantem*. Eodem Sæculo Optatus Milevitanus Epiſcopus ab *Archidiacono* Cæciliano graviter, merituque correptam Lucillam Matronam commemorat, cujus ita fœminea impotentique calamitoſum Donatiſtarum ſchiſma conflavit. *Cum Lucilla correptionem* Archidiaconi *Caciliani ferre non poſſet*, verba ſunt ipſius lib. 1. Eos vero & præcedentia & juriſdictione eminuiſſe aliis Diœceſeos Diaconis eodem Sæculo teſtatur Hieronymus ep. ad Ruſticum: *Singuli Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli* Archidiaconi, *& omnis Ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur*; verba ſunt ipſius.

De Eccleſia Græca præter alia numero plurima habemus luculentiſſimum S. Joannis Chryſoſt. pro Sæculo IV. teſtimonium, qui epiſtola ad Innocentium I. de Theophilo Alexandrino Archiepiſcopo conqueritur; quod cum *Archidiaconum* ſuum in ſe concitaſſet: *vocato* Archidiacono *meo, quaſi Eccleſia jam viduata eſſet, ut Epiſcopum non haberet; Clerum omnem per illum ſibi adjunxit*. Eorundem quoque celebris occurrit mentio actione X. Concilii Chalcedonenſis A. 451. Mos autem ille ex Apoſtolica inſtitutione Actor. 6. v. 3. dimanaſſe credendus eſt, ubi legimus Diaconos VII. miniſterio Eccleſiaſtico, & non ſolum menſæ profanæ, ut evincunt noſtri Pulemici, fuiſſe deputatos. Sicut autem multitudo negotiorum Apoſtolicorum Apoſtolis cauſa fuit onus in alios partiendi, quos Diaconos, ſeu Miniſtros nominarunt; ita eadem ratio eorum Succeſſores ad continuationem ejuſmodi œconomiæ impulit, & uti credibile eſt, inter illos VII. aliquem fuiſſe Primum ſeu primum Diaconum, ita ex Apoſtolica traditione Archidiaconos dimanaſſe tenendum eſt, quorum Authoritas & juriſdictio temporis vehiculo ad culmen evecta eſt.

3. Hi Archidiaconi per IX. fere Sæcula in ſingulis diœceſibus erant ſinguli.

Id Sæculo VII. ita expreſſit Concilium Emeritenſe canone X. ut nihil dubii remanere videatur. *Communi deliberatione ſancimus*, verba ſunt Canonis, *ut omnes nos Epiſcopi, infra noſtram Provinciam conſtituti, in Cathedralibus noſtris Eccleſiis ſinguli noſtrum Archipresbyterum*, Archidiaconum, *& Primi-Clerum habere debeamus*. Et priorum ſæculorum Epiſcopi, dum de ſuis Archidiaconis verba faciunt, unius conſtanter mentionem ingerunt, ut patet ex N. præced. allato teſtimonio Chryſoſt. Accedit pro his Sæculis & ep. Hieronymi eodem N. recitata. Nec ſcrupulum ingerere debet Canon VIII. Synodi Antiſiodorenſis A. 578. ubi mentio fit *Archidiaconi Paræciulis*, hoc enim præter uſum aliarum Eccleſiarum illo Sæculo huic diœceſi videtur fuiſſe proprium.

4. Sub Carolo M. ſeu Sæculo IX. plures jam leguntur in una diœceſi Archidiaconi.

Eorundem apertam mentionem facit Concilium Pariſienſe VI. A. 829. canone 25. ſtatuens: *ut unuſquiſque Epiſcoporum ſuper* Archidiaconis ſuis *deinceps vigilantiorem curam adhibeat*. Et Hincmarus eodem Sæculo *duobus ſuis Archidiaconis* ſaluberrima ſuggerit conſilia, quemadmodum ſeſe in viſitanda diœceſi habere debeant. Hæc multiplicatio Archidiaconorum ex eo accidiſſe facile perſuaderi poteſt, quod illa tempeſtate Chorepiſcopi ob ſuam arrogantiam abrogari inciperent, quorum ſarcina ſicut in Archidiaconos diviſa fuit, ita in plures dividi debuit, de quo infra h. t. unde Alexander III. c. 6. h. t. Sæculo XII. Archidiacono Ceſtrenſi mandat, *ne ad* Eccleſias ſui Archidiaconatus viſitandas, niſi ſemel *in anno accedat*. Plures *enim in* diœceſi Ceſtrenſi fuerunt Archidiaconatus.

5. Per VIII. fere Sæcula Archidiaconi non erant niſi Diaconi, abhinc dignitas illa cum Presbyteratu jungi cœpit, jure tandem Decretalium ſeu Sæculo XIII. Presbyteratus ordo ad dignitatem Archidiaconalem neceſſario prærequiſitus eſt.

Primam partem præter plura hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta luculenter adſtruit S. Hieronym. in Ezech. c. 18. *Certe qui* primus fuerit Miniſtrorum, *quia per ſingula concionatur in populos, & a Pontificis latere non recedit, injuriam putat, ſi* Presbyter *ordinatur*. Sancti quoque Leo, & Gregorius M. Sæculo V. & VII. eorum Epiſcoporum contumaciam fregerunt, qui Diaconis ſuis, ut Presbyteri fierent, (& *ita* per Cuniculum ex ampliſſimo gradu dejicerentur) vim attuliſſe, aut allaturi videbantur. De quo vide Thomaſſinum de nova & vet. Eccleſ. diſciplina, argumento de Archidiaconis late diſſerentem.

Alteram partem ſuſpicari licet ex monitis Hincmari N. præcedenti allatis, quæ dirigit Gonthario & Adelhardo Archidiaconibus *Presbyteris*. Videtur autem hæc diſciplinæ mutatio ex Archidiaconorum ampliſſima juriſdictione, quam etiam in Presbyteros exercuerunt, ortum traxiſſe; inconveniens enim ſubinde reputari cœpit, ordine inferiores ſuo Superioribus præeſſe.

Tertiam partem docent Bellarminus & Fagnanus in lib. 1. Decret. part. 1a. pag. 118. Verba ejus ſunt: *in literis collationis ex ſtylo conſuevit apponi clauſula, ut proviſus teneatur infra annum*

in

in Presbyterum *ordinari*, *aliaquin Archidiaconatu eo ipſo vacare cenſeatur*. Et confirmat Eccleſiæ praxis, quantum ad Archidiaconatus illos, quibus animarum cura eſt annexa.

6. Quamvis olim in Ordine Presbyterorum Senior ordinatione communiter eſſet Archipresbyter; in Ordine tamen Diaconorum non Senior, ſed induſtrior, & rerum agendarum peritior in Archidiaconum eligebatur.

Hæc differentia ex utriuſque Ordinis proprietatibus a Patribus inſinuatis profluxit: Presbyteri enim ex nomine ſuo ſunt Seniores, & Senatores Eccleſiæ; e contra nomen Diaconi miniſterium, induſtriam, rerumque agendarum peritiam requirens, exprimit. Unde Hierony. ep. ad Evagrium: *Quomodo ſi exercitus faciat Imperatorem; aut Diaconi eligent de ſe, quem* induſtrium *noverint, & Archidiaconum vocent*. Et Sidonius Apollinaris de Joanne Archidiacono lib. 4. ep. 25. verba faciens, *in quo*, inquit, *Archidiaconi ſeu gradu, ſeu miniſteria multum retentus* propter induſtriam.

7. Archidiaconi olim ab ipſis Epiſcopis eligebantur, & conſtituebantur, quos tamen ſine cauſa & figura judicii gradu rurſum dejicere nequibant.

Primam partem aſſerit S. Laurentius Martyr, ipſum Pontificem ita alloquens: *experire utrum Miniſtrum idaneum* elegeris, *cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem*. Narrat etiam Sozomenus Serapionem a B. Chryſoſtomo Archidiaconum conſtitutum fuiſſe; ratio quoque id ſuadet, cum enim Archidiaconus Epiſcopi Vicarius & Miniſter præcipuus eſſet, illius itaque intererat, ſuo ſibi eum nutu cooptare. Nec obſtant verba S. Hieronymi N. præcedenti laudata, ibi enim non affirmat Diaconos Archidiaconum eligere ſolitos; ſed fingit, & ſupponit rem, quam ad comparationem profert.

Pro ſecunda parte ſplendidum habemus exemplum in Anatolio Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui Aetium Archidiaconum per ſpeciem provectionis gradu dejecerat; id enim impune haud tulit S. Leo Papa, ſed apud Imperatorem & Imperatricem egit, ut gradui, officioque reſtitueretur, cui & Anatolius morem geſſit. Videantur literæ Anatolii, quas in collectione ſua Romana edidit Holſtenius pag. 134. & S. Leo ep. 71.

8. Ampliſſima primis V. Sæculis Archidiaconorum erat Juriſdictio tam in Oriente, quam in Occidente.

Quod enim in Oriente Generales Epiſcoporum eſſent Vicarii, & negotiorum Eccleſiaſticorum geſtores, S. Leo in N. præcedenti allata cum Anatolio Controverſia aperte prodidit, inquiens: *Quem Andream* (qui locum Aetii ab Anatolio intruſus fuerat) *quia nunc* Eccleſiaſticis negotiis *præpoſuit, propter hæreticam perverſitatem eidem favorem ſuum præſtare convincitur*.

Idem teſtimonium Leonis applicari poteſt Latinæ quoque Eccleſiæ, cum & ibi Archidiaconi Epiſcoporum Generales eſſent Vicarii, quemadmodum Patrum Occidentalium monumenta, & Archidiaconorum munia ſpecifica, mox referenda, prodent. Illis enim prioribus V. Sæculis imprimis incumbebat cum Archipresbyteris vice Epiſcopi in ordinatione Apoſtolica per canonem 17. Concilii Carth. IV. 398. confirmata, curam viduarum, pupillorum, & peregrinorum habere. *Secundo*, ex eodem Concilio, & aliorum Patrum teſtimoniis ad ipſos pertinebat cura inſtruendi minores Clericos, præſertim in iis, quæ rectam ſuorum ordinum executionem concernerent. *Tertio*, ex ejuſdem Concilii Canone V. VI. IX. Jus porrigendi Subdiacono in ejus Ordinatione urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium. Acolytho vero ceroferarium cum cereo, item urceolum vacuum. Denique in Ordinatione Oſtiarii ſuggerendi Epiſcopo, ut eidem tradat claves Eccleſiæ. *Quarto*, Jus in vitam & mores Ordinandorum, & teſte Hieronymo ep. ad Evagrium, etiam Presbyterorum inquirendi. *Quinto*, in Conciliis Oecumenicis ſuorum Epiſcoporum abſentium vices agere, cujus rei illuſtre exemplum habemus in Concilio Generali Chalcedonenſi, cui potiori ex parte interfuerunt Archidiaconi ſuorum Epiſcoporum Locumtenentes, & inter illos laudatus Aetius Archidiaconus Conſtantinopolitanus Concilii hujus celebratiſſimi quodammodo Promotor, ut patet ex ejus actis. Denique teſte S. Leone ep. 57. ad Anatolium, Archidiaconorum erat juriſdictionem Epiſcopi in cauſis Eccleſiaſticis adminiſtrare; atque res, redituſque temporales Eccleſiæ ſubinde adminiſtrare, quod alias pertinebat ad Oeconomum. Et hæc quantum ad priora V. Sæcula, ex variis Scriptoribus; nam Sæculo VI. S. Iſidorus Hiſpalenſis ex profeſſo, & diſerte Archidiaconorum officia deſcribit in ep. ad Ludifredum, & refertur apud Gratianum diſt. 25. c. 1. ſub his verbis: *Archidiaconus imperat Subdiaconis & Levitis, ad quem iſta miniſteria pertinent, ordinatio veſtiendi Altaris a Levitis, cura incenſi, & ſacrificii neceſſaria ſollicitudo: quis Levitarum Epiſtolam & Evangelium legat: quis preces dicat, ſeu reſponſoria in Dominicis diebus aut ſolemnitatibus decantet. Sollicitudo quoque Parochiarum, & ordinatio, & jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis diœceſanis Baſilicis ipſe ſuggerit Sacerdoti: ipſe inquirit Parochias cum juſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res Baſilicarum Parochiarum: geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem refert: collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo defert, & Clericis proprias partes idem diſtribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Epiſcopo exceſſus Diaconorum: ipſe denuntiat Sacerdoti in Sacrario jejuniorum dies, atque ſolemnitatum, & ab ipſo publice in Eccleſia prædicatur; quando vero Archidiaconus abſens eſt, vicem ejus Diaconus ſequens adimplet*.

9. Ampliſſima hæc Archidiaconorum Juriſdictio, qua modernis Vicariis Generalibus non ſolum æquiparabantur, ſed etiam eminebant, ſarta tecta permanſit adhuc Sæculo XIII.

Id evincunt quinque Libri Decretalium a Gregorio IX. hoc Sæculo editi, his enim ſub præſenti titulo cap. VII. inſerta ſunt ea, quæ de Archidiaconorum Officiis Sæculo VI. ſcripſit Iſidorus mox citatus, & Archidiaconus inſuper ſecundum Romani Ordinis inſtitutionem *major* poſt Epiſcopum appellatur.

10. Hæc Archidiaconorum ampliſſima Juriſdictio initio delegata, ſucceſſu temporis facta eſt ordinaria, hoc eſt ipſi dignitati Archidiaconali annexa.

Cum enim Epiſcopi vices ſuas Archidiaconis generaliter, & fere ſemper committere ſolerent; & illi authoritatem ſuam ipſis abſentibus vi ſuæ generalis, & ſolitæ commiſſionis per ſe exercerent; paulatim ea agere jure proprio cœperunt, quæ prius duntaxat jure delegato, ſeu vicario agebant: & ita Archidiaconatus in beneficium & dignitatem mutatus eſt; & ipſi Archidiaconi Prælatis ordinariis annumerati. Unde emerſit diſcrimen inter illos, & modernos Vicarios Generales, quod illi dicantur Vicarii Epiſcopi *nati*, hi *dati*.

11. Hæc tamen ſpecifica illorum Juriſdictio non fuit ſemper, & ubique æqualis.

Hoc, prætereundo particularia hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta, vel ex eo liquet, quod prioribus Sæculis eorum Juriſdictio fuerit ſolum *Vicaria*, ſive delegata; adeoque latitudinem ſuam ab arbitrio delegantis deſumebat; & quamvis

ſubin-

ſubinde evaſerit ipſi dignitati propria, ex priori tamen fonte dictam inæqualitatem retinuit; unde ſummarium cap. 10. h. t. dicit: *Archidiaconi in monaſteriis Juriſdictionem non habent, niſi in quantum ipſis tribuit generalis, vel ſpecialis conſuetudo.*

12. Inſuper hæc Juriſdictio multum fuit reſtricta jure noviſſimo Tridentini.

Videatur ſeſſionis 24. cap. 3. & 20. quibus limitatur jus commune circa ipſos, præſertim capituli 1. h. t.

13. Quin Sæculo IX. ubi jam leguntur plures Archidiaconi, illorum juriſdictio extenſive multo reſtrictior eſſe debuit, quam antea, donec introductis Vicariis Generalibus eorum ſplendor pene antiquaretur.

Prima pars per ſe patet, cum enim primis ſæculis unus tantum in diœceſi eſſet Archidiaconus, toti diœceſi ex dictis intendebat; quod non fiebat diœceſibus in plures Archidiaconatus diſtributis.

Secunda vero inde eruitur, quod jure noviſſimo, & hodiernis moribus eorum ampliſſima Juriſdictio adminiſtretur per Vicarios Generales, aut alios Miniſtros Epiſcopi; adeo ut Navarrus cap. 25. Manualis N. 135. teſtetur, ſe in Hiſpania neminem ſcire, qui ſit Archidiaconus talis, de quo loquitur Rubrica, cum alii nudum Archidiaconatus titulum gerant; alii juriſdictionem quidem titulo annexam habeant, at ſubordinatam Vicario Generali & Officiali, & in certum diœceſeos diſtrictum, quales in noſtra Archidiœceſana Synodo A. 1605. conſtitutos legimus.

TITULUS XXIV.

De Officio Archipresbyteri.

QUoniam Chorepiſcopi magnam cum Archipresbyteris affinitatem habent, de illis una agemus hoc titulo, quem proin in binos §. diſpeſcemus.

§. I.
De Archipresbyteris.

1. QUemadmodum Archidiaconi, ita & Archipresbyteri nomen, & officium a primis Eccleſiæ Sæculis viguit.

Hæc propoſitio eodem, quo prima titulo præcedenti de Archidiaconis, Hieronymi teſtimonio ex epiſtola ad Ruſticum adſtruitur: *Singuli Eccleſiarum Epiſcopi*, ſinguli Archipresbyteri, *ſinguli Archidiaconi, & omnis Ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur.* Græci Proto-Presbyteros, hoc eſt, *primos* inter Presbyteros nominabant; quo titulo Sæculo IV. Arſacius in Concilio adverſus Chryſoſt. coacto inſignitur, qui etiam titulus legitur in Concilio Chalcedonenſi 3. E contra Latini Græco nomine utentes Archipresbyteros, ſeu *Principes* Presbyterorum nuncupatunt, ut patet ex mox allato Hieronymi teſtimonio. Iſque in Eccleſia Latina Archipresbyter audiit, qui ordinatione eſſet antiquior, ad differentiam Archidiaconorum, quos rerum agendarum peritia, induſtriaque ad id honoris ſubſellium evehebat. (tit. 23. N. 6.)

2. Uſque ad Hieronymi tempora, & ultra, unus ſolum erat in unaquaque Eccleſia Cathedrali Archipresbyter, ſubſequentibus tamen Sæculis multiplicati ſunt, & prius quidem probabiliter, quam Archidiaconi.

Primam partem adſtruunt verba S. Hieronymi jam recitata, quibus innuit, ſuo tempore ſingulis diœceſibus ſicut unum Epiſcopum toti communitati, Archidiaconum Choro-diaconorum, *ita Archipresbyterum præpoſitum fuiſſe Choro-Presbyterorum*, urbanorum nimirum, ſeu Eccleſiæ Cathedralis, nam Cleri ruralis cura Sæculo illo IV. Chorepiſcopis jam demandata legitur. (N. 11. h. t.)

Quantum ad ſecundam partem plures Archidiaconos Sæculo IX. legimus (N. 4. t. 23.), cum plurium Archipresbyterorum per agros diœceſeos conſtitutorum Sæculo VI. jam meminerit S. Gregorius Turonenſis miraculorum lib. 1. c. 78. lib. 2. c. 22. item de Gloria Confeſſorum c. 5. *Archipreſbyter Parochiæ Nemauſenſis &c. Archipresbyter, qui tunc locum illum gerebat &c. cum Archipresbyter loci Eulalius Clericos convivio invitaſſet, Edatius vero alius Presbyter viduis ac pauperibus reliquis edulium præpararet &c. Archipresbyter Mercenſis vici &c.* qui omnes loci, præſertim ultimus, innuunt ruri fuiſſe ea tempeſtate Archipresbyteros, qui tum præter peculiarem Parochiæ ſuæ, cæterarum etiam, quæ viciniores eſſent, generalem quandam, & communem curam haberent; quemadmodum nunc fit a Decanis vel Vicariis Foraneis: vel primi Principeſque inter Presbyteros cujuslibet Parochiæ eſſent, aliorum Presbyterorum, Clericorumque mores explorantes, quod & iiſdem locis inſinuatur, & diſciplinæ illorum Sæculorum congruit (inquit Thomaſſinus), idque vel maxime, quod illo jam Sæculo Chorepiſcopi in Occidenti Parochiis ruralibus ſuperintenderent (N. 12. h. t.).

3. Diſtinctio inter Archipresbyteros urbanos, & plebanos cap. 3. & 4. h. t. inſinuata, mediis hiſce Sæculis jam fuit in uſu.

De plebanis teſtificantur ea, quæ ex S. Gregorio Turonenſi N. præcedenti retulimus; de urbanis pro Sæculo VII. teſtem habemus Joannem IV. apud Bedam hiſt. Eccl. l. 2. c. 19. qui electus Pontifex, ſed necdum inthronizatus epiſtolæ ad Abbates & Doctores Scotiæ, ſive Hyberniæ poſt *Romanæ Eccleſiæ Archipresbyterum* Hilarium ſubſcripſit. Concordat eodem Sæculo Concilium Emeritenſe canone 10. decernens: *Ut omnes Epiſcopi intra ſuam Provinciam conſtituti, in Cathedralibus Eccleſiis ſinguli* Archipresbyterum, *Archidiaconum, & Primi-clerum habere debeant.*

4. Primis Eccleſiæ Sæculis in utraque Eccleſia Archipresbyter communiter fiebat non electione, aut meritorum prærogativa, quemadmodum Archidiaconus, ſed jure ordinationis, ſeu ille communiter fuit Archipresbyter, qui aliis ordinatione ſenior exſtitit.

Cauſam differentiæ aſſignavimus t. 23. N. 6. communiter autem id factum aſſerimus; quod in Eccleſia Græca ſubinde non Senioratus in Ordinatione, ſed meritorum præcedentia penſi haberetur; cujus rei exemplum notabile pro Sæculo V. annotavit Liberatus Diaconus cap. IV. ubi narrat in Concilio Chalcedonenſi in locum Dioſcori electum fuiſſe Proterium, quem ipſe Dioſcorus Archipresbyterum fecerat. *In Proterium univerſarum ſententia declinavit: utique cui & Dioſcorus commendavit Eccleſiam* (Alexandrinam), *qui & eum Archipresbyterum fecerat.* Conſtantior fuit adducta diſciplina in Eccleſia Latina; eodem enim Sæculo V. S. Leo Papa ep. 57. & 58. graviter increpat Donum Epiſcopum Beneventi, quod primum præ aliis locum recens ordinato Presbyte-

byteto tradiderit. Antiquiſſimam hunc ſeu legem, ſeu conſuetudinem ad Sæculi hujus finem innovavit Gelaſius Papa ep. 9. ſcribens: *Nec cujuslibet utilitatis cauſa, ſeu Presbyterum, ſeu Diaconum his præferre, qui ante ipſos fuerint ordinati.* Ubi nota Gelaſium loqui de ſerie ſeu gradibus Diaconorum uſque ad Archidiaconum exclusive, hunc enim non ob ordinationis prioritatem, ſed a meritorum prærogativa in primum ac generalem Epiſcopi Miniſtrum evectum fuiſſe relato N. 6. t. 23. probavimus. Hæc tamen Senioratus prærogativa videtur tantum ſolita fuiſſe obſervari, quamdiu Archipresbyteri ſeu urbani, ſive rurales, Compresbyteris ſecum commorantibus, dum vita communis adhuc vigeret, ſive in Cathedralibus, ſive in ruralibus Eccleſiis intendebant; at poſtquam Archipresbyteratus in Cathedralibus evaſit in dignitatem, & ruralia beneficia amplius ſegregata & diviſa ſunt, atque Archipresbyteri viſitationibus diverſarum Parochiarum in locum Chorepiſcoporum præfecti, per ſe patet, in eorum inſtitutione non tam Senii, quam qualitatum rationem habere cœpiſſe.

5. Archipresbyteri a Sæculo IV. & deinceps Archidiaconis, & Chorepiſcopis dignitate cedebant.

Si canon 57. ex Arabicis Niceni Concilii a Turriano editis genuinus eſſet, res in aprico foret; ille ſiquidem in publico conſeſſu primum locum tribuit Epiſcopo, ſecundum Archidiacono, tertium Chorepiſcopo, quartum denique Protopapæ, ſeu Archipresbytero. Sed quidquid ſit de his canonibus, propoſitio ex ipſo Archidiaconi officio N. 8. t. 23. deſcripto liquere videtur; atque ex S. Iſidori teſtimonio rel. diſt. 25. c. 1. confirmatur, ubi S. Pater Sæculo VI. utique ex antiqua traditione ſcribit: *Archipresbyter ſe eſſe ſub Archidiacono, ejuſque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire.* Quantum ad Chorepiſcopos infra N. 12. probabitur.

6. Sicut autem Archidiaconi erant Vicarii Epiſcopi in iis, quæ pertinebant ad ordinationem divini officii, atque ad juriſdictionem tum voluntariam, tum contentioſam; ita Archipresbyteri eodem officio in muniis Presbyteralibus fungebantur.

Id ſæculo VI. ex Eccleſiaſtica traditione deſcribit S. Iſidorus mox laudatus ep. ad Ludifredum apud Grat. L. cit. *Archipresbyter -- ſciat -- ſupra omnes Presbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſidue in Eccleſia ſtare; & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice ejus Miſſarum ſolemnia celebret, & collectas dicat, vel cui ipſe injunxerit.* Ad Archipresbyterum ergo Sæculo VI. ſpectabat I. curam agere Presbyterorum Eccleſiarum tum Cathedralium, tum ruralium. II. Si eſſet urbanus, in abſentia Epiſcopi Miſſarum ſolemnia celebrare, & collectas vel per ſe, vel per alium a ſe conſtitutum dicere. III. Ex Concilio Antiſiodorenſi in Burgundia hoc Sæculo celebrato can. 44. & aliis authoritatibus, curam viduarum, pupillorum, ac peregrinorum cum Archidiacono vice Epiſcopi habere. IV. Sæculares inſtituere & monere, atque canonum obſervantiam curare in pagis, ſi Archipresbyter ruralis foret. V. Invigilare vice Epiſcopi tam ſuper Clerum, quam ſuper plebem Chriſtianam, VI. Tranſgreſſores canonum ad Epiſcopum deferre. Et quando Chorepiſcopi fuerunt abrogati, illorum loco aut etiam ipſis ſuperſtitibus certo Parochiarum diſtrictui, minori tamen intendere. Hinc Sæculo IX. inter conſtitutiones Riculphi Epiſcopi Sueſſionenſis cap. 20. legitur: *Rationi quoque proprium eſt, ut unaquoque menſe ſtatuta die, id eſt Kalendis uniuſcujuſque menſis per ſingulas Decanias Presbyteri ſimul conveniant* (apud Decanum, ſeu Archipresbyterum) *& de his, quæ in eorum Parochiis accidunt, ſermonem habeant.* Erant ergo jam tum Diœceſes in certas Decanias diſtinctæ, quibus ſinguli Decani, ſeu Archipresbyteri præerant.

§. II.
De Chorepiſcopis.

7. PRimis tribus Eccleſiæ Sæculis nulli videntur extitiſſe Chorepiſcopi.

Nullum enim prorſus in ullo Eccleſiaſtico horum Sæculorum monumento de illis reperire eſt vel veſtigium; quod certe haud contigiſſet, ſi Chorepiſcopi illis temporibus exſtitiſſent, cum Presbyteris fuiſſent majores, atque dignitati Epiſcopali proximi.

8. Sæculi IV. initio in Oriente noti jam fuerunt Chorepiſcopi.

De illis ſiquidem mentio, & quidem prima fit in Concilio Ancyrano A. 314. canone 9. deinde in Niceno A. 325. can. 8. in Antiocheno A. 341. can. 10.

9. Sæculo V. ex Oriente ad Occidentales Eccleſias Chorepiſcoporum nomen & inſtitutum tranſiit.

Circa annum enim 439. teſte Thomaſſino de vet. & nova Eccl. diſcipl. p. 1. l. 2. c. 1. N. 13. in Concilio Regienſi Armentario ab Epiſcopatu depoſito, quod a duobus tantum Epiſcopis ſeſe ordinare curaverit, facultas datur, vi cujus *liceat in unum Parochiarum ſuarum Eccleſiam concedere, in qua* Chorepiſcopi *nomine, ut idem canon Nicænus* (videl. 8. mox citatus) *loquitur, aut peregrina communione fruatur.* A Nicæna ergo Synodo aliquam ideam Chorepiſcopi ſibi formarunt Galliarum hujus Concilii Patres. Umbra enim tantum Chorepiſcopi in hoc Armentario præfulſit, cum unius tantum Parochiæ curam geſſerit; eoque Sæculo in Africa adhuc nullus, in aliis vero Occidentis Provinciis rarior uſus fuerit. Nec obſtat epiſtola Damaſo, qui ſedit Sæculo IV. item S. Leoni M. qui Sæculo V. floruit, tributa, quæ mentionem Chorepiſcoporum in Occidente his Sæculis ingerunt, utraque enim doctiſſimorum hominum judicio eſt ſuppoſititia.

10. Sub Carolo M. ſeu Sæculo IX. Chorepiſcopi & numero, & authoritate erant plurimum conſpicui.

Propoſitio per ſubſequentia in apricum ponetur.

11. Chorepiſcopi ab Epiſcopis ad nutum proprium eligebantur, & conſecrati ruri præficiebantur.

Prima pars inde conſtat, quod eſſent Epiſcoporum Vicarii, curam Paſtoralem vice eorum Parochiis ruralibus impendentes; unde Synodus Antiochena canone 10. in fine ſic habet: *Chorepiſcopum vero civitatis Epiſcopus ordinet, cui ille* ſubjectus *eſt.*

Quantum ad ſecundam: Chorepiſcopos Sæculo IV. ab Epiſcopis conſecrari ſolitos prodit Synodus Antiochena canone 10. mox cit. Verba canonis ſunt: *qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis* manus impoſitionem *Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen S. Synodo placuit, ut modum proprium recognoſcant, & gubernent ſibi ſubjectas Eccleſias, earumque moderamine, curaque contenti ſint.*

12. Poteſtas, Juriſdictio, & Officia Chorepiſcoporum a IV. ſtatim Sæculo erant ſplendida.

Quamvis enim qua tales nunquam fuerint veri Epiſcopi, ut infra probabimus, ſed Epiſcoporum Vicarii Foranei, qui in vicis villiſque conſtituebantur, ac in Parochiarum ruralium curam incumbentes tractum ſibi ab Antiſtite aſſignatum viſitabant, multas tamen adeo habebant præmo-

dernis

dernis Vicariis Foraneis prærogativas, ut veros eos fuiſſe Epiſcopos de facto multi ſuſpicentur. Eorum vero officia fuerunt ſequentia. I. per canonem 9. Concilii Ancyrani declarantur Vicarii Epiſcopi ad exemplum ſeptuaginta Diſcipulorum conſtituti. II. Per canonem 10. Synodi Antiochenæ conſtitutera, ſeu ordinare poterant Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas. III. Idem Concilium canone 8. facultatem ipſis tribuit, ut formatas in aliam diœceſim migrantibus dare poſſint. IV. Viſitatio Eccleſiarum ſuo diſtrictui incorporatarum, & cætera jura a Vicariis Foraneis exercari ſolita illis competebant ex eodem canone 10. Cum autem N. 8. t. 23. probaverimus, Archidiaconos fuiſſe præcipuos Mioiſtros Epiſcopi in Regimina totius diœceleos quantum ad Juriſdictionem voluntariam & contentioſam, atque ordinationem Eccleſiæ Cathedralis, N. vero 6. h. t. Archipresbyteros plebanos, aut Parochos illos fuiſſe, qui cum pluribus Presbyteris ad inſtar modernorum Capellanorum uni Parochiæ, aut poſtea ceu Decani pluribus præeſſent; veroſimile eſt Chorepiſcopos, dum adhuc ſupereſſent, horum Archipresbyterorum fuiſſe Inſpectores, ad eum fere modum, quo alma Archidiœceſis Pragena in Synodo Provinciali anno 1605. titulis de Archidiaconis diœceſanis, & Decanis ruralibus diſtributa fuit in certos Decanatus, quorum primi intenderent certis Parochiis, ſecondi vero certis Decanatibus, utrique vero ſubeſſent Vicario Generali & Officiali Archiepiſcopi, qui, ut dictum aſt, officium ſobit veterum Archidiaconorum.

13. Chorepiſcopi Sæculo IX. abrogari cœperunt, & ſæculo X. penitus ſublati ſunt, atque in eorum locum Archidiaconi, & Decani rurales ſubſtituti.

Quantum ad primam partem, eodem Sæculo lata fuit lex ſequentis tenoris, inſerta capitularium libro 6. cap. 119. atque his verbis concepta: *Placuit, ne Chorepiſcopi a quibuſdam deinceps fiant: quoniam hactenus a neſcientibus SS. Patrum, & maxime Apoſtolicorum decreta, & qui ſuis quietibus, & delectationibus inhærent, facti ſunt. Ideirco & olim perſæpe, & noſtro tempore a Sancta & Apoſtolica Sede ſunt prohibiti, & ne deinceps a quoquam tam Ordinatio, quam ordinari cupientis talis præſumptio aſſumatur, a cunctis Regni noſtri Epiſcopis eſt in Synodo canonice prohibitum.*

Quantum ad ſecundam partem, cauſa, cur non obſtante hac lege & Apoſtolicis mandatis, tamen uſque ad Sæculum X. perduraverint Chorepiſcopi, ex ipſa conſtitutione detegitur: inquit Nat. Alexander hiſt. Eccl. Sær. 4. diſſert. 44. Ipſos nimirum fovit Epiſcoporum in ſacris miniſteriis obeundis deſidia. Homines ſcilicet Laici ad Epiſcopalem dignitatem honoribus & divitiis opimam evecti onera illi conjuncta ferre dedignabantur, Ideoque illa in Chorepiſcopos transferebant, dum interim ipſi genio liberios indulgerent. Hinc Synodus Meldenſis animadvertis ſtatuit in Epiſcopom, qui propter deſidiam, aut ſæcularem pervagationem, vel propter infirmitatem, modum ſuum Chorepiſcopis tranſcendere conſenſerit. Alteram cauſam ibi adducit ex Flodoardo lib. 3. hiſt. Eccleſiæ Rhemenſis cap. 10. occaſionem nempe inde arreptam a Magnatibus & Principibus retardandi canonicas Epiſcoporum electiones. Exiſtimabant enim vera ſe Eccleſiæ & Officio ſuo ſatisfeciſſe, ſi Chorepiſcopum modica mercede conductum Sedi vacanti præfeciſſent, qui epiſcopalia munia obiret, dum interim ipſi reditus Eccleſiaſticos ſuis fruendos aulicis aſſignabant. Et ſubdit: His incommodis perſpectis & perpenſis, Epiſcopi ad Capitularis executionem ſummo conſenſu conſpirarunt, a Chorepiſcopis conſtituendis abſtinentes, *& ſpartam illorum, uti in propoſitione dictum eſt, in Archidiaconos, & Archipresbyteros dividentes.*

QUÆSTIO SCHOLASTICA.

Utrum Chorepiſcopi fuerint meri Presbyteri, an Epiſcopi.

14. QUæſtionem hanc, quam Natalis Alexander diſſertationi 44. in Sæculum IV. hiſt. Eccl. *de ſuperioritate Epiſcoporum ad Presbyteros* appendit, nos eidem quæſtioni infra titulo de majoritate & obedientia tractandæ præmittimus, cum ea præfocetur unum ex præcipuis argumentis Blondelli Calviniſtæ, quod pro ſtabilienda Presbyterorum cum Epiſcopis æqualitate ex muniis & officiis, olim ab his Chorepiſcopis obiri ſolitis, deſumit, atque vim ſuam inde naneiſcitur, quod dicta munia videantur fuiſſe Epiſcopalia, & Chorepiſcopi nihilominus facile probentur ſimplices Sacerdotes. Quod ultimum dum probandum ſuſcipit, primum, videlicet Chorepiſcopos jure nonquam exercuiſſe munia Epiſcopalia, ſed tantum uſurpatione, quoque evincet, adeoque intentum noſtrum contra Blondellum obtinebit ſequens

PROPOSITIO.

Chorepiſcopi Ordinatione ſua non erant Epiſcopi, ſed meri Presbyteri, aliquo Juriſdictionis Epiſcopalis privilegio aucti.

15. HAnc propoſitionem Natalis Alexander validis probat conjecturis, quæ non niſi characterem ſimplicis Sacerdotis in Chorepiſcopis arguunt. Quarum prima eſt: quod vetares omnes, qui de Chorepiſcopis verba faciunt, eos dicant ad ſimilitudinem ſeptuaginta Diſcipulorum creatos; teſtes ſunt Concilium Neocæſareenſe can. 13. S. Iſidorus lib. 2. de officiis Eccl. c. 6. aliique. Epiſcopos autem eſſe Apoſtolorum Succeſſores in aprico eſt.

16. Secunda: quod ex traditiona Apoſtolica, in hunc uſque diem religioſe obſervata, Epiſcopus a tribus ſaltem Epiſcopis ordinandus ſit, alioquin & ordinandus & ordinator deponatur: at Chorepiſcopi ab uno tantum, aut a duobus ad ſummum Epiſcopis ordinabantur, juxta canonem 10. Antiochenum infra N. 25. h. t. referendum. Sane Armentarii ordinatio, a duobus temere convenientibus Epiſcopis facta, in Synodo Rheginenſi miſſa eſt in irritum (N. 9. h. t.), quem tamen in una Eccleſia Chorepiſcopum inſtitui permiſit indulgentior Synodus.

17. Tertia: quia Chorepiſcopi in pagis, villis, & oppidulis conſtituebantur (N. 12. h. t.), quod factum haud fuiſſet, ſi veri Epiſcopi extitiſſent, hos enim in pagis conſtitui vetant canones Laodicænus 57. Sardicenſis 6. Toletani XII. Concilii canon 4. S. Leo ep. 8.

18. Quarta: quia Functiones Epiſcopales, ab his umbratilibus Epiſcopis temere uſurpatæ, nimirum Presbytarorum, & Diaconorum conſecratio, Chriſmaris confectio, confirmationis collatio &c. a Romanis Pontificibus & Conciliis Sæculi IX. inanes & irritæ juxta canonicas Sanctiones declaratæ ſunt. Authoritatum ſuccum ex Nat. Alex. l. c. hue deflorabo. Primus occurrit Leo III. qui ſolemni legationa ab Epiſcopis Galliæ & Germaniæ, quam obivit Arno Juvavenſis, ſeu Saltzburgenſis Archiepiſcopus, aditus, atque circa characterem hominum, quos cum Clero ipſi quoque Laici idola tantum Epiſcoporum graviſſime ſuſpicabantur, interrogatus, reſpondit: *Nullum fore Presbyterum, vel Diaconum ab eis ordinatum, nec Eccleſiam ab eis dedicatam, nec Virginem conſecratam, nec quemquam confirmatum,*

neque quidquam, quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſere, eſſe peractum. Quo Pontificis reſponſo accepto, Galliæ & Germaniæ Epiſcopi Ratisbonæ in Concilio congregati, ſecundum Sedis Apoſtolicæ decretum irritum eſſe pronuntiarunt, *Quidquid a Chorepiſcopis* epiſcopaliter *præſumptum eſt*; *nam* Epiſcopi *non erant* (inquiunt) *quia nec canonice a tribus Epiſcopis ordinati.*

19. Secundo loco venit Concilium Pariſienſe VI. A. 829. quod canone 27. lamentatur reprehenſibilem uſum irrepſiſſe, & *inolevisse, eo quod quidam Chorepiſcopi ultra modum ſuum progredientes, & donum S. Spiritus per impoſitionem manuum tradant, & alia quæque, quæ ſolis Pontificibus debentur, peragant; cum tamen* Epiſcopi *nequaquam ſint, quoniam hi juxta actuum Apoſtolorum, & canonicam authoritatem ad exemplum Apoſtolorum, illi vero ad exemplum duntaxat 70. Diſcipulorum inſtituti ſint.*

20. Ex eadem ratione libro VII. capitularium, capitularibus 328. & 329. conſecratio Sacerdotum, Diaconorum &c. illis denegatur, eo quod *hæc omnia Summis Pontificibus debentur, & non Chorepiſcopis, vel Presbyteris, quorum* (poſteriorum) *formam juxta SS. Canonum decreta Chorepiſcopi tenent*; verba ſunt Capitularis 328.

21. Earundem functionum authoritatem *juxta canonicam inſtitutionem*, & Decreta Innocentii ipſis denegat Concilium Meldenſe A. 845. can. 44. itemque Concilium Metenſe A. 889. celebratum.

22. Sed jam Sæculo VII. ineunte, videlicet A. 619. Concilium Hiſpalenſe II. canone 7. Chorepiſcopus, & Presbyteros juxta canones unum eſſe affirmat, & hinc enumeratorum ſupra munium epiſcopalium uſurpationem iiſdem ſevere interdicit; adjungens, *hæc omnia illicita eſſe Presbyteris*, (quibuscum Chorepiſcopos unum eſſe nuper aſſirmarat) *quia* Pontificatus apicem *non habent*, *quod ſolis deberi Epiſcopis authoritate Canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium Summi Pontificis demonſtretur.* Notet hoc pro interim Blondellus.

23. Et S. Iſidorus Hiſpalenſis hujus Concilii Præſes, utpote apud Coletum Tom. VI. Conciliorum col. 1415. primo loco ſubſcriptus lib. 2. de off. Eccl. *c. 6.* ſic habet: *Chorepiſcopi, id eſt,* Vicarii Epiſcoporum, *juxta quod Canones ipſi teſtantur, inſtituti ſunt ad exemplum ſeptuaginta Seniorum tanquam Sacerdotes propter ſolicitudinem pauperum. Hi in vicis & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas. Presbyteros autem & Diaconos* ordinare *non audeant, præter conſcientiam Epiſcopi, in cujus regione præeſſe noſcuntur. Hi autem* a ſolo Epiſcopo *civitatis, cui adjacent, ordinentur.* S. Iſidorum hujus loci ultima periodo nec ſentire omnes Chorepiſcopos eſſe veros Epiſcopos, neque quod ut ſimplices Sacerdotes cum licentia urbani Epiſcopi poſſint ordinare Sacerdotes, vel Diaconos, infra N. 30. videbimus.

Solvuntur Authoritates in contrarium adducibiles.

24. QUemadmodum nos ſupra Chorepiſcopis ex fine inſtitutionis eorundem, ex defectu ordinationis requiſitæ, atque ex authoritatibus Romanorum Pontificum, & Conciliorum, epiſcopalia munia ipſis negantibus, characterem epiſcopalem abjudicavimus; ita eundem in ipſis arguere poſſunt, quod hæc munia epiſcopalia olim *de facto* obiverint, quodque eorundem obeundorum *poteſtatem* a Patribus, conciliiſque, præſertim iis, a quibus inſtituti creduntur, accepiſſe videntur. Et quod munia epiſcopalia ſibi arrogaverint, eaque de facto obierint, ex jam dictis extra controverſiam poſitum eſt; an vero ea etiam jure obierint, & conſequenter a poſteriori Epiſcopi demonſtrentur, jam diſpiciendum. Itaque

25. Opponi poteſt primo authoritas canonis 10. Concilii Antiocheni N. 8. h. t. inſinuati, quo decernitur: *Ii, qui ſunt in vicis vel pagis, qui dicuntur* Chorepiſcopi, *etiamſi* Epiſcopi ordinationem, manuumve impoſitionem *perceperint, viſum eſt, ut ſuum modum ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias adminiſtrent, conſtituant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe, & Regio. Si quis autem transgredi ſtatuta tentaverit, depoſitus, quo utebatur honore, privetur. Chorepiſcopum vero civitatis Epiſcopus* ordinet, *cui ille ſubjectus eſt.* Igitur Chorepiſcopi de licentia Epiſcopi Cathedralis Sacerdotes, & Diaconos ordinare poterant; erant ergo charactere veri Epiſcopi, eſto urbanis ſubjecti. Addi poteſt hic locus ex S. Iſidoro N. 23. h. t. relatus, in eo ſiquidem per illa verba, *juxta quod canones ipſi teſtantur*, ſe videtur expreſſe revocare ad hunc canonem, eumque interpretari, quod Chorepiſcopi ex ejus mente cum licentia Epiſcopi Cathedralis Sacerdotes, & Diaconos ordinare valeant, adeoque charactere veri Epiſcopi exiſtant.

26. Idem S. Iſidorus & alludere videtur ad canonem 13. Concilii Ancyrani, qui, ſecundum quod a Dionyſio exiguo latine redditus eſt, ſenſum canonis Antiocheni ad intentum objectionis extra dubitationis aleam collocare videtur; ſic enim ſonat: *Chorepiſcopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris civitatis*, ſine præcepto Epiſcopi, vel litteris *in unaquaque Parochia.*

27. Atque ad horum canonum normam videtur S. Baſilius epiſtolam ſuam 181. ad Chorepiſcopos ſuæ Diœceſis exegiſſe: utpote in qua authoritatem creandorum Diaconorum, & Presbyterorum illis non auſert, ſed conſervat; idque unum efficere nititur, ut Chorepiſcopi id imposterum canonice præſtent, Prædeceſſorum exemplo Miniſtros Eccleſiæ ante conſecrationem, ut par eſt, examinando, in mores & vitam eorundem ſolicite indagando; *hoc enim*, inquit, *olim examinabant Presbyteri & Diaconi, qui cum eis* (nempe ſuſcipiendis ad ordinem) *verſabantur: referebant autem ad Chorepiſcopos, qui a vere teſtificantibus ſuſceptis ſuffragiis eorum Epiſcopum admonebant, Miniſtrumque poſtmodum* in Sacerdotalem numerum *adoptabant.*

28. Ad objectionem reſpondeo cum Natali Alexandro, Concilium Antiochenum non loqui de Chorepiſcopis omnibus, ſed ſolum de illis, qui Epiſcopi conſecrati fuerant, ac poſtmodum ad Chorepiſcopatum promoti, villis, vicisque ſubinde præficiebantur. His namque concedit Synodus, ut Lectores, Exorciſtas, & Subdiaconos ordinent, non autem Diaconos, aut Presbyteros, niſi Epiſcopus civitatis, cui ſubditi ſunt, hoc ipſis munus demandaverit. Et banc ordinandi facultatem canon bimembris ſuis ipſe verbis ſe vel obiter legenti ingerit; ita ut tota difficultas ad hoc tantum devolvatur, primo: an inter Chorepiſcopos, qui ordinarie fuerunt meri Sacerdotes, ſubinde exſtiterint aliqui, qui revera epiſcopalem characterem habuerunt? ſecundo: an de his poſterioribus loquatur præſens canon, an vero de Chorepiſcopis in globo ſeu univerſim conſideratis? Jam quod illo tempore inter Chorepiſcopos fuerint veri aliqui Epiſcopi Nat. Alex. l. c. probat ex Concilio Nicæno can. 8. qui Novatianis ab hæreſi redeuntibus gratiam facit dignitatis epiſcopalis retinendæ, ſi Orthodoxo Epiſco-

piſcopo ita viſum fuerit: vel ſaltem Chorepiſcopatus locum obtinendi: *niſi forte placuerit Epiſcopo* (Orthodoxo) *nominis* (Epiſcopalis) *eum* (Novatianum Epiſcopum ab hæreſi redeuntem) *honore cenſere: ſi vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut Chorepiſcopatus, aut Presbyterii locum, ut in Clero prorſus eſſe videatur, ne in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*, verba ſunt canonis; quo innuitur unus caſus, quemadmodum verus Epiſcopus fieri ſolitus ſit Chorepiſcopus; alter inſinuatur a canone 18. Antiocheno, dum nempe veri Epiſcopi ob contumaciam populi, aliaſque cauſas ſuis ab Eccleſiis migrare cogebantur, quibus collegas eorundem in ſuis diœceſibus de Chorepiſcopatu providiſſe, ne extra Clerum eſſe cenſerentur, juxta mox relatum canonem Nicænum veroſimillimum eſt. Et hoc erat unum.

29. Nunc quantum ad alterum, quod nempe Synodus Antiochena cit. canone de Chorepiſcopis iſtis tantum verba faciat, videtur ex ipſis verbis canonis manifeſte colligi. Si enim ruminentur, regulam, quod Chorepiſcopi vi Chorepiſcopatus non ſint veri Epiſcopi, ſed meri Sacerdotes, non evertunt, ſed exceptionem faciunt, ſi nimirum caſus inſinuatus, quo verus Epiſcopus ad Chorepiſcopatus Officium aſſumeretur, eveniret. En repetita ejus verba: *Qui in vicis vel poſſeſſionibus Chorepiſcopi nominantur, quamvis manus impoſitionem Epiſcoporum perceperint, & ut Epiſcopi conſecrati ſint, tamen S. Synodo placuit, ut modum ſuum recognoſcant*. Quaſi dicerent: etiamſi quandoque contingat, ut Chorepiſcopatus ab aliquo Epiſcopo exerceatur, miniſterii tamen ſui modum excedere non poteſt, ut abſque licentia Epiſcopi civitatis Diaconos, & Presbyteros ordinet.

30. Et per hoc patet ad locum S. Iſidori, qui verba hujus canonis, adeoque ejus ſenſum ad noſtrum inventum l. cit. videtur exſcripſiſſe, eo vel maxime, quod, ut ibi dictum eſt, Concilii II. Hiſpalenſis Præſes fuerit, in quo *poteſtas* ordinandi Diaconos, & Presbyteros Chorepiſcopis, qua talibus, abſolute interdicitur. Anteriora verba canonis Hiſpalenſis N. 22. h. t. relati, ne ullum dubium ſuperſit, hic adnumero: *Quamvis* (Chorepiſcopis) *cum Epiſcopis plurima --- myſteriorum communis ſit diſpenſatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis, & Eccleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint, ſicut Presbyterorum & Diaconorum ac Virginum conſecratio*.

31. Contra ſolutionem ad canonem Antiochenum datam, videntur pugnare extrema verba illius canonis: *Fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjicitur*; hæc enim verba, cum de Chorepiſcopis univerſim loquantur, etiam priora in eodem ſenſu accipienda determinant.

32. Reſp. Negando illatum; relatio enim illa, & conjunctio poſterioris partis canonis cum priore non efficit, ut de iiſdem Chorepiſcopis utraque intelligatur. Nam canonis titulus eſt, *de Chorepiſcopis generatim*. Deinde exceptionem facit eorum, qui conſecrati fuerant Epiſcopi, & iis concedit licentiam ordinandi Diaconos, & Presbyteros cum permiſſu Epiſcopi civitatis: abſque qua vero conceſſione Lectores tantum, Exorciſtas, & Subdiaconos promovendi. Denique ſtatuit de *modo inſtitutionis* Chorepiſcoporum, ut ſcilicet ab Epiſcopo civitatis, cui ſubjiciuntur, omnes fiant, tam illi, qui meri ſunt Presbyteri, quod ordinarium ac ſolemne eſt, quam illi, qui manus impoſitionem Epiſcoporum acceperunt, & ut Epiſcopi conſecrati ſunt, quod quandoque contingit. Omnibus namque commune erat, ut Chorepiſcopatus miniſterium ab Epiſcopo civitatis demandaretur.

33. Tandem non eſt ſpernenda Balſamonis expoſitio hujus canonis, ſcribentis ſenſum illius non eſſe, quod ſolus Chorepiſcopus Diaconorum ordinationem, aut Presbyterorum peragere poſſit, etiam ex Epiſcopi mandato: ſed ſolum, quod accedere poſſit ordinationi ab Epiſcopo celebrandæ, eique ordinanti adeſſe, ac operam præſtare. Quæ ſi genuina eſt, difficultatem omnem tollit.

34. Ad primam confirmationem Reſp. editionem vulgatam Dionyſii Exigui mutilam eſſe, in eaque reſtituenda hæc verba: *aliquid agere*, atque ita exhibendus canon integer: *Chorepiſcopis non licere Presbyteros aut Diaconos ordinare: ſed nec Presbyteris civitatis* aliquid agere *ſine præcepto Epiſcopi, vel literis in unaquaque Parochia*. Quo fit, ut præceptum Epiſcopi appellet ſuper actiones Presbyterorum, non ſuper ordinationes Chorepiſcoporum. Ita porro explendam eſſe illam lacunam conſtat ex epitome canonum ab Adriano I. e verſione Dionyſii concinnata, capitulari Aquiſgranenſi Caroli M. ex Ferrandi Diaconi, itemque ex Iſidori Mercatoris verſionibus, in quibus omnibus verba illa retinentur. Unde in Græco textu proculdubio deeſt *Ti prattein*; aut quid ſimile: quo loquendi modo utitur etiam Synodus Laodicæna in ſimili ſpecie can. 57. *Quod non oporteat*, inquiens, *in villulis vel in agris Epiſcopos conſtitui, ſed Viſitatores. Veruntamen jam pridem conſtituti nihil faciant præter conſcientiam Epiſcopi civitatis. Similiter & Presbyteri præter conſilium Epiſcopi nihil agant*.

35. Alii canonem intricatum ex alio principio extricare conantur, quod nimirum improbabile haud viſum fuerit doctis quibuſdam viris, ſimplices Sacerdotes ex Summi Pontificis delegatione poſſe alios ordinare, quorum catalogum l. cit. texit Natalis Alexan. ſubjungens hanc ſententiam ſequendam non eſſe, quod traditioni repugnet, ſed priori reſponſioni inhærendum.

36. Ad authoritatem S. Baſilii reſp. hæc verba, *in Sacerdotalem numerum cooptabant*, ſignificare ſolam adlectionem in Clerum, non vero ſacram ordinationem; loquitur namque de quibuſvis Miniſtris S. Baſilius, & Chorepiſcopos ſuos objurgat, quod a veteri diſciplina receſſerint, nec ſedulo diſcutiant eorum merita, quos Clero adſcribunt, nec de iis ad ſe deferant. Tria itaque diſtinguenda ſunt, ut S. Baſilii locus intelligatur, imo quatuor: *Prima*, teſtimonia de probitate, & meritis eorum, qui Clericalis militiæ ſunt candidati: *Secundo*, hujuſmodi teſtimoniorum ſuſceptio & diſcuſſio: *Tertio*, Sacra ordinatio: *Quarto*, Cooptatio in Clerum in Parœciis ruſticis aut villulis. Teſtimonium fere de meritis ordinandorum ſpectabat ad plebem, nec non ad Clericos, qui cum promovendis familiarius egerant. Hujuſmodi teſtimonia excipere, diſcutere, deque iis ad Epiſcopum referre, munus erat Chorepiſcoporum. Sacras ordinationes conferre, ſeu ad majores ordines promovere, ſolius erat Epiſcopi. Miniſtros demum cooptare in Clerum ruſticanarum Parœciarum pertinebat ad Chorepiſcopos, conſulto prius Epiſcopo civitatis, ut docet collectio canonum Arabicorum Concilii Nicæni, eſto forraſſis ſuppoſititia, antiquiſſima tamen, canone 60. *Non enim licet*, inquiens, *ut ullus* miniſtret *in Sacello, ſive capello diœceſis, ſine licentia* Chorepiſcopi. *Quandoquidem ipſe eſt caput illorum*. Prohibet ergo S. Baſilius, ne Chorepiſcopi ſuæ diœceſis aliquem deinceps inferioris gradus Clericum conſtituant, antequam ad Epiſcopum retulerint, qui promovendorum meritis ſuffragetur.

37. Opponi poteſt ſecundo authoritas Nicolai I., qui A. 864. conſolens a Rudolpho Archiepiſcopo Bituricenſi de Presbyterorum & Diaconorum ordinationibus celebratis a Chorepiſcopis in Gallia, reſpondit: *Nec innocentes* (videlicet

O 3 a Chor-

a Chorepiſcopis bona fide ordinatos) *debere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas conſecrationes*; & pergit : *ad formam enim 70. Chorepiſcopi facti ſunt, quos quis dubitet* Epiſcoporum *habuiſſe Officia*.

38. Hanc authoritatem Natalis Alexander l. cit. exponit primo de quibuſdam Chorepiſcopis, qui conſecrati fuerant Epiſcopi ; quemadmodum N. 28. h. t. canon Antrochenus expoſitus eſt. Secundo vero exiſtimat, Nicolaum I. probabilius de omnibus Chorepiſcopis locutum fuiſſe (id quod etiam mihi videtur) ; ſed quoniam idem Nicolaus in relata ep. teſtatur, ſe *ſolito occupatiorem negotiis Eccleſiaſticis fuiſſe*, dum conſultationi huic reſpondere urgeretur, verba ejus ſunt : *quamvis ſolito nunc anguſtius Eccleſiaſticis ſimus occupati negotiis, & ob id reſpondere tuis ſpatioſius nequeamus conſultibus &c.* uti refert Nat. Alex. in ſcholio contra cenſores Romanos l. cit. hac in parte cum eodem præclaro authore potius adhæreo Leoni III. N. 18. h. t. in favorem noſtræ ſententiæ adducto, quam Nicolao I. ſi ille contrarium ſenſit.

39. Opponi poteſt tertio Rabanus Maurus in lib. ſeu epiſt. ad Drogonem Metenſem Epiſcopum, *de Chorepiſcopis* inſcripta, quam primum vulgavit vir eruditus Steph. Baluzius poſt librum quartum Petri de Marca *de concordia Sacerdotii & Imperii*; in qua mordicus tuetur Chorepiſcopos juxta præceptum Epiſcoporum ſuorum poſſe ordinare Diaconos, & Presbyteros, ac cæteros gradus, atque reliqua officia Sacerdotalis Officii peragere. Quam ſuam ſententiam authoritatibus Concilii Ancyrani, & Antiocheni jam adductis fulcit.

40. Sed Rabani authoritatem eadem libertate explodimus, qua ille Leonis III. reſponſum (N. 18. h. t.), & Gallicanæ Synodi judicium (N. 19. h. t.) inſuper habuit : Conciliorum porro Ancyrani, & Antiocheni Canonibus, quibus ille nititur, jam reſponſum eſt (N. 28. & 34. h. t.). Lini & Cleti exemplum, quod ibidem adducit idem Rabanus, nihil quoque probat, cum Epiſcopi a S. Petro ordinati eſſent, & S. Petro immediate alter poſt alterum ſucceſſerit. Præterea Rabanus Apocryphis nititur, ſcilicet Pontificali Pſeudo-Damaſi libro, & epiſtola Clementis ad Jacobum fratrem Domini (hoc lib. tit. 2. N. 155.) ; denique Rabanus libellum ſuum ſubjicit cenſuræ Drogonis Metenſis Epiſcopi.

41. Opponi poteſt quarto canon 12. Concilii Chalcedonenſis, quo ſimoniacæ ordinationes prohibentur : in hoc enim canone obſervatur diſtinctio ordinum & officiorum Eccleſiaſticorum ; & Chorepiſcopatus inter ſacros ordines expreſſe numeratur, & quidem medius inter ordinem Epiſcopalem & Presbyteralem his verbis : *Si quis ordinaverit per pecuniam Epiſcopum, aut* Chorepiſcopum, *aut Presbyterum, aut Diaconum &c.* Igitur Sæculo V. Chorepiſcopi majores, & quidem *Ordine* cenſebantur Presbyteris ; erant ergo veri Epiſcopi, quamvis Villani, & Rurales duntaxat.

42. Reſp. N. illatum ; cum enim Chorepiſcopi tribus primis Sæculis in Eccleſia non fuerint, & nono Sæculo fuerint exſtirpati ; Chorepiſcopatus dici non poteſt inſtitutus a Chriſto, adeoque nec ſacris ordinibus connumerari. Concilium autem Chalcedonenſe Chorepiſcopos inter officia recenſere voluit, quorum temporale tantum erat miniſterium, ſed cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, quorum munia ſpiritualia ſunt ; ſeu ordinis, ſeu juriſdictionis : quia etſi eorum ordo non eſſet a ſimplici & ſecundi ordinis Sacerdotio diſtinctus, juriſdictione tamen ſibi ab Epiſcopis demandata in Parochias Pagorum, earumque Presbyteros, ſimplicibus Sacerdotibus præerant. Animarum porro cura, & ſpiritualis juriſdictio abſque nefario crimine, & prorſus ſimili ei, quo ſacræ ordinationes venduntur, pretio dari, & emi non poteſt. Quod quidem crimen officiorum œconomi, aut defenſoris venditione longe eſt deteſtabilius. Impoſitio igitur manuum, qua creabantur Chorepiſcopi, novum ipſis non conferebat ordinem, ſed juriſdictionem ſpiritualem duntaxat, inferiorem Epiſcoporum, ſuperiorem Presbyterorum juriſdictione, quæ vendi & emi abſque ſimoniæ labe non poterat.

TITULUS XXV. XXVI. XXVII.

De Officio Primicerii, Sacriſtæ, & Cuſtodis.

1. PRæſenti titulo notas hiſtoricas non tantum de ſpecificatis, ſed etiam de aliis utriuſque Eccleſiæ nominatioribus officiis, puta de Scholaſticis, Sacellariis, Theſaurariis, Manſionariis, Defenſoribus, vice-Dominis, Syncellis, Notariis, Chartulariis, Cancellariis, & Chartophylacibus dabimus, breves tamen.

2. Primicerii nomen generale eſt, eique attribuebatur, qui in officiis vel dignitatibus, quæ pluribus communicabantur, primus erat, & conſequenter catalogo, ubi eorum nomina ceræ inſculpebantur, primo loco conſcriptus.

Unde jam Sæculo V. Aetius Archidiaconus Conſtant. legitur Primicerius Notariorum, & in Eccleſia Latina poſt Primicerium, etiam Secundicerius Notariorum Paterius conſpicitur apud Greg. M. lib. 8. ep. 82. & 6. ep. 29.

3. In præſenti nomine Primicerii venit is, qui primus erat in ordine Clericorum, aut potius illi præeſſet, præcipue quantum ad ordinationem divinorum officiorum.

Unde in Concilio Emeritenſi canone 10. & 14. dicitur Primiclerus, & in Tolet. VIII. & XV. Primiclerius, & ex principaliori officii ſui ſparta Cantor, vel Præcentor. c. 6. de Conſuet.

4. Sæculo VI. Primicerii, ſeu Primicleri jam exſtiterunt.

Illorum ſiquidem officia a S. Iſidoro Hiſpalenſi deſcribuntur. S. quoque Remigius Remenſis Archiepiſcopus horum Primiceriorum meminit, Concil. Galliæ tom. 1. pag. 205. Cauſam probabilem, cur ſubinde in Eccleſiis Cathedralibus introducti fuerint, cum prius Archidiaconi per ſeipſos inferiori Clero intenderent, Thomaſſinus de Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 103. N. 10. inde adducit, quod lapſu temporis horum Archidiaconorum officia, & Juriſdictio eo excreverit, ut eſſent Epiſcoporum Vicarii Generales, univerſales adminiſtri, & ſuperioris Cleri Inſpectores (N. 8. t. 23.), adeoque ob hanc negotiorum molem Provinciæ intendentiæ ſuper Clerum inferiorem, ſaltem *immediata*, alteri, qui Primicerius, ſeu Primiclerus inde dicebatur, conferenda fuit, unde canone 10. Concilii Emeritenſis A. *666.* celebrati ſancitur : *ut omnes Epiſcopi in Cathedralibus Eccleſiis ſuum Archipresbyterum, Archidiaconum*, & Primiclerum habeant.

5. Eorum officia ex S. Iſidoro rel. diſt. 25. can. 1. aliiſque Eccleſiaſticis monumentis erant varia.

Primo, præerant Acolythis, Exorciſtis, Pſal-

miſtis,

miſtis, & Lectoribus. *Secundo*, illorum moribus, & vitæ honeſtati invigilabant. *Tertio*, ad officium divinum eos ſigno convocabant, illiuſque partes ſingulis diſtribuebant; ordinemque ac modum pſallendi pro diverſitate temporum & ſolemnitatum eos edocebant. *Quarto*, de reparatione Baſilicarum urbis Epiſcopo ſuggerebant. *Quinto*, Epiſtolas Epiſcoporum pro diebus jejuniorum Parochianis per oſtiarios dirigebant. *Sexto*, Clericorum defectus vel ipſi corrigebant, vel ſi non valerent, ad Epiſcopos emendandos deferebant. *Septimo*, Baſilicanos conſtituebant. *Octavo*, Matriculam diſponebant. Hæc ex Iſidoro l. c. Non ſolum autem his, quos modo dicimus *Minoriſtas*, ſed etiam Subdiaconis præerat Primicerius, uti aperte ſupponit canon 14. Concilii Emeritenſis N. præcedenti relatus; quin in Eccleſia Latina & Diaconis præerat, uti colligitur ex cap. un. h. t. deſumpto ex ordine Romano, ubi eos docere, atque lectiones ipſis dare jubetur, quorum omnium proinde immediatus Superior hiſce Sæculis exſtitit; ac proin cum Archidiacono & Archipresbytero Romanam, abſente Pontifice, gubernabat Eccleſiam, teſte Martino Papa ep. 15. ſcribente: *Quia in abſentia Pontificis Archidiaconus, Archipresbyter*, & Primicerius *locum præſentant Pontificis*. Unde in Hiſpania & alibi ex collegio Subdiaconorum, Romæ vero ex Diaconorum Primicerius aſſumebatur.

6. Officia Scholaſtici & Primicerii in Eccleſiis Cathedralibus, & olim videntur fuiſſe diſtincta, nec modo poſſunt generaliter confundi.

Primum propoſitionis membrum inde liquet, quod Eccleſiaſtica monumenta, dum officia Primiceriorum enumerant, nullam muneris docendorum puerorum, aut Præfecturæ ſcholarum mentionem ſuggerunt, quam tamen ſpartam Scholaſticus præcipue exornabat; quemadmodum videre licet in Regula Canonicorum c. 135. ubi habetur: *Frater* (qui debebat eſſe ex probatiſſimis ſenioribus Canonicis) *cui hæc cura committitur, ſi eorum* (puerorum nimirum & adoleſcentum) *curam parvi penderit, aut eis in aliquo laſcivis macula ingreſſerit, ſeveriſſime correptus ab officio amoveatur: & Fratri alii id committatur*. Item in Concilio Aurelianenſi Anno 1017. ubi dicitur, quod Heribertus Eccleſiæ S. Petri *capitale Schola* tenebat *Dominium*; & in charta dedicationis Abbatiæ Vindocinenſis A. 1040. ubi Scholaſticus *Magiſter Scholarum*, & in Concilio Bituricenſi A. 1031. ubi *Capi-ſcholus* nuncupatur.

Secundum vero inde colligitur, quod juxta omnes pene Canoniſtas teſte Vanelpen Primicerius, de quo agit præſens Titulus, idem ſit cum eo, quem hodie in pleriſque Eccleſiis Cantorem dicimus, unde in cap. 6. de conſuet. vocatur *Præcentor*, quæ tamen capitula Scholaſticum præterea habent. Quanquam diffiteri nolimus alicubi Primicerium vocari illum, qui alibi audit Scholaſticus; & hæc duo, quæ principio mera fuerunt officia, alicubi poſtea fuiſſe dignitates, alibi Perſonatus; quorum tamen nomina in Capitulis fere ſuperſunt.

7. Ad Sacriſtam vi Capituli unici h. t. pertinet cuſtodia vaſorum ſacrorum, veſtimentorum Eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri Eccleſiaſtici: nec non quæ ad luminaria pertinent, ſive in cera, ſive in oleo.

Sacriſtæ, ſive Sceuophylacis meminit Theodorus Lector lib. 2. c. 23. eique attribuit ſacrorum Vaſorum cuſtodiam. Id Officii apud Græcos Presbyteris committebatur. His affines erant *Sacellarii*, ſive æditui capellæ Pontificiæ fuerint, ſive potius *Saccellarii* a cuſtodiendis Saccis dicti, quod eſſent Theſauri Epiſcopalis cuſtodes; quorum meminit Joannes Diaconus in vita S. Gregorii, & Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Conſtantini Papæ, erantque Clerici in minoribus conſtituti. Item ab his poſterioribus valde diverſi Cuſtodes Sacrorum, aut *Sacrarii*, Diaconi nimirum probi, & ætate provecti, de quibus Iſidorus de Eccl. Off. lib. 2. c. 9. *Cuſtodes Sacrorum Levitæ ſunt. Ipſis enim juſſum eſt cuſtodire tabernaculum, & omnia vaſa templi; qui que ab Anno 50. eliguntur &c. ne fidem deſerant*. Qui & alibi agit de theſaurariis, quorum Officia longe diverſa erant ab enumeratis; ejus locus refertur diſt. 25. c. 1. ſequenti tenore: *Ad Theſaurarium pertinet Baſilicarum ordinatio, incenſi præparatio, cura chriſmatis conficiendi, cura baptiſterii ordinandi, præparatio luminariorum in Sacrario, & in Sacrificiis*. A Canoniſtis Theſaurarius cum Sacriſta confunditur.

8. Ad Cuſtodem, qui erat Miniſter Sacriſtæ, aut, ut vulgo loquimur, Subſacriſta, vi cap. 1. ex ordine Romano, & 2. ex Concil. Tolet. h. t. deſumpti pertinet cuſtodia utenſilium Eccleſiæ, dare ſignum pro divinis officiis, lampadum curam habere, panem & vinum, & alia ad ſacrum miniſterium neceſſaria parare.

Talium Cuſtodum ſæpe meminit S. Gregorius M. ſub nomine *Manſionariorum*, uti lib. 2. dial. c. 5. item lib. 3. c. 24. & 25. quibus incumbebat januas Eccleſiæ claudere, & aperire, lampades accendere, & extinguere. Hi Manſionarii in Concilio Chalced. dicti ſunt *Paramonarii*, itemque *Ædítui*, & jugiter in Eccleſia perſeverabant; de Eccleſia Græca id ad minus certum eſt ex S. Hieronymo in Epitaphio Nepotiani. Scriptor vitæ S. Joannis Eleemoſynarii c. 13. narrat, eum miſiſſe 20. hebdomadarios, qui Clericum inquirerent, cum quo in gratiam redire decreverat, qui hebdomadarii videntur fuiſſe Laici, viliori bus Miniſteriis in Eccleſia operam navantes.

9. Defenſorum officia ex Concilii Chalced. act. 1. c. 23. & Milevitani c. 16. fuerunt agere cauſas Eccleſiæ & pauperum.

Primitus id muneris exercebant etiam minores Clerici ex Epiphanio hæreſi 72. poſt Sæculum vero IV. Presbyteri, unde in Concilio Chalcedonenſi act. II. habetur: *Presbyter & Defenſor Joannes*. In Eccleſia Latina Sæculo V. Laici hanc Provinciam obiverunt, ab Imperatoribus poſtulati, & ab Epiſcopis delegati teſte c. 42. & 69. cod. Africani; facti autem ſunt ad formam Defenſorum civitatum, quorum frequens mentio in codice occurrit, atque ut Epiſcopi, Clericive illa tempeſtate litium forenſium inſignes oſores, ab earum ſtrepitu liberi, quietius Deo vacarent. At poſterioribus Sæculis certum eſt, in utraque Eccleſia Clericos id muneris in ſe ſuſcepiſſe. Eos ad Sæculi V. finem Gelaſius Papa minoribus Clericis cæpit accenſere; *continuo Lector, vel Notarius, aut certe Defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus*, verba ſunt Pontificis. Sæcula ſequentibus in Eccleſia Latina ex Subdiaconorum, & ſubinde ex Presbyterorum collegio adoptati ſunt Defenſores, erantque veri Beneficiarii, atque Patrimonium Petri, aliaque majoris momenti negotia ipſis committebantur, communicatis iiſdem Privilegiis Notariorum & Subdiaconorum; S. Greg. lib. 1. ep. 42. lib. 2. ep. 21. lib. 4. ep. 4. lib. 7. ep. 17. Sub Carolo M. Defenſores quandoque poſtliminio ex Laicis aſſumebantur. Vide Thomaſſ. p. 1. lib. 2. c. 99.

10. Vice-Dominus, & Major domus dicebatur is, cui delegata fuit cura Epiſcopalis ædis, ut in domeſticos omnes invigilaret, hoſpitelque exciperet.

Id conſtat ex lib. 9. ep. 66. Gregorii M. in qua Anthemio Subdiacono Campaniæ demandat, ut Paſchaſium Epiſcopum cogeret eligere ſibi

Vice-

Vice-dominum, & Majorem domus, ubi etiam ſignificatur, duo quidem diverſa ea fuiſſe Officia, ſed conjunctiſſima, eoque fine inſtituta, ne Epiſcopi ob curam domus ab Epiſcopalibus functionibus impedirentur. Qui proin prohibiti fuerunt obire munus Vice-dominorum, & Majorum domus apud Patriarchas vel Papam, quamvis contrarium ſemel ac iterum contigerit; ſed illo Clerici & plerumque Presbyteri functi ſunt, & temporibus Caroli M. ſubinde Laici, ſub quo ampliora etiam habuiſſe Officia leguntur, quæ vide apud Hincmarum Tom. 2. pag. 317. & 706.

11. Syncelli vocabantur, qui in eadem cum Epiſcopis cellula commorabantur, & vitæ privatæ eorundem, actionumque omnium teſtes erant.

Tales erant, quos Iſchyrion Diaconus in Calced. Concilio act. 3. proferebat teſtes criminum, quæ Dioſcoro Alexandrino Epiſcopo impingebat: *Per nominatos a me teſtes*, verba ſunt ejus, *Syncellos ejus conſtitutos, qui hactenus cum ipſo degunt & comitantur*. Legitur apud Ennodium præceptum regium, quo jubentur Epiſcopi, Presbyteri, Diaconique, ut Clericum *Syncellum* habeant. Idem confirmant Concilia Hiſpaniæ Gerundinenſe canone 6. & 7. Tolet. IV. can. 22. 23. & 24. item Galliæ Turonenſe II. can. 12. & 13. erant autem in Occidente plerumque Clerici, in Oriente poſt Sæculum præcipue VIII. plerumque Monachi. Papa & Epiſcopi Latini plures habebant Syncellos, ſimiliter & Patriarchæ, atque Epiſcopi Orientales; Græcorum tamen Syncellorum florentior fuit majorque poteſtas, quam Latinorum; hos inter eminentior *Proto-Syncellus* audiit, qui & conſiliorum omnium conſcius, & poteſtatis adminiſter tandem fuit, imo plerumque poſt mortem Epiſcopi, ejus in Throno Succeſſor, quod exemplis confirmat Thomaſſinus l. cit. cap. 100. N. 9. Cum vero hæc Syncellorum in locum Epiſcoporum ſucceſſio poſt Sæculum VIII. fieret frequentior, Principes, Epiſcopi, quin & Archiepiſcopi ſe *majorum* Syncellatum prebenſare cœperunt, ut probat Thomaſſ. l. c. cap. 101. N. 8. unde & ipſo teſte, factum eſt, ut Syncelli ſupercilium extollerent, & locum ſuper Epiſcopos prætenderent; quin gratia Imperatorum Græcorum eo evecti ſunt, ut Proto-Syncellus primus eſſet Miniſter Imperii. Plura de Syncellis ad noſtra fere tempora, præſertim a S. Carolo Borromæo adhibitis lege, ſi placet, apud Thomaſſ. loc. c. cap. 102.

12. Notariorum ex etymologia nominis prioribus Eccleſiæ Sæculis ordinaria functio fuit, acta tum Pontificum, tum Eccleſiarum notare, ſeu conſcribere.

A Notariis Eccleſiæ, ſicut cernitis, excipiuntur, quæ dicimus, Eccleſiaſtica geſta conficimus, inquit Auguſtinus ep. 110. Hinc pueri cum officio Lectorum munus etiam Notariorum obibant illa tempeſtate, teſte Evodio ep. 258. apud Aug. atque per illud ad ulteriora, & graviora negotia apti reddebantur; non tamen meri, cum a Sæculo V. & ſeqq. eas functiones legamus demandatas Notariis, quæ humeros viriles exigebant, Præſides veru Conciliorum, & Legatos eos ſub Leone M. ep. 10. 15. & 23. legimus; & Aetius Archidiaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Concilio Chalcedonenſi *Primicerius Notariorum* dicitur. Mediis quoque Sæculis componendis publicis negotiis, itemque privatis Notarii a S. Gregorio M. adhibiti ſunt. In Oriente erant plerumque Diaconi, in Occidente minores Clerici; eorum Collegio Præfectus Primicerius Notariorum vocitabatur. Sub Carolo M. & prius, Imperatoribus & Principibus a ſecretis erant, ut probat Thomaſſ l. c. cap. 105. qui mos uſque ad Sæculum XV. & XVI. perduravit, quemadmodum produnt illorum Sæculorum chartæ apud eundem loc. c. cap. 106. & in Concilio Conſtant. ſtatim quatuor Protonotarii Clerici creati ſunt ad acta Concilii ſcriptis mandanda, Seſſ. 1. iiſque Sæculis plures legimus authoritate Apoſtolica, Imperiali, & Archiepiſcopali ſubſcriptos Notarios. De eorum charactere moderno conſulendi ſunt obvii Canoniſtæ.

13. Chartulariorum officium, & dignitas ad Notarios proxime accedit, ſicut & illa Cancellariorum.

Quantum ad Chartularios, id patet, quia pariter leguntur ad componenda negotia Eccleſiaſtica, & mandatorum Papalium executionem a Gregorio M. miſſi, apud eundem lib. 2. ep. 33.

Quantum ad Cancellarium, ejus nomen, teſte Caſſiodoro, a Cancellis, intra quos ſe continebat, ut vel audiret, vel introduceret eos, qui audiri ſe a Magiſtratu cupiebant, ortum trahit. Sæculo VII. necdum Cancellarii locus erat inter miniſtros Eccleſiæ Latinæ, ſcripſit ſiquidem Gregorius M. ad Venantium Italiæ Cancellarium, ut in Clauſtrum, quo abierat, regrederetur. Ex hiſtoricis, & legibus conſtare ait Thomaſſinus l. c. 104. N. 15. Notarios primum hos fuiſſe, vel Secretarios, quibus lapſu temporis majora in dies commendata ſunt negotia, & hinc illis tanta ſplendoris & authoritatis acceſſio. In hujuſmodi officia intricare ſe Clerici non cœperunt, niſi circa tempora Caroli M. quando illis ea interdixit Concilium Cabilonenſe A. 813. *Presbyteros*, inquiens, *Cancellarios publicos eſſe decrevimus inhibendum*. Interea tamen illud ſimplices Clerici obierunt, quamvis cæteroquin officium laicum eſſet. Sub Imperio Caroli M. quo augeſcere cœpit Cancellariorum dignitas, eorum erat aſſervare Principum ſcrinia, leges, præcepta, item ſtatuta placitorum, & comitiorum regni: horum exſcripta Archiepiſcopis & Comitibus ſubminiſtrare, a quibus ea cum Epiſcopis, & Abbatibus, & Comitibus communicabantur, denique Principem admonere, qui Epiſcopi, qui Comites apographa hæc capitularium regiorum accepiſſent; uti conſtat ex Capitulari Ludovici pii A. 823. cap. 24. quod Capitulum de *Archicancellario* loquitur, qui tunc ex Clericis ſemper deligebatur, ut liquet ex ſubſcriptionibus apud Thomaſſ. l. c. c. 105. cui ſubordinati erant Cancellarii, vel Notarii, qui vices ejus in abſentia ſupplebant. Sæculis ſequentibus Romana Eccleſia, ſummique Principes ſuorum regnorum habuerunt Cancellarios, ampliſſimis poteſtate præditos, quæ de facto ſuperſtes eſt; tunc temporis vero ad eam ex Clericali militia aſſumebantur. Vide Thomaſſ. l. cit. c. 106.

14. Chartophylax, qui interpretatur Chartarum cuſtos, in Eccleſia Græca honore & amplitudine Notarios & Cancellarios præceſſit.

Id patet ex actione 8. Synodi Chalcedonenſis, in qua hæc ejus præcedentia hiſce exprimitur: *Quidam ex Secretario Sanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani, id eſt Gregorius Diaconus & Chartophylax, Anaſtaſius Diaconus & Notarius, & defenſor navium, Stephanus Diaconus & Cancellarius*. Præterea Chartophylax ibidem primus poſt Epiſcopos ſubſcribitur. Ex eodem Concilio act. 12. 13. & 14. eruitur, eum fuiſſe Archivo, & Bibliothecæ Conſtantinopol. Præfectum, quam ſpartam nullatenus exornarunt in Eccleſia Latina Chartularii, ſed Bibliothecarii teſte Thomaſ. l. cit. c. 105. N. 12. Inſuper plures ibi numerantur Diaconi ſub Chartophylace collegii ſui Principe. Sæculo IX. principem fere locum inter dignitates Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tenuit Chartophylax. Ejus jura teſte Anaſtaſio Bibliothecario in annotatiuncula quadam ad VIII. Synodi actionem 2. eadem fere ibi fuerunt, quæ Biblio-

theca-

thecarii io Eccleſia Romana. Diaconus ſere ſuit Chartophylax, at Sacerdotii partes, quæ ordinem Presbyteralem oon deſideraret, omnes implevit. Ab ipſo Epiſcopi, & quicuoqne alii ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad Eccleſiaſticos conventus introducebantur; ejus unius manu tradebantur eidam Patriarchæ omnes epiſtolæ, exceptis iis, quæ ab aliis Patriarchis mittebaotor (quod ſragmeo officii Latinis Chartulariis ex nominis etymo videtur quoque competiviſſe), nemoque Abbatia, vel dignitata quacuoque ſacra, vel Prælatura initiari poterat, oiſi ab ipſo approbatus, & Patriatchæ præſentatus. Et, quod maxime ſtupendum, cum Diaconus tantum eſſet, oon tantum ſupra Presbyteros, ſed etiam ſupta Epiſcopos io cooventibus omnibus, qui extra Saoctnarium, ubi Altare erat, & extra Coocilia ſieent, ſedebat; quam prærogativam conſuetudine, Epiſcoporum negligentia & deſidia inveteraſcenta, atque Alexii Comneni conſtitutione compararuot, & mordicus tuiti ſuot. Jus orientale tom. 1. pag. 144. Poſt multa vero ſcandala, hac ex conſuetudine orta, ilia Caoone Synodi Trullanæ ita temperata eſt, *ut Chartophylax ante Presbyterum non ſedeat, præterquam ſi proprii Patriarchæ, vel Metropolitani vicem gerens adſit in alia civitate ſuper aliquo capite. Tunc enim ut locum illius impiens honorabitur*. Vices autem Patriarchæ tandem ſera agebant Chartophylaces Cooſtaotinopolitani, cum teſte Balſamooe aſſtot eorundem, qua Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum tum Juriſdictionis contentioſæ, tum pœnitentiariæ adminiſtratores. Pro coronide hic ſubnecto dignitates Eccleſiæ Græcæ Schiſmaticæ, quemadmodum leguntur ſubſcriptæ io Synodo da A. 1642. ab ſila habita, in qua Calvioiana hæreſis eſt proſcripta, quam Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus Cyrillus diſſemioaverat. Sic autem ordine ſequuntur: Prædicator Evangelii. Magnus Archimandrita Magnæ Eccleſiæ. Magnus Protoſyncellus Magnæ Eccleſiæ. Magnus Logotheta. Magnus Oeconomus. Magnus Eccleſiarcha. Nomophylax. Minor Sacellarioa. Protonotarius Magnus. Primicerius. Dicæophylax. Magnus Interpres. Logotheta. A Commeotariis. Protapoſtolarius. Notarius. Apud Coletum Tomo 21. Concii. col. 1638.

TITULUS XXVIII.

De Officio Vicarii.

1. NAturæ humanæ imbecillitaa fontalis origo eſt Vicariorum. Cum enim homo nec ubique eſſe, nec omnia per ſe ipſum negotia ob eorum frequentem multitudinem expedire valeat, naturaliter conſecutum eſt, ut negotiis humania ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus præpoſiti, eorum molem io plures dividerent, ut ita & illi in portandis oneribus ſublevarentur, & negotia commiſſa hac œconomia accuratius expedireotur. Et ita factum legimus oon tantum in veteri, ſed etiam in novo Teſtamento; in veteri ſiquidem Moyſes ad ſuaſionem Jethro, hac duplica ratione fulcitam, Vicarios ſui elegit, qui pondus immenſum gubernatioois populi duri cervicis una adminiſtrarent, Geneſis 18. In oovo vero ipſa Salvator in ſublevamen Apoſtoiorum ob multitudinem meſſis, & paucitatem operariorum deſignavit ſeptuaginta duos, queis munus Apoſtolicum delegavit, Lucæ 10. Nec aliam ob cauſam in primitiva Eccleſia Epiſcopi vices ſuas Archidiaconibus, & Archipresbyteris commiſerunt, quemadmodnm vidimus Titulis 23. & 24. hujus libri. Hoc in Titulo notas hiſtoricas dabimus da Vicariis perpetuis Eccleſiarum, Cathedralibus, Collegiatis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis item, Beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcunque incorporatarum, atque de ipſis Epiſcoporum Vicariis Generalibus, qui io locum Archidiaconorum ſucceſſerunt, ut laudato Titulo 23. hujus libri vidimus.

2. Qnamvis juxta Tridentinam Synodum Seſſ. 24. c. 12. de ref. omnes canonici divina per ſe, & non per ſubſtitutum obire debeant officia: juſte tamen & ante illud Concilium inſtituti ſunt, & poſt illud adhuc ſervaotur illorum io choro Vicarii.

Cum enim non tantum ad divini officii perſolutionem, ſed etiam ad Hierarchcas functiones pro Eccleſiæ neceſſitate & utilitate Canooici obligentur, non difficulter intelligi poteſt, aos a divini officii perſonali perſolutione nonnunquam avocari, quorum abſentiam proio laudabiliter a dictis Vicariis ſuppletur. Unde Synodns Colonienſis A. 1536. etſi Canonicos in choro per ſe non pſallentes graviter perſtringat, haoc tamen exceptionem addendam cenſuit, oimirum: *Quem tamen aliud Officium Eccleſiaſticum, aut publicum alia ſtatim rapiet, ut niſi legens preces horarias tempeſtive abſolvere haud poſſit, hac lege teneri haud volumus*.

3. Hi Canooicorum Vicarii juxta præſcriptum Conciliorum aliquot Provincialium debent eſſe aut in ſacris, aut ſaltem in Lectoratus ordine conſtituti, & hoc poſteriori caſu, quaotum fieri poteſt, cælibes.

Ita decernit Concilium Cameracenſe A. 1565. tit. 6. c. 15. & Syoodus Audomarenſis A. 1683. habita; quamquam ex conſuetudine his Vicariis Eccleſiaſticis etiam ſæculares uxorati alteros verſuum modulatione concinere ſoleant.

4. Non æqua laudabilis fuit Vicariorum Parochiarum origo.

Iotroducti ſiquidem ſuot, & primo cooſtituti a Laicis, qui a Sæculo VIII. & ſequentibus non tantum decimas Eccleſiarum Parochialium, ſed ipſas quoque Eccleſias bene multas obtinuerunt; & continuati per monaſteria, & Collegia Canonicorum, ad quæ ſubinde decimæ & Eccleſiæ, a Laicis his Sæculis occupatæ, rediverunt. Itaque Laici, cum Eccleſiis, quas hæreditario jure poſſidebant, atque poſteris ſuis tum in capita, tum in ſtirpes tranſmittebant (de quo graviſſimo abuſu loqui capitulum 1. & 2. de jure Patronatus teſtatur Florens in commentario ad ilia); cum, inquam Eccleſiis bis præeſſe per ſe ipſos non poſſent, diſtinctionem inter Eccleſiam & Altare commenti ſunt, primæque omnia temporalia addixerunt a ſe perſruenda, Altari vero Sacramentorum adminiſtrationem, & cæterarum functioonm Sacerdotalium perſolutionem, a Presbytero conducto præſtandam. De qua funeſta Sæculi XI. diſtinctione ad Reges Galliæ Hugonem & Robertum ſcripſit, eamque ut graviſſimum errorem arguit S. Abbo Floriacenſis Abbas; *Certe chariſſimi Principes*, inquiens, *nec Catholice loquimur, quando illam Eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam, ac veluti quædam jumenta comparati jumentis inſipientibus, utraſque aliquando venales proponimus, propoſitas ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error graviſſimus; quo fertur* Altare *eſſe Epiſcopi*, & Eccleſiam *alterius cujuslibet Domini: cum ex domo conſecrata & Altari*

nonm

ynum quoddam fiat, quod dicitur Eccleſia. Dum autem ſucceſſu temporis e Laicorum manibus Eccleſiæ ad Monaſteria, & Canonicorum collegia pervenerunt; cœperunt quoque nonnulla Monaſteria, & Canonicorum Collegia exemplo Laicorum, a quibus eas acceperunt, Eccleſiam ab Altari dividere; & *Eccleſiam* ſeu decimas, aliaque jura ſibi reſervando, *Altare*, ſive Spiritualium curam Presbyteris quibuſdam demandare.

5. Hi Parochiarum Vicarii initio erant mere temporales.

Mutari namque poterant a Rectoribus principalibus, ſeu Paſtoribus primitivis Eccleſiarum, & hiſce Sæculis a Monaſteriis & Collegiis Canonicorum mediante aliquo cenſu pecuniario Epiſcopis præſtito permutabantur, qui cenſus *Altarium redemptio* dicebatur, idque, ut apparet ex uſu feudorum; vi cujus Domino directo certa pecunia, ſive jus relivii ſolvitur, quoties novus vaſallus inveſtitur. Quæ Altarium redemptio æqui-bonique non eſt conſulta ab Urbano II. relato cauſa 1. q. 3. c. 4. in Concilio Claremontenſi &c.

6. Sæculo XII. Monaſteria & Capitula hos Vicarios præſentabant, Epiſcopi vero illos approbabant, quibus quantum ad curam animarum, Abbatibus vero quoad temporalia erant ſubjecti, necdum tamen erant de jure perpetui.

Id declarat Synodus Claremontana apud Grat. 16. q. 2. c. 6. his verbis: *Sane quia Monachorum quidam Epiſcopis jus ſuum auferre contendunt, ſtatuimus, ut in Parochialibus Eccleſiis, quas tenent, abſque Epiſcoporum conſilio Presbyteros collocent; ſed Epiſcopi Parochiæ curam cum Abbatum conſenſu Sacerdoti committant: ut ejuſmodi Sacerdotes de populi quidem cura Epiſcopis rationem reddant: Abbati vero pro* rebus temporalibus *ad Monaſterium pertinentibus debitam ſubjectionem exhibeant: & ſic cuique ſua jura ſerventur*. Hic tamen canon non determinat, num deberent eſſe *perpetui* hi Vicarii, num *conductitii*, & ad nutum amovibiles. Sicut nec Epiſtola Urbani II. hujus Concilii Præſidis ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem. Et quidem, cum Presbyteri illi conductitii, & ad nutum amovibiles magis a Monaſteriis & capitulis dependerent, atque propterea iis magis complacere ſtuderent, & paucioribus ſubſidiis temporalibus eſſent contenti; maluerunt Monaſteria & Capitula hujuſmodi conductitiis, & ad nutum amovibilibus Presbyteris curam animarum demandare.

7. Huic œconomiæ Sæculo XIII. acriter ſuccenſuerunt Concilia varia, eamque tollere per ſubſtitutionem Vicariorum perpetuorum conata ſunt, ſucceſſu tamen minus optato.

Quantum ad primam partem Synodus Germanica A. 1225. celebrata ſub præſidio Conradi Epiſcopi Cardinalis Portuenſis, & S. Ruffinæ, Sedisque Apoſtolicæ Legati deplorat can. 12. quod *enormis quædam conſuetudo in quibuſdam Alemanniæ partibus contra Canonicas Sanctiones invaluit, ut ponantur in Eccleſiis Sacerdotes Vicarii* temporales: *Ne id fiat de cætero* (ait Legatus) *auctoritate legationis, qua fungimur, omnibus modis inhibemus; ſed cum Vicarius poni debet & poteſt*, perpetuo *inſtituatur, idque aſſenſu & auctoritate Diœceſani, & Archidiaconi loci illius*; Concilio Moguntino Biterrenſe A. 1233. can. 11. & 12. concinit, dum omnibus Religioſis, Capitulis, & aliis Perſonis, qui tenent Eccleſias Parochiales, præcipit, ut *perpetuos* Vicarios præſentent.

Secunda pars inde clareſcit, quod Sæculo XVI. poſt machinationis Lutheri contra Eccleſiam inchoatas, de *conductitiis* hiſce Sacerdotibus, qui Eccleſiis incorporatis Monaſteriis & Capitulis præficiebantur, ſummopere conqueſti ſint Principes Germaniæ; uti patet ex articulo 36. inter gravamina eorum nomine Adriano VI. exhibita.

8. Concilium Tridentinum huic abuſui efficacitee occurrere volens, œconomia uſum eſt.

Sic enim ſtatuit Seſſ. 7. c. 7. de ref. *Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel monaſteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcunque* perpetuo *unita & annexa reperiuntur, annis ſingulis viſitentur, ut per idoneos Vicarios*, etiam perpetuos, niſi ipſis ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, *animarum cura laudabiliter exerceatur*. Ex quo decreto certum eſt *primo*, mentem Concilii, votumque eſſe, ut dictis Eccleſiis præficiatur Vicarius perpetuus; niſi in particulari caſu aliter Ordinariis videretur. *Secundo*, derogaſſe Concilium conſuetudini immemoriali deſerviendi hiſce Eccleſiis per Vicarios amovibiles, ut notat Garcias de beneficiis parte 11. c. 2. N. 6. ex declaratione S. Congregationis. Nihilominus tum in Gallia, tum noſtris in oris Eccleſiæ incorporatæ Monaſteriis per Religioſos ad nutum Superiorum amovibiles adminiſtrantur, nec hoc fit contra mentem Concilii, cum pro bono Eccleſiarum regimine hoc expedire viſum ſit, & revera expediat.

9. Hi Vicarii perpetui, non ſecus atque alii Parochi & Beneficiati eatenus ſunt perpetui, ut non poſſint niſi canonice, & ſervato juris ordine amoveri, & juxta Rebuffum etiamſi moriatur Rector Principalis.

Licet enim hujuſmodi Presbyteri Parochiis præfecti dicantur *Vicarii*, nullatenus tamen dependent a ſuis Principalibus, quemadmodum mandatarii a mandantibus, aut delegati a delegantibus; ſed titulum habent per ſe ſubſiſtentem, & jura, quæ loquuntur in Parochialibus, etiam habent locum in Vicariis, quibus Vicarii præſunt, ait Rebuf. & ſat aperte deciſum eſt in Clem. unica de officio Vicarii. Cum omnis plane cura animarum in ipſos transferatur, adeoque ſint nomine tenus tantum Vicarii, ſicut Rectores Principales nomine tenus Paſtores ſeu Parochi.

10. Præter Chorepiſcopos, qui olim erant Epiſcoporum Vicarii Generales in Parochiis agrorum, item Archidiaconos, & Archipresbyteros, qui reſpective tales erant in urbe, & Eccleſia Cathedrali, & quidem nati, de quibus ſuo loco dictum eſt, Epiſcopi jam Sæculo IV. ſuos habebant Vicarios Generales arbitrarios, in quos Epiſcopalis ſarcinæ partem rejiciebant.

Talis in Oriente erat Patri ſuo Gregorius Naz. teſte Baronio ad A. 366. N. 10. Euſebio Cæſareenſi S. Baſilius, cum adhuc Presbyteri eſſent, teſte eodem l. cit. & Greg. Naz. oratione 2. *in laudes Baſilii*, & Flavio Antiocheno Chryſoſtomos adhuc Diaconus, poſtea Presbyter, teſte eodem ad A. 382. N. 48. Talis in Occidente fuit Ambroſio Mediolanenſi Symplicianus Presbyter, ut ipſe teſtatur ep. 2. ad eundem, & Valerio Hipponenſi S. Auguſtinus item presbyter, ut habet Baronius ad A. 391. N. 22. Sed cum hi Vicarii Generales ſimul fuerint plerumque Epiſcoporum Coadjutores, de iis libro III. dicendi locus occurret.

11. Hi Vicarii tamen Generales non habebant ſimilitudinem cum modernis Epiſcoporum Vicariis Generalibus.

Erant enim ex parte tantum Officiales, & præterea eorum pœnitentiarii, Theologi item, & Eccleſiæ Cathedralis Parochi, teſte Thomaſs. de Vet. & Nov. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 2. c. 7. N. 7.

12. Moderni Epiſcoporum Vicarii Generales Sæculo XII. juniores ſunt.

Nulla enim illorum fit mentio non tantum in decreto Gratiani, ſed neque in Decretalibus Gregoris

Digitized by Google

gorii IX. Sæculi XIII. initio compilatis, quin Archidiaconus diſertis verbis ibidem Vicarius Generalis Epiſcopi dicitur, cap. *adhæc* de officio Archidiaconi. Præſenti equidem titulo cap. *Sua nobis &c. de Vicario* agitur, quem Papa Romæ creabat, cum ab ea aliquamdiu abfuturus erat, quem & ſpirituali juriſdictione in univerſam urbem induebat, at hunc eſſe a modernis Vicariis Generalibus diverſum res ipſa loquitur. Mandat quidem præterea Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. ante editionem decretalium habitum, ut ſi qua in urbe vel diœceſi eſſent populi plures, non una lingua, diverſis moribus, aliis & aliis Eccleſiæ ritibus, totidem ab Epiſcopo conſtituerentur *Vicarii Generales*, qui ſingulis adminicula ſalutis omnibus neceſſariæ ſuppeditare poſſent cap. quoniam *de off. Jud. Ord.* Sed eam fuiſſe Vicariorum ſingularem ſpeciem pariter liquet. Mandat inſuper idem Concilium, ut Epiſcopi ſibi conſtituant Vicarios, *qui vice ipſorum, cum per ſe iidem nequiverint, diœceſanos inſtruant, viſitent, & regant*; ſed vel ex hoc ipſo liquet, Vicarios Generales tunc necdum in uſu fuiſſe, cum ad illos accerſendos hortandi fuerint Epiſcopi, quamvis non diffiteamur in una vel altera diœceſi jam tum exſtitiſſe Vicarios Generales noſtris Symbolos, uti oſtendit Thomaſſ. l. cit. c. 8. N. 3. Semina tamen hujus dignitatis ſplendidæ hiſce conſtitutionibus jacta fuiſſe, ſequentia demonſtrabunt.

13. Circa Sæculi XIII. medium invaleſcere cœperunt Epiſcoporum Vicarii Generales, & Sæculo XIV. univerſim habiti ſunt.

Frequens enim illorum mentio ſub nomine Officialium occurrit ſub Innocentio IV. qui ſedit A. 1243. in Concilio Lugdunenſi, & hoc titulo in 6.

Altera pars conſtat ex variis Conciliis hujus Sæculi, quæ Epiſcopos ſuos habere Vicarios Generales ſupponunt, uti Concilium Londinenſe, item Ravennatenſe can. 2. & can. 44. ubi ait: *Singuli Epiſcopi & eorum Officiales, Vicarii, Locumtenentes, & vicem gerentes ipſorum.* Item Bonifacius VIII. relatus cap. 2. & 3. h. t. in 6. Veriſimile eſt, inquit Thomaſſ. l. mox cit. increbreſcentes tunc inter Epiſcopos & Archidiaconos diſſenſiones eo vilas eſſe pacandas remedio, ut Vicarii Generales ab Epiſcopis crearentur, qui paulatim ſupra Archidiaconos aſſurgerent, eorumque in ſe transferrent juriſdictionem, quam arbitraria Epiſcoporum delegatione olim obtinuiſſent, conſtanti deinde titulo, & officio explicuiſſent, tanquam ſibi propriam & agnatam.

14. Jure communi Vicarii Generales cum Officialibus confunduntur, in quibusdam tamen Diœceſibus diſtinguuntur.

Quantum ad primam partem totus titulus de Officio Vicarii in ſexto inſcriptus, vix de alio, quam de illo, quem aliæ Diœceſes *Officialem* vocant, verba facit, ipſaque hodierna Italiæ praxis eſt, ut Vicarius Epiſcopi ſit & Officialis, quam ſecuta Synodus Trid. Seſſ. 24. c. 16. de ref. Officialem cum Vicario Epiſcopi confundit, inque noſtra Alma Archidiœceſi Pragenſi Officia Vicarii Generalis & Officialis ab una Perſona perguntur, qui ſe ſubſcribit *Vicarium Generalem, & Officialem*, quod & aliis in diœceſibus ſolemne eſt.

Quantum ad ſecundam partem in Belgio, teſte Vanespen, ille dicitur Epiſcopi Officialis, qui juriſdictioni contentioſæ, ſeu decidendis litibus præeſt, & olim ex cap. 2. de Regularibus, & c. 1. de frigidis, & maleſ. dicebatur *Miſſus*: ille vero Vicarius Generalis, qui juriſdictionem voluntariam, id eſt diſpenſationem circa beneficia, ordines &c. exercet.

15. Vicarii Generales Epiſcoporum jure communi habent eandem cum Epiſcopo juriſdictionem in utroque foro, iis exceptis, quæ ſpecialem delegationem requirunt.

Conſtituunt enim eandem cum Epiſcopo Perſonam, atque de jure & praxi ab eorum tribunali ad Epiſcopum appellari nequit.

Quantum ad 2. p. vide cap. 2. & 3. de Off. Vicarii in 6.

16. Illorum poteſtas jure communi non eſt ordinaria, ſed ad nutum Epiſcopi revocabilis. Sunt tamen in dignitate conſtituti.

Primam partem decidit tum titulus præſens in 6. tum Trid. Seſſ. 24. c. 16. *de ref.* ubi requirit, ne Capitulum Sede vacante teneatur infra 8. dies poſt mortem Epiſcopi Officialem, ſeu Vicarium conſtituere, vel exiſtentem confirmare; ejus ergo juriſdictio morte Epiſcopi concedentis exſpirat, qui eſt character juriſdictionis delegatæ & temporariæ.

Secunda vero colligitur ex eo, quod vi Clementinæ 2. de reſcriptis eidem per reſcriptum Apoſtolicum cauſæ committi poſſint, quæ nonniſi Canonicis Cathedralibus, aut aliis in dignitate conſtitutis committi queunt, juxta cap. ſtatutum *de reſcriptis* in 6.

17. Vicarius Generalis Capituli eſt ille, qui Sede vacante juriſdictionem Capituli exercet.

Eſt inſtitutus a Tridentina Synodo Seſſ. 24. c. 16., cum alias jure communi decretalium Capitula ipſa juriſdictionem Epiſcopalem viduata ſede exercerent. Debet nominari, vel præcedens Vicarius Generalis Epiſcopi confirmari intra octo a morte Epiſcopi dies, alioquin ejus nominandi poteſtas ad Metropolitanum devolvitur. Ipſa quidem Tridentinæ Synodi verba unum tantum nominari ſinunt; at S. Congregatio & Pontifices ipſi conſtanter reſponderunt duos, præſidio conſuetudinis immemorialis, nominari poſſe.

18. Vicarii Apoſtolici dicebantur ii, quibus olim Romani Pontifices ſuo in Patriarchatu vices ſuas committebant in certas quaſdam Provincias, earumque Metropolitas.

Primus hujuſmodi Vicarius occurrit Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, cui vices ſuas Sæculo IV. in Illyricum Damaſus & Siricius Papæ commiſerunt, Innocentius I. ejuſque Succeſſores confirmarunt, uti ex eorundem epiſtolis conſpicuum eſt. Eadem poſtmodum dignitate & auctoritate nobilitati ſunt in Gallia Epiſcopi Arelatenſes, Viennenſes, Rhemenſes, Lugdunenſes. In Hiſpania, Hiſpalenſis, Tarraconenſis, Toletanus. In Anglia, Cantuarienſis. In Germania, Moguntinus. In plagis aliis ſeptentrionalibus Adalbertus Hamburgenſis, Bremenſiſve; uti probat Thomaſſinus de vet. & nova Eccl. diſcipl. lib. 1. a cap. 30. Sed de his uberius titulo ſequenti N. 5.

TITULUS XXX.

De Officio Legati.

1. Uſus Legationum Apoſtolicarum eſt antiquiſſimus.

Variæ ſiquidem earundem ſpecies viguerunt Sæculo V. ſub Leone Magno. Hic enim Summus ſimul & Sanctiſſimus Pontifex Anatolium Conſtantinopolitanum Epiſcopum in propria ſua Pro-

vin-

vincia delegavit, ut Atthi Presbyteri ſententiam de fide exploraret, ſcriptoque damnare cogeret expreſſiſſimo Eutichetis errores; Ep. 77. *ad Anatoliom*. Item Luculentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum ad eandem civitatem deſtinavit, ut cum Anatolio vice ſua conjunctim laborarent ad reſarciendam labem orthodoxæ fidei in Epheſina Pſeudo-Synodo tantum non labefactatæ; Ep. 46. *ad eundem*. Præterea Potentium Epiſcopum in Africam ablegavit, qui ſecundum ſcripta, quæ per ipſum ad eos direxit Summus Pontifex, de Epiſcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, *quid veritas habeat, inquireret, ſibique omnia fideliter indicaret;* verba ſunt ep. 87. Qui ſapientiſſimus Pontifex inſuper gravate ferens, quod Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus non eo tuendæ fidei flagraret zelo, quo ſuccendi Epiſcopos æquum eſt, Julianum Coenſem in Ægeo mari Epiſcopum delegavit, ut vice ſua ob dicti Antiſtitis ſocordiam pervigil inſtaret, ne hæreſis Neſtoriana, vel Eutichiana in aliqua parte reviteſcant, ep. 56. atque ad Marcianum Imperatorem ſcripſit, ut pateretur Julianum Apocriſiarii apud aulam fungi officio, atque adverſus peſtiferas hæreticorum innovationes, ne latius ſerpant, excubare. Et ante S. Leonem S. Auguſtinus a Zozimo Papa ſe miſſum in Mauritaniam ad Cæſaream, cauſarum quarundam finiendarum gratia, teſtatur.

2. Qui has legationes obire ſolent, legati vocantur; ſuntque jure communi in triplici claſſe, nimirum Legati *a latere*, Legati miſſi, & Legati nati.

Hanc Legatorum diſtinctionem eruunt Canoniſtæ ex cap. 1. *de Offic. Legati* in 6. ubi Legati *miſſi* contraponuntur iis, qui prætextu Eccleſiarum legationis ſibi vendicant dignitatem, ſeu Legatis *Natis*, atque in juriſdictione poſtponuntur fratribus Pontificis, ſeu Cardinalibus *legatione* fungentibus, qui ſunt *Legati a Latere*. Itaque *Legatus Natus* jure communi dicitur is, qui dignitatem hanc non ex deputatione a Pontifice facta, ſed ex ſua ad certam ſedem epiſcopalem, cui hæc dignitas annexa eſt, provectione aſſequitur; *Legatus vero a Latere* is, qui Cardinalitia dignitate fulgens, gravioribus Eccleſiæ negotiis tractandis ad aulas Principum Chriſtianorum mittitur, & hoc adeo, ait Gloſſographus, quia Cardinalis ſumitur de latere Papæ, utpote cum quo Cardinalium Collegium unum corpus conſtituit; Legatus denique *Miſſus*, hodie *Nuntius Apoſtolicus* is, qui purpura deſtitutus apud Principes Chriſtianos reſidet, & ordinariis negotiis ſuperintendit. Notandum tamen, quod Legatus non Cardinalis, ſeu Nuntius Apoſtolicus, mittatur interdum adjecta in ejus facultatibus clauſula *cum poteſtate Legati a Latere*, quæ de ſtylo Curiæ Romanæ conſuevit adjici mandatis Legatorum, qui fimbriam veſtimenti Papæ tetigerunt, ſeu qui ab eo vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt, uti poſt alios monet Barboſa lib. 1. Juris can. cap. 5.

3. Horum etſi nomina, non tamen officia primis Eccleſiæ temporibus fuerunt incognita.

Etenim ſi differentia veterum legationum Pontificiarum attentius penſitetur, apparebit, dictas tres Legatorum ſpecies ex uſitatu jam olim vario delegandi modo profluxiſſe. Imprimis namque certum eſt, Pontifices a primis ſæculis præter Legatos ad Concilia mitti ſolitos (quam provinciam in Concilio Nicæno A. 325. ſub Sylveſtro obierunt Hoſius Cordubæ Epiſcopus cum Presbyteris Vito, ſeu Bitone, & Vincentio, in Epheſino ſub Cœleſtino I. Cyrillus Alexandrinus, in Chalcedonenſi ſub Leone M. Paſchaſius Epiſcopus Lilybetanus &c.) ſolemne quoque habuiſſe tales ſubinde deſtinandi ad Imperatores Chriſtianos, dum graviora Eccleſiæ negotia occurrerent pertractanda, & componenda, quales (ut alios taceamus) Liberius Papa ad Conſtantium deſtinavit, ut Concilium Aquilejæ cogendum imperaret, in quo de novo tractari poſſet tum de objecto S. Athanaſio crimine Majeſtatis, tum de veræ fidei reſtitutione, de qua infauſta legatione plura narrat Baronius ad A. 353. & huic Legatorum generi reſpondent extraordinarii illi moderni Sedis Apoſtolicæ Legati *a Latere* dicti. Aliud præterea Romani Pontifices olim habebant Legatorum genus, illorum ſcilicet, qui non occaſionaliter, quemadmodum primi ad Principes mittebantur, ſed longiores moras in comitatu, ſeu curia, aut urbe Regia trahebant, nec alicui tantum negotio, ſed ad quaſcunque cauſarum emergentium ſpecies tractandas mittebantur, quam ſpartam juſſu S. Leonis M. poſt Concilium Chalcedonenſe in aula Marciani Imperatoris obivit Julianus Coenſis Epiſcopus, ut N. 1. h. t. notavimus. Leonis exemplum in mittendis hiſce Legatis, teſte Petro de Marca lib. 5. cap. 16. *de concordia Sacerdotii & Imperii*, ſecuti ſunt alii Pontifices, qui Legati *Reſponſales*, ſive *Apocriſiarii* dicti ſunt, quod reſponſa ſeu mandata exequerentur eorum, a quibus miſſi erant; & huic generi Legatorum reſpondent moderni Sedis Apoſtolicæ *Nuntii*. Tandem cum Pontifices in ampliſſimo ſuo Patriarchatu Eccleſiarum utilitati & neceſſitati expedire judicarent, ut Vicarios ſui certis Provinciis præficerent, qui vice ſua iiſdem intenderent, hanc eminentem prærogativam Epiſcopis eminentiorum Sedium contulerunt, quemadmodum titulo 28. N. 17. vidimus. Quod privilegium initio mere perſonale poſtquam ipſis Sedibus ſubinde annexum fuit, earum poſſeſſores Legati *Nati* dicti ſunt, eo quod ſtatim ac dictis Eccleſiis præficerentur, Præſuleſque crearentur, munus, officiumque Legati, ſeu Vicarii Apoſtolici naniſcerentur. Qua de re notandæ ſunt Gregorii M. epiſtolæ 50. 51. & 54. lib. 1. item ejus reſponſio 9. ad Anglorum Epiſcoporum relata 25. q. 2. c. 3.

4. Apocriſiariorum Apoſtolicorum, qui modo dicuntur Nuntii, non eadem ubique erat poteſtas & juriſdictio.

Majorem ipſis fuiſſe poteſtatem in Italia, Inſulisque adjacentibus, quam modernis Nuntiis Apoſtolicis eruitur ex Greg. M. lib. 1. ep. 1. *ad Epiſcopos Siciliæ*, & refertur diſt. 94. c. 1. in qua effigiem eorundem numeris omnibus abſolutam hiſce coloribus exprimit: *Valde neceſſariam perſpeximus, ut ſicut Prædeceſſorum noſtrorum fuit judicium, ita uni eidemque perſonæ omnia committamus; ut ubi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur authoritas. Quamobrem Petro Subdiacono Sedis noſtræ infra Provinciam Siciliam vices noſtras Deo auxiliante commiſimus; nec enim de ejus actibus dubitare poſſumus, cui totum Eccleſiæ noſtræ noſcimur Patrimonium commiſiſſe &c. Semel per annum Fraternitas veſtra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipſius Provinciæ Eccleſiarumque pertinent, ſive ad neceſſitatem pauperum oppreſſorum cum eodem Petro Subdiacono noſtræ Sedis congrua debeatis moderatione diſponere.* Ex qua ſicut ex aliis hujus Sanctiſſimi Pontificis epiſtolis apparet, Apocriſiarios Apoſtolicos in Italia, & adjacentibus Inſulis perſonam Papæ circumgeſtaſſe, variis in Provinciis ſparſum S. Petri Patrimonium adminiſtraſſe, authoritatem Papæ delegatam in cauſis Eccleſiaſticis exercuiſſe, Executores fuiſſe tam decretorum Pontificiorum, quam canonum, Synodos Provinciales congregaſſe, & ibi cum Epiſcopis in commune conſuluiſſe de Eccleſiarum utilitatibus, Patrimonia pauperum curaſſe, Monaſteria reformaſſe, denique Epiſcopis adverſus

verſus impotentiam Metropolitanorum patrocinatos fuiſſe; quemadmodum ex ejus regeſtis ad longum probat Thomaſſinus p. 1. lib. 2. c. 107. Quod vero in aliis Provinciis eam amplam poteſtatem haud exercuerint, idem Thomaſſinus lib. cit. inde adſtruit, quod nihil juriſdictionis ibi explicare poterant, niſi ad ſpeciales aliquas cauſas ſpeciali reſcripto ſibi commiſſas. Id quod ſubinde in Italia quoque factum eſt. Habebant autem non ſolum Romani Pontifices, ſed etiam alii Patriarchæ & Exarchæ Orientis ſuos apud Imperatores Apocriſiarios, qui erant communiter Diaconi, alii vero, de quibus jam diximus, communiter Subdiaconi.

5. Rutilantior fuit Legatorum Natorum, ſeu Vicariorum Apoſtolicorum, aut etiam Primatuum extra Italiam Juriſdictio.

Propoſitio patet tum inde, quod Apocriſiarii Pontificum in Italia communiter fuerint tantum Subdiaconi, Legati vero nati illuſtriſſimarum Sedium Metropolitani. Tum ex eo, quod Apocriſiariorum poteſtas ſolum eſſet temporaria, horum vero ipſius Legati vitæ, vel damum ipſi Sedi Archiepiſcopali annexa. Tum denique ex ipſa Juriſdictionis hujus amplitudine, quam exhibet S. Leo ep. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum Sedis Apoſtolicæ per Illyricum Legatum, ſeu Vicarium, vi cujus ad eundem pertinet 1. Epiſcopos, quin & Metropolitanos ſui Vicariatus confirmare priuſquam ordinentur. 2. Lites dirimere, quæ in Concilio Provinciali Metropolitanorum decidi nequiverint, vel ad Summum Pontificem decidendas deferre. 3. Concilium Nationale ex toto Exarchatu convocare. 4. Curare, ut per omnes ditionis ſuæ Eccleſias diſciplina, legeſque Eccleſiaſticæ quam diligentiſſime obſerventur, & ſi cui malo mederi non poſſit, Pontificem Romanum deſuper monere. 5. Denique Metropolitanis, Epiſcopis, cæteriſque Clericis, qui Patria exire, & ab Eccleſia abeſſe velint, formatas dare & communicatorias literas. Cæterum hæc formula propria fuit Theſſalonicenſi Vicario ſeu Legato Apoſtolico; neque ex illa aliorum jura omnimodis metiei licet, ſed attendi debet privilegiorum ipſe tenor; quare Dupinii relatio de Legatorum Natorum, ſeu Vicariorum Apoſtolicorum poteſtate, a Romanis Pontificibus Epiſcopis Gallicanis conceſſa, cum mox relata omnimodis non concinit, nam illo teſte eſt 1. Formatarum tribuendarum. 2. Convocandi Concilii Diœceſani. 3. Referendi ad Pontificem de majoribus cauſis. 4. Cavendi ut canones obſerventur, fideſque illibata maneret. Quibus 5. additum eſſe poſterioribus ſæculis ait jus appellationum a Metropolitanorum judiciis, quod juxta ipſum ſolum obtinere videtur Lugdunenſis Antiſtes. At jus ordinationum Metropolitanarum hiſce Legatis ſeu Primatibus, aut Vicariis Apoſtolicis nunquam in Galliis conceſſum eſſe, quemadmodum Theſſalonicenſi, concedit. In decretalibus h. t. cap. 8. Legatus natus Papæ per ſimplicem querelam a ſubditis Suffraganeorum ſuorum adiri poteſt, quod Metropolitanis denegatur; cæterum in ipſis decretalibus atque in textu his Legatis aliqua negantur, quæ Legatis a Latere, aut etiam ipſis Nuntiis Apoſtolicis conceduntur.

6. Legati hi Nati, ſeu Vicarii Apoſtolici, vel potius ipſi Vicariatus a Romanis Pontificibus ſoſtituti non fuerunt ad propagandam eorundem dominationem, aut ut novo ſervitutis jugo opprimeretur libertas Eccleſiaſtica: ſed per eos ſolis ſerviebatur Regnorum & Provinciarum utilitati, & neceſſitati, nimium ſtabiliendæ in iis religionis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Hanc propoſitionem, quam quidam etiam Catholici, libertatum ſuarum præjudicati defenſores, ſuſpectam habuerunt (hoc lib. tit. 8. N. 70.), probo imprimis poſitivo S. Leonis M. teſtimonio, quod ne Proteſtantibus quidem ſuſpectum eſſe debet, ſi eam de hoc Sanctiſſimo Pontifice, quam habere par eſt, nacti ſunt ideam. Sic autem Sæculo V. Anaſtaſio ſuo per Illyricum Legato Nato ep. 84. ſcribit: *Quoniam ſicut Prædeceſſores mei Prædeceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegavi: ut curam, quam univerſis Eccleſiis principaliter ex divina inſtitutione debemus* (notent hoc Domini Proteſtantes), *imitator noſtræ manſuetudinis effectus, adjuvares, & longinquis ab Apoſtolica Sede Provinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes: quia de continenti opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſve rebus, vel tuo ſtudio componeres, vel noſtro judicio reſervares*. Quo in loco Romanus Pontifex (quem aliter univerſalis Eccleſia Chalcedone congregata ſuſpexit, ac Domini Proteſtantes ejus legitimos Succeſſores ſuſpicere ſolent) 1. dicit jure divino curam omnium Eccleſiarum ad ſe principaliter pertinere. 2. Motivum inſinuat, cur ad exemplum Prædeceſſorum ſuorum Anaſtaſium Vicarium ſui per Illyricum conſtituerit, ut nempe curam, quam ipſe per ſe ob longinquitatem locorum exercere commode nequiret, vice ſua iiſdem Eccleſiis pro majori illarum bono, ſedula obitione munerum N. præcedenti narratorum, impenderet. 3. Denique amuſſim tranſcribit, ad quam curam hanc exigere debeat Anaſtaſius, ne vel Romani Pontificia aut Epiſcoporum ſui Vicariatus jura, ſacris canonibus firmata, offendat. Quod ultimum punctum, in quod reſpectu Metropolitanorum & Epiſcoporum peccaverat Anaſtaſius, ſancto zelo per omnes hujus epiſtolæ §§. eidem incolcat cordatiſſimus Pontifex, ut nonniſi præjudiciis excæcatus ſuſpicare valeat, S. Leonem & ejus Prædeceſſores, primorum Sæculorum Pontifices, dominationis propagandæ ambitione animatos, Vicariatum Theſſalonicenſem inſtituiſſe. Cumque idem motivum habuerint S. Leonis ſucceſſores in inſtituendis aliis Sedis Apoſtolicæ Vicariis, ſeu Legatis Natis in variis Occidentis partibus, de quibus hoc lib. tit. 28. N. 17. nullus dubitandi de veritate propoſitionis adductæ locus remanet. Quod autem ſimile motivum habuerint, vel inde patet, quod Anglia per S. Auguſtinum ab infidelitate, Hiſpania per alios ab hæreſi Ariana, Gallia per S. Remigium, Germania per S. Bonifacium ab idololatria ad fidem Catholicam perductæ fuerint, qui omnes Vicarii Apoſtolici fuerunt, temporaliter vel perpetuo ſubinde inſtituti, quemadmodum, & quamdiu Eccleſiarum utilitas vel neceſſitas id poſtulavit. Videatur Thomaſſ. p. 1. lib. 1. c. 32. 33. &c. unde eſto benigne fortaſſis ſumi poſſet, quod ſcribit Vaneſpen Juris Eccl. p. 1. tit. 21. N. 14. *Denique Romani Pontifices intelligentes, quanti momenti eſſet ad firmandam authoritatem ſuam apud gentes gratia & favor Epiſcoporum principalium, & illuſtriſſimarum Eccleſiarum, quibus ob prærogativam urbium præſtantia quoque erat Principum benevolentia, illos dignitate Vicariorum Sedis Apoſtolicæ jam pridem honorarunt*; ſi nimirum ſupponat hanc authoriſatem ſemper fuiſſe juſtam; mihi tamen non placet, cum oppido frigidum ſit in Sedem Apoſtolicam, & ex dictis maneat confutatum.

7. Hæc Legatorum Natorum ampliſſima poteſtas poſt Sæculum X. pene collapſa eſt, ſubſtitutis illorum loco Legatis arbitrariis tam a Latere, quam Nuntiis Apoſtolicis.

Cauſam hujus immutationis refert Eſpenius L. mox cit. his verbis: *At cum lapſu temporis jus*

perpetua legationis eſſet quibuſdam Eccleſiis annexum, viderentque Pontifices perſonarum, quæ eis præficiebantur Eccleſiis, delectum nequaquam a libero ſuo pendere arbitrio, cœperunt horum (id eſt Natorum Legatorum) *authoritatem diminuere: aliorum vero, qui ab illorum libero pendebant nominatione, augere: quæ authoritas circa Sæculum XI. ſummum incrementum accepit.* At ſi eruditus, & zeloſus, non tamen ſemper ſecundum ſcientiam, Canoniſta cauſam ſimul adjeciſſet, cur illo Sæculo Romani Pontifices maluerint habere Legatos a ſuo arbitrio dependentes, eoſque majori præ *Natis* authoritate cumulare, non tam frigidam in Sedem Romanam ſcelpſiſſet periodum. Illam vero facile deprehendet is, qui Chriſti Eccleſiam deploranda illa tempeſtate fœdiſſima ſimoniæ, Venerisque illuvie in membris ſuis honoratioribus infectam, & tantum non confectam attentius conſideraverit. Cujus luctuoſi argumenti ideam aliquam dedimus hoc libro tit. 6. a N. 64. &c. Tum enim ſane neceſſum fuit, ut principales illius ſpeculatores Romani Pontifices, œcumenico malo occurrere volentes, jus legationum arbitrariarum a primis Sæculis a ſe poſſeſſum (N. 1. h. t.) arripiens, & viros non illos, quos Sedium prærogativa obſtetricante Simone ipſia *caſu* quodammodo parturivis, aut ſaltem parturire poterat, ſed quos probata virtus, ſpectata pietas, & rerum agendarum peritia ſuſtinendæ illi moli humeroſos ſatis reddiderat, eligerent, atque illis prærogativarum titulis munirent, qui authoritati & juriſdictioni Legatorum Natorum ſubinde detraxerunt. Quam neceſſitatem Sanctiſſimi quique & Doctiſſimi Antiſtites tum agnoverunt. Unius S. Ivonis Carnotenſis, utpote Dominis Proteſtantibus minus ſuſpecti, teſtimonium huc tranſcribo. Sic ille ep. 53. ad Paſchalem II. *Quoniam apud nos videmus quotidie Eccleſiam ruentem, & nullam, aut pene nullam manum erigentem &c. ſcribere decrevimus, ut alicui tranſalpino legationem Sedis Apoſtolicæ injungatis, qui & vicinius ſubreptitia mala cognoſcat, & ea vel per ſe, vel per relationem ad Sedem Apoſtolicam maturius curare prævaleat.* Hocque ex fine A. 1055. Victor II. in Gallias miſit illum tot nominibus celeberrimum Hildebrandum, qui poſtea Pontifex Maximus creatus Gregorius VII. dictus eſt; Nicolaus II. A. 1059. Mediolanum Petrum Damiani, & Anſelmum Lucenſem Epiſcopum, qui in Pontificatu poſtea Alexander II. audiit. Hi vero duo Pontifices experti per has ipſas Legationes, quanti momenti ac præſidii eſſet in hujuſmodi Legationibus ad eradicandas vitiorum peſtes, Legatos ipſi frequentiſſimos in omnes orbis Chriſtiani Provincias ſparſerunt, quamdiu ſederunt ad univerſalis Eccleſiæ gubernacula, qui mos deinceps ſtabilitus eſt.

8. Legatorum tum a Latere, tum Nuntiorum Apoſtolicorum poteſtas ex jure communi conſiderabilis eſt, atque amplior, quam Legatorum Natorum.

Illam generice delineavit Innocentius III. ep. 104. lib. 16. nimirum, *ut* (Legatus a Latere, & proportionaliter etiam Nuntius in Eccleſia, ad quam mittitur) *juxta verbum propheticum evellat & deſtruat, ædificet & plantet, quæ ſecundum Deum evellenda & deſtruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda.* Ex hac tam ampla delegatione factum eſt, ut ſenſim cuncta omnino Provinciarum negotia ad hujuſmodi Legatos deferrentur, ſive de judiciis ageretur, ſive de confirmatione privilegiorum, ſive denique de aliis quibuſcunque negotiis tractaretur, & conſequenter concurrentem haberent & cumulativam in utroque foro cum ordinariis locorum juriſdictionem. Id quod Legatis natis nunquam conceſſum fuit. Hæc patent ex variis decretalium, Sextique canonibus. Nam cap. cum dilectus 6. h. t. & cap. 1. eodem in 6. conceditur Legatis a Latere poteſtas conferendi beneficia, in Provincia ſibi decreta tempore ſuæ Legationis vacantia, etiam præterito Patrono Eccleſiaſtico, quæ poteſtas Legatis Natis ibi denegatur: imo in cap. ſi a Sede 31. *de Præbend.* in 6. concurſus cum quolibet Ordinario Provinciæ ſuæ in collatione beneficiorum cum jure præventionis. Et in cap. excommunicati h. t. poteſtas abſolvendi percuſſorem Clerici ab excommunicatione tribuitur Legato miſſo, ſeu Nuntio Apoſtolico reſpectu ſuæ Provinciæ, quæ tamen denegatur Legato Nato ſecluſa ſpeciali commiſſione. Poſtremo illorum poteſtas primum delegata in ordinariam tranſiit, quæ morte delegantis non exſpirat per cap. 2. *de Off. Legati* in 6. a Clemente IV. editum, *in* quo etiam dicuntur præeſſe Provinciis ſibi commiſſis ad inſtar Proconſulum, cæterorumque Præſidum, & quidem ſicuti Proconſules Romani euntes & ſedeuntes a Provinciis concreditis utebantur inſignibus, ita quoque legati jure communi utuntur inſigniis Apoſtolicæ dignitatis, puta veſtibus rubeis, Palafredo albo, fræno & calcaribus deauratis, idque mox ut ex Urbe receſſerint. Uti colligunt Canoniſtæ ex cap. antiqua 23. de privilegiis. In quo ea inſuper prærogativa Legatorum Apoſtolicorum his inſigniis utentium exprimitur, ut nec Archiepiſcopi, imo nec Patriarchæ poſſint dominicæ crucis vexillum ſibi jubere præferre, ubicunque ſimilis Legatus præſens eſſet.

9. At quanquam poſterioribus his Sæculis ampliſſima fuerit horum arbitrariorum Legatorum, præſertim a Latere authoritas, & poteſtas: plura ſibi nihilominus in ſignum ſuæ ſupremæ poteſtatis reſervarunt Pontifices, quæ illis non competunt, niſi ſpecialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis ſint expreſſa.

Talia ſunt transferre Epiſcopos & Archiepiſcopos, unire duos Epiſcopatus, aut alteram Sedem Epiſcopalem alteri ſubjicere, & his ſimilia, quæ ad cap. 4. de *Offic. Legati* annotavit Gloſſographus.

10. Legati tum a Latere tum Nuntii, etſi ex ſanctiſſimo fine instituti, ampliſſima ſua poteſtate ſubinde graviter abuſi ſunt, ita quidem, ut illos Provinciæ & Regna quandoque deprecarentur.

Cum enim ex ordinatione variorum Pontificum ipſis tanquam Miniſtris Eccleſiæ neceſſarii ſumptus eſſent ſuppeditandi, præſcribi ab ipſis tandem cœpit ordo ſolutionis, coactique Provinciales immenſas nonnunquam auri, argentique moles pendere; quæ adeo publica erant ævo S. Bernardi, ut ſcribens ad Eugenium lib. 4. de conſid. eum moneas, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum legatione Sedis Apoſtolicæ ornati fuerint, *Eccleſias non ſpolient, ſed emendent, qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant, qui cum ad Sedem Apoſtolicam redierint, redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati; ſimul & glorientes, non quod curioſa ſeu pretioſa quæque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem Monaſteriis, Eccleſiis ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum.* Et ep. 290. *nonne alterius Sæculi res eſt, rediiſſe Legatum de terra auri ſine auro, tranſiiſſe per terram argenti & argentum neſciiſſe?* Hinc frequentes Pontificum atque Conciliorum Sanctiones, quæ Legatorum in exigendis procurationibus exceſſum non ſemel caſtigarunt, atque intra moderatos neceſſitatis limites, ut nulla Eccleſia, vel Prælatus ſe indebite prægravari rationabiliter conqueri poſſit, concluſerunt. C. 17. & 23. de cenſibus.

Quantum ad ſecundam partem, immoderatæ hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi exactiones anſam hiſce depsecatiooibus dedrunt, ſimul & pıæteoſiooi, ut nonniſi Principum conſeoſu explorato Legati ne mitterentur. Hinc Alexander III. Ladovicum VII. Galliæ Regem oravit, ut Thomam Cantuarieoſem Epiſcopom per Gallias Legatum creari pateretos, ep. 20. Et Calliſtus II. A. 1129. Henrico Angliæ Regi conceſſit confirmationem antiquæ conſuetudinis, ne Legatos oiſi eo petente mitteret, teſte Regerio. Qui mos in alia quoque Regna ſubinde propagstus eſt, teſte Thomaſſ. p. 1. lib. 1. c. 119. N. 5. & ſeqq.

11. Legstorum tum a Latere, tum Nuntiorum Apoſtolicorum ampliſſimæ poteſtati modus ſtatutus eſt io Tridentina Synodo, illaque, ſicut & poteſtas Legatorum Natorum ex jure communi metiti jam tuto nequit, ſed ex mandatis, privilegiiſque Apoſtolicis definienda eſt.

Quantum ad primam Trid. Seſſ. 24. c. 20. de ref. Legatis Apoſtolicis mandat, ne Epiſcopos inquibuſcunque cauſis ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, etiam beneficialibus, quantum ad primam inſtaotiam non ſolum non impediant, aut aliquomodo eorum juriſdictiooem iis præcipere, aut torbare non præſumant, ſed nec etiam cootra Clericos, aliaſve perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito, eoque negligente procedant; & Seſſ. 22. c. 7. de ref. in appellationibus teneantur ſervare tenorem cap. Romana de apprllat. in *6*.

Quantom ad ſecundum Abbas jam ipſe annotavit in cap. finali *de Confirm. utili &c.* adeo ſuſorie & generalitee de officio Legati in jure canonico tractari, ut vix conſtitui poſſiot ea, quæ jure legationis proprie ad Legstum pertinent: unde & nos, quæ de Legatis io commune diximus, ſic intelligi volumus, ut Lector cersum putes, Legatorum quorumvis facultates & authoritatem, ſicut in omnibus aliis, ſic & iu materia iſta pendere ab ipſa concedentis liberalitste. Quapropter ex contexto literarum Apoſtolicarum, in quibus facultates a Summo Pontifice iiſdem conceſſæ leguntur, de eorundem authoritate & poteſtate eſt judicandum. Sic longe ampliſſimæ ſunt Reverendiſſ. ac Celſiſſ. S. R. I. Principibus ac D. D. Archiepiſcopis Pragenſibus qua *Legatis Natis*, ad inſtantiam Glorioſiſſimi Imperatoris, & Boemiæ Regis Caroli VI. conceſſæ; utpote quod in Bullis (quas in ipſo originali ab Urbano V. Avenione V. Kal. Junii Pontifi. A. III. expeditas de ſpeciali benevolentia mihi inſpicere & ſcrutari licuit) per Provinciam Pragenſem, quæ in Regno Boemiæ conſiſtit, nec non & per aliquot alias vicinas Diœceſes Sanctiſſimus *Vices ſuas, & legationis Officium iiſdem perpetuo* concedat. Quorum prægnantia verborum (*vicis ſuæ a Legationis Officio* diſtinctæ) proculdubio ſingularem quandam facultatum & authoritatis amplitudinem ſatis ſuperque declarat.

TITULUS XXXIII.

De Majoritate & Obedientia.

1. Præſenti titulo, qui ultimus hoc libro commentandus venit, recenſenda foret, ac veluti ſub ſua exhibenda divina prope S. Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Hierarchia; verum cum illam jam ſparſim, ipſo opuſculi ſcopo ita exigente, delineaverimus, agendo titulo VI. de Papa, de Patriarchis, de Exarchis, de Primatibus, de Metropolitanis ſeu Archiepiſcopis, & de Epiſcopis; Titulo XI. de Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Lectoribus, Acolythis, Exorciſtis, & Oſtiariis; Titulo XXIII. uſque ad XXVII. incluſive de Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis dignitatibus, atque Officiis Eccleſiaſticis minoribus; Titulo XXVIII. de Vicariorum variis Generibus; tandem Titulo XXX. de Legatorum itidem variis ſpeciebus; eorumque Majoritatem, & reſpective obedientiam, quanrum œconomia ſuſcepti operis ſcit, explicaverimus; de S. R. E. Cardinalibus hiſtoricam commentationem, hucuſque deſideratam, ſuſcipimus, cui Controverſiam graviſſimam de Epiſcoporum ſupra Presbyteros majoritate jure divino ſancita, atque ab heterodoxis negata, ſubnectemus.

2. S. R. E. Cardinalium nomine veniunt Eminentiſſimi illi Viri Eccleſiaſtici, qui ſive ex Clero ſæculari, ſive ex Regulari aſſumpti, cum Romano Pontifice Supremum Eccleſiæ Catholicæ Senatum conſtituunt.

Hoc elogio S. Bernardus lib. 4. de conſideratione illos exornat, ubi Eugenium Papam ita alloquitur: *Tuum eſt undecunque evocare, & aſciſcere tibi, exemplo Moyſi, ſenes non juvenes, ſed ſenes non tam ætate, quam moribus, quos tu noſti, quia ſenes populi ſunt. Nonne eligendi de toto orbe, orbem judicaturi?* quo & majoritatem hujus eminentiſſimi Collegii ſupra omnes Epiſcopos Papa inferiores graphice exprimit, & ſingulorum obligationem conandi excellere omnes Chriſtianos vita & moribus, pio lacoaiſmo exponit.

3. Si rem ſpectare velimus, non eminentiæ prærogativas; Cardinales, ſeu Cardinalitius Senatus a primis Eccleſiæ Sæculis Romæ viguit.

A primis enim Sæculis conſuetum fuit cauſas majores, uti fuerunt hæreticorum, Appellationum &c. Romani Pontificis judicio committere (quod ſicut hic probare eſſet facile, ita non eſt neceſſe), quibus diſcutiendis in adjutorium utique adhibuit Romanum Clerum, vel ſaltem ejus Primores. Qui proinde munus Cardinalitium primarium obierunt.

4. Cardinalitius tamen Titulus non videtur illis Sæculis adhuc fuiſſe in uſu, fuit tamen in uſu ante Gregorii M. tempora, ſub quo jam viguit Cardinalium diſtinctio in Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, quin & Subdiaconos, quibus tamen non indicabatur Collegium aliquod Romanum moderno ſimile.

Primum membrum aſſeritur ex ſilentio Scriptorum, vel ex amiſſione monumentorum.

Secundum ex eo, quod Pelagius Gregorii Anteceſſor apud Gratianum diſt. 24. can. 3. *Viſitatorem* Eccleſiæ expreſſis verbis diſtinguat a *Cardinali*, ſeu titulari ejuſdem Epiſcopo, & apud Auguſtinum Sæculo V. nomen Epiſcopi Cardinalis occurrit.

Tertium inde, quod idem Sanctiſſimus Pontifex Cardinales tum Epiſcopos, tum Presbyteros, tum Diaconos ſuis in epiſtolis Sæculo VII. ſæpe nominat, ut lib. 1. ep. 15. 76. 77. 78. lib. 2. ep. 81. &c. quin & Subdiaconos lib. 3. ep. 7. &c.

Quartum tandem inde, quod non in ſola Romana, ſed etiam in aliis Eccleſiis, quiſquis olim fiebat Eccleſiæ alicujus Epiſcopus *Titularis*, is dicebatur loci illius Epiſcopus Cardinalis; ſimiliter qui primarius aut titularis ſive in ordine Presbyterorum, ſive Diaconorum Eccleſiæ cujuſcunque eſſet Beneficiarius, is Presbyter aut

Diaconus Cardinalis audiit; uti demonſtrat Thomaſſinus de vet. & nova Eccl. diſcipl. lib. 2. c. 115. ex Epiſtolis S. Gregorii M. mox relatis. *Titulares* autem Epiſcopi dicebantur, ut diſtinguerentur a *Commendatariis*, quibus ſubinde, temporum ratione ita exigente, Eccleſiæ ad tempus commendabantur. Presbyteri ſimiliter Titulares ad diſtinctionem aliorum Parochiæ Presbyterorum, quibus præerant tanquam Sponſi & Rectores Eccleſiæ. Nec aliter res ſe habebat in Diaconis, ex pluribus enim Diaconis unius Eccleſiæ, ſive Tituli, præſertim Romæ, unus erat titularis & primarius Beneficiarius, ejuſdem Tituli & cura & regimine in ſua ſphæra oneratus; reliquis ad Epiſcopi juſſa alibi exequenda, variaque munia obeunda, paratioribus. Dicebantur quoque hi Cardinales poſteriores Archipresbyteri, & Archidiaconi.

5. Tempore Gregorii Magni non dicebantur niſi urbium Epiſcopalium ſeu Presbyteri, ſeu Diaconi, Cardinales, poſthac etiam ruri conſtituti ſunt Cardinalitii tituli.

Prima pars colligitur ex cit. Gregorii M. Epiſtolis, unde Joannes Diaconus in ejus vita lib. 3. c. 8. univerſim ita pronunciat: *Item Cardinales violenter in Parochiis ordinatos forenſibus in priſtinum Cardinem revocabat*; id eſt, Cardinales, quos a ſuis Titulis Romanis contra eorum voluntatem avocatos Parochiis ruralibus præfecerat, ad priſtinos Titulos revocavit. Item ex ep. Zachariæ Gregorii Succeſſoris relata Conciliorum Galliæ Tomo 1. pag. 564. in qua ad Pipinum Regem ſcribit: *de Presbyteris agrorum, quam obedientiam exhibere debeant Epiſcopis, & Presbyteris Cardinalibus*, hoc eſt, *Cathedralibus &c.* Quoad Epiſcopos autem Cardinales, non tantum eo nomine donaſſe videtur Joannes Diaconus, qui ſuis ab Eccleſiis hoſtium vel civium malitia ejecti in alias vacantes transferebantur, ea conditione, ut ſi aliquando liberum ipſis fieret ad Sedes relictas redire, ad illas poſtliminio reverterentur. *Deſolatarum civitatum Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat*. Lib. 3. cap. 5. Interim tamen S. iſte Pontifex Lib. 2. ep. 25. & alibi Epiſcopos *titulares* vocat Cardinales.

Secunda pars ex eo liquet, quod ſub Carolo M. ſeu Sæculo IX. in Gallicanis Eccleſiis Tituli Cardinales eſſent non tantum Eccleſiæ urbis Epiſcopalis, ſed etiam ruris, in perpetuum erecta Titulum, & conſequenter Presbyteri, vel Diaconi illis intitulati Cardinales. Et ita interpretandus venit canon 54. Concilii Meldenſis A. 875. *ut Titulos Cardinales in Urbibus vel Suburbiis conſtitutos, Epiſcopi & canonice & honeſte ſine retractatione ordinent, & diſponant*.

6. Romæ Sæculo VIII. & non citius præter Cardinales Presbyteros & Diaconos, Cardinales Epiſcopi commemorantur.

Eos enim Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Stephani III. qui ſedit A. 768. apud Coletum tomo VIII. Conciliorum col. 473. ait ab ipſo tum primum eſſe inſtitutos, *Hic ſtatuit*, inquiens, *ut in omni Dominico die a ſeptem Epiſcopis Cardinalibus hebdomadariis, qui in Eccleſia Salvatoris obſervant, Miſſarum ſolemnia ſuper Altare B. Petri celebrarentur*. Qui locus, ut deſideratam lucem accipiat, obſervandum ex B. Petri Damiani lib. 2. ep. 1. hos Epiſcopos devotos, affixoſque fuiſſe Eccleſiæ Lateranenſi, quæ prima eſt & Princeps omnium urbis Eccleſiarum, & ad quam pietatis ergo adcolabant fideles ex longinquis etiam regionibus, & in qua ſacra myſteria celebrabat nemo, niſi Pontifex & ſeptem illi Epiſcopi, qui proin dicti ſunt Epiſcopi Cardinales S. Joannis Lateranenſis. Fuerunt ergo hi Epiſcopi Cardinales ex antiquo rituali libro Eccleſiæ Romanæ Cooperatores, & Collaterales Summi Pontificis, quod ejus vice Pontificalia exercerent munia hebdomada quiſque ſua in Eccleſia Lateranenſi. Ad hoc autem munus ex Metropolis Romanæ Suffraganeis propinquioribus aſſumpti ſunt *Albanenſis*, *Oſtienſis*, *Portuenſis*, *S. Ruffinæ*, *Tuſculanus*, *Praeneſtinus*, *& Sabinenſis*. In quorum Sedibus Tituli Cardinalium Epiſcoporum, adunato Portuenſi, & S. Ruffinæ, permanſerunt uſque ad noſtra tempora, ut infra N. 17. videbimus. Adverte circa inſtitutionem horum Cardinalium Epiſcoporum hallucinari tum Thomaſſinum, qui p. 1. lib. 2. c. 116. N. 2. eam tribuit Stephano IV. Sæculo IX. ſedenti, tum etiam Onuphrium Panvinium lib. de *Epiſcopatibus, Titulis, & Diaconiis Cardinalium* pag. 13. id circa Sæculum XI. & XII. factum aſſerentem. Ambo enim allato teſtimonio Anaſtaſii id Stephano III. non IV. ut vult Thomaſſinus, tribuenti refelluntur.

7. Præter hos Epiſcopos Cardinales, nulli aliarum Sedium Antiſtites hoc Sæculo VIII. Cardinales ſimul Eccleſiæ Romanæ leguntur.

Huic aſſertioni non obſtat authoritas Adriani II. qui dum Actardum Nannetenſem Epiſcopum ad Archiepiſcopatum Turonenſem tranſtulit, Cardinalem Metropolitanum vocavit, quo etiam vocabulo uſus eſt Joannes VIII. ubi Fortatum Burdegalia Biturgias tranſportavit, ep. 23. cum eo verbo tantum velint exprimere proprium titularem, atque perpetuum inſtitui Metropolitanum non temporarium aut commendatarium, quemadmodum jam notavimus.

8. Eodem Sæculo VIII. quamvis res & Titulus cardinalitius communis eſſet omnibus hocuſque enumeratis Epiſcopatum, Parochiam, vel Diaconiam in orbe Chriſtiano in titulum, non in commendam poſſidentibus; Romani tamen Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales aliis eminebant, & tales quaſi antonomaſtice dicebantur.

Propoſitio plana fit ex decreto Synodi Romanæ ſub eodem Stephano III. collect. Coletanæ eodem Tomo VIII. col. 485. in quo anathema dicitur vel ipſis Epiſcopis, ſi contra canonum & Patrum ſtatuta in gradum majorum S. Romanæ Eccleſiæ, id eſt Presbyterorum Cardinalium & Diaconorum irrepere præſumpſerint. Epiſcopi ergo Cardinalitiam dignitatem, eſto adhuc multum a moderno fulgore elongatam jam tum ambiebant, ſed non obtinebant, per quod præcedens propoſitio demonſtratur. Hic iterum adverte, Canonem illum, quem Thomaſſ. ex Holſtenio falſe Stephano IV. adſcribit, recte referri diſt. 79. Can. 5. ex Concilio Romano ſub Stephano III. quem errorem neque emendavit Coletus, Concilium iſtud ad A. 769. ſub actis Stephani III. referens, & acta ejus nihilominus ex eodem Holſtenio Stephano IV. medio Sæculo poſteriori adſcribens. An vero ambitus iſte Epiſcoporum in Cardinalitiam Presbyteralem, quin Diaconalem dignitatem propter ſe ipſam unde, an vero quia gradum ad apicem Pontificatus ſternebat, tetenderit, dubitari poteſt, tum quod in dicto canone mox ſubditur: & hanc Apoſtolicam Sedem invadere quilibet tentaverit; tum quod teſte Onuphrio lib. cit. uſque ad Gregorii VII. tempora, ſeu uſque ad Sæculum XI. Cardinales Presbyteri, & Diaconi nullum Epiſcoporum dignitate præceſſerint; quin & Epiſcopi, qua Cardinales, alios non præcederent, niſi aliunde præcedentiæ titulum haberent, v. g. prioritatem Ordinationis. Quam diſciplinam Zerola extendit uſque ad Clementem V. & Joannem XXII. de quo nos ſtatim. Et Barboſa lib. 1. Juris Eccl. c. 3. N. 17. ait: *uſque ad tempora Bonifacii VIII.*

VIII. ſeu ad Sæculi XIII. finem *nullus erat Epiſcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis, quia putabant non licere deſcendere a* majori *dignitate* ad minorem. Et ſi aliquis Epiſcopus Cardinalis fiebat, titulo Epiſcopali ex ſeptem honorabatur, quod teſte Onuphrio fieri cœpit Sæculo XII.

9. Sæculo XI. Cardinales Epiſcopi cum Presbyteris, & Diaconis in unum corpus jam coaluerunt, atque cum Romano Pontifice ſupremum Eccleſiæ Senatum conſtituerunt.

Prima pars conſtat ex actis electionis Gregorii VII. ubi tres hi Ordines ceu individuum Collegium his verbis exprimuntur: *Nos Sanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales*; & deinde ſubjungitur: *Clerici, Acolythi, Subdiaconi, Presbyteri*, qui reliquus eſt Clerus Romanus; ac tandem, *præſentibus Epiſcopis, Abbatibus &c.*

Secunda vero ex Adeodato Presbytero Cardinali, qui A. 1087. ſuam juris collectionem Papæ Victori III. & Clero Eccleſiæ Romanæ, id eſt *Sacro Collegio* dicavit, teſte Baronio ad A. 1087. N. 22. Porro in ipſo operis veſtibulo declarat illic, jam inde a Cypriani temporibus moris fuiſſe, ut Clerus Romanus mortuo etiam Pontifice Eccleſiæ univerſalis clavum capeſſeret, regeretque, literas perſcriberet, quibus non illibenter morem gererent Epiſcopi; Petri & Pauli Apoſtolorum authoritatem vivaciſſimam, & nunquam intermorituram in Eccleſia Romana ſemper vivere, ſemper vigere. Qui locus inſignis eſt pro majoritate S. R. E. Cardinalium, quæ tamen tanta non fuit in ſingulis Romani Cleri membris tempore S. Cypriani ſeu Sæculi III. medio, quanta fuit tempore S. Gregorii VII. Sæculo XI. quemadmodum mox videbimus.

10. Non tantum Cardinales Epiſcopi, ſed etiam Presbyteri & Diaconi hoc & ſequentibus duobus Sæculis aliis Epiſcopis, imo & Primatibus atque Patriarchis præferri, atque ante ipſos in publicis Conventibus ſedere cœperunt.

Et quod Epiſcopi Cardinales Patriarchis præferri cœperint, docet S. Petrus Damiani lib. 1. ep. 20. his verbis: *Quid tibi de Cardinalibus videtur Epiſcopis, qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed & Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt.* Quantum ad alios, id conſtat ex ſubſcriptionibus Concilii Romani A. 1059. ubi non tantum Epiſcopi, ſed etiam Presbyteri & Diaconi Cardinales Archiepiſcopis, & Epiſcopis præponuntur. Hanc Cardinalium omnium ſupra alios evectionem Thomaſſinus p. 1. lib. 2. c. 113. N. 2. lentiſſimis factam dicit incrementis, illique plurimum contuliſſe frequentiſſimas Legationes, quibus illo Sæculo ornabantur non tantum Cardinales Epiſcopi, ſed etiam alii (hoc lib. tit. 30.); ita enim factum ait, ut inopini inſueſcerent Epiſcopi illis concedere etiam tum, cum nullam legationem exercerent. Res tamen hæc illis Sæculis necdum fuit ſtabilita, cum legamus apud Baronium ad A. 1196. N. ult. Romæ factam Eccleſiæ dedicationem, cujus inſcriptio declarat primo qui affuerint Archiepiſcopi, deinde qui Epiſcopi Cardinales, poſtea qui Epiſcopi alii, tum deinde tota curia Cardinalium, hoc eſt, ut Thomaſſinus interpretatur, Cardinales Presbyteri, & Diaconi. Et in Synodo Romana A. 1015. ſub Benedicto VIII. plures ſubſcripſere Epiſcopi alii non ſolum ante Cardinales Presbyteros, ſed etiam ante Epiſcopos ejuſdem Sacri Collegii, prout vel Archiepiſcopi erant, vel ordinationis ævo ſeniores. Et Epiſcopos Cardinalibus ſemper præfert Alexander III. A. 1162. At quamvis eodem Sæculo omnes Cardinales indiſcriminatim, dum in Gallias cum Romano Pontifice pervenerunt, a Galliæ Archiepiſcopis, Epiſcopis, quin & Regibus ſummis honoribus afficerentur, & Sæculo XIII. in Concilio Lugdunenſi in eminentiori ante Archiepiſcopos loco, imo & in Lugdunenſi II. eodem Sæculo ante Latinos Conſtantinopolitanum & Antiochenum Patriarchas ſederent, hanc tamen illorum eminentiam uſque ad Sæculum XV. extra omnem controverſiæ aleam poſitam non fuiſſe, patet ex litibus, quas adhuc moverunt quidam Angliæ, Poloniæ, & Galliæ Præſules, de quibus vide Thomaſſinum p. 1. cit. c. 114.

11. Cardinalium poſt Romanum Pontificem in Eccleſia Catholica, & Eccleſiaſtica Hierarchia dignitatem, lentis progreſſibus evectam, atque in Concilio Lugdunenſi I. & II. ſtabilitam, Sæculo XV. vindicavit, & confirmavit Eugenius IV. quæ uſque hodie imperturbata perſeverat.

Occaſionem eidem Pontifici dedit Archiepiſcopus Cantuarienſis, renuens cedere Archiepiſcopo Eboracenſi, purpura recens a ſe donato. Spondanus ad A. 1440. N. 31. In hac epiſtola contendit Pontifex, Cardinalatum ab ipſo B. Petro, aut potius ejus Officium inſtitutum. *Ut quemadmodum Chriſto converſanti in terris aſſiſtebant Apoſtoli; ita etiam Cardinalium cœtus Apoſtolicum repræſentans Collegium coram Papa aſſiſteret: reliqui vero Epiſcopi, ubique diffuſi, Apoſtolos repræſentant ad prædicandum per orbem miſſos*: verba ſunt Pontificis. Poſt hæc ſub Urbano VIII. Sæculi XVII. initio, decretum fuit, ut jam non *Illuſtriſſimi*, ſed *Eminentiſſimi* vocentur, huncque titulum non eſſe communicandum, niſi ſolis Electoribus Eccleſiaſticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, atque Prælatis ſub pœna anathematis titulum illum aſſumere.

12. Hanc Cardinalium eminentiam Romani Pontifices teſtatam voluere ſplendidiſſimis inſignibus, purpuratis hiſce Patribus ſubinde collatis.

Galero purpureo donati ſunt ab Innocentio IV. A. 1244. teſte Thomaſſino; cenſent aliqui id perfectum eſſe in Concilio Lugdunenſi I. ut Cardinales invitarentur ad amorem fundendi pro Eccleſia ſanguinis, in quam tum Fridericus Imperator ea tempeſtate maxime ſæviebat. Paulus II. teſte Cardinali Papienſi comment. L. 2. pag. 370. Sæculo XV. uſum mitræ ſericæ Damaſcenæ operis, rubraque capitia iiſdem indulſit, quibus ſoli Romani Antiſtites antea utebantur; pannoque ejuſdem coloris eorum equos ſterni juſſit, dum equitarent, teſte Platina apud Spondanum ad A. 1464. N. 17. Advertit autem Thomaſſ. p. 1. cit. c. 113. N. 8. Si quibus non facilis videatur conſenſio hujus Cardinalium purpuræ, & reliquæ eorum pompæ cum ea mundi pomparum abdicatione, modeſtia, humilitate, & temperantia, quam Chriſtiana præfert, & profitetur Religio; legant, quæ de S. Carolo Mediolano ſcripſit Gioſſanus in ſuis de ejus vita commentariis: nec enim alio vel oculo, vel animo Carolus purpuram ſpectabat ſuam, quam ut incitamentum quoddam & authoramentum ad martyrium. Imo dum Cardinalibus ipſe aliis inuſitatos illos honores exhibebat, ſibique ab aliis exhiberi volebat, qui vulgo eis impenduntur, ab Optimatibus etiam, Principibuſque, non ventoſo ſupercilio, non inanium mundi honorum turpi cupidine id faciebat: ſed ut vel Principes & Reges ipſi Chriſtum, Chriſtique Eccleſiam in ſuis miniſtris tanto religioſius venerarentur. Lib. 8. c. 3. Qui ea mente hanc purpuram Chriſtique Miniſtrorum Pompam contemplantur, qua eam præter S. Carolum Cardinales Baronius, Bellarminus, Berulius, pluresque alii contemplati ſunt, & hodiedum contemplantur; illis ea non poteſt non videri pulcherrima, utpote cæremonia aptiſſima & convenientiſſima (hoc lib. tit. 8. N. 48. 49.) parati pro Chriſto

ejuſque Eccleſiæ fundendi ſanguinis animi in principalibus ſuis membris ſignificativa.

13. Galerus purpureus ante Clementis VI. tempora, hoc eſt ante Sæculi XIV. medium Candidatis non mittebatur, ſed Romæ manibus Pontificis tradebatur.

Non enim diu ante hunc Clementem A. nimirum 1316. teſte Raynaldo N. 29. Joannes XXII. interpellatus a Galliæ Rege Philippo, ut recens creato Cardinali Gallo pileum mitteret, id recuſavit, atque priſco more, quo id minime liceret, excuſavit. *Quia nec Prædeceſſores noſtri Romani Pontifices conſueverunt extra curiam hujuſmodi pileos mittere*: verba ſunt Pontificis. Clemens autem VI. cum Sacro Collegio adſcripſiſſet Abbatem S. Dionyſii, pileum miſit, concreditque tribus Epiſcopis cum epiſtola, proteſtans id a ſe fieri *contra antiquum morem* mox recenſitum, qui ſubinde abolitus eſt.

14. Sub Paulo II. Cardinales videntur uſi fuiſſe galeris in Conſiſtoriis, quibus nunc utuntur in publicis equitationibus.

Id colligit Victorellus in additionibus ad Ciaconium ex metallicis iconibus hujus Pontificis, quibus inſculpti exhibentur Cardinales omnes cum galeris ſuis.

15. Cardinalium numerus pro diverſitate temporum varius fuit.

Cum enim Eccleſiæ Romanæ Cardinales, quemadmodum aliarum Eccleſiarum, eſſent Presbyteri & Diaconi, qui Eccleſiis, & titulis Preſbyterorum, aut Diaconorum, erant intitulati, ſeu *incardinati*, tamquam *fixi*, & *proprii* Miniſtri; eorum numerus juxta numerum titulorum emetiendus eſt. Narrat autem Onuphrius lib. ſupra cit. initio 14. diaconias per totidem Urbis Romanæ Regiones fuiſſe diſtributas, quarum Cardinales hoſpitibus & pauperibus &c. inſerviebant; his ſubinde additos 4. alios Cardinales Diaconos, ad miniſterium Pontificis in Lateranenſi Baſilica celebranti deſtinatos. Quibus Sæculo XVI. inſolito exemplo a Leone X. adjuncta fuerit Diaconia *S. Onuphrii* in Vaticano. Titulos vero Presbyterorum Cardinalium Sæculo VI. fuiſſe 28. Quibus ſi addantur Epiſcopi 7. cum 28. Diaconis, efficiunt Cardinales 53. Quem numerum ibidem aſſerit uſque ad Honorii II. ſeu ad Sæculi XII. tempus perſeveraſſe, quo minui cœpit, & ad incertum numerum ſenſim delabi; ita ut eodem teſte, tum ad eam paucitatem ſubinde redacti eſſent, ut non forent niſi 7. Cardinales viventes, videlicet 3. Presbyteri, & 4. Diaconi, quando creatus fuit Nicolaus III. A. 1277. ibidemque notat, poſt illius tempora eorum numerum rurſus augeri cœpiſſe. Et quidem poſt mortem Clementis VI. A. 1352. a Cardinalibus unanimiter ſtatutum fuit, ne poſthac plures eſſent, quam 20. At poſtquam famoſum & pertinax Schiſma jam ab Urbano VI. qui ſeneſcente Sæculo XIV. ſedit, Eccleſiam laceraret, & ipſe Urbanus a ſuis ſe proditum dolens Cardinalibus, una die 28. aut ſecundum alios 26. novos creare coactus eſſet, & poſt ipſum famoſi illi Romanæ Sedis prætendentes Benedictus dictus XIII. & Gregorius dictus XII. cum Joanne XXII. alias XXIII. legitimo probabiliſſime Pontifice ſuis ſtipatos ſe vellent Cardinalibus, adeoque tria purpuratorum prodiiſſent collegia; in magnam eorundem multitudinem numerum excreviſſe neceſſum fuit; quem Concilium Conſtantienſe, reſpirante a diro Schiſmate Eccleſia, A. 1414. Seſſ. 46. aut potius 43. ad viginti tres reduxit, juſſitque eos ex omnibus Chriſtiani orbis partibus, proportione ſervata, quantum fieri poterit, aſſumi, ut notitia cauſarum, & negotiorum facilius haberi poſſit. A quo tempore uſque ad Leonem X. hic numerus fere obſervatus eſt, teſte Thomaſſino p. 1. cit. c. 114. N. 13. Hic enim adactus nefaria & deteſtabili conjuratione in ipſum inita A. 1517. cujus coryphæus unus erat ex ſacro Collegio (quod & Salvator ſibi contingere voluit, ne ſuo tempore ſcandalizarentur puſilli Domini Proteſtantes), una electione 31. novos creavit, eo quod reliquorum etiam fidem, Græculo hoc antesignano, ſuſpectam haberet. *Raynaldus, Spondanus.* Conclavia igitur poſthac multo numeroſiora fuerunt. Bulla compacti, ut vocant, quæ inter Paulum IV. & Cardinales A. 1555. diſceptata, & concinnata fuit, numerum Cardinalium ad 40. revocavit; exinde tamen crevit numerus ad 70. qui Sæculo XVI. ſtatominatus eſt per Bullam Sixti V. incipientem *Poſtquam &c.* cujus tenore 6. Epiſcopi, 50. Presbyteri, & 14. Diaconi purpuratum hunc Senatum conficiunt. *Qui nimius fortaſſis non videbitur*, inquit Thomaſſinus, *ſi quis ſerio perpendat, hunc eſſe Principem Clerum, hos Diaconos, hos Presbyteros primariæ orbis Eccleſiæ, & Verticis Chriſtianorum omnium ubique gentium.*

16. Si Natali Alexandro in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica, & authoribus, unde illam compilavit, fides habenda; Cardinales ſaltem a Sæculo IX. uſque ad Sæculum XVI. creati ſunt a ſolis Romanis Pontificibus, a quibus & de facto creantur.

Ubicumque enim hic Author Cardinalis facti meminit, a Pontifice Romano creatum aſſerit, nulla facta mentione Eminentiſſimi Collegii. Sic enim Sæculi IX. initio a Stephano IV. ſeptem Cardinales Epiſcopos Lateranenſes creatos ſcribit. Sic, eodem teſte, ipſo hoc Sæculo Sergius Pontifex a Paſchali V. creatus fuit Cardinalis Presbyter Tituli S. Sylveſtri. Eadem ſors eodem Sæculo, ipſo vade, contigit Leoni IV. a Gregorio IV. Benedicto III. a Leone IV. Stephano VI. a Marino Romano Pontifice. Qua etiam gaviſus eſt Sæculo XI. Stephanus IV. a Victore II. Nec intermittit laudatus Author data occaſione ſingillatim recenſere, qui purpurati a Romanis Præſulibus Sæculo XIII. & XIV. creati fuerint, quin religioſior eſt in recenſendis purpuratis hiſce Patribus, quos Summi Pontifices Sæculo XV. & XVI. motu proprio ad Eminentiſſimum Subſellium evexerunt; quæ praxis in hodiernum diem, decreto Concilii Baſilaenſis Seſſ. 23. in Colet. Conciliorum edit. tomo 17. col. 330. quo ſancitur, ut Cardinales a Collegio per majoritatem votorum collegialiter eligantur, inſuper habito, viget.

17. Dum Cardinalis creatur, ei titulus, ſeu Eccleſia Romæ aſſignatur.

Hæc diſciplina ortum habet ex primorum Sæculorum praxi deſcripta hoc tit. N. 5. &c. ubi vidimus primarios beneficiarios ſimilium Eccleſiarum dictos fuiſſe Cardinales Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos. Juxta fidem Pontificalis Romani Damaſo Papæ attributi, tempore Cleti ſeu A. C. 75. ut quidam volunt, Romæ fuerunt 25. Presbyteri. Evariſtus A. 95. numerum Diaconorum ad VII. fixit, ad imitationem VII. Diaconorum Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Presbyteroſque & Diaconos per varias regiones urbis diſtribuit, ut neceſſitatibus plebis ſubvenirent; aſſignando presbyteris *Titulum*, Parochiam, ſeu diſtrictum, quem gubernarent, cum annua canonica portione. A. 130. vel ut alii volunt, 127. Hyginus fuit ubligatus, alios Presbyteros cuivis Titulo aggregandi, quod unus ſolus illi gubernando non ſufficeret; at ſimul ordinavit, ut nuperi illi Presbyteri ſeniores reſpicerent tanquam Cardinales, ſeu Decanos, & Archipresbyteros. Magna Chriſtianorum perſecutio ſub Diocletiano, Maximiano,

& Ma-

& Maxentio A. 305. ſeu ut voluit Petavius A. 308. Marcellum coegerunt *Titulos* Urbis ad 15. reducere. At perſecutioni per victoriam Conſtantini M. fræno impoſito, hi tituli incrementum adeo celerem ſumpſerunt, ut A. 314. ſub Sylveſtro ad 28. *aſcenderent*. Et Concilium Romanum I. ſub Symmacho A. 499. celebratum mentionem ingerit fere de omnibus Titulis, qui modo Romæ vigent, & quorum Catalogum mox recenſebimus. Quos legere poteris in Colet. Concilior. collect. tom. 5. col. 444. Et hæc de Titulis Presbyterorum Cardinalium.

Quantum ad Cardinales Diaconos A. 240. Fabianus Papa illos diſtribuit per urbis Regiones, ſeu Parochias; cum autem Parochiæ eſſent 14. Diaconi vero tantum VII. curam duarum Regionum ſingulis injunxit, cum una Eccleſia ſeu reſidentia, quæ juvamini eſſet cuilibet Parochiæ; atque hæc œconomia perduravit uſque ad Gregorium M. ſeu Sæculi VI. finem, & VII. initium, qui 70. Diaconos Cardinales creavit, ut eorum numerus, Chriſtiana plebe multum aucta, exæquaret numerum Parochiarum. Quamquam vero ſucceſſu temporis plures facti ſint Romæ Diaconi, non tamen, niſi 14. primarii pro Cardinalibus habiti ſunt uſque ad tempora Gregorii III. qui Sæculo VIII. alios quatuor Diaconos Cardinales creavit, Miniſterio Eccleſiæ Lateranenſis deſtinatos. Vide N. 15. h. t.

Quantum ad Cardinales Epiſcopos illos N. 6. hoc Titulo electos a Stephano III. vidimus VII. ex quibus, cum duo Tituli paulo poſt fuerint uniti, remanſerunt VI. ut ſequens Catalogus indicabit.

CATALOGUS

Septuaginta Cardinalium Eccleſiæ Romanæ Titulorum in tres claſſes diviſus.

CLASSIS PRIMA EPISCOPORUM

Stabilita circa Annum 768.

1. Epiſcopus Oſtienſis.
2. Epiſcopus Portuenſis & S. Ruffinæ.
3. Epiſcopus Sabinenſis.
4. Epiſcopus Prænestinus.
5. Epiſcopus Tuſculanus.
6. Epiſcopus Albanenſis.

CLASSIS SECUNDA PRESBYTERORUM.

Presbyteri Cardinales numero 50. habent 28. antiquos Titulos erectos ſub Symmacho Papa A. 499.

7. Primus S. Calliſti.
8. Secundus S. Petri ad Vincula.
9. Tertius SS. Apoſtolorum.
10. Quartus S. Matthæi.
11. Quintus S. Sixti.
12. Sextus S. Marci.
13. Septimus S. Martini.
14. Octavus S. Marcelli.
15. Nonus S. Clementis.
16. Decimus S. Laurentii.
17. Undecimus S. Laurentii in Lucina.
18. Duodecimus SS. Joannis & Pauli.
19. Decimus tertius SS. Nerei & Achillei.
20. Decimus quartus S. Chryſogoni.
21. Decimus quintus S. Euſebii.
22. Decimus ſextus S. Suſannæ.
23. Decimus ſeptimus S. Pudentianæ.
24. Decimus octavus S. Praxedis.
25. Decimus nonus S. Priſcæ.
26. Vigeſimus S. Cæciliæ.
27. Vigeſimus primus S. Sabinæ.
28. Vigeſimus ſecundus S. Anaſtaſiæ.

Sequentes adjecti ſunt poſt A. 606.

29. Primus S. Crucis.
30. Secundus S. Stephani.
31. Tertius SS. quatuor Coronatorum.
32. Quartus SS. Petri & Marcellini.
33. Quintus S. Balbinæ.
34. Sextus S. Quirici.

Poſt Annum 1475.

35. Primus S. Mariæ de Ara Cœli.
36. Secundus S. Joannis ante portam latinam.
37. Tertius S. Bartholomæi.
38. Quartus S. Thomæ.
39. Quintus S. Sylveſtri.
40. Sextus S. Laurentii in pane & perna.
41. Septimus S. Cæſarii.
42. Octavus SS. Trinitatis in monte.

Poſt Annum 1353.

43. Primus S. Agnetis.
44. Secundus S. Mariæ in via.
45. Tertius S. Mariæ ſupra Minervam.

Poſt Annum 1566.

46. S. Mariæ Angelorum.

Poſt Annum 1582.

47. Primus S. Hieronymi Sclavorum.
48. Secundus S. Trinitatis.
49. Tertius S. Salvatoris.
50. Quartus S. Mariæ populi.
51. Quintus S. Mariæ de pace.
52. Sextus S. Mariæ Transpontinæ.
53. Septimus S. Petri Montorii.
54. Octavus S. Auguſtini.
55. Nonus S. Blaſii.
56. Decimus S. Alexii.
57. Undecimus S. Onuphrii.

TERTIA CLASSIS DIACONORUM.

Cardinales Diaconi numero 14. juxta antiquas quatuordecim Diaconias ſub Gregorio I. circa Annum 600.

58. Primus S. Mariæ in Dominica.
59. Secundus S. Mariæ novæ.
60. Tertius S. Mariæ in Coſmedino.
61. Quartus S. Mariæ in Porticu.
62. Quintus S. Mariæ in Equirio.
63. Sextus S. Mariæ in via lata.
64. Septimus S. Angeli.
65. Octavus S. Coſmæ & Damiani.
66. Nonus SS. Viti & Modeſti.
67. Decimus S. Euſtachii.
68. Undecimus S. Gregorii.
69. Duodecimus S. Adriani.
70. Decimus tertius S. Nicolai in Carcere.
71. Decimus quartus S. Agathæ in Suburra.

Quamvis autem non ſint niſi 70. Cardinales, ſunt nihilominus 71. Tituli, quin 72. ſecundum inſtitutionem Leonis X. qui ſeparavit Titulum S. Mariæ Trans-Tyberim a Titulo S. Calliſti, ut ſupereſſent Tituli conferendi in caſibus extraordinariis Cardinalibus, quos tum creandos pro bono Chriſtianitatis judicaret Papa, aut ut ſubinde poſſit gratificare in caſu inopinato Principes Chriſtianos.

18. Tituli Diaconorum olim non dabantur niſi Cardinalibus Diaconis, Presbyterorum Presbyteris, & Epiſcoporum Epiſcopis; ſecus accidit poſterioribus Sæculis.

Primus omnium Sixtus IV. A. 1480. cœpit Titulos Diaconorum Presbyteris dare, & Presbyterorum Diaconis teſte Thomaſſino p. 1. cit. lib. 2. c. 114. N. 10. Denique eo res devenit, ut & Tituli Diaconorum Clericis ſimplicibus commendentur, eodem teſte, & Epiſcopi tranſalpini ſint Presbyteri Cardinales, diſciplinæ pro temporum congruentia variabilitate innoxia rem ita ſecum ferente. Quæ ſi funditus inſpiciatur, non innoxie oppugnabitur.

19. Iidem Tituli olim pariter erant incompatibiles cum aliis beneficiis, quæ diſciplina poſtremis his Sæculis quoque mutata eſt.

Sic enim adhuc ſæculo XIII. Urbanus IV. Narbonenſem, & Ebroduneſem Epiſcopos ad Sabinenſis & Oſtienſis Eccleſiarum, Romani Pontificis Suffraganearum, Titulos Cardinalitios tranſtulit. Raynaldus ad A. 1262. N. 42. Et ante ipſum Innocentius IV. Archiepiſcopum Rotomagen-

genſem ad Eccleſiam Cardinalitiam Albanenſem, Romani Pontificis itidem ſuffraganeam, eique ſucceſſorem dedit in Eccleſia Rotomagenſi Abbatem S. Dionyſii. Synodicon Rotom. pag. 251. Et alii Pontifices Sæculi XIV. dum Epiſcopos Tranſalpinos purpura donarunt, a vinculo Eccleſiæ ſuæ eos abſolverunt, teſte Thomaſſ. lib. 3. c. 5. N. 12.

Quantum ad ſecundum, cauſa hujus mutationis fuit, quod ſtante priori diſciplina multi abhorrerent Cardinalitiam dignitatem, eo quod purpura eos chariori ſubinde viſte exueret. Hinc tres Electores Archiepiſcopi Romani Imperii Sæculo XIV. oblatam ab Urbano VI. purpuram recuſarunt, licet ſuarum Eccleſiarum adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus, quoad viverent, eis etiam non petentibus, conſervaſſet indulgentior Pontifex, teſte Theodorico de Niem lib. 1. cap. 43., qui 30. annos Romæ ea tempeſtate traduxerat; quoniam maluerunt Eccleſias jure ſuo, quam alieno beneficio, Titulo, quam commenda poſſidere. Hinc diſciplinam illam, quæ tamen initio Sæculi XV. adhuc vigebat, neceſſe habuerunt Romani Pontifices ſenſim abrogare, novis ſcilicet Cardinalibus primum Epiſcopatus ſuos ad aliquod tempus in commendam dando, deinde illos eoſdem perpetuos commendatores, & adminiſtratores declarando, ac nihilominus a reſidentiæ vinculo abſolvendo; ut probat Thomaſſ. cit. p. 2. lib. 3. c. 12. item c. 33. N. 2. & 5. item lib. 2. c. 114. N. 12. & 15. Diſplicuit ſubinde iſthæc mutatio illis Cardinalibus & Conſultoribus, quorum conſilia A. 1538. requiſivit Paulus III. ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationem: quapropter eidem, quantum ad præſens caput ſequentia ſuggeſſerunt: *Alius etiam abuſus invaluit, ut Reverendiſſimis Cardinalibus Epiſcopatus conferantur, ſeu commendentur, non unus tantum, ſed plures: quem, Pater Beatiſſime, putamus magni eſſe momenti in Eccleſia Dei. Primo quidem, quia Officium Cardinalatus, & Officium Epiſcopi incompatibilia ſunt. Nam Cardinalium eſt aſſiſtere Sanctitati tuæ pro gubernanda univerſali Eccleſia: officium autem Epiſcopi eſt paſcere gregem ſuum, quod præſtare bene, & ut debet, non poteſt, niſi habitet cum ovibus ſuis, ut Paſtor cum grege &c.* Tridentina tamen Synodus Seſſ. 23. cap. 1. de ref. & alibi ſupponit Cardinalitiam dignitatem ſociabilem eſſe Epiſcopatui, non tantum in commendam, ut alias, ſed etiam in titulum dato: verum illos Cardinales vult perſonaliter in diœceſi ſua (votum Conſultorum Pauli III. moderando) reſidere. Et inde eſt, quod fateatur Curiæ Romanæ expertiſſimus Fagnanus, nulla jam diſpenſatione opus eſſe, ut Epiſcopatum retineat, qui Cardinalatu poſtliminio decoratur. Nec argumentum Pauli III. contra Tridentinos Patres urget; illo enim dicti Cardinales ſtante ſuo de reſidentia apud gregem mandato, Romano Pontifici aſſiſtere nequeant, cum tamen numerus eorum ad 70. excreverit, qui olim intra limites 20. concludebatur, Romano Pontifici ſufficiens Senatus non deerit. Sic enim vero res magnæ tam varia neceſſario ſecum ferunt, quæ, dum animi parvi non capiunt, inde ſcandalizantur. Sed immerito; ſuas enim Eccleſia Romano-Catholica non in uno aliquo terrarum angulo, ſed per totum orbem terraqueum diffuſa, habuit, & habebit rationes, quare modo ſic, modo ſic procedat, quæ cum non niſi profunda combinatione penetrari poſſint, non mirum, quod ab hominibus obviis, & odio inſuper animatis ſuſ deque habeantur.

20. Si Officium Cardinalium expendamus, atque hodiernum cum priſtino conferamus, etiam hic mutationem non modicam interveniſſe videbimus.

Cum enim priſtini Romanæ Eccleſiæ Cardinales eſſent Presbyteri & Diaconi, ſuis reſpective Eccleſiis & Titulis, tanquam *Ordinarii* atque *Fixi* miniſtri, adſcripti, etiam præcipuum Officium eorum erat, illarum Eccleſiarum, vel Titulorum curam gerere; muniaque Presbyteri, ſeu Parochi, aut Diaconi obire, iiſque totos ſe impendere; quamvis & ipſi tunc etiam Presbyterium conſtituerent, cujus conſilio & opera Romanus Epiſcopus uteretur. Uti N. 3. h. t. innuimus, & perſpicuum fit ex ep. 55. Cypriani ad Cornelium Papam: in qua ſcribit: *Florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti.* At ſi diſciplinam a ſex circiter Sæculis ſtabilitam expendamus, inquit Eſpenius p. 1. tit. 22. c. 1. N. 31. videbimus præcipuum Cardinalium S. R. E. Officium eſſe, Romano Pontifici in negotiis gerendis conſilio & opera aſſiſtere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam, atque dignitatem præcipue, ne dicam unice, fuiſſe deſumptam. Et quidem Leo IX. ſcribens ad Michaelem Patriarcham Conſtantinopolitanum, cum edixiſſet, quod ſicut Cardine totum regitur oſtium, ita in Petro & ejus ſucceſſoribus totius Eccleſiæ diſponatur emolumentum, mox ut conſequens infert: unde & Clerici ejus *Cardinales* dicuntur, *Cardini* utique illi, quo cætera moventur, *vicinius* adhærentes. Itaque jam non ab intitulatione, aut *incardinatione* alicujus Eccleſiæ, Cardinales vocavit Leo; ſed a majori adhærentia Romano Pontifici. Hinc & ſub idem tempus *Laterales* Pontificis dici cœperunt. Hac de cauſa S. Bernardus Sæculo XII. ad Cardinales R. E. ſcribens ait: *Nulli dubium, quin ad vos ſpecialiter ſpectet de Regno Dei ſurgentes ſuccidere ſpinas, ſedare querelas; --- agite pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua polletis, pro poteſtate, quam accepiſtis.* ep. 89. Hic Bernardum reputare & agnoſcere Cardinales tanquam Superintendentes *Regno Dei*, id eſt, *Eccleſiæ*, atque una cum Pontifice illius curam agentes, manifeſtum eſt. Unde ad Eugenium III. dicit. *Veniamus ad Collaterales, & Coadjutores tuos. Hi ſodales tibi, hi intimi ſunt. --- An non eligendi de toto orbe,* orbem judicaturi?

21. Pro coronide hujus de S. R. E. Cardinalibus tractatus apponere placuit allocutionem, quam Sanctiſſimus Dominus noſter Benedictus divina Providentia Papa XIV. in Conſiſtorio Secreto 26. Novembris anno currente habuit, ex qua œconomiam promotionis Cardinalium, ceu ex limpidiſſimo fonte haurire licebit.

ALLOCUTIO
SS. D. N. BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV.

Habita in Conſiſtorio Secreto Feria ſecunda, vigeſima ſexta Novembris MDCCLIII. Romæ.

VENERABILES FRATRES!

QUod octodecim Loca in Collegio veſtro vacantia poſtulare videntur, ut novis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus creandis animum intendamus, id aliæ plures rationes ulterius non differendum nobis ſuadent, tum ſcilicet juſtum, quo urgemur, ſtudium remunerandi eos, qui egregiam & laborioſam Apoſtolicæ Sedi operam præſtiterunt; tum provida cura augendi eorum numerum, quorum Conſilio graviora Sacroſanctæ Religionis Eccleſiæque univerſæ negotia adminiſtrantur & expediuntur; tum denique ut finis aliquando ſit anxiis, moleſtiſque curis, atque cogitationibus, quæ nos ea de re, cum ſæpe alias, tum maxime poſtremis hiſce menſibus, vexarunt, ſollicitoſque habuerunt.

Diximus autem, octodecim eſſe loca in Collegio veſtro vacantia, quamvis olim, ut probe me-

geminiſtis, duos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ex hoc ipſo loco creatos in pectore reſervavecimus, arbitrio noſtro quandocunque declarandos: quorum proinde loca, propria loquendo, nequaquam vacare dici poterant. Verum, cum ii, quos tunc electos in pectore reſervavimus, interea, licet non admodum ætate provecti, ex hac vita emigraverint, collati ſibi honoris plane neſcii, idcirco eorum loca inter vacantia adnumerari omnino debent, & octodecim vere ſunt, quæ ad abſolvendum Fraternitatum Veſtrarum numerum implende ſuperſunt.

Ex his vero ſexdecim dumtaxat hoc tempore conferre intendimus, & totidem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales creare, quorum nomina mox aperiemus. Duos autem reliquos neque creare, neque in pectora reſervare Nos declaramus; ſed tunc illos a Nobis creandos fore conſtituimus, cum id fieri permittent rerum, & temporum circumſtantiæ, quæ nunc conſiliorum noſtrorum executioni obſtant.

Cæterum, Venerabiles Fratres, cum rei hujus, quam agendam ſuſcepimus, gravitatem & magnitudinem intelligeremus, eaque ſemper præ oculis habuerimus, adeoque habeamus, quæ de hujus S. R. Eccleſiæ Cardinalium creatione in Conciliorum Generalium Decretis, & in Apoſtolicæ Sedis conſtitutionibus præſcripta ſunt, enixas imprimis preces Deo Optimo Maximo fundere non prætermiſimus, ut ipſe nobis ſuum lumen infunderet, ne, in delectu faciendo a recti ſemita deviaremus, tum vero oculos noſtros in eos conjecimus, quos hunc honorem maxime promeritos in Domino judicavimus ob diuturnos labores in Apoſtolicæ Sedis Miniſteriis laudabiliter impenſos, eoſdemque magis idoneos, qui nos conſilio, & opera adjuvarent in graviſſimo Apoſtolici Regiminis onere ſuſtinendo, quod nullo noſtro merito debilibus humeris noſtris impoſitum in dies magis, magiſque ponderoſum ſentimus.

Itaque inter eos, quos in Collegium veſtrum optandos jam jam proponemus, & eorum Nomina audietis, qui Noſtra & Apoſtolicæ Sedis Legatione apud Catholicos Principes multos jam annos, & magna cum Eccleſiæ utilitate perfuncti ſunt, & eorum, qui longi temporis curſu ab inferioribus ad ſublimiores Romanæ Curiæ Gradus evecti, graviora demum munera, ſine quibus Eccleſiaſtici Regiminis, & temporalis imperii ratio ſtare nequit, diu & cum laude geſſerunt; neque deerit, aut qui peritiam in jure dicendo cum integerrimo vitæ tenore conjungens in fori ſubſelliis irreprehenſibilem ſe præbuit, aut qui ob Theologicæ Facultatis, & Sacrorum Dogmatum ſcientiam, ad gravia Eccleſiæ negotia plurias adhibitus, ab omni partium ſtudio alienus, utilibus rectiſque conſiliis Noſtras veſtraſque conſultationes juvare conſuevit. Eorum denique nomina audietis, quorum mores & inſtituta, ſimulque labores & officia, licet vobis etiam aliunde cognita, nos ipſi præ cæteris agnovimus, atque probavimus. Erit enim, qui non ſolum hoc Noſtri Pontificatus tempore, ſed pluribus ante annis, dum nos in minoribus conſtituti, inter hujus Curiæ Præſules, deindeque inter S. R. Eccleſiæ Cardinales locum obtinebamus, ex graviſſimis primum, quæ gerebamus, Apoſtolicæ Sedis muneribus, mox in Anconitano Epiſcopatus, & in Bononienſis Archiepiſcopatus adminiſtratione, curarum omnium laborumque noſtrorum ſocius & particeps fuit, & demum in magni momenti officiis, quæ nos in hac Beati Petri Cathedra jam ſedentes eidem commiſimus, ſuam Nobis & Reipublicæ operam ſummopere probavit. Erit quem nos ab ineunte Adoleſcentia ad quadragenariam, quam prope attigit ætatem, veluti in ſinu noſtro educatum, ac per nos ipſos minoribus majoribuſque ordinibus Bononiæ initiatum, optimis ſemper ſtudiis ac diſciplinis deditum, illibatiſque & ſacerdotalibus moribus ornatum conſpeximus, cujus, dum lateri noſtro quartumdecimum jam annum adhæret, prudentiam, fidem, & in officio aſſiduitatem experti ſumus, ac ſimul perſeverantem in Eccleſiaſticis ſtudiis voluntatem commendare, & communicatis ſæpe negotiis pluribuſque eidem opportune demandatis, fovere & exercere non omiſimus. Erit qui toto Prædeceſſoris noſtri Pontificatu illius generis miniſteriis, quæ ſummam fidem, & rerum gerendarum ſcientiam requirunt, optime functus, haud levioris momenti munera hoc etiam toto Pontificatus noſtri tempore pari conſilio, integritate, ac ſedulitate adminiſtravit. Et demum qui jam diu eximiam Juriſprudentiæ laudem in Romana Curia merito adeptus, & multis in rebus ac difficillimis Apoſtolicæ Sedis negotiis ſub eodem Prædeceſſore noſtro verſatus, non paucis denique annis apud nos totius juſtitiæ adminiſtrationi præpoſitus, omnibus officii ſui muneribus, magno & conſtanti animo, ſine perſonarum acceptione, ſatisfecit, ſuiſque ſtudiis & laboribus Nos in aſſiduis, quibus premimur, curis & ſollicitudinibus ſublevare non deſtitit.

Hanc ipſam, quam in Cardinalium creandorum electione unice ſpectavimus meritorum rationem, in conferendis ac demandandis inferioribus dignitatibus & officiis, quæ per promotionem vacabunt, nos plane ſecutos eſſe agnoſcetis, quemadmodum confidimus, Venerabiles Fratres. Neque tamen hoc nobis pollicemur, nullas auditum iri querelas atque lamentationes, ſive eorum, qui non illud præmii genus, quod animo præceperant, aſſecuti erunt, ſive eorum, qui præmium aliquod certe promeriti, nihil tamen obtinebunt, propterea quod debitus honorum & Magiſtratuum numerus ad meritorum multitudinem impar inventus eſt, eoque ſemel exhauſto nihil fuit reliquum, quod ipſis tribueretur. Nec illud etiam ad ſedandos eorum animos aliorumve, qui ſuum ipſis patrocinium impendunt, magnopere profuturum ſperamus, quod animadvertere poterunt, nihil a nobis carni & ſanguini tributum eſſe, quodque eoſdem pro certo habere volumus, Nos id, quod nunc efficere non potuimus, cum primum opportuna ſe occaſio obtulerit, libentiſſime perfecturos. Hujuſmodi querimonias & hominum offenſiones nos jam ſcimus neceſſaria eſſe, quamvis non debita miniſterii noſtri emolumenta. Ea tamen gravia ſemper & acerba nobis accidere fatemur. Cum ex vera naturæ noſtræ indole omnibus benefacere, omnium juſtis deſideriis obſecundare poſſe in votis habeamus.

Sed jam ad propoſitam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium creationem procedamus. Itaque ad majorem Omnipotentis DEI Gloriam, ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ utilitatem, & decus intendimus creare Cardinales:

Joſephum Mariam Feronum, Archiepiſcopum Damaſcenum, Congregationis Epiſcoporum & Regularium Secretarium.

Fabritium Sorbellonum, Archiepiſcopum Patracenſem.

Joannem Franciſcum Stoppanum, Archiepiſcopum Corinthi & Præſidem Urbini.

Lucam Tempi, Archiepiſcopum Nicomedienſem.

Carolum Franciſcum Durinum, olim Archiepiſcopum Rhodienſem, nunc Archiepiſcopum Papienſem.

Henricum Henriquetz, Archiepiſcopum Nazianzenum.

Coſmam Imperialem, almæ Urbis Noſtræ Gubernatorem.

Flavium Chiſium, Auditorem Generalem Cauſarum

ſarum Cameræ Apoſtolicæ.

Joannem Franciſcum Bancherium, Theſaurarium Generalem Cameræ Apoſtolicæ.

Vincentium Malvetium, cubiculi Noſtri Præfectum.

Aloyſium Matthejum, Romanæ Rotæ Auditorem.

Joannem Jacobum Millum, Noſtrum Datarium.

Joſephum Lebizzanum, ſupplicum libellorum a ſecretis.

Aloyſium Mariam Turrigianum, Conſultæ Secretarium.

Clementem Argen-villiers Noſtrum Auditorem.

Antonium Andream Gallum, Abbatem Generalem Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris.

Quid vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis DEI, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra creamus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales:

Presbyteros quidem,

Joſephum Mariam Feronum, Archiepiſcopum Damaſcenum.

Fabritium Sorbellonum, Archiepiſcopum Patracenſem.

Joannem Franciſcum Stoppanum, Archiepiſcopum Corinthi.

Lucam Tempi, Archiepiſcopum Nicomedienſem.

Carolum Franciſcum Durinum, Archiepiſcopum Papienſem.

Henricum Henriquetz, Archiepiſcopum Nazianzenum.

Coſmam Imperialem.

Vincentium Malvetium.

Aloyſium Matthæjum.

Joannem Jacobum Millum.

Clementem Argen-villiers.

Antonium Andream Gallum.

Diaconos vero,

Flavium Chiſium.

Joannem Franciſcum Bancherium.

Joſephum Lebizzanum.

Aloyſium Mariam Torrigianum.

Cum Diſpenſationibus, Derogationibus, & Clauſulis neceſſariis & opportunis.

In Nomine Patris †. & Filii †, & Spiritus Sancti †, Amen.

QUÆSTIO DOGMATICA

De Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia divino jure inſtituta.

22. HAnc quæſtionem tractat Natalis Alex. hiſt. Eccl. Sæc. 4. diſſert. 44. adverſus Aerium ejuſdem Sæculi hæreticum, in eaque refellit librum Davidis Blondelli Calviniſtæ, inſcriptum *Apologia S. Hieronymi*, in qua Presbyteros Epiſcopis æquales cum ordine, tum juriſdictione, ſi jus divinum ſpectetur, acerrime propugnat. Quam diſſertationem cum poſt refutationes hujus ſcripti a doctiſſimo Petavio S. J. aliiſque viris clariſſimis concinnatas, fuſiſſime & accuratiſſime inſtituerit, ultimamque quaſi manum jugulando Adverſario impoſuerit, actum agerem, ſi aliud, præterquam ejuſdem compendium, conformiter ſcopo ſuſcepti operis, huc apportarem. Blondello autem in præſenti materia præivit Magiſter ſuus Calvinus, huic Wicleffus, Albigenſes, & Waldenſes, omnes fideles Aerii, Sæculo IV. a S. Epiphanio hæretici declarati, ut infra videbimus, diſcipuli, quibuscum non immerito conſpirant Domini Lutherani.

23. An autem jure divino Epiſcopi ſint ordine, & juriſdictione æquales vel majores Presbyteris, Dominis adverſariis conſentientibus, dependet a Regimine Eccleſiaſtico ab Apoſtolis inſtituto, & per traditionem ad nos tranſmiſſo. Quale autem regimen Apoſtoli inſtituerunt, tale ordinaſſe Chriſtum utrinque fatemur, ſaltem hac in parte fratres, at non uſque ad aras, longe enim aliam illi de regimine Eccleſiaſtico tempore Apoſtolorum ſovent ideam præ nobis: imprimis enim negant ab Apoſtolis civitatibus, vel diœceſibus, in quibus verbum Dei diſſeminaverant, ſingularem aliquem Epiſcopum præfectum fuiſſe, ſed paſcendi Dominici gregis curam pluribus ſenioribus, ſeu Presbyteris, aut Epiſcopis commiſſam fuiſſe; quam illi aut cumulative, aut per vices, ad modum conſulum Romanorum exercerent: quod eſt Epiſcoporum majoritatem ordine & juriſdictione ſupra Presbyteros evertere. E contra Catholici, eſto admittant in Apoſtolorum tum Actis, tum Epiſtolis Epiſcopos cum Presbyteris, & hos cum Senioribus Laicis confundi, nihilominus pro aris & focis contendunt, tempore Apoſtolorum ſingulares in Eccleſiis ab iisdem Apoſtolis fuiſſe inſtitutos Epiſcopos, qui poteſtate pollerent Presbyteros, & reliquum Clerum ordinandi, eumque ac populum Chriſtianum in ſuo foro judicandi, quod eſt eos aſſerere ordine & juriſdictione Presbyteris *jure Divino* Superiores. Et hæc ad intelligendum compendium diſſertationis a Nat. Alex. adornatæ prælibaſſe ſufficiat. Sequitur

PROPOSITIO.

Epiſcopi Jure Divino Presbyteris majores ſunt.

24 PRobatur ex Scriptura, cujus prima authoritas deſumitur ex Apoſtolo ad Titum cap. 1. v. 5. ſcribente: *Hujus autem rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Igitur Titus erat Epiſcopus Cretæ ſingularis, illis, quos per civitates conſtituere debuerat, ex Apoſtolica ordinatione ſuperior. Eſto autem contrarium adverſariis dicetur, illum nempe non fuiſſe Epiſcopum ſingularem, id eſt alicui urbi addictum, ſed Apoſtolum ſecundi ordinis, id eſt Apoſtolorum Coadjutorem, ut ipſi exponunt; non minus ex hoc Apoſtoli teſtimonio colligitur, ſingulares ab ipſo ex mandato Apoſtoli conſtitutos fuiſſe atque ordinatos Epiſcopos, cum nomine Presbyterorum hic intelligendos eſſe Epiſcopos, quos adulta habuit Eccleſia, Græci interpretes authoritatis maximæ aſſerant, Chryſoſt. hom. in ep. ad Titum, Oecumenius, & Theophylactus in eundem locum. Porro ſingularem Epiſcopum fuiſſe Titum Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. c. 4. affirmat, *Timotheus*, inquiens, *Epheſinæ Eccleſiæ Epiſcopatum primus accepiſſe dicitur, quemadmodum etiam Titus inſulæ Cretæ Eccleſiarum Epiſcopus* (ſeu Metropolita) *fuiſſe memoratur.*

25. Secunda authoritas deſumitur ex 1. ad Timoth. c. 3. v. 1. *Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe &c.* Iſtud de ſingularibus Epiſcopis dictum eſſe, qui a Presbyteris diſtincti erant, ipſique ordine & juriſdictione ſuperiores S. Chryſoſt. Theodoretus, & Theophylactus agnoſcunt; Chryſ. quidem hom. 10. in hanc ep. dum ait: *Cur igitur hæc in Epiſcopo requirenda non dixit? quia perpaucos hujuſmodi inveniri fas erat, Epiſcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per ſingulas civitates Magiſtri conſtituerentur.* Et homilia 11. rationem afferens, cur Apoſtolus prætermiſſis Presbyteris poſt Epiſcopos Diaconorum ſtatim meminerit, ait: *Idipſum feciſſe, quia inter Epiſcopum atque Presbyterum intereſt fere nihil. Quippe & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt: & quæ de Epiſcopis dixit, ea etiam Presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione*

Supe-

Superiores illi ſunt, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur. Cenſet ergo Chryſoſt. Epiſcopos ex mente Apoſtoli ordinatione eſſe majores Presbyteris, quamvis, quod curam præciſe animarum concernebat, non magnum inter eos diſcrimen pro illa ætate agnoſcat. Theodoretus vero, licet has leges Presbyteris primo poſitas agnoſcat, qui temporibus Apoſtolorum Epiſcopi vocabantur, cum ii, qui poſtea Epiſcopi vocati ſunt, tunc dicerentur Apoſtoli: adjicit tamen manifeſtum eſſe, *quod has leges oportet primos ſervare Epiſcopos, qui majorem dignitatem ſortiti ſunt*.

26. Tertia Authoritas deſumitur ex eadem ep. ad Timoth. c. 5. v. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant*. Quo loco ſive nomine Presbyteri ſeniores populi, ut volunt Chryſoſt. & Theophyl. ſive in ordine Eccleſiaſtico conſtituti exprimantur, ut vult Theodoretus & Epiph. in utroque peccantes authoritatem ex inſtitutione divina per Apoſtolum promulgata nactus eſt Timotheus, & ad ejus exemplum cæteri Epiſcopi. Unde S. Epiph. hæreſi 75. in ea hujus capitis verba, *ſeniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut Patrem*, nomine ſenioris Presbyterum intelligens, prout Eccleſiaſtici nomen ordinis eſt, hæc habet: *Quid autem attinebat Epiſcopo vetare, ut ne Presbyterum objurgares, niſi majorem ipſo poteſtatem obtineret?*

27. Quarta authoritas, ſingulares nempe Epiſcopos per civitates in ipſis Eccleſiæ exordiis, dum adhuc ſuperſtites eſſent Apoſtoli, conſtitutos fuiſſe, deſumitur ex Apocalypſi S. Joannis c. 2. ubi ex mandato Chriſti epiſtolæ ſcribuntur ad VII. Eccleſiarum Angelos, id eſt Epiſcopos. Contendunt quidem Proteſtantes, nomine Angelorum non Rectores ſeu Epiſcopos harum Eccleſiarum, ſed ipſas Eccleſias intelligi, ſed vane, namque ex eo aperte refelluntur, quod Patres, medii que ac poſterioris ævi interpretes omnes nomine Angelorum ipſos Epiſcopos intelligant. Ut enim præteream Authorem commentarii in epiſtolas S. Pauli S. Ambroſio olim adſcripti in 1. ad Corinth. c. 2. in Concilio Chalcedonenſi act. 2. dicitur: *A S. Timotheo ad hoc tempus* (Concilii) *27. Epiſcopi in Epheſo ordinati ſunt*; ex quibus patet vel Timotheum ipſum, vel ejus Succeſſorem hunc ipſum Angelum fuiſſe, de quo ibi v. 1. dicitur *Angelo Epheſi ſcribe*. Et ex Irenæo l. 3. c. 3. veriſimile eſt S. Polycarpum intelligendum eſſe nomine Angeli, de quo ibi v. 8. dicitur: *Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe*. De his Angelis Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem c. 5. *Habemus*, inquit, *Joannis Alumnas Eccleſias; Ordo Epiſcoporum ad originem recenſendus in Joannem ſtabit authorem*. Præterea quæ de Angelis ibi dicuntur, ſingularibus perſonis, non Eccleſiis totis conveniunt, ut legenti manifeſte patet.

28. Probatur II. ex traditione ab Apoſtolis ad nos derivata, atque in particularibus Eccleſiis ininterrupte per plura ſæcula conſervata, quæ primo promicat in Eccleſia Antiochena ex genuinis S. Ignatii epiſtolis, quas Voſſius ex codice Mediceo deſcripſit, in quibus Vir Apoſtolicus, Apoſtolorum Diſcipulus, & Chriſti Sæculo I. Martyr propoſitionem nullo relicto effugio adſtruit: ſic autem habet ep. ad Epheſios: *Etenim J. C. inſeparabilis noſtræ vitæ Patris eſt ſententia, ut & Epiſcopi per terræ terminos definiti ex J. C. ſunt ſententia. Unde decet vos in Epiſcopi ſententiam concurrere, quod & facitis. Nam memorabile veſtrum Presbyterium, dignum Deo, ita coaptatum eſt Epiſcopo, ut chordæ cythara*. Et in ep. ad Magneſianos: *Hortor, ut hoc ſit veſtrum ſtudium, in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco, & Presbyteris loco Senatus Apoſtolici, & Diaconis mihi ſuaviſſimis, quibus commiſſum eſt miniſterium Jeſu Chriſti*. Et in ep. ad Trallianos: *Cuncti ſimiliter revereantur Diaconos, ut mandatum J. C. & Epiſcopum, ut eum, qui eſt Figura Patris. Presbyteros autem ut conſeſſum Dei, & ut conjunctionem Apoſtolorum. Sine his Eccleſia non vocatur*. Et in ep. quam expreſſe inſcribit Polycarpo Smyrnenſis Eccleſiæ *Epiſcopo*, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos ſimul alloquens, *Collaborate*, inquit, *invicem ut Dei œconomi, aut diſpenſatores* (ſic Epiſcopos) *ut aſſeſſores* (ſic Presbyteros) *& miniſtri* (ſic Diaconos nuncupat). Plura loca ejuſdem videantur apud Nat. Alex. hoc loco.

29. Hæc ita feriunt Blondellum, ut aliter evadere nequeat, quam negando S. Ignatium has Epiſtolas ſcripſiſſe, ſed tanti ſub larva nominis ab aliquo impoſtore II. Sæculo confictas. Sed cauſæ ſuæ deſperationem prodit, nam præterquam quod Critici Catholici, & imprimis Nat. Alex. diſſert. 20. hujus Sæculi ipſas S. Ignatio invictis argumentis vindicent, ſatis nobis vix non eſſe poteſt pro palma metenda, quod ſcriptas Sæculo II. affirmet. Sæculo ergo II. Epiſcopi ex *Chriſti ſententia* Presbyteris ordinatione & juriſdictione ſuperiores erant. Hinc non illepide Auguſtiniana Parænesis, quam legimus Sabb. ſancto, in Blondellum mutato verbulo torqueretur: *quid eſt, quod dixiſti, o infelix aſtutia! dormientes* (vigilantes utpote Sæculi II.) *teſtes*, & quidem contra te, *adhibes? vere tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti*. Et hinc teſte Euſebio lib. 3. c. 22. defuncto Evodio, qui primus ejus loci conſtitutus fuerat Epiſcopus, ſecundus tum maxime florebat Ignatius. Et lib. 4. c. 20. Theophilum ſextum ab Apoſtolis vocat hujus Eccleſiæ Epiſcopum.

30. Eadem Traditio II. promicat in Eccleſia Alexandrina ex Clemente Alexandrino, qui floruit Sæculi III. initio; hic enim lib. VI. Stromatum inquit: *Quoniam & hic in Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum imitationes, ut arbitror, ſunt gloriæ Angelicæ, & illius diſpenſationes*. Item ex Origene eodem Sæculo florente, qui lib. 3. contra Celſum Senatum Eccleſiaſticum, id eſt Presbyteros & Clericos ab iis, qui Rempublicam Eccleſiaſticam adminiſtrant, id eſt ab Epiſcopis ex inſtitutione divina diſtingui non obſcure indicat. Idem facit homilia 17. ubi ait, *neque Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus poſſunt eſſe digami*. Et Tract. 12. in Joannem ſummam Eccleſiaſtici principatus in Epiſcopis agnoſcit: exponens enim illa verba: *Principes gentium dominantur eorum*, —— *non ita erit inter vos*, hæc habet: *Epiſcopi autem, quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occaſione peccati*; —— *principes ergo gentium dominentur eorum, Principes autem Eccleſiæ ſerviant ſubditis*. Præterea ex Synodo Alexandrina Sæculo IV. in cauſa S. Athanaſii congregata, quæ famoſum Iſchyram Presbyterum non fuiſſe ex eo probat, quod a Colutho ordinatus eſſet, qui non erat Epiſcopus, ſed ſimplex Presbyter, adeoque Sacerdotes ordinare non poterat. Agnoſcit proinde laudata Synodus, & cum ea Eccleſia Alexandrina ordinandi poteſtatem jure divino ſolis Epiſcopis convenire, nec a Presbyteris conſecrari poſſe tam Epiſcopos, quam Presbyteros, & conſequenter hos eſſe illis ordine & juriſdictione per traditionem ab Apoſtolis acceptam majores. Unde teſte Euſebio lib. 2. c. 24. in eadem Eccleſia S. Marco S. Petri diſcipulo ſucceſſit Anianus; & lib.

& lib. 5. c. 21. Avilio Cerdo, Cerdoni juxta eundem lib. 4. c. 1. Juſtus &c. omnes ſingulares Epiſcopi.

31. Eadem Traditio III. promicat in Eccleſia Cypri ex Epiphanio hæreſi 75. ubi de Aerio, Proteſtantium hoc in argumento Proto-Parente, ſic loquitur: *Eſt autem illius dogma ſupra hominis captum furioſum & immane. Imprimis enim quanam, inquit, in re Presbytero Epiſcopus antecellit? Eſt enim amborum unus Ordo, par & idem honor ac dignitas: ——— his in vulgus jactatis, pleroſque in errorem adduxit, quorum Secta Princeps exſtitit.* Illam autem ſtoliditatis plenam, ut ait, ſententiam hac ratione refellit: *Epiſcoporum Ordo ad gignendos Patres præcipue pertinet; hujus enim eſt Patrum* (per collationem Sacramenti Ordinis) *in Eccleſia propagatio. Alter* (videlicet Presbyterorum) *cum Patrer non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis latione producit; non tamen Patres & Magiſtros. Quinam vero fieri poteſt, ut is Presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponendarum jus nullum habet? Aut quomodo Presbyter Epiſcopo poteſt eſſe æqualis?*

32. Eadem Traditio IV. promicat in Eccleſia Jeroſolymitana, cujus primus Epiſcopus teſte Hegeſyppo Apoſtolorum vicino, ut habet Hieron. de ſcrip. Eccl. c. 4. ab Apoſtolis conſtitutus fuit Jacobus frater Domini; cui ſuffragatur Euſebius lib. 2. hiſt. Eccl. c. 1. qui lib. 4. ejuſdem hiſt. c. 5. inquit. *Ex veterum ſcriptorum monumentis didici, ad illam uſque obſeſſionem Judæorum, quæ imperante Hadriano contigit, quindecim Epiſcopos continua ſucceſſione illi Eccleſiæ præfuiſſe, quos omnes origine Hebræos fuiſſe memorant, & fidem Chriſti ſincere & ex animo ſuſcepiſſe.* Et quamvis Blondello incredibile videatur, tot Epiſcopos ſpatio 30. annorum ſua morte alteri ſedem reliquiſſe, & conſequenter velit potius Presbyteros Jeroſolymitanos per vices Epiſcopatum ſuſcepiſſe; quantum ad primum tamen refellitur exemplo ducto a Succeſſione Romanorum Pontificum, in qua ab Ann. 883. quo Marinus Papa creatus eſt, ad An. 912., quo Anaſtaſius III. obiit, & Joannes X. Pontificatum iniit, 14. Romani Pontifices numerantur. Quantum ad il. vero vapulat tum ex ſucceſſione Epiſcoporum aliarum Eccleſiarum jam relata, in qua non niſi mors primi Cathedram ſecundo reliquit, tum ex dictis titulo VI. præſentis libri, ubi ex primitivæ Eccleſiæ monumentis demonſtravimus, Eccleſiæ Presbyteros non egiſſe per vices, ac ordine Epiſcopos, ſed electos fuiſſe, ac tales ad mortem perſeveraſſe.

33. Eadem Traditio V. promicat in Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum Matre & Magiſtra ex S. Clementis S. Petri diſcipuli Epiſt. genuina ad Corinthios, in qua de Apoſtolis ſic loquitur: *Per regiones igitur & urbes verbum prædicantes, primitias eorum ſpiritus probantes, Epiſcopos & Diaconos eorum, qui credituri erant, conſtituerunt; ——— & quid mirum, ſi, quibus in Chriſto a Deo hoc munus commiſſum fuit, prædictos conſtituerint?* &c. Chriſti itaque mandato Epiſcopos ab Apoſtolis eſſe conſtitutos docuit S. Clemens.

34. Reſpondet Blondellus, binos tantum Cleri gradus, Epiſcoporum nimirum & Diaconorum a S. Clemente agnitos fuiſſe, adeoque recenſitos ab ipſo in Epiſcopis Presbyteros. Addit, ſeditionem tunc temporis in Eccleſia Corinthi excitatam fuiſſe, non adverſus ſingularem tunc incognitum Epiſcopum, ſed adverſus Presbyteros, quos Epiſcopatu functos Clemens dixerat, idque colligit ex his verbis: *Turpe eſt, dilecti, imo valde turpe, & converſatione, quæ in Chriſto eſt, indignum, audire firmiſſimam, antiquamque Corinthiorum Eccleſiam, propter unum aut alterum, adverſus Presbyteros ſeditionem concitare.*

35. Verum nec Epiſcopos & Diaconos tantum, ſed Presbyteros etiam in illa ep. non ſemel memorat S. Clemens. Ad hæc, cum Epiſcopi nomen primi & ſecundi Ordinis ſacerdotibus tunc commune eſſet, utrumque ordinem apud S. Clementem ſignificat. Porro licet Corinthi Senatus Eccleſiaſticus eſſet, ſeu Collegium Clericorum ab Apoſtolis conſtitutum, non exinde ſequitur, ibi non fuiſſe Epiſcopum ſingularem, cum id aperte ſupponat S. Clemens in dicta epiſtula, ubi comparationem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cum Hierarchia Synagogæ, in qua ſimplices a ſummo Sacerdote diſtinguebantur, faciens inquit: *Summo quippe Sacerdoti ſua munera tributa ſunt* (in Synagoga), *Sacerdotibus locus proprius aſſignatus eſt: Levitis ſua miniſteria incumbunt; ——— unuſquiſque veſtrum, fratres, in ſuo ordine & ſtatione maneat.* Nimirum ſummus Sacerdos, ſeu Epiſcopus in ſua, Sacerdotes, id eſt, Presbyteri in ſua, & Levitæ, hoc eſt Diaconi in ſua; neget hanc fuiſſe mentem Clementi in hac allegoria ſi poteſt pertinax Blondellus. Renitur præterea Romanæ Eccleſiæ Traditio ex ep. Cleri Romani ad S. Cyprianum Sæculo III. ſcripta, quæ inter ejus epiſtolas extat ordine 31. in qua diſſerit: *Quamquam nobis differendæ hujus rei neceſſitas major incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ Viri Fabiani nondum eſt Epiſcopus propter rerum, & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur,* ——— & infra: *ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innovandum putavimus.* Ruit ergo ſyſtema Proteſtantium N. 23. deſcriptum ex Traditione Eccleſiæ Romanæ, in qua continua Epiſcoporum a S. Petro Succeſſio deſcribitur per Euſebium, Optatum Milevitanum, Hieronymum, Auguſtinum, ut nullus de noſtro Syſtemate ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia Romana dubitandi locus remaneat.

36. Eadem Traditio VI. promicat in Eccleſia Africana ex Tertulliano Sæculi III. Authore, qui lib. de præſcriptione Hæret. c. 32. ex Apoſtolicæ Traditionis fontibus oſtendit ſingulares in Eccleſiis Epiſcopos tum Apoſtolis ipſis, tum ſibi deinceps ordine ſucceſſiſſe. *Cæterum, inquit, ſi quæ audent ſe interſerere ætati Apoſtolorum, ut ideo videantur ab Apoſtolis traditæ, quia ſub Apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem & Anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: ut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne collocatum refert* &c. Et c. 41. ordinem Hierarchicum inter Epiſcopos & Presbyteros in Eccleſia Orthodoxa manifeſte ſupponit, dum hæreticos ſequentibus perſtringit: *Nuſquam facilius proficitur, quam in Caſtris rebellium, ubi ipſum eſſe illic promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Presbyter, qui cras Laicus.* En caſtra Proteſtantium, eorumque Regiminis Eccleſiaſtici ideam in hæreticis Sæculi III. initio a Viro maximo graphice depictam. Similia habet idem Author lib. de Bapt. cap. 17. lib. de fuga in perſecutione c. 11. lib. de jejuniis c. 13. lib. 4. adverſus Marcionem c. 5. item de pudicitia cap. 19. & tandem de velandis Virginibus cap. 9. Ex quibus conſtat non ſolum ipſius ætate in Eccleſia Africana, ſed Apoſtolicis temporibus in Eccleſia

uni-

univerſo Epiſcopatum a Presbyteratu diſtinctum fuiſſe, & Epiſcopos fuiſſe Presbyteris ſuperiores, utique ex Chriſti Servatoris noſtri inſtitutione: hancque fuiſſe Eccleſiæ Africanæ doctrinam ex Traditione acceptam. Ejuſdem Traditionis locupletiſſimus teſtis eodem Sæculo III. eſt S. Cyprianus, qui in ep. ad lapſos data ita ſcribit: *Dominus noſter, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur & dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus -- inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum Ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, hoc eſt fundetur.* Et ep. 35. *Admonitos nos & inſtructos ſciatis dignatione divina, ut Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero --- & promovebitur quidem, cum Deus permiſerit, ad ampliorem locum Religionis ſuæ, quando in præſentiam protegente Domino venerimus;* hoc eſt ad Epiſcopatum; qui conſequenter juxta Cyprianum Presbyteratu ſuperior eſt. Similia habet ep. 50. ep. 12. 28. 68. quorum fragmenta huc pertinentia ad longum refert Natalis Alex. l. cit. Item Optatus Milevit. Sæculi IV. Author, qui lib. 2. adverſus Parmenium inquit: *Igitur negare non potes --- certa membra ſua haber Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Miniſtros, & turbam fidelium &c.* Denique ut Canones Conciliorum Africanorum, quos recenſere longum eſſet, omittamus, eadem traditio probatur ex S. Aug. qui lib. de hæreſibus ad Quodvultdeum cap. 53. inter Aerii errores hunc numerat, quod dixerit, Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni. Omitto etiam traditiones Eccleſiæ Gallicanæ & Hiſpanicæ, a Nat. Alex. hic §. 9. & 10. allatas, ſicut & argumentum a Chorepiſcopis huc pertinens, cum illud jam pertractatum ſit hoc libro tit. 03.

Objectiones Blondelli diluuntur.

37. Oppugnat Blondellus Catholicam veritatem imprimis ex S. Scriptura, & primo quidem ex cap. 1. ep. ad Titum, ubi S. Paulus, qualis Presbyter ordinari debeat probaturus, Epiſcopum deſcribit. 2. Ex ep. ad Philipp. itidem c. 1. ubi plures eodem tempore civitatis unius Epiſcopos agnoſcit his verbis: *Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus;* & conſequenter eodem jure ex æquo fruentes; qui locus vel inde urget, quod inter Epiſcopos & Diaconos Apoſtolus ibi nullum intermedium locum agnoſcat, & conſequenter Presbyteros Epiſcoporum nomine videatur comprehendere. 3. Idem S. Paulus Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ aperte videtur confudiſſe cum Epiſcopis, atque eodem loco habuiſſe, dum Act. 20. ita eos alloquitur: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei,* quod proprie munus Epiſcoporum eſt. 4. Quia S. Petro teſte ep. 1. c. 5. Presbyterorum, ſeu Seniorum eſt paſcere gregem Dei, ſic enim ait: *Seniores ergo, qui in vobis ſunt, obſecro &c. paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* Ergo æquales fuerunt Epiſcopis juxta argumentum tertium. Ex his 5. concludit, quod, cum inter Philippenſes, Epheſios, Hieroſolymitanos, Ponticos, toto Apoſtolorum tempore, regimen tale fuerit, ut pluribus uno Epiſcopis, Præpoſitis &c. ſubjiceretur fraternitas, qui eam in commune regerent, idem regimen eodem ſæculo, & conſequenter ex Chriſti inſtitutione ubique gentium viguerit. 6. Ex 1. ad Timotheum c. 4. ubi Apoſtolus ipſum monet dicens: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Si enim nomine *Presbyterii* intelligatur cœtus Presbyterorum, ergo ad cœtum Presbyterorum ſpectat ordinatio Presbyteri, & hic cœtus conſequenter eſt epiſcopalis; ſi autem pro το *Presbyterii* munus presbyteriale indicetur, cum nemo dubitet Timotheum vere fuiſſe Epiſcopum, gratiam presbyteralem quoque eſſe epiſcopalem negare nemo debet. 7. Ex ep. 3. S. Joann. ubi in Diotrephe omnium modernorum Epiſcoporum primatum damnavit Apoſtolus: & conſequenter nulli erant Epiſcopi, qui conformiter ad hodiernam Epiſcoporum ideam Presbyteros ordine & juriſdictione excellerent, ſed Presbyteri ſolum compares.

38. Reſpondeo ad I. concedendo, quod S. Paulus, quos l. cit. v. 5. vocavit Presbyteros, v. deinde 7. vocet Epiſcopos: ſed nego, quod ibi loquatur de Sacerdote ſecundi ordinis; ut enim vidimus N. 25. h. t. ex Joanne Chryſ. & Oecumenio, ac Theophylacto, per civitatis Presbyteros Epiſcopos intelligit, quales adulta ætas habuit. Non ergo duos homines ibi S. Paulus in unum confundit, ſed unum, qui vel utramque dignitatem gerat, cum omnis Epiſcopus etiam Presbyter ſit, vel ſolam presbyterialem, quæ quoad nomen & dotes cum epiſcopali tum coincidebat, eo quod eædem fere dotes a primis Eccleſiæ Sæculis requiſitæ fuerint in Presbytero, quæ in Epiſcopo.

39. Ut II. objectio intelligatur, præmittenda ſunt verba Theodoreti in comment. cap. 3. ep. 1. ad Timoth. ubi aſſerit: *eoſdem olim Presbyteros appellatos & Epiſcopos. Quos autem Epiſcopos hodie nominant, tunc Apoſtolos vocaſſe. Procedente deinde tempore, Apoſtolatus nomen iis, qui vere Apoſtoli dicti ſunt, reliquerunt: Epiſcopatus autem appellationem iis impoſuerunt, qui quondam Apoſtoli nominabantur.* His præmiſſis dico 1. ex hoc Pauli loco tantum ſequi nomen Epiſcopi commune fuiſſe Sæculo Apoſtolorum etiam Presbyteris, non vero dignitatem, ut ex probatione propoſitionis patet. Secundo etiam dici poteſt in eadem civitate ob diverſitatem dialectus, & alias urgentes cauſas, duos ab Apoſtolis Epiſcopos præſtitutos fuiſſe, quod deinde ceſſantibus cauſis abrogatum fuit. Et demum tertio, negando Paulum hanc epiſtolam ad ſolam Philippenſem civitatem direxiſſe, ſed ad totam diœceſim. Philippos quippe unius Provinciæ in Macedonia primam civitatem fuiſſe conſtat ex Act. 16. v. 12. ubi S. Paulus ſe dicit profectum; *Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas, Colonia;* & conſequenter per Epiſcopos non Presbyteros unius civitatis, ſed Antiſtites totius Provinciæ intellexiſſe; qui plures abſque dubio in illa Provincia extitere. Quod autem nulla Presbyterorum interjecta mentione, Epiſcopis & Diaconis illam epiſtolam inſcripſerit Apoſtolus, inde contigit, quod in illis Chriſtianæ Reipublicæ exordiis nonnullæ civitates eſſent, quibus ut as Epiſcopus cum Diaconis præſidebat, nulli vero, quos hodie vocamus ſecundi ordinis, Presbyteri: quia tam numeroſa non erat plebs Chriſtiana, ut cœtus Presbyterorum illi neceſſarius eſſet. Per quod patet ad ſubjunctum.

40. Ad III. Reſp. Munus Epiſcoporum eſſe regere Eccleſiam Dei, ut Summi Præſides, Summique gregis Paſtores; Presbyterorum vero, ut Præſides inferiores, & Paſtores ſubordinati. Si ergo S. Paulus ibi alloquitur Epiſcopos unius civitatis, intelligendus eſt de Paſtoribus ſubordinatis, nomenque Epiſcopi Presbyteris imponere, quod in actis Apoſtolorum, Paulique epiſtolis contigiſſe non negamus. At, & eſt reſponſio ſecunda, negamus, quod ibi gentium Apoſtolus Aſiæ minori valedicturus, & Jeroſolymam petiturus, loquatur de Epiſcopis, ſeu Presbyte-

ris unius civitatis, ſed de Epiſcopis Provinciæ. Teſtis hujus veritatis eſt S. Irenæus lib. 3. c. 14. ubi de vocatis Miletum Epiſcopis aut Preſbyteris ſermone habito ſubdit: *Ab Epheſo & reliquis proximis civitatibus convocatos eſſe.* Favetque aperte huic reſponſioni v. 31. dicti capitis, in quo ſoluturus Apoſtolus inquit: *propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium non ceſſavi, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum.* Certe autem triennio illo lacrymas, monitioneſque ſuas ſolis Epheſiis non impendit, ut aperte loquitur ipſa actuum hiſtoria capite præcedenti.

41. Ad IV. Reſp. S. Petrum l. c. ſeniorum, & Presbyterorum nomina compares, ſeu paris authoritatis Presbyteros non intellexiſſe, ſed Epiſcopos, qui tunc etiam Presbyteri, vel Seniores vocabantur, Presbyteri & Senioris voce ab ætatis notione ad honoris & dignitatis appellationem translata. Unde S. ipſe Petrus Conſeniorem ſe, ſeu Compresbyterum ibi vocat, & S. Joannes ad Electam ſe ſeniorem, ſeu Presbyterum ſcribit: *Senior Electæ &c.* Eſto nec ipſe Blondellus inficiari poſſit, Petrum & Joannem Epiſcopis vel Presbyteris a ſe tum conſtitutis majores ordinatione divina fuiſſe. Vox igitur Presbyter, aut Senior, alio ſenſu nunc uſurpatur ab eo, quo in Apoſtolicis epiſtolis interdum uſurpata eſt. Apud nos enim ordinis & gradus vocabulum eſt ab Epiſcopatu diſtincti, illoque inferioris: apud illos autem reverentiæ, honoris, & dignitatis, utrique gradui ſubinde commune. Nil ergo ex voce ambigua Blondellus extundit.

42. Ad V. Reſp. hoc corollarium ex falſis præmiſſis, nempe ex quatuor objectionibus a nobis jam exploſis, deductum ſeipſo concidere, & conſequenter ex contrariis veris a nobis & nunc jam, & in probatione propoſitionis ſtabilitis ita emendandum eſſe: quod cum inter Cretenſes, Aſianos, Philippenſes, Hieroſolymitanos, Antiochenos, Romanos toto Apoſtolorum Sæculo cala eſſet regimen, ut ſingulari Epiſcopo tota ſubjiceretur fraternitas, qui Presbyteros ordinaret, cuique ipſi parerent; idem regimen eodem ſæculo, & conſequenter ex Chriſti inſtitutione ubique gentium viguiſſe.

43. Ad VI. Reſp. & quidem primo ad dilemmatis primam partem: ſi nomine Presbyterii intelligatur Presbyterorum cœtus, per Presbyteros Apoſtolum hic non intelligere Sacerdotes ſecundi ordinis, ſed Apoſtolorum collegium, quod S. Ignatius in ep. ad Philadelph. Presbyterion *tes Ekkliſias* nuncupat: vel Apoſtolicorum virorum, ſeu Epiſcoporum cœtum, qui ſimul cum S. Paulo Timotheum ad Epiſcopale munus conſecrarunt; eo quod S. Petrus, & Joannes ex mox dictis ſe Presbyterus vocitent, & de S. Paulo & Barnaba Act. 14. v. 23. dicatur: *eos per civitates Presbyteros conſtituiſſe.* Cum ergo de S. Ignatio affirmet S. Joan. Chryſ. ipſi a Beatis Apoſtolis manus impoſitas fuiſſe, nil obſtat, quo minus id, quod Pauli & Barnabæ, aliorumque Apoſtolorum, aut virorum Apoſtolicorum ſeu Epiſcoporum manibus factum fuit, per manuum Presbyterii impoſitionem factum eſſe dicatur. Et hinc S. Chryſ. hom. 13. in 1. ep. ad Timoth. de Epiſcopis, quales adulta habuit Eccleſia, hunc locum exponit, inquiens: *Non de Presbyteris iſthic loquitur, neque enim Presbyteri Epiſcopum ordinabant.* Suffragantur Oecumenius, & Theophylactus in eundem locum. Ad ſecundam dilemmatis partem dico, gratiam Timotheo collatam fuiſſe Epiſcopalem, nomine Presbyterii ſumpto pro Epiſcopali Charactere, qualem habuiſſe Timotheum nemo negare poteſt, eſto conformiter ad eam ætatem, & ad exemplum Petri & Joannis Presbyter dicatur.

44. Ad VII. Reſp. negando totum: Diotrephes enim non ſolum comparibus ſuis, ſed & ipſi Joanni Apoſtolo præponi voluit. *Diotrephes*, inquit, *non recipit nos.* Quid igitur hoc ad Primatum Epiſcoporum conſequentiæ habet, qui Apoſtolis ſuam authoritatem, & dignitatem ſartam tectam relinquunt, ſed ut Apoſtolicæ dignitatis hæredes in Eccleſia Dei præſident.

45. Oppugnat II. Blondellus eandem Catholicam propoſitionem ex SS. Patribus, objicitque II. teſtimonium S. Polycarpi in ep. ad Philip. apud Euſebium lib. 4. c. 15. in qua ait: *Subjecti eſtote Presbyteris & Diaconis, ſicut & Deo, & Chriſto.* In qua epiſtola cum primo nulla Epiſcopi Philippenſium mentio fiat, & ſecundo duo tantum Chriſtiani Cleri Ordines recenſeantur, manifeſtum eſſe ait, Philippenſium Presbyteros Eccleſiam in commune rexiſſe.

46. Reſpondeo, Polycarpum Apoſtolorum diſcipulum ſui temporis more Presbyterorum nomine etiam Epiſcopos intellexiſſe, cum id utrique ordini commune eſſet. Et hoc quidem inde manifeſtum fit, quod ipſe Polycarpus ab Euſebio eodem lib. 4. hiſt. Eccl. c. 15. dicatur *Catholicæ Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopus*; & Irenæus, qui adhuc juvenis ſe Polycarpum vidiſſe ait, apud eundem Euſebium lib. cit. c. 14. teſtetur, eum ab Apoſtolis ordinatum Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopum, concinente Hieronymo in Catalogo Scrip. Eccl. cap. 17. quod certe factum non fuiſſet, ſi tempore Apoſtolorum non fuiſſent ſingulares in civitatibus Presbyteri, ſeu Epiſcopi juxta hodiernam ideam.

47. Objectio, quam ex Epiph. hæreſi 42. de forma regiminis Eccleſiaſtici authoritati Polycarpi ſubnectit idem Blondellus, in qua Presbyteri Romani Patrem Marcionis Epiſcopum Ponti *Collegam* vocant, ipſeque Marcion hæreſiarcha non Romanum Pontificem, ſed Presbyteros pro ſui in communionem receptione interpellat, non juvat, ſed jugulat Blondelli ſententiam; ex illa ſiquidem hiſtoria conſtat, hunc Marcionis Patrem Catholicum in Ponto fuiſſe Epiſcopum, ipſumque Marcionem Romam tempore interregni Pontificii veniſſe, nempe poſt mortem Hygini Papæ, adeoque in duabus Eccleſiis Epiſcopos ſingulares extitiſſe. Adivit autem ſtuprator Marcion Presbyteros Romanos, quia illorum Eccleſia ob dictam Hygini mortem tum erat Acephala, iidemque Presbyteri ejuſdem Patrem Epiſcopum vocarunt Collegam ratione communis Sacerdotii, non gradus, quemadmodum S. Auguſtinus S. Hieronymum, Deogratias, Sixtum, Caſulanum ſecundi ordinis Sacerdotes ſuis in epiſtolis vocat Compresbyteros.

48. Objicit III. Authoritatem Juſtini Martyris Sæculo II. viventis, qui in Apologia pro Chriſtianis, Romanis Imperatoribus oblata, Eccleſiarum ſui temporis ſtatum & mores graphice deſcribens ait: *Poſtea fratrum Præpoſito panis & poculum offertur &c. item poſtquam Præpoſitus gratias egit —— qui inter nos Diaconi vocantur, dant unicuique &c.* ex quibus Blondellus colligit, binos tantum Chriſtiani Cleri Ordines fuiſſe Juſtini tempore, Præpoſitorum nimirum, ſeu Epiſcoporum, & Diaconorum, eſto priores etiam Presbyteros appellare placeat.

49. Reſp. negando illatum: cum enim S. Martyr ibi de confectione & diſtributione Euchariſtiæ ſermonem tantum habuerit, non erat neceſſe, ut omnes Eccleſiæ ordines recenſeret. Cum autem ſuo tempore Proſtotos, ſeu Præpoſitus ſingularem etiam Epiſcopum ſignificaverit, ut apud Dionyſium Corinthi Epiſcopum, qui 40. circiter annis poſt S. Ignatium floruit, in ep. ad Athenienſes apud Euſeb. lib. 4. c. 23. & apud Epiph. hæreſi

27. &

72. & in Concilio Epheſ. act. 8. potoit & Juſtinus ſingularem Epiſcopum eodem vocabulo indigitare, Synaxim cum grege agentem.

50. Objicit IV. Aothnrem (ut ipſe ait) epiſt. ad Magneſianos, S. Ignatio adſcriptæ, aot ſecundum oos ipſum Ignatium Collegium Presbyterorum vocare Chriſti legem, novellam vero inſtitutionem eam, quæ ſoo tempore Epiſcopum Presbytero præponebat; igitur ante tempus hujus authoris, ſeu circa Sæculi I. medium, aut tempore Apoſtolorum Epiſcopus Presbyterns non præcedebat; in qua te cardo præſentia quæſtionis vertitor.

5e. Reſp. I. Epiſcopatom, ot Presbyteratu ſuperior eſt, tunc quidem novellam inſtitutionem fuiſſe, cum S. Ignatios ad Martyrium duceretur, quo tempore hanc ep. ſcripſit. Sed cum id intra 75. annos poſt reſurrectionem Chriſti contigerit, nihil obſtat, quin fuerit ex Chriſti inſtitutione, & tamen dici potuerit recens.

52. Reſp. II. S. Ignatium nunquam vocaſſo Epiſcopatum novellam inſtitutionem. Scopum enim ſibi in hac ep. præfixit Epiſcopi, qui moribus ſenex erat, juventutem non eſſe contemnendam: non vero ordinis Epiſcopalis novellam eſſe inſtitutionem, quem ubique a Chriſto inſtitutom agnoſcit (N. 28. h. e.); de Dama enim Magneſianorum Epiſeopo loquitur, quem ſe vidiſſe oſtendit, atque ab eo Presbyteros apertis verbis ſibi diſtinguit, Damæque ab illis honorem exhiberi profitetur; edit. Venetæ de A. 1546. pag. at. Nec vox Nenterike turbare debet, Tò enim Neon, unde illa compoſita eſt, ex accuratiſſimis interpretibus non tantum *navum*, ſed etiam *juvenile* ſignificat.

53. Objicit V. Teſtimonium Viennenſis & Lugdunenſis Eccleſiæ in ep. per S. Irenæum Sæculo II. ad Eleutherium Romanum Epiſcopum miſſa, apud Euſebium lib. 5. c. 4. in qua ejusdem Eccleſiarum Presbyteros Irenæum fratrem ſuum appellare dicit, eſtn jam in Cathedra Photini Epiſcopi Lugdunenſis ſui Prædeceſſoris novennio ſederit.

54. Reſp. Blondellum mentiri, cum Irenæus, dum hanc ep. perferret, non eſſet niſi ſimplex Presbyter, eo quod data fuerit ad Eleutherium Phorino Irenæi anteceſſoris adhuc ſuperſtite, ut ejuſmet tenor narrat, & teſtatur S. Hieronymus in Catal. Script. Eccl. c. 45. *Irenæus*, inquiens, *Photini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, Presbyter, a Martyribus ejuſdem loci ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones Legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo ad Eleutherium Epiſcopum perfert literas*. Poſtea *jam Photino prope nonagenario ob Chriſtum Martyrio coronato, in ejus locum ſubſtituitur.*

55. Objicit VI. Authoritatem Irenæi, qui variis in locis, ut ipſe prætendit, antiquam de Epiſcopatus & Presbyterii identitate ſententiam videtur exprimere. Nam lib. 3. adverſus hæreſes cap. 2. dicit: *Traditionem Apoſtolicam per Succeſſionem Presbyterorum in Eccleſiis cuſtodiri*. Lib. 4. c. 43. Presbyteros aſſerit Succeſſionem habere ab Apoſtolis; & cap. 44. Presbyteros nutrire Eccleſiam, de quibus Propheta ait: *Dabo Principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in juſtitia*. Denique ep. ad Victorem Romanum Pontificem, Prædeceſſores Soteris, Anicetum, Pium, Hyginum &c. vocat præpoſitos Presbyteros.

56. Reſp. S. Irenæum Presbyterorum vocabulo, quod honoris interdum nomen eſt, quodque primo & ſecundo Sacerdotum ordini primis illis Eccleſiæ Sæculis commune erat, ſingulares Epiſcopos, juxta modernam, quam de illis habemus ideam, intellexiſſe. In pleriſque enim locis, ac præſertim in ultimo Epiſcoporum ſingularium ſucceſſiones ab Apoſtolis adſtruere intendit, Polycarpumque, & alios ſimiles ab iiſdem Apoſtolis conſtitutos Antiſtites Apoſtolis convixiſſe. Et certe Sacerdotii, ſeu Presbyteri nomen primis, mediiſque Sæculis ſingularibus Epiſcopis attributum fuiſſe, obvie produnt monumenta Eccleſiaſtica. Irenæus ergo hoc in loco Blondelli figmentum jugulat.

57. Objicit VII. Authoritatem Clementis Alex. qui lib. 4. & 6. ſtromatum duos tantum Eccleſiaſticos ordines videtur agnoſcere, Presbyterorum nempe & Diaconorum.

58. Reſp. S. Patrem his in locis Presbyterorum nomine duos ordines, ſeu duos Sacerdotii gradus ſignificare, Epiſcopatum & Presbyteratum, quibus Diaconos adjungit: ſed paulo poſt tres illos Ordines aperte diſtinguit: *quoniam*, inquiens, *& hic in Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum mutationes ſunt gloriæ Angelicæ*, ut ſupra N. 30. vidimus. Cur igitur Blondellus voluntarie cæcutit? cur lacunoſum textum afferendo, aliis ex profeſſo imponere intendit?

59. Objicit VIII. Authoritatem Tertulliani, qui in Apologetico c. 39. *Præſident*, inquit, *probati quique Seniores, honorem iſti non pretio, ſed teſtimonio adepti*. Et lib. de corona militis; *Nec de aliorum manu, quam præſidentium Euchariſtiam ſumimus*, vult dicere Presbyterorum, qui ſoli Euchariſtiam conficiunt. Eodem præſidentium titulo Presbyteros donat lib. de jejuniis cap. 17. Ergo tempore Tertulliani Eccleſiæ a comparibus Presbyteris regebantur.

60. Reſp. Tertullianum in primis duobus locis non tantum Presbyteros, ſed etiam his majores Epiſcopos intelligere, de Synaxibus enim Chriſtianorum ſeu Euchariſtiis agit, in quibus, ubi non erat adhuc conſtitutus Epiſcopus, præſidebant Presbyteri, ubi vero conſtitutus fuerat, ipſe Epiſcopus. Tertius vero locus, uti & textus Apoſtoli, qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt, æquo, imo potiori jure de iis Epiſcopis intelligendus venit, qui munus ſuum inculpate obibant, eo quod non tantum gentes fide Chriſti imbuerent, quod erat unum; ſed etiam imbutos in ea conſervarent, & confirmarent, quod erat alterum honore dignum. Cæterum Tertullianus aliis in locis Presbyteros ab Epiſcopis manifeſte diſtinguit (N. 35. h. t.).

61. Objicit IX. Authoritatem Origenis, qui hom. 11. in Numeros binos tantum gradus, nimirum Sacerdotum & Diaconorum videtur agnoſcere, ubi quærit: *An Sacerdotes & Diaconi juxta ſuum ordinem incedant?*

62. At Origenem vocabulo Sacerdotii primi & ſecundi Ordinis Sacerdotes intelligere in aperto eſt ex adjunctis; ſic enim pergit, *& inde eſt, quod ſæpe audimus blaſphemare homines & dicere: ecce qualis Epiſcopus, vel qualis Presbyter, aut qualis Diaconus*. Similiter etiam intelligendus eſt locus ejus ex tract. 5. in Matth. ubi Sacerdotes vocat oculos Eccleſiæ, Diaconos autem manus. Impudenter igitur pro more ſuo abuſus eſt Blondellus hac Origenis authoritate, quæ ipſius ſententiam aperte jugulat, ſicut & illa, quam adducit ex homilia 2. in Cantica. Nec obeſt, quod idem Sæculi III. Author hom. 7. in Jeremiam ſe *ſimplicem* Presbyterum nominet, atque cum aliis præſidere dicat: hoc enim præſidium ad Laicos eſt referendum, quibus Presbyteros in Eccleſia & olim præſediſſe, & de facto præſidere non diffitemur, cum ipſis incumbat gregem Chriſti verbo divino, & Sacramentis paſcere: ex illo tamen Origenis loquendi modo non ſequitur Presbyteria ipſis, Miniſtria, & toti plebi ſingularem Epiſco-

pum non præſediſſe, imo id ex verbis ſequentibus, quæ iterum mala fide ſuppreſſit Blundellus, aperte ſequitur; ſic enim pergit; *plus a me exigitur, quam a Diacono, plus a Diacono, quam a Laico, qui vero totius Eccleſiæ arcem obtinet* (is eſt Epiſcopus), *pro omni Eccleſia reddet rationem.*

63. Objicit X. ep. 3. Cleri Romani ad S. Cyprianum, in qua ſcribunt: *incumbit nobis, qui videmur eſſe præpoſiti, & vice Paſtoris* (nimirum Chriſti) *cuſtodire gregem.* Et ep. 31. *placet &c. collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus Laicis facta, lapſorum tractare rationem.* Ex quibus locis infert, Presbyteros, imo Diaconos cum Presbyteris fuiſſe præpoſitos, in communi fraternitatem regentes.

64. Reſp. Blondellum in prima authoritate peſſimam parentheſim, ſaltem mentalem feciſſe; Romanus enim Clerus præpoſitum ſe tantum, ac vice Paſtoris gubernare gregem dicebat interregni Pontificii tempore; vacabat enim Sedes Romana per obitum Fabiani Pontificis. Singularem ergo Epiſcopum Clerus Romanus in Urbe Sæculo III. agnoſcebat, cujus vices ſe agere fatebatur. Miſerum Blondellum, qui ſuis ſe telis identidem interimit! cum etiam ex ſecunda authoritate a ſe adducta manifeſto appareat, tunc temporis in Italia fuiſſe Epiſcopos a Presbyteris diſtinctos, cum quibus dictus Clerus in cauſa lapſorum conſilia ſua communicare decrevit. Nec diffitemur ex temporis illius diſciplina & conſuetudine Presbyteros & Diaconos ab Epiſcopis in partem quandam ac Societatem Eccleſiaſtici regiminis aſſumptos fuiſſe, eo fere modo, quo nunc a Romano Pontifice Cardinales, ab Epiſcopis conſiſtoria adhibentur, ſalva tamen Epiſcoporum eminentia Ordinis & authoritatis.

65. Objicit XI. Authoritatem S. Cypriani, qui ep. 55. Cornelium R. Pontificem ſic appellaverat: *Quamquam ſciam, Frater chariſſime, pro mutua dilectione, quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo Clero illic tecum præſidenti &c. legere te ſemper litteras noſtras.* Supponit ergo Cyprianus Clerum Romanum cum ſuo Pontifice ex æquo gregi præſidere. Et ipſe Cyprianus toto adminiſtrationis ſuæ tempore nil aggreſſus eſt, niſi partita, quaſi ex concepto voto, cum Comminiſtris cura & poteſtate. Quam in rem provocat adverſarius ad ejus epiſtolas 6. 10. 18. 24. 71. 83. 88. additque, eundem S. Patrem ep. 66. 65. 68. 72. item libro de lapſis corpus Cleri in duos tantum ordines diſpeſcere, *Præpoſitos* nimirum & *Miniſtros*, Præpoſitorum nomine Epiſcopos & Presbyteros, Miniſtrorum vero Diaconos complectens; Præpoſitoſque ſeu Sacerdotes qua tales, nemine excepto, Apoſtolis vicaria ordinatione ſucceſſiſſe, nullo inter ipſos prærogativæ diſcrimine interjecto, contendit.

66. Reſp. Blondellum his authoritatibus ad ſuum errorem ſtabiliendum comparatis nimis, adeoque nihil probare; ex illis ſiquidem ſequeretur, non tantum Presbyteros, verum etiam Diaconos, ac inferiorem Clerum pari ordinis, ac juriſdictionis prærogativa cum Romano Pontifice, cæteriſque Epiſcopis tum polluiſſe, cum Clerum Romanum S. ille Pater cum Cornelio indiſcriminatim præſidentem in medium afferat; imo ſequeretur, Epiſcopos nullo diſcrimine a plebe Chriſtiana fuiſſe ſecretos, quia & plebis conſenſus, ac teſtimonium, cum in ordinandis Clericis, tum in lapſis recipiendis ea ætate vigebat. Expendantur notæ hiſtoricæ in titulum VI. hujus libri datæ, in quibus & a primis ſæculis electos ſingulares a Clero, & Plebe Epiſcopos, & Epiſcoporum Provincialium in his conventibus ſuperioritatem tam clare deprehendetur, ut commentum Blondelli vel ex ipſo concidat. Quantum ad S. Cypriani epiſtolas ab illo adductas, reſpondeo, illas nil adſtruere, quod in ſolutione præcedentis, & aliarum objectionum jam non fuiſſet diſflatum. Cæterum quod eo tempore Eccleſiæ, ut nunc, crederet, Epiſcopos a Presbyteris ordinari non poſſe, ſicut ab Epiſcopis ordinatur Presbyter, ex facto Novatiani demonſtratur, qui Epiſcopos peregrinos non conduxiſſet, inebriatoſque compuliſſet, ut ſibi manus imponerent, ac Epiſcopum conſecrarent, ſi id juris ac poteſtatis penes Presbyteros fuiſſet: cum aliquos in ſecta ſua Presbyteros haberet. Fecit tamen, factumque refert Cornelius Rom. Pontifex in genuina ep. ad Fabium Antiochenum, quam nobis conſervavit Euſebius lib. 6. hiſt. Eccl. c. 43. Et quod S. Cyprianus Epiſcopos jure divino, ſeu ex Apoſtolica inſtitutione Presbyteris majores cenſuerit, pariter jam probatum eſt (h. t. N. 35.).

67. Objicit XII. Authoritatem Firmiliani apud S. Cyprianum ep. 71. ubi eccleſiaſtici Regiminis formam poſteris delineavit; *Neceſſario*, inquiens, *apud nos fit, ut per ſingulos annos Seniores, & Præpoſiti in unum conveniamus ad diſponenda ea, quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt, ut ſi quæ graviora ſunt, communi conſilio dirigantur &c. quando omnis poteſtas & gratia in Eccleſia conſtituta ſit, ubi præſident majores natu, qui & baptizandi, & manuum imponendi, & ordinandi poſſident poteſtatem.* Quinam tunc erant Eccleſiarum Præpoſiti? inquit Blondellus, Seniores, majores natu, ſeu Presbyteri. Qua illi poteſtate præditi? tingendi, pœnitentes reconciliandi, ordinandi. Ne quis ullos ab ordinationum jure Seniores putet. Quomodo regebant? communi conſilio.

68. Reſp. Recte argueret Blondellus, ſi Firmilianus majorum natu, ac Seniorum nomine Presbyteros quoſcunque intellexiſſet. At hoc falſum eſt, Epiſcopos enim intellexit Collega Cypriani & ipſe Epiſcopus, Stephani I. in cauſa baptiſmi cum aliis Aſiæ Epiſcopis acerrimus adverſarius, tranſlato vocabulo a prima notione, qua ſignificat prærogativam ætatis, ad ſignificandam dignitatem. Id quod conſtat tum ex poteſtate ordinandi Presbyteros, quam illis attribuit, quos ibi Seniores vocat, ſeu Presbyteros, quam tamen ex dictis numero præcedenti in ſimplicibus Sacerdotibus illa ætate non agnoſcebat Eccleſia, tum ex continuatione ejuſdem epiſtolæ, in qua, quos prius dixerat natu majores, & ſeniores, Epiſcopos vocat inquiens: *Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Epiſcopis, qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt.*

69. Objicit XIII. Authoritatem Euſebii, qui lib. 6. c. 8. narrat Theoctiſtum Cæſareæ, & Alexandrum Hieroſolymorum Epiſcopos Origenem Presbyterum ordinaſſe, quod eundem ſupremo honore dignum exiſtimaverint; Presbyteratus igitur ſupremus in Eccleſia honor tum putabatur.

70. Reſp. I. quod hi Epiſcopi ex verbis Euſebii Origenem Epiſcopatu dignum exiſtimare potuerant, & interim Presbyterum duntaxat conſecrare.

71. Reſp. II. Si Presbyteratum ab Euſebio loco cit. ſupremum honoris apicem vocatum demus, ita nuncupatum comparate ad inferiores gradus, non vero abſolute reſpondebimus. Nam cap. 27. ſcribit hos duos Epiſcopos ſoli Origeni interpretationem S. Scripturæ, ac reliquum omne Catholicæ Doctrinæ officium permiſiſſe; ergo in hoc ab illis dependebat. Sed quid jactat Blondellus Hiſtoriographi verbulum unum, qui imbre telorum ſuam ſententiam obruit, dum in ſua hiſtoria id fere ſacrum habet, ut ſingularium Epiſcoporum ſucceſſiones ab Apoſtolicis temporibus

in Ec-

in Eccleſiis Orbis Chriſtiani nobiliſſimis Romana, Alexandrina, Antiochena, Jeroſolymitana quam accuratiſſime recenſeat?

72. Objicit XIV. Authoritatem S. Hilarii in Pſ. 134. ubi exponens v. 19. & 20. in Aaron Sacerdotes ſignificari, in Levi autem Miniſtros, id eſt Diaconos oſtendi, inquit S. Pater; quo loco ſubdit in peroiciem ſuam ingenioſus Blondellus; Non ignorabat S. Hilarius uſu longo confirmatam Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentiam, ſed intento in primitivam ſub Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris, ſeu Apoſtolorum Diſcipulis formam oculo, conſuetum Eccleſiarum morem prætervectus, duo tantum in Clero Capitum genera recenſuit, Sacerdotum, & Miniſtrorum.

73. Reſp. S. Hilarium Sacerdotum nomine Epiſcopos præcipue hoc loco intellexiſſe, Presbyteris ex divina inſtitutione ſuperiores, ex eo patet, quod dicti ſui rationem reddat: *Sacerdos enim in lege primus fuit Aaron, & exinde in ſucceſſione ejus Sacerdotum honor manſit.* Aaron autem fuit Summus Pontifex. Sed nil luculentius ad Hilarii mentem explicandam referri poteſt iis, quæ ſcripſit initio libri 7. de Trinit. ubi & formam conſtituendi Epiſcopi ab Apoſtolo traditam docet, & Epiſcopum Eccleſiæ Principem vocat iis verbis: *ſed perfectum Eccleſiæ Principem maximarum virtutum bonis inſtruit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.*

74. Objicit XV. authoritatem S. Baſilii M. commentario in cap. 4. Iſaiæ, ex cujus ſententia, inquit Blondellus, quæcunque de Epiſcopis verba fecit Paulus, de Presbyteris debent intelligi. Quod confirmat ex ejuſdem moralium regula 71. cujus capiti primo, congeſtis in acervum Pauli de miniſtrorum ſacrorum officio locis, ſequentem titulum inſcribit: *Quæcunque de Epiſcopis & Presbyteris conjunctim dicta ſunt.*

75. Reſp. ex his Baſilii M. verbis tantum recte colligi, ipſum exiſtimaſſe, dicta S. Pauli de Epiſcopis etiam ad Presbyteros pertinere, quia eandem a vitiis & pravis cupiditatibus immunitatem, eaſdemque virtutes poſtulat utrinſque Sacerdotii gradus; non vero quod unus illorum ordo, & par dignitas eſſet.

76. Objicit XVI. Authoritatem Commentatoris in epiſtol. S. Pauli, qui inter opera S. Ambroſii legitur, quemque Hilarium Sardum Romanæ Eccleſiæ Diaconum eruditi vulgo exiſtimant, atque Ambroſiaſtrum vocitant. Is autem in cap. 4. ep. ad Eph. hæc habet: *Non per omnia conveniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt; omnia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum Presbyterum a ſe creatum, Epiſcopum vocat, quia primum Presbyteri Epiſcopi appellabantur, ut recedente uno, ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus: ſed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio proſpiciente Concilio: ut non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum judicio conſtitutum.* Apoſtolicis igitur temporibus primatus, non nova inauguratione, aut electione, ſed ſola ordinationis antiquitate deferebatur; ita ut mortuo antiquiore, ſequens ei ſuccederet, ac Epiſcopus diceretur.

77. Reſp. N. conſequentiam, quæ ex allata authoritate non colligitur; non enim is eſt hujus authoris ſenſus, quem ipſi Salmaſius, & Blondellus affingunt. Sed ſic eſt intelligendus, ut ex ſolo Presbyterorum ordine primum Epiſcopos Alexandriæ creatos eſſe dixerit. Hoc eſt enim uno recedente, atque e medio ſublato, ſequentem, id eſt alterum quemcunque, & non ſeniorem ſecundum ejuſdem ordinis ſucceſſiſſe: ſequens igitur hoc in loco idem eſt, atque alter. Itaque ex Presbyterorum ordine ac cœtu creabatur Alexandriæ Epiſcopus, & ab ipſiſmet Alexandrinis Presbyteris eligebatur, (hoc lib. tit. 6. N. 8.) tunque ordo, non meritum creabat Epiſcopum, ad intentum Ambroſiaſtri. Quapropter immutata eſt hujus diſciplinæ ratio proſpiciente Concilio, (quod Nicænum intelligit, atque ad ejus canonem 4. alludit, in quo præcipitur, ut a Comprovincialibus Epiſcopis eligatur Epiſcopus: ibi N. 9.) ut non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum; hoc eſt ut non ex ſolo Presbyterorum ordine neceſſario ſit eligendus Epiſcopus, ſed etiam ex alio, nec a ſolis Presbyteris, ſed etiam ab aliis. Et conformiter ad hunc canonem quinque poſt Concilium Nicænum menſibus in Epiſcopum Alexandrinum electus eſt S. Athanaſius Diaconus.

78. Inſtat I. Blondellus ex ejuſdem Ambroſiaſtri verbis in 1. ad Timoth. c. 3. dicentis. *Poſt Epiſcopum, Diaconi Ordinationem ſubjicit. Quare, niſi quia Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt? uterque enim Sacerdos eſt. Sed Epiſcopus primus eſt, ut omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non omnis Presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat, ſed quia ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat.* Ex quibus nullam aliam differentiam Apoſtolicis temporibus inter Presbyterum & Epiſcopum agnitam fuiſſe contendit Blondellus, quam prioritatem ordinationis.

79. Reſp. Ambroſiaſtrum, dum dicit, Epiſcopi & Presbyteri una ordinatio eſt, intelligendum eſſe quantum ad characterem ſacerdotalem, ſeu in ordine ad conficiendam Euchariſtiam, non vero quantum ad omnia, quia dicit, non omnis Presbyter Epiſcopus eſt. Similiter dum illum nuncupat Epiſcopum, qui inter Epiſcopos primus eſt, non intelligit primum antiquitate ordinationis, ſed Dignitate & Poteſtate, & ſic explicandum venit exemplum petitum ex ordinatione Timothei. Et hunc ſenſum habere authorem in hoc commentario produnt illa, quæ mox ſubdit: *unde & quemadmodum Epiſcopum ordinet, oſtendit; neque enim fas erat, aut licebat, ut inferior ordinaret majorem. Nemo enim tribuit quod non accepit.* Solus ergo Epiſcopus ordinandi poteſtatem ex mente authoris accepit.

80. Inſtat II. ex Authore qq. Veteris & Novi Teſtamenti inter opera S. Auguſtini, quem eſſe eundem Hilarium Sardum non male auguratur. Is igitur q. tot. eodem tenore loquitur, quo inſtantis prima ſcripſit fortaſſis idem in 1. ad Timoth. & addit: *quod in Alexandria & per totam Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſecrat, id eſt, confirmat Presbyter.* Robur dictis conciliare nititur ex eodem authore quæſt. 46. ubi ait: *Sacerdotis vicem agere non poteſt, qui non eſt Sacerdos: adeoque non Epiſcopus Epiſcopi vicem agere nequaquam poterit:* at (ex hypotheſi) Presbyter apud Ægyptios vicem Epiſcopi egit, ergo (ex hypotheſi eadem) Presbyter apud Ægyptios Epiſcopus fuit.

81. Reſp. laudatum Authorem loco citato nil minus ſcribere, quam quod ipſi Blondellus affingit. Nec Epiſcopos Presbyteris coæquat in Sacerdotii gradu, ſed in Sacerdotio præciſe; ratione cujus Epiſcopus & Presbyter eaſdem functiones exercent, & Epiſcopus a Presbytero non differt in hac præciſe formalitate, niſi quod primus Presbyter eſt, & Presbyteros Conſacerdotes ſuos vocat. Quia cum major Ordo intra ſe & apud ſe habeat & minorem, ut ait iſte auctor, Epiſcopus Presbyteri ordinem continet, quamvis novæ dignitatis acceſſione cumulatum.

82. Ad

82. Ad Confirmationem reſpondetur, verum eſſe, quod non Sacerdos, ſeu non Epiſcopus non poſſit agere vicem Sacerdotis, ſeu Epiſcopi in iis, quæ ſunt propria Epiſcopalis Ordinis, & Characteris; bene vero in iis, quæ etſi ab Epiſcopis exerceantur, ſecundi tamen ordinis Sacerdotibus ratione Characteris Sacerdotalis communicari poſſunt; cujuſmodi erat adminiſtratio Sacramenti Confirmationis, quam Presbyteri Ægyptii abſentibus Epiſcopis conferebant ex Alexandrinæ Eccleſiæ diſciplina: qui tamen nunquam tum ibi, tum alibi Presbyteros vel Epiſcopos ordinaſſe leguntur. Ideo porro laudatus Authur Presbyteros ſic extollit, ut eos coæquare Epiſcopis videatur, quia Romanorum Diaconorum faſtum ſibi ſumit comprimendum, qui ſe ſupra Presbyteros efferebant. Unde ut ipſos longe inferiores eſſe Presbyteris oſtendat, iiſque ſubditos eſſe debere, Sacerdotum dignitatem cum Epiſcopali componit; quod non illubenter Diaconi Epiſcopis ſubeſſent, longeque infra Epiſcoporum Ordinem ſe poſitos faterentur. Iſta patent ex antecedentibus fragmentis & conſequentibus, quæ Natal. Alex. hic adducit.

83. Præcipuum cauſæ ſuæ præſidium ex S. Hieronymo in commentario cap. 1. ep. ad Titum petit ejuſdem Apologiſta non petitus Blondellus. Quare objiciens XVII. contendit Hieronymum L. cit. ſequentes propoſitiones adſtruxiſſe, quæ peremptorie petunt Epiſcoporum jure divino ſupra Presbyteros majoritatem. Et primo quidem, quod idem ſit Presbyter, qui Epiſcopus his verbis: *idem eſt ergo Presbyter, qui Epiſcopus*. Secundo, quod Epiſcoporum eminentia ſupra Presbyteros non fuerit ab Eccleſiæ exordiis, ſed communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernatæ fuerint, his verbis: *Antequam diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur*. Tertio, quod tandem in Schiſmatis remedium Epiſcoporum moderna eminentia conſtituta ſit, & conſequenter non a Deo, ſed ab Eccleſia his verbis: *Poſtquam vero unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos eſſe putabat, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut Schiſmatum ſemina tollerentur*. Quarto, Epiſcopos magis conſuetudine, quam diſpoſitionis divinæ veritate Presbyteris eſſe majores his verbis *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos, ita Epiſcopi noverint ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis divinæ veritate Presbyteris eſſe majores*. Hi ſunt Blondelliani Achilles, qui prima fronte terrorem videntur incutere, ſed panicum tantum, Hieronymi ſenſum & ſcopum ſimilibus in locis non intelligentibus, quemadmodum eundem Blondellus revera non intellexit. Quare

84. Reſp. ad I. Hieronymi ſenſum eſſe, apud veteres eoſdem Presbyteros fuiſſe, quos & Epiſcopos, *nomine* quidem, at non *Ordine* & dignitate; communia ſiquidem primi & ſecundi Ordinis Sacerdotibus tunc erant nomina, ut Epiſcopi vocabulo Presbyterorum, & Presbyteri vocabulo Epiſcoporum ſignificari tunc ſolerent; quin teſte eodem Hieronymo hoc in loco, idem, qua ſenior, Presbyter, & qua Eccleſiæ Superintendens, Epiſcopus; quamvis aliqua eſſet inter illos Ordinis ac dignitatis differentia. Id illa Hieronymi verba ſignificant, quæ ibi ſubjicit: *ſed quia eoſdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Epiſcopis, quaſi de Presbyteris eſt locutus*.

85. Reſp. ad II. & III. S. Hieronymum his duobus in locis tantum velle, quod non omnis ea eminentia, qua poſtea longiori intervallo Epiſcopi poſt ſe reliquerunt Presbyteros, ab Eccleſiæ exordiis, & conſequenter divinitus fuerit conſtituta, non vero, quod nec aliqua. Duplici enim ratione ſupra Presbyteros eminent Epiſcopi: nempe poteſtate interiori Ordinis, ſeu Charactere Epiſcopali, quo Presbyteros & Epiſcopos alios ordinare poſſunt, ſive Patres Eccleſiæ gignere, ut loquitur Epiphanius; ſecundo poteſtate juriſdictionis in corporis Chriſti myſtici ſeu Eccleſiæ regimine. Quoad priorem Epiſcopi fuere ſemper Superiores Presbyteris, etiam in exordiis Eccleſiæ, & antequam ſchiſmata in populis orirentur. Idque S. Hieronymus in eo ipſo, quem expendimus, loco agnovit. Veros enim proprieque vocatos Epiſcopos, etiam temporibus Apoſtolicis, non fuiſſe plures exiſtimat in una Eccleſia, cum plures fuiſſe fateatur Presbyteros. Nam eum ad probandum eundem apud Paulum eſſe Presbyterum & Epiſcopum attuliſſet locum Actor. cap. 20. ſtatim addit: *ac ne quis contentioſe in una Eccleſia plures Epiſcopos fuiſſe contendat; audi & aliud teſtimonium, in quo maniſeſtiſſime comprobatur, eundem eſſe Epiſcopum & Presbyterum*. Certe ſi S. Hieronymus Presbyteros in eodem cum Epiſcopis ordine ac gradu tum fuiſſe, & Epiſcopali charactere inſignitos exiſtimaſſet, plures in una Eccleſia Epiſcopos fuiſſe minime negaſſet; ſiquidem in una Eccleſia Presbyteros fuiſſe plures illo actorum loco edoctus fatebatur. Epiſcopos igitur a Presbyteris ordine & charactere diſtinctos, iiſque ſublimiores, etiam in Eccleſiæ incunabulis, S. Hieronymus agnovit. At quoad ſecundam illam poteſtatem, ſeu juriſdictionis, quæ in externa Eccleſiæ, & rerum ejus adminiſtratione poſita eſt, non ea fuit ab initio, quæ ſecutis temporibus Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ regebantur, & res eccleſiaſticæ adminiſtrabantur, nihilque decernebatur, niſi ex eorum ſuffragiis, & ex communi totius Senatus eccleſiaſtici ſententia, cui tamen aliquis præſidebat cum prærogativa ſuffragii, & judicandi, atque decernendi poteſtate. Sed hæc regiminis forma immutata eſt occaſione ſchiſmatum, & ad unum omnis delata ſollicitudo eſt. Et hic eſt limpidus periodi Hieronymianæ ſecundo & tertio loco allatæ, ſi præjudicatis oculis non inſpiciatur, ſenſus, nec verbum enim ibi perdit de poteſtate ordinis, ſed Presbyteros, qui tum quaſi ex æquo cum Epiſcopo gubernabant Eccleſiam, adeoque ob frequentem veritatem parœmiæ, quot capita tot ſententiæ, ſchiſmatum occaſionem dederunt, dicit ſubſelliis ſubinde motos, & Presbyterum electum, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ſeu omnem Eccleſiæ curam ad Epiſcopos translatam. Id quod, & non aliud etiam intendit, verbis continua ſerie eidem periodo ſubnexis: *Putet aliquis non ſcripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopum & Presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii: relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba dicentis*: Paulus & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis & Diaconibus — *Philippi una eſt urbs Macedoniæ. Et certe in civitate plures (ut nuncupantur) Epiſcopi eſſe non poterant. Sed eoſdem Epiſcopos illo tempore, quos & Presbyteros appellabant: propterea indifferenter de Epiſcopis quaſi de Presbyteris eſt locutus*. Iis enim liquido nil aliud vult, quam Presbyteros ea ætate non tantum Senioratus, ſed etiam juriſdictionis quaſi cumulativæ prærogativa cum Epiſcopo in regimine Eccleſiæ gavisos fuiſſe, & conſequenter in illis aliud fuiſſe

nomen

nomine ætatis, & aliud officii; officii inquam, non ordinis Epiſcopalis, tales enim plures in una civitate eſſe haud potuiſſe aperte affirmat.

86. Ad IV. Reſp. S. Hieronymum ibi tantum velle Epiſcopos quoad externam illam Eccleſiæ gubernationem, atque Juriſdictionis uſum deſpoticum magis Eccleſiæ conſuetudine, quam diſpoſitionis dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores: quia non eſt juris divini, ut ab Epiſcopo ſolo abſque Presbyterii conſiliis & ſuffragiis illud Eccleſiæ regendæ, juriſque dicundi, in Sacra Republica munus exerceatur; imo convenientius eſſe aſſerit S. Hieronymus, ut in communi Epiſcopi cum Presbyteris Eccleſiam regant: *imitantes Moyſen, qui cum haberet in poteſtate ſolus præeſſe populo Iſrael, ſeptuaginta elegit, cum quibus populum judicaret;* ex quibus verbis & exemplo efflureſcit, poteſtatem ſummam regendæ Eccleſiæ, & juriſdictionem ampliſſimam, cum in plebem Chriſti, tum in ipſum Presbyterorum, Clerique totius Collegium, Epiſcopis inſtitutione divina fuiſſe conceſſam, quamvis ad exemplum Moyſis eam cum ſecundi Ordinis Sacerdotibus communicarent. Denique hæc verba S. Hieronymi: in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, ut Schiſmatum ſemina tollerentur; Blondelli hypotheſim evertunt. Quomodo enim fieri potuit, ut id toto orbe decideretur, nullo jam concilio œcumenico ad illud decernendum congregato, ſi non ab Apoſtolis ipſis fidem toto orbe promulgantibus, & cum fide hanc regendi Eccleſias formam conſtituentibus, factum ſit?

87. Objicit XVIII. inſignem alium locum S. Hieronymi ex ep. 85. ad Evagrium, in qua ſcribit Apoſtolum diſerte docere, eoſdem eſſe Presbyteros, quos & Epiſcopos; qua propoſitione ex Act. 20. &c. ſtabilita ſubjungit: *quod autem poſtea unus electus eſt, qui cæteris præponeretur, in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſque ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* Deinde adducit exemplum Presbyterorum Alexandrinorum, de quo ſupra N. 76. quos dicit ex gremio ſuo unum elegiſſe, & Epiſcopum nominaſſe: *quomodo ſi Exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Quo ex loco habemus primo ſæculo Apoſtolorum eoſdem Presbyteros, quos & Epiſcopos fuiſſe, ſecundo in Schiſmatis remedium factum fuiſſe, ut unus ex Presbyteris electus cæteris præponeretur.

88. Sed utraque ſequela numero præcedenti ſoluta jam eſt. Hanc autem eſſe Hieronymi mentem, tum propoſitum ejus, tum verba demonſtrant; invehitur enim in quemdam nebulonem, qui Diaconos Presbyteris anteferebat. Ejus ergo vecordiam ut refellat, oſtendit Epiſcopos, de quibus Apoſtolus loquitur, fuiſſe ſecundi Ordinis Sacerdotes, adeoque ſublimiores illis, quos ibi Apoſtolus Diaconos vocat.

89. Contra eſt quod ibi S. Hieronymus dicat, Presbyteros Alexandrinos unum a ſe electum Epiſcopum nominaſſe, nulla facta mentione novæ inaugurationis; ergo Epiſcopus ille ſuis electoribus tantum jure humano fuit ſuperior. Et confirmetur exemplis Imperatoris & Archidiaconi ibi adductis, ut enim aliquis fieret Imperator, vel Archidiaconus, nulla alia inauguratione ab electione diſtincta opus fuit.

90. Reſp. Quamvis S. Hieronymus ibi nullam mentionem faciat novæ cujuſdam inaugurationis Epiſcopi, eam tamen fieri aperte ſupponit, dum ſubjungit: *quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* Ordinationum igitur Sacrarum poteſtatem Presbyteris non convenire S. Hieronymus agnovit, non tantum illis, quos ſua videbat ætate, ſed abſolute Presbyterorum nemini, etiam eorum, qui temporibus Apoſtolorum floruerunt, de quibus antea locutus eſt, ne Blondellus cavilletur. Hanc autem electione nuda accipere non poterant, ergo Epiſcopali conſecratione, qua jure divino illos eminere Presbyteris S. Hieronymus agnoſcit, dum ep. ad Evagrium ita concludit: *& ut ſciamus Traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, quod Aaron & filii ejus, atque Levitæ in templo fuerunt: hoc ſibi Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi vendicent in Eccleſia.* Quibus verbis Epiſcopos cum Aarone, Presbyteros cum ejus filiis componit. Nemo porro parem poteſtatem Aaronis, qui Pontifex maximus fuit, & filiorum, qui Sacerdotes tantum erant, fuiſſe dixerit. Quapropter neque omnimodam paritatem in electione Imperatoris, & Archidiaconi facit: ſed tantum in eo, quod ſicut olim ex corpore exercitus eligebantur Imperatores, & ex Diaconorum ſocietate eligebantur Archidiaconi, ſi tamen eligebantur (hoc lib. tit. 23. N. 7.), ita ex Presbyterorum Collegio crearentur Epiſcopi: non vero in eo, quod ſola electione, & citra ordinationem, ad hanc dignitatem promoverentur; quemadmodum probatum eſt. Et ex his reſponſionibus ſolvuntur & aliæ authoritates hiſce Hieronymianis ſimiles: nimirum auctoris commentariorum in epiſtolas S. Pauli in cap. 3. v. 1. ad Timoth. item Authoris Anonymi de 7. gradibus Eccleſiæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum. Qui uterque habetur inter opera S. Hieronymi. Item Sedulii Scoti in cap. 1. ep. ad Titum, S. Iſidori Hiſpalenſis lib. 2. de Eccl. off. c. 7. & lib. 7. Etym. c. 12. Ven. Bedæ in cap. 20. Actor. &c.

91. Objicit XIX. Authoritatem S. Auguſtini ep. 82. alias 19. ad S. Hieronymum ſcribentis: *Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ jam Eccleſiæ uſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio major ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Eccleſiæ ergo uſu, non Chriſti inſtitutione juxta Auguſtinum Epiſcopi Presbyteris majores ſunt.

92. Reſp. Cum S. Auguſtinus Aerii (Blondelli) opinionem de Epiſcoporum cum Presbyteris jure Divino æqualitate vocet erroneam (N. 36. h. t.); illum uſum Eccleſiæ recentem, vel poſt Apoſtolica tempora introductum non laudare, ſed ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, nec de nudis honoris vocabulis loqui, ſed quæ diſtinctos dignitatum ordinumve gradus in Eccleſia ſignificent, indicare velle in aprico eſt.

93. Objicit XX. Authoritatem Liberati in Breviario cap. 20. ubi ritum, quo creabatur olim Alexandrinus Epiſcopus, narrans, nullam de illius ordinatione mentionem facit; item authoritatem Eutichii Alexandrini Patriarchæ in Chronico, ſive Libro de originibus Eccleſiæ Alexandrinæ arabice conſcripto, quem latinitate donavit Seldenus; in quo habet primo, Epiſcopos Alexandrinos a Presbyteris ordum electos, verum etiam conſecratos fuiſſe; ſecundo, Eccleſias Ægypti annos ducentos abſque Epiſcoporum adminiſtratione tranſegiſſe, ab Anania ſcilicet Marci ſucceſſore ad Demetrium uſque Patriarcham, qui primus tres Epiſcopos creavit. Presbyterorum igitur & Epiſcoporum nullum fuit toto illo intervallo temporis in Ægypto diſcrimen.

94. Reſp. ad I. Liberatum ibi ſolum notare cæremoniam ſingularem Alexandrinæ Eccleſiæ, quam retulimus hoc lib. tit. 8. N. 10. de ordinatione vero, quæ cum Alexandriæ, tum in cæteris Eccleſiis adhibebatur, nihil dicere, quia neceſſe non erat ad illud Hiſtoriæ corpus, quod

ibi

ibi daſcribit, fideliter tractandom: & altonde ntmini notiſſimum non erat, Presbyterum, niſi nova ab Epiſcopis inauguratione fieri. Argumanntum igitur iſtud negativum, & coonſtquenter infirmum eſt.

95. Quod vero Eutichium attinet, Sæculi IX. adulti autborem, nulla ipſi edbibenda his in rebus aſt fidea, cum apeite falſitatis convincatur Hiſtoricus ineptus, oſcitans, & rei geſtæ tot ſæculis poſterior. Imprimis enim falſum eſt, Patriarcham Alexandrioum fuiſſe a Presbyteris conſecratum, quod evincitur ex S. Hieronymo, qui Alexandrinæ Eccleſiæ morem in creando Epiſcopo, quem optime perſpectum hebuit, utpote Ægyptum ſæpe adiens, referendo, ait: *Quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat*; falſum item eſt, quod habet idem Eutychius, eb Anania uſque ad tempora Demetrii Patriarchæ nullos fuiſſe in Provinciis Ægypti Epiſcopos; uti ex ep. Adriani Imp. ad Servianum Conſulem, ex antiquo vitæ S. Merci Authora, ex Athanaſio Apol. a. aliiſque monumentis demonſtrat Nat. Alex. hic.

96. Objicit XXI. Autboritatem canonum Africanorum, in quibus Presbyteri Epiſcoporum Compresbyteri, Comminiſtri, Collegæ, & Fratres vocantur. Sic enim habet Synodi Carth. IV. canon 34. *ut Epiſcopus qualibet loco ſedens ſtare Presbyterum non patiatur*; & canon 35. *ut Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum collegam ſe Presbyterorum eſſe agnoſcat*; ſive ut ante annos plus minus 900. Egbertus Eboracenſis cap. 27. legit; *ut Epiſcopus in Eccleſia* conſenſu Presbyterorum *ſublimior ſedeat*. Presbyteri argo pares judicati ſunt Epiſcopis.

97. Reſp. Presbyteros eb antiquis tum Epiſcopis, tum Conciliis Collegas & Fratres vocatos non propter omnimodam, quæ inter ipſos intercedat, æqualitatem: ſed quod in Presbyteratu pares ſint, & æqualem habeant Euchariſtiæ conficiendæ, & peccatorum remittendorum poteſtatem. Quam ob eauſem Presbyteros vi canonis allati honorifice excipere debet Epiſcopus, nec pati, ut coram ſe ſtent unquam. Cæterum eos ordinatione & juriſdictione Superiores Presbyteris agnoſcit Synodus Carth. dum canone 36. decernit: *ut diſcordantes Clericos ratione vel poteſtate Epiſcopus ad concordiam trahat*: can. 59. authoritatem *excommunicandi* accuſatoris fratrum tribuit. Et Concilium Carth. III. can. 45. poteſtatem *ordinandi* in ipſis agnoſcit. Perperam itaque Blondellus Africenorum autboritate canonum ſyſtema ſuum propugnara conatur. Sed & Egberti authoritas non urget; nam vel ipſe, vel imperitus aliquis canonum ab eo excerptorum ſcriba canonem Africanum intarpolavit. Cum can. 23. 49. 96. & 97. Epiſcoporum ſupra Presbyteros ordine & juriſdictione majoritatem aperta profiteetur.

98. Oppugnat III. Catholicam noſtram veritatem Blondellus ex ratione, atque objicit XXII. Quilibet Presbyter poteſtatem habea Diaconos, & Presbyteros ordinandi, ergo Presbyter eſt idem quod Epiſcopus. Antecedens probat exemplo Novati, qui cum S. Cypriani Presbyter eſſet, Feliciſſimum ſatellitem ſuum, illo *non ſciente, nec permittente, ſua factione & ambitione Diaconum conſtituit*, ipſo teſte ep. 49. nullas tamen violatorum per illegitimam ordinationem canonum pœnas dedit, ipſo itidem teſte ep. 6. ad Clerum. Qui ep. 38. & 40. a Feliciſſimo ebſtinendum cenſet ob *male* adminiſtratum, non ob *illegitime* ſuſceptum Diaconatum. Igitur Diaconatum a Presbytero collatum ratum cenſuit.

99. Reſp. N. A. ad ejus prob. reſp. 1. Ex hoc S. Cypriani loco non haberi, quod Novatus Diaconum ordinaverit Feliciſſimum, ſed ſolum, quod factione ſua & ambitione ipſum ordinari, & conſtitui curaverit, ab Evariſto forſan Epiſcopo, qui Novati Schiſmaticæ factioni ſe adjunxerat. Porro ita intelligendum eſſe S. Cyprianum ex eo probatur, quod eodem modo dicat Epiſcopum Romæ conſtitutum fuiſſe a Novato, quo dicit conſtitutum ab eo Diaconum Carthagine Feliciſſimum. *Qui iſtic adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit*. Certum autem eſt, Novatum Epiſcopum non feciſſe, ipſum per ſe ordinando, ſed ut ab Epiſcopis deceptis & ebriis ordinaretur, & Cornelio Antipapa opponeretur, Schiſmatica factione efficiendo.

100. Reſp. II. Tranſmiſſo facto Novati, contra Catholicam veritatem nihil concludi; cum non probetur S. Cyprianum illam ordinationem præſumptitiam ratam uſquam habuiſſe, imo conſtet, adverſus Eccleſiam factam pronuntiaſſe. Cum autem de Novato honorifice locutos eſt, nondum Schiſma fecerat, ut finxit Blondellus, nec Feliciſſimum Diaconum conſtituerat.

101. Objicit XXIII. exemplum ex Philoſtorgii Eclogis depromptum lib. 2. c. 5. ubi ſcribit: *Clericos captivos ex Aſia, Galatia, & Cappadocia Eccleſias Gothicas fundaſſe, & per annos fere 70. quo Uphilas primus ab Euſebio Nicomedienſi ordinatus ex illis eſt Epiſcopus, adminiſtraſſe*; ex quo colligit, penes illos Presbyteros univerſam ordinationum, & juriſdictionis Epiſcopalis poteſtatem manſiſſe.

102. Reſp. N. C. Etenim licet Eccleſiæ a Presbyteris fundari poſſint, converſione gentium, ſimul & in defectu Epiſcoporum adminiſtrari diſpenſatione verbi Dei, & Sacramentorum, Inde inferre haud licet, ejuſmodi Presbyteros eſſe Epiſcopos. Alias Miſſionarii Japoniæ, Sinarum &c. Presbyteri, qui idem præſtiterunt, & præſtant, fuiſſent, & eſſent veri Epiſcopi. Falſum inſuper eſt, quod Uphila primus fuerit Gothorum Epiſcopus, nam Theophilum illius gentis Epiſcopum Nicæno Concilio præſentem ſubſcripſiſſe teſtatur Socrates lib. 2. c. 41. cujus Succeſſorem ibi dicit Uphilam. Nulla igitur Philoſtorgio fides, qui legationem Uphilæ, cujus occaſione Epiſcopus conſtitutus fuerat, ad tempora Conſtantini refert, quam Socrates lib. 4. c. 33. Sozomenus, & Theodoretus ſub Valente contigiſſe narrent.

103. Objicit XXIV. S. Baſilium, qui ep. 66. ſcribit, relegatis An. 370. Valentis decreto Orthodoxorum Præſulibus, Flavianum & Diodorum Presbyteros curam ſuſcepiſſe, & ubicunque neceſſe fuit, novis viduatas Eccleſias Epiſcopis regendas commiſiſſe. Presbyteri ergo Epiſcopos conſtituerunt. Præterea ex Socrate lib. 4. c. 13. eruitur, Evagrium Conſtantinopolitanum Epiſcopum ordinatum fuiſſe ab Euſtathio; hic autem ex ipſa Chronologia non poteſt eſſe Euſtathius Antiochiæ olim Epiſcopus, ut putat Socrates, cum tum jam obierit; debuit ergo eſſe Euſtathius Conſtantinopolitanus Presbyter, de quo ſcribit S. Hieronymus.

104. Reſp. ad arg. Negando illationem. Conſtituebant equidem illa tempeſtate Presbyteri & fideles Epiſcopos viduatis Eccleſiis (id quod & Epiph. hæreſi 73. docet) eos eligendo, & orthodoxis Antiſtitibus offerendo inaugurandos: nequaquam vero ipſos conſecrabant, aut abſque conſecratione regimini Eccleſiæ admovebant. Quod vel ex unica S. Euſebii Samoſatenſis Epiſcopi hiſtoria manifeſtum fit, qui teſte Theodoreto lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 13. in veſte militari Aſiam peragrabat, Presbyteros, & Diaconos conſecrando, & Epiſcopos Eccleſiis præficiendo, quod in Sy-

ſtem-

ſtemate Blondelliano neceſſe non fuiſſet.

Ad Confirmationem, quamvis alium ab Antiocheno Evagrii Ordinatorem Euſtathium quærendum eſſe fateamur cum Blondello, negamus tamen hunc eſſe Euſtathium Presbyterum Conſtantinopolitanum, quem nec tum ſuperſtitem fuiſſe certum eſt; cum relati Authores illum Epiſcopum fuiſſe aperte teſtentur. Nec etiam Blondellus ex Caſſiano collat. 4. c. 1. extundit Paphnutium Presbyterum, Danielem Monachum Diaconum primum, dehinc Presbyterum ordinaſſe; intelligendus enim eſt Caſſianus, ut Paphnutius Danielem Epiſcopis obtulerit, & recommendaverit, ut ei ſacros ordines conferrent. Nec Synodi Arauſicanæ. I. A. 441. celebratæ Canon 30. docet, quod ea, quæ Epiſcopis erant propria, tum per Presbyteros obiri potuiſſe, quia intelligendus tantum eſt quoad munia aliqua, non autem omnia, hoc eſt illa tantum, quæ ſacris Canonibus Epiſcopis erant reſervata, non vero quæ jure divino; ſed quæcunque fuerint functiones illæ, quas Epiſcopi infirmi Presbyteris exercendas imponebant, abuſus manifeſtus fuit illa impoſitio, ſeu permiſſio, quam proinde Arauſicanæ Synodi Patres prohibuerunt, ac damnarunt. Sic enim ſonat Canon: *ut ſi quis Epiſcopus per infirmitatem, debilitatemque aliquam, aut in hebetudinem ſenſus inciderit, aut officium oris amiſerit, ea, quæ nonniſi* per Epiſcopos *geruntur, non ſub præſentia ſua Presbyteros agere permittat, ſed Epiſcopum evocet, & quod in Eccleſia agendum fuerit, imponat.*

105. Objicit XXV. Hiſtoriam Catonis Presbyteri, qui Sæculo VI. poſt obitum Galli Arvernorum Epiſcopi a Clericis poſtulatus Epiſcopus, abſque conſecratione, & ordinatione Epiſcopalia munia obivit, Presbyteralem inaugurationem ſibi ſufficere perſuaſus. Et quamvis certus quidam Cautinus ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus juſſu Regis Arvernenſi Eccleſiæ Præfectus fuerit, nihiloſecius Cato ſe pro Epiſcopo geſſit, ipſique pars maxima Clericorum parebat. Quin, cum diem ultimum obiiſſet Guntharios Turonenſium Epiſcopus, Cato Presbyter ad illius Eccleſiæ præfecturam, ſuggerente Cautino, præcipiente Rege, poſtulatus eſt. Ille vero Arvernorum ſedem Turonenſi Epiſcopatui prępoſuit, quemadmodum ad longum narrat S. Greg. Turonenſis lib. 4. hiſt. Francorum c. 5. 6. 7. 11. & 15. Ex quibus ſibi perſuadet Blondellus, Gallicanam Eccleſiam illo Sæculo ſibi minime perſuaſiſſe, Epiſcopos jure divino Presbyteris eminere. Nam ſi contrarium credidiſſet Cato, vir antiqui juris ex longo rerum uſu callentiſſimus, quid inſanius, imo petulantius facere potuiſſet, quam Epiſcopos (qui videntes eum a Clero, populoque electum, ut ibi narrat Gregorius, eidem conſecrationem offerebant) abigere, atque Epiſcopalia munia eum Epiſcopatu prenſare? Et ſecundo, ſi Pontifices ipſi Galli hanc Epiſcoporum majoritatem jure divino media conſecratione deſcendere autumaſſent, quomodo factum, ut Cautinus Catonis æmulus, nullius Divini juris violati, conculcatorum canonum, proditæ Pontificum dignitatis pœnas ab adverſario repoſceret, ſed mutata in contrarium velificatione Catonem non modo indemnem præſtare conaretur, verum etiam oblato Turonenſium throno ad inſperatos honores invitaret? quomodo denique Epiſcopi Provinciales, quorum maxime intererat, ne quid res Eccleſiaſtica detrimenti pateretur, providere, Catoni nec reſtiterunt coram, nec violatum ab eo jus divinum, ſacroſque Canones queſti, quin totos 20. annos ad Clavum ſedentem cum Cautino a Collegis ordinato luctari paſſi ſunt?

105. Reſp. Nego Blondelli hypotheſim, quod ſcilicet abſque nova conſecratione & ordinatione Epiſcopalia munia obiverit Cato, & quod eam minime neceſſariam divino jure Gallicana exiſtimaverit Eccleſia. Nihil enim hujusmodi ex Gregorii Turonenſis hiſtoria extundi poteſt. Nam 1. ſcribit S. Pater, Catonem poſt Cleri electionem Eccleſiæ bona in ſuam poteſtatem redegiſſe, *tanquam ſi jam eſſet Epiſcopus*. Non igitur ſola Clericorum electio ſine conſecratione fecerat Epiſcopum. 2. Epiſcopos, qui S. Gallo juſta perſolverant, *Catoni* Presbytero *dixiſſe*, *Veni conſenti nobis, ut benedicentes conſecremus te ad Epiſcopatum!* Itaque conſecrationem neceſſariam judicabant, ut ex Presbytero quia fiat Epiſcopus. Epiſcopis valere juſſis, ait Cato; *nam ego canonice aſſumpturus ſum hunc honorem*. Quiſnam autem Canonicos illum honorem aſſumendi modus præter ordinationem? ut tota Gregorii teſtatur hiſtoria. Id tamen non fecit; ſed *deſignatus* tantum, non item *ordinatus* Epiſcopus, conctis quidem præerat, imo intentabat minas, ſed *uſurpata* non *legitima* poteſtare. Nullam tamen ſacrarum functionum, puta Confirmationis, Ordinationis, aut Conſecrationis Chriſmatis confeciſſe legitur. Imo ipſum non ſe geſſiſſe pro Epiſcopo, colligitur ex verbis, quibus ipſum Cautinus Archidiaconus compellavit, referente Gregorio: *Ego ad Regem pergam & Epiſcopatum tibi obtinebo, nihil petens, niſi ut promerear gratiam tuam*. Nondum igitur erat, nec agnoſcebatur Epiſcopus. Perlatum eſt interim nuntium ad Regem de morte S. Galli Arvernenſium Præſulis, quod ille inaudiens Cautinum per Epiſcopos Arvernenſium Antiſtitem ordinari curavit. Quo in loco S. Gregorius Catonem ſemper *Presbyterum*, quia nimirum necdum ordinatus fuerat, Cautinum vero Epiſcopum vocat; dumque pergit narrare, Clericorum partem a Cautino avulſam Catoni adhæſiſſe, dirumque Schiſma conflatum fuiſſe, Catonem ſemper *Presbyterum* rebellem, ſuaſu grandium Cautino *Epiſcopo* ſubdi nolentem, appellat. Qui tandem pœnas ſuperbiæ ſuæ dans, dum reſpuit ordinari Epiſcopus Turonis, & tandem peteret ordinari Arvernis, ac hoc ipſi a Rege denegato, in prius rejecta Cathedra Turonenſi, utriuſque Cathedræ ſpe excidit, perpetuo a Rege & aliis appellatus *Presbyter*. Et hoc quantum ad primam illationem; quantum ad alteram, incredibile videri non debet, quod Gallicani Epiſcopi Catonis, non quidem Pontificalia munia obeuntis, ut fingit Blondellus, ſed impotenti ambitione (quam larva Sanctitatis inſignis hypocrita coloravit) ad Epiſcopatum inhiantis, & adverſus proprium conſpirantis Epiſcopum, nimirum Cautinum, ſuperbiam & inſolentiam non compreſſerint, & quod Cautinus nullas ab eo violatorum canonum pœnas exegerit; nam Cautinus eum metuebat, ut qui ſpecie ſanctitatis magnam ſui famam excitaſſet, ac factionem haberet Arvernis. Epiſcoporum vero in Gallia tum ſumma fuit ignavia, & vix ullum erga diſciplinam Eccleſiaſticam ſtudium. Enim vero, ſi quæ in ipſis fuiſſet Pontificalis animi ad malum ex Eccleſia auferendum fortitudo, non modo Catonem ad Officium revocaſſent, ſed totam Canonum ſeveritatem in Cautinum ipſum diſtrinxiſſent, Judæis deditum, ac ſubditum, ebrioſum, avarum &c. quemadmodum illum LL. cit. atro carbone depingit Gregorius.

107. Objicit XXVI. hiſtoriam S. Brictii apud Greg. Turonenſem lib. 2. hiſt. Francor. c. 1. ex qua infert Blondellus ipſi ſtupri inſimulato, ac Sede Turonenſi pulſo, alios duos Epiſcopos ſubſtitutos fuiſſe, nulla mentione facta vel totius Lugdunenſis tertiæ, vel vicinarum Diæceſeon Synodi coactæ, aut Epiſcoporum vicinorum, qui eos conſecrarent, convocationis; ſoli ergo Tu-

ronen-

ronenſes ipſos electione nuda Epiſcopos ſeceruot.

108. Reſp. argumeotum hoc negativum nibil probare. Eſto enim hujuſmodi ordinationis non meminerit S. Gregorius, nam tameo contigiſſe ex eo conſtat, quod lib. 10. c. 31. Juſtinianum, qui primus in locum S. Brictii a Turonenſibus electus fuerat, ſcribat *ordinatum*. *Expulſo eo* (Brictio), ioquieos, *Juſtinianum Epiſcopum ordinaverunt*.

109. Objicit XXVII. Blondellus formulam Epiſcopalis cooſecrationis, quæ in Concilio Carthaginenſi IV. Can. 2. & in Sacramentario S. Gregorii legirur ſub hoc tenore: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem, & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant. Hoc facto, accipiat paenam cum oblatis, & calicem cum vino, & det ei dicens: Accipe poteſtatem afferre Sacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Ex qua infert, eandem Epiſcopi & Presbyteri eſſe ordinationem ex ritu antiquæ Eccleſiæ, novas duntaxat cæremonias, & conſequenter æqualem utriuſque Ordinem & poteſtatem.

110. Reſp. Blondellum hac in objectione duo hiſtoriæ capita graviter impingere; neque enim in Canone 2. Concilii Carth. 4. apud Coletum tomo 2. Collect. Concil. quæ eſt ultima & accuratiſſima col. 1437. nec in Sacramentario Gregoriano edit. Muratoriæ de An. 1748. col. 439. habentur ea, quæ de traditione Calicis & patenæ in ordinatione Epiſcopi ab eo referuntur, nec in ordioatione Presbyteri traditio horum inſtrumentorum juxta idem Sacrameotarium col. 429. tamquam ad ſubſtantiam conſecrationis pertinens adhibetur, ſed ut aliquid Ordinationem conſequens, ut ex antecedentibus ibi, atque ex dictis hoc lib. tit. 11. N. 16. 19. aperte conſtat. Et Orationes pro conſecratione Presbyteri & Epiſcopi in dicto Sacramentario omnino ſunt diverſæ. Peſſimam proinde Blondellus infert conſequentiam. Et certe ſi eadem eſſet Ordinatio Presbyteri & Epiſcopi, idem ordo & poteſtas juxta Concilium Carth. 4. & Sacramentarium Gregorii M. ſtulte omnino Concilium Carth. utriuſque conſecrationem diverſis Canonibus, nimirum 3. & 4. diverſiſque ritibus peragi ſaoxiſſet; ſtulte Gregorius M. in Sacramentario ſuo veſtigia hujus Concilii preſſiſſet. Coincidit fere Reſponſio Nat. Alexandri ad hanc Blondelli objectionem. In hoc autem eidetur hallucinari, neſcio unde deceptus egregius Authur, quod aſſerat illam inſtrumentorum traditionem cum ſolemni formula *accipe poteſtatem &c.* in Sacramentario Gregorii legi *non quidem in ordinatione Presbyteri, ſed Epiſcopi*; cum in noviſſima Muratorii editione (quam accuratam judico) non in ordinatione Epiſcopi, ſed Presbyteri pag. 429. exſtet. Actum itaque egit, dum Blondello, qui æque deceptus putabat in Concilio Carth. 4. & Sacramentario Gregorii pro Ordinatione Epiſcopi præſcribi traditiooem calicis & patenæ ſub relata formula, qualiter nunc adhibetur in conſecratione ſimplicis Presbyteri, inde intulit, utriuſque eandem eſſe Ordinationem, ordinem, & poteſtatem, reſpondit, eam formulam ideo eſſe uſurpatam, *non quod alia poteſtas hac inauguratione Epiſcopo non conferatur, quam Presbytero; ſed quod Sacrificium primum conveniat Epiſcopo, deinde Presbytero*; cum conſequentia Blondelli ſeipſa concidat, eo quod falſo ſupponat, & hanc formulam cum dicta inſtrumentorum extraditione in Concilio Carth. Sæculo IV. pro conſecratione Epiſcopi fuiſſe traditam, & quod poſt Concilium Carth. (in quo nec pro Conſecratiooe Presbyteri adhibita fuit Tit. 11. N. 16.) io Sacramentario Greg. Sæculo VI. tamquam ad ſubſtantiam ordinationis Presbyterialis (ut nunc probabiliſſime) pertinens fuerit præſcripta (ibi N. 19.); utrumque enim falſum eſſe ex ipſis fontibus ab adverſario citatis demooſtravimus.

111. Objicit XXVIII. Hiſtoriam Eccleſiæ Scotorum, de qua ſcribit Joannes Fordonus Scot. Chron. lib. 3. c. 8. *Ante Palladii adventum habebant Scoti fidei Doctores, ac Sacramentorum miniſtratores Presbyteros ſolummodo, vel Monachos, ritum ſequentes primitivæ Eccleſiæ*. Hi teſte Hectore Boetio Scotor. hiſt. lib. 6. fol. 92. vocabantur Presbyteri & Monachi Colroces Dei, idque nomen adeo apud vulgus invaluit, ut Sacerdotes omnes ad ipſius fere tempora vocari ſint Culdei, Colidei, aut Keldei. Ex his ergo Culdeis, reſte eodem lib. 7. fol. 128. a Victoris Papæ I. A. 197. temporibus uſque ad A. 430. quo primum a Cœleſtioo urbis Pontifice ordinatus eſt Palladius, ex populi ſuffragiis Pootifices aſſumebantur.

112. Reſp. ex eo, quod Scoti a Presbyteris ad fidem converſi, & in ea dio conſervati fuerint, non ſequi Presbyteros æquales eſſe Epiſcopis (eandem enim ſortem ultimis his ſæculis etiam nactæ ſunt Indiæ tum Occideotales, tum Orientales), cum neque ex auctoribus, quos laudat Blondellus, neque ex aliis mooumentis eruá poſſit, Culdeos hoſce ordinationes ſacras non celebraſſe. Nec ex Hectore Boetio haberur, Scotos uſque ad Cœleſtini I. tempora nullos Epiſcopos habuiſſe, ſed quod ex Culdeis & Mooachis ſibi eligerent Pontificem, qui ad vicinarum Eccleſiarum Epiſcopos cooſecrandus procul dubio mittebatur: Palladium autem primum fuiſſe, qui contra priſcum morem aliunde, quam ex Culdeorum collegio aſſumptus eſt.

113. Objicit XXIX. Eccleſiæ Britannicæ hiſtoriam nimirum ex Beda lib. 3. c. 3. 17. 21. 24. 25. & 26. Ex quibus probat, Bedam narrare circa A. 634. (poſt quem non diu natus eſt, A. ſcil. 673.) feliciter ducta ab Hyenſibus Presbyteris, ſeu Monachis ex ioſula Scotica Hy, propagine fidei Chriſtianæ in Angliam, atque fundata per Nordhumbriam, Middelangliam, Merciam, & Eaſtangliam ex parte, Eccleſia, a majoribus natu, Cooventu Seniorum, Monachorum, cui Segenius Abbas, & Presbyter præſoit, collegio, Aidanum, Finanum, Colmanum, Tudam miſſos, deſtinatos, ordinatos, accepto Epiſcopatus gradu, per annos continuo 30. Lindisfarnenſem Eccleſiam rexiſſe. II. Middelangles Diunam a Finano præfectum, poſtea Ceollach, & Trumhere ab Hyenſibus conſecratos, Succeſſores habuiſſe. III. Eaſtanglos Cedda a Finano conſecrati fidei commiſſos. IV. In finitimis Provinciis & vicina Gallia Epiſcopos non defuiſſe, qui rudibus populis Antiſtites conſecrarent. Hoc tamen non obſtante V. tota libertate uſos reges, populoſque ad fidem recens converſos, Scotos Presbyteros vicinis quibuſcunque Præſulibus antetuliſſe. Prima Blondelli ex hiſtoria Bedæ illatio. VI. Qui Scotos Presbyteros ultra ſortem propriam provectos vel ſecum muſſitaret, repertum neminem: quod vel invitis extorqueat, nondum Bedæ ætate natos, qui ademptam jure divino Presbyteris ordinationum, aliarumque Epiſcopis reſervatarum functionum poteſtatem ſomniarent. Secunda Blondelli ex eadem hiſtoria ſequela.

114. Reſp. Scotus, a quibus nominati a Beda ordinati ſunt Epiſcopi, Presbyteros meros non fuiſſe, ſed Epiſcopos; quamvis ex Hyenſibus monaſteriis plerique aſſumpti eſſent. Nam

Epi-

Epiſcopos in Scotia fuiſſe conſtat ex ep. Laurentii, Melliti, & Juſti, qui a S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo Sæculi VI. fine, vel VII. initio fuerant ordinati Epiſcopi, ad Scotos, quæ ſic inſcribitur: *Dominis chariſſimis fratribus, Epiſcopis, vel Abbatibus per univerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus & Juſtus Epiſcopi, ſervi ſervorum Dei*. Eandem veritatem probat Natalis Alex. hic ex epiſt. Joannis IV. Rom. Pontificis *ad Epiſcopos Scotos* Thomianum, Columbanum, Chromanum, Dimanum, & Bathanum, itam Presbyteros Chromanum, Hermanum, Lauſtranum &c. Sæculo VII., de quo currit Blondelli objectio data, in qua Presbyteros ab Epiſcopis aperte diſtinguit. Qui ibi ex eodem Beda tam amplum Hyberniæ, quæ a Scotis tum incolebatur, itemque Angliæ Antiſtitum, a quibus Epiſcopi Scoti ordinari poterant, catalogum texit, ut Blondello vel invito extorqueat, Bedæ ætate non tantum natos, ſed adultos fuiſſe, qui Epiſcopos non tantum a Presbyteris diſtinctos, verum etiam *ordine & juriſdictione majores* non tantum ſomniarent, ſed hiſce viderent.

115. Objectio poſtrema Blondelli petitur ex S. Hilario Arelatenſi in vita S. Honorati ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopi, ubi de eo ita ſcribit: *Apparuit illic*, nempe in Lirinenſi inſula, *Presbyter non duplici tantum, ſed multiplici honore digniſſimus, catam qua nullam Sacerdotii diſtantiam, nullum nominis privilegium Epiſcopatus agnoſceret. Nemo unquam Epiſcoporum ſibi tantum uſurpavit, ut ſe Presbyteri illius collegam computaret*. Ex quo colligit: inter Presbyteros & Epiſcopos nullam, ſi jus divinum ſpectes, realem, ſed nominalem tantum Sacerdotii diſtantiam intercedere, Epiſcopatum merum nominis privilegium eſſe, ſoloque nomine augeri, qui humano inſtituto ex Presbytero in Epiſcopum creſcit.

116. Reſp. falſas eſſe Blondelli illationes. Comparat enim S. Hilarius Arelatenſis S. Honoratum adhuc Presbyterum cum Epiſcopis, non quantum *ad ordinem & dignitatem*, quaſi pari cum illis honoris & dignitatis conſortio præditus eſſet, illiſque jure divino æqualis; ſed quantum *ad virtutem & ſanctimoniam*, ratione cujus nullus ei ſe coæquare Epiſcopus auderet. Unde & in ſubſequentibus Sacerdotium ejus prius ſummum fuiſſe ait, non dignitate quidem, ſed ſanctimonia & actibus; nomine vero duntaxat auctum videri, quia virtutibus Pontificiis adhuc Presbyter conſpicuus erat, quorum gradibus ad hoc honoris faſtigium aſcendit.

Finis Libri primi Decretalium.

L I-

LIBER II.

DECRETALIUM.

PRæſens Liber, cum in ordinando Proceſſu Eccleſiaſtico totus occupetur, vix ullas in potiori ſuorum Titulorum parte admittit commentationes hiſtoricas. Quapropter primum de Judiciis ſolum illuſtrabimus, quo in varios §§. ſecto, ea omnia corradamus, quæ in Libro I. de Judicibus ordinariis, & delegatis, de ipſis judiciis, de foro competenti, de appellationibus libro præſenti ex monumentis Eccleſiaſticis annotatione digna ſunt.

TITULUS I. ET UNICUS

De Judiciis.

§. I.

De Judicibus.

1. CUm Chriſtus Eccleſiam ſuam noluerit eſſe Societatem in omnibus membris æqualem, in ea Juriſdictionem eſſe voluit.

Hanc propoſitionem lib. 1. Tit. 33. diſſertatione ſingulari contra Blondellum, & recentiores quoſdam Proteſtantes propugnavimus, dum Epiſcopos jure divino poteſtate ordinis, & juriſdictionis Presbyteris majores, adeoque in Eccleſia eſſe hierarchiam aſſeruimus, & merito; eſt enim maximi ſane momenti, cum ex ea fere pendeat, quidquid de juriſdictione Judicum Eccleſiaſticorum in toto corpora Juris Canonici tractari ſolet, cum, ſi horum recentiorum Proteſtantium teneret opinio, tota Cleri inferioris, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, ipſiuſque Romani Pontificis juriſdictio non eſſet niſi mera contra Leges Eccleſiæ pragmaticas ab ipſo Chriſto ſancitas uſurpatio.

2. Chriſtus hanc juriſdictionem politicæ in uno eodemque magiſtratu junctam noluit, ſed diſtinctum Magiſtratum Eccleſiaſticum inſtituit.

Hæc propoſitio ex claris novi teſtamenti textibus, atque ex ipſa naſcentis Eccleſiæ praxi demonſtratur. Si enim ſupponamus juriſdictionem Eccleſiaſticam a Chriſto in Eccleſia ſua fuiſſe inſtitutam (N. 1. & ſeqq. h. t.), eam Petro nulla juriſdictione politica prædito contulit Joan. 21. v. 15. 16. 17. *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Matth. 18. v. 18. 19. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam --- & tibi dabo claves regni cælorum, quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Similiter etiam Apoſtoli ſive immediate, ſive mediante eodem Petro (quod hic diſcutere non eſt neceſſe) juriſdictionem ſpiritualem fuiſſe impertitam infra ex N. 4. & ſeqq. h. t. in aprico erit. Ubi etiam Eccleſiæ naſcentis praxis propoſitioni allatæ conformis adducetur. Chriſtum vero Magiſtratibus politicis fori ſui poteſtatem ſartam tectam voluiſſe, conſtat tum ex eo loco Lucæ 20. *Date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris*, tum ex Apoſtolo epiſtola ad Romanos capite 13. ubi eos hortatur, ut ſuperioribus obtemperent inferiores etiam propter *conſcientiam*, quanquam civilem tantum gerant Magiſtratum.

3. Hanc Magiſtratus Eccleſiaſtici juriſdictionem Chriſtus voluit eſſe Hierarchicam, ſeu in gradibus inæqualium dignitatum, ordinem inter ſe habentibus, conſiſtentem.

Hæc propoſitio definita eſt in Concilio Trident. ſeſſ. 23. can. 6. *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit;* atque lib. 2. tit. 33. ſingulari diſſertatione adſerta, in qua Epiſcoporum ordine, juriſdictioneve, ſupra inferiorem Clerum ex Chriſti inſtitutione eminentiam contra Blondellum vindicavimus.

4. Ea hac ergo Chriſti inſtitutione Eccleſia Apoſtolorum Sæculo, dum gentili poteſtati quantum ad temporalia ſubeſſet, ſuos habuit in negotiis eccleſiaſticis Judices; non tantum actus mere *miniſteriales* ex deputatione totius corporis exercentes, ſed vera juriſdictione a Chriſto præditos.

Propoſitionem in apricum quoque ponit mox laudata diſſertatio.

5. Inter Judices Epiſcopos ab ipſis Eccleſiæ incunabulis ſubordinatio fuit.

Omnibus eminere Romanum Pontificem, & quidem ex poſitiva Chriſti inſtitutione, apud Catholicos in comperto eſt; omnes enim ipſum Caput viſibile Eccleſiæ, Chriſtique in terris Vicarium unanimi voce confitentur, atque contra heterodoxos pro aris & focis defendunt. In hoc Galli ab aliis diſcrepant Eccleſiis, quod hæ illum velint Concilio Generali, ſeu toti Eccleſiæ ſimul ſumptæ majorem, illi vero minorem. Epiſcopos quoque Alexandrinos, & Antiochenos Marci & Evodii, Petri diſcipulorum, ſucceſſores ampliori præ aliis Epiſcopis ac Metropolitis Sæculi IV. initio jam præditos poteſtate prodit can. 6. Concilii Nicæni, & quidem *ex antiqua conſuetudine* (lib. 1. tit. 6. N. 96.). Metropolitarum in Epiſcopos juriſdictionem antiquam ſupponit Synodus Illiberitana in Occidente A. 305. celebrata, dum can. 58. ſtatuit, ut formatæ, ſeu communicatoriæ acciperentur, *maxime in eo loco, in qua prima Cathedra conſtituta eſt Epiſcopatus*. In Oriente vero præter Concilium Nicænum relato can. 6. etiam Antiochenum A. 341. can. 33. ait; *Epiſcopos uniuſcujuſque gentis noſſe oportet eum, qui in Metropoli præeſt, Epiſcopum*. Hunc autem ordinem hierarchicum inde natum eſſe, quod Apoſtoli, Apoſtolicique viri verbi divini prædicatores a celeberrimis Romani Imperii Urbibus & a Provinciæ cujusque capite Evangelii diſſeminandi initium feciſſent, uti actus Apoſtolorum, eorumque epiſtolæ aperte teſtantur, a quibus ceu a fontibus in urbibus minoribus enatæ ſunt, fundatæque Eccleſiæ, Epiſcopatuſque, qui Metropoles ſuas, earumque Præſules jure ſuſpicerent, veroſimilius eſt, quam heterodoxorum commenta, hanc hierarchici ordinis compaginem ambitioni, faſtuique humano in acceptis referentium, de quibus videatur ſupra citata diſſertatio.

6. Enumerati Epiſcopi ſubinde dicti ſunt Judices ordinarii ad diſtinctionem Judicum delegatorum.

Id

Id contigiſſe videtur in jure Canonico ad exemplum Romanorum, apud quos jam pridem judices *ordinarii* dicti videntur ad diſtinctionem illorum, qui dabantur a Principe extra ordinem, quorumque poteſtas ac juriſdictio ipſi dignitati annexa fuit; hoc enim modo in Jure Canonico Epiſcopi Judices ordinarii, ſeu nati appellitantur, quod juriſdictionem ſuam cum ipſa Epiſcopali reſpective dignitate conſequantur, non ex aliqua delegatione vel commiſſione. Titulus igitur eſt junior, res ipſa in Eccleſia grandæva.

7. Prioribus V. Eccleſiæ ſæculis Judicibus delegatis jam opus fuit.

Occaſionem hujuſmodi delegationum dederunt cum multitudine fidelium creſcentia ſimul Eccleſiaſtica negotia, humeros Epiſcoporum excedentia. Similes judices olim fuiſſe Archidiaconus, & Archipresbyteros tradidimus lib. 1. tit. 23. & 24. alioſque, de quibus titulo 25. 26. & 27. Archidiaconis ſubinde in officiu ac juriſdictione ſucceſſiſſe Vicarios Generales & Officiales tit. 28. Romanos itidem Pontifices, qua Patriarchas Occidentis ſpectatiſſimos habuiſſe Theſſalonicæ, Arelati, aliiſque Provinciis Judices delegatos, Primates appellatos dictum eſt titulo 6. & 8.

8. Quamvis hiſtoria eccleſiaſtica a primis Sæculis uſque ad media plura recenſeat exempla, quibus confirmatur Romanos Pontifices Legatos, ſeu Judices delegatos ad varia negotia in partibus ſive conciliariter, ſive extra concilia, terminanda miſiſſe, ut videri poteſt lib. 1. tit. 30. Judices tamen delegati, quorum officia libro eodem titulo *de reſcriptis*, atque *de officio ac poteſtate Judicis delegati* deſcribuntur, Sæculi XII. fine, vel Sæculi XIII. initio in forum eccleſiaſticum intraſſe videntur, poſtquam forum hoc ad inſtar fori ſæcularis regi cœpit.

Hanc conjecturam firmat Eſpenius p. 3. juris Eccl. univ. tit. 5. cap. 2. N. 3. ex eo, quod ſub neutro titulo mox laudato Decretalium Gregorii IX. ulla reperiatur decretalis, quæ habeat authorem antiquiorem Alexandro III. qui ſub ſæculi XII. finem Pontificatum geſſit; quo etiam ſæculo ipſa tribunalia Eccleſiaſtica ad inſtar ſæcularium regi cœperunt, ut infra videbimus.

9. Judices hi delegati ſub idem tempus frequentiſſimi a Romanis Pontificibus dati ſunt.

Id fieri neceſſe fuit, quod tum cauſæ plurimæ tam per appellationes (quæ tum invaleſcebant) quam per exemptiones Capitulorum & Monaſteriorum, quæ ſub idem tempus progreſſum habuerunt, aliiſque pluribus titulis ad Romanos Pontifices devolverentur, quibus examinandis & diſcutiendis, aut inſtituendis Pontifex non ſufficiebat; imo nec Romæ ob diſtantiam locorum, e quibus probationes peti debebant, facile inſtitui poterant: neceſſe igitur fuit cauſas plurimas aliis delegare.

10. Judices hi delegati ad normam legum civilium de judicibus delegatis inſtituti ſunt.

Ex reſponſis, & decretalibus Pontificum in corpus Juris Canonici relatis apparet, voluiſſe Pontifices, ut eorum Judices delegati gauderent prærogativis, quas de jure civili Judices delegati a Principe habent. Unde exemplo legis 5. *Cod. de Judiciis*, in quo Judex delegatus a Judice ordinario ſubdelegandi non habet poteſtatem, bene vero delegatus a Principe, Pontifices quoque declararunt ſuis delegatis jus eſſe dandi Judices, tametſi id denegetur Judicibus delegatis ab Ordinariis, ſeu Epiſcopis, Cap. 7. *de off. & poteſt. Judicis delegati;* quin, cum juxta leges civiles ſolum permittatur Judici a Principe delegato Judicem dare, qui ſimplicem notionem cauſæ, non autem juriſdictionem habebat, Innocentius III. declaravit, Judices a ſe delegatos poſſe omnimodam & plenam juriſdictionem alteri committere, ſeu ſubdelegare, Cap. 27. eod. Ex qua Innocentii Decretali, aliiſque ſubſequentium Pontificum conformibus reſponſis receptum eſt, Delegatum Pontificis juriſdictionem vel in totum, vel in parte poſſe delegare; atque hac in parte potiorem eſſe delegatis Ordinariorum, imo quaſi Ordinarium reputari.

11. Cum jure Decretalium nullæ ſpeciales qualitates expreſſæ ſint circa perſonas Judicum delegandorum a Sede Apoſtolica, ſed quilibet etiam ſimplices Clerici eo jure delegari poſſent, Bonifacius VIII. qui ſedit Ao. 1294. cap. *Statutum, de reſcriptis* in 6. ſtatuit: *ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ auctoritate Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum ejus de cætero committantur.*

Motivum hujus conſtitutionis fuit depreſſio Sedis Apoſtolicæ, & Ordinariorum deſpectus, quibus hi Legati ex promiſcuo Clero aſſumpti ſuperiores eſſe prætendebant.

12. Concilium Tridentinum circa Judices a Sede Apoſtolica delegatos reformationem fecit, unde ortum habent Judices Synodales.

Conſiderans enim, *quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob longinquitatem, perſonarum notitia, quibus cauſæ mandantur, uſque adeo haberi non poteſt, hinc que interdum Judicibus non undequaquam idoneis cauſæ in partibus delegentur,* ſtatuit Seſſ. 25. de reform. cap. 10. *in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis aliquot Perſonas, quæ qualitates habeant juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit Statutum, & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam poſthac cauſæ Eccleſiaſticæ, ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur. Et ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio capituli alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem aut Diœceſanam Synodum, ita ut habeat quæque Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas, quibus hujuſmodi cauſæ a quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam a Sede Apoſtolica committantur; alioquin poſt deſignationem factam, quam ſtatim Epiſcopi ad Summum Romanum Pontificem tranſmittant, delegationes quæcunque aliorum Judicum aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur.*

13. Cum hodie raro Synodi celebrentur, paſſim uſu invaluit, ut Ordinarii de conſilio Capituli Judices Synodales deſignent, quibus & non aliis cauſæ in partibus delegandæ committantur.

Propoſitio conſtat ex praxi, quæ id, quod Concilium Tridentinum in caſu mortis ſimilis Judicis Synodalis ſtatuit (N. præced. h. t.), in uſum generalem fere deduxit.

14. In eodem Concilio Tridentino Epiſcopi in Clerum exemptum, tum ſæcularem, tum regularem variam juriſdictionem poſtliminio nacti ſunt, non quidem ut judices ordinarii, ſed tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati.

Oeconomia prudens circa jura ordinariorum in Diœceſanos omnes, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis Sedibus Paſtoralibus connata, ſimulque merita Cleri prænominati in ipſam Matrem Eccleſiam exceptione majora, hanc moderationem præfiniverunt. Equidem Epiſcoporum pars maxima exemptiones præfati Cleri penitus aboleri poſtulabat a Tridentina Synodo. Inſignia Capitula, Monaſteria, aliaque pia loca, & populoſi Religioſorum hominum ordines, quorum opera Concilio utilis fuerat, privilegia ſua intacta manere rogabant. Favebant Epiſcopi plerique ex illis ordinibus aſſumpti. Pontifex ad eorum abroga-

tionem haud certe propendebat, plurima hujuſmodi privilegia ad preces Regum vel Principum, vel ad Fundatorum petitionem conceſſa non ignorans, nec reſcindere volens, quod a ſuis deceſſoribus, quandoque publicæ utilitatis reſpectu, vel obſervantiæ regularis promovendæ ſtudio, vel ob quorundam ordinum ac Monaſteriorum in Romanam ac univerſalem Eccleſiam merita, vel devotionis erga Sedem Apoſtolicam fovendæ cauſa; matura deliberatione conceſſum exiſtimabat. Quamobrem id temperamenti initum eſt, quo juriſdictionem, perinde ac ſi ordinaria foret, Epiſcopi obtinerent in homines ab illorum foro per Pontificia Privilegia ſubductos, ſimul etiam iis, qui per Privilegia eximebantur, titulus ac veritas exemptionis intacta perſiſteret, conceſſa cunctis Epiſcopis facultate generali ac perpetua in certis quibuſdam cauſis juriſdictionis exercendæ, tanquam ſpeciatim *a Sede Apoſtolica delegatis*. Hæc Nat. Alex. hiſt. Ecc. Sæcul. 15. & 16. Diſſert. 12. N. 41. dicta confirmans ex Seſſ. 5. cap. 1. de reform.

§. II.
De litibus & cauſis civilibus Laicorum.

15. QUanquam lis & cauſa in rigore diſtinguantur, cum *cauſa* ſit jus actu deductum in judicium, *lis* vero ipſa actio, qua res controverſa deducitur in judicium; eas tamen hic confundemus, & nomine cauſarum utemur, cum earundem diſtinctio nil conferat ad hiſtoricas notiones. Cauſæ autem vel ſunt ſpirituales, vel temporales, hæque concernunt vel Perſonas Eccleſiaſticas, vel Laicas, ſuntque vel majores, vel minores; de omnibus agetur in hoc §.

16. Lites cum naſcente Eccleſia inter Chriſtianos jam enatæ ſunt.

Has Corinthiis ſimul cum experiundi œconomia ſevere exprobrat gentium Apoſtolus in 1. ad eos ep. cap. 6. v. 7. *Jam quidem omnino delictum eſt in vobis*, inquiens, *quod Judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis?* & v. 1. *Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos*, id eſt Ethnicos, *& non apud Sanctos*, id eſt Chriſtianos?

17. Lites in naſcente Eccleſia duplicis generis produntur; aliæ erant de objectis temporalibus, de ſpiritualibus alteræ.

Primi generis exemplum ſuppeditant jurgia Corinthiorum mox relata: ſecundi vero acta Apoſtolorum cap. 15. ubi legimus homines de hæreſi Phariſæorum credentes prætendiſſe, converſos ex gentilitate oportere circumcidi, & ſervare Legem Moyſis.

18. A primis Eccleſiæ exordiis cauſæ minores tam ſpirituales, quam temporales, perſonarum tum Eccleſiaſticarum, tum Laicarum ad Epiſcopos deferebantur dirimendæ.

Quod Epiſcopi ſingulares in civitatibus fuerint tempore Apoſtolorum, Clero inferiori ordine & juriſdictione ſuperiores, demonſtratum eſt contra Blondellum alioſque Proteſtantes lib. 1. tit. 33. Ex qua Diſſertatione etiam legitime infertur eodem Sæculo Clerum a Laicis fuiſſe diſtinctum contra eoſdem, præſertim recentiores Syſtematicos, Eccleſiam Chriſti ex *docentibus & audientibus* conſtantes. Cum igitur Apoſtolus 1. ad Corinth. c. 6. v. 1. prohibeat Chriſtianos apud Ethnicos judicio experiri, velitque cauſas illorum per aliquem *ſapientem* ex fratribus pacifice componi, dubitandum non eſt, quin obvia tum Cleri, tum Laicorum jurgia non fuerint ordinarie ad Epiſcopos, tanquam ad animarum Paſtores, delata, ad amuſſim Evangelicam complananda. Unde ſcribit Apoſtolus ad Titum cap. 1. v. 5. *Hujus autem rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*; nimirum ut & ipſi, quæ deſunt, corrigant. Et cap. 5. v. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Presbyteri igitur accuſabantur apud Epiſcopos, majori tamen ſolemnitate, quam Laici. Junge concordantias in laudata diſſertatione adductas.

19. Mos deferendi cauſas temporales civiles Chriſtianorum, Laicorum, a Chriſtianis Principibus Sæculo IV. & ſequentibus confirmatus fuit.

De Conſtantino M. primo Chriſtiano Imperatore ſcribit Sozomenus lib. 1. hiſt. c. 9. *Litigantibus permiſit, ut ad Epiſcoporum judicium provocarent, ſi Magiſtratus civiles rejicere vellent: eorum autem ſententia rata eſſet, aliorumque judicum ſententiis prævaleret, perinde ac ſi ab Imperatore ipſo data fuiſſet, utque res ab Epiſcopo judicatas Rectores Provinciæ eorumque Officiales executioni mandarent*. Exſtat & Arcadii Imperatoris conſtitutio in lib. 1. *cod. de Epiſ. aud. Lege* 7. qua id ipſum litigantibus permittitur. *Si qui*, ait, *ex conſenſu apud Sacræ Legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius*, in civili duntaxat negotio, *more arbitri ſponte reſidentis judicium*. Et lege 8. idem Imperator Sæculi IV. ſine ita firmat Epiſcopale judicium ſeu arbitramentum, ut Laici ab eo provocare non poſſint.

20. Cauſæ civiles Laicorum non tantum ex compromiſſo utriuſque partis, uti viſum eſt N. præcedenti, ſed etiam parte altera invita ad Epiſcopos deferri ſub his Principibus probabiliter poterant.

Id eruitur ex Extravag. I. *de Epiſ. Judicio*, quæ habetur in appendice Codicis Theodoſiani, & a quibuſdam Conſtantino M. ab aliis vero, nimirum a Capitularibus Galliæ & Innocentio III. c. 13. *de Judiciis*, Theodoſio adſcribitur, in qua ſancitur: *Quicunque itaque litem habens, ſive poſſeſſor, ſive petitor, inter initia litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive dum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia, judicium elegerit ſacroſanctæ Legis Antiſtitis, illico ſine aliqua dubitatione*, etiamſi alia pars refragatur, *ad Epiſcopum cum ſermone litigantium dirigatur; multa enim, quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat, & promit Sacroſanctæ Religionis authoritas*. Quamvis Gothofredus aliique viri eruditi hanc extrav. cenſeant ſuppoſititiam vel ex hoc ipſo, quod cauſas civiles Laicorum ad Epiſcopum *altera etiam parte refragante* deduci velit, cumtamen poſteriores Conſtantino & Theodoſio M. Imperatores id ſolum fieri velint in caſu *compromiſſi*, uti vidimus N. præcedenti, & confirmari poteſt ex Nov. 12. Valentiniani III.

21. Præſcindendo ab hac modalitate, Epiſcopi Sæculo V. cauſas civiles fidelium laicorum paſſim decidebant, qui mos perduravit quoque Sæculo VI. & VII.

Quantum ad Sæculum V. exempla luculentiſſima ſuppeditant Sanctiſſimi illius ætatis Epiſcopi Ambroſius, & Auguſtinus. De Ambroſio teſtatur S. Auguſtinus *Lib. 6. Confeſſ. c. 3. Secludentibus me ab ejus aure atque ore catervis negotioſorum hominum, quorum infirmitatibus ſerviebat*. De ſe ipſo vero libro *de opere Monachorum cap. 29.* ubi ait: *Dominum Jeſum teſtem invoco in animam meam, quoniam quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, —— quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis: quibus nos moleſtiis idem affixit Apoſtolus,*

lar, non utique ſua, ſed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio. Lege Poſſidium in ejus vitu cap. 19. & ejuſdem Sanctiſſimi Patris ep. 81. & 147. item concionem 24. in Pſalm. 118. & ſerm. 49. de diverſis. Ambroſii & Auguſtini veſtigiis eodem Sæculo inhæſerunt Sidonius, Syneſius, aliique Præſules religioſiſſimi.

Quantum ad Sæculum VI. & VII. Epiſcopos de omnibus Monachorum & Sanctimonialium cauſis cum quocunque condictis judicare voluit Juſtinianus Imperator, earum cognitione Judicibus civilibus interdicta Nov. 79. c. 1. & 2. Et ſi cui litigantium in foro ſæculari ſuſpectus Judex eſſet, Epiſcopum adiri, qui cauſam cum eodem Judice amicabiliter dirimat, idem ſanxit Nov. 86. juxta quam, ſi quis jus ſuum a judice violatum quæreretur, Epiſcopum interpellare poterat. Idem confirmavit leges Arcadii ſupra N. 21. relatas. Et alia varia adjecit, de quibus videtur titulus 4. *cod. de Epiſc. audientia.*

22. Sæculo VIII. & ſequentibus uſque ad XIII. hæc Epiſcoporum in cauſas civiles Laicorum Juriſdictio non tantum perduravit, ſed etiam magnopere aucta fuit.

Quantum ad Sæculum VIII. Concilium Vernonle can. V. unicuique Epiſcoporum poteſtatem dat in ſua Parochia, tam de Clero, quam de Sæcularibus ad corrigendum & emendandum ſecundum ordinem canonicum, & can. 14. eos, qui diei Dominicæ ſanctitatem operibus vetitis violaverint, ab Epiſcopis plecti decrevit. Et Canon 6. Concilii Francofordienſis Comites quoque Germaniæ ad Judicium Epiſcoporum venire præcipit. Sæculo IX. id, quod N. 20. e Conſtantino vel Theodoſio Magnis ſancitum probabiliter aſſeruimus, nimirum, quod ſæcularium lites ad epiſcopale forum deferri poterant, *altera etiam parte invita*, demum confirmatum, & in praxim miſſum eſt a Carolo M. & Ludovico Pio ejus Filio, ut conſtat ex lib. 6. Capitolarium c. 336. ubi ſtatuuntur ſequentia: *Volumus, atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ, Deo auxiliante, ſubjecti, tam Romani, quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Friſones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langabardi, Waſcones, Beneventani, Gothi, & Hiſpani, ceterique nobis ſubjecti omnes, licet quocunque videantur legis vinculo conſtricti, vel conſuetudinario more connexi, hanc ſententiam, quam ex 16. Theodoſii Imperatoris libro, capitula videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis, illi, & omnibus reſcriptam ſumpſimus, & inter noſtra Capitula pro lege tenenda, conſultu omnium fidelium noſtrorum, tam Clericorum, quam & Laicorum poſuimus, lege ſancita perpetua tenenda, id eſt, quicunque litem &c.* ut ſupra N. 20. Quod vero ſpectat cauſas canonicas, vitiorum emendationem, pœnitentiæ inflictionem, promotionem divini cultus, executionem diſciplinæ, omnes Epiſcopis parere juſſit Carolus M. graviſſima pœna in rebelles ſtatura, etiam proprios filios. Que de re lege lib. 7. Capitular. cap. 390. Quin eodem Sæculo Epiſcopi inſpectores & cenſores ſæcularium Judicum a Regibus ſunt conſtituti, eodem lib. cap. 293. Cauſas civiles ſæcularium, in quibus intercurreret peccati periculum, juramentum, fides, vel teſtamentum, uſque ad Sæculum XIII. in Galliis præſertim, ad epiſcopale pertinuiſſe judicium, eruitur tum ex ep. Joannis Carnotenſis, qui Sæculo XII. floruit, tum ex reſponſo Ludovici Galliæ Regis A. 1225. in Concilio Melodunenſi Epiſcopis dato: quorum primus ep. 101. ad Adrlam Comitiſſam, *Omnes*, inquit, *Pſeudo-prædicatores, & Pſeudo-Monachi, & Pſeudo-Clerici, fornicatores, & alii, qui in Chriſtianiſmo offendunt (exceptis his, qui pœna capitali puniendi ſunt) a nobis diſtringendi, & corrigendi ſunt, & ipſi, & eorum res noſtri ſunt juris. Et hæc eſt antiqua & inconcuſſa conſuetudo non tantum Carnotenſis Eccleſiæ, ſed omnium Eccleſiarum per totum regnum Galliarum*: poſterior vero Epiſcopis petentibus, ut cauſæ omnium hominum ſuper mobilibus eccleſiaſtico Tribunali deferrentur, reſpondit, eas cauſas ad forum eccleſiaſticum tantum pertinere, in quibus intercurreret vel juramentum, vel fides, vel teſtamentum, aut maritagium, ſeu matrimonium, uti refertur in chronico Turonenſi tomo 11. Conciliorum Labbæi col. 290. Ex quibus patefeit, quod licet ſuper poſtolatis Epiſcoporum nihil fuerit concluſum, ipſaque cauſa ab utraque parte poſita ſit in ſuſpenſo, nihilominus ex ipſo Regis reſponſo habeatur primo, quod cauſa etiam ſuper mobilibus ratione juramenti interpoſiti tunc temporis ſpectaret ad forum eccleſiaſticum; quo titulo omnes pene quæſtiones ſuper contractibus etiam civilibus ad Judicem eccleſiaſticum devolvebantur, uti notat Mornacius ad l. 8. cod. de Epiſ. aud. quia nunquam fere omittebant Tabelliones adjicere præſtitum a contrahentibus Sacramentum de ſervandis, quæ pepigiſſent, ait idem. Ulterius ex reſponſo Regis patet, cauſas teſtamentarias ad forum eccleſiaſticum pertinuiſſe; quibus ſi jungantur cauſæ, in quibus ratio peccati verſabatur, *inde eminuit per longas ætates unum pene ac ſolum in univerſa Gallia forum Eccleſiaſticum, viluitque, quaſique emarcuit Juriſdictio Regia*, inquit idem Mornacius lib. cit. Meriro tamen id ſane ſpeciatim de Gallia monuit, nam ut conſtat ex diſputatione ſuper puncto Juriſdictionis A. 1327. habita inter nobiles, Regiolque Miniſtros & Prælatos Regni Galliæ, coram Philippo Valeſio Rege, in Regno Galliæ magis, quam in ullo alio, juriſdictio Eccleſiaſtica ad omnes pene Laicorum cauſas ſe extendebat; uti ex articulis a Petro de Cugneriis Conſiliario regio, nomine nobilium & Baronum contra Prælatos propoſitis, & Bertrandi Epiſcopi Eduenſis ad illos reſponſis colligitur. Jure olbilominus Decretalium, quæ Sæculi XIII. initio compilati ſunt, vaſtam declaratur viguiſſe Clericorum Juriſdictionem in Laicos, & in eorum perſonas, ac res. Cum enim de prædiis litigarent Comes Altiſſiodorenſis & Abbas, Papa Cognitor fuit. De adulteriis judicant Epiſcopi. Vetatur ne Clerici emant lites, vel jura controverſa Laicorum, quo ea ab Eccleſiæ Judice dirimi curent. Si de feudo agitur, qui certiſſime juris ſit Eccleſiæ, vel Clerici cujuſpiam, ad forum Clerici pertrahitur Laicus. Si feudi Dominus Clerico jus dicere malitioſe abnuit, vel procraſtinat, Judex Eccleſiæ cognoſcet. Laici Clericis contumelioſi ad Judicem Eccleſiaſticum rapiuntur, ut ſacrilegi. Poteſt Laicus Laicum in cauſa civili convenire apud Judicem Eccleſiæ, ſi Judex civilis officio non fungitur: aut ubi illud priſci moris fuit, & needum exolevit; uti habetur lib. 2. tit. 29. cap. 32. tit. 31. c. 1. tit. 42. c. 2. lib. 2. tit. 2. cap. 5. 10. Qua ultima juris diſpoſitione, quæ habetur lib. 2. tit. 2. c. 10. ſatis innuitur, tempore Innocentii III. ſeu Sæculi XII. fine, & XIII. initio leges Theodoſii, Conſtantini, Arcadii a Carolo M. confirmatas, ut Laici in cauſis civilibus vel ex compromiſſo, vel una ſaltem parte volente ſimpliciter poſſint ad Tribunal Eccleſiaſticum trahi, in multis locis jam exoleviſſe, atque ad caſum denegationis officii Judicis ſæcularis reſtrictas fuiſſe, ſi Galliam juxta mox dicta excipias.

23. Sæculo XIII. impeti cœpit Juriſdictio Ec-

Digitized by Google

cleſiaſtica in cauſas civiles Laicorum, atque ſucceſſu temporis fruſtatim minui, uſque dum penitus annihilaretur.

Gallia, vicinæque Provinciæ ad hanc immutationem claſſicum cecinere. Nam prout refertur in probationibus libertatum Eccleſiæ Gallicanæ ex hiſt. Matthæi Pariſ. ad A. 1246. eodem anno plures Barones Franciæ inter ſe convenerunt, fœduſque percuſſerunt, juriſdictionem ſæcularem, quæ tota pene abſorpta erat a Clericis, revindicandi, cauſamque quatuor aut duobus ex ſuis commiſerunt, qui eam ſtrenue proſequerentur. His & ſimilibus Laicorum conatibus Romanus Pontifex, Cleruſque Gallicanus equidem obſtiterunt: & revera primi illi impetus in ventum abierunt, S. enim Ludovicus, ut habet Viridarii ſomnium ſub Carolo V. conſcriptum, *nunquam eis adhaſit, ſed potius eos ab iſtis compeſcuit, & finaliter hanc libertatem Eccleſiæ reaffirmavit*, Quin & Sæculo XIV. ſub Ludovico Valeſio in collatione illa famoſiſſima ad tuitionem immunitatis & Juriſdictionis Eccleſiaſticæ habita, ſtrenue defenſa eſt, ut N. præced. innuimus. Conatibus hiſce præluſerat An. 1302. Concilium Compendienſe can. 4. 5. Item Bituricenſe 1316, adſpirante contra Nobilium conculcatores Cleri Juribus Philippo Valeſio. Et ante hoc Willelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis optavit, ut ei malo medicinæ aliquid adferret Concilium Viennenſe An. 1311. celebratum, *de modo celebrandi Concilii Generalis* p. 2. tit. 70. ubi ita illacrymatur: *Et ſicut fruſtatim lupus agnum comedit, ita per ipſos Juriſdictio Eccleſiaſtica fruſtatim quodammodo devoratur, quidquid ad Eccleſiaſticam Juriſdictionem potiſſime quoad temporalia pertinet, ſibi putantes*. Et revera poſt A. 1336. ad quem uſque Jura ſua mordicus tutati ſunt Epiſcopi, maxime vero internecinas illas clades ad Creſſiacum, & in agro Pictavienſi ſub Philippo Valeſio, & Joanne filio ejus, uti toti Regno, ita & huic Epiſcoporum Juriſdictioni lethalia inflicta ſunt vulnera. Nam Carolus V. qui thronum Franciæ conſcendit An. 1364. cauſas reales Laicorum juriſdictioni Eccleſiæ ſubtraxit teſte Schoppio lib. 2. de ſacra politia t. 2. N. 6. Dein Franciſcus I. etiam quoad actiones perſonales laicos a Juriſdictione Eccleſiaſtica exemit, teſte eodem L. c. Principes quoque Belgii Sæculo XV. Laicos in cauſis perſonalibus coram Judice Eccleſiaſtico noluerunt conveniri p. 1. edict. Flandriæ lib. 1. Rubr. 4. Concordata inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem Laicos pene quoad omnes cauſas a Juriſdictione Eccleſiaſtica eximunt. Similiter & concordata inter Hanones & Archiepiſcopum Cameracenſem, quæ exſtant p. 1. edict. Brab. lib. 2. tit. 1. c. 8. Et ordinatione regia A. 1512. in Gallia cautum eſt, nullum Laicum coram Judice Eccleſiaſtico vocari poſſe, niſi in citationis libello nominatim adſcribatur cauſa, ex qua citatur, teſte eodem Schoppio l. cit. tit. 1. N. 4. Teſtatur etiam Fevretius de abuſu lib. 4. c. 6. N. 1. axioma hoc moribus Galliæ receptum eſſe, Laicum in Judicem Eccleſiaſticum conſentire non poſſe, ſive ejus Juriſdictionem prorogare. Idem obtinet in Hiſpania teſte Emmanuele Gonzalez ad cap. 18. de foro competente, qui ibidem ait: *Suſtinenda ergo eſt Lex politica, quam omnes Chriſtiani habent*, Referuntque variarum nationum authores, qui de hac praxi, & abrogatione Legis Theodoſianæ a Carolo M. pro toto Occidente Chriſtiano confirmatæ teſtantur. Et revera ſi jus commune ſpectemus, horum Imperatorum Leges jam ſæculo XII. aut etiam XI. modificatæ ſunt, & forum Eccleſiaſticum arctioribus cancellis circumſcriptum, ut in fine N. præcedentis advertimus; ita ut Juriſdictio eccleſiaſtica in cauſas civiles Laicorum in ſola Gallia plenum vigorem fere obtineret, quæ tamen poſterioribus ſæculis illic magis, quam aliis in regnis labefactata eſt; ita, ut tempore Concilii Trid. ab Eccleſiaſticis ad Laicalia Tribunalia appellandi uſus ibidem viguerit, de quo vide Guimerum in procemio pragmaticæ, hunc abuſum per aliquod concilii decretum modificari optantem.

§. III.
De cauſis & delictis Clericorum.

24. CUm primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopi cauſas civiles Laicorum deciderent, potiori Jure cauſæ civiles Clericorum ad ipſos deferebantur.

Id factum tempore Apoſtolorum probat N. 18; Id vero continuatum prioribus V. Sæculis argumento deducto a majori ad minus adſtruunt ſequentes. Hinc Canon I. diſt. 90. ex Concilio IV. Carth. deſumptus ordinat: *Diſcordantes Clericos Epiſcopus vel ratione, vel poteſtate ad concordiam trahat; inobedientes Synodus per audientiam damnet*.

25. Illis Sæculis non erat liberum Clericis ad ſæculare Judicium provocare, quemadmodum Laicis ad Epiſcopale.

Carthaginenſe Concilium III. Canone 9. ſtatuit: *ut quiſquis Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia ei fuerit crimen intentatum, vel civilis cauſa fuerit commota; ſi relicto Eccleſiaſtico Judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo prolata fuerit ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali Judicio; in civili vero perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit*. Hic tamen Canon intelligendus eſt de provocante ad Judicem ſæcularem ſine licentia Epiſcopi, nam Clericos cum licentia Epiſcopi in cauſis civilibus potuiſſe provocare Sæculo V. ex Canone Concilii Chalced. hoc Sæculo habiti, infra referendo, cum aliis mox dicendis conſtabit.

26. Hæc diſciplina a Sæculo VI. uſque ad præſens tempus vindicata permanſit.

Sæculo VI. extenſa eſt a Juſtiniano Novella 76. cap. 1. & 2. ad Monachos & Sanctimoniales, qui etiam Novella 123. c. 10. ſancit, omnes cauſas Epiſcoporum, Clericorum, Monachorum a Metropolitanis, in Synodis Provincialibus quotannis celebrandis judicari. Legatur Nov. 132. cujus 21. caput inſcribitur, *ut Clerici apud proprium conveniantur Epiſcopum*. Hic tamen Imperator Privilegiorum ſuorum Prædeceſſorum in puncto Juriſdictionis Eccleſiaſticæ non modicus circumciſor eadem Nov. 123. cap. 8. Epiſcopos pro cauſa pecuniaria vel criminali ad Judicem civilem aut militarem, *ſi ſua acceſſerit juſſio*, pertrahi poſſe diffinit. Eodem Sæculo Clericorum immunitatem, quantum ad cauſas eorum, ſtrenue tuitus eſt S. Greg. M. pro Sardinia lib. 3. ep. 24. lib. 5. ep. 2. lib. 9. ep. 32. in quibus ad ſummum permittit, ut Clerici alium ab Epiſcopo ſuſpecto Judicem *de Epiſcopi licentia* eligant, aut Epiſcopus partes ad eligendos Arbitros compellat. Eandem immunitatem eodem Sæculo propugnarunt Concilia Gallicana, prohibentia ne Clerici quemquam apud ſæculares Judices, *Epiſcopo non permittente*, pulſarent, & ne Laici *inconſulto Epiſcopo* Clericum ad ſæculare Tribunal vocarent. Ita Concilium Agathenſe c. 32. Epaonenſe c. 2. Pariſienſe V. c. 4. Aurelianenſe can. 20. Antiſſiodorenſe c. 43. Ex Concilio tamen Matiſconenſi I. can. 7. habemus, quod Clerici propter capitalia crimina ab immunitatis privilegio excidebant in tantum,

ut

ur niſi ab Epiſcopo præoccuparetur judicium, a Judice Laico in conſortio tamen Epiſcopi judicari potuerint; vide can. 9. & 10. Concilii Matiſconenſis II. & Conſtit. Clotarii II. in Synodo Pariſienſi V. editum. Hiſpana Concilia imitata eſſe Gallicana præter alia conſtat ex can. 13. Synodi III. Toletanæ. In Italia tamen ſub Gothicis Regibus immonitate qoidem in cauſis perſonalibus, non tamen in realibus hoc Sæculo gaudebant Clerici. Priorem ipſis ſartam tectam voluit vel ipſe Theodoricus Rex Arianus, & quidem etiam criminales, dum Clericos criminis capitalis convictos ad Epiſcoporum judicium remiſit. Uti conſtat ex ipſius ep. ad Euſtorgium Mediol. Epiſcopum apud Caſſiodorum lib. 1. Variarum c. 9. & ex ep. 18. lib. 4. ad Aonam Comitem data, & ex ep. 24. lib. 4. Quantum ad poſteriorem id conſtat ex ep. Throdorici ad Gudilam Epiſcopum, apud Caſſiodoeum lib. 2. Variatum 18. item ad Petrum Epiſ. lib. 4. variatum 44. Eadem diſciplina a Juſtiniano in Oriente, a Romanis Pontificibus, Regibus Gothis, Gallis, Hiſpaniſque ſancita Sæculo VII. prrſeveravit. At Sæculo VIII. dum Græca Eccleſia in Sanctionibus, atque reſtrictionibus Juſtinianæis perſeveraret, Carolus M. in Occidente pro toto orbe Latino Epiſcoporum jurisdictionem generaliter, ſpeciatim vero circa cauſas Clericorum ampliavit, cauſas Clericorum non tantum civilea reales & perſonales, ſed etiam criminales a ſolis Epiſcopis jubens dijudicari, Capitulari Aquisgranenſi cap. 28. in concilio Francofordienſi can. 6. & 39. Circa quod notandum, priorum Sæculorum diſciplinam, quod nempe Clerici in cauſis civilibus *cum licentia Epiſcopi* poſſint in foro laicali experiri, id, quod hodie non admittitur, ſub eo Principe Chriſtianiſſimo fuiſſe confirmatam, in laudato enim capitulari Aquisgranenſi executioni mandatur Concilii Chalc. canon. 9. quo ſtatutum eſt, *Ut ſi quis Clericus cum Clerico cauſam habeat, Epiſcopum ſuum non deſerat, & ad judicia ſæcularia currat: ſed prius apud Epiſcopum ſuum examinet cauſam, aut certe* cum voluntate Epiſcopi *cauſa dicatur, apud quos utraque pars voluerit*. Diſciplina circa cauſas Clericorum a Carolo M. ſancita, inconcuſſa manſit Sæculo IX. & X. atque confirmata eſt in Capitularibus Regum Francorum lib. 1. cap. 27. cap. 38. lib. 5. cap. 378. & lib. 6. cap. 156. & 557. quibus tam Judicibus prohibetur ne cauſas Clericorum quaſcunque dijudicare præſumant, *inconſultis Epiſcopis, & non permittentibus*; quam etiam Clericis, ne *ſine licentia ſui ordinarii* coram Judice ſæculari experiantur. Quo elucet adhuc hiſce Sæculis Clericos in cauſis civilibus cum Clericis diſpenſari ſolitos, ut coram judice Laico experiri valerent, quod hodie non fit. Sed & aliud caput modernæ diſciplinæ, quin axiomati contrarium, a Sæculo VI. uſque ad X. obſervari juvat, quod nempe Clerici ſine licentia Epiſcopi non potuerint in cauſa civili coram Judice Laico convenire Laicum reum; id enim Sæculo VI. ſtatutum in Conciliis Gallicanis ſupra advertimus, quorum ſententia his Sæculis confirmata fuit capitulari 557. ubi ſtatuitur. *Nullus ex ordine Clericorum, inconſulto proprio Epiſcopo, ad Judicem ſæcularem pergat, neque apud eum, ſuo Epiſcopo non permittente, quemquam pulſare* (id eſt, convenire) *aut cuiquam ante eum reſpondere, aut quidquam proponere præſumat, neque criminale negotium in judicio ſæculari proponere audeat*. Hodie Clericus actor ſequitur forum Laici rei. Quin ſi lis temporalis Clericum inter & Laicum moveretur, non attendebatur quis actor, quis reus, ſed Epiſcopus cum Judicibus ſæcularibus ipſam dirimebant, ut docet Hincmarus in ep. ad Carolum Calvum, cujus ſolum fragmentum ſupereſt.

Funeſtis Sæculis XI. & XII. quibus Principes Laici per inveſtituras libertatem Eccleſiæ opprimebant, etiam cauſis Clericorum, quin & Epiſcoporum ſeſe ingerere non verebantur. Decantatum eſt ſanctiſſimum Archipræſulem Cantuarienſem, & Martyrem Thomam ad mortem uſque pro Clericorum immunitate a foro ſæculari & pro epiſcopalis Jurisdictionis legumque canonicarum defenſione certaſſe. Graviſſimam diſſenſionem, quæ ipſum inter & Henricum II. Regem emerſit, ex Jurisdictionis epiſcopalis uſurpatione, & privilegiorum Cleri violatione a Rege facta originem ſumpſiſſe Guilielmus Neoburgenſis lib. 2. de rebus Anglicis cap. 16. commemorat. In Suecia quoque non minus, quam in Anglia, ſæcularis poteſtas vulnus graviſſimum epiſcopali Jurisdictioni in Clericos inferebat, dum non tantum Clerici, ſed ipſi Epiſcopi ad igniti ferri examen, vel ad aliquod æque prohibitum & execrabile judicium provocabantur, teſte Alex. III. ep. 19. append. 1. ad Upſalenſem Archiepiſcopum. In Normannia quoque A. 1190. inter Eccleſiam Rothomagenſem & Wilielmum Normanniæ Seneſchalcum de Eccl. Jurisdictione contentio exorta eſt, & Walterus Rothomagenſis Archiepiſcopus eodem argumento cum Richardo I. Anglorum, & Philippo Auguſto Francorum Regibus colliſus eſt. At invicti Romanorum Pontifices Alexander II. Urbanus II. Eugenius III. Alexander III. cauſas Clericorum tam perſonales, quam reales, tam civiles, quam criminales, Conciliis, canonibus, decretis, tribunalibus eccleſiaſticis invicta conſtantia conſervarunt, quæ cum pleraque inſerta fuerint Decretalibus Gregorianis, ad earundem Commentatores, provincia noſtra jam jam perfuncti, lectorem remittimus. Hic ſolum adhuc notamus, in hac Clericorum a Jurisdictione Laicorum exemptione ſemper eundem fuiſſe Eccleſiæ ſcopum, eundemque ſpiritum, ut nimirum a litibus & tumultibus foreoſibus avocarentur, quæſtioneſque inter ipſos ſuſcitatæ amicabiliter, interveniente Epiſcopo, aliove prudente ac ſapiente viro, ad mentem Apoſtoli componerentur, & terminarentur.

17. Delicta Eccleſiaſtica Clericorum, ſeu quæ proprie committebantur contra diſciplinam Eccleſiaſticam, ordinem, ſive ſtatum Eccleſiaſticum, quæque pœnis canonicis, puta exauctoratione, vel communionis privatione, aut ordinis ſuſpenſione puniebantur, a primis Eccleſiæ Sæculis ad Epiſcopos, vel Synodos judicanda, & punienda deferebantur; non tamen communia, ſeu ea, quæ contra Regimen politicum a Clericis, non ut eccleſiaſticis, ſed ut Reipublicæ civibus commiſſa fuerunt.

Primam partem adſtruunt primorum Conciliorum, quorum quidem notitiam habemus, geſta & Canones, quibus pœnæ Canonicæ delictis Eccleſiaſticis Clericorum determinantur, ab ordinariis Judicibus delinquentibus infligendæ. Et confirmari poteſt ex Sanctionibus Imperatorum pro 2. p. adferendis.

Pro ſecunda parte exſtat Conſtitutio Gratiani & Valentiniani Imp. A. 376. edita L. 23. Cod. Theodoſ. de *Epiſ. & Clericis*, in qua delicta eccleſiaſtica ad Synodi audientiam referuntur, *exceptis, quæ actio criminalis ab ordinariis, extraordinariiſque Judicibus, aut illuſtribus poteſtatibus audientia* (legi debet *audiendas*) *conſtituit*. Hanc diſtinctionem innuunt etiam Imperatores Arcadius & Honorius L. 1. Cod. Theodoſ. de Religione. Et lege 3. ejusdem Cod. *de Epiſcopali Jud.* quæ Imp. Valentiniano, Theodoſio, & Arcadio inſcribitur, decernitur *nom. Epiſcoporum, vel earum, qui*

Eccleſiæ neceſſitatibus ferviunt, ne ad judicia ſive Ordinariorum Judicum pertrahantur: habent illi Judices ſuos, nec quicquam (vel potius quidquam) *his publicis commune cum legibus, quantum ad cauſas tamen Eccleſiaſticas pertinet, quas decet Epiſcopali auctoritate decidi.* Et ita conciliari videtur canon 9. Concilii Carth. IV. relatus N. 24. h. t.

28. Hæc diſciplina perduravit uſque ad Sæculum IX.

Credunt quidem nonnulli, eam delictorum diſtinctionem quoad immunitatem Clericorum a judicio ſæculari ſublatam per Honorii Imp. conſtitutionem A. 412. editam l. 41. Cod. Theodoſ. *de Epiſc. & Clericis*, qua decernitur indefinite; *Clericos nonniſi apud Epiſcopos accuſari convenit*; verum non obſtante hac indefinita expreſſione, credit Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem poſt Merlotum, Honorium non receſſiſſe ab Anteceſſorum ſuorum conſtitutionibus, tantumque de Eccleſiaſticis delictis locutum eſſe; quod ex ipſis verbis legis oſtendere conatur Gothofredus. Sed quidquid ſit, certum eſt, Juſtinianum Imperatorem eam rurſus delictorum differentiam obſervaſſe in Nov. 83. ubi in præfatione §. 2. ait: *Si tamen* (Clerici) *de criminibus conveniantur, ſi quidem* civilibus, *hic quidem competentes Judices, in Provinciis autem earum Præſides ſive Judices &c.* Denique cap. 1. ſubdit: *Si vero* Eccleſiaſticum *ſit delictum, -- Deo amabilis Epiſcopus hoc diſcernat.*

29. Noluit tamen Juſtinianus, Clericum apud Judicem Laicum de crimine civili accuſatum, & convictum condemnari, & puniri, niſi Epiſcopus Judicis ſententiam probaſſet, aut ipſius Principis deciſio in caſum diſſenſus cauſam determinaſſet.

Id conſtat ex Nov. mox relatæ cap. 2. ubi ſubdit: *Illud palam eſt, ſi reum putaverit eum, qui convenitur Provinciæ Præſes, & pœnis judicaverit dignum: prius hunc ſpoliari a Dei amabili Epiſcopo Sacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.* Et Nov. 123. c. 21. *Si vero Epiſcopus putaverit Geſta non juſte confecta, tunc liceat ei deferre & nudare honore ſeu gradu accuſatam perſonam, & ita ad nos negotium tam ab Epiſcopo, quam a Judice referatur, ut nos hac cognoſcentes, quæ nobis videntur, jubeamus.* Hæc Juſtiniani diſpoſitio conſonat Canonibus Sæculi VI. qui nolunt Clericis ullam injuriam inferri a Judicibus inſcio illorum Epiſcopo, uti loquitur Synodus Matiſconenſis II. A. 575. can. 10. & Pariſienſis V. can. 4. dicens: *ut nullus Judicum neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum, aut Juniores Eccleſiæ ſine ſcientia Pontificis per ſe diſtringat, aut damnare præſumat.*

30. Circa Sæculum IX. Cauſæ criminales Clericorum ſine criminum diſtinctione ad Judicem eccleſiaſticum etiam *privative* fuerunt devolutæ, atque apud ipſum in præſens tempus perſeverant.

Hanc propoſitionem tam Principum, quam Pontificum, ac Synodorum Sanctiones poſteriores evincunt, quæ nulla facta delictorum diſtinctione cauſas criminales Clericorum Epiſcopis, ſive Judicibus eccleſiaſticis deferunt. Ordinationes Caroli M. & ejus Succeſſorum hac ſuper re ſupra N. 26. vel retulimus, vel indicavimus, inter quas etiam notavimus cap. 38. lib. 1. Capit. Regum Francorum, quod ita ſonat: *ut Clerici eccleſiaſtici Ordinis, ſi culpam incurrerint, apud Eccleſiaſticos judicentur, non apud ſæculares.* In Conſtitutionibus, quas A. 1067. Mediolanenſibus obſervandas præſcripſerunt Legati Alexandri II. legimus; *integram quoque habeat Epiſcopus in omnem ſuum Clerum canonice judicandi ac diſtringendi poteſtatem.* Huc etiam faciunt, quæ de Henrico II. Angliæ Rege, & S. Thoma Cantuarienſi eodem N. 26. h. t. cum aliis ibidem annotavimus. Hanc immunitatem ita generatim ad omnia crimina extenſam etiam confirmavit Fridericus Imper. in Auth. *ſtatuimus* Cod. *de Epiſ.* qua ſtatuit: *ut nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali quæſtione vel civili trahere ad Judicem Sæcularem præſumat contra conſtitutiones Imperiales, & Canonicas Sanctiones.* Hiſque conformes ſunt Decretales, quæ hodie Jus commune Canonicum conſtituunt, generalem immunitatem, ſive *privilegium fori* Clericis de *quocunque* crimine reis vindicantes. Et quidem ex literis Innocentii III. ad Archiep. Piſanum relatis in c. 12. *de foro competenti*; *tam Epiſcopi, quam Diaconi, ſeu quilibet Clerici in criminali negatio, ſi derelicto eccleſiaſtico Judicio, publicis Judiciis ſe purgare voluerint, etiamſi pro eis lata ſit ſententia, locum ſuum amittant.* Recentioribus tamen juribus & Regnorum conſuetudinibus caſus introducti ſunt, in quibus Clerici delinquentes non gaudent privilegio fori, qui videri poſſunt apud canoniſtas.

§. IV.

De Cauſis Epiſcoporum.

31. Quamvis antiquitus eædem cauſæ Cleri inferioris tum civiles, tum criminales eccleſiaſticæ a Synodis Provincialibus vel judicarentur, vel reviderentur ab Epiſcopis jam deciſæ, propria tamen cauſæ criminales Epiſcoporum a primis Sæculis horum conciliorum judicio tamquam primæ inſtantiæ committebantur.

Antequam propoſitionem probem, Lectorem moneo, me impræſentiarum a quæſtione Juris, an ſemper Metropolitanus cum ſynodo Provinciali ſit prima inſtantia in cauſis Epiſcoporum *privative* ad Romanum Pontificem, vel non? cujus affirmativam Galli tenent, prorſus præſcindere, illudque ſolum evincere velle, primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcopos a Metropolitano cum Concilio Provinciali tamquam ordinaria prima inſtantia judicatos fuiſſe. Ex ſcopo autem convocationis horum Conciliorum una Lector intelliget, cauſas quoque Clericorum, imo & Laicorum, extra hæc concilia ad Epiſcopos pertinentes, in iis ventilari & terminari ſolitas eſſe. Itaque Can. V. Concilii Nicæni ſic ſonat. *Requirantur autem ne puſillanimitate, aut contentione, aut alia quolibet Epiſcopi vitio videantur a Congregatione ſecluſi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis Provinciæ congregatis diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones.* Qui Canon licet expreſſe & nominatim de Epiſcopis non loquatur, nihilominus cum generatim quæſtiones in Provincia exorientes velit in Provincia examinari, ac determinari, videtur & ipſas quæſtiones ſive cauſas contra Epiſcopos comprehendere, præſertim quia nominatim Concilio Provinciali Judicium tribuit, & examen excommunicationum ab Epiſcopis latarum in Clericos, quod fieri non poteſt, niſi de Epiſcopo Judicium feratur. Ad hæc ſecunda Synodus generalis Conſt. I. Canone 2. dicit *omnem Provinciæ adminiſtrationem Synodo Provinciali per Canonem Nicænum commiſſam.* Quis porro ambigat, quin inter illa, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt, maximi momenti ſit Epiſcoporum correctio, & depoſitio. Unde lib. 1. tit. 7. plures adduximus Canones primorum ſæculorum, qui Judicium de cauſis tranſlationis Epiſcoporum, ſicut & ipſas tranſlationes Synodis Provincialibus committunt, ibidemque a N. 10. capitulum 2. ejuſdem Tituli explicavimus. Sed omnem ſcrupulum eximunt Patres Africani (quos inter erat S. Auguſtinus) in ep. ad Cœleſtinum Papam, ubi tamquam indubitatum aſſerunt, juxta Nicæna decreta Epiſcopos a ſuis Metropolitanis in conciliis provincialibus eſſe judicandos. Conſonant Patres

tres

tres Antiocheni can. 15. qui ex verſione Dionyſii exigui ſic habet: *Si quis Epiſcopus de certis criminibus accuſatus condemnetur ab omnibus Epiſcopis ejusdem Provinciæ, cunctique conſonanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, ſed firmam concordantium Epiſcoporum Provinciæ manere ſententiam.* Et hoc ſi concors fuerit ſententia; ſin vero, tunc Canone 14. *Statuit, ut Metropolitanus Epiſcopus a vicino Provincia Judices alios convocet, qui controverſiam tollant, ut per eos ſimul, & per Comprovinciales Epiſcopos, quod juſtum viſum fuerit, approbetur.* Eandem diſciplinam luculentiſſime quoque exprimunt Canones Sardicenſes 3. 4. 7. in quibus appellationem a Synodi ſententia ad Romanum Pontificem ſtatuunt, de qua infra. Porro hanc diſciplinam uſque ad Sæculum VIII. integram manſiſſe, tum ex Canonibus, tum Imperatorum edictis, atque Eccleſiæ praxi fit manifeſtum; eam enim confirmat Synodus Chalced. Sæc. V. Can. 9. *Si Clericus autem cum proprio Epiſcopo negotium, aut litem habeat, a Provinciæ Synodo judicetur.* Pro Sæculo VI. vide novellam Juſtiniani 123. ſupra N. 26. relatam. Eodemque Sæculo Pelagius II. ſcribit ad Joannem Conſt. *Epiſcopos Provinciæ eſſe Judices, ad quorum judicium omnes cauſæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac civitatum cauſæ referantur, ut ab his omnibus juſte conſona voce diſcernantur.*

31. Circa Sæculum VIII. & IX. hæc Synodorum auctoritas in decidendis cauſis Epiſcoporum diminui cœpit.

Ad Sæculi VIII. finem prodiiſſe collectionem Canonum ſub nomine Iſidori, in qua præter alia exhibentur epiſtolæ Romanorum Pontificum a Clemente ad Siricium Papam, tradidimus lib. 1. tit. 2. N. 130. quas ſuppoſititias modernis doctis fere omnibus eſſe retulimus N. 153. At Sæculo IX. integram illam collectionem venerando nomine Iſidori Hiſpalenſis larvatam, haſque Epiſtolas ſub glorioſis nominibus primorum Pontificum, & Martyrum exhibitas, Sediſque Apoſtolicæ authoritati, atque Epiſcoporum a Judiciis Metropolitanorum immunitati faventes ambabus ulnis fuiſſe exceptas, atque a Romanis Pontificibus, & Epiſcopis ſuffraganeis propugnatas, ſcripſimus ibi N. 148. Cum ergo ibi referretur epiſtola ſub nomine Julii I. qui ſedit Sæculo IV. in cujus cap. 2. habetur: *Non oportet præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Epiſcopum damnari:* item cap. 4. *Si ab hodierna die Epiſcopum præter hujus S. Sedis ſententiam damnare, ac propria pelli Sede præſumpſeris, ſciat ſe irretractabiliter eſſe damnatum, & proprio carere honore:* in epiſt. quoque Eleutherii, qui vixit Sæculo II. *De accuſationibus ergo Clericorum, ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eorum accuſationes difficile eſt ad Sedem Apoſtolicam deferre, finitiva Epiſcoporum tantum Judicia deferantur, ut hujus S. Sedis authoritate finiantur:* hæque epiſtolæ indubiæ fidei tum haberentur, una invaluit opinio, Epiſcopum *ſine authoritate* Sedis Apoſtolicæ damnari non poſſe. Unde cum An. 835. ad Gregorium VI. appellaſſet Aldricus Cenomanenſis Epiſcopus ante ſententiam Epiſcoporum, præcipit quidem Gregorius, ut cauſa ejus audiatur a Primate Diœceſeos, ſed judicium peragi prohibet; quod ſibi reſervat, vel Legatis ſuis in Provinciam mittendis. Fragmentum hujus ep. exſtat apud Gratianum 2. q. 6. c. 11. Eadem fuit ſubſequentium Pontificum ſententia, quam & ſuis Epiſtolis ſæpius expreſſerunt, & ut obſervaretur, præceperunt. Quare in dictatu Gregorii VII. de quo mentionem fecimus lib. 1. Tit. 6. N. 87 pro regula 3. ſtabilitur: *quod ille ſolus (qua Papa) poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.* Cumque fragmenta harum epiſtolarum in variis collectionibus Canonum, quæ Sæculo XI. & XII. prodierunt, & quas nos lib. 1. Tit. 2. retulimus, præſertim in illa Gratiani, quæ omnium non tantum Canoniſtarum, ſed etiam Theologorum manibus terebatur, referrentur, nominatim fragmentum ep. Julii I. cauſa 3. q. 6. c. 9. & Can. 7. fragmentum ep. Eleutherii cum hoc ſummario: *Comprovinciales & Metropolitani Epiſcoporum cauſam audire, ſed non definire poſſunt:* ſententiæ hæ pro indubitato ſuſcipiebantur, & pro foro admittebantur. Cum vero idem Gratianus in ſuum decretum retuliſſet quoque Canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenſes, & ſimiles, qui cauſas Epiſcoporum ad Judicem Synodorum referunt, neceſſe fuit, aliquam reperiri rationem hos Canones conciliandi, unde tandem adhibita fuit diſtinctio inter cauſas *majores & minores*. Majores dixerunt, quæ depoſitionem ab Epiſcopatu mererentur; minores vero, quæ correctionem, ſed minorem requirerent. Illas Sedi Apoſtolicæ reſervatas eſſe dicebant, juxta decreta in decretalibus Pontificum relata, has vero conformiter ad ſacros Canones in Synodis Provincialibus, & a Metropolitanis eſſe terminandas. Hæc Eipenius Juris Eccl. p. 2. Tit. 3. c. 4. N. 26.

Quod me attinet, perſuaſus ſum I. Epiſtolas Romanorum Pontificum a Clemente uſque ad Siricium Papam eſſe ſuppoſititias, & Sæculi VIII. fine ab Iſidoro Mercatore compilatas. Id quod ſpeciali diſſertatione contra recentiſſimas Eximii P. Liberii a Jeſu celebris ſcriptoris replicas evincere conatus ſum lib. 1. tit. 2. c. 4. §. 5. Perſuaſus ſum II. Epiſcoporum cauſas non tantum minores, ſed etiam majores antiquioribus Eccleſiæ Sæculis a Synodis Provincialibus *de facto* in prima inſtantia non tantum *auditas*, ſed etiam *finitas* fuiſſe, non exſpectata Romani Pontificis ſententia, id quod ſole meridiano apertius evincunt canones tum lib. 1. tit. VII. tum impræſentiarum allati, atque a Gallis etiam quantum ad quæſtionem *Juris* amplexi. Quin ex canonibus concilii Generalis Sardicenſis infra referendis manifeſtum fiet, primam judiciorum Epiſcopalium inſtantiam tum fuiſſe Concilii, appellationis vero Romanam Sedem. Perſuaſus ſum III. Sedem Apoſtolicam hanc cauſarum majorum reſervationem præſidio harum epiſtolarum non uſurpaſſe, eſto Romani Pontifices mediis illis Sæculis eas genuinas exiſtimaverint, Innocentius enim cap. 2. de tranſl. Epiſ. eas non tam conſtitutione canonica, quam divina ſoli Romano Pontifici reſervatas aſſerit, & vere, non quidem immediate, ſed in quantum hæ reſervationes appendix quædam ſunt & corollarium divini Primatus, Romanis Pontificibus a Chriſto in perſona B. Petri collati. De quo vide & lege lib. 1. tit. VII. N. 10. & ſeqq.

32. Hanc cauſarum majorum & minorum diſtinctionem pridem receptam Sæculo XVI. confirmavit Concilium Tridentinum.

Sic enim habet Seſſ. 24. c. 5. de reform. *Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione aut privatione dignæ ſunt, ob ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcantur & terminentur. Quod ſi ejusmodi ſit cauſa, quæ neceſſario extra Romanam curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis aut Epiſcopis, a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero commiſſio ſpecialis ſit, & manu ipſius SS. Pontificis ſignata, nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolum facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva.* Poſt hæc de minoribus Epiſcoporum cauſis ſubjungit: *Minores vero criminales cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoſcantur, & terminentur a deputan-*

putandis per Concilium Provinciale. Subdit Eſpenius l. c. Ex his ſatis intelligitur, quomodo Eccleſia fuerit ſolicita, ne temere Epiſcopi accuſarentur, aut damnarentur, neque inferioribus ſubderentur; dum non niſi cauſas criminales ipſorum coram multorum Epiſcoporum cœtu examinari & diſcuti voluit. Verum & ex his etiam intelligere poſſunt Epiſcopi, quod juxta mentem Eccleſiæ debeant ſe in omnibus irreprehenſibiles exhibere, ne quis contra ipſos juſtam querelam habeat; neque hanc ab inferioribus Judicibus immunitatem in licentiam dominandi aut liberius peccandi aſſumere. Sane dum hodie vix Sæculo uno Synodus Provincialis habetur, patet, quomodo ab omni pene Judice Epiſcopi in hujuſmodi cauſis ſint exempti.

33. Modus ille definiendi negotia Eccleſiaſtica tum Laicorum, tum Clericorum, tum Epiſcoporum per Concilia Diœceſana ac Provincialia, etſi initio Eccleſiæ eſſet fere ordinarius, atque per Canones omnium ſæculorum uſque ad Tridentinam Synodum incluſive inculcatus, tamen in Eccleſia manuteneri etiam ante Concilium Tridentinum non potuit, & poſt Tridentinum ſenſim prorſus fere exolevit, vicem horum Conciliorum, quantum ad cauſas Romano Pontifici non reſervatas, ſupplentibus Epiſcoporum Conſiſtoriis.

Quantum ad propoſitionem multimembrem certum eſt, priſtinis Eccleſiæ Sæculis frequentiſſimos fuiſſe Epiſcoporum cum ſuo reſpective Clero, quaſi cum ſuo ſenatu, quem *Presbyterium* vocare ſolebant, conventus, quos hodie *Synodos diœceſanas* dicimus, ut Sæculo III. conſtat ex S. Cypriani aliorumque Patrum epiſtolis. Labentibus vero Sæculis hæ Synodi diœceſanæ ad normam Synodorum Provincialium bis in anno celebrari cœperunt (N. 31. h. t.). Deinde cum paulatim invaluiſſet, ut Synodi Provinciales ſemel duntaxat haberi deberent, id quod Sæculo VI. præſcripſit Juſtinianus Nov. 123. cap. 10. una quoque invaluit, ut Synodi Diœceſanæ ſemel annuatim haberentur, quam conſuetudinem Sæculo XII. ſupponit, & tacite approbat Synodus Lateranen. ſub Innocentio III. in cap. 25. de accuſat. Poſt hoc videmus Concilii Lateranenſis Decretum in pleriſque Conciliis innovatum fuiſſe, approbata nihilominus conſuetudine, ubi bis celebrari conſuevit, uti ſupponit & probat Synodus Baſileenſis Seſſ. 15. & refricat quantum ad binam celebrationem Synodus Colonienſis A. 1549. Quæ omnia probant frequentes horum Conciliorum interruptiones frequentibus his ſtimulis anſam dediſſe. Synodus Tridentina tametſi frequentiorem Synodorum celebrationem pro reformatione morum deſideraret, nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranenſis, *annuam* ſolummodo injunxit Seſſ. 24. c. 2. de reform. Quantum ad Synodos Provinciales, illæ olim ex decreto Concilii Nicæni c. 5. bis in anno celebrari debebant, qui canon renovatus fuit a Concilio Antiocheno can. 20. item Sæculo VI. a Concilio Chalced. Can. 19. aliiſque, quos refert Gratianus diſt. 18. At labente tempore, cum difficile videretur toties Epiſcopos convenire, paulatim ad annum celebratio Synodorum Provincialium protrahi cœpit. Id ob intermiſſa hæc Concilia Sæculo VI. *ſaltem* obſervari voluit Juſtinianus Nov. cit. & Nov. 137. cap. 4. itemque Synodus Quini-ſexta, & pro Eccleſia Latina Concilium Tolet. III. can. 18. S. Gregorius lib. 7. ep. 3. &c. Hæc interim moderatio ob ſolam neceſſitatem admiſſa adeo tandem invaluit, ut Innocentius III. in cap. *ſicut olim* de accuſat. eam tamquam a SS. Patribus promanantem obſervari voluerit. Verum nec hoc Decretum potuit vel annuam Synodorum Provincialium congregationem efficaciter perſuadere, ita ut Gregorius X. ep. ad Archiepiſcopum Narboneoſem A. 1275. dato ſummum in celebrandis hiſce Conciliis defectum illo Sæculo teſtetur. Qui defectus effecit, ut Sæculo XV. per Concilium Baſileenſe ad *triennium* protracta fuerit celebratio Concilii Provincialis, quam moderationem Concilia quædam particularia, nec non Leo X. in Synodo ſua Lateranenſi admiſerunt Sæculo XVI. Ipſa tandem Synodus Tridentina hanc moderationem admittens ſtatuit, ut *Metropolitani per ſe ipſos, ſeu illis legitime impeditis Coepiſcopus antiquior intra annum ad minus a fine præſentis concilii, & deinde* quolibet ſaltem triennio *poſt octavam Paſchæ Reſurrectionis D. N. J. C. ſeu alio commodiore tempore pro more Provinciæ non prætermittat Synodum in Provincia ſua cogere*. Seſſ. 24. cap. 2. de reform. Hanc vero Tridentini Concilii, ſalva priſtinæ Eccleſiæ diſciplina, moderationem in deſuetudinem omnino abiiſſe res ipſa loquitur. Idemque dicendum de Conciliis diœceſanis. Quorum vicem in pertractandis diœceſeon negotiis Eccleſiaſticis ſupplere ſtudent Conſiſtoria tum Archi-tum-Epiſcopalia per ſeſſiones ſuas; in exhortando vero & animando inferiori Clero ad muneris paſtoralis executionem (id quod ex Eccleſiæ ininterrupta mente, & S. Caroli Borromæi felici experientia commodiſſime & efficaciſſime fit per ſimilia concilia) per ſuas literas paſtorales, ſeu vernales, quas Archiepiſcopalis Curia Pragenſis de avito & laudabili more annis ſingulis ſub glorioſiſſimis Reſurrectionis Domini, ac Redemptoris noſtri ſolemniis ad omnes curam animarum in alma Archi-Diœceſi exercentes in hanc uſque diem mittit.

§. V.

De cauſis, quæ hodie in Romana Curia tractantur.

34. Cauſæ, quæ hodie Romam ex totius orbis Chriſtiani partibus referuntur, per varia Tribunalia ibidem erecta complanantur.

Hæc tribunalia, ſeu inſtantiæ conſtant ex Conſiſtorio Papæ, & variis congregationibus poſt Tridentinam Synodum paſſim erectis, quarum quindecim ſolus Sixtus V. ad Sæculi XV. calcem inſtituit; e quibus tamen poſtliminio quædam caſſatæ, aliiſque adunatæ fuere. De Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum egimus libro 1. tit. 2. cap. 7. §. 5. de Rota Romana ibi §. 2. Hic agendum ſupereſt de Conſiſtorio Papæ; de Congregatione S. Officii, ſeu inquiſitionis; de Congregatione S. Indicis; de Congregatione ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, de Congregatione ſuper immunitate Eccleſiaſtica, item ſuper examine Epiſcoporum; de Congregatione Rituum, de Dataria, de Pœnitentiaria, & de Cancellaria Romana.

35. Negotia majoris momenti, gratioſam vel politicam formam habentia, hodie in Conſiſtorio Papæ tractantur.

Conſiſtorium veteres dixere locum, in quo princeps de rebus publicis conſultat, & deliberat. Ex notis autem noſtris hiſtoricis huc uſque datis conſtat, Clerum Romanum a ſummis Pontificibus a primis Eccleſiæ Sæculis in negotiis Eccleſiaſticis in ſacratius Conſilium adhibitum fuiſſe (N. 1. tit. 33. libri 1.), hancque ſpartam ſubinde ſolis Cardinalibus ceſſiſſe (N. 12. ibi), unde poſtmodum invaluit, ut eorum conſeſſus coram Pontifice in ejus palatio per modum ſenatus dictus ſit *Conſiſtorium*, atque in ea appellatione hodie ſumitur, dum de Conſiſtorio Papæ, atque de beneficiis ac negotiis conſiſtorialibus ſermo incidit. Duplex autem hodie eſt conſiſtorium. Aliud extraordinarium magiſque ſolemne,

ſtone, cui prætec Csrdinales interſunt alii quoque Prælati, Miniſtri ac Principum Oratores, & Magiſtratus, qui Papæ præſidenti aſſiſtunt, quod & *publicum* dicitur. Aliud ordinatium, ſitque forma minus ſolemni cum ſolo interventu Cardinalium pro negotiis tractandis, ſoletque *ſecretum* dici. Tempore Innocentii III. ter in hebdomada ſolemne Conſiſtorium, quod in conſuetudinem jam devenerat, celebrabatur, ut habent ejus acta ex edit. Boſqueti pag. 28. hodie vero conſiſtorium ſecretum ordinarie habetur bis in menſe, & quidem feria 2. niſi Papa aliam diem aſſignaverit. Sub eodem Innocentio cauſæ minores in forma contentioſa inibi quoque decidebantur, teſtibus iiſdem actis hujus Pontificis: hodie negotia, quæ in Conſiſtorio explicantur, forenſem & contentioſam formam amplius non habent, ſed ad horum compoſitionem erecta fuit particularis congregatio, negotiorum Conſiſtorialium (quæ ſolum gratioſam, vel politicam formam, ut decet Principis ſupremum Senatum, habent) præparatrix, ſeu Conſiſtorii conſultrix, quæ proinde *Conſiſtorialis* appellatur, conſtituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum cum proprio Secretario, in qua prius examinantur materiæ in conſiſtorio proponendæ, partibus auditis in forma mere contentioſa, ita ut hæc Congregatio Conſiſtorialis ſit ipſius Conſiſtorii pars, & quaſi aſſeſſor; adeo ut non niſi de ejus voto negotia, quæ controverſiam pati poſſunt, expediantur. Inter negotia Conſiſtorialia hodierna primarium eſt novorum Cardinalium creatio, alterum proviſio Eccleſiarum Patriarchalium, Metropolitanorum, & Cathedralium vacantium; item Monaſteriorum quorumdam Regularium, quæ proin communiter *Monaſtria Conſiſtorialia* appellantur. Coadjutoriæ cum futura ſucceſſione tam Cathedralium, quam Monaſteriorum Conſiſtorialium, ſimiliter conſiſtorialiter expediuntur. Et hæc ſunt negotia primaria Conſiſtorii *ſecreti*, de quibus conſule Cardinalem de Luca in relatione Curiæ Romanæ diſcurſu 5. In publico Conſiſtorio Papa ſolemniter recipit Legatos Chriſtianorum Principum, & pileum noviter creatis Cardinalibus, tempore ſuæ promotionis abſentibus, impertitur, ut habet Relatio Curiæ Romanæ a Franciſco Seſtini conſcripta, quod proinde Conſiſtorium ſtatam diem non habet.

36. Cauſæ hæreticam pravitatem concernentes in Congregatione S. Officii, ſeu inquiſitionis judicantur.

Quantum ad Congregationem S. Officii ſive Inquiſitionis, circa ipſam Inquiſitionem plura dicenda occurrent Libro V. tit. 6. *de hæreticis*. Quæ huc pertinent, breviter jam expedienda. Paulus III. An. 1542. primus 6. Cardinales conſtituit & deputavit ſuos, & Apoſtolicæ Sedis in omnibus & ſingulis Reipublicæ Chriſtianæ civitatibus, oppidis, terris, & locis, tam citra, quam ultra montes ubilibet, etiam in Italia conſiſtentibus, ac in Romana Curia ſuper negotiis fidei Commiſſarios, & inquiſitores Generales, & Generaliſſimos. Conſtit. quæ incipit: *licet ab initio* 36. in Bullario. Pauli III. veſtigia premens Pius IV. octo Cardinales ad idem negotium deputavit, addens & declarans: *ut quidquid per majorem partem S. R. E. Cardinalium, qui in Congregatione pro dicto officio convenerint, dictum, geſtum, ſtatutum, decretum, terminatum, ſeu ſententiatum exſtiterit, ſit validum & firmum, ita & taliter, quod nullo modo impugnari poſſit, perinde ac ſi omnes & ſinguli Cardinales prædicti in dicta Congregatione convenissent, & major pars conſenſiſſet*: conſtit. quæ incipit, *cum nos* 79. in B. R. Declarationem Pii IV. confirmavit, & renovavit ejus Succeſſor Pius V. Conſt. quæ incipit *cum Felicis* 23. in B. R. Denique Sixtus V. per Conſtitutionem, quæ incipit *immenſa æterna Dei* 22. in B. R. hujus Congregationis officium & auctoritatem inſuper extendit ad *magiam, ſortilegia, divinationes, ſacramentorum abuſus, & quæcunque alia, quæ etiam præſumptam hæreſim ſapere videntur*, concernentia, & quidem ubique terrarum, *ſuper omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & alios inferiores inquiſitores, quocunque privilegio illi ſuffulti ſint*. Præter Cardinales, qui hanc congregationem proprie conſtituunt, ac propterea dicitur *Congregatio Cardinalium S. Officii*, ad illam quoque pertinent alii Ordinarii, & inferiores officiales, qui hoc inquiſitionis Tribunal regunt, & adminiſtrant in actuali Juriſdictionis exercitio, ac proceſſuum formatione, reorumque examine. Horum unus, qui Judicis Ordinarii partes ſubit, dicitur *Commiſſarius S. Officii*, de Ordine S. Dominici ex Lombardia. Hic in Conſiliarium ſive Aſſeſſorem habet Prælatum, vel Clericum ſæcularem, qui vocatur *Aſſeſſor S. Officii*. Alii item ſunt Miniſtri, v. g. Fiſcalis & Notarius. Deinde ad hanc Congregationem quoque ſpectant Theologi, & canonum periti, qui *Conſultores S. officii* vocantur, ex quibus duo ſunt ſtabiles ex Ordine Prædicatorum, nimirum Magiſter Generalis, & Sacri Palatii; unus ex Ordine Minorum, reliqui ex diverſis Ordinibus ad beneplacitum Papæ aſſumibiles. Hi Conſultores cum Patre Commiſſario, Aſſeſſore, Fiſcali, & Notario S. Officii conveniunt ſingulis feriis 2. in Palatio S. Officii prope Baſilicam Vaticanam. In hac Congregatione (quæ *Conſulta* dicitur) leguntur proceſſus criminales, ac etiam Epiſcoporum, atque localium inquiſitorum literæ, aut relationes, aliaque gravioris momenti negotia, quæ Cardinales Conſultoribus committunt, idque pro majori inſtructione Conſultoris, ait de Luca, qui ea relaturus eſt in alia Congregatione, ad quam conveniunt Cardinales. Hæc Cardinalium Congregatio habetur ſingulis Feriis IV. in Conventu Patrum Prædicatorum prope Eccleſiam B. M. ſuper Minervam. Congregatis Cardinalibus primum habetur congregatio *ſecreta*, in qua ſoli Cardinales cum Commiſſario & Aſſeſſore interveniunt, & deliberatur de negotiis, quæ conſultoribus commiſſa non fuerunt, majuſque ſecretum exquirere videntur. Poſtquam vero ſuper his ſufficiens diſcuſſio facta eſt, advocantur Conſultores, eorumque conſilium, ſeu votum expetitur. Feria 5. habetur alia Congregatio eorundem Cardinalium, idque coram Sanctiſſimo in Palatio Apoſtolico: hæcque videtur proprie eſſe congregatio inquiſitionis, ſeu S. Officii, de qua in cit. conſtit. Sixtus V. *Cui*, inquit, *ob ſummam rei gravitatem Romanus Pontifex præſidere ſolet*. In hac Congregatione præcipue tractatur caſus ſeu negotium, quod ex omnibus illa hebdomada relatis præcipuum videtur, quodque præ cæteris coram ſua Sanctitate diſcuti meretur. Poſtquam caſus propoſitus coram Pontifice mature diſcuſſus fuit, atque Theologi, ſi negotium ipſorum examini commiſſum fuerit, relationem ſuam abſolverunt, omnes dimittuntur exceptis ſolis Cardinalibus. Hi coram ſolo Pontifice vota ſua depromunt, atque ex eorum ſuffragiis ipſe concludere ſolet. Quo facto, & ſigno dato, rurſus intrat Aſſeſſor S. Officii cum Patre Commiſſario, quibus reſolutionem Congregationis ſignificat ſua Sanctitas. Qui plura deſiderat, adeat Cardinalem Lucam Tractatu cit. & Eſpenium p. 1. Tit. 22. c. 3.

37. Cenſura Librorum hæreſi, aut aliis perncioſis in fide vel bonis moribus erroribus inſecto-

ſectorum, ad Congregationem Indicis pertinet.

Cura & vigilantia, ne populus ex librorum lectione, hæreſi, aut aliis pernicioſis in fide aut moribus erroribus inficiatur, una pertinebat ad Congregationem Inquiſitionis, ſeu S. Officii, quæ proinde invigilare cœpit prohibitioni & correctioni hujuſmodi librorum. Cum autem hæc Congregatione in gravioribus actualibus negotiis fidei magis occupata (uti loquitur de Luca Tract. cit. diſc. 59.) iſta materia reviſionis & prohibitionis librorum forſan non adeo diligenter & accurate ageretur, Sixtus V. hanc congregationem Indicis, tamquam dictæ congregationis S. Officii Vicariam, & adjutricem erexit, eadem primæva poteſtate penes ipſam Matrem remanente, ut probat Eſpenius L. c. N. 34. Congregatio autem hæc conſtituitur ex competenti numero Cardinalium pro beneplacito Papæ. Habet prætarea Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui una cum Cardinali præfecto decreta Congregationis ſignat. Præterea habet perpetuum ac fixum Conſultorem, Magiſtrum S. Palatii, ſimiliter ex Ordine S. Dominici, qui primitus apparet aſſumptus, ut quaſi Theologus in rebus fidei in privatis occurrentiis (ait Cardinalis de Luca Tr. cit. diſc. 8.) Papam informaret, & antequam ſub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquiſitionis, ac Indicis, ipſi pene ſoli librorum reviſio, expurgatio, ac Impreſſio concredita fuit. Ad hanc inſuper Congregationem pertinet magnus numerus Theologiæ, aliarumque Literarum Profeſſorum, qui, inquit de Luca, frequentius omnes, vel pro majori parte ſunt Religioſi diverſarum Religionum, ſub nomine *Conſultorum*. Partes horum ſunt, revidendi, vel examinandi libros, qui tamquam ſuſpecti denuntiantur, juxta diſtributionem, quæ per Secretarium eis fieri ſolet; cum obligatione referendi, & examinandi in plena Congregatione, quæ diem certum non habet; ubi tum determinatur, an liber prohiberi, aut expurgari, vel ſuſpendi debeat, vel abſolute permitti poſſit; ſolentque ut plurimum Cardinales ſe Judicio Conſultorum, qui librum reviderunt, & examinarunt, conformare. Soli tamen Cardinales votum deciſivum obtinent ex Commiſſione Sixti V. in Bulla erectionis hujus Congregationis.

38. Negotia Epiſcoporum & Regulsrium, quæ non concernunt fidem, ſed ad Chriſtianæ Reipublicæ regimen ſpirituale pertinent, in Congregatione ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium expediuntur.

Cum ex Juris communis diſpoſitione Religioſorum cauſæ, non per Juris apices, neque cum tela judiciaria, ſed ſummarie, ac potius in forma extrajudiciali tractari debeant, Sixtur V. inter plures erectas a ſe Congregationes, quoque erexit Congregationem ſuper negotiis Regularium, eam conjungendo cum altera ſuper negotiis Epiſcoporum, *ita ut* (teſta de Luca cit. diſc. N. 15.) *unam candemque conſtituant*; & merito, ob hujuſmodi negotiorum frequentem connexionem. Hæc more Principis abſque ſtrepitu, & abſque proceſſu, vel tela judiciaria, ſummarie, ſola facti veritate inſpecta, & quandoque imo frequentius, etiam per ſolas extrajudiciales, ac ſecretas informationes, controverſias terminat, prudentiales regulas ſæpius adhibendo potius, quam rigores legales. Unica ergo eſt hodie congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, cum tamen in ipſa Sixti V. Conſtitutione duplex ſit: una, quæ dicitur *pro Conſultationibus Regularium*; altera vero *pro Conſultationibus Epiſcoporum, & aliarum Prælaturum*. Quæ cum (teſte de Luca diſc. 16.) tractet negotia curialia fori Eccleſiaſtici, quæ non concernunt fidem, ſed ad Chriſtianæ Reipublicæ regimen ſpirituale pertinent, videtur omnium *major*, ideoque majorem habere ſolet numerum Cardinalium ob majorem negotiorum multiplicitatem. Quin & eodem Cardinale teſte, hæc Congregatio dicitur *occupatiſſima*, atque in negotiorum multitudine omnium major. Congregatio vero *Cardinalitia* vocatur, quia nullos, præter Cardinales, alios inferiores Prælatos habet, niſi unum, qui Secretarii officium exercet, a quo literæ & decreta Congregationis ſcribuntur & ſignantur cum ſubſcriptione unius e Cardinalibus, qui Cardinalis præfectus appellatur. Hæc Congregatio haberi conſuevit feria ſexta cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apoſtolico. Cauſas regularium non ſolum publicas, ſive ſuper regimine Religionis in univerſum, ſiva inter unam Religionem & alteram, ſed etiam privata inter Religioſos ſuper electionibus, officiis, & Prælaturis, aut ſuper præcedentiis, aliiſque eminentiis, cæteriſque occurrentiis generaliter, inquit de Luca, S. hæc Congregatio cognoſcit, & determinat ſummarie, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, vel ſufficientibus probationibus per ſcripturam, nullo tamen adhibito formali proceſſu, cum Notario, & cum tela judiciaria.

39. Difficultates circa immunitatem Eccleſiaſticam occurrentes in Congregatione de immunitate Eccleſiaſtica enodantur.

Authorem habuit hæc Congregatio Urbanum VIII. ut ſcribit Seſtinius in relatione Curiæ Romanæ, nam ante hunc Pontificem hujuſmodi negotia in ſupra deſcripta Congregatione ſuper negoria Epiſcoporum & Regularium tractabantur. Componitur ex incerto numero Cardinalium ad beneplacitum Papæ, Secretario, qui eſt Prælatus, imo Auditore Rotæ, uno Clerico de Camera, & variis aliis Prælatis utriuſque ſignaturæ. Hæc ipſa Congregatio cognoſcit, & invigilat ſuper obſervantia immunitatis Eccleſiaſticæ, nec non ſuper tranſgreſſione & violatione ejuſdem per Magiſtratus & perſonas ſæculares, & ſubinde per ipſos Epiſcopos. Habetur hæc Congregatio die Mercurii ſemel in Menſe apud ſeniorem Cardinalem. Habet Cardinalem præfectum, qui ejuſdem ſigillum aſſervat. Convenit quoque quot ſeptimanis propter alia negotia politica, Immunitatem ſimiliter concernentia.

40. Periculum requiſitæ ad Epiſcopatum literaturæ Italiæ Epiſcopi facere tenentur coram Congregatione ſuper examen Epiſcoporum.

Hæc Congregatio a Gregorio XIV. ad mentem Tridentini, mores Chriſtianos, literaturamque ſufficientem in Epiſcopo promovendo requirentis, inſtituta eſt. Conſtat ex multis Cardinalibus, Prælatis, Theologiſque ſæcularibus, & Regularibus variorum Ordinum, itemque quibuſdam Doctoribus Canonum. Habetur diebus Martis, & Veneris coram Pontifice, qui huic examini intereſt. Omneſque Epiſcopi Italiæ obligantur ante conſecrationem ſe huic examini ſubjicere, quod genuflexi ad pedes Sanctiſſimi ſedentis præſtant, reſpondendo ad quæſtiones Theologicas, & Canoniſticas.

41. Curam propagandi fidem Catholicam in partibus infidelium gerit Congregatio de propaganda Fide.

Erecta fuit hæc Congregatio a Gregorio XV. eo fine, ut omnem poſſibilem conatum impendat, quatenus fides catholica in Oriente præſertim per Alumnos 40. circiter ex variis Nationibus, majori tamen ex parte Orientales ſtabilitos, & educatos in proprio nobili Collegio pro iiſdem ab Urbano VIII. in foro Hiſpanico erecto, propagetur. Quos Alumnos primitus fundavit Joannes Baptiſta Vives, & ſucceſſive Cardinalis Antonius

Ca-

Capucinus, frater dicti Urbani VIII. aliique, quorum nomina ſpecificantur in deſcriptione Romæ modernæ de Roſſi. Hæc Congregatio celebratur ſemel aut ſæpius in Menſe juxta negotiorum exigentiam in Conclavi dicti Collegii die Lunæ mane. Illique interſunt Cardinales pro eadem deputati, Protonotarius Apoſtolicus, Secretarius ſtatus ſuæ Sanctitatis, Referendarius utriuſque ſignaturæ, Aſſeſſor S. Officii, & Secretarius proprius Congregationis. Ipſi Cardinales plenam habent dicti Collegii adminiſtrationem, ex quibus unus eſt Præfectus, cum Secretario Prælato. Hique mittunt ſuos alumnos poſt abſolutum ſtudiorum curſum cum Titulo Miſſionariorum, aut Commiſſariorum Apoſtolicorum in regiones ab hæreticis, vel Paganis occupatas, cum aſſignatione Viatici. In eodem Collegio conſervatur commoda typographia proviſa omnigenis characteribus orientalibus, ad effectum libros Eccleſiaſticos ad eandem miſſionem ſpectantes imprimendi.

42. Sacrarum Cæremoniarum per totum orbem Chriſtianum œconomia vigilantiæ Congregationis Rituum commiſſa eſt.

Sacram Congregationem Rituum primum quoque inſtituit Sixtus V. in conſtitutione 74. in Bullario Romano, eique 5. Cardinales præfecit. *Quibus*, ait, *hæc præcipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus ſacri ubivis locorum, in omnibus urbis, orbiſque Eccleſiis, etiam in Capella noſtra Pontificia, in Miſſis, divinis officiis, Sacramentorum adminiſtratione, cæteriſque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis perſonis diligenter obſerventur; cæremoniæ ſi exoleverint, reſtituantur, ſi depravatæ fuerint, reformentur; libros de ſacris ritibus, & cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent; officia divina de SS. Patronis examinent, & nobis prius conſultis concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum Canonizationem, Feſtorumque dierum celebritatem; omnia rite & recte & ex Patrum traditione fiant.* Quinque ergo Cardinales hanc congregationem ex primæva ſui inſtitutione conſtituebant; at hodie præter Cardinales, quorum numerus dependet a beneplacito Papæ, interveniunt huic Congregationi plures Prælati, quorum unus eſt Secretarius, inquit de Luca diſc. 18. ac etiam aliqui Religioſi Theologiæ Profeſſores, ex cæteris Magiſter S. Palatii, & Sacriſta Papæ: ac etiam unus vel plures Magiſtri cæremoniarum Papæ. Præter quæſtiones, quæ ritus, cæremoniaſque concernunt, quæque primario ad hanc Congregationem ſpectant, plures aliæ etiam quæſtiones ad ipſam referri ſolent, ut v. g. præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum in proceſſionibus, aliiſque publicis functionibus, aut etiam ſuper jure ſunerandi vel celebrandi officium funebre, aliiſque, quæ divinum officium turbare poſſent, quæque eo pertinent, ut rite ac recto ordine omnia in Eccleſia peragantur. Hæ tamen quæſtiones præſertim ſi inter regulares incidant, non raro ad Congregationem ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium mittuntur, atque ab ea deciduntur; adeo ut *privativa* ſingularis cognitio hujus Congregationis (teſte de Luca diſc. 18. N. 24.) verſetur *in præſcribendis ritibus in divinis officiis, ac etiam ſuper Canonizatione Sanctorum*. Quantum ad ultimum tamen, inſpecta hodierna praxi curiæ Romanæ, Congregatio ſuper Canonizatione Sanctorum, vel eorum Beatificatione nonnihil ab hac diverſa eſt; eamque Cardinalis de Luca *extraordinariam* vocat; eo quod in ea ultra Cardinales, & Prælatos ad Congregationem rituum ſpectantes, quaſi extra ordinem adjungantur Prælati alii, nimirum Promotor fidei, tres Seniores Auditores Rotæ, qui tanquam periti Canoniſtæ munus Aſſeſſorum gerere videntur, unus quoque ex Protonotariis participantibus. Adhibentur quoque alii Theologi, qui Conſultores, vel reſpective qualificatores dicuntur. Quin & pro Conſilio adhiberi ſolent Medici & Philoſophi, aliique Profeſſores, qui judicent, an operationes, quæ miraculis adſcribuntur, revera dici debeant ſupernaturales, an vero provenire nequeant ab aliqua cauſa naturali. Poſtquam vero probationes mature in pluribus Congregationibus diſcuſſæ fuerunt, atque negotium Canonizationis jam præparatum eſt, tunc habetur Congregatio magis ſolemnis coram ipſo ſummo Pontifice, qui audito voto Congregationis interponit quidem decretum ſuper Beatificatione, aut conceſſione cultus particularis in aliqua Eccleſia, aut ordine; ſed Canonizationem ſeu abſolutam adſcriptionem in Catalogum Sanctorum non decernit; ſed hoc examine peracto in hac ſolemni Congregatione coram Papa, aliud inſtituitur in pleno Conſiſtorio ſecreto; ac denique habetur Conſiſtorium ſolemnius & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui in Curia præſentes ſunt, quorum omnium etiam votum exquiritur per quandam Concilii imaginem. In hoc Conſiſtorio præmiſſis precibus, aliiſque cæremoniis, quæ in cæremoniali Romano lib. 1. Sect. 9. late deſcribuntur, inſtante Procuratore cauſæ, Pontifex alta voce ſedens cum mitra pronuntiat in hunc modum: *Ad honorem Sanctæ individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Chriſtianæ Religionis augmentum, auctoritate ejuſdem Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus S., & Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, & definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum eſſe, & Sanctorum Catalogo adſcribendum, ipſumque Catalogo hujuſmodi adſcribimus*. De Canonizatione Sanctorum alibi fors dicemus. Præſentia ex Eſpenio, qui ea ſumpſit ex Cardinali de Luca, huc attuliſſe ſufficiat.

43. Negotia circa Beneficia Eccleſiaſtica, penſiones, diſpenſationes, impedimenta *publica* in Sacramentis Ordinis & Matrimonii ad Datariam Romanam hodie devolvuntur.

Officium Datarii, prout hodie accipitur in Curia Romana, antiquum dici haud poſſe probat Cardinalis de Luca in ſæpius citata relatione Romanæ Curiæ diſc. *9.* Antiquitus enim (ait de Luca l. cit. N. *6.*) Papa forte nihil, vel parum ſe ingerebat in illis negotiis, circa quæ pene totum Datarii munus hodie verſatur: ut nempe ſunt collationes Beneficiorum reſervatorum, vel affectorum, nec non reſervationes matrimoniales, aliæve diſpenſationes, puta ſuper natalibus, vel ſuper irregularitate, aut ſuper bigamia, vel ſuper ætate, & ſimiles; ac etiam ſunt Apoſtolica beneplacita ſuper alienationibus bonorum Eccleſiæ, vel conceſſiones officiorum venalium, & ſimilia, quæ omnia moderna ſunt, dictis antiquis temporibus incongrua. Hæc Cardinalis de Luca, qui ibidem N. 12. & 13. deducit, qua ratione circa Sæculum XIV. introductæ ſint reſervationes Beneficiorum, de quibus nos lib. 1. tit. 6. N. 49. atque ex his originem ſumpſerint Penſionum Eccleſiaſticarum reſervationes. Cum itaque, pergit de Luca N. 14. hujuſmodi proviſiones non publice in Conſiſtorio, ſed privatim in aula per ſupplices libellos, aut per ſupplicationes manu Papæ ſignatas fierent, caſus autem præberet, quod idem Papa ex multiplicitate negotiorum non valens omnia memoria retinere, eadem beneficia pluribus perſonis conferret; unde propterea continua oriebantur jurgia ſuper temporis anterioritate, quæ etiam in beneficialibus, atque in gratiarum

tiarum

tiarum conceſſionibus attendenda eſt, quod videlicet gratia anterior poſteriori præfertur; idcirco quendam privatum potius, ſeu fiduciarium Miniſtrum, tanquam per ſpeciem Secretarii, ad id deputare congruum fuit, qui curam hujusmodi ſupplicationum, & expeditionum haberet, atque, poſtquam Papa per ejus ſignaturam gratiam perfecit, ipſe adnotaret tempus, ſeu diem, ut ita dignoſceretur, quænam eſſent gratiæ anteriores, & quæ poſteriores, ac etiam (& fortius) ut ita convinci poſſet, an congruo tempore gratia petita, & reſpective conceſſa eſſet, eo quod abſque veriſimili notitia mortis beneficia adhuc non vacantia, quando recens vacatio ſperabatur, extorqueri ſolebant, ut etiam hodierna praxis quandoque docet. Idemque miniſter, vel Officialis, qui hanc habebat curam, adnotandi videlicet *datam* temporis, tanquam rerum beneficialium peritus gerebat quoque munus Conſiliarii, vel Auditoris Papæ ad effectum inſpiciendi, itemque conſulendi, an ea vacatio caderet, nec ne ſub ejus reſervatione, ac proviſione; ſeu quomodo pro beneficiorum qualitate proviſio facienda eſſet; aut an oratores, qui ſupplicationes porrigebant, eſſent digni, ac idonei, nec ne? Exinde propterea prodiit hoc Datarii nomen, ſeu vocabulum, non quidem a Verbo *dare*; quoniam non ipſe, ſed Papa dat beneficia, aliaſque gratias; ſed ab alio barbaro, ac linguæ Latinæ Profeſſoribus ignoto vocabulo *datare*, quia ſcilicet adnotabat *datam*, quæ in Principum legibus, ac proviſionibus, & gratiis ab antiquo tempore adhiberi conſuevit, ut docet tenor plurium imperialium conſtitutionum in Codice, ac etiam docent Apoſtolicæ Conſtitutiones, aliaque diplomata etiam antiqua. Porro Datarii Officium juxta modernum Curiæ Romanæ ſtylum inter præcipua munia reputatur, adeo ut ſubinde etiam Cardinales ad id aſſumantur; ea tamen differentia, quod ſi Cardinalis ſit, tunc non *Datarius*, ſed *Prodatarius* dicatur. Forte, ait de Luca, *quia non congruat eximiæ Cardinalitiæ dignitati aſſumere Officium inferius ac Prælatitium, quod ita proviſionaliter, ſeu jure cujusdam commendationis per Cardinalem adminiſtrari non congruat*. Habet Dataria præter Datarium plures Officiales, & adjutores: ex quibus duo majores alter *Subdatarius*, & alter per *obitum* dicitur. Subdatarius, proprie loquendo, eſt ſubſtitutus Datarii, nequaquam tamen a Datario dependens; ſed a Papa immediate inſtituitur, & Prælatis curiæ annumeratur. Ipſius eſt revidere omnes libellos ſupplices, qui Papæ offerri poſtulantur, exceptis illis, qui ſunt pro impetrandis beneficiis per mortem in terris *obedientiæ*, qui revideri debent per Officialem, qui dicitur *per obitum*. Hæc Eſpenius cit. ex Cardinali de Luca, qui conſuli poſſunt.

44. Criminum quorumdam ac cenſurarum abſolutiones, nec non votorum atque irregularitatum diſpenſationes, aliæque cauſæ, quæ pro foro externo ad Datariam ſpectant, pro *foro interno* in Pœnitentiaria pertractantur.

Romanum Pontificem ſicut & alios Epiſcopos ſæculis XII. & XIII. ſuos jam habuiſſe Pœnitentiarios generales, ad quos tamquam ad ipſum Epiſcopum pro abſolutione gravium criminum recurſus haberetur, & quos in perplexis atque difficilioribus caſibus inferiores Confeſſarii conſulerent, conſtat ex cap. 15. *de officio Ordinarii*. Cum vero labentibus Seculis plura in propoſitione allata ad Sedem Apoſtolicam eſſent devoluta, his vero examinandis & decidendis ſolus Pontifex eſſet inſufficiens, omnia Pœnitentiario ſuo plene commiſit, uti notat Cardinalis de Luca, tam in foro externo, quam interno, adeo ut pleraque negotia, quæ hodie per *Datariam & Secretariam brevium* expediuntur, concederentur per organum Pœnitentiariæ. Verum cum tractu temporis plura continuo negotia ad Pœnitentiariam Apoſtolicam devolverentur, tandem neceſſe fuit, alios Officiales ei adjungere, qui unum quaſi cum ipſo Pœnitentiario tribunal conſtituunt, quod *Pœnitentiaria* dicitur. Duravit hæc ſumma Pœnitentiarii auctoritas uſque ad tempora Pii IV. qui anno 1562. Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apoſtolicæ edidit, quæ incipit *in ſublimi* 53. in Bullario Romano. In qua poſtquam præfatus fuiſſet in pœnitentiariæ officio, in quo *morum Cenſura, & animarum ſalus præcipue vertitur*, plures & diverſos abuſus irrepſiſſe, per decretum ſuum reformationis plures facultates Pœnitentiario, ejuſque officialibus adimit. Ulterius progreſſus Pius V. novam plane formam ipſius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata, & abolita, induxit per Bullam, quæ incipit *in omnibus* 83. in B. R. Qua ait: *Ipſum Pœnitentiariæ Officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis magis convenerunt, exoneratum, atque expeditum, deinc ea, quæ* animarum ſalutem *præcipue concernunt, attentiori ſtudio proſequatur*. In qua Bulla diminutis negotiis etiam officiales & Miniſtros Pœnitentiariæ minuit. Voluitque paucis probis & petitis ea officia *gratis omnino* & ſine omni venalitate conferri. Primarius itaque Pœnitentiariæ Miniſter eſt *Major Pœnitentiarius*, præter quem in tribus Patriarchalibus Urbis Eccleſiis exiſtunt *Pœnitentiarii minores*. Nimirum in Lateranenſi ex Ordine minorum Obſervantium reformatorum. In Vaticana Societatis JESU. In Liberiana, ſeu S. Mariæ Majoris Ordinis Prædicatorum, ad quos Major Pœnitentiarius mittere ſolet abſolvendos, aut a voto vel impedimento relaxandos, qui in Curia præſentes abſolutionis aut relaxationis gratiam mereri judicantur. Qui virgam manu tenentes, ea pœnitentes tangunt. Alia ſpecies Officialium eſt illorum, qui regunt Pœnitentiariam per quamdam ſpeciem tribunalis, audiendo ſcilicet ſupplicationes ſuper petitis abſolutionibus, & diſpenſationibus, præcipue abſentium ab Urbe, pro quibus expediendæ ſunt literæ in forma. Quorum prior eſt *Regens* Pœnitentiariæ, qui vices Majoris Pœnitentiarii gerit, & plures abſolutiones, & diſpenſationes ipſo inconſulto concedere ſolet. Quas ſicut & Pœnitentiarius ſignat per tò *fiat de ſpeciali*, vel *fiat de expreſſo*, ad diſtinctionem ſignaturæ Papæ, quæ ſonat *fiat ut petitur*. Secundus *Datarius*, qui in calce ſupplicationis ſcribit datam diei, menſis, & Pontificatus Papæ viventis. Adſunt prætetea in hoc tribunali, teſte de Luca, tres Procuratores, ſeu Secretarii, qui per turnum inter ſe diſtribuunt libellos, qui porriguntur ſine nomine ſub aliquo ſigno vel ciſera, ut dignoſcantur ab iis, qui negotia gerunt. Nec non duo Conſultores. Habet inſuper hoc tribunal ſuum Conſultorem, qui, eodem teſte, ſigillum S. Pœnitentiariæ apud ſe retinet, & literas majoris Pœnitentiarii nomine expediendas *intus & extra*, Bullas vero tantum *intus* ſubſcribit poſt Correctorem. Qui Corrector ſupplicationes a Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cum neceſſitas expoſcit, corrigit, & pro adimpleti ſui muneris ſigno notulam peculiarem imprimit in extremis ſupplicationum paginis; literas demum omnes in forma Brevis, ac Bullas ſecundum præſcriptam ſupplicationis formam expediendas, & expeditas ſubſcribit. Demum in hoc tribunali ſunt tres ſcriptores, qui literas vel Brevia juxta formam ſupplicationis ſcribunt. Omnes hi Pœnitentiariæ Officiales juramento interpoſito promittunt, *quod Officium ſuum fideliter exercebunt, ejusque ratione* nihil *ab aliquibus* etiam ſponte *oblatum, vel donatum accipient, præterquam ſa-*

larium

larium ſibi conſtitutum. Secreta Sacra Pœnitentiaria, & occultos caſus, ac perſonas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra Officium revelabunt. Major Pœnitentiarius quolibet menſe Officiales convocat ad caſos occurrantes decidendos, teſta Marco Leone cap. 2. N. 1. Interdum tamen, ut monet de Luca, ubi dubitatur de poteſtate diſpenſandi, ipſe, vel Regana Papam adit. Negotia, quæ cum Brevibus ſive literis in forma Brevis expeditis in Pœnitentiaria explicantur, ſunt diſpenſationes ſuper occultis irregularitatibus ex cauſa homicidii, vel illegitimorum natalium, aut alterius defectus: ac etiam revalidationes Matrimoniorum contractorum cum impedimento dirimente, ſed plane *occulto;* item revalidationes ſimoniacarum proviſionum, modo ſimonia ſit *occulta;* item abſolutiones a cenſuris, præſertim ob excommunicatione ob percuſſionem Clerici; hocque caſu in hoc tribunali conceditur abſolutio, tametſi negotium ſit *publicum*, atque excommunicatio judicialiter declarata ſit. Omniaque *gratis* omnino expediuntur.

45. Primaria & graviora Sedis Apoſtolicæ negotia, publica, & ſolemnia, qualia ſunt Conſiſtorialia, aliaque plurima, in hiſce tribunalibus complanata, per Cancellariam Romanam expediuntur.

Cancellaria vox barbara, inquit Budæus ad Pandectas, uſurpata eſt pro loco, ubi publicæ literæ a ſcribis Principum, & Magiſtratuum conficiuntur. Eſt itaque Cancellaria Romana locus, in quo publicæ literæ in variis Eccleſiæ Catholicæ, Chriſtianorumque negotiis expediuntur. Primarius ejus Miniſter eſt *Vice-Cancellarius*, habens fixum Titulum Cardinalitium Eccleſiæ collegiatæ S. Laurentii in Damaſo, atque commodam & amplam habitationem in inſigni, vereque Regio Palatio, quod Cancellaria dicitur: in quo ipſa Cancellaria tamquam per ſpeciem magni tribunalis ſtatutis diebus tenetur, aliæque functiones publicæ peraguntur. Vocatur autem Vice-Cancellarius, non quaſi *vices* alicujus alterius Cancellarii agat, ſed ſecundum Cardinalem de Luca veroſimilius, quia etſi modernæ Cardinalitiæ dignitati non congruat officium inferius ſau Prælatorum agere, congruum nihilominus videatur illud *proviſionaliter*, ſeu Jure cujuſdam commendationis per Cardinalem adminiſtrari; quemadmodum & in munere Datarii praxis docet. Per hujus ergo manus præſata in propoſitione negotia tranſeunt: adeo ut cum quadam proportione dicendus ſit Cancellarius Papæ, eo modo, quo in ſingulis Diœceſibus quilibet Epiſcopus habet Notarium, & Cancellarium majorem, qui acta Synodalia, & judicialia, ac etiam Pontificalia conſcribit, & authenticat; uti notat Card. de Luca lib. cit. N. 5. Plures habet Vice-Cancellarius Officiales, quorum aliqui ſunt majores Prælati, Prælaturam annexam habentes. Primarius eſt *Cancellariæ Regens*. Cujus auctoritas deſcribitur in ultima regula Cancellariæ. Imprimis ipſe revidet Bullas expeditas & promulgatas, & ſi quis error irrepſerit, eum corrigit, ac ad calcem Bullæ reformatæ manu ſua ſcribit: *correcta prout jacet*. Poſt hunc ſequuntur Præſidentes de *majori* vel *minori Parco*, ita dicti a loco Cancellariæ, in quem conveniunt, qui vulgo *Parcus* dicitur. Hi de majori Parco nominantur etiam Abbreviatores, a conficiendis literarum Apoſtolicarum breviaturis, ſive minutis; quas a ſignatura Cardinalis Vice-Cancellarii ejuſdemque *Contra-Schedula* tamquam matrice conficiunt. Pro quo notandum, quod facta in Conſiſtorio proviſione per Pontificem de Eccleſia Cathedrali, Cardinalis Vice-Cancellarius accipiat Decretum Proviſionis Papalis, illudque in libro materiarum conſiſtorialium conſignet ſub hac formula: *Romæ apud S. Mariam majorem, die —— Menſis —— anno —— fuit Conſiſtorium, in quo Sanctiſſimus D. N. referente Cardinali N. providit Eccleſiæ N. per obitum N. Vacanti de Perſona N.* Poſt hæc Cardinalis proponens conficit Schedam, ſive Schedulam, quæ dicitur *Schedula Conſiſtorialis proponentis*, per quam ſignificat Cardinali Vice-Cancellario, Pontificem in Conſiſtorio providiſſe tali perſonæ de Eccleſia Cathedrali; qua recepta, Vice-Cancellarius conficit aliam ſchedulam, quæ vocatur *Contra-Schedula*, in qua ſummarie narrat, qualiter Pontifex in Conſiſtorio providerit Eccleſiæ N. de Epiſcopo Paſtore; eamque Schedulam Secretarii ſui ſubſcriptione, proprii ſigilli impreſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione munit. Ulterius Prælati de majori Parco quoddam quaſi tribunal conſtituunt, in quo collegialiter convenientes decidunt dubia, quæ oriri contingit ſuper literarum formula, vel clauſulis, & decretis in eis adjiciendis, ac etiam ſuper emolumentorum ſolutionibus, aliiſque contingentiis. Prælati de minori Parco, ait Petrus Gaſtellus in ſua praxi Curiæ Rom. proprie ſunt officiales otioſi, exiguam habentes Juriſdictionem, in id unum intendentes, ut Bullæ ferantur, & tradantur Prælatis de majori Parco. Facta minuta per Prælatum ſeu Abbreviatorem de majori Parco, qui eſt in turno, mittitur deinde ad alium Abbreviatorem, ut eam revideat; quæ reviſa traditur Scriptori Bullarum. Tum per Apoſtolicos Scriptores, ait de Luca, juxta eorum formulas efformantur literæ, quæ *Bullæ* dicuntur, ſub plumbo in ejuſdem Vice-Cancellarii Aula, ſeu in Cancellaria; eodem modo, quo per ejuſdem Cancellariæ ſcriptores & Officiales aliæ efformantur literæ ſuper Proviſionibus aliorum beneficiorum, nec non ſuper Apoſtolicis diſpenſationibus, aliiſque gratiis & conceſſionibus, quæ fiunt extra Conſiſtorium per organum Datarii. Plures ſunt Cancellariæ officiales, qui Bullis illius revidendis, tranſcribendis, plumbandis, regiſtrandis, occupantur; quorum alii, inquit de Luca, vocantur Summiſtæ, alii Secretarii, alii Plumbatores, alii Cubicularii & Scutiferi, alii Protonotarii, alii Subdiaconi, & alii ſub diverſis vocabulis nuncupantur. Hi omnes participant vel in annatis, vel in emolumentis, quæ pro literarum expeditionibus ſolvuntur; atque Jura hæc communiter dicuntur, *Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ*. His modum impoſuit Gregorius XV. per regulam Cancellariæ incipientem *Item idem D. N. exactionibus* &c. Quæ Regulæ, ait Ludovicus Gomeſius in proœmio ad Regulas Cancellariæ q. 2. ab initio introductæ fuerunt, ut officiales Cancellariæ per eas in literis expediendis inſtruerentur, ut patet, ait, ex Regulis Joannis XXII. (Sæculo XIV.) & Benedicti ac aliorum. Et licet a tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa judicia additum fuerit, illud tamen reſpicit actum in Curia agendum. De Regulis Cancellariæ egimus lib. 1. tit. 2. cap. 6. §. 2. Habet præterea Cancellaria Romana Secretarium Brevium, per cujus organum expediuntur literæ Apoſtolicæ, quæ dicuntur in forma *brevis*. Quarum differentiam a Bullis Romanis dedimus L. mox cit. §. 1.

§. VI.

De Forma Judiciorum Eccleſiaſticorum.

46. Forma Judiciorum Eccleſiaſticorum primis Eccleſiæ Sæculis nullis civilis Juris formalitatibus inſtructa fuit; ſed cauſæ per modum amicabilis arbitramenti ad æqui bonique amuſſim componebantur.

Formam Judiciorum Eccleſiaſticorum per V. priora ſæcula exhibent Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. c. 47. quæ etſi Apoſtolis tribui nequeant (lib. 1. tit. 2. c. 2. §. 2.), videntur tamen circa ſæculum IV. collectæ, utpote diſciplinam illius ætatis graphice referentes. Illo itaque harum con-

ſtitutionum cap. præſcribitur: ut *Judicio aſſiſtant Diaconi & Presbyteri, qui circa acceptionem perſonarum tamquam homines Dei juſte judicent*. Deinde additur: *Si inter duas perſonas quæſtio eſſet, utraque in judicium veniebat, eiſque auditis ferebantur ſuffragia, ita tamen, ut prius omnem operam impenderent, ut cauſa amicabiliter componeretur, & diſcrepantes ad concordiam revocarentur.* Verba ſunt: *Cum igitur utraque perſona, ſicut Lex jubet, in judicium venerit, ſtabit utraque diſceptantium in medio Judicio, quibus auditis, ferte ſancte & incorrupte ſuffragia, & date operam, ut antequam Epiſcopus pronuntiet, ſiant amici, ne exeat Epiſcopi ſententia ſuper terram contra eum, qui deliquit; qui habet ſecum in Tribunali Chriſtum Dei Filium Judicii comprobatorem, & cognitorem*. Ex quibus habemus cauſas tunc ſummarie, utrimque parte audita, fuiſſe deciſas; operamque præcipue impenſam, quomodo partes ad concordiam adducerentur, omniſque diſſenſionis & amaritudinis radix e cordibus fidelium eradicaretur, atque ita veri inter ſe amici fierent. Si vero cauſæ, ſive quæſtiones majoris momenti inciderent, Epiſcopus non tantum Presbyteros, Diaconos, & Clerum civitatis Epiſcopalis (qui quaſi ejus ordinarium Senatum conſtituebant), ſed ex tota Diœceſi convocabat; quem Conventum hodie dicimus Synodum Diœceſanam. In hoc autem Conventu Epiſcopus notabiliores quæſtiones & difficultates proponebat, & una cum Clero ſuo diſcutiebat, ac de eorum conſilio decidebat. In hunc finem ex præſcripto Concilii Nicæni aliorumque quotannis cogebantur Concilia Provincialia, ut ſupra N. 30. vidimus. Hanc Judiciorum formam Eccleſia Catholica ab ipſo Apoſtolo didicit, qui vel nullas lites inter Chriſtianos haberi voluit, vel ortas a ſapiente per modum amicabilis arbitramenti componi (N. 16. h. t.); ſapitque ſinceram mentem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui pacem & charitatem diſcipulis ſuis tantopere inculcavit, & contendenti de tunica pallium inſuper relinqui juſſit Matth. 5.

47. Hæc Judiciorum Eccleſiaſticorum ſimplex & plana forma circiter per X. Sæcula inconcuſſa permanſit, atque toto illo tempore ipſe forenſis ſtrepitus a Judiciis illis exulavit.

Id adſtruunt collectiones Canonum, quæ Codices Burchardi & Ivonis Sæculo XI. compilatos antecedunt, de quibus nos lib. 1. tit. 2. c. 10. egimus, in quibus ordo ille proceſſus, aliæque Juris civilis ſolemnitates, in prælaudatum librum poſtea adoptatæ, deſiderantur. Et confirmant exempla utriuſque Eccleſiæ Thomaſſino de Nov. & Vet. Eccl. diſcipl. p. 2. lib. 3. a cap. 101. lato calamo adducta.

48. Poſt Sæculum X. ſenſim formalitates & ſubtilitates forenſes tribunalia Eccleſiaſtica ſubintrare cœperunt.

Studium legum civilium, quod Sæculo XI. in Italia florere cœpit, publicæque Juris Juſtinianæi prælectiones, tum in Occidentem introductæ, quibus non tantum Laici, verum etiam Clerici delectari cœperunt, (id quod præter collectionem Ivonis Carnotenſis, in qua multa ex libris Juris civilis, tum Pandectis, tum Codice, tum Novellis, ac Inſtitutionibus ejuſdem Imperatoris congeſta ſunt, probat etiam Decretum Gratiani Sæculo XII. in Scholis invaleſcens) cauſa fuit una hujus mutationis; altera vero, quod pene ſoli Clerici, ſive Eccleſiaſtici illa tempeſtate ſtudio legum ſe conſecrarent; ut inter nobiles & ſæculares vix reperirentur, qui vel mediocri Juris ſcientia pollerent, adeo quidem, ut Clerici dicerentur omnes generatim Viri litterati & docti; uti notat du Cange in Gloſſario mediæ & infimæ latinitatis, Verbo *Clerici*. Porro Clerici ſtudio Legum imbuti ſola ſcientia non contenti, eam in praxim deducere volebant; quapropter legibus ipſis, earumque formulis in Judiciis uti cœperunt, atque ex earum præſcripto cauſas decidere. Et quidem tanta velocitate Judicia Eccleſiaſtica Leges Juſtinianeæ civiles occuparunt, ut ſub initium Sæculi XII. ad Eugenium Papam ſcribat S. Bernardus lib. 1. de conſid. cap. 4. in ejus Curia perſtrepere Leges Juſtiniani, ipſaſque in lites & cavillationes degeneraſſe. *Et quidem quotidie, ait, perſtrepunt in palatio Leges, ſed Juſtiniani, non Domini. Juſtene etiam iſtud? Tu videris. Nam certe Lex Domini immaculata convertens animas. Hæ autem non tam leges, quam lites ſunt, & cavillationes ſubvertentes judicium.*

49. Cum itaque ſtudium legum inter ipſos Clericos invaluiſſet, & cauſæ ad earum præſcriptum decidi paſſim conſueviſſent, ipſi quoque Pontifices, ac nominatim Alexander III. & Innocentius III. Sæculo XII. & XIII. eorumque Succeſſores in ſuis reſponſis legum authoritate uti, & modum cauſas inſtituendi, & decidendi ad normam legum civilium præſcribere cœperunt. Ordoque modernus Proceſſuum Eccleſiaſticorum Sæculo XIII. ſtabilitus eſt.

Prima pars patet ex horum Pontificum reſponſis, relatis prælaudato libro, itemque poſterioribus titulis libri primi, quæ nihil pene continent, niſi modum & formam cauſas inſtruendi, & decidendi; quæque tum in litigantibus, tum a Judicibus in cauſarum inſtructione, & deciſione obſervari debeant. Et quomodo ſtylus forenſis jam tum ſub initium Sæculi XIII. Tribunalia Eccleſiaſtica occupaſſet, probat Decretum Concilii Lateranenſis ſub Innoc. III. in cap. 11. *de probationibus*, ubi ſtatuit: *ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario Judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicii acta conſcribant; videlicet citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones &c.*

Quantum ad 2. p. hunc ordinem ſtabilivit Gregorius IX. dum A. 1230. ſuis Decretalibus, in quorum libro II. ille præſcribitur, in Judiciis & Scholis uti præcepit per Bullam iiſdem Decretalibus præfixam.

50. Ordo judicialis hoc libro præſcriptus in ſæcularibus ſucceſſive pariter obtinuit Tribunalibus Chriſtianorum.

Cum enim circa illa tempora Judices publici paſſim eſſent Viri nobiles, & militares, exigua, aut nulla ſcientia Juris inſtructi, qui nec per ſe judicabant; ſolebant & hi in cauſis inſtruendis, & decidendis aſſumere Clericos legum ſcientia inſtructos, ipſiſque plerumque plenam Judiciorum directionem concedere. Hi vero formulas, quas ad præſcriptum legum in ſuis Decretalibus præſcripſerant Pontifices, in hæc tribunalia introduxerunt; uti notat Claudius Fleurus p. 3. Inſtit. Juris Can. c. 4. qui ibidem recte monet, omnem hodiernam litigandi formam in curiis ſæcularibus uſitatam provenire a Canoniſtis, ideoque ſi quis eam exacte cognoſcere velit, ejus originem ex Decretalibus haurire debeat.

51. Si ſpiritum Eccleſiæ, quem a ſuo Fundatore J. C. hauſit, & hucuſque conſervat, conſideremus, illa ſemper maluit, & hucuſque mavult cauſas filiorum ſuorum ſummarie, & abſque forenſi ſtrepitu terminari; ſi vero conditiones temporum, hominumque in iis viventium ſpectemus, recte ob illa tandem ordo judiciorum hoc libro præſcriptus introductus eſt.

Prima pars patet ex N. 18. & ſeqq. h. t. atque ex moderna praxi Eccleſiæ, quæ Judicia ſummaria, & per modum arbitramenti non irritat, ſed laudat.

Secunda vero ex obviis Conſtitutionibus Ro-

Digitized by Google

manorum Pontificum, quibus ſe fraudibus malevoloſum hominum obviare, ſcelerique repagulum figere teſtantur. Et certe Judices lites multas ſopire, aut ſaltem multum abbreviare poſſent, litigantesque concertationibus, & moleſtiis forenſibus eximere, ſi formam judiciorum in Decretalibus præſcriptam exacte obſervarent.

§. VII.

De Appellationibus.

52. PRimis Eccleſiæ Sæculis raræ admodum & inuſitatæ erant appellationes a ſententiis Epiſcoporum.

Cauſa fuit, quod tum Clericorum cauſæ ab Epiſcopis componerentur per modum amicabilis arbitramenti (N. 46. h. t.); tum quod provocandi libertas in multis cauſis, præſertim civilibus adempta erat (N. 19. h. t.); tum quod Epiſcoporum ſententias, etiam excommunicationis in Clericos & Laicos latas, volebant priſtini Patres ab omnibus inviolabiliter obſervari, atque ab Epiſcopo ſuo excommunicatum ab omnibus ubique Epiſcopis pro excommunicato haberi, & tractari volebant juxta regulam a Synodo Nicæna can. 5. renovatam.

53. Illis tamen Sæculis permiſſum fuit a gravamine ſententiæ Epiſcopalis appellare.

Poſtquam enim Synodus Nicæna relato Can. 5. firmam voluit eſſe excommunicationis ab Epiſcopis latæ ſententiam, ſubdit: *Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio videantur a Congregatione ſecluſi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit, annis ſingulis per unamquamque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis Provinciæ congregatis, diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones.* Poterant igitur Epiſcoporum vitio gravati ad Synodum Provincialem appellare.

54. Iiſdem Sæculis damnatus ab Epiſcopo poterat ad Concilium Provinciæ provocare, & inde ad Synodum nationalem Exarchi vel Patriarchæ; ab his vero damnatus cauſam ad Concilium generale deferre.

Prima pars conſtat ex canone 5. Concilii Nicæni mox relato. Cui Sæculo VI. concinit Concilium Aurelianenſe III. can. 19. *Si quis Clericorum circa ſe, aut diſtrictionem, aut tractationem Epiſcopi ſui putat injuſtam, juxta antiquas conſtitutiones recurrat ad Synodum.*

Secunda innuitur can. 6. Concilii Conſtantinopolitani I. An. 381. in quo cauſæ Epiſcoporum ad Synodum Provincialem, ceu ad primam inſtantiam, deinde ad majorem Synodum diœceſeos, ſeu Exarchalem & Patriarchalem deferri jubentur. Verba Canonis ſunt: *Sed ſi nonnulli nec hæretici, nec excommunicati fuerint, nec prius damnati, dicant autem ſe habere aliquas adverſus Epiſcopum criminationes, eos jubet S. Synodus primum quidem apud Provinciæ Epiſcopos accuſationem perſequi, & apud eos probare crimina Epiſcopi, qui aliquarum rerum accuſatur. Quod ſi evenerit, ut Provinciales Epiſcopi crimina, quæ Epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tunc ipſos accedere ad majorem Synodum diœceſis illorum Epiſcoporum, pro hac cauſa convocatorum. --- Si quis autem iis, quæ, ut prius declaratum eſt, decreta fuerunt, contemptis auſus fuerit vel Imperatoris aures moleſtia afficere, vel ſæcularium Principum Judicia, vel univerſalem Synodum perturbare, neglectis diœceſis Epiſcopis, eum nullo modo eſſe ad accuſationem admittendum, ut qui canonibus injuriam fecerit, & eccleſiaſticum Ordinem perverterit.* Hic Canon conformis eſt canoni 12. Antiochenæ Synodi A. 341. celebratæ, in quo ſancitur. *Si quis a proprio Epiſcopo depoſitus Presbyter, vel Diaconus, vel Epiſcopus a Synodo auſus fuerit Imperatoris auribus moleſtiam exhibere, cum oporteat ad majorem Synodum converti, & jus, quod ſe habere putat, ad plures Epiſcopos referre, eorumque examinationem & judicium ſuſcipere; qui itaque his contemptis Imperatori moleſtus fuerit, is nulla venia dignus, neque ſui defendendi locum habeat, nec reſtitutionis futuræ ſpem expectet.* Quibus aperte edicitur, ut cauſæ Cleri inferioris apud Synodum Provincialem, tanquam in prima inſtantia judicentur, atque excluſo laico Judicio ac appellatione in cauſis præſertim perſonalibus, ac Religionem concernentibus, appellatio gradatim fiat reſpective, vel ad Concilium Provinciale, vel Nationale, aut demum Patriarchale. Ut acutius expendenti Canonem Conſt. patebit. Et certe libelli, qui in Concilio Chalcedonenſi a Theodoro Diacono, & Athanaſio Presbytero, quos Dioſcorus Archiepiſcopus Alexandrinus injuſte gradu dejecerat (act. 3.), fuerunt oblati & perlecti, aperte demonſtrant, cauſas non tantum Epiſcoporum, ſed etiam Presbyterorum & Diaconorum ad Concilium uſque œcomenicum perlatas fuiſſe, inquit Thomaſſ. parte 2. lib. 2. c. 55. N. 25.

Ex quibus eruitur tertia pars. Circa canonem tamen Conſtantinopolitanum vide dicenda infra.

55. Jus appellandi a Judiciis Papa inferiorum ad Sedem Apoſtolicam divino ejus Primatui annexum primis illis Sæculis agnitum fuit.

Dixi notanter *Papa inferiorum*, ut evitem quæſtionem Gallos inter & Romanos tantopere agitatam, an Romanus Pontifex ſit ſupra Concilium, vel e contra? cujus Jus appellandi ab uno ad alterum Corollarium & appendix eſt, quamque hic diſcutere non eſt locus. Id itaque ex Canonibus Concilii Sardicenſis certum eſt, ſententiam, an Judicium Epiſcoporum Provinciæ, ſeu Synodi Provincialis circa cauſas Epiſcoporum renovandum ſit, necne? item an renovationem hujus Judicii per vicinos illius Provinciæ Epiſcopos vel per miſſos a latere ſuo legatos cum dictis Epiſcopis fieri velit, necne; a Patribus illius Concilii Romano Pontifici eſſe delatam. Sic enim habet Canon III. *Quod ſi aliquis Epiſcoporum judicatus fuerit in aliqua cauſa, & putat ſe cauſam bonam habere, ut iterum Concilium* (Græca verſio Herveti habet *Judicium*) *renovetur: ſi vobis placet, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Julio Romano Epiſcopo, & ſi judicaverit renovandum eſſe Judicium, renovetur, & det Judices* (Græca Herveti: *Et per propinquos Provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, Judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat*); *ſi autem probaverit talem cauſam eſſe, ut non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreverit, confirmata erunt.* (Græca) *Si autem probare non poteſt, cauſam ejus eſſe talem, ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia.* Clara hæc omnia exprimit ejuſdem Concilii Canon VII. apud Græcos V. Sic autem ſonat juxta verſionem Dionyſii: *Oſius Epiſcopus dixit; Placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi Regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit, qui dejectus eſt, & confugerit ad Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ* (Græca habet, *& veluti appellans confugerit*: Codex Africanus, *& appellaſſe videatur*) *& voluerit ſe audiri: ſi juſtum putaverit, ut renovetur Judicium, vel diſcuſſionis examen, ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant; quod ſi is, qui rogat ſuam cauſam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo Presbyterum* (Græca, *Presbyteros*) *mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet; & ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum*

Epiſcopis judicent, habentes ejus authoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſua arbitria. Si vero crediderit Epiſcopos ſufficere, ut negotio terminum imponant, faciet, quod ſapientiſſimo conſilio ſua judicaverit. Reſponderunt Epiſcopi: Quæ dicta ſunt, placuerunt. Veram non eſſe *appellationem* ad Epiſcopum Romanum his Canonibus expreſſam, ſed tantum *reviſionem* ſententiæ, nec veram *confirmationem* judicii Synodi Provincialis, ſed tantum *facultatem judicandi*, num novum judicium inſtitui debeat, quo prius reſcindi poſſit, autumat Eſpenius tract. hiſt. canonico in omnes Canones Conciliorum p. 3. §. 5. Qui etiam ibi vult, Romanum Pontificem vi horum canonum non potuiſſe Judicium Romæ renovare, ſed tantum Judices dare in partibus. Sed primæ duæ opiniones Authoris clariſſimi innituntur ſolis voculis in græca verſione extantibus, videlicet Tò *veluti appellans*, & Tò *quæ ſemel ſunt judicata, non infirmentur, ſed rata ſit lata ſententia*; cui merito præponi debet interpretatio Dionyſii ſic dicta, non quaſi ille hos canones in latinum verterit, cum eodem teſte latine ſint editi (lib. 1. tit. 2. N. 120.), ſed quia incertum eſt, utrum ejus, aut Iſidori lectio primigenia ſit. In ea autem appellatio ſine reſtrictione exhibetur, & inſuper dicitur, *quæ Romanus Pontifex decreverit, confirmata erunt*. Quantum ad tertiam vero, quidquid ſit circa tenorem horum canonum, certum eſt Romanum Pontificem vi ſui primatus jam tum potuiſſe ſententias ſynodales non tantum per Judices datos in partibus, ſed etiam per ſe Romæ vel confirmare, vel reſcindere. Quod & illo IV. Sæculo factum legimus a Julio I. in cauſa Athanaſii, & ab Innocentio I. in cauſa S. Joannis Chryſoſtomi, ut habet ejus vita in Breviario ad 27. Januarii. Accedit, quod Canon IV. ejuſdem Concilii non tantum deferat ſententiam, utrum Judicium ſit renovandum vel non? id quod prætendit Eſpenius; ſed etiam diſcutiendi ſententiam a Judicibus datis latam, & de ea judicandi, ſi Epiſcopus depoſitus ab ea denuo provocaverit, id quod tum ex ejus tenore, tum ex Balſamonis & Zonaræ interpretatione conſtat; & tenor quidem ſequens eſt: *Cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum Judicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in Judicio Epiſcopi Romani determinata.* Interpretatio vero Balſamonis & Zonaræ hæc: *Cum dixiſſent Patres Provincialium ſententiam appellationi ſubjici, & a propinquis Epiſcopis juſſu Papæ examinari, nunc dicunt quid fieri debeat, ſi is, qui appellavit, condemnatus fuerit, & ſe rurſus gravari dicat. Statuunt ergo, ut res in integra maneant, & in ejus, qui eſt condemnatus, Eccleſia alius non eligatur, niſi ſecunda appellatio a Papa examinata fuerit.*

56. Jus appellandi a Judiciis Synodorum Provincialium, vel etiam Nationalium in cauſis Epiſcoporum ad Romanam Sedem, eidem non eſt conceſſum a Concilio Sardicenſi, ſed agnitum.

Eſt enim, ut N. præced. inſinuavimus appendix Primatus S. Petro, & ejus ſucceſſoribus a Chriſto collati. Si enim Romanum Pontificem Chriſti in terris Vicarium, ſupremumque in Eccleſia Judicem, omnibus Epiſcopis diviſim ſumptis, juxta ſententiam Gallorum, & Conciliis etiam Provincialibus ac nationalibus majorem ſumamus; neceſſario ſequitur, ab horum omnium ſententiis ad illum appellari poſſe, cum juris naturalis æquitas expoſtulet, ab inferiorum judicum ſententiis ad ſupremum appellari poſſe. Præterea Pontifex Romanus ratione Primatus tenetur invigilare executioni canonum, eorumque obſervantiam urgere ac promovere; quo munere fungi non poteſt, niſi infractores ipſorum plectere poſſit. Si igitur violati fuerint canones in Epiſcoporum depoſitione, ipſi ad Romanum Pontificem provocare poſſunt, ut in irritum mittat ſententiam iniquorum, ut eorum, qui injuriam paſſi ſunt, jura reſarciat, ut eos, qui contra Canones peccarunt, inflictis etiam pœnis canonicis, ad eorundem compellat obſervantiam, & executionem. Jus itaque ſuſcipiendi appellationes Epiſcoporum dejectorum, & eas judicandi, Romano Pontifici conveniens, appendix eſt Primatus S. Petro, & ejus ſucceſſoribus collati. Et hoc Jus Romanæ Sedi competere juxta Sæculi III. diſciplinam agnovit S. Cyprianus ep. 67. ad Stephanum Romanum Pontificem, in qua de Marciano Epiſcopo jam ab univerſis Epiſcopis in perſona Novatiani prædamnato ſcribit, ut eum ex Epiſcopatu deponat, aliumque in locum ejus ſubſtitui jubeat Antiſtitem. *Quapropter*, inquiens, *facere te oportet pleniſſimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum — collegio noſtro inſultare patiantur, quod needum videatur a nobis abſtentus.* — Et infra: *dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem a te literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur.* Unde vides, quod S. Cyprianus Marciani cauſam a Synodo Provinciæ judicari non poſtulet, quod tamen poſtulaſſet, ſi ſupremam Conciliorum Provincialium in judicandis Epiſcoporum cauſis agnoviſſet auctoritatem: ſed ad Romanum Pontificem ſcribit, ab eoque deponi optat Novatianum Epiſcopum. Non ignoro epiſtolas Romanorum Pontificum a Clemente uſque ad Siricium Appellationes non tantum Epiſcoporum, ſed etiam inferiorum Clericorum, & quidem non ordine, ſed etiam per ſaltum Romanæ Sedi ab ipſis Eccleſiæ incunabulis vindicare, quarum fragmenta bene multa refert Gratianus Cauſa 2. q. 6. Sed cujus authoritatis ſint hæ epiſtolæ lib. 1. tit. 2. a N. 155. demonſtravimus. Quapropter a quæſtionibus Juris ſemel pro ſemper præſcindendo, & quid in uſu prioribus V. Sæculis circa Appellationes ad Romanam Sedem fuerit, quidve impoſterum mutatum fuerit, ſecundum hiſtoriæ leges ſolum exponendo:

57. Juxta conſuetudinem Eccleſiæ priorum V. Sæculorum, & Canones in ea editos, quamvis Epiſcopi & a Synodis Provincialibus, & Diœceſanis, atque etiam Patriarchalibus ad Romanam Sedem appellare potuerint, id, quod ex Canonibus Sardicenſibus (N. 55. h. t.) conſectarium eſt, atque ex aliis horum Sæculorum documentis evinci poteſt; inferiorum tamen Clericorum ultima inſtantia uſa ad minus videntur fuiſſe mox enumerata Concilia.

Galli poſteriorem propoſitionis partem etiam Canonibus ſancitam fuiſſe contendunt, quin eandem etiam ad Epiſcopos extendit Petrus de Marca, & alii, explicantes Canones Sardicenſes non de appellatione, ſed de nuda reviſione ſententiæ conciliaris; contra quos dum totis viribus inſurgit Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi IV. Diſſert. 28. quæ lectu digna eſt, Canonis Nicæni ordine V. item Antiocheni 12. allatumque authoritatum, præſertim Africanarum œconomiam ita temperat, ut intelligendas de ultima inſtantia in cauſis inferioris Cleri equidem concedat, non æque in cauſis Epiſcoporum, præſertim Depoſitionis. Et ita explicat ep. 55. Cypriani ad Cornelium Sæculo III. ſcriptam, in qua iraſcitur adverſus Cornelium Rom. Pontificem, quod quoſdam Clericos, & quemdam Pſeudo-Epiſcopum hæreticorum (qui tamen non erit legitimus Epiſcopus) ex ſententia Concilii ſui a

com-

communione ejectos vix non in communionem ſuam admiſiſſe, atque prætendere videtur, eorum ultimatum judicium jam fuiſſe peractum, dum ait: *Nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac juſtum, ut uniuſcujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus; oportet utique eos, quibus præſumus, non circumcurſare --- niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum: --- jam cauſa eorum cognita eſt: jam de eis dicta ſententia eſt: --- ſi judicium iterum voluerint experiri, veniant.* Item Canonem XXII. Concilii Milevitani, in quo Patribus Africanis *placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos, quidquid eſt, finiant adhibiti ab eis ex conſenſu ſuorum Epiſcoporum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Cujus Canonis hanc clauſulam, *ſicut de Epiſcopis ſæpe conſtitutum eſt*, irrepititiam eſſe, nulliuſque Concilii Africani Canonem, quo Epiſcoporum Appellationes ad Apoſtolicam Sedem vetitæ ſint, afferri poſſe, probat ibidem. Quin in Reſponſione 2. contendit, eundem Canonem, prout legitur in Codice Adriani I. ſolum vetare Appellationem Clericorum Afrorum *per ſaltum*, ſeu ad Romanam Sedem relicto ordine a ſe præſcriptos atque notanda eſſe ait verba Can. 105. ejuſdem Concilii, in quo ſola *obreptitia* Appellatio ad eandem Sedem prohibetur. Interim tamen cenſet Eccleſiam Africanam in ea fuiſſe ſententia, Clericos ad transmarina, ſeu Sedem Apoſtolicam appellare vi ſuæ diſciplinæ non potuiſſe, dum ad famoſam Apiarii cauſam, quæ Patres Africanos cum Zozimo, Cæleſtino, & Bonifacio Romanis Pontificibus colliſit, ſibi ordine nono objectam reſpondet II. Eccleſiam Africanam impugnaſſe duntaxat Appellationes Presbyterorum ad Sedem Apoſtolicam, & Appellationes Epiſcoporum, quæ fierent immediate ante Concilii Provincialis, aut univerſalis Africæ examen & judicium, ut eorum authoritatem declinarent: non vero Appellationes legitimas & Canonicas poſt horum Conciliorum ſententias. Id enim ait probare illa verba ex ep. Patrum Africanorum, inter quos fuit S. Auguſtinus, ad Cæleſtinum I. *maxime quia unicuique conceſſum eſt, ſi judicio fuerit offenſus Cognitorum, ad Concilia ſuæ Provinciæ, vel etiam univerſale provocare.* Quo ex loco juncto aliis ex eadem lectu digna epiſtola refellit reſponſionem Bellarmini, Baronii, & Petronii, contendentium Africanos Epiſcopos non improbaſſe jus Appellationum quoad ſubſtantiam ipſam rei, ſed tantum quoad modum ipſas proſequendi, ſive nimiam facilitatem Pontificum in recipiendis hujusmodi Appellationibus non Epiſcoporum duntaxat, ſed & Presbyterorum, illoſque cauſa plerumque indiſcuſſa reſtituendi in communionem, & priſtinam dignitatem, idque his epiſtolæ verbis ſignificari volunt: *ne in ſua Provincia communione ſuſpenſi a tua Sanctitate*, vel feſtinato, *vel* præpropere, *vel* indebite *videantur communioni reſtitui*. Hæc enim verba non poſſe trahi ad modum Appellationum ex determinatione ſubſequentium contendit. Sic autem pergunt Patres: *Presbyterorum quoque & ſequentium Clericorum improba refugia, ſicuti te dignum eſt, repellat Sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Eccleſiæ derogatum eſt Africanæ, & Decreta Nicæna ſive inferioris Ordinis Clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis ſuis apertiſſime commiſerunt, prudentiſſime enim juſtiſſimeque providerunt, quæcunque negotia in ſuis locis, ubi orta ſunt, finienda --- maxime &c.* ut ſupra. Qui locus, juncta aliis jam relatis, cum ipſo teſte in Scholio 3. ad hanc propoſitionem Romæ notatam induxerit Petrum de Marca, Baluzium, & tertium Sorbonæ Doctorem, ut ſibi perſuaderent, Appellationes etiam Epiſcoporum ad Romanam Sedem tunc in uſu non fuiſſe, nec ſequenti quidem Sæculo, niſi in cauſis fidei ex Eccleſiæ Africanæ diſciplina & moribus; ſed ſupremam fuiſſe Conciliorum diœceſanorum in judicandis tam Presbyterorum, quam *Epiſcoporum* in illis authoritatem; ab illis, quoad Epiſcoporum Judicia, ſe diſſentire profitetur. Id quod etiam probat in reſponſione prima ad dictam nonam objectionem ex cauſa Apiarii Presbyteri deſumptam, in qua ait, Eccleſiam Africanam Appellationes ad Romanum Pontificem aliquamdiu impugnaſſe errore facti deceptam, nimirum quod Zozimus Papa in commonitorio, Legatis ſuis ad Concilium Carthaginenſe VI. directis dato, jus illud adſtruxerit ex Canonibus Nicænis, quos tamen Patres Africani inter illos non reperere, tum revera fuerint Sardicenſes (ſupra relati lib. 1. tit. 2. N. 111.), ſed ſtatim jus illud circa Epiſcopos agnoviſſe, cum in aprico ſit, illam ſub ipſo Cæleſtini I. Pontificatu Appellationi Antonii Fuſſalenſis Epiſcopi ad Romanam Sedem detuliſſe. Quod ſolide & ad longum ibi probat graviſſimus Author ex ep. 261. S. Auguſtini ad illum Pontificem data. Non ſum ego is, qui horum graviſſimorum virorum diſſidia arbiter componam. Agnoſco, & profunde revereor jura omnia Divino Primatui Sedis Apoſtolicæ annexa; id quod mihi ex omnibus Canonibus hoc numero allatis apparet, eſt, primis illis quinque Sæculis Clericorum inferiorum cauſas in laudatis reſpective Conciliis *terminari* communiter ſolitas, & quidem ſtatuto per illos ordine, non per ſaltum.

58. Appellationum in cauſis Epiſcoporum ad Romanum Pontificem non tantum in materia fidei, ſed etiam morum, in utraque Eccleſia frequens jam fuit uſus poſt Concilium Sardicenſe. Et conſequenter ejus initia a viris quibuſdam eruditis perperam detruduntur in Eccleſia Græca ad Concilii Trullani tempora, vel ad VIII. Sæculum in Latina.

Primam partem probat laudatus Natalis Alexander diſſert. cit. luculentis ſimilium Appellationum exemplis; & primo Euſtathii Sebaſteni Epiſcopi, qui cum in Concilio Miliſinenſi Arianorum Sæculo IV. fuiſſet depoſitus, ad Romanum Pontificem Liberium appellavit, ejuſque ſententia ſedi ſuæ reſtitutus eſt, teſte S. Baſilio ep. 74. Secundo exemplo S. Chryſoſtomi ſupra allato. Tertio exemplo Eutychetis Presbyteri a ſententia Flaviani in Conſtantinopolitana Synodo in ipſum lata ad S. Leonem Papam. IV. exemplo S. Flaviani Patriarchæ Conſt. appellantis ad eundem S. Leonem de ſententia in ſe lata ab Epiſcopis Latrocinii Epheſini. Cujus Appellationis locupletiſſimus teſtis eſt S. Leo ep. 25. ad Theodoſium Imperatorem data. His appellationibus jungit continua ſerie appellationem Cæciliani Carthaginenſis Epiſcopi, Cæleſtii in Synodo Carthaginenſi An. 412. damnati, item Chelidonii Provinciæ Viennenſis Epiſcopi; quas omnes operoſa ac longa diſputatione probat & veras fuiſſe appellationes, & non ſolum in cauſa fidei, ſed & morum. Confirmat deinceps argumentum ab exemplis ſumptum ex Novella Valentiniani III. Auguſti cum S. Leonis ep. Sæculo V. miſſa in Gallias ad Aetium Comitem, & utriuſque militiæ Magiſtrum: in qua ſententiam a S. Leone in cauſa Chelidonii & Hilarii latam *per Gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valituram* teſtatur; & ſancit in executionem Canonum,

ut quiſquis Epiſcoporum ad Judicium Romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejuſdem Provinciæ adeſſe cogatur. Item ex ep. Vigilii Papæ ad Eleutherium Ao. 450. data apud Gratianum cauſa 2. q. 6. can. 12. in qua judicia Appellationum Epiſcopalium Sedi Apoſtolicæ reſervata eſſe docet, his verbis: *Quoniam appellantium ſedem Apoſtolicam Epiſcoporum Judicia, eidem ſedi reſervata eſſe liquet*. Colophonem deinde probationibus ſuis ſubjiciendo, affert appellationem contumelioſi Epiſcopi Rejeoſis ad Joannem II. Salonii Epiſcopi Ebrodunenſis, & Sagittarii Vapicenſis ad Joannem III. & ex geſtis Gregorii M. in cauſa Adriani Epiſcopi Thebani Lib. 2. ep. 6. item in cauſis Januarii Epiſcopi Malacitani, & Stephani Epiſcopi lib. 11. ep. 52.

Secunda pars ex allatis in priori tum exemplis, tum teſtimoniis aperte evincitur, utpote quæ prima ſunt Anno 685. quo celebrata eſt Synodus Trullana, Sæculoque VIII. Sed ut aſſerti veritas magis eluceſcat, adverſariorum aſſerentium Canones Sardicenſes in Oriente non viguiſſe uſque ad Concilium Trullanum, in Occidente vero uſque ad Sæculum VIII. adeoque nec uſum appellationum Epiſcopalium in materia morum ibidem agnitum, argumenta famoſiora ex eodem authore compendio ſunt ſolvenda. I. itaque pro Eccleſia Græca adducunt Can. 2. Concilii Conſtantinopolitani I., qui primum Judicium confert Synodis Provincialibus, appellationem Diœceſanis. Cui adjungunt Canonem 6. ejuſdem Concilii a nobis ſupra relatum, ex quibus deducunt Canones Sardicenſes Sæculi IV. ſupremis in Oriente non fuiſſe receptos. At reſpondetur ad 2. Canonem, illum ſupremam fuiſſe Conciliorum Diœceſanorum authoritatem non probare, ſed ſuos tantum ſingulis Patriarchis, & Exarchis limites præſcribere, nullos vero Epiſcopo Romano. Idem facere videtur Can. 6. cujus ſenſum ſupra delibavimus. Accedit, quod Canones Conſtantinopolitani multorum ſpatio ſæculorum ab Eccleſia Romana probati haud fuerint, ut conſtat ex ep. 53. S. Leonis ad Anatolium data, & ex S. Gregorio lib. 6. ep. 3. & poſteriores IV. viris eruditis videantur ſuppoſititii.

II. Pro eadem Eccleſia Græca adducunt Canonem 9. & 17. Concilii Chalcedonenſis, quorum primus hunc judiciorum ordinem ſtatuit: Si quis Clericus adverſus Clericum habet negotium, non deſerat proprium Epiſcopum, & ad ſæcularia percurrat judicia: ſed prius actio ventiletur apud Epiſcopum proprium, vel certe conſilio ejuſdem Epiſcopi, apud quos utræque partes voluerint, Judicium obtinebunt: —— quod ſi Clericus habet cauſam adverſus Epiſcopum proprium, vel adverſus alterum, apud Synodum Provinciæ judicetur. Quod ſi adverſus ejuſdem Provinciæ Metropolitanum Epiſcopus vel Clericus habet querelam, petat aut Primatem diœceſeos, aut Sedem Regiæ Urbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſam judicetur. Idem quoad poſteriora habet Canon 17. Idque confirmant ex Nov. 123. Juſtiniani cap. 22. ex iiſque inferunt Canones Sardicenſes Sæculo V. & VI. in Oriente non fuiſſe receptos. At reſpondetur, hos Canones loqui de prima cauſarum cognitione, non vero de ultima. Uno verbo decernunt, quinam ſint Judices harumce cauſarum; ſed ipſos eſſe ſupremos Judices, ne leviter quidem innuunt. Novella autem Juſtiniani prohibet ſolum appellationem a Judicio Patriarcharum in cauſis profanis Epiſcoporum, non vero in cauſis mere Eccleſiaſticis; cum ipſe Imperator in Romano Pontifice agnoverit auctoritatem judicandi cauſas Orientalium Epiſcoporum, & ipſorum Patriarcharum. Id quod manifeſte evincit idem præclariſſimus Author ex iis, quæ Juſtiniano præſente & probante ab Agapeto Papa geſta ſunt contra Anthimum Sedis Conſt. invaſorem, ex libello, quem exhibet actio prima Concilii Conſt. ſub Menna, & ex actione IV. Accedit, quod ex Juſtiniani Conſtitutionibus colligi non poſſit, quænam fuerit Eccleſiæ diſciplina: quia nulla fuit earum authoritas, niſi quatenus cum ſacris Canonibus conſentiebant, ut conſtat ex ep. 1. Agapeti Pontificis ad illum Imperatorem data, in qua de ipſius fidei libello hæc habet, quæ de ipſius legibus procul dubio dixiſſet: *Laudamus, amplectimur, non quia Laicis authoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus*. Reſidua tria argumenta pro Eccleſia Græca videantur apud Nat. Alex. l. citato.

Quod vero hi Canones Sæculo V. non viguerint in Eccleſia Latina, probare conantur I. ex depoſitione Maximi Epiſcopi Conſt. in ſecunda Synodo Conſt. refferturque in Ep. Synodica Concilii Italiæ ad Theodoſium. Sed præterquam quod hæc S. Ambroſii, aliorumque Epiſcoporum Italiæ ad Theodoſium Imp. ep. viris pleriſque eruditis ſuppoſititia non immerito videatur, & probetur a Natali, ex illa ad ſummum evincitur, Occidentales Epiſcopos paratos fuiſſe cum Summo Pontifice ad aliquid remittendum de Juribus Eccleſiæ Romanæ, quærendo una cum Orientalibus media reſtituendæ pacis; cæterum Sedem Apoſtolicam jure potuiſſe ſuſcipere cognitionem cauſæ Maximi, & de ea ferre Judicium abſque Concilio Generali, & Orientalium conſenſu, ex ipſa ep. objecta demonſtrat ſæpe laudatus Natalis.

Secundo ex Reſcripto Gratiani Imperatoris juxta poſtulata Synodi Romanæ A. 378. ex S. Ambroſio, & omnibus Italiæ Epiſcopis congregatæ edito, in quo cum alia Judiciorum & Appellationum forma ab ea, quæ Canonibus Sardicenſibus ſancita fuit, præſcribatur, manifeſto ſequitur, Sæculo IV. eos in uſum deductos necdum fuiſſe. Reſpondet vero Natalis Alexander hanc Gratiani Conſtitutionem ſingulares quaſdam Epiſcoporum cauſas ſolummodo ſpectare, nimirum eorum, qui Schiſmati Urſicini pertinaciter adhærebant, & aliter compelei, atque Eccleſiis præſertim in Italia pax, niſi hac ſingulari œconomia, reddi nequibat, & conſequenter intentum non probare. Id quod luculenter probat ibidem in ſolutione objectionis ſextæ.

III. Ex Ep. Siricii ad Anyſium Theſſalonicenſem, & cæteros Illyrici Epiſcopos a Concilio Capuenſi ad cognoſcendum de errore Bonoſi Hæretici deputatos, in qua juxta illorum, præſertim vero Joannis Launoji, qui magna pompa hoc argumentum oſtentat, interpretationem Siricius Sæculo IV. agnoſcit, ſe non poſſe judicare de cauſa, quam Synodus Provincialis ſelectis Epiſcopis judicandam demandavit. Sed quam inſulſa ſit hæc interpretatio, quam vana Launoji jactatio, monſtrat idem doctiſſimus Nat. Alex. primo ex ipſo tenore Epiſtulæ; in cujus Siricius non ſcripſit poteſtatem ferendi in Bonoſi cauſa judicii ſibi non convenire, ſed conveniens non eſſe dignitati ſuæ Sedis, ut cauſæ illius cognitionem ſuſciperet, poſtquam a Concilio Capuano delegati eſſent Judices Epiſcopi nimirum Illyrici; innuens ſimul ultimam cognitionem ſe ſuſcepturum, confirmando illorum ſententiam, & Bonoſi Appellationem, ſi forte ad Sedem Apoſtolicam provocaverit, judicando. Id unum enim ſignificant hæc verba: *Nam ſi integra hodie eſſet Synodus* (Capuana), *recte de iis, quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. ——— Ideo primum eſt, ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data* (delegata). *Vos enim totius Synodi vice decernitis: nos quaſi*

ex

ex auctaritate Synodi (delegatâ) *judicare non convenit*. Qui ergo exiſtimaeit ſe de Synodo Capuana delegante poſſe judieare, oon credidit ſibi facultatem eſſe de Epiſcoporum delegatorum Judiciis ſeoteotiam ferre poſſe? Confirmat, atque in plenam meridiem adducit hunc allatæ Ep. ſenſum Nat. Alex. teſtimoniis Ambroſii, & Innocentii I. Siricii Succeſſoris. Argumentum ex cauſa Apiarii Presbyteri ab adverſariis adductum ſolutum eſt Numero præcedenti.

59. Circa Sæculum IX. Appellationes ad Romauam Sedem multiplicari cœperunt.

Illo enim Sæculo omnium calculo receptæ ſunt Romanorum Pontificum a Clemente uſque ad Siricium Epiſtolæ, in collectione Iſidori Mercatoris ad Sæculi VIII. canitiem procuſæ. Hæ vero Decretalea, ut recte advertit Fleury p. 3. Inſtit. Juris Canonici c. 33. ſtabiliunt diverſos gradus Juriſdictionia Archiepiſcoporum, Primatum, & Patriarcbarom, ad quos gradatim appellari poteſt; uti videri poteſt ex fragmentis illarum relatis apud Gratiaoum cauſa 2. q. 6. Præterea iisdem decretalibus aſſeritur auctoritas libere provocandi, a quibuſcunqoe Judicibua, in quibuscunque cauſis, & a quibuſcunque perſonis ad Romanum Pontificem. *Si qais veſtrum pulſatus fuerit iu aliqua adverſitate, liceater banc ſanctam & Apoſtolicam ſedem appellet, & ad eam, quaſi ad caput, ſuffugium babeat, ne ipſe innocens damaetur, aut Eccleſia ſaa detrimeatam patiatue.* Inquit Pſeudo-Sixtus Papa I. cauſa 2. can. 4. & can. 8. Pſeudo-Zepherinus: *Ad Ramanam Eccleſiam ab omnibus, maxime tamen ab oppreſſis appellandum eſt, & concurrendum quaſi ad Matrem, at ejus uberibus nutriantue, auctoritate defendantar, & a ſuis oppreſſionibus releventur: quia non poteſt, nec debet Mater oblivisci filium ſuum.*

60. Frequentia appellationum ad Sedem Romanam non tantum ordine, ſed etiam per ſaltum facta, nec tantum a ſententiia definitivis, ſed & interlocutoriia, nec in majoribua duntaxat cauſis, ſed etiam levioribua, quin & ipſa cauſarum ad curiam Romanam evocatio quantum ad primam inſtantiam Sæculo XII. adeo invaluerat, ut de ea plures Sanctiſſimos Viros graves querelas depoſuiſſe legamus.

S. Bernardus lib. 3. de conſideratione ad Eugenium Papam c. 2. *Quantos*, ait, *novimus appellaſſe pulſatos, qua interim liceret, quod nunquam licet? nonnullis etiam, quoad vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria ſcimus, v. g. inceſtum, adulterium. Quale eſt hoc turpitudini patrociuari, quod vel maxime a turpibus formidari oportebat? Quouſque murmur univerſæ terræ aut diſſimulas, aut non advertis? quouſque dormitas? Quouſque uon evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem, atque abuſionem? Præter Jus & fas, præter morem, & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur, aut perſona. Præſumuntur leviter paſſim, plerumque & nequiter. Volentes moligaari, nonne his potiſſimum terreri ſolebant? nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum verſum in venenum; non mutatio dexteræ Excelſi bæc.* Similiter ep. 178. ad Innocentium II. queritur Epiſcoporum authoritatem contemni, ac minui, quod appellationes ab eorum ſententiis Romæ facilius reciperentur. Contra eundem appellationum abuſum, & Epiſcopalis authoritatis depreſſionem, ſub idem tempus ad Honorium II. ſcripſit Hildebertus Turonenſis Archiepiſcopus ep. 82. *Quaslibet appellationes in Romana vigere, & ſuſcipi Eccleſia cis Alpes auditum non eſt, nec ex ſacris traditum inſtitutis. Quod ſi forte bujuſmodi emerſit novitas, ut placeat omnem indifferenter admittere appellationem, Pontificalis cenſura peribit, & omnino conteretur Eccleſiaſticæ robur diſciplinæ. Quis enim raptor ad ſolam anathematis commiuationem non ſtatim appellabit? Quis Clericus aut Presbyter fruſtratoriæ appellationis refugio non putreſcet, aut etiam ſepelietue iu ſtercore ſuo? Quis Epiſcopus babebit in promptu, non omnem dico, ſed aliquam ulciſci inobedientiam? ejus virgam quævis appellatio quaſſabit, ſolvet conſtantiam, veritatem emolliet, adducens & illi ſilentium, & eis impunitatem delictorum. —— Dilatione nempe cenſuræ facinora fovebuntur, & venient iu profundam iniquitatis impune delinquentes.*

61. Iiſdem Sæculis Metropolitani, Primatea, aliique ſuperiores quaſcunque appellationes pariter recipiebant; quin labentibus Sæculis eo deventum fuit, ut non tantum a ſeotentiis Judicum, & actibus judicialibus appellatio admitteretur, ſed a quibuſcunque etiam extrajudicialibus decretis proviſionalibus, tametſi ab Epiſcopis tempore viſitationis pro morum emendatione, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatione editis; idque non ſolum quoad effectum devolutivum, ſed & ſuſpenſivum.

Id patet ex querelis, quas plures e Patribus Tridentinis contra hanc appellationum frequentiam, atque inde reſultantem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & Judiciorum everſionem in ſacro Concilio depoſuerunt. Præ cæteris Joannes Gropperus in hunc appellationum abuſum vehementius inſurrexit, oſtenditque labentibus Sæculis, Epiſcopos non tantum ſublatis Synodis, more Judicum ſæcularium, forum & Officiales inſtituiſſe; ſed & ad abuſus longe majores, quam in foro ſæculari, gradum non cunctanter feciſſe. In foro ſæculari, inquiebat, provocationem non fieri, niſi ad Judicem immediate ſuperiorem; tantum abeſſe, ut fas ſit, ad ſupremum primo ſaltu tendere; neque licere in articulis cauſæ provocare a decretis Judicis, quæ vocantur *interlocutaria*; ſed cauſæ finem, & decreta litis deciſoria neceſſario eſſe expectanda: at contra in judiciis Eccleſiaſticis, & appellari in ſingulis actis Judicis, unde cauſarum immenſitas naſcitur; & *immediate* ad ſupremum, unde ſequitur extra territorium, magno cum ſumptuum impendio, & aliorum malorum mole proficiendi neceſſitas. Hæc tamen non alium ob finem a ſe dicta proteſtabatur Gropperus, niſi ut huic abuſui, qui omnem prorſus corrumpit diſciplinam, remedium ſaltem apponeretur; & dum pro temporum conditione ad ſuam primam originem reduci in totum non poteſt, ſaltem appellationes in foro Eccleſiaſtico ad juris civilis formam reducerentur.

62. Synodus Tridentina abuſus appellationum, qui vere tales erant, per decreta numero plurima variis in Seſſionibus edita auferre pro poſſibili conata eſt.

Seſſione enim 24. cap. 20. de reformat. libertatem reſtrinxit, quam Jus Canonicum tribuebat appellandi ab omni ſententia interlocutoria c. 12. de appellat. dum ad quemcunque ſuperiorem appellationes ab ordinariis interpoſitas fieri vetuit, niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Formam vero appellationis in terminis Juris Canonici, juxta quos *gradatim* fieri debent appellationes c. 1. §. 1. de appell. in 6. niſi appellatio fiat ad Summum Pontificem, quo caſu fieri poteſt per ſaltum *omiſſis mediis* cap. fin. de foro compet. c. 7. & 54. de appell., reliquit. Ceterum Seſſ. 22. cap. 1. de ref. item Seſſ. 24. c. 10. de reform. appellationem in caſu *correctionis* canonicæ quoad effectum ſuſpenſivum *executionis* ejuidem admitti vetuit; quæ tamen juxta diſpoſitionem Concilii Lateranenſis c. 3. de appell. admittitur a decretis in viſitatione Epiſcoporum, ſi judicialiter, & formato proceſſu Epiſcopus proceſſit ad punitionem alicujus, quemadmodum reſolviſſe Sacram Congregationem teſtatur Fagnanus ad cap. 3. de appell. mox citatum.

Libri II. Decretalium Finis.

LIBER III.
DECRETALIUM.
TITULUS I.
De Vita & Honeſtate Clericorum.

1. DE Clericorum Sæcularium vita & honeſtate hoc Titulo agemus, non de Regularium, de iis ſiquidem in poſterioribus Titulis præſentis Libri diſſerendi ſe offeret occaſio. Quamvis autem vitæ morumque honeſtas in omnibus promiſcue Chriſtianis emicare debeat, utpote profeſſione ſua imitatoribus Chriſti, qui vitæ morumque honeſtatis & Magiſter fuit, & abſolutiſſimum Exemplar: imprimis tamen in Clericis effulgrat eſt neceſſe, quod Magiſtri Evangelicarum virtutum a Chriſto ſint inſtituti, ad efficaciam autem Magiſterii requiratur, ut id, quod verbo docetur, opere exhibeatur; ne, cujus vita deſpicitur, ejus etiam prædicatio contemnatur. Hinc Trid. Seſſ. 22. c. 1. de ref. *Nihil eſt*, inquit, *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſiduo inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino Miniſterio dedicarunt. Cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tamquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præſeferant, levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Eccleſia Dei & utilitate, & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentius ſint obſervanda. ſtatuit S. Synodus, ut quæ alias a Summis Pontificibus, & a ſacris Conciliis de Clericorum vita, & honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus, nec non ſæcularibus negotiis fugiendis copioſe ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem impoſterum iiſdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur.* Hoc itaque Decreto, conformiter antiquis canonibus, Clericis ſub gravibus pœnis prohibentur nominatim luxus, comeſſationes, choreæ, aleæ, luſus, & ſectatio negotiorum ſæcularium; & præter alia iiſdem commendatur honeſtas in cultu, ſeu veſtitu. Nos conformiter ſcopo ſuſcepti operis Notas hiſtoricas de Clericorum veſtitu, & quidem tantum civili dabimus, de ſacro infra Titulo 41. hoc libro acturi.

2. Cum nihil magis prodat ſpiritum carnis, mundique intus in animo dominantem, quam exterior veſtitus pompam, mollitiemque ſpirans; Chriſtus Apoſtolos ſuos, atque in iis univerſum Clerum ad parcitatem, modeſtiamque veſtium verbo, & exemplo hortatus eſt.

Matth. 11. v. 8. *Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce! qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Matth. 10. v. 9. & 10. *Nolite poſſidere aurum --- neque duas tunicas.* Joannis 19. v. 23. *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt 4. partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum.* Talarem ergo veſtem undique clauſam, & textilem, hoc eſt ſimplicem portabat Chriſtus.

3. Eccleſia Chriſti Sponſa, & ſpiritu ejus imbuta, a primis ad noſtra ſæcula parcitatem, modeſtiamque in habitu Clero indeſinenter inculcavit.

Propoſitio partim patet ex jam relatis ex Trid. & ulterius eluceſcet ex dicendis. Huic autem intentioni nequaquam obverſantur Ornamenta, dignitate in Eccleſiaſtica Hierarchia reſpectiva fulgentibus perſonis vel conceſſa, vel præſcripta, uti Titulo VIII. & XXIII. demonſtratum eſt.

4. Clerici per priora V. ſæcula tum in Oriente, tum in Occidente quantum ad veſtitum communem, nec veſtis forma, nec colore ſe a Laicis ſecernebant, ſed ſola veſtis modeſtia.

Primam propoſitionis partem vel una Cœleſtini Papæ ep. ad Viennenſis, & Narbonenſis Provinciarum Epiſcopos A. 428. data evincit, utpote in qua improbat Clericos, qui tum primum pallio induti, & zona præcincti incedebant, veſteque ſtudebant diſcerni a Laicis. *Didicimus*, inquit, *quoſdam Domini Sacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſervire, quam mentis, vel fidei puritati: Amicti pallio, & lumbis præcincti credunt ſe ſcripturæ fidem non per ſpiritum, ſed per litteram completuros. Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur, cur non fiant pariter, quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus una cum baculo teneantur.* Et poſt: *Diſcernendi a plebe vel cæteris ſumus doctrina, non veſte; puritate, non cultu. --- Unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum in alterum habitum conſuetudo vertatur? &c. nam ſi incipiamus ſtudere novitati, traditum nobis a Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus.* Juxta Cæleſtinum igitur diſtinctio in veſtitu a Laicis, ab aliquibus Epiſcopis Galliæ ſæculo V. adoleſcente affectata, erat novitas contra aliarum Eccleſiarum conſuetudinem, Patrumque traditionem introducta; in utraque igitur Eccleſia Clerici veſtis forma a Laicis non diſcriminabantur. Immerito itaque hanc propoſitionem apud Alexandrum hiſt. Eccl. ſæc. IV. c. 5. a 8. notarunt Cenſores Romani, cum eidem recentiſſime ſubſcribat SS. noſter Benedictus Papa XIV. in præclariſſimo ſuo opere de Miſſæ Sacrificio 6. 38.

Quantum ad 2. p. ex ep. S. Hieronymi ad Nepotianum de vita Clericorum inſcripta colligitur, nigro colore ſuo tempore, id eſt ſæculo IV. necdum fuiſſe indutos Eccleſiaſtici Ordinis Viros. Sic autem habet: *veſtes pullas æque devita, ut candidas, ornatus ut ſordes pari modo fugiendi ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.*

Tertiam partem eodem ſæculo IV. adſtruit Concilium Carthaginenſe IV. can. 45. ubi ait: *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu, & in inceſſu probet: & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat.* Hæc & ſimilia tum in hoc, tum in aliis horum ſæculorum Conciliis Clericis merito inculcata ſunt, eo quod jam tum, quemadmodum in ſæcularium, ita & in Clericorum habitu luxui, mundanæque gloriæ non infrequenter litaretur. Unde idem Hieronymus in ep. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis, *Omnis*, inquit, *his* (Clericis) *cura de veſtibus, ſi bene oleant; ſi pes la-*

xa

Google

na pelle non fallat. Crines calamiſtri veſtigio rotantur: digiti annulis radiant: & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam Clericos. Et Julianus Pomerius de vita contemplativa lib. 2. c. 24. deſcribens illos, quos mox laudatus canon Carthaginenſis videtur reprehendiſſe; *Taceo*, inquit, *de illis, qui nutante lapſabundi corporis motu, deſluentibus in talos veſtimentis incedunt, & vagis laterum flexibus quodammodo fluctuantes*. Et iterum Hieronymus in laudata ad Euſtochium ep. *Si Lector, ſi Acolythus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte, ſed moribus: nec calamiſtra criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur*. Ita nimirum corrupta in nobis natura ad vanitatem præſertim in veſtibus ſectandam pondere quodammodo fertur, ut Eccleſia per omnia ſæcula vix non fatigata fuerit ad eam in potioribus ſuis membris, Clericis nimirum, eliminandam, operam oleumque quantum ad Laicos præſertim moderni ſæculi perdens.

5. Prioribus illis ſæculis eædem fere veſtes, quæ nunc ad Sacrificium adhibentur, fuerunt veſtes civiles, Laicis Clericiſque communes.

Hanc propoſitionem probat Sanctiſſimus noſter tractatu citato §. 39. ex Thomaſſino p. 1. lib. 2. c. 45. in quo oſtendit, ſtolam, manipulum, & albam profanas antea fuiſſe veſtes. Et cap. 47. N. 4. poſtquam plures attulit authoritates, *Quibus ex teſtimoniis*, inquit, *conſtat, tunicam, dalmaticam, caſulam, communes illas fuiſſe quondam Laicorum veſtes, multoque magis Clericorum civili in uſu, ac tandem eo evaſiſſe, ut propria Clericorum eſſent, nec in civili tantum uſu, ſed & in ſacro, Laicis a patrio majorum habitu ad peregrinas veſtes deſciſcentibus*. Non ſubeat autem Lectorem idea erronea, quaſi Laici, Clericive in compitis, foriſque inceſſiſſent illis ſæculis, quemadmodum noſtri Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconive procedunt ad Altare, ea nimirum Caſulæ, Dalmaticæ, Albæ, Manipulique forma &c. quæ nunc conſpicitur, id enim non prætendit propoſitio. Veſtimenta enumerata nec eadem figura, nec omnia ſimul geſtabantur a Laicis, & Clericis in uſu civili, quemadmodum nunc geſtantur a Clero in Sacris, ut mox patebit.

6. Stolæ apud veteres, ſeu etiam Chriſtianos primorum V. ſæculorum longe diverſus erat ſignificatus a moderno.

Imprimis enim tam Græcis, quam Latinis Scriptoribus muliebrem veſtem ſignificabat, ad talos uſque dimiſſam. Unde Cicero effœminatos Marci Antonii mores redarguens Philip. 2. ait: *Sumpſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti*. Sumitur etiam pro quolibet genere veſtimenti Regum, Sacerdotum, privatorum Geneſis 41. & 45. Eſther c. 6. lib. 2. Machab. c. 3. Stolam autem virilem veſtem fuiſſe talarem, quæ totum corpus tegeret præter caput & collum inſtar Poderis, probat Cardinalis Bona Rer. Liturg. lib. 1. c. 24. §. 6. ex Xenophonte, qui 8. Cyripæd. ejus formam deſcribens ait: *Elegit itaque ſtolam Medorum & ipſe ferre, & ut familiares ea induerentur, perſuaſit. Hæc autem viſa eſt ei occultare, ſi quis defectum aliquem haberet in corpore*. Simili quoque modo deſcribit S. Germanus Conſtantinopolitanus ſtolam Sacerdotalem in Theoria Liturgiæ, quam eſſe ait *igneicolorem, demiſſam uſque ad pedes inſtar Poderis Aaron*. Stola igitur virilis in præſenti ſignificatu non videtur aliud fuiſſe, quam tunica, ſeu toga Romana talaris, mollitiem fœmineam amplitudinis, plicarumque parcitate excludens, ut ex Cicerone relato colligitur.

7. Stolæ nihilominus noſtræ ſimilis mentio habetur in monumentis horum ſæculorum.

De ſtola in hoc ſignificatu ſermonem habebimus infra Tit. 41. ubi & de Orariis, quæ veteres cum ſtola in moderno ſignificatu ſubinde confundebant, verba faciemus.

8. Si nomine manipuli intelligatur Sudarium, ſive Orarium, ejus uſus primis Eccleſiæ ſæculis Clericis Laiciſque communis fuit.

Quamvis enim ora veſtis faciei abſtergi ſoleret, antequam linteola in uſu eſſent, unde Plautus in Mercatore act. 1. Scena 2. *Sume laciniam* (partem ſcilicet extremam veſtim uti) *atque abſterge ſudorem tibi*: nihilominus ævo Chriſtiano coævum eſſe linteolorum, ſeu Orariorum uſum, Clericis Laiciſque communem, in quorum locum apud Altaris Miniſtros poſtea ſucceſſere manipuli moderni, ut ſuo loco videbimus, præter alia conſtat ex S. Ambroſio oratione habita in obitu fratris ſui Satyri, ubi ait: *Divinum fidelium ſacramentum ligari fecit in Orario, & Orarium involvit colla, atque ita ſe dejecit in mare*. Et iterum ep. 54. de miraculis SS. Gervaſii & Protaſii: *quanta Oraria jactantur? & tactu ipſa medicabilia repoſcuntur*.

9. Albæ primis Eccleſiæ ſæculis peculiaris quidam Laicorum, qui magna eſſent dignitate, fuit ornatus. Eaſque Epiſcopi & Presbyteri ad uſum communem adhibebant.

Quantum ad 1. p. Aurelianus Imperator dicitur a Vopiſco *donaſſe etiam populo Romano tunicas albas manicatas ex diverſis Provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras*. Et Hieronymus in ep. 128. ad Fabiolam, *Volo*, inquit, *pro legentis facilitate abuti vulgato ſermone: ſolent militantes habere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas membris, & adſtrictas corporibus, ut expediti ſint vel ad curſum, vel ad prælia dirigere jacula, tenere clypeum, enſem vibrare, & quocumque neceſſitas traxerit*. Hinc concludit: *Ergo & Sacerdotes parati in miniſterium Dei utuntur hac tunica, ut habentes pulchritudinem veſtimentorum, nudorum celeritate diſcurrant*.

Eas vero Albis, non tam ſtrictis quidem, ſicut illæ militum ab Hieronymo perhibentur, etiam extra Sacra uſos fuiſſe, conſtat exemplo S. Cypriani Martyris, qui a Pontio in obeundo Martyrio *in Alba* ſtetiſſe perhibetur. Et Concilium Carth. IV. A. 398. can. 1. ſtatuit: *ut Diaconus tempore oblationis tantum vel lectionis Alba utatur*. Unde conjecturam capere licet, Epiſcopos, & Presbyteros etiam alio tempore Alba uſos fuiſſe. Ex his alias fuiſſe ſimplices, & ſine opere puras dicit Vopiſcus, alias vero ſerico, purpura, auro intertexto ornatas & decoratas. Docet idem Vopiſcus in Aureliano, qua ratione Albæ lineæ ornarentur, appoſitis ſcilicet Loris, aut Fimbriis purpureis, ſive aliis duabus, pluribuſque, unde earum diverſa nomina, *& quidem aliis manolores, aliis dilores, trilares aliis, & uſque ad pentalores, quales hodie linea ſunt*. Ex his etiam patet, Albas, de quibus ſermo, non fuiſſe portatas ſuper nudum corpus, quemadmodum camiſiæ, ſeu induſia, de quibus Iſidorus lib. 19. Originum c. 22. *Camiſias*, inquit, *vocamus, quod in his dormimus in Camis, id eſt, in ſtratis noſtris*; ſed ſuper veſtes alias; nam in tunicas illas interiores aurum mittere dementiam judicabat Alexander apud Lampridium propter nuti rigorem & aſperitatem.

10. Albæ ne diffluerent & greſſum impedirent jam olim cingulo adſtringebantur, quod Judæis balteum, Græcis zona dicitur.

Qui diſcinctus eſſet apud Judæos & Romanos, otio, luxu, & deliciis diffluens habebatur; ut oſtendit Vertus lib. 2. pag. 310. Cingulum igitur & a Laicis, & a Clericis tum adhibebatur.

11. Caſula & Planeta profanum his ſæculis erant indumentum.

Ca-

Caſula teſte Iſidoro lib. 19. Originum c. 24. *per diminutionem a Caſa dicta eſt, quod totum hominem tegat quaſi minor Caſa*. Planetæ vero nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus divagatur, ut ait Gemma animæ lib. 1. c. 207. *Limbus ejus errabundus utrinque in brachia elevatur*. Huic Planetæ ſimilem veſtem habuere Græci, *Phenolium*, ſeu Phælonium dictam, quam Latini Penulam verterunt. Penulam ſuam in Troade apud Carpum reliquiſſe ſcribit Paulus 2. ad Timoth. c. 4. An hæc Penula fuerit veſtis ſacra, an alia communis frigori, ac imbribus depellendis apta, an denique Scriniolum, ſeu Theca libris & membranis refarta, controverſum eſt inter Doctos. De qua Controverſia vide Card. Bona lib. 1. c. 34. §. 8. Porro Planetam, Caſulam, Phœnolion, ſeu penulam primis Eccleſiæ ſæculis veſtem fuiſſe profanam, Laicis Clericiſque communem conſtat tum ex Caſſiano, qui ſæculo V. vilem Monachorum habitum opponens inani ſæcularium habitus luxui, ita loquitur: *Et ita Planetiearum, atque Pyrrharum pretia ſimul ambitionemque declinant. lib. 1. de hab. Monach.* Et Ferrandus Diaconus in vita S. Fulgentii c. 18. *Caſulam pretioſam, vel ſuperbi coloris nec ipſe habuit, nec Monachos ſuos habere permiſit. Subtus Caſulam nigello vel lactinia pallio inceſſit*. Joannes item Diaconus lib. 4. de vita S. Gregorii c. 83. Planetas ſæculo VI. Laicis adhuc uſitatas fuiſſe innuit, dum de ejus Patre ſcribit: *Gordiani habitus caſtanei coloris Planeta eſt*. Et S. Iſidorus ſæculi VII. initio in regula c. 12. inter Laicorum veſtes Planetam recenſet: *Porro*, inquiens, *linteo non licet Monacho indui; Orario, Birris, Planetis non eſt fas uti*. Denique author vitæ S. Cæſarii Arelatenſis, qui ſæculo V. floruit, hæc habet: *Ambulans Cæſarius per plateam civitatis, vidit contra in ſata hominem, qui a dæmonio agebatur, in quem cum attendiſſet, habens manum ſub caſula, ut a ſuis non videretur, crucem contra eum fecit*. Planetam igitur in quotidianos uſus adhibuit Cæſarius. Erant igitur Planetæ, Caſulæ, Penulæ, Pyrrhi, Albæ, ſicut & Dalmaticæ, de quibus mox, ſuperindumenta, quibus illis & ſequentibus ſæculis ſuper Tunicam Togamque talarem utebantur tum Clerici, tum Laici, ut ex nunc dictis, ſi expendantur, manifeſto liquet.

12. Dalmaticæ prioribus illis ſæculis civilis Cleri Laicorumque habitus fuerunt.

Dalmaticam Romanis in uſu fuiſſe Lampridius teſtatur, qui de Commodo & Heliogabalo Imperatoribus ictibit in dedecus, & probrum ipſorum, quod dalmaticati in publicum proceſſerant: vel quia mollium & delicatorum veſtis cenſebatur, vel quia exotica, & Romanorum oculis inſueta erat. Ejus fit mentio in actis S. Cypriani, ubi Pontius ejus vitæ ſcriptor ait: *Cum ſe Dalmatica exſpoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, ſtetit in linea*, fatalem nimirum ictum a carnifice expectaturus. Sacra an communis fuerit illa Cypriani Dalmatica, quæſtio eſt inter Liturgiſtas. Cardinalis Bona communem fuiſſe credit, eo quod illo ævo nondum ad uſum ſacrum translata fuerat. Dalmaticis uſos fuiſſe Imperatores, Regeſque, dum inaugurarentur, atque ad alia ſpecialia decora etiam prioribus his ſæculis probat Eminentiſſimi hujus Cardinalis egregius Commentator Rubertus de Sala in notis ad lib. 1. c. 24. §. 18. His Dalmaticis affine erat veſtimentum, *Colobium* dictum. *Erant autem Colobia*, Teſte Bona L. cit. *tunicæ ſine manicis, non quod prorſus manicis carerent, ſed quia ad cubitum tantum pertingebant, Dalmaticæ vero manicatæ erant, talares, ſericea, albæ, auro ornatæ, & plagulis, ſeu clavis ex purpura aſſutis diſtincta*. In Dalmatia primum inventæ, & illinc Romam translatæ ſunt, unde & nomen acceperunt, ſicut ait Iſidorus lib. 19. Orig. c. 22.

13. Sæculo VI. Clericorum habitus quantum ad formam a Laicorum veſte ſecerni cœpit in Occidente, qui mos ſæculo VII. & VIII. roboratus eſt: ſecus accidit in Oriente.

Quantum ad Occidentem diverſitas in eo poſita erat, quod Clerici Romanam Togam, ſeu Veſtem oblongam & talarem omnibus Romani orbis incolis, exceptis militibus, a ſæculis communem retinerent, Laici vero ſibi in Sagis ſeu veſtitu breviori, quem barbari boreales Occidentem vaſtantes geſtabant, ſibi complacere inciperent. Id quod ſæculo VI. incepiſſe, ſeptimo vero, & octavo roboratum fuiſſe ſuadet Patrum loquendi ratio, quæ uſu quaſi quotidiano illis ſæculis veſtes Clericorum a Laicalibus diſtinguit, de qua diſtinctione prioribus ſæculis altum ſilentium. Sic ſæculo VI. Synodus Matiſconenſis can. 1. *Clericis Sago, aut veſtimentis, & calceamentis ſæcularibus interdicit*. Et Liptinenſe ſæc. VIII. c. 3. præcipit: *ut Presbyteri vel Diaconi non ſagis Laicorum more, ſed Caſulis utantur ritu Servorum Dei*. Concinit Concilium Sueſſionenſe eodem ſæculo, dum vetat, ne Laicorum habitum portent omnes Clerici. Sic ſæculo itidem VI. Gregorius Turonenſis lib. 5. c. 14. ſcribit: *Meravaus tonſuratus eſt, mutataque veſte, qua Clericis uti mos eſt, Presbyter ordinatur*. Nec minus evidenter ſæculi VI. fine, & VII. initio S. Gregorius M. veſte ipſa Clericos ſuos a Laicis diſpeſcit: *Paulum Clericum, qui deſpecto habitu ſuo ad laicam reverſus vitam ad Africam fugerat, prævidimus in pœnitentiam dari*. Lib. 2. ep. 24. Et alibi; *dum ad Eccleſiaſticum habitum veniunt, non diſſimiliter quam vixerant, vivunt*. Lib. 7. ep. 11. Et Joannes Diaconus in hujus Sanctiſſimi Pontificis vita, *Nullus*, inquit, *Pontifici famulantium a minimo uſque ad maximum, barbarum quidlibet in ſermone, vel habitu præferebat; ſed togata, Quiritum more, ſeu trabeata latinitas ſuum latium in ipſo Lateriali Palatio ſingulariter obtinebat*. Lib. 2. c. 13. Ex quo magnifico teſtimonio evidenter apparet, quarum vel ipſi Romani in curtas barbarorum veſtes ſæculo VII. deflexerint, quodque ſæculo ſequenti ipſi etiam Clerici eas affectaverint, ut patet ex prohibitionibus Concilii Liptinenſis, Matiſconenſis, & Sueſſionenſis mox relatis.

Quantum ad Orientem attinet Synodus Trullana canone 27. ſanxerit, ut Clerici in urbe & rure veſte ſua utantur, hæc tamen veſtis Clericalis a laicali diverſitas formam ipſam habitus non reſpiciebat, ſed modeſtiam, cum his ſæculis barbari in Orientem non ita exundaſſent.

14. Iiſdem ſæculis Epiſcopi & Presbyteri etiam extra ſacra domi, in urbe, & ruri Alba ſuper veſte talari utebantur.

Id perſpicue colligi putat Thomaſſ. p. 1. lib. 2. c. 47. ex canone 28. Concilii Toletani IV. A. 633. celebrati, qui ita ſonat: *Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe, quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram Altario de manu Epiſcopi, Orarium, annulum, & baculum: Si Presbyter, Orarium, & Albam: Si Subdiaconus patenam, & calicem: ſic & celiqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ, cum ordinarentur, perceperunt*. Cum enim tenore illius nec Presbytero, nec Epiſcopo reſtituatur Alba cum redintegrantur, nec aufertur cum deponuntur, ſequitur, quod communis & uſitata hæc eſſet eorum veſtis. Sed de hoc canone lucuientius, quando agemus de veſtibus ſacris.

15. Talaris hæc Clericorum veſtis perſeverabat ſæculo VIII. & IX. Presbyterique inſuper Alba & Stola ſuperinduti extra ſacra incedere debebant.

Quan-

4. Quantum ad togam talarem Concilium Metenſe A. 888. celebratum c. 6. ſancit: *ut nemo Clericorum arma portet, vel indumenta laicalia induat, id eſt Cattos* (ſeu curtas veſtes) *vel Mantellos ſine cappa non portet; & Laici cappas non portent.* Iſtis ergo honoratiores aliqui Laici tum adhuc talariter incederent, illorum tamen togæ a Clericorum Cappis, ſeu Caſulis diſtinguebantur. Conjicere autem licet ex canone 61. Concilii Aquisgranenſis A. 817. habito, quo præcipitur, ut Monachi Cappas diſconſutas præter villoſas non habeant, etiam Clericorum Cappam ſeu Caſulam antica ex parte clauſam, conſutamque eſſe debuiſſe.

Quantum ad Albas & Stolas Concilium Moguntinum A. 813. can. 28. ait: *Presbyteri ſine intermiſſione utantur Orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis.* Et apud Reginonem lib. 1. c. 61. & 62. Formula Viſitationum Epiſcopalium inquiri ab Epiſcopis Parochus præcipit: *Si ſine Stola vel Orario in itinere incedat, ſi abſque Alba, aut cum illa Alba, qua in ſuos uſus quotidie utitur, Miſſam cantare præſumat.* Et canone, quem Gratianus 57. q. 4. c. 25. Concilio Triburienſi tribuit, ſancitur: *Ut Presbyteri non vadant niſi Stola, vel Orario induti, & ſi in itinere ſpoliantur, vel vulnerantur, aut occidantur non Stola veſtiti; ſimplici emendatione ſua ſalvantur, ſi autem cum Stola, triplici.* Nomen Stolæ his in locis accipi pro communi veſtimento, quod ita proprium foret Sacerdoti, ut eum diſcerneret a ſæculari, autumat Cardinalis Bona lib. 1. c. 24. §. 7. & ejus Gloſſator eximius Robertus Sala: contrarium tenent Dominicus Georgius, & Joſephus Catalanus, quos laudatos Sala L. cit. ad longum refellere conatur. Argumenta Catalani ſunt I. quod in Concilio Braccarenſi I. A. 563. c. 19. reprehendantur Diaconi, quod Oraria infra tunicam abſcondant; igitur Braccarenſe Concilium Stolam diſtinxit a veſte talari. Reſpondet Eminentiſſimi Cardinalis Commentator & Vindex, ibi nomine tunicæ intelligi dalmaticam, & conſequenter canonem loqui de Diaconis in ſacro miniſterio occupatis, in quo Stola, ſeu Faſcia a tunica, ſeu Dalmatica diſtinguebatur. II. S. Maurum Abbatem recepto ſui ſæculi more Diaconalem Stolam primo ordinationis ſuæ anno extra rem ſacram portaſſe, teſte ipſius vitæ ſcriptore. Reſpondet Sala, hæc & ſimilia exempla ſingularia Sanctorum priſcum ritum induendi ſacra veſtimenta ad Miſſarum ſolemnia celebranda loco movere non poſſe, quin ex Thomaſſ. p. 1. lib. 2. c. 45. N. 16. errorem contrarium arguere, eo quod evincant, apud cæteros conſuetum fuiſſe, ut in Sacrificio veſtes communes deponerent, & ſacras induerent. At urget Catalanus hæc & ſimilia argumenta in ſuæ ſententiæ contrarium adducta, ſolum evincere Presbyterum aut Diaconum his ſæculis extra Sacra non proceſſiſſe indutum omnibus veſtimentis ſuo ordini congruentibus; nequaquam vero quod uſi non fuerint una ſtola in ſignum ſuæ dignitatis. Reſpondet Sala, eandem rationem eſſe de uno facto indumento, ac de omnibus. Ego ut anſerem inter olores agam, atque quid ſentiam candide aperiam, judico cum Eminentiſſimo Cardinali Bona, ejuſque Apologiſta contra Catalanum in Concilio Braccarenſi I. & III. a Bona lib. cit. relatis Stolæ nomine intelligi Stolam noſtræ ſimilem, eamque ſacram, eo quod Braccarenſe expreſſe habeat, *cum Sacerdos ad Miſſarum Solemnia accedit --- non aliter accedat, quam Orario utroque humero circumſeptus;* Braccarenſe vero I. a Catalano ſupra in primo argumento relatum de Eccleſiis apertam mentionem faciat; *placuit*, inquiens, *ut quia in aliquantis hujus Provinciæ Eccleſiis Diaconi &c.* adeoque bonam eſſe Salæ reſponſionem ad hoc Catalani Argumentum: at nego in favorem Catalani ex his Canonibus inferri poſſe, a Moguntino, & Triburienſi Conciliis ſupra hoc N. adductis, Stolæ, ſeu Orarii nomine ſine intermiſſione geſtandi intelligendum eſſe veſtimentum commune, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum diſcerneret a ſæcularibus. Ex dictis enim & adhuc dicendis conſtat I. *Sacrae* veſtes a primis uſque ad VIII. ſæculum *alias* quidem fuiſſe a civilibus Clericorum, non tamen *diſſimiles*, ſaltem omnes. Unde Thomaſſ. l. cit. c. 47. N. 4. ait: *Quibus ex teſtimoniis conſtat, Tunicam, Dalmaticam, Caſulam communes illas quidem fuiſſe quondam Laicorum veſtes, multoque magis Clericorum civili in uſu, ac tandem* (ſæculo VIII.) *eo evaſiſſe, ut propria Clericorum eſſent, nec in civili tantum uſu, ſed & in ſacra.* Quid igitur prohibet ſentire, Moguntinum, & Triburienſe Concilia voluiſſe a Presbyteris indeſinenter portari Stolas noſtris ſimiles, & quæ tum in Sacris adhibebantur juxta Concilia Braccarenſia mox relata; cum etiam juxta Toletanum Concilium N. 14. relatum Planeta ſeu Caſula teſte Thomaſſino fuerit veſtis ſacra, & tamen, eodem non loquente, a Clericis non tantum in uſu ſacro, verum etiam in civili adhiberetur? Unde Regino h. N. citatus a Viſitatore interrogari vult: *Si* (Parochus) *abſque Alba*, aut cum illa Alba, qua in ſuos uſus quotidie utitur, *Miſſam cantare præſumat.* Et Riculphus in Capitulari canone 7. *hoc omnino prohibemus*, inquit, *ut nemo illa Alba utatur in ſacris myſteriis, qua in quotidiano &* exteriori uſu *induitur.* Albis ergo utebantur Presbyteri in ſacris myſteriis, Albis in communi uſu; cur igitur Stolis faſcialibus eodem modo uti non poterant, cum eum uſum Concilia Moguntinum & Triburienſe ſatis exprimant? eo vel maxime, quod Concilium Moguntinum, dum Presbyteros ſine intermiſſione uti Orariis ſeu Stolis præcipit propter differentiam *Sacerdotii dignitatis*, poſterioribus ipſis verbis eos non tantum a ſæcularibus, ut vult Sala, ſed etiam ab inferioribus Clericis diſtinguere velle videatur, quod factum non fuiſſet per veſtem talarem, utpote qua Clerici omnes ad differentiam Laicorum his ſæculis utebantur, igitur per Stolam noſtræ ſimilem, cujus uſus his ſæculis Diaconis, excepto primo ſuæ ordinationis anno, erat interdictus, ut ſtatim videbimus. Hinc convaleſcit Argumentum Catalani tertio loco h. N. poſitum, quia quamvis admitti poſſit Presbyteros his ſæculis in communem uſum non adhibuiſſe omnes veſtes ſuo ordini congruentes, nil tamen prohibet ſentire unam vel alteram in teſſeram ſui characteris indeſinenter fuiſſe geſtatam; & infirmatur reſponſio Salæ ad ſecundum ejusdem Catalani cuniculum; ſi enim Mauri exemplum non eſt ſingulare, ſed juxta *receptum morem* ſui ſæculi, ut teſtatur ipſe hiſtoriographus; ſi Diaconi recepto ſæculi VI. more primo ſuæ ordinationis anno Stolam Diaconalem extra rem ſacram deferebant; quid prohibet credere, Sacerdotes ſæculis inſequentibus conformiter ad Moguntinum & Triburienſe Concilia ſtolatos, ſeu faſciatos etiam extra ſacra proceſſiſſe?

16. A ſæculo X. uſque ad XIII. incluſive Veſtes talares & clauſæ Clericis vindicatæ ſunt a Conciliis; ac de colore nigro earundem nihil adhuc determinatum.

Quantum ad t. p. in Concilio Monpeſſulano A. 1214. maxime urgetur, ut ſuperior veſtis & talaris ſit, & undique clauſa. *Archidiaconi vero*, inquit, *Decani, Cantores* —— *ſuperiorem veſtem, ſive lanea, ſive linea ſit, clauſam habeant, & talarem. Quod & obſervari volumus a Clericis curam habentibus animarum.* Non de tunica inferio-

cioci, ſed de alba, vel alia lanea veſte ſuperioei loquitur hoc Concilium. Concilium vero Londinenſe A. 1298. præcipit, *ut Clerici univerſi veſtes gerant, ſaltem ultra tibiatum medietatem pertingentes*: Adducit præterea doctiſſimus Thomaſſ. p. 1. lib. 2. c. 50. & 51. plura Concilia edicentia, ne Clerici ſive interioribus, ſive exterioribus veſtimentis utantur, quæ ſciſſæ, ſeu apertæ ſint ſive ab anteriori, aut poſteriori parte. Item ne cappis manicatis utantur, præſertim in dignitate conſtituti, eo quod iis uterentur ii Laici, qui talariter tum adhuc incedebant. Ex quibus omnibus colligere licet, Eccleſiæ ſpiritum ab incunabulis ad uſque ſæculum XIII. ſemper invariate eo tendiſſe, ut Clerum veſtis modeſtia a variis ſæcularium pompis ſecerneret.

Secundum membrum ex ordinationibus Conciliorum horum ſæculorum éruitur, in quibus ne veſtigium quidem apparet præcepti nigri coloris in veſtimentis Cleri, quamvis cæteroquin ille color potiſſimum tum in uſu eſſet. Et quidem Concilium Cojacenſe A. 1050. unum id præcipit Clericis, ut veſtimentum unius coloris, & competens habeant; ubi ſubdit Thomaſſ. hinc liquet nigri coloris nullam adhuc neceſſitatem, aut univerſalem conſuetudinem viguiſſe, ſed abunde fuiſſe, ut ne amarent Clerici ſplendidiores, vel plures ſimul unius veſtis colores; ita enim poteſt vox illa *competens* interpretari. Hinc S. Bernardus ſæc. XII. de Conſid. ad Eugenium Papam lib. 3. ſcribit: *Vide, ſi non æque, ut prius pellicula diſcolor ſacrum Ordinem diſcolorat; ſi non, ut prius, ſciſſura clunis pene inguina nudat; —— nempe habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent*. Et Concilium Lateranenſe A. 1225. *Pannis rubeis, aut viridibus non utantur Clerici* (ſimplices nempe exceptis Epiſcopis) quos tamen non exceperunt ſæculi VII. Concilia teſte Thomaſſ. L. cit. c. 46. N. 2. Concinit Concilium Colonienſe A. 1280. *Pannis*, inquiens, *rubeis, aut viridibus non utantur* Clerici. C. 1. & 3.

17. Iiſdem ſæculis veſtem lineam ſeu Albam ſuper cætera indumenta geſtabant Clerici omnes, ſaltem majorum Ordinum quocunque in loco, & quidem ad terram pertingentem; poſtmodum eam in Eccleſia ſolum retinuere, extra Eccleſiam vero ſoli Canonici Regulares, & ea quidem, qua eos uti videmus, brevitate.

Et quidem, quod primam partem attinet, canon 16. Concilii Lateranenſis mandat, *ut Pontifices in publico, & in Eccleſiis ſuperindumentis lineis omnes utantur; niſi Monachi fuerint., quos oportet deferre habitum Monachalem*. Et canone 3. Concilii Monpeſſulani A. 1214. dicitur: *Archidiaconi vero, Decani, Cantores, & alii, qui in Eccleſiis Cathedralibus, vel Conventualibus obtinent Perſonatus, ſuperiorem veſtem, ſive lanea, ſive linea ſit, clauſam habeant & talarem*. Quem canonem N. præced. jam attulimus; ad eumque advertit Thomaſſ. lib. cit. c. 50. N. 3. Veſtis hæc ſuperior ante clauſa, & vel lanea, vel linea, illud nimirum indicat, cappas, de quibus tam frequens hic ſermo eſt, ejuſdem fuiſſe formæ, ac ſuperpellicia, ad imos uſque pedes defluxiſſe, & undique clauſas fuiſſe. In Eudonis Pariſienſis Epiſcopi conſtitutionibus *prohibetur univerſis Sacerdotibus ſine amictu, ſcilicet* Cappa vel Pallio, vel Superpellicio, *& Comite Clerica, vel Laica intrare domos alienas*.

Id, quod a. p. aſſeritur, colligi poteſt ex Concilio Budenſi A. 1279. cui Legatus Pontificius præerat, in quo poſt multa de Clericorum veſtitu pertractata poſtremo edicitur: ut Canonici Regulares ab aliis Clericis dignoſcantur Superpelliciis, quæ nunquam non geſtent, ſive tunicis lineis, ſive cappis clauſis utantur. Verba canonis 6a. ſunt: *Canonici Regulares ſine Superpelliciis, vel Tunicis lineis, ſeu Cappis clauſis non incedant*. Ubi perſpicit, inquit Thomaſſinus, quid eſſent Cappæ clauſæ ſive laneæ Monachorum, ſive lineæ Clericorum, quæ nimirum ita undique conſutæ erant, ut ſunt etiam nunc Superpellicia. Quamquam & his longa dies labem attulerit etiam non mediocrem. Si fibula enim illis ſua conſtat, ſi nulla ſciſſura illis illuſit, at damnum ingens tanta decurtatione illatum eſt. Non ita pridem enim ex antiquo more terram verrebant.

18. Iiſdem tribus ſæculis ſi ſtola præter veſtem talarem & Cappam lineam non erat communis veſtis Presbyterorum, Parochi ſaltem Alba & Stola in Conciliis comparere debebant. Qui mos duravit uſque ad ſæculum XVI.

Conſtitutiones Synodales Rothomagenſis Diœceſeos Parochos omnes Synodo intereſſe jubent cum Stola. Conſtitutiones Synodales Odonis Epiſcopi Pariſienſis, compluriumque ejus Succeſſorum in Synodum admittunt Parochos cum Superpellicio & Stola. Conſilium Budenſe A. 1279. ſtolatos etiam in Synodum ducit. Synodus Rothomagenſis A. 1581. cum Superpellicio & Stola jubet Parochos intereſſe Synodis. Rhemenſis A. 1583. idem ſanxit. Aquenſis A. 1585. decretum Concilii Mediolanenſia confirmavit. Et ſi Ratherii Veronenſis Epiſcopi Synodica Presbyteros ſemper ſtolatos incedere jubens his verbis, *Nullus ſine Stola in itinere incedat*, conformiter ad explicationem canonum Concilii Moguntini & Triburienſis exponatur N. 25. h. t. ſequitur his adhuc tribus ſæculis Presbyteros Stolis communiter uſos fuiſſe.

19. A ſæculo XIV. uſque ad præſentia tempora veſtes talares Clericis fuere vindicatæ, color tamen niger non niſi poſt *Tridentinum* ſtabilitus fuit.

Quod primum membrum attinet, Concilium Ravennatenſe A. 1354. veſtes talares ac clauſas præſcribit. Concilium Andegavenſe 1365. can. 13. item prohibet Clericis, ne veſtes breves aut botonatas in publico deferant. Concinit Concilium Eboracenſe c. 7. damnans, qui inſerpebat, abuſum geſtandi a Clericis breviores tunicas, ſeu Subtanas in urbe. Fiſſas retro & in lateribus veſtes Clericorum proſcripſit Martinus V. in Concilio Conſtantienſi A. 1418. At Salisburgenſe A. 1420. can. 6. propter majorem ambulandi commoditatem ad altitudinem unius palmæ cum media veſtes non prohibet aperiri Clericorum. Et ſæc. XVI. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. vetuit, ne Cardinales in familia ſua haberent ullos Beneficiarios, vel majores Clericos, qui veſte eſſent varii coloris, vel Presbyteros, quorum indumentum non ad humum uſque dimitteretur. Concilium item Moguntinum A. 1549. conſtituit, ne veſtes varii coloris velut virgatas, aut fimbriatas, aut diſciſſas deferant Clerici, ſed talaribus utantur.

Ex quibus canonibus ſecundum propoſitionis membrum adſtruitur, utpote qui colores variegatos, aut ſuperbos equidem prohibent, nigrum tamen non determinant. Igitur poſt Tridentinam Synodum, quæ Seſſ. 14. c. 6. de ref. Clericis non indixit niſi parcitatem & modeſtiam in veſte, fugamque conſtantem Laicorum habitus & conſuetudinis, S. Carolus Borromæus in ſuis Conciliis Clericis omnibus in Epiſcopali, vel Cardinalitia dignitate non conſtitutis, nigrum colorem præſcripſit. In omni veſtitu color tantum niger adhibeatur, niſi fortaſſe alium colorem exigat dignitatis gradus; verba ſunt Concilii I. Mediolanenſis A. 1565. can. 17. Ejuſdem ſtatuta alia Concilia amplexa ſunt, inter

quæ

quæ Burdigalenſe A. 1583. omnes colores præter nigrum prohibuit Clericis in dignitate non conſtitutis c. 21. Quem colorem generalis ipſe uſus adusque noſtra tempora confirmavit. Eccleſia tamen quantum ad veſtium formam, ac etiam ſuperindumentorum colorem itineris rationem habuit.

20. Circa capitis, colli, manuumque ornamenta variæ variis ſæculis circa Clerum fuere conſuetudines, variæ diſpoſitiones in Eccleſia. Primis ſæculis Epiſcopos tum in Oriente, tum in Occidente coronam, Tiaramve, aut Mitram, Cidarimve, quæ promiſcua erant nomina, in capite geſtaſſe, atque id ex illa forte aurea lamina profectum eſſe, quam Joannes & Jacobus a Polycrate, Clemente Alexandrino, Euſebio, Epiphanio, & Hieronymo dicuntur in fronte geſtaſſe, probat & ſuſpicatur Thomaſſ. parte 1. lib. 2. cap. 45. Cæterum cum per V. ſæcula & ultra tum in Occidente, tum præcipue in Oriente Cletus veſte communi a Laicis non differret, de capitis tegumentis ejuſdem conformiter ad tegumenta Laicorum tum Occidentis, tum Orientis diſcurrendum eſt. Videntur autem ſicut nunc ita & olim Occidentales populi ab Orientalibus capitis tegminibus multum diſcrepaſſe. Qualia autem illa fuerint in Occidente, obſcuriſſimum eſt. Pileatos Birreto quadrato ſæculo X. Clericos Leodienſes inceſſiſſe refert Laurentius Laodmettec Canonicus Præmonſtr. de vetere Clerico & Monacho p. 1. c. 1. ex Chronico Leodienſi. Hoc autem Birretum, quod nunc quadratum, ab origine rotundum fuiſſe, & laneum ad inſtar Galeri abſque gyro alato, quod Galli vulgo Bonettum appellant, teſtatur Sala in Appendice ad §. XX. c. 24. libri I. rerum Liturgicarum Cardinalis Bona ex figuris ſepulcralibus medii ævi, addens; ſed cum digitis aſſidue apprehenderetur, quemadmodum nocturnus pileolus apprehendi ſolet, ſenſim cornua quædam, ſeu angulos adeptum eſt; hinc ſucceſſu temporis ſolida tela ſubſuta illi quatuor anguli in modum crucis ſublevati ſunt. Hoc igitur tegumento capitis ſi non ſæculo X. vel XI. certe ſæculo XIV. uſi ſunt Clerici tum in, tum extra Eccleſiam, ſicut & pileo, Caputio, Almutia, ut variis Conciliorum hujus & ſequentium ſæculorum canonibus probat Thomaſſinus p. 1. lib. 2. c. 51. & 52. qui ibi candide fatetur ſe Eccleſiaſtica capitis tegumenta in altiorem originem refundere haud potuiſſe, quod nulla eorum originis antiquiora ſint veſtigia. Itaque Concilium Ravennatenſe A. 1317. edixit, ut Clerici pileo, vel Birreto, vel Armutia oblonga ad aures uterentur. Nec abhorret a ſpecie veri, inquit idem c. 52. N. *6.* initio idem unumque fuiſſe Capitium & Armutium; ut Capitium diceretur ex eo, quod caput tegeret, Armutium autem, quod in armos etiam penderet; at diſcriminis poſtea aliquid invectum eſt, cum vetuerit Baſileenſe Concilium ſæculo XV. habitum, ne Clerici divinis officiis intereſſent cum Capitio, ſed Almutiis vel Birretis potius uterentur. *Non Caputia, ſed Almutias, vel Birreta tenentes in capite.* Verba ſunt Concilii Seſſ. 21. c. 3. Birretum autem & Almutiam ſæculo XIV. unum idemque fuiſſe capitis tegumentum Clericis, Laicisque commune, itemque pileum & capitium, hæcque poſteriora tegumenta, prioribus caput immediate tegentibus, ſuperimponi ſolita fuiſſe, colligitur ex Chronico Flandriæ cap. 105. ubi de Imperatore Carolo IV. agens, quando Pariſios venit, obviumque ſe ei dedit Carolus V. Franciæ Rex, narrat, Imperatorem nudaſſe caput amovendo Almutiam & Caputium, Regem vero duntaxat amoviſſe pileum; continuator vero Nangii ſic: Imperatorem depoſuiſſe Birretum ſuum & Caputium. Sæculo XVI. Birreta jam leguntur quadrata, & ſacris uſibus magis deputata, de qua materia videatur Thomaſſ. c. 51. jam citato; ubi etiam adfert canones, qui Almutia, alias a Clericis promiſcue adhiberi ſolita, Canonicis pro Eccleſia vendicant, atque Collaria manicaſque rugoſas minaciter interdicunt. Et hæc de re veſtiaria civili Clericorum utriuſque Eccleſiæ omnino obſtruſa dicta ſufficiant.

T I T U L U S II.

De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

1. CUm teſte Tridentino Seſſ. 25. c. 14. de reform. nihil communem omnium fidelium offenſionem magis incurrat, nihil in dedecus Clericalis militiæ vergat magis, quam Clericorum ipſorum incontinentia, huic autem excitandæ atque fovendæ, aut ſaltem opinionis de ea extraneis ingerendæ nihil aptius exiſtat mulierum contubernio atque familiaritate, cohabitationem earundem cum Clericis conſtanter aut interdixit, aut arctis limitibus circumſcripſit Eccleſia.

Hinc in rem luculentiſſimos canones jam ſæculo IV. editos proferre poſſumus; & quidem Concilium Nicænum canone 3. *interdixit per omnia non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in Clero eſt, licere ſubintroductam*, hoc eſt extraneam, *habere mulierem, niſi forte aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem fugiunt*. Nicæno concinuot eodem ſæculo Synodus Eliberitana, cujus canon 27. ita ſonat: *Epiſcopus, vel quilibet Clericus alius aut ſororem, aut filiam virginem dicatam Deo tantum ſecum habeat: extraneam vero nequaquam ſecum habeat*: Carthaginenſe I. can. 3. *Nullus igitur, nullaque Sanctimoniæ & Virginitati deſervins, propter blaſphemiam Eccleſiæ, ſi vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debeat*. Accuratius & diſertius expreſſit Concilium Carth. III. quæ eſſent fœminæ, in quas non caderet ſuſpicio, & quæ proinde a Clericorum domo non arcarentur, dum canone 17. ait: *ut cum omnibus omnino Clericis extranea fœminæ non habitent, ſed ſolæ Matres, Aviæ, Materteræ, Amitæ, Sorores, & Filiæ fratrum aut ſororum, & quæcunque ex familia, domeſtica neceſſitate, etiam antequam ordinarentur, jam cum eis habitabant: vel ſi filii eorum, jam ordinatis parentibus, uxores acceperint, aut ſervis non habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neceſſitas fuerit*.

2. Sanctioni Nicænæ occaſionem præbuerunt illi Clerici, qui Agapetas apud ſe retinebant.

Erant Agapetæ fœminæ extraneæ, ſeu ſubintroductæ, quas Clerici quaſi ſpirituali tantum charitate dilectas apud ſe patiebantur habitare. Quam perniciosiſſimam conſuetudinem ſuo exemplo in Clero Antiocheno confirmaverat ante Nicænam Synodum Paulus Samoſatenus, a Concilio Antiocheno propterea reprehenſus & damnatus. Ex quo patet ab ipſis Eccleſiæ incunabulis contuberoium fæminarum cum Clericis ſempet

fuiſſe inviſum, ita ut ſub larva pietatis extraneæ fuerint introducendæ, nec tamen admiſſæ.

3. In has Agapetas eodem ſæculo IV. vehementiſſime invecti ſunt Patres tum Græci, tum Latini.

S. Baſilius Canonis Nicæni authoritate uſus non permiſit Presbytero Paregorio, ſeptuagenario licet, ſecum habitantem habere Agapeten. *Ejice illam ex ædibus tuis*, verba ſunt illius ep. 17. *& trade in Monaſterium, ſit illa cum Virginibus, tu inter Viros miniſtra, lege canonem a SS. Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſte interdixit, ne quis mulierem ſubintroductam habeat*. Adverſus Agapetas Conciones multas habuit Chryſoſtomus, & tandem e Clericorum domibus omnes exturbavit. Omnium autem acerbiſſime ac vehementiſſime de prava illa conſuetudine dixit Hieronymus: *Unde in Eccleſiis Agapetarum peſtis introiit? unde ſine nuptiis aliud nomen uxorum? imo unde novum concubinarum genus? plus inferam, unde meretrices univiræ? eadem domo, uno cubiculo, ſæpe uno tenentur lectulo, & ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimemus. Frater ſororem Virginem deſerit, ſoror cælibem ſpernit Germanum, fratrem quærit extraneum, & cum in eodem propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorum ſpirituale ſolatium, ut domi habeant carnale commercium*. Ep. 22. ad Euſtochium. Ex quibus patet ſæculi IV. fine & V. initio Clericos complures ſanctiſſimis Conciliorum canonibus fucum ſub larva pietatis facere voluiſſe. Quibus ſæculo quinto cautior fuit Magnus Auguſtinus, atque ipſis etiam canonum decretis auſterior; dum ne ingredi quidem unquam paſſus, nedum inhabitare multerculas Epiſcoporum domum ſuam, ne ſororem quidem, etſi DEO ſacratam, non cognatas, non neptes; ſolitus dicere, etſi propinquæ mulieres ſuſpectæ non eſſent, tamen quæ ad eas ventitarent, poſſe ſuſpicionem efficere; ut habet Breviarium in ejus vita ad 28. Auguſti ex Poſſidio.

4. Diſciplina circa cohabitationem Clericorum & mulierum per Nicænam aliaſque primorum V. ſæculorum Synodos ſancita & firmata uſque ad Caroli M. tempora in utraque Eccleſia per varias Conciliorum, Pontificumque Sanctiones reſtaurata, & ſarta tecta conſervata eſt.

Sæculo namque ſexto Canon Nicænus renovatus eſt a Concilio Agathenſi, Clericiſque interdictus acceſſus in domos extranearum mulierum. Similiter ſancitum, ut mulieres neceſſario miniſterio conſanguinearum Clericis cohabitantium mancipatæ *a Cellario, vel a ſecreto miniſterio, & ab eadem manſione, in qua Clericus manet*, removeantur. Eadem fere ſancivit Synodus Epaonenſis eodem ſæculo celebrata, addens canone 20. *Epiſcopo, Presbytero, Diacono, vel cæteris Clericis, horis præteritis, id eſt, meridianis, vel veſpertinis ad fæminas prohibemus acceſſum. Quæ tamen, ſi cauſa fuerit, cum Presbyterorum aut Clericorum teſtimonio videantur*. Concilium Aurelianenſe III. A. 538. pœnas decernit in Epiſcopos, qui harum de cohabitatione Clericorum atque mulierum ſanctiſſimarum Legum violatores inultos eſſe permiſerint. Turonenſe II. A. 567. ancillas, quas Clerici ſub pallio neceſſarii ſervitii ac ordinandæ domus ſubintroducebant, item Agapetas, aut quaſi Sanctimoniales, Viduaſque præter matrem, aut ſororem, filiamve a domo Clericali ejicit. Adde Concilia Arvernenſe c. 13. 16. Tarraconenſe can. 1. Gerundenſe A. 517. can. 6. 7. Sed imprimis Gregorius M. qui obiit ſæculi VII. initio, eandem diſciplinam viribus omnibus manutenuit, atque ad ſæculum VII. illibatam tranſvexit; nam lib. 3. Ep. 26. Presbyteros Corſicæ Inſulæ prohibet commorari cum aliis in eadem domo fœminis: *excepta duntaxat matre, ſorore, vel uxore, quæ caſte regenda eſt*. Et alibi Calaritano Metropolitæ, qui Archidiacono ſuo fruſtra prohibuerat contubernium cum mulieribus extraneis, reſcribit: *Cum mulieribus habitare prohibuiſti &c. niſi juſſioni tuæ paruerit, eum Sacro Ordine volumus eſſe privatum*. Et lib. 7. ep. 39. mandat octo ſuis Nuntiis, quos Eccleſiæ Romanæ regendo Patrimonio præfecerat, ut Epiſcoporum vitam moreſque explorarent, neve ſinerent in eorum ædibus mulieres diverſari, exceptis iis, quas Synodus Nicæna ſpecificat, imo & ab his exemplo Auguſtini cavere ſibi optat Clericos ſacratos omnes, ut dum a licitis abſtinent, ab illicitis tanto validius muniantur. Gregorii exemplum Sæculo VII. ſecutum eſt Concilium Toletanum IV. aliaque bene multa Nicænum Canonem de fœminis, quæ poſſunt eaſdem cum Clericis incolere ædes, innovantia. Quibus omnibus ſæculo VIII. novum robur addidit Zacharias Papa in Concilio Romano A. 743. celebrato, cujus canone I. ſancitur, *ut Epiſcopi cum mulieribus omnino non habitent, ne antiqui hoſtis fraude decipiantur: ut, juxta Apoſtolicam vocem, non vituperetur miniſterium noſtrum*. Et Canone 2. *Ut Presbyteri vel Diaconi ſubintroductas mulieres nullo modo ſecum audeant habere, niſi forſitan Matrem ſuam, aut proximitatem generationis ſibi habentes, quæ ſuſpicionem effugiant, ſicut in Synodo Nicæna continetur*. Sartus ergo tectuſque uſque ad ſæculi VIII. ſuprema vigilantia Romanorum Pontificum, Conciliorumque ſervatus eſt Canon Nicænus ſaluberrimus, cujus obſervantia incontinentiæ pericula a clero hiſce ſæculis adeo efficaciter removebantur, ut non niſi rara notabilium lapſuum in Epiſcopis, Presbyteris ſive &c. (ſi Galliam atque adjacentem Germaniam pro ſæculo VIII. uſque ad S. Bonifacii tempora excipias) numerentur his ſæculis exempla. At poſtquam Paſtores Eccleſiæ ſubſequentibus ſæculis in vindicanda iſthac diſciplina fierent remiſſiores (id quod ineunte ſæculo VIII. in Gallia & adjacente Germania jam contigit) Clericique liberius mulierum extranearum ſub variis coloribus uterentur contubernio, tum enim vero innotuit varias parœmiæ, quod mulieres apoſtatare faciant ſapientes, ut infra triſtibus oculis videbimus. Nunc quantum ad Eccleſiam Græcam Juſtinianus Imperator ſæculo VI. novo vigore muniit canonem Nicænum, priſcaſque Imperatorum leges de vetita extranearum mulierum in ædibus Clericorum commoratione, edixitque, ut Epiſcopus ſede dejiceretur ſua, ſi quam in Epiſcopali domo pateretur. *Epiſcopo nullam mulierem ſecum habere permittitur, ſed ſi habere probetur, ab Epiſcopatu dejiciatur, quo ſe fecit indignum*. L. 1. Cod. de Epiſc. aud. Qua lege ipſæ quoque conſanguineæ ab Epiſcopali domo excluduntur, nec non uxores ante epiſcopalem ordinationem ductæ; & hinc idem Imperator ad Epiſcopales Cathedras eligi, evehique inhibuit eos, quibus incolumes ſuperaſſent uxores. Hæc tamen poſterior lex non diu viguit; ſiquidem Synodus Trullana A. 681. celebrata ſupponit uxoratos Presbyteros annuente conjuge ordinari poſſe in Epiſcopos, hac tamen lege, ut talis uxor a domo Epiſcopali arceatur, & in Monaſterio includatur, vel diaconiſſa, ſi merita ei ſuffragantur, ordinetur. Can. 48. Quæ diſciplina his ſæculis necdum viguit in Occidente, nam ex Concilio Arverno. c. 13. & 16. *Si uxoratus fiat Presbyter vel Diaconus, ex conjuge ſit ejus frater*. Et a Concilio Aurelianen. c. 17. *Uxor præcedens Presbyteri aut Diaconi a lecto tantum & conclavi, non vero a domo excluditur*. Idem ſancitur in Concilio Turonenſi, ubi & Epiſcopis præcipitur, ut conjugem præcedentem tanquam ſororem habeant, ſejunctam tamen a lectulo & cubiculo. Et Synodus

Altiſ-

Altiſſiodorenſis: *Non licet Presbytero poſt acceptam benedictionem in uno lecto cum Presbytero ſua dormire.* Adde locum ex Gregor. M. paulo ante commemoratum. Quæ tamen diſciplina poſterioribus ſeculis mutata, & Græcæ diſpoſitioni circa Epiſcopos conformata eſt. Alaxander enim III. ſæculo XII. ordinavit, ne uxoratus in Epiſcopum ordinetur, *niſi uxor prius profeſſo continentiam ſacrum velamen ſibi imponat, & Religioſam veſtem aſſumat*, c. 6. de Converſ. Conjugat. idemque ſancivit, nullum conjugatorum ad ſacros Ordines eſſe promovendum, niſi ab uxore continentiam profitenta fuerit abſolutus. Experientia fortaſſe docuit, naturam minus abhorrere a commercio uxoris factæ per fictionem juris ſororis, quam ſororis, quam ſanguinis communitas talem formaverat; ut proinde hæc ſemper in domo fratris fuerit tolerata, prior ab eadem ſubinde relegata.

5. Sub Caroli Magni tempora crebrius vetari debuit commoratio fœminarum in Clericorum ædibus ultra limites Nicæno Canone præſcriptos. Ex Regum Francorum ſæculi VII. tum inertia, tum inteſtinis bellis ingentem quoque diſciplina Eccleſiaſtica tum in Gallia, tum in adjacente Germania paſſa eſt ruinam, Simonia, concubinatu, aliiſque vitiis ſtatum Clericalem deturpantibus, ſenſim invaleſcentibus; & quidem lib. 1. tit. 6. N. 77. jam inſinuavimus, quemadmodum ipſe Gregorius M. qui ſæculi hujus initio obiit, opem Theodorici, & Brunehildis Regum Francorum contra peſtem ſimoniacam imploraverit. At circa hujus ſæculi finem ſublatis Vicariis Apoſtolicis, neglectiſque Synodis per 50. aut 80. uſque annos, ut lib. eodem tit. 8. N. 17. ex S. Bonifacio advertimus, collapſa penitus eſt Eccleſiæ his in Regionibus diſciplina. Verba Epiſtolæ a Germaniæ Apoſtolo circa A. 741. ad Zachariam Papam ſcriptæ ex Colet. Concilior. Collectione tom. 8. col. 228. huc tranſcribimus. *Franci*, inquit ille, *ut Seniores dicunt, plus quam per tempus* 80. *annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt, nec Eccleſia Canonica jura alicubi fundabant, vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per civitates Epiſcopales Sedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſæculariter ad perfruendum.* Et infra: *Inveniuntur quidam inter eos Epiſcopi, qui licet dicant ſe fornicarios, vel adulteros non eſſe, ſunt tamen ebrioſi & injurioſi, vel venatores, & qui pugnant in exercitu armati, & effundunt propria manu ſanguinem hominum, ſive Paganorum, ſive Chriſtianorum.* His malis efficaciter obviare volens Carolomannus Dux & Princeps Francorum Concilium in Germania (Ratisbonæ, an Auguſtæ Vindelicorum incertum) congregari juſſit A. 742. 11. Cal. Maji, in quo a S. Bonifacio aliiſque Germaniæ Epiſcopis conſilium petiit, *quomodo lex Dei, & Eccleſiaſtica Religio recuperetur, qua in diebus præteritorum Principum diſſipata corruit*; verba ſunt Carolomanni in præfatione ad hoc Concilium. Hoc itaque Concilium quantum ad præſens intentum, poſtquam canone primo fornicatores Clericos de pecuniis Eccleſiarum abſtuliſſet, & degradaſſet, atque can. 6. graviſſimis pœnis caſtigaſſet; ut occaſionem lapſus iiſdem præciperet, canone 7. ſancivit, *ut nullus Clericorum in ſua domo mulieres habitare permittat.* Hujus reformatorii Concilii ſaluberrimam ſanctionem ſub Carolo M. ſeu Sæculo IX. renovarunt varia Concilia, & quidem Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus ne quidem cognatas fœminas in domo Clericali paſſus eſt, exemplo & ratione S. Auguſtini ſupra allata permotus. Capitulare vero Epiſcoporum de A. 802. generatim ſanxit ſequentia: *ut in ſuo domo, in qua habitat Sacerdos, ullam mulierem unquam habitare permittat.* Can. 15. Quin & familiaritatem interdixit omnium extranearum fœminarum. Conſentit Synodus Nannetenſis can. 3. hac uſa Oeconomia, ut ſi Presbyteri cognata vel affinis omnino ejus ope indigeret, *habeat in villa, aut in Vico domum, longe a Presbyteri converſatione.* Concilium equidem Rhemenſe A. 813. can. 2. indulſit id, quod indulſerat Nicænum, at Aquiſgranenſe A. 837. can. 55. hanc indulgentiam revocavit, & Troſſegenſe ſevere inquiri jubet in frequentationes famoſas & cohabitationes Presbyterorum cum mulieribus. Concordant plura alia hujus ſæculi Conciliorum, Epiſcoporumque decreta, quibus Clericorum continentia, priori ſæculo his in regionibus tantopere collapſa, pro virili reſtituta fuit. Quantum ad Eccleſiam Græcam, in illa ſancita Nicæni Concilii canone 3. diſciplina ad ſæculi VIII. finem laxata merito videri poteſt, ſiquidem canon 17. Concilii VII. Generalis A. 787. celebrati, fœminas excludere non jubet, niſi ab Epiſcopalibus domibus & a Monaſteriis. *Fœminas commorari in Epiſcopiis, vel etiam Monaſteriis, omnis eſt offenſionis materia.* Verba ſunt canonis, qui ſuis violatoribus pœnam abdicationis indicat.

6. Diſciplina Nicæni Canonis (qua veluti repagulo ac fræno humana pronitas in carnis oblectamenta coercetur) Sæculo VIII. & IX. a zeloſiſſimis Epiſcopis, Regibus, Imperatoribuſque in Occidente curis maximis, ac vigilantia indefeſſa renovata, & in praxim miſſa, Sæculo X. & XI. pene obſolevit, Clerusque Occidentalis per ejus neglectum pene totus in barathrum incontinentiæ dejectus eſt.

Neglectus literarum tam ſacrarum, quam profanarum, qui hominum ſæculi X. mentibus, ceu quidam torpor obrepſerat, eaſque craſſa ignorantia, ceu ſpiſſa nube obvolvere cœpit, repagulum prædictum frænumque a Clero una ſenſim removit; inde enim factum eſt, ut homines lectionis, ſtudiique pertæſi, otio tandem ſæcularibuſque negotiis ſe ſe impenderent, genioque liberius indulgerent; cumque Catholica Eccleſia miſeris illis temporibus Petri Sedem non uno malo Pontifice, qui ſe, non ea, quæ ſunt Jeſu Chriſti, quæreret, lugeret detentam, factionibuſque maximis malevolorum opera ac ſtudio creberrime exagitatam, quorum proinde cura ſollicitudoque ad obſervationem Canonum inculcandam ad ſubordinatos Paſtores non protendebatur, quin bene multi ex his illorum pravis exemplis animati pari incuria præfatos canones apud inferiorem Clerum non tantum non urgerent, ſed paribus inſuper exemplis facem corruptelæ peſſimæ potius præferrent, præſertim ii, qui hiſce ſæculis beneficio inveſtiturarum Epiſcopatus, aliaque beneficia, a malis factioſiſque Principibus, pecunia, aſſentatione, Curialibus officiis, aliiſque viis illicitis emendicarunt, emerunt, vel extorſerunt, de quibus egimus lib. 1. tit. 6. in diſſertatione de Inveſtituris; inde ſubſecutum eſt, ut ſenſim ſine ſenſu velut torrens ſeſe impudicitia in Occidentalem Clerum diffunderet, & non tantum quoad licentioſam cohabitationem cum extraneis mulieribus, verum etiam quoad ipſum concubinatum, ac connubia ſacrilega. Id, quod unanimi conſpiratione teſtantur coævi & ſuppares hiſtorici omnes, & nos ſupra præfato titulo delineavimus, ac infra ulterius demonſtrabimus. Hic obiter advertendum, graviter culpandos eſſe iſtos Proteſtantes, qui odio Vatiniano in Eccleſiam Romanam animati ex perverſis ſubinde Romanorum, aliorumque Præſulum, ac ipſius Cleri Catholici moribus, fidei, doctrinæque morum corruptelam in Eccleſiam Chriſti irrepſiſſe iniquiſſime, ac petulanter garriunt; ſicut & illos Catholicos, qui panico pravi hujus judicii timore perculſi ex-

pedire judicant, ut hujuſmodi hominum vitia vel penitus occultentur, vel fuco illiniantur. Quemadmodum enim primi vel nativa conſcientia totos convicti fateri debent, ſe non tantum in ipſa rectæ ratiocinationis principia, verum in ipſam quoque rationem peccare, dum rectitudinem regularum ex *factis* eas profitentium metiuntur, ipſamque legem veterem ſub Chriſti in terris converſatione, quin ipſum Collegium doctrinamque Chriſti condemnare; ita ſecundi in leges hiſtoriæ, atque in officia viri cordati graviter delinquunt, & Matri ſuæ, ſponſæ Chriſti inexpugnabili ſunt injurii, falſicata, vel ſimulatione, ceu ſcutis papyraceis ei ſuppetias ferre volentes, quæ fidei candore, doctrinæ, morumque ſanctitate terribilis ex ſe ipſa eſt, ut Caſtrorum Acies ordinata.

7. Clericorum incontinentiæ Nicæni Canonis inſtauratione eliminandæ ſubſequentibus ſæculis non minus incubuere, ac prioribus illis zeloſiſſimi quique, decoriſque in domo Dei conſervandi ſtudioſiſſimi Romani Pontifices, Concilia, Præſules.

Tempus me deficeret, ſi omnes hanc in rem Sanctiones in medium adferre vellem; paucas ſolum hic delibabo, quod de continentia Clericorum ſermo ſit infra rediturus. Itaque Gregorius VII. ad ſæculi ipſius XI. finem mulierum cum Clericis commercium eo, quo nullus ſuorum Prædeceſſorum, zelo, atque contentione eliminare ſtuduit, cujus œconomiam ejus Apologiſta coævus authoritate Nicæni Canonis ſæpe laudati juſtificat apud Coletom tomo 12. Concilior. col, 559. de quo infra. Gregorii veſtigia ſæculis ſequentibus varia preſſerunt Concilia, & quidem Concilium Moguntinum relatum hoc titulo cap. 3. aut, ut vult Nota marg. ibi, Nannetenſe, ne quidem illas mulieres, quas Canones concedunt, in una cum Clericis domo patitur. Innocentius III. vero relatus eodem titulo cap. 9. hanc diſciplinam ad Nicæni canonis amuſſim revocat. Concilium Pariſienſe A. 1212. can. 4. Focarias e domibus Clericorum pelli, nec in alienis foveri ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio præcipit. Concinit Concilium Salisburgenſe Anno 1420. celebratum, Clericiſque, fœminarum famulatu carere nequientibus, eas ſolum admittit, *quæ propter ætatem, morumque gravitatem, aut ſi fieri poteſt, conſanguinitatem, omnem merito ſuſpicionem excludant*. Denique Concilium Tridentinum Seſſ. 25. de ref. cap. 14. volens decori Clericalis militiæ efficaciter conſulere, fideliumque offenſionem removere, Canonem Nicænum, qui uno alteroque abhinc ſæculo non parum denuo labefactatus fuerat, omneſque ejus confirmationes renovans, *prohibet -- quibuſcunque Clericis, ne --- mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam conſuetudinem habere audeant*. Quam ſaluberrimam conſtitutionem non ſemel renovavit ardentiſſimus Concilii Tridentini executor S. Carolus Borromæus, conſanguinearum etiam contubernium, ad bene multorum Prædeceſſorum ſuorum exemplum, Clericis interdicens, ut teſtantur acta Eccl. Mediol. pag. 19. 449. 450. 793. Item Concilium Turonenſe A. 1583. Bituricenſe 1584. quibus vetantur ædes Clericorum mulieribus locari. Turonenſe quidem t. 14. Bituricenſe vero Tit. de Canon. c. 8. Eamque executioni mandare ſolertiſſime ſolent in hanc uſque diem, quotquot in Eccleſia Romano-Catholica, quæ ſpiritualia ſpiritualibus comparat, officii ſui, tremendæque rationis coram diſtricto Judice reddendæ memores vivunt Epiſcopi.

TITULUS III.

De Clericis conjugatis.

1. Clericos tam Eccleſia Græca, quam Latina habet tam in majoribus, quam in minoribus Ordinibus conſtitutos; circa horum conjugia vel cælibatum a ſuis incunabulis utraque varia, eaque diverſa utraque ordinavit, quæ hiſtorice jam ſunt exponenda.

2. Chriſtus Fundator ſuæ Eccleſiæ caſtitatem perfectam, hoc eſt abſtinentiam totalem ab omni delectatione venerea, docuit eſſe poſſibilem, eamque ſuis ſequacibus conſuluit.

Poſtquam enim matrimonium toti generi humano, tamquam officium propagationi ejuſdem ſecundum ſe neceſſarium, & divinæ intentioni conforme Matth. 19. v. 4. 5. & 6. commendaſſet, illudque monogamum debere eſſe declaraſſet; diſcipulis v. 10. dicentibus: *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*; v. 11. & 12. dixit: *non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero ita nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cælorum*. Hoc eſt, *perpetuam caſtitatem* ſervare reſolverunt, id enim aperte indicat vox *caſtraverunt*, quæ perpetuam inhabilitatem ad Matrimonium exprimit. Poſſibilem ergo eſſe perpetuam continentiam Chriſtus hoc loco docuit. Sed & eam conſuluit, dum ſubdit: *Qui poteſt capere, capiat*. Quaſi diceret: quamvis Matrimonium propagando generi humano in genere neceſſarium ſit medium, & carnis poſt Adæ lapſum concupiſcentiæ ac rebellioni obviandi remedium peropportunum, nihilominus illud ſingulis Eccleſiæ meæ membris non præcipio, quin conſulo, ut is, qui durum continentiæ verbum opitulante mea gratia capere poteſt, capiat.

3. Caſtitas a Chriſto poſſibilis demonſtrata, atque conſulta, a Paulo inſuper eſt commendata, ipſique Matrimonio prælata.

Nimis inſignia ſunt loca Doctoris gentium, quam ut a Dominis Proteſtantibus viam arctam, quæ ducit ad vitam, pro poſſibili declinantibus ulla tergiverſatione elidi poſſint. Poſtquam enim in 1. ſua ad Corinth. ep. cap. 7. quorumdam Corinthiorum ſententiam, Apoſtolorum mox relatæ ſimilem, nimirum *quod bonum ſit homini mulierem non tangere*, retuliſſet, *at propter fornicationem* (quæ Corinthi vigebat, ubi cultui & Religioni impudicitia habebatur, meretriceſque adhibebantur ad publicas preces canendas, Venerique dicabantur a quibuſdam recens proſtitutæ, quarum copia ea erat, ut proverbio nomen fecerit, teſte Calmeto, pluresque Chriſtiani fœdiſſimis, non modo non coercitis, verum etiam cultu probatis impudicitiis aſſueti prava conſuetudine difficile ſe nimium abdicarent; ita ut eorum unus Novercæ, Patris ſui Uxoris, inceſtu pollui auſus ſit) propter hanc, inquam, quaſi innatam in fornicationes propenſionem iiſdem ſuaſiſſet, ut *unuſquiſque uxorem ſuam habeat*: Spiritu Chriſti repletus ſubjungit: *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium;*

perium ; volo enim omnes vos eſſe ſicut meipſum ; hoc eſt innuptum & caſtom. Deinde motivum voti ſui affereos, quod ex idea Chriſtianæ profeſſionis deſumpſit, quæ brevitatem temporis noſtræ peregrinationis jugiter ob oculos ponendam præcipit, atque aoimo a tranſitoriis & fluxis rebus alienato ea cogitare, quæ Domini ſunt, ejuſque benepiacitum concernunt, candide quidem inſinuat ſe de Virginibus præceptum Domini noo habere: conſilium tamen dat, & quidem tamquam miſericordiam a Domino conſecutus, ut ſit fidelis, quatenus qui excitatos ſe divina gratia ſenſerint, Virginitati operam navare ſtudeant, tamquam virtuti præ matrimonio multo commendabiliori, atque ad finem a Chriſtiana Religione intentum multo conducibiliori; ſic enini poſt prædictas carnis tribulationes in matrimooio perferendas, atque inſinuatam indulgentiam v. 32. pergit: *Vola autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Dea; qui autem cum uxoee eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxari, & diviſus eſt. Et mulier innupta & Virga cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu. Quæ autem nupta eſt, cagitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro.* Et poſt pauca interjecta, quibus hanc ſuam ſententiam inter cancellos conſilii concludit, Colophonem v. 38. ſubnectit: *igitur & qui Mattimonio jungit Virginem ſuam, bene facit: & qui uan jungit, melius facit.* Quibus propoſitionem allatam demonſtrat.

4. Caſtitatem, quam Chriſtus Dominus membris Eccleſiæ ſuæ indiſcriminatim conſuluit, & Paulus commendavit, primus ejuſdem Cleros, ſeu Apoſtoli ad amuſſim ſervarunt.

Apoſtolos ante vocarionem ſuam, ſi Petrum excipias, Virgines ſuiſſe, peobabilius defendunt noſtri ex S. Hieronymo lib. 1. adverſus Jovinianum teſtante: *Quamquam exceepto Apaſtalo Petro non ſit manifeſtum eelatum de aliis Apoſtolis, quod uxares babuerint, & cum de uno ſcriptum ſit, de cæteris tacitum, intelligere debemus ſine uxoribus eas fuiſſe, de quibus nibil tale Scriptura ſignificet.* Eos vero poſt ſui a Chriſto vocationem, atque in mundum univerſum miſſionem uxoribus nuotium miſiſſe, idem S. Patet ex illis Petri ad Chriſtum veibis exprimit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te;* & ex his Chriſti veebis ad Apoſtolos: *Nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut fratres, uxorem &c.* ex quibus ita argumentatur: *Aſſumpti in Apoſtolatum relinquunt officium conjugale.* Paulum vero quoque cælibem fuiſſe produnt verba ſuperius ex 1. ad Corinth. 7. v. 7. relata: *Volo enim omnes vos eſſe, ſicut me ipſum.* Nec obeſt aſſertioni locus S. Pauli 1. ad Corinth. v. 9. ſcribentis: *Numquid non babemus poteſtatem mulierem ſoroeem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* nominatæ enim mulieres nequaquam erant Apoſtolorum uxotes, ſed ſoeoris loco ab ipſis habebantur, quæ ipſis neceſſaria ad victum ſubminiſtratent, ac pararent; præcipue vero, ut faciliorem prædicationem efficerent iis in locis, quorum aditus ſoiis mulieribus libee erat. Quemadmodum hunc locum exponit Clemens Alexandrinus lib. 3. Stromatum, S. Iſidorus Peluſiota lib. 3. ep. 179. S. Hieronymus ſupra citatus; atque ex ipio textu Apoſtoii, votoque mox eelato colligitur.

5. Apoſtolorum exemplum in ſervando cælibatu communiter ſervabant, ſequebanturque viri Apoſtolici, ſeu Apoſtolorum diſcipuli, horumque Succeſſores, ſacris Miniſteriis addicti; ita ut ab Apoſtolorum tempore per priora Eccleſiæ ſæcula ſaltem conſuetudine continentia ſacris Ordinibus conjungeretur, & quidem in utraque Eccleſia.

Propoſitionem haoc limito I. per tò *communiter;* quia ſaretur Hieronymus conceſſum ab Apoſtolo Paulo eſſe, ut ad Epiſcopatum accerſiantur, qui uno, non amplius, illigati fueriot connubio. At neceſſaria tum indulgentia id factum fuiſſe conteſtatur, quod ioter ipſa Eccleſiæ cunabula non eſſent ad manum niſi eudes, & carnalibus implicati vinculis; *Quia rudis ex gentibus conſtituebatur Eccleſia, leviora nuper credentibus dat præcepta, ne tereiti ferre non poſſent;* verba ſunt ipſius contra Vigilantium. Quod ſi qui poſtea in deligendis Epiſcopis conjugatos Virginibus & continentibus prætulerunt, reſpoodet S. Pater, hunc forſan errorem fuiſſe eligentis populi, qui ſibi ſuppalpatur io eligendis ſui ipſius ſimilibus: vel Epiſcopi moderantis electionem, qui terreois plus æquo rationibus affectibuſque induiſerit. Et revera occurruot primis illis 4. ſæculis, quibus ſacri Miniſtri continentiam io utraque Eccleſia adhuc *communiter* ſervabant, exempla non tantum Diaconorum, & Presbyterorum, ſed etiam Epiſcoporum, conjugio poſt ſui Ordinationem utentium, verum ſicut hirundines ioitio veris. Videatur N. 44. & 45. h. t. Propoſitionem limito II. per particulam *ſaltem*. Quia eſto certum ſit ex probis mox adſerendis, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos perpetuam continentiam ex Eccleſiæ diſciplina, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata ſervaſſe, controvertitur nihilominus inter Catholicos ipſos, an hæc diſciplina Apoſtolico aliquo poſitivo præcepto ſit ſancita? de quo infra. Nunc quantum ad ipſam propoſitionem, illa adſtruitur primo ea congruentia, quod naturale quodammodo ſit, ut morigeri, atque de ſuis Magiſtris ingentem ideam habentes diſcipuli, vota ac exempla eorundem pro poſſibili amplecti ſoleant; quemadmodum conſtat exemplo Rechabitarum, quorum æmulationem Præcepti exemplique Patris ſui Jonadab plane obſtinatam amara paræneſi Judæis Apoſtatis objecit Deus Jeremiæ 35. Cum igitur Paulus loco ſupra relato & exemplo, & verbo ſe in ſectanda continentia diſcipulis propoſuerit, non mirum, ſed naturale quodammodo fuit, diſcipulos pleroſque, præſertim eos, qui iiſdem, quibus ille occupatus fuerat, miniſteriis ſpiritualibus mancipabantur, ex motivis famoſi capitis 7. epiſtolæ ejus primæ ad Corinthios permoroa, ut cum minoribus impedimentis ſpiritualia ſeminarent, carnalibus meſſibus vel nunquam uſos fuiſſe, vel nuntium remiſiſſe. Quorum exempla, non tantum a Dominis Proteſtantibus, ſed ab hominibus ſolo rationis lumine utentibus ſuſpicienda, ſecuti ſucceſſores, & horum nati, & qui ſpiritualiter naſcebantur ab illis, dum charitas Chriſti adhuc ferveret, & ſacros Eccleſiæ Miniſtros urgeret, id effecerunt, ut ſi non lege Apoſtolica, ſaltem uſu diſciplinaque Eccleſiaſtica ab Apoſtolis derivata ſacri Altaris Miniſtri cælibatum *in communi*, ſeu in globo ſervarent. Quam congruentiam & inde natam hanc diſciplinam luculentiſſima SS. Patrum priorum IV. ſæculorum comprobant teſtimonia; atque ut ordine procedamus, Origenes, qui ſæculi III. initio floruit, homilia 23. in lib. Numerorum hæc habet de Sacerdotibus: *Certum eſt, quia impeditur Sacrificium indeſiuens his, qui conjugalibus neceſſitatibus ſerviunt. Unde videtur mibi, quod illius ſolius eſt offerre Sacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.* Quo loco & conſuetudinem ſuo ſæculo in Sacerdotio Chriſti dominantem ratione roborat, & Miſſæ Sacrificium indeſinens, votaque caſtitatis emitti ſolita adſtruit ad invidiam nimiorum Proteſtantium, hæc omnia longis ſæculorum intervallis a Romanis Pontificibus inventa decla-

mantium. Origenem excipit Euſebius, qui ſæculi IV. vere hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit: hic lib. 1. demonſtrationis Evangelicæ cap. 9. de Epiſcopis & Presbyteris ſic loquitur: *his autem ipſis, ut melioribus ſtudiis vacent liberius, ſejunctus a re uxoria victus adamatur, veluti iis, qui divina & incorporea ſobole propaganda occupati teneantur.* Maximi nimirum rem momenti in fluxa hac mortalitate amore Chriſti flocci habentes, quam olim Philoſophi amore vacoarum ſpeculationum ultra ſpreverunt! Eodem ſæculo Cyrillus Hieroſol. Catech. 12. *Decebat puriſſimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Jeſum bene fungitur Sacerdotio, abſtinet a muliere, quomodo ipſe Jeſus ex muliere* (hoc eſt ex non Virgine) *prodiiſſet?* Tempore ergo Cyrilli Sacerdotes communiter vivebant cælibes. Luculentius S. Epiphanius Cyrillo coævus hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, ſeu Novatianorum, ubi cum Digamos a Sacerdotio Eccleſiam jure meritoque arcere præmiſiſſet, hæc de ſacrorum hominum continentia ſubjungit: *Quin eum inſuper, qui adhuc in Matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius uxoris ſit vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi Ordinem admittit: ſed eum duntaxat, qui ob unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur.* De conſuetudine prædominante ſuo ſæculo, & quidem in Eccleſia Græca loquitur Epiphanius, conſtringente quidem & ipſos Subdiaconos; ad contrarium autem alicubi fieri ſolitum ibidem reſpondet: *non illud ex canone fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus* (E.G. tempore reformationis a Luthero prætenſæ) *negligenter agere, ac connivere ſolet, ob nimiam multitudinem, cum ſcilicet qui ad eas ſe functiones applicent, non facile reperiuntur.* Quæ tamen ratio tempore exiſtimatæ reformationis, nec modo apud Dominos Proteſtantes videtur urgere. Legatur idem S. Pater in Expoſitione fidei Cath. c. 21. Gregorius Nyſſenus ibidem Græcos Pater eodem ſæculo adoito lib. de Virginitate cap. ult. hæc ſcribit: *Quomodo hæc ipſa Deo offeres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne ſacra impurus facias? ac ſi Deum tibi apparere expetis, quid cauſæ eſt, cur Moſen non audias, qui populo edicit, ut innuptus purus ſit, quo Dei aſpectum comprehendat.* Iterum de Sacrificio muſſitat Augur iſte Nyſſenus, quin & ludicram illam Sacerdotum unctionem apud Papiſtas, cæcis neſcio quibus ſæculis invectam, divinat, dum paulo ante ait: *Quomodo Sacerdotio Dei fungeris, qui ad hoc ipſum, ut munus offerres, unctus es? &c.* Sed audiatur Hieronymus Latinus, qui Dormitantium Cælibatus Sacerdotum hoc ſæculo primum hoſtem vellicans, ut Vigilantium re efficiat, hæc in libro adverſus eundem Hæreſiarcham ſcribit: *Proh nefas! Epiſcopos ſui ſceleris dicitur habere conſortes: ſi tamen Epiſcopi nominandi ſunt, qui non ordinant Diaconos, niſi prius uxores duxerint: nulli Cælibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes, quam ſancte vivant, qui male de omnibus ſuſpicantur, & niſi prægnantes uxores viderint Clericorum, infantes de ulnis Matrum vagientes, Chriſti Sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut, ſi Uxores habent, mariti eſſe deſiſtunt. Hoc docuit Dormitantius* (ille ſcilicet per antiphraſim Vigilantius) *libidini fræna permittens.* Lente! moderate S. Pater! ne cunas, ut ajunt Germani, apud bene multos præſertim Patres ſpirituales Germanos evertas. Ergone pro illis ſolis ſtat Vigilantius hæreticus, pro Romanæ Eccleſiæ diſciplina in Europa, Aſia, Africa illo tuo immiti & inhumano ſæculo? legatur idem S. Pater in Apologia ad Pammachium. Item lib. 1. adverſus Jovinianum cap. 19. Item in Comment. in Ep. ad Titum, quibus locis Eccleſiæ conſuetudinem de cælibatu ad ſacros ordines, Sacerdotium, ſeu Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum extenſam fuiſſe apertiſſime prodit. Romanorum Pontificum, Conciliorumque circa cælibatum Sacrorum Miniſtrorum teſtimonia ſequentibus numeris, ubi de cælibatus præcepto tractabitur, referemus. Sufficit enim nobis hoc numero cordatos eos Viros, quin Sanctos retuliſſe, qui de utriuſque Eccleſiæ diſciplina & conſuetudine uſque ad ſæculum IV. incluſive circa præſentem materiam in favorem noſtrum teſtati ſunt. De quorum (utpote Gregorii VII. artificiis necdum ſcil. infaſcinatorum) candore ſicut cordati adverſarii dubitare nequeunt, ita magnum præjudicium eos pati reſpective ad nos eſt neceſſe utpote qui (quidquid adhuc ſit circa intolerabile, ut vocant, *præceptum* cælibatus, de quo mox) cum Eccleſia primitias ſpiritus habente eligimus id, quod optavit Paulus, illi vero ſequuntur id, quod obtendit hæreſiarcha Vigilantius.

6. An cælibatus Epiſcopatui, Presbyterio, & Diaconatui (qui ſoli prioribus Eccleſiæ ſæculis Sacri habebantur Ordines) inſuper fuerit annexus *præcepto* Apoſtolico, controverſum eſt inter Doctores Orthodoxos.

Conſulto præſcindimus a Subdiaconatu, circa quem ordinem, an ab initio Eccleſiæ inſuper fuerit ſacer, ipſum lectorem præterea remittimus ad lib. 1. tit. 11. N. 13. quod enim Subdiaconi ex Eccleſiæ diſciplina & uſu vitam cælibem ea tempeſtate profiterentur, præter S. Epiphanium ex Patribus N. præcedenti relatis recenſet nullos, omnibus de tribus in propoſitione enumeratis Ordinibus id ſolum adfirmantibus. Et ex numero citato libri 1. conſtat Subdiaconatui votum caſtitatis annecti cœpiſſe ſæculo V. in Eccleſia Latina. Hoc ergo prælibato Thomaſſinus de vet. & nova diſcipl. de beneficiis Eccl. p. 1. Lib. 2. cap. 60. N. 3. nixus authoritate Epiphanii N. præcedenti allata tenet Chriſtum ipſum primum eſſe diſciplinæ hujus Authorem, inſtitutoremque, de eaque Apoſtolos, aut certe Apoſtolicos Viros, ſeu eorum diſcipulos leges condidiſſe & canones, nixus præſertim hujus S. Patris verbis, quæ conſignavit hæreſi 48. Num. 7. inquiens: *id, quod Apoſtoli deinde honeſte, & religioſe decreverunt per Eccleſiaſticam Sacerdotii regulam:* nimirum non tantum de Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu, verum etiam de Subdiaconatu; dumque ſibi objicit Epiphanium ibi fateri, Eccleſias eſſe, in quibus a cælibatus lege reſiliiſſent Subdiaconi, Diaconi, & Presbyteri; reſpondet, eundem Patrem ſtatim vociferari, hanc eſſe corruptelam, quæ contra ſacros Canones, & Eccleſiaſticas leges irrepſiſſet: *Reſpondeo* (inquit ab eo inductus Heretimaſtix) *non illud ex canonis authoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam &c.* ut N. præcedenti. Atque addit: *His ita præſtructis, etſi fateremur, nec Canonem 26.* (apud me lib. 1. tit. 3. N. 25.) *Apoſtolorum, nec Ancyranum 10. nec Neo-Cæſareenſem 1. nec 4. Gangrenſem, nec Chalcedonenſem 14. nec 3. Nicænum expreſſe quidquam ſtatuiſſe de perpetua & inviolabili Clericorum majorum continentia: imo & affectatione ſilentii indulſiſſe quodammodo, aut certe non damnaſſe conſuetudinem cum conjuge ante Ordinationem ducto, abſciſſa omni ſpe ducendæ deinceps cujuſcumque: etſi hæc, inquam, omnia daremus, maneret tamen illud ex Epiphanii teſtimoniis certiſſimum, eos, quibus impartiretur Eccleſia Sacerdotium* (hoc eſt Epiſcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, & Subdia-

diaconatum, ſi author egregius ad mentem Epiphanii, cujus ſola authoritate nititur, loqui vult) *inviolabilis continentiæ legibus obligatos fuiſſe, & ipſius exemple Chriſti, & canonibus iis, quos Apoſtoli, Apoſtolicique Viri in eorum locum ſuffecti conſtituiſſent. Citatorum enim canonum ſilentium, aut incerta ex iis, quæ eliciuntur, conjectura, quid habent, quod in comparationem venire poſſit cum expreſſiſſime Epiphanii teſtamonio? An diſerte pronuntiant ii canones, poſt ordinationem fas eſſe priori copulari conjugi? prohibent ad nuptias uſpiam poſt ordinationem convolare; nihil præterea addunt. Si conjectes tacite permitti prioris conjugis conſuetudinem, id ſane tua conjectura eſt, non canonis ſententia. Et ut conjecturæ aſſentiter tua, non poſſes & tu aſſentiri Epiphanio, hanc fuiſſe indulgentiam, qua id ferret, quod corrigi jam non poſſet, ne medicamine ipſe morbus incrudeſceret.* Hæc Thomaſſinus graviter & fundate. E contra Natalis Alexander hiſtoriæ Eccl. Sæc. IV. diſſert. 19. propoſitionem ſuam tertiam hiſce enuntiat: *perpetua ista continentia nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis ſacris Miniſtris impoſita fuit;* eamque, omiſſis aliis canonibus a Thomaſſino relatis, atque inſufficientibus judicatis, qui ſententiæ ſuæ præjudicent, eo quod de capite rei ſileant, ſecundaſque tantum nuptias Sacris Miniſtris poſt ſui ordinationem inhibeant, & conſequenter incertæ ſolum ex iis ducantur conjecturæ, probat ex Canone 9. Concilii Ancyreni Sæculo IV. habiti, qui non tantum uſum conjugii ordinatis ante ſuſceptionem ſacrorum ordinum initi, verum etiam facultatem conjugium poſt Ordinationem ſub certis conditionibus ineundi aperte videtur concedere, non extendendo tamen hanc ordinationem ad Presbyteros & Epiſcopos, uti ex ejus tenore conſtat ita ſonante: *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle conjugio copulari, quia ſic manere non poſſunt, hi ſi poſtmodum uxores duxerint, in Miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſane tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, a Miniſterio ceſſare debebunt.* Roborat hoc ſuum argumentum I. ex S. Baſilio Ep. 2. ad Amphilochium can. 9. ubi ait: ſe non noſſe profeſſiones (caſtitatis) Virorum, niſi Monachorum, qui tacite cælibatum videntur admittere, quos impoſterum expreſſe profiteri jubet caſtitatem. II. Ex S. Epiph. hæreſi 59. ſeu ex ipſo loco a Thomaſſ. adducto, dicens, Epiphanium videnter ibi ſignificare hanc cælibatus diſciplinam Sæculo IV. ubique non viguiſſe. III. Ex Socrate lib. 5. hiſt. Eccl. c. 21. in quo teſtatur Presbyteros, imo & Epiſcopos in Oriente *nulla lege* (verba ſunt Socratis) coactos fuiſſe perpetuam ad continentiam ſervandam, ſed non paucos etiam in Epiſcopatu liberos ex uxore legitima procreaſſe. IV. Ex Eccleſiæ Græcæ diſciplina ſancita in Trullano Concilio A. C. 692. celebrato, quod matrimonium quidem Clericis majoribus, imo & Subdiaconis prohibuit, ſed iiſdem, ſolis exceptis Epiſcopis, uſum initi matrimonii permiſit canone 3. cujus diſciplinam approbat Innocentius III. in cap. cum dilectus h. t. atque omnium Eccleſiæ Græcæ cum Latina reconciliationum a Photiano ſchiſmate (quod Sæculo IX. contigit) hiſtoria. Quæ omnia contingere ſane non potuiſſent, ſi cælibatus præceptum lege aliqua a Chriſto, vel Apoſtolis impoſitum fuiſſet. At quam hæc Natalis Alexandri argumenta non ſint inſolubilia, ſatis oſtendit reſponſio Thomaſſini præoccupata. Ad Canonem enim Ancyreoum a Natali adductum dici poteſt, hanc fuiſſe ejus indulgentiam, quæ id ferret, quod corrigi jam non poſſet, uti innuere videntur illa verba: propterea quod Epiſcopus eis licentiam dederit. Quæ reſponſio pariter elidit roborationem ſecundam & quartam. Teſtimonio autem S. Baſilii roboratione tertia adducto opponi poteſt teſtimonium clariſſimum S. Epiphanii dicentis L. cit. Apoſtolos continentiam Cleri præfati decreviſſe per Eccleſiaſticam Sacerdotii regulam. Eccleſiam vero indulgentiam in præceptis Apoſtolicis, juſtis ex cauſis, & temporum circumſtantiis id exigentibus, admittere poſſe, & de facto admiſiſſe, conſtat præter alia exempla ex abrogatione præcepti de abſtinentia a ſanguine & ſuffocatis. Nec Thomaſſinus ſuſtinet cælibatum ſacrorum Miniſtrorum ab ipſo Chriſto fuiſſe *præceptum*, ſed tantum *Exemplo præmonſtratum*. E contra ad Epiphanii authoritatem, cui ſoli innititur Thomaſſinus, ſuæque ſententiæ Patroni, reſpondet Natal. Alex. diſſert. cit. in ſolutione objectionis primæ contra primam propoſitionem, ex ejus teſtimonio colligi non poſſe ſacrorum Miniſtrorum continentiam aliquo fuiſſe ejus ætate canone præceptam in Eccleſia univerſa, ſed ſanctiſſimum Patrem ſolum referre id, quod ut plurimum, non ex *lege*, ſed ex *pietate* obſervabatur. Nec obſtat quod S. Epiphanius ait, Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos ab uxoris conſuetudine contineri, ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur. Non enim ſignificat his verbis, continentiam ab uxoribus ſuo tempore ab Eccleſia ſacris Miniſtris aliquo Canone Concilii œcumenici præceptam: & ſi id ſignificaret, contra hiſtoriæ leges peccaret, quod ipſi non infrequens eſt. Quam reſponſionem etſi directe adhibeat Nat. Alex. ad juſtificandam hiſtoriam famoſam Paphnutii (de qua mox), tamen huc applicari poteſt. Nam S. Epiphanium Canonem Apoſtolicum, vel Apoſtolicorum Virorum pro obſervantia & uſu ab Apoſtolorum temporibus per Apoſtolicos Viros, eorumque ſucceſſores ad ſua tempora derivato accepiſſe, plauſibile eſt dicere vel ex hoc ipſo, quod illo Sæculo Apoſtolorum temporibus nec proximo, nec nimis remoto ſimiles obſervantiæ dicerentur Apoſtolicæ vel Eccleſiaſticæ leges, aut regulæ, ut aliquot exemplis oſtendimus lib. 1. tit. 2. cap. 1. Et ſi Epiphanius exiſtimavit ſimilem Canonem ab Apoſtolis revera editum fuiſſe, eidem opponi poteſt teſtimonium S. Baſilii ipſo doctioris, in traditione Eccleſiaſtica peritioris, & accuratioris, qui ſe ignorare profitetur alios præterquam monachos caſtitatem tacita profiteri, ut prætereamus authoritatem Socratis talem legem non exſtare teſtantis, eo quod, tanquam Novatianus, ſuſpicione laboret, in cælibatus legibus recenſendis haud ſincerum Hiſtoricum ſeſe exhibuiſſe. Accedit, quod ex mente Epiphanii etiam Subdiaconi cælibatus lege fuiſſent adſtricti, id quod apertis verbis L. c. edicit, cui tamen opponitur omnium aliorum Patrum ſilentium, qui dum hanc provinciam pertractant, ſolum Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum enumerant; Eccleſiarumque uſus contrarius, utpote in quibus aliquot poſt Sæculis Subdiaconatus inter majores Ordines non numerabatur, eique caſtitas non niſi ſæculo V. in Eccleſiis Latina annectebatur. Quidquid autem ſit circa hanc Catholicorum Controverſiam, id ex utriuſque partis momentis contra Dominos Proteſtantes in plenam meridiem deducitur, Sacros Miniſtros ab Apoſtolorum temporibus continentiam ex communi uſu obſervantiaque laudabiliſſima uſque ad finem Sæculi IV. obſervaſſe.

7. An Synodus Nicæna famoſo Canone III. ſupra tit. 2. N. 1. ad longum recenſito, cælibatum majoribus Ordinibus, hoc eſt Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu initiatis præceperit,

pari-

pariter controverſum eſt inter Catholicos.

Affirmativam tenent nonnulli, quos ſuppreſſo nomine refert Natalis Alexander diſſertatione citata; negativam, quæ mihi probabilior quoque videtur, ipſe cum aliis amplectitur, eamque ſequentibus momentis fulcit. I. Quod Concilium Nicænum relato Canone *ſubintroductas*, ſive extraneas duntaxat mulieres a liminibus Clericorum arceat, hoc eſt eas, quæ ſuſpicionem malam adverſus ipſorum ſanctitatem parere poſſunt; in quorum numero cum non contineatur Mater, Soror, Amita, &c. quibuſcum Clericos cohabitare permittit, nec Uxor ante Ordinationem ducta comprehendi debet, utpote cujus contubernium etiam conjugale eo Sæculo necdum ſcandalum populo creabat, uti ex dictis h. t. in aprico eſt. Quod autem Concilium Nicænum nomine ſubintroductarum mulierum non intellexerit Uxores Clericorum, ſed extraneas, probat authoritatibus ſequentium Conciliorum, quæ Canonem Nicænum renovando extranearum duntaxat mulierum cum Clericis contubernium prohibuere. Uti conſtat ex omnibus canonibus titulo præcedenti hanc in rem a nobis allatis. Quorum ponderi jungit Authoritates Patrum Concilio Nicæno ſupparum, & totam retro antiquitatem, quæ nomine ſubintroductarum mulierum nuſquam uxores, aut conſanguineas intellexit, ſed eas, quæ nullo ſanguinis, aut Matrimonii fœdere Clericis conjunctæ, in ipſorum miniſterio, & obſequio eſſent, ex quibus compluſcula fragmenta titulo præcedenti pariter retulimus. Eandem hanc ſuam ſententiam fulcit ſecundo ex eo, quod dictus Canon omnibus Clericis *promiſcue* prohibeat ſubintroductas habere mulieres his verbis: *nec alicui omnino, qui in Clero eſt;* certum autem eſt inferioris Ordinis Clericis uſquam ſive ab Eccleſia Græca, ſive a latina perpetuæ legem continentiæ impoſitam fuiſſe. III. Cum canone *6.* ſive 5. Apoſtolorum, qui circa ſæculum IV. procuſi ſunt, (lib. 1. tit. 2. N. *59.*) Canone *3.* Concilii Arelatenſis a Can. *13.* Concilii Turonenſis 2. & a Gregorio M. lib. 1. ep. 50. legibuſque ſæcularibus imperatorum expreſſe ſancitum fuerit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconique curam gererent Uxorum, quas ante Ordinationem duxerant, ipſiſque caſte in una domo conviverent; Nicænus vero Canon prohibeat Clericis non ſolum ne ſubintroductis mulieribus ad voluptatem utantur, ſed ne eas *in domo ſua retineant;* ſponte ſua ſequi videtur, eundem nomine ſubintroductarum mulierum non intelligere uxores ante Ordinationem ductas, nec Clericis legem impoſuiſſe, qua ab ipſarum uſu abſtinere perpetuo tenerentur, verum hac de re omnino præſcidiſſe. Videatur hanc in rem L. *Eum qui* Cod. Theodoſ. & Juſtin. de *Epiſcopis & Clericis*. Item Nov. Juſtiniani *de Sanctiſſimis Epiſcopis*. IV. Ex hiſtoria Paphnutii, qui Nicænos Patres a lege perpetuæ continentiæ ab Uxoribus ante Ordinationem ductis ſacris Miniſtris imponenda, interceſſione ſua deterruit, cum eam in legem ferendam maxime propenderent. Quam hiſtoriam, cujus nunc genuinum retulimus ſummarium, refert Socrates Sæculi V. Author lib. 1. cap. 8. Quæque ſi ab Adverſariis pro genuina admitteretur, rem præſentem omnino conficeret. At falſam, & adulterinam proclamant eruditiſſimi Baronius, & Bellarminus, Socratem hac in re mendacii arguentes, ut qui in caſtris Novatianorum militans, nullum diſcrimen inter Clericos Laicoſque quantum ad uſum Matrimonii admittentium, fabulam hanc data opera finxerit, aut hiſtoriam in recenſendis legibus cælibatus Clericorum ſincerum ſe non præbuerit. Idque ex eo adſtruere conantur, quod putidis paſſim mendaciis ejus hiſtoria ſcateat: quorum ſpecimen exhibet lib. 5. cap. 21. in quo contra totius antiquitatis fidem ſcribit licuiſſe ſuo etiam tempore, Paſcha ſecundum libitum fidelium celebrare &c. Et hinc quoque explodunt authoritates Sozomeni, Caſſiodori, Nicephori, eandem Paphnutii hiſtoriam referentium, utpote qui Socrate poſteriores eandem ex ejus libris deflorarunt. Sed Viris doctiſſimis occurrit egregius criticus Natalis Alexander, reponendo: *conſequens non eſſe, Socratem in Paphnutii hiſtoria mentiri, quia in aliis nonnullis contra hiſtoriæ leges peccavit; alioqui nihil certi in hiſtoria habebimus, quia nullus pene hiſtoricus eſt, cui error aliquis exprobrari non poſſit.* Suſpicionem autem erroris, vel fictionis ab eo ut avertat in præſenti puncto, ait: quod Socratem ſpectat, licet ille Novatianus fuerit, ſive faverit Novatianis, non tamen in eo verſatur errore, quem ipſi S. Epiphanius affingit, *ut Laicos & Clericos in iis, quæ matrimonium ſpectant, pares faciat:* ſiquidem Laicos nondum Matrimonii vinculis adſtrictos uxorem poſſe ducere non negat: *majores autem Clericos, qui uxorem ante ſacram Ordinationem non duxerunt, negat Matrimonium jure inire poſſe.* Nec cælibatum Socrates evertit ſacrorum Miniſtrorum, illam Paphnutii hiſtoriam referendo, cum perpetuæ continentiæ lege teneri eos aſſerat, *qui cælibes, aut vidui ad ſacros Ordines promoti ſunt.* Cæteras eorum objectiones tum ex authoritate, tum ex ratione depromptas facile ac ſolide ſolvit, & ad illam quidem, quam deſumunt ex authoritate S. Epiphanii N. præcedenti relata, ex ipſo jam reſponſum eſt ibi, S. Epiphanium vel hallucinari, vel loqui de *conſuetudine & uſu*. Quo poſteriori ſenſu etiam intelligendi ſunt Hieronymus, & alii Scriptores Sæculi IV. de cælibatu Clericorum verba facientes. Reliquæ vero eorum congruentiæ mihi equidem videntur multo inferiores, quam ut argumenta ab Alexandro ex limpidiore critices fonte hauſta infirment. Manente interim in ſuo vigore ea ſententia, quæ Apoſtolos hujus præcepti Authores adſtruit (N. *6.* h. t.)

8. Diſciplina illa de Clericorum cælibatu ab Apoſtolis derivata, legeque ab illis, vel ab eorum Succeſſoribus fortaſſis ſancita, atque a majori & ſaniore parte Eccleſiæ uſque ad Nicæni Concilii tempora in utraque Eccleſia ſancte obſervata, eſto præſertim in Oriente quantum ad continentiam ab uxoribus ante Ordinationem ductis plene obtinere, vimque *legis* univerſalis accipere non potuerit, atque a SS. Patribus, Conciliiſque ob præcavenda majora mala patienter fuerit tolerata, nihilominus eandem obtinuit (ſi plane ab Apoſtolis, vel eorum Succeſſoribus non fuit præcepta) quantum ad perpetuam continentiam eorum, qui Virgines, vel Vidui ad ſacros Ordines pervenerunt.

Prima pars ex hactenus dictis in aprico eſt.

Secunda patet primo, quod nulla exempla inter Catholicos illorum ſæculorum occurrant, quæ nos inſtruant, cælibes poſt ſui ad ſacros ordines aſſumptionem facultatem habuiſſe uxores ducendi (Vidui enim ſive ante ordinationem, ſive poſt illam, ad ſecunda vota, ob impedimentum bigamiæ, aliunde convolare non poterant). Secundo, quod indulgentia Patrum & Conciliorum ſeſe tantum ad uſum prioris conjugii, non vero ad nuptias poſt ordinationem ineundas extendat, ut patet ex canone *9.* Concilii Ancyrani N. 6. h. t. adnumerato, & teſtatur ipſe Socrates hac in parte adverſarius, adeoque optimus teſtis, apud Natalem Alexandrum, ut N. præcedenti diximus, praxiſque utriuſque Eccleſiæ aduſque noſtra tempora confirmat.

9. Siricius Pontifex Romanus, qui Sæculum IV. ſua morte concluſit, ille eſt, de quo certo conſtat, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis

per-

Digitized by Google

perpetuam continentiam, diuturno uſu, & ab Apoſtolicis temporibus derivato firmatam, Decreto ſuo firmaſſe; quem ſecuti ſunt alii deinde Pontifices, & Concilia.

Siricium conſulto non vocavi Sanctionis hujuſmodi Auctorem ob contrarias hac de re ſententias inter ipſos Orthodoxos (N. 6. & 7. h. t.). Propoſitio igitur ſic limitata & certa probatur ex ejuſdem Pontificis ep. ad Himerium Tarraconenſem cap. 7. ubi ait: *Plurimos Sacerdotes Chriſti atque Levitas poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de conjugibus ſuis propriis, quam etiam de turpi coitu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in Veteri teſtamento Sacerdotibus ac Miniſtris generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille ſectator eſt libidinum, præceptorque vitiorum, ſi æſtimat, quod in lege Moſis paſſim ſacris Ordinibus a Domino laxata ſunt fræna luxuriæ, cur eos, quibus committebantur Sancta Sanctorum, præmonet dicens:* Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter? *Cur etiam procul a ſuis domibus anno vicis ſuæ habitare juſſi ſunt Sacerdotes? hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus poſſent carnale exercere commercium, ut conſcientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiam expleto deſervitionis ſuæ tempore uxorius uſus ſolius ſucceſſionis cauſa fuerat relaxatus; quia non ex alia, niſi ex tribu Levi, quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti. Unde & Dominus Jeſus, cum nos ſuo illuſtraſſet adventu, in Evangelio proteſtatur, quia legem venit implere, non ſolvere: ideo Eccleſiam, cujus Sponſus eſt, ſpecioſus forma, caſtitatis voluit ſplendore radiari, ut in die Judicii ſine macula & ruga eam poſſit reperire. Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Levitæ inſolubili lege conſtringimur; ut a die Ordinationis noſtræ ſobrietati & pudicitiæ & corda noſtra mancipemus, & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in his, quæ quotidie offerimus, ſacrificiis placeamus.* (En! iterum Papiſtam Miſſiſtam!) --- *Et quia aliquanti, de quibus loquimur, ut Tua Sanctitas retulit, ignoratione lapſos ſe eſſe deflent: his hac conditione miſericordiam non dicimus eſſe negandam, ut ſine ullo honoris augmento in hoc, quo deteƈti ſunt, quamdiu vixerint, officio perſeverent: ſi tamen poſt hæc continentes ſe ſtuduerint exhibere. Hi vero, qui illicitæ privilegia excuſatione nituntur, ut ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſſum, noverint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt, Apoſtolicæ Sedis authoritate dejectos, nec unquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Et quia exempla præſentia cavere nos præmonent in futurum: ſi quilibet Epiſcopus, Presbyter, atque Diaconus deinceps talis fuerit inventus, jam ſibi omnem indulgentiæ per nos aditum intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt excindantur vulnera, quæ fomentorum non ſenſerint medicinam.* Sicicianam conſtitutionem ad longum adduximus, quia plura graviſſimi momenti continet ad juſtificandam infra ſpeciali diſſertatione contra DD. Proteſtantes de Clericorum cælibatu diſciplinam. Vide etiam ejus ep. 4. cap. 9.

Quantum ad 2. p. Concilium Illiberitanum non tantum ſecutum eſt, ſed integro fere ſæculo præceſſit conſtitutionem Siricianam, utpote celebratum in Hiſpaniis A. 305. ſic enim habet Can. 33. *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in Miniſterio, abſtinere ſe a conjugibus ſuis, & non generare filios: quicunque vero fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Qui Canon ita non eſt exponendus, quaſi Illiberitani Patres re uxoria ſacris Miniſtris interdixerint eo ſolum tempore, quo Miniſterium ſuum obibant; imprudenter enim pœnam depoſitionis eo caſu transgreſſoribus impoſuiſſent, quam executioni ob impoſſibilem deprehenſionem transgreſſorum nunquam dare potuiſſent. Hoc tamen Concilium cum Provinciale tantum fuerit, ab eo Epocha continentiæ pro ſacris Miniſtris ab Eccleſia ſancitæ meтiri non debet. Siricii vero decretum iiſdem fere verbis repetit & confirmat Sæculo V. Innocentius I. tum ex 2. ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum cap. 9. tum ep. 3. ad Exuperium Epiſc. Toloſanum cap. 1. Item Leo M. ep. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem cap. 4. item 92. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum cap. 3. Horum Pontificum conſtitutionibus conformia decrevit in Africa Sæculo IV. Concilium Carthaginenſe 2. canone 2. decernens: *Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, ita placuit, ut condecet --- continentes eſſe in omnibus, etiam ab uxoribus.* Concordat Carth. V. eodem Sæculo canone 3. dicens: *Placuit Epiſcopos, & Presbyteros, & Diaconos, ſecundum priora ſtatuta, etiam ab uxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico removeantur Officio.* In Eccleſia Hiſpanica per Concilium Toletanum initio ſæculi V. decretum eſt: *ut Diaconi, ſi vel integri, vel caſti ſint, & continentis vitæ, etiamſi uxores habeant, in Miniſterio conſtituantur: ita tamen ut ſi qui etiam ante interdictum, quod per Epiſcopos Luſitanos conſtitutum eſt, incontinenter cum uxoribus vixerint, Presbyterii honore non cumulentur. Si quis vero ex Presbyteris ante interdictum filios ſuſceperit, de Presbyterio ad Epiſcopatum non admittatur.* Concordat in Eccleſia Gallicana Concilium Arauſicanum I. A. 441. celebratum can. 22. inquiens: *deinceps non ordinentur Diacones conjugati, niſi qui prius converſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.* Pœnas vero in transgreſſores decernit can. 23. & 24. hujus Concilii. In eadem Eccleſia veſtigia prioris Concilii legunt Concilium Arelatenſe A. 452. can. 2. & 3. Turonenſe 1. A. 461. Veneticum A. 451. Can. 11. Univerſa itaque Eccleſia Latina per Italiam, Theſſalonicam, Africam, Hiſpaniam, Galliam, & ei adjacentem Germaniam, his ſæculis jam converſam, ſanctiſſimam cælibatus diſciplinam, uſumque ab Apoſtolorum temporibus derivatum ſancte cuſtodivit in tribus enumeratis majoribus Ordinibus, eumque ſaluberrimis conſtitutionibus ea de re frequenter latis ſartum tectum tenuit, firmavit, ac ſtabilivit.

10. Prioribus his V. Sæculis caſtitas non erat annexa minoribus quatuor Ordinibus, imo nec Diaconatui univerſaliter.

Prima pars ex hactenus dictis abundantiſſime patet, cum enim juxta juris axioma exceptio firmet regulam in oppoſitum, omneſque Patres, Concilia, Pontifices huc uſque relati ab uxoriis amplexibus exceperint unanimiter Epiſcopos tantum, Presbyteros, Diaconoſque; & aliqui ſolum, quos mox referemus, ipſos Subdiaconos; clarum eſt, conjugium inferioribus Clericis his ſæculis ab utraque Eccleſia conceſſum fuiſſe; fateor tamen in quibuſdam Provinciis Lectoribus & Pſalmiſtis hoc ſæculo interdictum fuiſſe uxores ducere, id quod ex canone 14. Concilii Chalcedonenſis aperte colligitur; ſed mos iſte non obeſt noſtræ propoſitioni, tum quia hoc interdictum non fuit univerſale, tum quia videtur fuiſſe recentioris tum diſciplinæ, tum quia non de cohabitatione priorum uxorum, ſed de contractione nuptiarum poſt Ordinationem loquitur.

Secundam partem, quantum ad id, quod his ſæculis in particularibus Eccleſiis Subdiaconi ad cælibatum ſervandum ſaltem ex conſuetudine, vel legibus earundem Eccleſiarum adſtricti fuerint, adſtruunt teſtimonia tum Epiphanii N. 5. tum

de-

decretum Concilii Illiberitani N. 9. h. t. allata. Quod autem ea diſciplina non eſſet communis univerſali Eccleſiæ, inde eruitur, quod Patres, Concilia, Pontifices N. præcedenti, dum in numero continentiam profiteri obligatorum Clericorum Subdiaconos non recenſent, eoſdem pariter ab eo onere, quod Charitas Chriſti ſacratioribus Miniſtris impoſuit, Eccleſiaque Spiritu ejus animata ſanxit, abſolvunt. Hinc Concilium Carth. V. propoſitionem noſtram canone 3. N. præced. relato edicens, poſtquam tribus majoribus Ordinibus perpetuam continentiam indixiſſet, de Subdiaconatu, ac reliquis Minoribus ſubdit: *Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; ſed ſecundum uniuſcujuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſervari debere*. Et quamvis S. Leo Pontifex Maximus Ep. 84. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem data ſcribat: *Ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur;* eo tamen ſtatuto ſingularem Eccleſiæ Romanæ, & quarundam aliarum diſciplinam ſpectat, non canone, ſed conſuetudine ſolum ſancitam, & ex pietate obſervatam, nulla decreta pœna adverſos eos, qui ad Subdiaconatum promoti matrimonii legitimi juribus uterentur, ut mox conſtabit. In Galliis Sæculo V. hoc erat ſingulare circa Subdiaconos, quod cum uxoribus ante Ordinationem ductis maritaliter poſthac convivere poſſent ex Conciliis Arauſicano, Turonenſi &c. nullas tamen poſt Ordinationem ducere poſſent ex Concilio Venetico A. 465. canone 11. præcipiente: *Presbyteri, Diaconi, atque Subdiaconi, quibus ducendi uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia &c.*

11. Gregorius M. Sæculo VI. Subdiaconibus exemplo Leonis M. continentiam equidem impoſuit; at diſciplinam hanc neque ipſe, neque ejus Succeſſores, neque alia Concilia uſque ad ſæculum XI. in Eccleſia, ut in univerſalem legem evaderet, perfecte figere potuerant.

Id præſtitit S. Pontifex lib. 1. ep. 42. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ. In qua, poſtquam ſibi relatum narraſſet, quod ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum Siciliæ prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis uxoribus miſcerentur; quod ſibi durum & incompetens *viſum teſtatur, ut qui uſum ejuſdem continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua uxore ſeparari, atque per hoc, quod abſit, deterius cadat*: hæc ſibi videri ſcribit: *ut a præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit. --- Qui vero poſt eandem prohibitionem, quæ ante triennium facta eſt, continenter cum ſuis uxoribus vixerunt*, *laudandos, atque ut in bono ſic permaneant*, exhortandos eſſe ait: *Eos autem, qui poſt prohibitionem factam ſe a ſuis uxoribus continere noluerint, ad ſacrum Ordinem promoveri non vult*. Circa prohibitionem igitur Siculorum Epiſcoporum œconomia utitur Gregorius, dum legem continentiæ Subdiaconis Siciliæ impoſterum imponit, quos in ſacro Ordine conſtitutos non agnoſcit. Sed dubitat Thomaſſinus, an quod de continentia Subdiaconorum ſtatuit Greg. M. turbatis paulo poſt in Gallia & Germania rebus tum civilibus, tum Eccleſiaſticis, id diligentiſſime fuerit diuque obſervatum; nam licet Altiſſiodorenſe Concilium & Subdiaconis Sæculo VI. cælibatum præceperit, Lugdunenſe tamen III. A. 583. eos hac lege non conſtringit. In Hiſpaniis nova hoc ſæculo invaluit diſciplina, qua continentiam anno 18. ſpondebant minores Clerici parentum voluntate ab infantia Clero dicati, ut promoveri poſſent ad Subdiaconatum; qua ſponſione facta duobus adhuc annis probabantur, & tum cum annum agerent 20. in Subdiaconos promovebantur, ſi in propoſito caſtitatis vellent perſiſtere; ſin vero, tum permittebantur ducere cum ſpe, ut pertæſi ſubinde conjugii, ſi ad caſtitatem maturiori ætate redire vellent, fore, ut ad ſacros Ordines admittantur; ut in terminis ſancit Concil. Tolet. 2. A. 531. can. 1. & 4. E contra Concilium Toletanum A. 597. can. 1. Subdiaconos inter cælibes non coarctat. Quin Sæculo VIII. ſtatutum illud de Subdiaconorum cælibatu, quantumvis in eo ſtabiliendo laboraſſet Gregorius M. adhuc vacillaſſe conjicit Thomaſſinus ex eo, quod cum Concilium Romanum A. 721. anathema tribus canonibus intorqueat in conjuges Presbyterorum, Diaconorum, atque in Moniales, nullis vero in uxores Subdiaconorum; eas viris ſuis non tantum ut ſorores, ſed etiam ut uxores convixiſſe, & poſt mortem mariti ad alias nuptias convolare potuiſſe apparet. Suffragatur conjecturæ Thomaſſini Concilium Romanum ſub Zacharia Papa A. 743. ubi multa quidem præcipiuntur, tum de Epiſcopis, tum de Presbyteris, tum de Diaconis circa caſtam cohabitationem cum mulieribus etiam fœdere conjugali nexis, de Subdiaconis tamen omnino ſiletur. E contra Sæculo X. Concilium Auguſtanum A. 952. canone 12. non tantum Subdiaconos, ſed etiam cæteros Clericos maturiorem ætatem attingentes lege cælibatus innectit, continentia fortaſſis Clericorum, quæ a Sæculo VII. in Gallia & Germania præſertim labefactata fuerat, atque per S. Bonifacium, Romanos Pontifices, Epiſcopos, Concilia eo ſequentique ſæculo totis viribus reſtituta (hoc lib. tit. 2. N. 4.), ultimum repagulum obtruſurum. Et vero cum Sæculo X. & XI. impudicitiæ torrens ſe denuo in Clerum Occidentalem infudiſſet (ibi N. 6.), Benedictus VIII. & cum eo Ticinenſe Concilium A. 1020. remedium generale œcumenico malo allaturum Clericos omnes omnino, ne minoribus quidem exceptis, intra ſepta continentiæ coarctavit. Bituricenſe Concilium A. 1031. & Subdiaconis præcipit, ut uxores ſeu concubinas abjiciant, addens: *Similiter nulli de Clero permittimus deinceps uxorem, neque concubinam habere*, Can. 5. Quæ tamen vehementior auſteritas diuturna non fuit. Concilium enim Romanum A. 1063. can. 3. ne Subdiaconos quidem coercuit lege cælibatus. Cui temperamento vel potius Juris remiſſioni conſenſit Synodus Coyacenſis can. itidem 3. A. 1050. & cum Sacerdotium proprie non ſit, niſi Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, Conciliumque Romanum A. 1074. ſuo decreto, prout illud refert Lambertus in hiſtoria ſua, Presbyteris tantum cælibatum injungat; facile adducimur, ut credamus, illud ad Subdiaconos progreſſum non fuiſſe. Cui concinit Concilium Vintonienſe A. 1076.

12. Varia hæc & mutans diſciplina circa cælibatum Subdiaconorum, atque inferioris Cleri, cum parum felices exitus haberent Concilia relata ob miſeram illorum temporum conditionem, diverſa Sæculo X. & XI. hac in re ſæpiuſcule decernentia, ad amuſſim antiquiſſimæ & temperatiſſimæ conſuetudinis, imperandæ nempe ſolis Subdiaconis & ſuperioribus Clericis continentiæ, non inferioribus, ſub finem Sæculi XI. & deinceps revocata eſt.

Hanc œconomiam ad Sæculi XI. finem inivit Urbanus II. Qui in Concilio Claromontano A. 1095. ſoli Subdiaconatui, & ſuperioribus Ordinibus cælibatum annectit, & quidem ſub pœna excluſionis ab omni eorundem graduum dignitate. Uti habetur cap. 9. *de ætat. & qual. & Ord. Præf.* Cujus conſtitutio innovata eſt in Concilio Rhemenſi A. 1148. adjuncta pœna privationis Offi-

Officii, atque Beneficii Eccleſiaſtici, in cælibatu poſſeſſi. In quo Concilio famoſiſſimo, cui Eugenius Papa III. præerat, Canone ſeptimo inſuper conſtitutum eſt, ut Ordo Presbyteratus, Epiſcopatus, Diaconatus, & Subdiaconatus vim haberet impedimenti dirimentis matrimonium, id quod confirmavit Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. A. 1176. inquiens: *Nec hujuſmodi conjunctio Matrimonium, ſed contubernium eſt potius nuncupandum*. Conc. Apend. lat. cit. de Cler. Matr. c. 6. Quibus Sanctionibus firmiter deinceps ſtabilitus eſt cælibatus majorum ordinum uſque ad Subdiaconatum incluſive, matrimoniumque inferiorum Clericorum permiſſum uſque ad præſentem diem in Eccleſia latina. Quamvis autem dicti inferiores Clerici a temporibus Urbani II. uſque ad tempora Alexandri III. ſeu per integrum fere Sæculum & uxoribus, & beneficiis Eccleſiaſticis frui poſſent ſaltem per conniventiam, quemadmodum ipſe Alexander III. ad præcavenda majora mala in Clericis minoribus Eccleſiæ Anglicanæ ſimilem conniventiam ſuadet Epiſcopo Herefordienſi in ep. ad Londinenſem Archiepiſcopum data c. 3. & 5. nihilominus idem ſagaciſſimus Pontifex & in dicta ep. ſuadet, *ne deinceps Clericis conjugatis Eccleſiaſtica beneficia conferantur*; & ipſe deinceps præfatos Minoriſtas conjugatos non quidem a minoribus ordinibus, ſed a beneficiis Eccleſiaſticis arcere cœpit, ut conſtat ex ejus decretis hoc titulo (qui de his Clericis tantum inſcriptus eſt) relatis, quæ Sæculi XIII. initio ab Innocentio III. confirmata jus commune Eccleſiaſticum nunc conſtituunt. Quin eodem Sæculo XIII. Honorius III. immunitate etiam Eccleſiaſtica res & bona eorum non gaudere declaravit cap. 9. h. t. Temere tamen non conjicitur, hos Clericos ab Honorii temporibus uſque ad Concilium Viennenſe, ſeu ad XIV. Sæculi initium Clericalibus privilegiis nihilominus gaviſos fuiſſe, adeoque decretum Honorii executioni ſaltem omnimode non fuiſſe mandatum; dictum enim Concilium poſtquam decreto ſuo relato Clement. 1. *de vita & honeſtate Clericorum* iiſdem officia ſordida Carnificum, ſeu Macellariorum, aut Tabernariorum interdixiſſet, non niſi monitos in rebus & in perſonis privilegium Clericale eos amittere decrevit. Quin paulo ante hoc Concilium Bonifacius VIII. ad Sæculi XIII. finem Conſtitutionem Honorianam, immunitatem Clericis uxoratis etiam tonſuram recipientibus, vel non deponentibus auferentem, mitigavit cap. 1. *de Clericis conjugatis* in 6. cujus ſequens eſt Summarium: *Si Clericus conjugatus ferat habitum & tonſuram, clericali privilegio* (nimirum fori & canonis) *gaudet, alias non*. Bonifacii veſtigia terens Concilium Trid. Seſſ. 23. c. 6. & 17. ejuſdem conſtitutionem de Clericis conjugatis renovavit; nihilominus ad ejus effectum conſequendum in iiſdem præter deportationem habitus & tonſuræ, etiam *Addictionem alicui Eccleſiæ, cui deſerviant*, requirit. Tres igitur viciſſitudines notabiles in Eccleſia latina ſubierunt Clerici conjugati. Namque uſque ad Sæculum XI. omnium Cleri Privilegiorum conſortium adepti ſunt. Poſt hæc uſque ad Bonifacii tempora, dum Eccleſia ob Clericorum incontinentiam beneficia Eccleſiaſtica in maximam animarum perniciem videret fieri hæreditaria, omnibus beneficiis, privilegiiſque privati ſunt. Tandem cum redintegrato Clericalis cælibatus vigore ceſſaret illa neceſſitas, mitius cum illis, reſtitutis ſub certis conditionibus Clericalibus privilegiis, agi cœpit.

13. Inſtabilis, & fluctuans diſciplina circa cœlibatum Subdiaconorum, & inferiorum Clericorum in Eccleſia latina, poſt Sæculum V. Romanorum Pontificum, Epiſcoporum, & Conciliorum vigilantia & authoritate infracte manutenta, reſtaurata, & vindicata eſt quantum ad tres majores Ordines uſque ad Sæculum XI. incluſive, quantum vero ad ipſos & ad Subdiaconatum ipſum ab eodem Sæculo uſque ad moderna tempora.

De Subdiaconatu res jam eſt in apricum poſita N. præcedenti. Circa continentiam Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, tria poſt Sæculum V. diſtinguenda ſunt tempora: nimirum a Siricio Papa, qui Sæculi IV. fine incontinentiam ſacrorum Miniſtrorum compeſcuit, atque cælibatum illorum lege ſancivit (N. 9. h. t.), uſque ad Sæculi VI. medium. Secundum a Sæculi VIII. medio uſque ad Caroli M. tempora, ſeu ad Sæculi IX. finem circiter. Tertium a Sæculo X. incboative uſque ad Sæculum XI. incluſive. Quantum ad primam periodum, ſanctiones varias Pontificum & Conciliorum Sanctionem Siricianam de cælibatu ſacrorum Miniſtrorum renovantes, & coborantes uſque ad Sæculum V. dicto N. 9. h. t. jam retulimus. Quorum veſtigia premens Concilium Agathenſe in Gallia initio Sæculi VI. ſeu A. 506. can. 9. Presbyteris & Diaconibus uſum uxorum ante Ordinationem ductarum conformiter ad auctoritatem Innocentii I. & Siricii interdixit. Eodem Sæculo ſimilia in Galliis decreverunt Concilium Arvernenſe A. 535. can. 13. Aurelianenſe tertium A. 538. can. 2. item quartum A. 541. can. 17. ſimiliter quintum A. 549. can. 4. Turonenſe denique A. 567. can. 12. Matiſconenſe A. 581. can. 11. & Lugunenſe tertium A. 583. can. 1. Sacris Miniſtris non tantum facultate ducendi uxores poſt ſui Ordinationem, ſed etiam ante ductis cohabitandi in lecto, quin etiam in eadem domo interdicentia. In Hiſpaniis vero Concilium Toletanum III. ſub Recaredo A. 589. celebratum canone 5. inquit: *Compertum eſt a S. Concilio, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos venientes ex hæreſi* (Ariana) *carnali adhuc deſiderio uxoribus copulari. Ne ergo de cætero fiat, hoc præcipitur, quod & prioribus canonibus terminatur: ut non liceat eis vivere libidinoſa ſocietate.* Toletano Concilio Sæculo VII. in iiſdem Hiſpaniis concioit Concilium Toletanum VIII. A. 653. can. 5. 6. & 7. item IX. A. 655. can. 10. Ubi graviſſimæ pœnæ decernuntur in ſacros Miniſtros uſque ad ipſos Subdiaconos incluſive, qui in ſacris ordinibus vel uxores ducere, vel antea ductis cohabitare præſumpſerint. Patebit autem legenti relatos canones, ſicut & Gallicanos, incontinentiam ſacrorum Miniſtrorum circa hæc tempora non tantum in Galliis, ſed etiam in Hiſpaniis irrepere, & progreſſum facere cœpiſſe. Sic enim habet can. 10. Concilii Toletani IX. *Cum multæ ſuper incontinentiam Ordinis Clericorum uſque hactenus emanaverint ſententiæ Patrum, & nullatenus ipſorum formari quiverit correctio morum &c.* At poſtquam Sæculo VIII. malum iſtud in Galliis præſertim & adjacente Germania culmen fere attigiſſet, novis remediis eidem obviatum eſt. Et quidem Zacharias Pontifex Ep. 1. ad S. Bonifacium A. 743. ita ſcribit: *Quales ſe eſſe Sacerdotes exiſtiment, aut quid inde ſentiant, dicente Deo, Sacerdotes mei ſemel nubant? Et Apoſtolus: Unius uxoris virum &c. Hoc ante ſuſceptum Sacerdotium erat licitum eſt. Nam a die ſuſcepti Sacerdotii etiam ab ipſo proprio conjugio prohibendi ſunt.* Et can. 3. Synodi Romanæ ad Gallos Epiſcopos miſſæ, qui canones exſtant Tomo I. Conciliorum Galliæ, hæc habet: *Primo loco ſtatutum eſt de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, —— quos non ſolum nos, ſed & Scriptura Divina compellit eſſe caſtiſſimos. Et Patres quoque juſſerunt continentiam eos corporalem debere ſervare.* Similia ſcribit Nicolaus I. circa Sæculi IX. medium in ep. ad Adonem Viennenſem Archiepiſcopum. Ex quibus omni-

mnibus conſtat, Pontifices & Concilia a Siricio legem cælibatus, ſeu perpetuæ continentiæ majoribus Clericis impoſuiſſe, atque ejus executioni conſtanter incubuiſſe; verum ejus perfectam obſervantiam vix ac ne vix quidem obtinere potuiſſe, Clericorum incontinentia adverſus Canones toties repetitos ac renovatos prævalente. Id quod ſequenti ſæculo X. præſertim contigit ex rationibus ſupra tit. 2. N. 6. adductis, quo Clerici Matrimonii ſpe dejecti concubinas & ancillas uxorum loco ſibi copularunt, ſubindeque ad ſacrilegas nuptias turmatim convolarunt. Unde ſeverioribus remediis adverſus impotentem ipſorum libidinem opus fuit. Et quidem Sæculo X. Concilium Troslejanum can. 9. vetera Eccleſiæ, imo & Imperatorum decreta de ſacrorum Miniſtrorum cælibatu recenſuit, & executioni mandari præcepit. Sæculi vero XI. medio Leo IX. per omnes Eccleſias præcepit a Parochiis auferri fœminas Presbyteris proſtitutas. Cujus conſtitutioni inſiſtens Nicolaus II. in Conc. a ſe A. 1059. celebrato can. III. decernit: *ut nullus miſſam audiat Presbyteri, quem concubinam ſcit indubitanter habere*, aut ſimilem palam duxiſſe, & non reliquiſſe. Sed neminem latet, quanto zelo Gregorius VII. ad ejusdem ſæculi finem hanc incontinentiæ peſtem a Chriſti Sacerdotio eliminare ſtuduerit; unum ejus teſtimonium ex ep. 62. c. 2. ad Sichardum Aquilejenſem Epiſcopum placet adducere, in qua ait: *Decrevimus, quod ſi quis eorum ordinum, qui ſacris Altaribus adminiſtrant, Presbyter ſcilicet, Diaconus, & Subdiaconus uxorem, aut concubinam habet, niſi illis omnino dimiſſis dignam pœnitentiam agant, ſacris Altaribus adminiſtrare penitus deſiſtant: nec aliqua Eccleſiæ beneficio ulterius patiantur, vel potitis fruantur.* Cujus tamen zelus pleraſque vix ullum fructum retulere, imo tumultuum horrendorum innocens exſtiterunt occaſio, Clericis incontinentibus calumniæ fræna adverſus Pontificem laxantibus. Qua de re Lambertus Schaffnaburgenſis Monachus in Annalibus. Quæ omnia ipſum compulerunt, ut apologiam pro ſuis decretis ſcribi curaret, quæ legem cælibatus Eccleſiaſtici ab 11. capite ad 21. tuetur. Exſtat illa poſt ejuſdem epiſtolas tomo X. Conciliorum editionis P. Labbæi. Sed hæc incontinentium Clericorum pervicacia conſtantiam infractam Sanctiſſimorum Pontificum Romanorum, Gregorii VII. Succeſſorum, aliorumque Præſulum labefactare non potuit in manutenenda ac reſtituenda diſciplina ab Apoſtolorum temporibus derivata, legibuſque primorum ſæculorum ſancita. Hinc Patrum ſuorum de cælibatu conſtitutiones Urbanus ad exitum ſæculi XI. in Concilio Melfitano can. 2. & 12. renovando, eas ad ipſum quoque Subdiaconatus Ordinem perpetuo valitura Sanctione extendit, ut ſupra N. 12. vidimus. Et Sæculo XII. S. Anſelmus in Concilio Londinenſi eandem Sacrorum Miniſtrorum continentiam canone 4. 5. & 6. ſtabilivit. Quod idem in Galliis A. 1119. Guisfredus Archiepiſcopus Rothomagenſis in Concilio in ſua Metropoli habito præſtitit, quamvis infelici eventu, ut narrat Ordericus Vitalis lib. 12. hiſt. Eccl. Et in Concilio Oecumenico Lateranenſi I. ſub Calliſto II. can. 3. pro univerſa Eccleſia decretum eſt, ne Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi concubinarum & uxorum contubernia habeant. Quod ſaluberrimum decretum innovans Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio II. A. 1139. celebratum, canone 6. pœnam privationis officii & beneficii tranſgreſſoribus infligit. In quo Concilio canone 7. tale matrimonium inſuper cenſetur nullum. Quos canones renovavit Eugenius III. in Concilio Rhemenſi A. 1148. celebrato, & Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro IV. canone 11. Quibus Sanctionibus identidem repetitis id tandem effecerunt vigilantiſſimi Eccleſiæ Præſules, ut ad hujus ſæculi finem, & ſequentibus uſque ad prætenſam Lutheri reformationem, quæ pubeſcente ſæculo XVI. exordium habuit, carniſque ac avaritiæ ſtimulis potiſſimum propagata fuit, Clerus ſacer e profunda, in qua jacebat, carnis abyſſo primo quidem evigilaverit, deinde in pulcherrima caſtimoniæ perfectæ, ſtatuique ſuo tam propriæ virtute, quam Chriſtus ſuaſit, Apoſtolus commendavit, Diſcipuli Chriſti eorumque ſucceſſores ſervarunt, Eccleſia latina præcepit, ſibi complacere cœperit, ac tandem ſuavi Eccleſiæ jugo (id quod norunt in Domino delectari aſſueti) collum ex aſſe ſubmiſerit. Reſtitit equidem auſibus ſalacis Lutheri (quo titulo digniſſimum fateri debent ſuum Præceptorem omnes cordati Lutherani vel ex propriis, quæ ad perpetuam nominis ſui maculam poſteritati tranſmiſit, ſcriptis, caſtarum aurium quam maxime offenſivis) Concilium Tridentinum Seſſ. 24. can. 9. anathema vibrans in eos, qui dicunt Clericos majores poſſe matrimonium contrahere, aut ab his contractum validum eſſe. At jugo Romanæ Eccleſiæ a Proteſtantibus excuſſo, flocci ab eorum Miniſtris habetur Concilii Sanctio; nec mirum, cum contra Præceptum ipſum Apoſtoli ſecundas & tertias in Miniſterio ſuo conſtituti contrahere præſumant.

14. Eccleſia Græca, quod ab Apoſtolis, eorumve Succeſſoribus accepit cælibatus pro Sacris Altaris Miniſtris ſive mandatum, ſive exemplum, per priora V. Sæcula ad æmulationem Eccleſiæ latinæ religioſe obſervatum, poſterioribus Sæculis negligentius curavit, imo obſoleſcere penitus permiſit.

Declarationem propoſitionis quantum ad membra incidentalia dat N. 5. h. t. quod vero principale attinet, illud ex mox dicendis in apricum deducetur. Itaque

15. Eccleſia Græca cælibatum Epiſcoporum lege, vel uſu ab Apoſtolicis temporibus introductum poſterioribus Sæculis canonibus ſuis, quemadmodum Latina, equidem firmavit, & ad hæc uſque tempora ſtabilivit.

Leges ſimiles ante ſe in Eccleſia Græca exſtitiſſe manifeſte ſupponit Juſtinianus Imperator, Sæculo VI. clavum Imperii regens, dum Nov. 6. Nov. 123. c. 1. 14. 19. eas legibus civilibus roborans nulli permittit uxorem habenti Ordinationem Epiſcopalem imponi, omneſque ſimpliciter uxores ab eorum contubernio excludit; quam conformiter ad legem Synodus Quini-ſexta A. 692. in Trullo ſeu Imperatorio Palatio celebrata can. 48. ſancivit: *Uxor ejus, qui ad Epiſcopalem dignitatem promovetur, communi ſui viri conſenſu ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt ac conſecratus, monaſterium ingrediatur procul ab Epiſcopi habitatione extructum, & Epiſcopi providentia fruatur, ſin autem digna viſa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem provehetur.* Epiſcopo igitur Græco non licebat poſt ſui Ordinationem matrimonio prius inito uti, multo minus novum contrahere ex Eccleſiæ illius diſciplina in hanc uſque diem ſancte obſervata non tantum a Græcis Catholicis & ſchiſmaticis, ſed etiam a cæteris Chriſtiani nominis, iisque diverſiſſimis per Orientem ſparſis ſectis, illis etiam, quæ ante Juſtiniani tempora ſeceſſionem fecere, quæ omnes in eo conſentiunt, quod Epiſcopos non habeant niſi cælibes; unde & eos non niſi ex Monachis plerumque eligunt, teſte Thomaſſino de beneficiis p. 1. Lib. 2. c. 53. N. 12.

16. Eadem Eccleſia Græca cæteros Eccleſiæ Miniſtros uſque ad Subdiaconos incluſive, ſi cælibes ad hos Ordines perveniant, perpetuæ lege con-

ge continentiæ poſterioribus Sæculis quoque adſtrinxit.

Id prioribus uſibus vel legibus inſiſtens Juſtinianus novellia ſuis pariter firmavit, dum ait: *Non valere eo, qui ordinat, in tempore Ordinationis permittere Diaconum, aut Subdiaconum poſt Ordinationem uxorem accipere.* Cujus veſtigiis inſiſtens Synodus Trullana citata canone 6. ait: *Quoniam in Apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, ſolos Lectores & Cantores uxorem poſſe ducere; & nos hoc obſervantes decernimus, ut deinceps nulli penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui Ordinationem contrahere liceat. Si autem fuerit hoc auſus facere, deponatur.* Alludit Concilium ad canonem Apoſtolorum 25. qui ſic ſonat: *ex his, qui cælibes in Clerum pervenerant, jubemus ut Lectores tantum, & Cantores, ſi velint, nuptias contrahant.* Quos Canones circa Sæculi V. medium ex primitivorum Patrum Conciliorumque ſtatutis conflatos atque compilatos fuiſſe aſſeruimus Lib. 1. tit. 2. N. 59. Et certe præſens canon deſumptus videtur ex canone 10. Concilii Ancyrani Sæculi IV. initio celebrati, quem N. 6. h. t. retulimus; itemque ex canone 1. Neocæſarienſis Synodi ante Nicænam habitæ, quo decernitur: *Si Presbyter uxorem acceperit, ab Ordine deponatur.*

17. Eadem Eccleſia Græca uſum, aut potius abuſum Sacrorum Miniſtrorum cohabitandi uxoribus ante Ordinationem ducta, Sæculo IV. a Concilio Nicæno, Ancyrano, Neocæſarienſi &c. diſſimulatum (N. 7. h. t.), poſterioribus Sæculis ratihabuit, ac approbavit.

Id factum eſt in famoſo canone 13. præcitati Concilii Trullani, cujus ſequens tenor eſt: *Quoniam Romana Eccleſia pro canone traditum eſſe cognovimus, ut promovendi ad Diaconatum vel Presbyteratum profiteantur ſe non amplius ſuis uxoribus conjungendos; nos antiquum canonem Apoſtolicæ perfectionis Ordinisque ſervantes, hominum, qui ſunt in ſacris, legitima conjugia deinceps quoque firma, & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eas mutua tempore convenienti conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum nequaquam aſſumi prohibeatur, ſi cum legitima uxore cohabitet.* Quem canonem nunquam approbavit, ſed ſolum toleravit, & in præſentem diem diſciplinam ob eo ſanciam colerat Romana Eccleſia. Et merito: hallucinantur enim Patres Trullani in eo, quod exiſtiment canonem illum, ad quem alludunt, eſſe ab Apoſtolis editum, cum canones illi Apoſtolis ſint ſuppoſiti (lib. 1. tit. 2. cap. 2. quæſt. 1.). Secundo, quod exiſtiment canonem illum dimiſſionem uxoris a Presbytero, Diacono &c. factam *ſimpliciter* inhibere, cum tamen id ſolum vetet *fieri prætextu Religionis*. Sic enim ſonat: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus uxorem ſuam prætextu Religionis non abjicito. Si abjicit, ſegregator a communione, ſi perſeverat, deponitor.* Quem ſenſum dedit ei author ad mentem plurium canonum Gangrenſium, ex quibus eum conflavit, qui anathemate feriunt eos, qui nuptias ut rem exectandam damnant. Tertio, quod eundem Canonem ſolis Presbyteris, & Diaconibus applicent, cum Epiſcopos quoque comprehendat, & conſequentes eorum diſciplinam *can.* 48. *a* nobis N. 15. h. t. relato ſancitam, atque rationes in præſenti canone contra Latinam Eccleſiam ex Evangelio & Paulo allatas, feriat.

18. Quin Sæculo IX. ulterius progreſſi Græci factis Miniſtris biennium poſt ſui Ordinationem concedebant, quo de Matrimonio ineundo adhuc deliberare poſſent; quæ tamen conſuetudo, ceu corruptela abl·ta eſt.

Hujus conſuetudinis meminit Leo Sapiens conſtit. 3. Juris Orient. tom. 1. pag. 481. & 493. ubi eam referens ait: *Conſuetudo, quæ in præſenti obtinet, iis, quibus matrimonio conjungi in animo eſt, concedit, ut antequam uxores duxerint, ſacerdotes fieri poſſint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem jungi matrimonio volenti præſtituit.* Poſtea vero licentioſam hanc novitatem proſcribens, ſanctionis ſuæ rationem dat ſequentem: *Neque enim dignum eſt, ut qui ſpirituali aſcenſu ſupra corporis abjectionem & ſordes evecti ſunt, hi rurſum ad carnis ſordes delabantur. Sed e diverſo, ut divinum Miniſterium ex corporis ſordibus tamquam in altum aliquem gradum conſcendat, convenientius fuerit.* Quæ ratio ferit nihilominus communem uſum Græcorum in retinendis uxoribus ante Ordinationem ductis, & approbat caſtiſſimum uſum Eccleſiæ Latinæ. Ita nimirum veritas ab invitis ſubinde extorquetur.

19. Sacri Miniſtri Eccleſiæ Græcæ ſacrorum tempore ab uxoribus continere debent.

Id in ſæpe laudato Concilio Trullano relato can. 13. præcipitur his verbis: *Scimus autem, ſicut & qui Carthagine convenerunt, & vitæ Miniſtrorum honeſtatis curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi & Presbyteri ſecundum proprios terminos a Conſortibus abſtineant: ut & quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa uſque antiquitate ſervatum, nos quoque ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maxime in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore eſſe omnino continentes, ut poſſint id, quod a Deo ſimpliciter petunt, obtinere.* Quo loquendi modo alludunt Patres Trullani ad canonem 2. Concilii Carth. II. A. 390. celebrati. Quem tamen male ad juſtificationem ſuæ diſciplinæ trahunt, cum ille tribus enumeratis gradibus continentiam non ad tempus, *dum Sacris operandum inſtat*, ſed in perpetuum præcipiat, uti advertunt eruditi, atque ex ejus tenore manifeſte conſtat, qui ſequens eſt: *Epigonius Epiſcopus Bullenſium dixit: Cum in præterito Concilio de continentia & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, qui conſtrictione quadam caſtitati per conſecrationes annexi ſunt, Epiſcopus, inquam, Presbyter & Diaconus, ut pudicitiam cuſtodiant, doceantur. Genethlius Epiſcopus dixit: Ut ſuperius dictum eſt, decet ſacroſanctos Epiſcopos, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis Divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod a Deo poſtulant, impetrare: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt; Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant, ut* NB. *in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui Altari deſerviunt.*

QUÆSTIO DOGMATICA.

An Eccleſia Latina Clericis in majoribus Ordinibus conſtitutis uſum Matrimonii juſte interdixerit?

20. MElchior Goldaſtus, ille Gregorii Papæ VII. quaſi profeſſione calumniator, inter Apologias S. R. I. Principum pro Henrico IV. contra eundem Summum Pontificem a ſe collectas quarto loco affert duas epiſtolas Alboini Presbyteri, *de conjugio Sacerdotum per Hildebrandum* (id eſt Gregorium VII.) *damnato*; & decimo quinto DD. NN. Impp. Ferdinandi & Maximiliani II. Augg. *Sacris reſcriptis confir-*

matam ſententiam de Clerogamia per Hildebrandum Papam damnata, ex libro, cui titulus: *Via Regia*, quem ait Imperatorum juſſu conſcripsum a Georgio Wicelio S. Theologiæ Doctore Catholico, & Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario. In quo author ſcribit: *Liber* (nimirum ille, cui titulus: *Forma Eccleſiæ prioris*, ut notat Goldaſtus ibi in margine) *recte aſſerit, cum ait, conſtitutionem iſtam humanam* (de cælibatu Clericorum a Gregorio VII. latam), *qua probibetur conjugium Presbyteris, ac diſtrahitur contractum, pugnare cum jure naturali, cum jure divino, cum Evangelio, cum veterum Synodorum conſtitutionibus, cum exemplis veteris Eccleſiæ, imo cum exemplis etiam Eccleſiæ Romanæ, qualis erat circa 500 annos*. Item in abuſibus juſſu Maximiliani II. Cæſaris ad Regiam Viam additis ab eodem Wicelio; *Verum ejuſdem eſt impietatis Concubinatus Sacerdotum & Lupanar publicum, nec utrobique diſſimilis Religio, niſi quod hæc apparet venerabilior, altera ſordidior. Hunc ſtatum reperit cælibatus, illum diſcurſum invenit otium, neutrum thorus immaculatus; — ponat Auguſta Majeſtas ſuper cor ſuum, ut utramque impunitatem, hoc eſt, ut quod malum eſt, de populo Chriſtiano auferat*. Illam ergo *aſſertionem* Wicelii, hoc *conſilium* ab ipſo Maximiliano Auguſto datum, præjudiciis excæcatus Goldaſtus vocat ſententiam *Sacris Reſcriptis duorum Imperatorum confirmatam*, qui Sæculo XVI. poſt Carolum V. Eccleſiæ Catholicæ dogmata pro aris & focis defenderunt, vel ex hoc ſolo, quod continentiæ adverſarius Wicelius Viam Regiam *rarum juſſu* (ſi hoc ultro concedamus) conſcripſerit. Judicent de hoc cordati Domini Proteſtantes. Nos interea, quemadmodum lib. 4. tit. VI. tractatum Walrami a calumniatore iſto (1) telatum, atque de *inveſtituris* inſcriptum reſutavimus, ita in præſenti Scripturitiones Alboini, Wicelii, & aliorum Proteſtantium univerſim ſolide, ſervata erga omnes debita humanitate, refellemus.

21. Ut autem ſtatum Quæſtionis limpide exponamus, ex notis hiſtoricis in præſentem titulum datis ut certum ſupponendum eſt, nunquam aliquo canone poſitivo ſive in Eccleſia Græca, ſive in Latina tribus majoribus Ordinibus, hoc eſt Epiſcopatu, Presbyteratu, & Diaconatu initiatis permiſſum eſſe, ut poſt ſuſceptum unum ex his Ordinibus uxorem ducere potuiſſent; quin ex conſtanti trium priorum Sæculorum obſervantia, ab Apoſtolis vel uſu, vel præcepto derivata, adhuc ante Concilium Nicænum id a Concilio Ancyrano A. 314. celebrato canone 9. poſitive prohibitum fuit, ut vidimus N. 6. h. t. vi cujus ſoli Diaconi, *ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe conjugio copulari*, poſt ordinationem *de licentia* Epiſcopi ducere permittuntur. Quod autem ex licentia Epiſcopi conceditur, id ſecundum ſe prohibitum eſſe eſt neceſſe. Quem canonem ſublata illa licentia, ſolis Diaconis per illum tantum conceſſa, renovavit non ſemel, atque in præſentem uſque diem in praxim redegit utraque Eccleſia.

22. Secundo, quamvis Eccleſia conniventibus oculis prioribus Sæculis toleraverit quorundam infirmitatem, qui poſt Ordinationem uxoribus *prius ductis* maritaliter cohabitarunt, imo Eccleſia Græca in Concilio Trullano can. 13. eandem approbaverit (N. 17. h. t.); nihilominus id ſemper cavit, ut in Sacerdotium non promoveatur Bigamus, ſed unius uxoris, & quidem virginis ductæ vir. Id quod Græci uſque hodie profitentur eſſe de Præcepto divino, promulgato ab Apoſtolo 1. ad Timoth. 3. v. 2. ex quo patet, quam incuria ſit Eccleſia Proteſtantium Sanctionum perpetuarum, praxeoſque totius retro Eccleſiæ, imo præcepti ipſius Apoſtoli, (2) dum mollibus ſuis miniſtris non tantum dat facultatem uxoribus ante deputationem ad Eccleſiaſticum miniſterium ductis fruendi, verum etiam cum non virgine ducta ad illud perveniendi, (quod in Latina Eccleſia non niſi ex gravi cauſa diſpenſando fit) atque ea defuncta ad ſecunda, & tertia vota liberrime convolandi. Jam ad rem.

PROPOSITIO.

Eccleſia Latina Clericis in majoribus Ordinibus conſtitutis uſum Matrimonii juſte interdixit.

23. HÆc concluſio probari poteſt I. ex eo, quod probabilius hoc præceptum ab ipſis Apoſtolis Eccleſiæ Miniſtris impoſitum fuerit, uti videri poteſt toto N. 6. h. t. ergo illud Eccleſia Latina juſte renovavit. Sed præſcindendo a controverſia inter ipſos Catholicos agitata, & ſupponendo ex teſtimoniis Epiphanii, Hieronymi, aliorumque Patrum N. 6. h. t. relatorum, uſum cælibatus in ſacris Miniſtris ab Apoſtolorum temporibus communiter viguiſſe, eumque ſubinde a Gangrenſi Concilio, per generale Concilium Chalcedonenſe confirmato, aliiſque ſubſequis per omnia Eccleſiæ Sæcula reſpective confirmatum fuiſſe, quod oculis ſubjiciunt Notæ a N. 8. uſque ad finem datæ, propoſitio ratione oſtenſiva evincitur.

24. Non eſt injuſtum, id, quod Chriſtus ſequacibus ſuis *indiſcriminatim* conſuluit, quodque Apoſtoli ſervarunt ac commendarunt, atque longo ſæculorum uſu ab eorum ſucceſſoribus Eccleſiæ Miniſtris in praxim miſſum eſt, lege perpetua firmari ab ea poteſtate, quæ competentem habet Juriſdictionem, atque ſufficientia, ut hoc faciat, motiva. Jam vero Chriſtus ſequacibus ſuis continentiam ſeu caſtitatem indiſcriminatim conſuluit (N. 2. h. t.), Apoſtolus Paulus eam commendavit (N. 3. h. t.), Eccleſiæ Miniſtri ab Apoſtolorum tempore longo ſæculorum uſu eam in praxim miſerunt (N. 5. & ſeqq. h. t.), Eccleſia vero a Chriſto accepit competentem Juriſdictionem ordinandi ad ædificationem non ad deſtructionem ea, quæ ſpectant ad diſciplinam, habuitque ſufficientia motiva cælibatum majoribus Clericis præcipiendi, uſuque Matrimonii ipſis interdicendi; ergo juſte id fecit. Priora minoris principalis membra numeris citatis demonſtrata ſunt. Quod autem Eccleſia poteſtatem a Chriſto acceperit ea ordinandi, quæ ad diſciplinam ſpectant, ad ædificationem nimirum, non deſtructionem, nec ipſi Domini Proteſtantes abnuunt. Probandum itaque ſupereſt, an etiam ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli in conſilii plano reliquerunt, Eccleſia intra præcepti cancellos poſſit arctare,

anque

(1) Abſque calumnia enim hoc nomen meretur homo impudens, qui Sanctiſſimum Pontificem Gregorium VII. quem univerſa Catholica Eccleſia ſuſpicit & veneratur, in ſua præfatione ad hanc collectionem adeo iniquis abjectiſque ſcommatibus proſcindit, ut timeam eorum relatione aures vel ipſorum honeſtorum Proteſtantium offendere.

(2) Saltem quod *ille* dedit, non Dominus, uti recte explicat Latina Eccleſia, quodque intelligendum eſt ad utriuſque Eccleſiæ ſenſum, non ad illum, quem craſſioris naris eidem affingunt noſtri quidam adverſarii; quaſi Epiſcopi aliique Miniſtri, Pauli ſucceſſores, ex ejus mandato neceſſario uxoriis amplexibus ſe irretire deberent, qui omnes voluit eſſe ſicut ſeipſum 1. ad Corinth. 7. v. 7. & beatiorem ait viduam futuram, ſi poſt mortem Mariti continens perſeveraverit ſecundum ſuum conſilium. Quod ex Spiritu Dei ſe dare dicit.

anque in caſu ſufficientia motiva habeat.

25. Id quod probatur primo argumenro ad hominem contra adverſarios: illi enim non negabunt Eccleſiam certis perſonis Matrimonium præcipere poſſe, ſi ab his matrimoniis ſalus temporalis Reipublicæ Chriſtianæ dependeat, eſto Chriſtus Matrimonii ſtatum æque ac cælibatum libero Chriſtianorum arbitrio reliquerit: igitur a fortiori cælibatum ſacris Miniſtris, ad hunc ſtatum libere convolantibus, præcipere potuit, cum inde ſalus ſpiritualis Reipublicæ Chriſtianæ vel maxime dependeat, ut infra videbimus. Secundo. Certum eſt Eccleſias Proteſtantium ex gravibus motivis præcipere ſuis cœtibus certas dies jejuniorum, precum, & feſtorum; atqui Chriſtus jejunia, preces, ſolemnia præciſe quoad has dies reliquit in conſilio, liberoque arbitrio hominum; igitur DD. Proteſtantes factis ſuis juſtificant allatum in ſavorem praxis noſtræ Eccleſiæ principium. Tertio. Ipſi Domini Proteſtantes certe injuſtitiæ non condemnabunt cum Imperatore Auguſto omnes Reges & Principes Chriſtiani Orbis, dum ob bonum temporale Rerumpublicarum Chriſtianarum in controverſo puncto adducto faciunt id, quod propter bonum ſpirituale eirca ſtatum Eccleſiaſticum facit Eccleſia; id vero eos facere oſtenditur: certum eſt enim hos Principes nec ſexageſimæ parti ſuorum exercituum facultatem præbere ducendi, nec dimittere eos, qui prætextu illo (difficile poſſum continere, ſpiritualibus Proteſtantium Patribus vel ipſa beneficii obtenti die ſacro) caſtra vellent deſerere, eſto in ſupplica inſuper appunerent Chriſti de hac re conſilium, non mandatum; cur igitur effœminati iſti ſuggillant Eccleſiam, dum Miniſtros ſuos ſpiritualia ex officio ſeminaturos, & libere id officii eligentes, a meſſe quorumcunque carnalium prorſus vult eſſe alienos? Plus dico; nunquid fortaſſis turbæ innumeræ mulierum, quas naturæ, fortunæque avaritia ſoliti deformiores, pauperioreſque reliquit, non poterunt ex adverſariorum delicato principio contra Deum jure tantillo muſſitare, cur fragilem eorum ſexum immiti quodammodo fato ab eo in perpetuum coerceat, quod ſuo conſilio in hominum arbitrio reliquit, ac viris in Eccleſia Proteſtantium & quidem ſpiritualibus conceſſit? Quod incidens addidi, non quod robur aliquod in eo ad confirmandas allatas rationes ponam, ſed ut Dominis Proteſtantibus oſtendam, caſtitatem rem quidem eſſe natura difficilem, nihilominus tamen per gratiam Chriſti ſexus fragili, & quidem ſæpe invito, poſſibilem, illis vero, qui Chriſti charitate ſuccenſi eidem filios ſpirituales per verbi diſpenſationem generare geſtiunt, quales ſunt ſacri Eccleſiæ Miniſtri, etiam ſuavem. Nunc ad motiva procedamus, quæ Eccleſiam Latinam impulerunt, ut caſtimoniæ Miniſtrorum ſuorum ab Apoſtolorum temporibus uſu ſaltem ac diſciplina inductæ, ac conſervatæ, legibus etiam poſitivis ſubinde provideret. Illa autem deſumuntur ex ipſo officio ſacrorum Miniſtrorum, atque a ſanctis Patribus referuntur.

26. Itaque ſacrorum Miniſtrorum officium eſt pro populo orare, ſacrificare, verbumque divinum, ac ſacramenta eidem miniſtrare. Officium, in quo nihil negotii mundani, vel carnalis relucet, quin officium, cui hæc negotia non minimum negotium faceſſunt; ita ut irrefragabiliter ille Miniſter ad hæc munia obeunda ſit habilior, qui magis ab his impedimentis eſt alienus. Id quod ex Apoſtolo quantum ad præſentem materiam evidentiſſime demonſtro: ſic autem habet 1. ad Corinthios 7. v. 32. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Cum itaque ſacer Miniſter vi officii ſui quam maxime debeat cogitare, quæ Domini ſunt, & indiviſus eſſe, hoc eſt cor habere a rebus mundanis, præſertim uxoriis perfecte abſtractum; evidens eſt juxta S. Pauli Doctrinam, illum Miniſtrum ad hæc munia obeunda eſſe habiliorem, qui ab impedimentis mundi, & carnis magis alienus eſt. Si ergo Prorex ille injuſte non agit, qui conditiones eas Miniſtris Provinciæ ſibi concreditæ lege lata præſcribit, quas eſto Rex non mandaverit, ſibi tamen placere ſignificat, imo aperte ſcoit, eas iiſdem ad rite obeundas ſibi demandatas provincias eſſe accommodatiſſimas; quin hac ſua œconomia, eſto dictis Miniſtris difficili, Regi placet: ita & Eccleſia Chriſti Regi Regum Chriſto ſe diſpliciuſſe, aut injuſte egiſſe non cenſet, dum ex iiſdem motivis rem ab Apoſtolorum temporibus uſu & diſciplina (ut hoc demus) ab omnibus Paſtorem animarum verenmantibus, ac arctam ejus viam æmulantibus ſacris miniſtris ex dicto fine ſancte obſervatam, lege demum lata firmavit. Vel ſi illa hoc in paſſu injuſte egit, iniquitatis condemnandi veniunt indiſcriminatim omnes Chriſtiani orbis Principes, qui ob finem temporalem ſuia in exercitibus tot centena millia virorum vitam agere cælibem cogunt, totidemque fœminas immaritatas ex conſequenti mori ſinunt.

27. Sed ne a me iſta tantum dicta reputentur, minoriſque proinde roboris ſint, audiantur hac de re SS. Patres; & quidem Origenes homilia 23. in lib. Numeror. Euſebius lib. 1. demonſt. Evang. c. 9. Cyrillus Hieroſol. Catech. 12. Gregorius Nyſſenus lib. de Virginitate cap. ult. Quos eum N. 6. h. t. ad longum jam retulerimus, ad eos, ne actum repetamus, lectorem remittimus; ſed præcipue ad locum Siricii Papæ N. 9. h. t. deſcriptum, qui rem præſentem ad Sæculi IV. finem ita conficit, ut adverſarii noſtrorum Sæculorum argumentum vix ſint inventuri, quod ille rum jam non præoccupaſſet, & diſſolviſſet. Unum hic adferemus Hieronymum ab authore antiquiſſimo, qui Apologiam pro Decretis Gregorii VII. contra Simoniacos, & carnales Clericos in Concilio Romano editis concinnavit, in præſidium cauſæ Gregorianæ ex libro contra Jovinianum vocatum, ubi ita habet: *Si Laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi vacet ab officio conjugali, Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda Sacrificia, ſemper eſt orandum; ſi ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant, ſed etiam purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati.* Hæc igitur motiva a Doctiſſimis & Sanctiſſimis Patribus allata legem cælibatus ab Eccleſia Latina Clericis majoribus impoſitam juſtificant. Sed & communis hominum ſenſus, ſi præjudiciis adulteratus non ſit, in œconomiam Eccleſiæ Latinæ circa cælibatum ſacrorum Miniſtrorum conſpirat. Omnes enim homines prima quaſi fronte inconvenientiam commercii conjugalis cum exercitio Sacrorum agnoſcunt, cujus rei indicium manifeſtum eſt in eo, quod ut rem turpem & inconvenientem e veſtigio judicarent, ſi maritaliter convenientem in loco ſacro, vel ſacrum Miniſtrum ab uxoriis amplexibus ad ſacra facienda ſe proripientem deprehenderent. Qui communis & quaſi naturalis cultorum gentium ſenſus, ſicut ethnicis occaſio fuit, ut bigamos ſacrificulos abhorrerent, vel cælibes prorſus habere vellent, uti teſtatur S. Hieronymus contra Jovinianum; ſicut ipſum Deum permove-

runt, ut in veteri Teſtamento Sacerdotes a cubili, dum ſacra facienda incumberent, lege removeret; cor criminationi juſtæ Eccleſiæ Latinæ ſerviret potius, quæ in lege gratiæ, quæ tota ſpiritualis eſt, uſum diſciplinamque ab Apoſtolicis temporibus derivatam legibus ſuis ſtabilivit; quam praxi Miniſtrorum DD. Proteſtantium, qui ultra limites Sacerdotum carnalis legis veteris progreſſi, Muſæum cubili uxorio perpetuo contiguum habentes, ad ſacra facienda ſaltem in oculis populi in dies procedunt ſicut Sponſus de thalamo ſuo. Sed Querelæ eorum, muſſitationeſque audiantur.

Solvuntur Objectiones.

28. CApita VII. a Wicelio pro juſtificanda Clerogamia in *Via Regia* ſupra N. 20. propoſita, primo loco adferenda ſunt. Quorum I. ita ſonat: Scriptum eſt: *Sacerdos Virginem ducat uxorem*. Quæ vetus lex moralis eſt, habens adhuc vigorem; non cæremonialis, hoc eſt, abrogata, ſubjungit ille. II. Novo teſtamento illuceſcente per Joannem Baptiſtam; erat hujus Pater Zacharias Sacerdos Domini, habens Eliſabetham uxorem. III. Recenſet Paulus Apoſtolus in regula, quam ad Timotheum præſcripſit Preſbyteris Novi teſtamenti, ut ſint *unius uxoris* Viri. IV. Eandem regulam ingeminat ad Titum. V. Ipſos Apoſtolos uxores habuiſſe proprias, Divus Ignatius, & Clemens Apoſtolicus idoneus teſtis eſt. VI. In primitiva Chriſti Eccleſia tam Orientis, quam Occidentis duravit Clerogamia improhibita. VII. Et duravit improhibita, quia Apoſtolica, uſque ad tempus prohibitionis primariæ per Siricium & Calliſtum II. factæ. Poſt ſecundariæ prohibitiones ſecutæ ſunt per Concilium Carthaginenſe, per Gregorium & Innocentium, maxime per Sataniſſimum (1) Hildebrandum. Sed hanc prohibitionem, quia neque Apoſtolica, neque univerſalis exſtitit, Oriens non recepit. Decreta vero canonica, quæ conjugio favent, illud tantum poſtulant, ut uxor virgo ducatur ante Ordinationem Sacerdotalem. Colophonem deinde oraculis e tripode phantaſtici ſui cerebri depromptis ſubnectens, *in abuſibus Regiæ viæ* a ſe additis ait, Concubinarium Sacerdotum ſtatum a cælibatus lege promanare; ex quibus omnibus tandem infert, conſtitutionem iſtam humanam, qua prohibetur conjugium presbyteris, ac diſtrahitur contractum, *pugnare cum jure naturali, cum jure divino, cum Evangelio, cum veterum Synodorum conſtitutionibus, cum exemplis veteris Eccleſiæ, &c.* Væ nobis! væ nobis!

29. Reſpondeo ad I. Nihil ineptius a Wicelio in rem ſuam adduci potuiſſe, quam v. illum 13. cap. 21. Levitici: Sacerdos *Virginem ducat uxorem*. Ibi enim matrimonium Sacerdotibus veteris legis præceptum eſſe *ſimpliciter*, qui contextum legerit, non inveniet, etiam is, qui vitra augentia primæ claſſis adhibuerit; bene vero etiam lippus videbit, lege illa matrimonium Sacerdotum ad *certas Perſonas* reſtringi; ſic autem habet v. 14. *Viduam autem, & repudiatam, & ſordidam, atque meretricem non accipiet; ſed puellam de populo ſuo*. Sed ſi lex illa moralis eſt, hoc eſt non abrogata, atque ad mentem egregii Wicelii intelligenda, cur Sacerdotes Proteſtantium, in quorum favorem Wicelius tempore prætenſæ reformationis ſcripſit, eam non obſervant, & viduas impune ducunt? nempe quia ſunt oves, ſine Paſtore, ſine lege Moſaica, & Paulina errantes. Quod autem Sacerdotes veteris legis & uxores ducere potuerint, rationem affert Siricius Papa N. 9. relatus; *Quia non ex alia, niſi ex tribu Levi quiſquam ad Dei miniſterium fuerat præceptus admitti*. Quo ſenſu libenter admittimus obligationem matrimonii etiam pro toto genere humano in globo accepto, id quod tamen nullatenus officit noſtro intento, & merito: nam ſi juxta ſtultam ſequelam, quam ex hoc textu deducit Wicelius, quod nempe hæc lex (quam ſupponit matrimonii Sacerdotibus omnibus eſſe præceptivam) adhuc ſit obligatoria, omnes, & ſinguli Miniſtri ſacri novi teſtamenti uxorem ducere debent, ergo multo magis reliqui Chriſtiani; ſtulte igitur Chriſtus, ſtulte Paulus cælibatum conſuluit. Sed pudet me nugas has refellere, ſi magnum Goldaſtum non puduit illos ex Bibliothecis corradere.

30. Ad caput 2. quod ex dictis abunde refellitur, reſpondeo. Zacharias Sacerdos veteris Teſtamenti habuit uxorem juxta Wicelium & veritatem; Jeremias Propheta de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, juxta S. Ignatium Martyrem a Wicelio citatum, uti mox referemus, & eandem veritatem non habuit uxorem. Quid igitur concludendum? ergo omnes Sacerdotes debent uxores ducere, tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento? minime.

31. Ad 3. & 4. caput, neſcio, an reſpondere, an ridere, an indignari, an capillis adductam Wicelii, Goldaſti, eorumque ſequacium cæcitatem Joviniani, ac Vigilantii hæreticorum IV. Sæculi tenebras ſuperantem deplorare debeam? ergone Epiſcopus nolens volens ex mandato Apoſtoli non tantum uxorem ducere, ſed etiam maritali officio perfungi debet? Paulus igitur, dum hæc mandavit, ſeipſum ac cælibatum ſuum condemnavit 1. ad Corinth. 7. v. 7. Et dilectus Chriſti Diſcipulus Joannes ob impedimentum Virginitatis Epiſcopatum canonice non eſt aſſecutus. Hæc non eſt mea, ſed S. Hieronymi contra Jovinianum Miniſtrorum Proteſtantis Eccleſiæ Protoparentem ſententia, quem vix non piget referre, cum Apoſtolus ipſe controverſiam dirimat; ſic autem habet: *Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum facit: non enim dicitur eligatur Epiſcopus, qui unam ducit uxorem, & filios faciat, ſed qui unam habuerit uxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certe confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat; alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Et poſt multa interjecta: *Alioqui ſi juxta ſententiam Apoſtoli non erunt Epiſcopi niſi mariti, ipſe Apoſtolus Epiſcopus eſſe non debet, ut qui docet, Volo autem omnes eſſe ſicut ego ſum; & Joanne indignus hoc gradu æſtimabitur.* Jovinianus ergo ipſe cum Vigilantio, cælibatus ſacrorum Miniſtrorum acerrimi hoſtes, Apoſtoli locum recte explicuerunt, & ſaltem Epiſcopos ſub pœnis adulterorum Sæculo IV. continentes poſt ſui electionem eſſe debere faſſi ſunt; & iſti dormitantii, & quidem non unicubi, Apoſtolico textui ſenſum, de quo nunquam ſomniavit, affingere, atque utriuſque Eccleſiæ diſciplinam de cælibatu Epiſcoporum jam ſæculo IV. canam, utpote ab Apoſtolicis temporibus derivatam, ad libidinem ſuam ſus deque vertere præſumunt?

32. Ad V. reſpondeo, S. Ignatium Martyrem S. Joannis diſcipulum equidem fateri Apoſtolos aliquos fuiſſe uxoratos, & quidem in Epiſtola ad Philadelphienſes, quæ eſt una ex VII. quas noſtri Critici pro genuinis Sanctiſſimi Martyris fœtibus contra doctiſſimos quoſdam Calvinianæ ſectæ Miniſtros agnoſcunt. Sic enim habet, poſtquam Virginibus exemplum Jeremiæ, Joannis Baptiſtæ, E-

vang-

(1) Al. Sanctiſſ. ſed male, ita enim Auctor ſcripſerat, alludens ad nomen Hellebrand. Nota eſt marg. affectuoſiſſimi in Sedem Apoſtolicam Goldaſti.

vangeliſtæ, Timothei &c. propoſuiſſet, de non Virginibus: *Non detraho autem ceteris Beatis, qui nuptiis copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad veſtigia eorum in regno ipſius inveniri, ſicut Abraham, & Iſaac, & Jacob, ſicut & Eſaias, & ceteri Prophetæ, ſicut Petrus, & Paulus, & reliqui Apoſtoli, qui nuptiis fuerunt ſociati, qui non libidinis cauſa, ſed poſteritatis ſubrogandæ gratia conjuges habuerunt.* Sed quid inde? ergo Apoſtoli, dum a Chriſto vocarentur, non erant omnes Virgines? quæſtio eſt ad præſens inſtitutum ad limam hujus teſtimonii expendenda. Ergo dum amore Chriſti *omnia* reliquerunt, non etiam uxores, ſi quas habuerunt ſuperſtites, quantum ad uſum matrimonii deſeruerunt? nihil de hac re, quæ ſola ad rem præſentem faceret, determinat Ignatius l. cit. qui an Sæculo VI. genuinæ huic Epiſtolæ non ſit intruſus, vadem agere non poſſum, cum editionibus Uſſerii & Voſſii carens eum occaſione hujus objectionis quæſiverim, & invenerim in mendoſa antiquiori editione Lovanii A. *1566.* cum operibus S. Dionyſii Areopagitæ procuſa. Quod citationem S. Clementis, qui fuit S. Petri diſcipulus, attinet, & epiſtolas ejus, & conſtitutiones apoſtolicas ejus nomine evulgatas evolvi, nihil autem ad Wicelii intentum inveni, & laboris me vix non pœnituit, tum quia plura ejus ſcripta ſunt Apocrypha (lib. *1.* c. *2.* §. *2.* & c. *4.* §. *5.*), tum ſi quid habet, ſententiæ Ignatianæ certo erit conforme. Relegatur ex ſuperabundanti N. 4. h. t.

33. Ad VI. & VII. punctum enucleandum faciunt N. *6.* & *7.* h. t. in quorum priori, ſi vera eſt ſententia Thomaſſini, quod nempe cælibatus ſacrorum Miniſtrorum ab ipſis Apoſtolis lege firmatus fuit, ruit Argumentum Wicelii & DD. Proteſtantium; ſin autem; tunc rationes in probatione propoſitionis adductæ œconomiam Siricii aliorumque Pontificum, ac Conciliorum juſtificant. Sed velim paulisper expendant Adverſarii canonem *9.* Concilii Ancyrani ibi, & N. *9.* h. t. adductum, videantque an epocha præcepti cælibatus non ſit paulo altius figenda? nec prætermittant reflectere, quod equidem in Eccleſia ſubinde permiſſum fuerit ſacris Miniſtris, *exceptis* Epiſcopis, uxoribus ante Ordinationem ductis frui, nullatenus autem, & numquam poſt Ordinationem uxores ducere, aut ante illam non Virgines ducere, aut Virginibus ductis tempore vicis ſuæ cohabitare, uti in ſuperioribus demonſtratum eſt. Et judicent, utri noſtrum impingant, & quidem utroque calce in diſciplinam ab Apoſtolorum temporibus faciam?

34. Ad Colophonem a Wicelio capitibus ſuis ſubnexo, quem uno ore jactant in hodiernum diem DD. Proteſtantes, quod nempe lex cælibatus in Eccleſia latina cauſa ſit concubinatus, & fornicationis in Sacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, id quod etiam objecit Photius Nicolao I. ipſos una cum Græcis appello Judices, quænam ex his oppoſitis propoſitionibus *vera* ſit? an illa illorum, *Cælibatus generat concubinatum:* an vero illa S. Pauli 1. ad Corinth. 7. *Cælibatus facit hominem indiviſum, & cogitare ea, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo?* & ſi S. Paulum mendacii juſto accuſare potuerint, eos ex tripode loqui lubens fatebor. Non igitur cælibatus, ſed concupiſcentia infrænata Sacerdotum eos facit concubinarios, & fornicarios in Eccleſia. Et ſi omnes conjugati Miniſtri aliarum Eccleſiarum ab hac labe immunes ſunt, levent lapides, mittantque eos in noſtros incontinentes. Memini autem me legiſſe, S. Chryſoſtomum ſua ætate judicaſſe dari plures adulteros conjugatos, quam cælibes fornicatores. Eccleſia ergo Catholica ſicut in omnibus, ita & in hoc puncto eligit id, quod perfectius eſt, votoque Salvatoris magis conforme, non attendens, quid inde vitio hominum per accidens ſequi poſſet; ſi enim & Deus hanc conſiderationem quidquam valere voluiſſet, nunquam verbum ſuum ſcriptum humano generi communicare debuiſſet: utpote ex quo gentiles idololatriam, hæretici ſuos errores fabricarunt, ſed fabri ipſi fortunæ ſuæ, non vitio ſcripturæ. Nec ingeratur tritum illud: *Non omnes capiunt verbum hoc.* Vel enim ex illis Chriſti verbis erronee colligunt caſtitatis perpetuæ obſervantiam aliquibus hominibus in ſpecie eſſe impoſſibilem, & tunc fornicationem vel pollutionem iis, qui maritos, vel uxores adverſante fortuna accipere etiam volentes nequeunt, eſſe licitam colligant eſt neceſſe, cum nullum neceſſarium ſit peccatum. Quod blaſphemum eſt vel cogitare. Vel recte inde eliciunt, illam quibuſdam eſſe obſervatu perdifficilem, & tunc ingerimus illis id, quod Chriſtus Paulo a ſtimulo carnis ſuæ colaphizato, *Sufficit tibi gratia mea;* nec non illud Auguſtini: *potuerunt hi & hæ, & tu non poteris?* poſſunt nimirum millia fœminarum ſpes nuptiarum non habentium ex neceſſitate, poſſunt tot millia militum propter coronam temporalem caſtitatem perpetuo ſervare, & tu miniſter Evangelii, tu Pater ac Seminator ſpiritualis, gratia Chriſti adjuvante, id non poteris propter mercedem æternam?

35. Superſunt aliæ quædam objectiones horum capitum declarativæ ex eodem Wicelio, Alboino, aliiſque ſolvendæ: & primo quidem Wicelius l. cit. ad mores primitivæ Eccleſiæ provocat, quibus licitum fuiſſe ſacris Miniſtris conjugii uſum uſque ad Siricii tempora affirmat ſubdens: *Quod ſi quis ad exempla provocet, longe cognitiſſimum eſt, hiſtorias Eccleſiaſticas ejuſmodi exemplis refertas eſſe. Sed ante Ordinem inquis? rectiſſime. Probaturus igitur eras cauſam Clerogamiæ, quis hodie quoque ante Ordinem honeſte ducta Virgine, recipiatur in Ordinem? —— niſi forte primis temporibus fuerit licitum, quod noſtris illicitum judicari debeat, quando videlicet Cleri nefanda turpitudo eo crevit, ut Sacra etiam ipſa deturpet, atque abominationem adducat extremam.*

36. Reſpondeo I. hoc argumentum Wicelii magis ferire Miniſtros Proteſtantes, quam nos, cum in eo fateatur, ſacros Miniſtros tantum potuiſſe ducere uxores, & quidem *Virgines ante conſecrationem*, ex primitivæ Eccleſiæ more, & decretorum Canonicorum conſtitutione; ſic enim etiam habet paulo ſuperius: *Decreta vero Canonica, quæ conjugia favent, illud tantum poſtulant, ut uxor Virgo ducatur ante Ordinationem Sacerdotalem.* Quem morem, quos Canones, Apoſtolicis temporibus coævos, accurate ſervat Eccleſia Græca, connivente ob irradicatum in ea morem Eccleſia Romana; violant vero paſſim Miniſtri Proteſtantes, ſine ullo delectu & viduas ante Ordinationem, & Virgines poſt illam, hiſque decedentibus alias matrimonio ſibi copulantes.

37. Reſpondeo II. falſum eſſe facta illa, quibus ſacri Miniſtri uxoribus Virginibus ante Ordinationem ductis poſt illam uſi ſunt, primis Eccleſiæ Sæculis in *morem* tranſiiſſe, cum diſciplinam contrariam in *more* tum fuiſſe, illaque facta ob varias cauſas *tolerata* ſolum eſſe adeo aperte demonſtrent Patres N. *6.* h. t. relati, ut cordatus eſſe non debeat is, qui hoc in dubium vocet. Atque ut ſolum Hieronymi teſtimonium, cui Viro mores Eccleſiarum ſui ſæculi optime perſpecti fuerant, hic repetam. *Quid facient*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti? & Sedis Apoſtolicæ? quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe*

deſiſtunt. Quid quod S. Epiphanius hanc diſciplinam canonibus vindicatam ibidem aſſerit, contrariumque ibi tantum practicari, ubi Eccleſiaſtici canones accurate non ſervantur? Videatur N. 7. Aut ergo hæc diſciplina ſancita fuit ab Apoſtolis præcepto Eccleſiaſtico, aut more communi ab illorum temporibus ſtabilita; utrumque obeſt Wicelio & Proteſtantibus, juvat Eccleſiæ Romanæ œconomiam, quæ hanc ſive legem, ſive conſuetudinem ex allatis in propoſitionis aſſertione motivis in ea orbis parte, in qua contraria nusquam per negligentiam necdum prævaluit, legibus ſuis firmare, & poſterioribus ſæculis etiam contra torrentem carnalium Sacerdotum manutenere potuit, eſto ante latas illas leges infirmitati quorumdam benigne condeſcenderit; ſicut de facto eandem licentiam Græcis Miniſtris impertitur. Et inde bene fieri potuit, quod primis temporibus & in Græca defacto licitum ſit id, quod in Latina amplius non licet.

38. At dices, Non debuerunt Pontifices Romani Clero illud jugum imponere, a quo imponendo poſt Chriſti & Pauli expreſſum deſuper tantummodo datum conſilium abſtinuerunt Patres Nicæni, graviſſima exhortatione Paphnutii permoti. Rem narrat Socrates lib. 1. c. 8. *Viſum fuit Epiſcopis legem novam in Eccleſiam introducere, ut qui eſſent ſacris initiati (ſicut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi) cum uxoribus, quas, cum erant Laici, in matrimonium duxiſſent, minime dormirent. Et quoniam illis erat propoſitum de hac re conſilium inire, in medio illorum conſeſſu ſurrexit Paphnutius, ac vehementer vociferatus eſt, non grave jugum illorum cervicibus imponendum eſſe, qui erant ſacris initiati: honorabile eſſe conjugium inter omnes & thorum immaculatum. Videndum ne nimis exquiſita præſcriptione Eccleſiam gravi incommodo afficerent. Omnes enim non poſſe ferre tam auſteram diſciplinam, neque a ſingularum uxoribus fortaſſe eam caſtimoniæ normam ſervari. Viri autem cum uxore legitima concubitum caſtimoniam appellavit. Illud ſatis eſſe, ut qui in Clerum ante adſcripti erant, quam duxiſſent uxores, hi ſecundum veterem Eccleſiæ traditionem deinceps a nuptiis ſe abſtinerent; non tamen quemquam ab illa, quam jam pridem, cum Laicus erat, uxorem duxiſſet, ſejungi debere.* Hac oratione dicit Paphnutium (qui nunquam mulierem contigerat) Patribus Nicænis perſuaſiſſe, ut poteſtatem permitterent cuique pro arbitratu ab uxorum conſuetudine abſtinendi. Hoc eſt palmarium, quod adverſarii jactant, argumentum. Quod confirmant exemplis quorundam magnorum & ſanctorum Virorum, quos tum ante, tum poſt Nicænum Concilium ab uxoribus ante Ordinationem ductis haud abſtinuiſſe in Sacris conſtitutos prætendunt. Et primo quidem exemplum Tertulliani, qui uxorem duobus libris adhortatus eſt, ut poſt ſuum obitum continentiam ſervaret; quod facere non potuiſſet, ſi ſe marito, ad ſacerdotium promoto continere coacta fuiſſet, eo quod Sacerdotibus uſus matrimonii in noſtra ſententia fuiſſet prohibitus. In Eccleſia igitur Africana Sacerdotes Matrimonio ante Ordinationem contracto utebantur. Secundo exemplum Gregorii ſenioris, S. Gregorii Nazianzeni patris, quem in Epiſcopatu ab uxore prius ducta proles ſuſcepiſſe teſtantur illi verſus carminis, quod Nazianzenus de vita ſua ſcripſit, nimirum: *Nondum tot anni ſunt tui, quot mihi in Sacris jam ſunt conſumpti victimis.*

39. Reſpondeo ad argumentum I. Hiſtoriam hanc a Socrate primum ſcriptam, atque a Sozomeno, & Caſſiodoro poſtmodum exſcriptam, a Baronio, Bellarmino, aliiſque Viris erudiriſſimis explodi vel prorſus ut fabulam, vel ſaltem ut non ſincere a Socrate relatam, de qua re legatur N. 7. h. t. At ut indulgentiores ſimus Dominis Proteſtantibus, tranſmiſſa ejus veritate,

40. Reſp. II. illam aperte damnare praxim Miniſtrorum Proteſtantis Eccleſiæ; cum juxta ejus tenorem cælibatus Clericorum, qui vel cælibes vel vidui unius uxoris ad ſacros Ordines promoti fuerunt, ex ſententia Paphnutii, & Patrum Sanctiſſimorum, tanquam ex traditione Eccleſiæ veteris (hoc eſt ab Apoſtolorum temporibus) deſcendens, approbetur, & confirmetur. Jam ſi hinc ſtatuamus Romanos Pontifices illud, quod ex ſubjecta hypotheſi Patres Nicæni *in optione* Clericorum conjugatorum reliquerunt, ſub præceptum ponentes; illinc vero Eccleſiam Proteſtantium fræna carnalia ſpiritualibus ſuis Patribus ultra limites ex Apoſtolica traditione ſtatutos, atque ab utraque Eccleſia Græca & Latina in hunc uſque diem ſancte obſervatos exotice laxantem, quis horum quæſo magis impingit in hiſtoriam Paphnutianam?

41. Reſp. III. tranſmiſſa iterum hiſtoriæ veritate, ex illa nequaquam damnari poſſe Eccleſiæ Romanæ diſciplinam. Primo enim vi illius tantum *diſſimulatur* ſeparatio Virorum Clericorum ab uxoribus ante Ordinationem ductis eo præcipue motivo, quod multæ fortaſſis invitis maritis, in gratiam ſpiritualis miniſterii, privari deberent, atque legibus continentiæ, poſt expertum, atque aſſuetum matrimonii uſum, conſtringi. Secundo illæ tum videntur fuiſſe temporum circumſtantiæ, Ariana præſertim hæreſi ad inſtar cancri ſerpente, quæ Patres Nicænos ab eo, quod cœperant conſilio, hortante Paphnutio abſterruit, ne nimirum novum in ipſis viſceribus Eccleſiæ ſua prohibitione excitarent incendium. Conjugii enim uſum ſemel aſſuetum quam difficile relinquant homines, patet ex tragœdiis ab incontinenti Clero contra prohibitionem Gregorii VII. Sæculo XI. excitatis. Quæ quam maxime comprobarunt effatum Chryſoſtomi, majorem eſſe cupiditatem corporum, quam pecuniarum. E contra Romana Eccleſia quamvis initio (quo diſciplinam aſumque Eccleſiæ ab Apoſtolicis temporibus derivatum, atque apud ſe accuratius obſervatum, ut nempe maritati, ſi ad ſacros Ordines promoveantur, mariti eſſe deſinant, lege lata ſtabilivit & confirmavit) contra facientes ab uxoribus ſeparaverit, nihilominus poſthac nullum maritum cogit, imo ne quidem admittit ad ſacros Ordines, niſi & libere uxorem prius dimittat, & illa in hanc ſeparationem ſponte conſentiat. Hanc autem diſciplinam in Occidente exactius obſervatam fuiſſe, quin variis Conciliis ante & poſt Siricium in Africa, Galliis, Hiſpania ſancitam luculenter oſtendit N. 8. h. t. Quorum leges ſanctiſſimas, utpote Miniſtros Eccleſiæ ad exactiſſimam obitionem ſuorum munerum ſpiritualium diſponentes (N. 26. h. t.) dum Gregorius VII. Sæculo XI. in uſum revocavit, nihil reprehenſione dignum egit. Sed quid demum prohibet fieri, ut id, quod unum Concilium ex motivis ſuis diſſimulavit, alia Synodus, vel etiam Chriſti in terris Vicarius, alio & tempore, & circumſtantiis, tandem lege ſanciat; qua de re non unum in hiſtoria Eccleſiaſtica exemplum occurrit.

42. Ad primam confirmationem reſpondet Nat. Alexander l. cit. ex libris Tertulliani colligi, ejus uxorem continentiæ propoſitum ante ſui conſecrationem amplexam fuiſſe, quod ne poſt ejus mortem violet, eam hortatur. Illam enim, poſtquam fuerat ad Sacerdotium aſſumptus, non ut uxorem, ſed ut ſororem tractat. Sic enim habet: *Dilectiſſima mihi in Domino conſerva.* Et falſorum Numinum Sacerdotes continentiam ſervare ibidem

notat:

notat: *Continent*, inquiens, *etiam gehenna Sacerdotes. Sacerdotium viduitatis & celebeatum eſt apud nationes.* Tertullianus ergo l. cit. cælibatum perfectum in Eccleſia Africana Sæculo III. apud ſacros Minîſtros viguiſſe docet, ejusque æquitatem ad ruborem Miniſtrorum Proteſtantium Sacerdotum gehennæ exemplo demonſtrat. Quamvis inſuper certum non ſit, Tertullianum libros ſuos ad uxorem ſcripſiſſe, dum Sacerdorio inſignitus jam eſſet, uti ex verbis cap. 4. & 5. colligit idem Nat. Alexander. Novati Presbyteri Carthaginenſis Schiſmatici ſcelus u S. Cypriano Ep. 49. ad Cornelium Papam narratom non probat Africanæ Eccleſiæ diſciplinam Sæculo III. Sacerdotibus uſum conjugii poſt Ordinationem admiſiſſe; quod enim calce in uterum prægnantis uxoris excuſſo abortus propriæ ſobolis cauſa exſtiterit, id factum eſt ante ſuſceptos a ſe ſacros Ordines; quod factum nihilominus, quia tunc Eccleſiæ ignotum fuit, non prohibuit, quin ad Sacerdotium proveheretur. Tunc autem vulgatum eſt iſtud Novati crimen, ut & alia ſcelera, quorum reus erat, cum in ejus mores Schiſmatis ab eo facti occaſione diligentius inquiſitum eſt. Et hinc S. Cyprianus cum Eccleſia Africana equidem ipſi parricidium exprobravit, uſum vero conjugii minime, quod ei tum adhuc licitus fuiſſet; ſecus vero poſt Ordinationem, qua ſuſcepts Clericos Eccleſia Africana a rebus temporalium cura omnimodis voluit eſſe alienos tempore Cypriani; adeo quidem, ut ne tutorem quis agere poſſet ſub pœna non offerendi pro eo, *nec ſacrificium pro ejus dormitione* celebrandi. Verba ſunt S. Cypriani Ep. 66. quibus Papiſtica præjudicia circa Miſſæ Sacrificium & Purgatorium in Eccleſia Africana Sæculo III. in pleno vigore fuiſſe ſatis prodit, quemadmodum forſaſſis nonnullus ex Proteſtantibus Lectoribus muſſitabit; ſed recogitet, an Apoſtolicæ traditiones minus fuerint notæ Sæc. III. æræ Chriſtianæ, ac Sæc. XVI?

43. Ad ſecundam confirmationem reſpondet idem Natalis Alexander l. cit. Sermonem illum Gregorii ſenioris eſſe hyperbolicum. Conſtat enim ex chronologia vitæ S. Gregorii Nazianzeni, ipſum non ſolum ante Epiſcopatum, verum etiam ante baptiſmum patris natum eſſe. Id quod Natalis operoſo computu demonſtrat. Qui etiam in ſolutione objectionis ſextæ, in qua proponitur exemplum Syneſii, qui ordinatus fuit Epiſcopus Ptolemaidis, licet profiteretur, nolle ſe uxorem dimittere, nec a procreandis liberis ceſſare ep. 105. ad fratrem data, recte ait: Syneſium non vere illud propoſitum habuiſſe utendi uxore, & procreandi liberos, cum Epiſcopus inauguratus eſſet, ſed ſimulate egiſſe, quaſi in illa animi eſſet ſententia, ut ea arte ſe ſe ab onere Epiſcopatus, quo ſe indignum exiſtimabat, liberaret. Quod inde elucet, quod non tantum Eccleſiaſticæ diſciplinæ tam adverſa inculcaverit, ſed etiam quædam fidei repugnantia ſentire ſe finxerit; ut quod dubitet de reſurrectione &c. uti patebit legenti citatam ejus epiſtolam. Interim Domini Proteſtantes id lucri ex allatis exemplis reportant, quod primum & ſecundum ipſis non favet, iſtud vero inſuper monſtret, Epiſcopos prioribus Sæculis poſt ſui Ordinationem ex Eccleſiæ diſciplina a matrimonii prioris uſu perpetuo continere debuiſſe; ſi enim contrarius mos tum prævaluiſſet, quare Syneſius in cit. ep. ſcriberet: *Quare hoc omnibus prædico & teſtor, neque me ab ea* (uxore) *prorſus ſejungi velle, neque adulteri inſtar cum ea clanculum conſueſcere: alterum enim nequaquam pium eſt*, (id quod ſolum prætexuit, ut dictum eſt) *alterum illicitum*.

44. Objici poteſt III. Epiſcopos Orientis nulla lege coactos eſſe ad perpetuam continentiam, & filios in Epiſcopatu pleroſque procreaſſe (ex Socrate lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 21.). Perpetuam igitur continentiam Sacerdotes & Epiſcopi non ſervabant ex univerſalis Eccleſiæ diſciplina, etiam poſt Nicænum Concilium.

45. Reſpondetur I. Eſto quidam Epiſcopi filios ex matrimonio prius contracto poſt ſuam inaugurationem ſuſceperint, non tamen id permittente Eccleſiæ diſciplina fecerunt. Perpetuam namque ſervabant continentiam, ubi Eccleſiaſtica diſciplina vigebat, teſte S. Epiphanio l. N. 6. h. t. relato. Quæ diſciplina quoad inferiores ſacros Ordines in Eccleſia Græca tandem labefactata, in Latina impigra Romanorum Pontificum, Occidentaliumque Conciliorum vigilantia in legem perpetuam, conſtantemque uſum paulo poſt abiit, in eoque ad præſentem diem ad Chriſti, Paulique votum conſervatur.

46. Reſpondetur II. ſuſpectam eſſe hac in re Socratis fidem, quantum ad τὸ *pleroſque*, cum ipſi S. Hieronymus, qui Gregorium Nazianzenum in Oriente ſacrarum literarum Magiſtrum habuit, quique diutiſſime fuit in Palæſtina, refragetur in libro contra Vigilantium dicens: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?*

47. At Socratis relationem confirmare videtur imprimis Clemens Alex. lib. 3. ſtromatum p. 139. dicens: *Quin & unius quoque uxoris virum ubique admittit* (Apoſtolus), *ſeu ſit Presbyter, ſeu Diaconus, ſeu Laicus utens matrimonio citra reprehenſionem. Servabitur autem per filiorum procreationem.* 2. Concilium Gangrenſe can. 4. ita decernens: *Si quis diſcernit Presbyterum conjugatum, tamquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit.* 3. S. Athanaſius in ep. ad Dracontium ita ſcribens: *Novimus autem & Epiſcopos jejunantes, & Monachos comedentes. Novimus & Epiſcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes.--- Multi quoque ex Epiſcopis Matrimonia non inierunt; Monachi contra parentes liberorum facti ſunt. Quemadmodum viciſſim* Epiſcopos filiorum patres, & *Monachos generis poteſtatem non quæſiviſſe animadvertas.* Quæ omnia ſuadere videntur, ſub finem Sæculi II. & ſequentibus ſacros Miniſtros paſſim & ſine reprehenſione Matrimonio uſos fuiſſe.

48. Reſpondeo allata exempla intentum non evincere, nec teſtimonia Euſebii, Epiphanii, Hieronymi de contrario modo teſtantium enervare. Nam ad teſtimonium Clementis Reſpondeo I. illud ſolum ſuadere ſuo tempore continentiam aliquo poſitivo canone Clericis majoribus nondum fuiſſe impoſitam; ex quo non ſequitur Matrimonium apud illos in communi uſu fuiſſe. II. dici poteſt, & quidem melius, uſum matrimonii in illo Clementis loco ad Laicos referri (*ſeu Laicus utens matrimonio citra reprehenſionem*), non autem ad Diaconos, & Presbyteros, quos unius uxoris viros equidem admittit Apoſtolus, non autem filiorum procreationi operam dantes. Id quod ex ſcopo ibidem a Clemente intento liquescit. Suſceperat enim contra Tatianum & Encratitas probare matrimonium, uſumque ejus malum non eſſe ex eo, quod Apoſtolus ipſe unius uxoris virum ad Sacerdotium aſſumi decreverit.

49. Ad Canonem Gangrenſem dico, Patres in eo locutos non eſſe de Presbytero, qui conjugio poſt Ordinationem ſacram uteretur; ſed de eo, qui uxorem olim habuerat, vel habebat etiamnum ſororia loco, non uxoris. Agebat enim contra Euſtathianos, qui Laicos actu conjugatos a communione repellebant; Presbyteros vero etiam ob uſu matrimonii prius initi temperantes, quod tamen

olim

omni nuptias, quas illi execrabantur, iniviſſent, a ſacrorum congreſſu arcebant. Unde verſio Dionyſiana loco τὸ *conjugatum* expreſſe ponit, *qui uxorem habuit*.

50. Ad authoritatem S. Athanaſii reſpondeo, illum intelligendum eſſe de uxoribus ductis, deque filiis procreatis ante Epiſcopatum, cum eodem modo de Epiſcopis ac de Monachis ibi loquatur. At certum eſt, nuſquam permiſſa fuiſſe Monachis connubia, & rei uxoriæ uſum, ex quo Monaſticam vitam profeſſi ſunt: igitur nec Epiſcopis, ex quo fuerunt ad Epiſcopatum promoti. Quem ſenſum habuiſſe S. Patrem confirmari poteſt ex ejus Apologia de fuga ſua, in qua narrat Leontium quemdam Arianum Pſeudo-Epiſcopum ſe ipſum caſtraſſe, tantum ut mulieri a ſe adamatæ cohabitare permitteretur, quod facere opus non habuiſſet, ſi Epiſcopis tum permiſſum fuiſſet uſu matrimonii ante Ordinationem initi frui, potuiſſet enim illam ante Ordinationem ducere. Quod autem Dracontius perſuaſum habuerit Epiſcopos Monachorum inſtituta ſervare non poſſe, ſolitam nimirum abſtinentiam, jejunia, & imprimis continentiam, id ex Viri ſancti, & eorum omnium, quæ in mundo extra ſuum aſceterium contingebant, ignari ſimplicitate contigit, Monachorum ſuggeſtionibus errorem hunc ei ingerentibus, ex illo imprimis motivo, quod conjugatos ad Epiſcopatum aſſumi dicerent, quem S. Athanaſius laudata epiſtola ab eo auferre conatus eſt.

51. Objiciunt IV. Authoritates quaſdam ex ſacris literis: & primo illud Geneſeos: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*. Quibus verbis propagandi generis humani mandatum contineri affirmant perpetuæ oppoſitum continentiæ. 2. Illud Matthæi 19. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*; ex quo inferunt Sacerdotes ſine violatione præcepti divini ab uxoribus non poſſe avelli. 3. Illud Apoſtoli ad Hebræos 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. Unde uſum matrimonii in ſacris Miniſtris laudabilem arguunt. Sed quam hæc ſint frivola, oſtendent reſponſiones.

52. Ad primum itaque reſpondeo, iis verbis non contineri præceptum, ſed benedictionem; alias enim piſces & aves, quibus idem dictum eſt, præcepti capaces aſſeramus eſt neceſſe. Vel ſi præceptum contineat, illud non eſt datum ſingulis hominibus, ſed ad genus humanum duntaxat relatum; alias peſſimum Chriſtus & Paulus de continentia dediſſet conſilium. Nec credo genus humanum contra intentionem Creatoris interiturum, etiamſi Miniſtri Dominorum Proteſtantium conſilium ſui & noſtri Salvatoris nobiſcum ſequerentur.

53. Ad ſecundum dico, Verba Chriſti intelligenda eſſe de communi vinculo, non de thoro, & nuptiarum uſu, & conjugatos quidem a repudiis deterrere, ſed emiſſum de conſenſu alterius conjugis continentiæ votum irritum non facere.

54. Ad tertium reſpondeo, Apoſtolum vocare connubium honorabile in omnibus, quæ ad illud pertinent, ſive prolem, ſive fidem, ſive ſacramentum ſpectemus; ſi enim juxta libidinoſam interpretationem quorundam adverſariorum τὸ *in omnibus* pro ſingulis perſonis ſumendum eſt, igitur honorabile erit conjugium fratris cum ſorore, patris cum filia &c. Uxoris ſacra fames, quo non mortalia trahis pectora! at Apoſtolum hoc in loco non enuntiative, ſed præceptive eſſe intelligendum, ita ut ſenſus ſit: *conjugium ſit in omnibus vobis honorabile, & torus immaculatus*; hoc eſt ſine omni vitio, interpretes non ignobiles cenſent. Sed quoquo modo accipiatur, certe de Sacerdotibus, aut de his, qui virginitatis votum emiſerunt, intelligi non poſſe ex omnium Patrum doctrina colligitur. Plures jam a N. 6. & ſeqq. retulimus. Chryſoſtomum & Iſidorum Peluſiotam pro coronide operoſæ diſputationis hic adducemus. Quorum primus ad Theodorum Lapſum hæc ſcribit: *Legitima & juſta res eſt conjugium; & ipſe confiteor: honorabile connubium & cubile immaculatum; ſed tibi jam non eſt integrum connubii jura ſervare. Cæleſti enim Sponſo ſemel junctum, illum relinquere, & uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere eſt: quamvis millies hoc nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto pejus aſſirmo, quanto major ac melior mortalibus Deus.* Bone Deus! ubi manet Lutherus cum Catharina! Et hom. 10. in ep. 1. ad Timotheum: *Si qui uxorem duxit, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, Epiſcopum autem hujuſmodi ſollicitudine tangi non convenit, quomodo ſuperius dixit, unius uxoris virum? quidam illum, qui poſt uxoris obitum conſtituetur Epiſcopus, ſignificaſſe intelligunt. Alioqui licet tum, qui uxorem habeat, quaſi non habentem eſſe. Tunc nempe rite illud conceſſit pro tempore, ac pro rei natura, quæ tunc inerat.* Oeconomiæ, quæ in Eccleſiæ exordiis neceſſaria erat, tribuit Chryſoſtomus, quod ad Epiſcopatum aſſumpti ſint, qui uxorem duxerant, quamvis eſſe debeant, *quaſi non habentes*: id eſt Matrimonio non uti, ex quo Epiſcopi conſecrati ſunt. Suffragatur S. Chryſoſtomo S. Iſidorus Peluſiota ejus diſcipulus lib. 3. ep. 75. *Exhibete*, inquiens, *corpora veſtra hoſtiam viventem. Non ad Sacerdotes ſolos ſcribens, ut exiſtimas, hoc mandabat, ſed univerſæ Eccleſiæ, unumquemque enim hac in parte Sacerdotem eſſe juſſit. Quod ſi caſtitas & pudicitia ſubditos Sacerdotum ordinat, libido procul dubio ac laſcivia Sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hoc quidem leges & Eccleſiaſtica inſtituta ſanciunt; verum haud admodum tamen fit. Quam autem ob cauſam, non eſt meum commemorare.* Quæ teſtimonia velim cordatus Lector expendat cum aliis in decurſu præſentis Tituli allatis, ac demum de controverſia præſenti judicium ferat.

TITULUS IV.

De Clericis non reſidentibus in Eccleſia vel Præbenda.

1. QUamvis reſidentia localis Paſtorum Gregis Chriſti nativo jure videatur annexa eorum officio, ſtatus nihilominus Eccleſiæ in ſui fundatione eamdem non tulit.

Prima pars ex idea Paſtoralis Officii tam clare eruitur, ut plures, iique graviſſimi Theologi ac Canoniſtæ cenſeant, Reſidentiam localem beneficiatorum eſſe juris naturalis ac divini poſitivi. Et certe ſi is, cui Paterfamilias paſcendorum gregum curam ſub annuo ſalario commiſiſſet, greges deſereret, atque per ſubſtitutum ad paſcua educeret; ſi ille, cui Princeps Caſtrorum ſuorum gubernium demandaret, per alium abſens hanc provinciam obiret; uterque contra voluntatem Domini agere, præſcindendo etiam ab omni lege poſitiva, ex ipſo rationis lumine cenſeretur; ita non immerito de Paſtoribus Gregum Chriſti, atque de Belliducibus Eccleſiæ Militantis non reſidentibus diſcurrendum eſt; eo vel maxime, quod ad hanc reſidentiam Evangelicis allegoriis ob noſficio Paſtorum temporalium ſumptis graviſſime exhortentur. Joann. 10. &c.

Quod

Quod vero Eccleſia hanc reſidentiam locaiem in ſui fundatione non tulerit, ex Officio ſuorum fundatorum, ſeu Apoſtolorum clarcicit, utpote quibus Marci 16. dicitur: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

2. Apoſtoli nihilominus quandam reſidentiæ ſpeciem Paſtorum Eccleſiæ præfigurarunt.

Cum enim ſinguli non poſſent *ubique* prædicare Evangelium, & actualiter operi Apoſtolico incumbere, ſed tantum in ea orbis parte, inqua præſentes erant, initio quidem ex communi mutuoque conſenſu, non tamen ſine interna Spiritus S. inſpiratione, quia pauci erant, ut tamquam teſtes *oculati vitæ* & doctrinæ Chriſti, ejuſque reſurrectionis Evangelium per univerſum orbem diſſeminarent, admodum latas & diffuſas orbis partes, ſeu ut hodie loquimur, diœceſes ſinguli ſortiti ſunt; adeo ut etiam integra ac latiſſima Regna pro ſua quisque diœceſi haberet, in qua *actu* quisque operaretur.

3. Iidem Apoſtoli in Eccleſiis a ſe fundatis Epiſcopos creabant tum eos, qui diœceſibus præerant determinatis, tum eos, qui ſuo fungerentur officio iis in locis atque ampliſſimis diœceſibus, quo ipſi pertingere non poterant, idque cum poteſtate alios conſtituendi, ordinandique Paſtores.

Prima pars a Recentioribus Proteſtantibus negata, graviſſima controverſia evicta eſt lib. 1. tit. 33. a N. 24. Ex teſtimoniis ſcripturæ ad rem præſentem adducimus locum Apocalypſeos c. 2. ubi ex mandato Chriſti epiſtolæ ſcribuntur ad VII. Eccleſiarum Angelos, id eſt Epiſcopos. Item Actorum 20. ubi Paulus convocatis Epheſum ſenioribus, ſeu Epiſcopis ait: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.*

Secunda vero cum prima patet exemplo Apoſtoli Pauli, qui Titum reliquit Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigat, & conſtituat per civitates Presbyteros ad Titum 1. cujus opera prius confirmaverat alias jam Eccleſias, Dalmaticam nimirum, & Corinthiacam. Ut proinde dubitari neque at tempore Apoſtolorum fuiſſe Epiſcopos, qui non ſecus ac Apoſtoli indiſcriminatim per orbem, & varias Regiones diſcurrentes, ſemina Evangelii mitterent; alios vero particularibus partibus orbis, ſeu particularibus Eccleſiis adſtrictos, & deſtinatos, quod tamen nullum inter illos eſſentiale diſcrimen conſtituebat.

4. Poſt mortem Apoſtolorum Epiſcopi Diœceſibus determinatius aſſignati, in iisque reſidere arctius adſtricti ſunt.

Hanc diſciplinam ipſa neceſſitas, qua confuſioni, ac perturbationi, ex priori indiviſo regimine non raro oriri ſolitæ, obviandum erat, induxit. Unde S. Ignatius Martyr Apoſtolorum diſcipulus in genuina ad Epheſios ep. ſic habet: *Etenim Jeſus Chriſtus inſeparabilis noſtra vita Patris eſt ſententia, ut & Epiſcopi* per terræ terminos definiti *ex Jeſu Chriſti ſunt ſententia.* Et S. Cyprianus Sæculo III. *Singulis Paſtoribus* portio gregis *fuit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet.* Alii Patres videantur in diſſertatione mox cit. Hæcque diſciplina confuſioni tollendæ adeo neceſſaria viſa fuit, ut eam Eccleſia in hodiernam uſque diem conſervaverit, variisque canonibus frequenter ſtabilierit, interdixeritque ſevere Epiſcopis, in aliena diœceſi quidquam ordinare aut agere ſine licentia Epiſcopi diœceſis illius.

5. Nec tantum eo fine ſingulis Epiſcopis ſingulæ Diœceſes aſſignatæ fuere, ne vaga & confuſa redderetur Juriſdictio; ſed eo vel maxime, ut adhærentes certæ portioni gregis, eidem accuratius juxta præceptum Pauli attenderent; vel ut Joannis 10. dicitur, proprias oves nominatim vocarent, eaſque educerent, atque ante eas vaderent.

Hanc œconomiam non eſſe a primorum Sæculorum Conciliis, Patribuſque ſancitam, ſed ut longe ſanctiſſimam, antiquiſſimam, & indubitatiſſimam ſolummodo inculcatam ait Thomaſſ. p. 2. lib. 3. c. 30. N. 1. quin ex officio Paſtoris, mandatoque Chriſti promanantem agnoſcunt graviſſimi Theologi & Canoniſtæ. Id quod eorum Canones, ſententiæque aperte videntur prodere. Et quidem Concilium Nicænum can. 16. ait: *Quicumque temere aut periculoſe, neque timorem Dei præ oculis habentes, nec agnoſcentes Eccleſiaſticam regulam, diſcedunt ab Eccleſia Presbyteri ac Diaconi, vel quicumque ſub regula prorſus exiſtunt, hi nequaquam in aliam Eccleſiam recipi, ſed omnem neceſſitatem convenit illis imponi, ut ad ſuas Parœcias revertantur.* Tranſmigrationem Cleri de una Parœcia in aliam Eccleſiaſtica regula prohibitam dicit Concilium; Reſidentiam eorum, & maxime Epiſcoporum in ovili ſibi aſſignato altiori lege fundatam ſupponit. Quam etiam ſupponit Synodus Sardicenſis Nicænæ appendix, dum canone 8. vetat: *Ne Epiſcopi ad comitatum* (Imperatoris) *accedant ſine juſta cauſa*, quam determinat canone 9. & 10. Et diu ante Concilium Nicænum Synodus Illiberitana canone 14. *Si ergo*, inquit, *hæc circa Laicos conſtituta ſunt, multo magis Epiſcopum nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas, quæ detineat, ut amplius a ſupra ſcripta tempore abſens ſit ab Eccleſia.* De tempore abſentiæ canonem ponit Synodus. Obligationem reſidendi in Epiſcopo ſupponit. Concinit ad finem Sæculi IV. Concilium Carthaginenſe V. canone 5. placitum edens: *Ut nemini ſit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccleſiam in diœceſi conſtitutam ſe conferre, vel in re propria, diutius quam oportet, conſtitutam curam vel frequentiam propria Cathedra negligere*: locum reſidendi deſignans, de reſidendi debito, tamquam altiori jure ſacro, nihil definiens. Hinc S. Cyprianus lib. 4. ep. 6. ait: *Quoniam ſic rebus urgentibus detinemur, ut longe iſthinc excurrere, & diu a plebe, cui de divina indulgentia præſumus, abeſſe non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias literas miſi.* Et S. Athanaſius Apol. ad Conſtant. Imper. *Nihil*, inquit, *hujuſmodi ſcripſi, imo nec fas eſt Eccleſiam relinquere, aut tuæ pietati moleſtum eſſe, maxime cum etiam abſentibus nobis in Eccleſiaſticis poſtulationibus annuas.* S. item Ambroſius: *Feſtinavi reverti, poſteaquam illum, quem jure declinandum putaveram, Mediolano abiviſſe cognoveram. Non enim ego Mediolanenſem Eccleſiam dereliqueram, Domini mihi judicia commiſſam, ſed ejus vitabam præſentiam, qui ſe ſacrilegia immiſcuiſſet.* Et Sæculo V. S. Auguſtinus ep. 138. *Illud noverit dilectio veſtra, nunquam me abſentem fuiſſe licentioſa libertate, ſed neceſſaria ſervitute: quæ ſæpe SS. fratres meos & Collegas etiam labores marinos & tranſmarinos compulit ſuſtinere.* Et ep. 227. *Populus Hipponenſis, cui me Dominus ſervum dedit, cum ex magna, & pene omni ex parte ita infirmus ſit &c. cum modo, cum regreſſus ſum, periculoſiſſime ſcandalizatum ex mea abſentia comperi.* Cauſas abſentiæ legitimæ pro Epiſcopis tangunt Sanctiſſimi Præſules, legem aliquam Eccleſiaſticam de ea latam non indicant. Quin id lege divina præceptum eſſe l. cit. aperte inſinuare videtur Athanaſius, dum pergit: *Eccleſia non deſerenda ab Epiſcopo. Noſti ex lectione ſcripturarum, quanti ſceleris ſit Epiſcopum Eccleſiam ſuam deſerere, & negligere gregem Dei. Paſtorum enim abſentia lupis invadendi gregis occaſionem præſtat.*

6. Diſciplina hæc a Conciliis Patribuſque primo-

morum V. Sæculorum non ſolum Epiſcopis, verum etiam inferioribus Curatis inculcata, ut patet ex canone 16. Concilii Niceni &c. quoad omnes firmata eſt ſæculis VI. VII. & VIII.

Illam Sæculo VI. legibus ſuis munivit Juſtinianus Nov. 6. c. 2. item Nov. 6. c. 3. ac demum pro omnibus Clericis Nov. 123. c. 9. inquians: *Hoc ipſa & ſuper Clericis valitura, cujuſcumque Ordinis fuerint, aut Miniſterii*. In hunc finem idem Imperator voluit ut Clerus ruralis non aſſumatur ex alieno vico, vel poſſeſſione, ſperans fore, ut ita facilius reſidrat. Cod. de Ep. & Cler. lib. 2. lege 11. Quod idem ad hujus Sæculi finem vel ſeptimi initium ſancit S. Gregorius lib. 2. ap. 19. 38. & albi commonens, ut nullum de altera aligi permittatur Eccleſia, niſi forte inter Clericos ipſius civitatis —— nullus ad Epiſcopatum dignus reperiatur, quod evanire non credis. De eodem S. Gregorio ſcribit Joannes Diaconus in ejus vita lib. 3. c. 36. *Neminem ſane Pontificum a Parachia ſua ſaltem parumper abſque inevitabili prorſus neceſſitate diſcedere Gregorius permittebat; quos nimirum in cauſis mundialibus accupari vehementiſſime prohibebat*. Videatur hujus Pontificis ep. 13. lib. 3. item ep. 8. lib. 7. ep. 50. & 52. lib. 4. His ſanctionibus Sæculo VII. concinit Synodus Quini-ſexta ſeu Trullana can. 80. &c. Quos canones infra N. 11. commodius referemus, ubi de tempora conceſſæ Epiſcopis abſentiæ ſermonem faciemus.

7. Labefactam Sæculo IX. & X. reſidendi diſciplinam reſtituere conati ſunt Pontifices Romani; Conciliaque tum Generalia, tum particularia.

Hac de re ita babet Capitularium lib. 5. c. 177. *Comperimus quoſdam Epiſcopos, & Abbates, atque Sacerdotes non cauſa neceſſitatis & utilitatis, ſed potius avaritiæ, & propriæ delectationis ſæpiſſime propria civitatis ſuæ ſede, vel Monaſterii ſepto, aut Eccleſia propria relicta, Cleroque neglecto remotiora loca frequentare. Pro qua re & deſtitutio divini cultus, & prædicatio in plebibus, & cura ſubjectarum poſtponitur. Quod ne ulterius a quoquam ſine inevitabili neceſſitate, aut aliqua utilitate fiat, pari conſenſu inhibuimus*. Et Concilium Pariſienſe VI. A. 829. graviſſime expoſtulat c. 29. de eorum incogitantia Epiſcoporum, qui eas vel cauſas, vel functiones quaslibet alias Parochis delegabant, quas aliis demandare potuiſſent. Interea per luctuoſam illam Parochorum abſentiam præripiebantur improviſa morte & baptiſmo infantes, & reconciliationi pœnitentes. Socordiam quoque Metropolitanorum, qui confidebant ſe poſſe vinculum exuere reſidentiæ, Epiſcopo quopiam ſibi ſurrogato, qui Metropolitani partes interim ſuppleret, compreſſit Synodus œcumenica VIII. can. 24. ubi labefactatam reſidentiæ diſciplinam in utraque Eccleſia ſatis oſtendit his verbis: *Subjectas Epiſcopos ad ſe adducunt, & committunt eis Eccleſiæ propriæ divina officia, & litanias &c. atque eos, qui Epiſcopalem dignitatem meruerunt, quodammodo ſibi Clericos ſubjectos exhibent*. Quin *ſuis ſtipendiis per diſtinctas menſium vices præcipi dicuntur prædicta perficere miniſteria; vacant autem iidem præter Eccleſiaſticas leges ſæcularibus curis atque diſpoſitionibus, dimittentes perſeverare in orationibus*. Unde Leo IV. in Concilio Romano A. 853. habito exauctoravit Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem Tituli S. Marcelli, qui quinquennio a ſuo Titulo abſens poſt terram, & quartam monitionem præmiſſam redire noluit. Ex quo patet legem reſidentiæ hoc Sæculo ipſos quoque Cardinales conſtrinxiſſe. At quemadmodum ſaluberrimæ, divinæque reſidentiæ leges Sæculo X. obſervatæ fuerint, conjici licet ex iis, quæ diximus lib. 1. Tit. 8. & lib. præſenti Tit. 2. & 3. ubi vidimus Simonem, Veneremque Clero late dominantem, cui proinde curæ majori facile fuarit ſe, non quæ J. C. ſunt, quærere. Et revera bene multos hujus & ſequentis Sæculi hiſtoria Eccleſiaſtica refert Epiſcopos, alioſve ſacros Miniſtros, Sagatos, Togatos, Stolatos, ut dixit Cicero, magis quam virgatos, mitratoſque ex officio.

8. Quo ſpiritu legem Reſidentiæ, natales ab ipſo Chriſto, atque ex viſceribus Paſtoralis Officii adeo ſpirantem, Eccleſia per priora 10. Sæcula ſartam tectam baberi laboravit; eodem in ejus obſervantiam, quantum fieri potuit exactiſſimam, poſterioribus Sæculis ad noſtra uſque tempora excubavit.

Quid circa reſidentiam non tantum Epiſcoporum aliarumque dignitarum, verum etiam Canonicorum, Parochorum, uſque ad minimos beneficiatos Sæculis XII. XIII. XIV. præſtitarint Romani Pontifices, ob oculos ponunt Canones Tituli præſentis, & ejuſdem in 6. At elimatius multa, & accuratius in Concilio Tridentino decreta ſunt, quæ præſens Caput contingunt. Non poſſum mihi temperare, quin aliqua ſeſſionum fragmenta ad rem facientia huc transferibam. Sic ergo loquuntur Patres zeloſiſſimi Seſſ. 6. cap. 1. *Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque, quovis nomine ac Titulo præfectos, monet, ac monitos vult* (S. Synodus), *ut attendentes ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus S. poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent; ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & Miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum eſt manibus a ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant; cum certiſſimum ſit non admitti paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit*. Ad legis neſcio cujus obſervationem Paſtores Eccleſiæ hortatur S. Synodus, non legem ponit. Monet indiſcriminatim, nullum terrenarum prærogativarum fucum attendens. Monet ad reſidentiam non, ut ajunt, materialem, ſic enim perpetuo reſident actypa Paſtorum, in Reſidentiis, in Eccleſia ſponſa pendentia, ſed ad formalem; ad reſidentiam in executione indefeſſa Paſtoralis officii conſiſtentem. Sed expreſſius Seſſ. 23. c. 1. de ref. divino jure niti Epiſcopalem reſidentiam inſinuavit eadem S. Synodus, dum ait: *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, Verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia Paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; Sacro-Sancta Synodus eos admonet & hortatur, ut divinorum Præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate paſcant & regant*. Præcipua Paſtorum gregis Chriſti munera ſpecifice refert ſancta Synodus, reliquis in globo relatis contenta, atque ſententiam pro reſidentia jure divino ſancita tantum non definit. Atque perſonas reſidere obligatas enumerans ſubdit: *Etiamſi S. R. E. Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel diœceſi reſidentiam, ubi injuncta ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis infra ſcriptis*. Nec ſatis; ad Canonicos ipſos alioſque beneficiatos ſuam ſollicitudinem extendens Seſſ. 24. c. 12. de ref.

ſta-

ſtatuit: *Quod obtinentibus in Cathedralibus, aut collegiatis Eccleſiis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitium requirunt.* Servitium, inquit S. Synodus, quo non corporalem tantum in reſidentia aut urbe præſentiam, ſed laborioſam juxta amuſſim vocationis & officii manifeſte requirit ab omnibus præbendatis.

9. Cum Reſidentia Paſtorum apud portionem gregis aſſignatam directe tendat ad bonum particulare dicti gregis, contingere poteſt, ut Eccleſia propter bonum commune, vel aliud prævalens particulare, opere alicujus Paſtoris indigeat cum reſidentia in ſui executione incompoſſibili; Paſtori quoque ipſi ea accidere poſſunt, quæ cum reſidentia perſonali cohærere nequeunt, & hinc reſidentia Paſtoralis in Eccleſia diſpenſari poteſt, atque in præſentem diem ex dictis cauſis diſpenſari ſolet.

Gravem neceſſitatem ſive ex parte Paſtoris, ſive ex parte Eccleſiæ, aut ut generalius loquamur, honeſtam & juſtam cauſam ab Eccleſia pro diſpenſatione in reſidentia conſtanter requiſitam fuiſſe, teſtantur omnium Sæculorum Concilia, Patreſque; unde Concilium Sardicenſe Sæculo IV. can. 8. vetat: *Ne Epiſcopi ad comitatum* (Imperatoris) *accedant, niſi forte hi, qui Religioſi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati fuerint.* Et Eliberitanum can. 14 *Epiſcopum nec liceat, nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas, quæ detineat, ne amplius a ſupra ſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia.* S. item Aug. Ep. 138. *Illud noverit dilectio veſtra, nunquam me abſentem fuiſſe licentioſa libertate, ſed neceſſaria ſervitute.* Eandem inevitabilem neceſſitatem requirebant Concilia Pontificeſque Sæculorum VI. VII. & VIII. Gregorii M. inſignem locum retulimus N. 6. h. t. hic placet inſerere caput 80. Concilii Trullani: *Si quis Epiſcopus*, inquit, *vel Presbyter, vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero numerantur, vel Laicus nullam habet graviorem neceſſitatem, vel negotium difficile, ut ab Eccleſia ſua abſit diutiſſime; ſed in civitate agens tribus diebus Dominicis in tribus ſeptimanis una non convenIat; ſi ſit quidem Clericus, deponatur; ſi vero Laicus, ſegregetur.* Concordant ſanctiones Sæculi IX. ſub Carolo M. Capitulara famoſum retulimus initio N. 7. h. t. Sequentibus Sæculis uſque ad Concilium Tridentinum eadem diſciplina conſervata eſt, unde Concilium Lugduneſe II. relatum in 6. de elect. c. 14. *Super reſidentia vero facienda poſſit Ordinarius gratiam diſpenſative ad tempus facere, prout cauſa rationabilis id expoſcet.* Sanctiones Tridentini Seſſ. 6. c. 2. juſtas & rationabiles cauſas abſentiæ requirunt. Et Seſſ. 3. c. 1. concedit equidem Synodus Epiſcopis abſentiam a Reſidentia, eas tamen cauſas requirit, quæ eorum conſcientiam non gravent, & Deo arcana cordium ſcrutanti probari poſſint. Vide N. 11. h. t.

10. Cauſæ præcipuæ, ob quas in Eccleſia admiſſa eſt diſpenſatio a lege Reſidentiæ in Epiſcopis, fuerunt eorum legationes, evocatio ad aulam Principis in ſanctius conſilium, iter Romanum, Jeroſolymitanum, avocatio ad Concilia, ad Regni comitia, & generales Cleri congregationes.

Legationes pro bono Eccleſiæ apud Imperatores, alioſque obiiſſe Epiſcopos primis Eccleſiæ ſæculis conſtat exemplis Gregorii Nazianzeni, Nyſſeni, Chryſoſtomi, Auguſtini, qui poſterior ep. 138. inquit, ſæpe collegas ſuos Eccleſiis ſuis abſtrahi, & maria tranare, eidemque ſe neceſſitati obnoxium & paſſurum fuiſſe, ſi per valetudinem licuiſſet; *Neceſſaria ſervitute*, ait, *quæ collegas etiam labores marinos, & tranſmarinos compulit ſuſtinere.* Quas omnes abſentias excuſabat, imo conſecrabat charitas: *ne videamur januam claudere charitatis*, inquit Concilium Sardicenſe can. 3. *quæ Eccleſiis ſuis avelli & abeſſe Epiſcopos ſinit, cum juſſione Principis, aut calamitatibus pauperum urgentur ad Aulam accedere.* Similia exempla canoneſque ſuppetunt pro Sæculis VI. VII. & VIII. & quidem Concilia Toletana VII. & XIII. jubent viciniores Epiſcopos ſingulos ſingulis menſibus Toleti menſem unum agere, non tantum ut adſint Metropolitano, ſed etiam pro reverentia Principis, ac Regiæ Sedis honore. Cogebantur præterea advolare, quoties a Rege vocabantur. His & ſimilibus canonibus conformes ſunt leges Juſtiniani, qui Novella 123. c. 26. ait: *Si vero Epiſcopi vel Clerici pro civitate aut pro ſuis Eccleſiis propter ſuam legationem, aut ordinationem Epiſcopi ad Regiam civitatem, vel ad alium quempiam locum proficiſcantur; jubemus illos nullam moleſtiam, aut importunitatem a qualibet perſona ſuſtinere.* Et revera magna hiſce Sæculis Reges tum Galliæ tum Hiſpaniæ Epiſcopos honorabant confidentia, ad ſanctiora conſilia eos convocando, negotia Regni ſæpe difficillima complanationis eorum committendo, ſoboliſque Regiæ educationem iiſdem concredendo; uti exemplis luculentis probat Thomaſſinus. Quæ œconomia duravit ſequentibus Sæculis ſub Carolo M. ejuſque ſtirpe Regia, ſub qua Clerus primas in comitiis Regni partes obtinuit, ut conſtat ex Capitularibus Regum Francorum, Epiſcopique ut plurimum miſſos Dominicos, Legatoſque in publicis neceſſitatibus agebant. Hancque diſciplinam Sæculo XII. collaudat S. Bernardus ep. 42. item 222. & 223. Petrus item Bleſenſis ep. 48. ubi ait: *Non eſt equidem novum, quod Regum conſiliis interſint Epiſcopi. Sicut enim honeſtate & ſapientia cæteros antecedunt, ſic expeditiores & efficaciores in Republica adminiſtratione cenſentur.* Quin S. Thomas Sæculo XIII. Regulares ipſos religioſe, & pie, atque accommodate ad publicas utilitates aulam frequentare poſſe demonſtravit contra impugnantes Relig. c. 18. Qui alibi in ep. 2. ad Timoth. c. 2. explanans Apoſtoli verba: *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus*: ait: *Cavendum quidem eſſe, ne noſmet ipſos immergamus in fluctus ſæcularium occupationum: at ubi eo nos impulit neceſſitas charitatis, adeo nos non obſtrepere præcepto Apoſtoli, ut ejus potius obſequamur exemplo, qui urgente Chriſti charitate omnibus omnia factus eſt. Implicat enim ſe, quando ſine pietate, & neceſſitate aſſumit negotia; ſed quando neceſſitas officii, pietatis, & charitatis exercetur, tunc non implicat ſe, ſed implicatur hujuſmodi neceſſitate.* Verba ſunt Angelici Doctoris.

De itinere Jeroſolymitano ſcribit S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Longum eſt nunc ab aſcenſu Domini uſque ad præſentem diem per ſingulas ætates currere, qui Epiſcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Eccleſiaſtica virorum venerint Hieroſolymam, putantes minus ſe Religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam manum acceſſiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adoraſſent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruſcaverat.* Qui mos poſt Hieronymi tempora, & poſt recuperatam poſtliminio Hieroſolymam perduravit, ut obvia teſtantur Eccleſiaſtica monumenta. Quantum vero ad iter Romanum tempore Leonis I. Papæ Epiſcopi Siciliæ ad Concilium Romanum quotannis convolabant. Sub Gregorio M. iidem Epiſcopi Romam quinto quoque anno veniebant ex officio, & ante

Gre-

Gregorium M. tertio quolibet anno; uti teſtatur Thomaſſinus de beneficiis p. 2. lib. 3. c. 49. qui ibidem Epiſcoporum Angliæ, Germaniæ, Galliæ peregrinationes Romanas frequentiſſimas deſcribit uſque ad Sæculum X. Quas peregrinationes ob graviſſimos fines continuatas ait Sæculo XI. arbitrarias tamen eas fuiſſe; Gregorium VII. equidem Epiſcopos ad Romanum iter ingrediendum urſiſſe, nunquam tamen præcepiſſe; at poſt mortem Gregorii ſub ejus Succeſſoribus conſuetudinem hanc invaluiſſe, & quidem ſub Paſchali II. morem certum jam viguiſſe, ut Metropolitani tertio quovis anno Romam peterent, cum poteſtate nihilominus alios ſuo loco delegandi: ſub Innocentio vero III. ſeu Sæculo XIII. jam certa intervalla ſtatuta fuiſſe harum Romanarum peregrinationum; atque rem hanc tandem in generalem conſuetudinem abiviſſe; quam Sixtus V. A. 1585. ſtatuto confirmaverit, ut cujus Epiſcopi Itali tertio quoque anno, Galli, Hiſpani, Germani quarto, cæteri Europæi & Africani quinto, Aſiatici, & ſi qui ſunt remotiores decimo quoque anno Romam pergere debebant, eo ex fine: *ut baſilicas Apoſtolorum viſitent, Chriſti Vicario aſſurgant; utque Congregationi Concilii explanent, quo ſint loco res Eccleſiæ ſuæ & mores, quam infatigata pro illis excubent vigilantia? an quot annis Synodum habuerint diœceſanam? an tertio quoque anno adierint Concilium Provinciale? an quolibet ſaltem biennio Parochias ſuas omnes circumluſtraverint? quamvis numero plane ingentes ſint? an Seminarium exædificaverint? an Theologum, an Pœnitentiarium habeant probe dotatum?* ut refert Fagn. in cap. *Ego N. de Jure Jurando.* De quo tamen decreto ait Spondanus Apamienſis Epiſcopus in Annalibus ad A. 1685. N. 32. *quod quidem decretum, utile ſane & commodum ab omnibus jucatur, & a paucis nihilominus obſervatur.* Et certe quamvis Romanæ Epiſcoporum peregrinationes ex multis ſaluberrimis finibus & fuerint electæ, & demum præceptæ, eæ tamen ſubinde occurrerunt temporum, aliarumque rerum circumſtantiæ, quæ modificationem, ac intermiſſionem illarum conciliarunt. De quo adeatur, ſi placet, Thomaſſinus l. cit. rem hanc latiſſimo calamo proſequens. Nobis enim in hac materia hic loci incidentali non licet eſſe prolixiores.

Evocatio ad Concilia tum Generalia, tum nationalia, Provincialia, & diœceſana, frequentiſſima erat cauſa excuſans Epiſcopos, Abbates, alioſque ſacros Miniſtros a lege reſidentiæ, dum illa frequenter celebrarentur, at modo ob intermiſſionem eorundem vix locum amplius habet. Vide notas noſtras hiſtoricas in lib. 2. tit. 1. de Judiciis §. 4. N. 33. & Thomaſſinum hic. De evocatione vero eorundem ad Aulam, atque Comitia Regia jam dictum eſt.

11. Quamvis rigoroſe loquendo tempus, quo Paſtor a grege ex juſta cauſa abeſſe poſſit, definiri nequeat, ſed illud dimetiendum ſit ex duratione juſtæ ac bonum reſidentiæ prævalentis cauſæ; Eccleſia nihilominus varia circa tempus abſentiæ beneficiatorum variis temporibus in genere ſtatuit ac definivit.

Concilium Sardicenſe A. 347. canone 11. ſancit: *ne Epiſcopus ab Eccleſia ſua abeſſe poſſit ultra tres hebdomadas, niſi ex inexorabili neceſſitate.* Revocans ſe ad canonem 24. Concilii Eliberitani A. 305. celebrati, in quo habetur: *Meminimus ſuperiori Concilio Fratres noſtros conſtituiſſe, ut ſi quis Laicus in ea, in qua commoratur civitate, tres Dominicos dies, id eſt per tres ſeptimanas non celebraſſet Conventum, communione privaretur. Si ergo hæc circa Laicos conſtituta ſunt, multo magis Epiſcopum nec licet, nec decet, ſi nulla ſit tam gravis neceſſitas, quæ detineat, ut amplius a ſuperſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua.* Huic ſaluberrimæ conſtitutioni inſiſtens Concilium Trullanum A. 681. canone 80. conſtituit: *Si quis Epiſcopus, vel Diaconus, vel eorum, qui in Clero numerantur, vel Laicus nullam graviorem habet neceſſitatem, vel negotium difficile, ut a ſua Eccleſia abſit diutiſſime; ſed in civitate agens tribus diebus dominicis in tribus ſeptimanis una non conveniat; ſi ſit quidem Clericus deponatur; ſi vero Laicus, ſegregetur.* Non ſufficit Patribus conſcriptis Clerum adeſſe, ſeu reſidere materialiter in foro, vult illos reſidere formaliter in choro ſeu in Eccleſia. Et ante hoc Concilium Sæculo VI. Juſtinianus Nov. 6. c. 2. definivit: *ut nemo Deo amabilium Epiſcoporum foris a ſua Eccleſia plus quam per totum annum abeſſe audeat, niſi hoc per imperialem juſſionem fiat,* quem annum propter miſericordiam dicit ſe conſtituere. Quam ſanctionem repetit Nov. 123. cap. 9. Annum illum Concilium Conſtantinopolitanum, quod Græci primum & ſecundum vocant, ad 6. menſes contraxit can. 16. ajens: *Qui in alio loco ſupra ſemeſtre tempus degit, ſtatuit S. Synodus, ut Sacerdotio alienus omnino conſtituatur, & alius pro ipſo promoveatur.* Quod tempus ſemeſtre in Eccleſia Latina quoque obtinuiſſe indicat Sæculo XIII. Innocen. III. dum ad Patriarcham Conſtant. ſcribens ait: *Si nec ſic curaverint obedire, ſed contra ultra ſex menſes ſuas deſeruerint Eccleſias, ut juxta Canonicas Sanctiones cis merito debeant ſpoliari.* Geſta Innoc. III. p. 109. Hæc autem Reſidentia in majoribus ſolemnitatibus & ſacra quadrageſima præcipua exigebatur. Unde Concilium Pariſienſe Anni 1212. *Jubet Epiſcopos aſſiduos eſſe in Eccleſiis ſuis, maxime diebus feſtis & in quadrageſima,* can. 7. utque hujus officii ſui memoria Epiſcopis refricaretur, juſſi ſunt bis anno quolibet curare, ut ſibi publice legeretur profeſſio, qua ſe illigaverant, dum ordinarentur, can. 8. Concilium Londinenſe Anni 1237. c. 22. majoribus Solemnitatibus, & quadrageſimæ adjecit dies dominicos, & adventum, quo indicans dicta Concilia ſe formalem & laborioſam reſidentiam in Paſtoribus & beneficiatis requirere. Inter decreta Concilii Conſtantienſis, quæ exſtant tomo 12. Conciliorum generalium pag. 1454. c. 12. ſpoliantur Epiſcopi Abbateſque reditibus ſuis, ſi per ſex menſes continuos Eccleſiis ſuis abſint, aut Monaſteriis; abdicandi vero penitus ſua dignitate pronuntiantur, ſi intra biennium gregem ſuum non reviſant. *Si vero per biennium abſuerint, ipſis Eccleſiis & monaſteriis decernimus eſſe privandos.* Propius ad ſeveriorem primorum ſæculorum diſciplinam circa reſidentiam beneficiatorum noviſſime acceſſit Concilium Tridentinum, dum abſentiam eorum ex juſta ac legitima cauſa ad duos vel tres menſes reſtringit Seſſ. 23. c. 1. de ref. inquiens: *Ne vero, quæ de reſidentia ſancte & utiliter jam antea ſub fel. Rec. Paulo III.* (nimirum Seſſ. 6. de ref.) *ſancita fuerunt, in ſenſus a ſacroſanctæ Synodi mente alienos trahantur, ac ſi vigore illius decreti quinque menſibus continuis abeſſe liceat; illis inhærendo, declarat ſacroſancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Eccleſiis quibuſcunque quocunque nomine & titulo Præfectos, etiamſi S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſint, obligari ad perſonalem in ſua Eccleſia vel Diœceſi reſidentiam, ubi injuncto ſibi officio defungi teneantur, neque abeſſe poſſe, niſi ex cauſis ac modis infra ſcriptis. Nam cum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſancta Synodus has legitimæ abſentiæ cauſas a Beatiſſimo Romano Pontifice, aut a Metropolitano, vel eo abſente a Suffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani ab-*

ſen-

ſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas. Et infra: *Sacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium nullo pacto debere duos aut ad ſummum tres menſes excedere, & haberi rationem, ut id æqua ex cauſa fiat, & abſque ulla gregis detrimento.* Ex hactenus dictis colligi poſſunt diſpoſitiones circa pœnas non reſidentium, & circa licentiam ſuo loco ad legitimam abſentiam impetrandam. Pœnas beneficiatorum non reſidentium inſuper vide in Trid. Seſſ. 24. c. 12. ubi pariter ſtatuitur, ut Canonici novem menſibus reſidere teneantur ac Officiis ſuis fungi. A Congregatione vero Concilii declaratum eſſe affirmat Fagnanus, Parochos ne quidem una ſeptimana abeſſe poſſe, niſi cauſis ab Epiſcopo approbatis. Sed hæc jam pertinent ad ſcholaſticos Canoniſtas, qui conſuli poſſint.

T I T U L U S V.

De Præbendis & Dignitatibus.

1. **D**E Beneficiis ſeu Præbendis in genere, ac de qualificata eorum ſpecie, ſeu de Dignitatibus tractat præſens Titulus. Canoniſtæ retinentes nomenclaturam eam beneficii, qua ſignificatur jus percipiendi certos proventus tanquam militibus Eccleſiæ conceſſum propter Officium ſpirituale, illud definiunt: *Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcunque ex bonis Eccleſiaſticis ſeu Deo dicatis, propter Officium ſpirituale Eccleſiæ conſtitutum.* Theologi vero illud magis conſiderantes penes Titulum & Officium Eccleſiaſticum, dicunt illud eſſe *jus perpetuum miniſtrandi in Eccleſia auctoritate Epiſcopi conſtitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.* Quæ definitiones quoad rem coincidunt. Iterum dignitas a Rebuffo dicitur quædam præeminentia cum juriſdictione, quæ cognoſcitur ex præeminentia, juriſdictione, quando ad hoc eſt inſtituta, ut ſit dignitas; & ex conſuetudine, quando conſuetudo facit, ut ſit dignitas. In jure canonico aliquando confunditur cum Perſonatu, ſubinde ab eo diſtinguitur. Et revera juribus debite expenſis *neceſſe eſt fateri*, ait Fagn. in cap. ad hæc de Præbendis, *prædicta non ſolum differre nomine, ſed etiam re & ſubſtantia.* Unde Perſonatus a Canoniſtis communiter dicitur quædam prærogativa in Eccleſia ſine Juriſdictione, dum habet ſtallum in choro honorificum præ aliis. De Præbendis ſeu Beneficiis Notas hiſtoricas dabimus §. 1. de Dignitatibus & Perſonatibus §. 2. hujus Tituli.

§. I.
De Præbendis.

2. **B**Eneficium ſeu Præbenda, ait Du Cange in ſuo Gloſſario verbo *Beneficium*, ſcriptoribus mediæ ætatis dicitur prædium fiſcale, quod a Rege vel Principe, vel ab alio quolibet ad vitam Viro nobili utendum conceditur. Ita autem appellatum eſt, quod ex mero dantis beneficio ac liberalitate illud poſſideatur. Hæc ille. Qui & ibidem notat, quod & eodem pene ſenſu Latini hanc vocem uſurparunt, & prædia, quæ Principes militibus aliiſque largiebantur, beneficia appellarunt. Et hinc Beneficia & Feuda promiſcue uſurpantur in Jure Feudali. Præbendæ vero teſte Caſſiodoro Variarum lib. 3. Ep. 40. dicebantur ea, quæ ſive in veſtibus, ſive in alimentis, ſive in pecunia militibus præbebantur; ait enim: *Ducibus, ac Præpoſitis ſufficientem tranſmiſimus pecuniæ quantitatem, ut eorum Præbendæ, quæ non potuerunt cauvehi, ibi debuiſſent ſine alicujus diſpendio comparari.* Quemadmodum Beneficia & Præbendæ a militia ſæculari ad Clericalem translatæ ſint jam dicendum.

3. Quemadmodum ipſa naturæ, gentiumque lege, illi, qui Reipublicæ in negotiis temporalibus deſerviunt, ab ea competenter ſuſtentari debent; ita & hi, qui eidem in Sacris miniſtrant, ab ea convententer ſunt providendi.

Hanc legem humano generi innatam agnoverunt, atque executioni mandarunt omnes gentes, etiam barbaræ; eamque non quaſi novam, ſed jam in cordibus hominum ſcriptam inculcavit Deus in veteri teſtamento, Pauluſque promulgavit in novo, dum 1. ad Corinth. 9. v. 7. & ſeqq. ait: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? ſcriptum eſt enim in lege Moyſi, non alligabis os bovi triturantí. Nunquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? — Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacraria ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant? ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

4. Hanc Chriſti inſtitutionem naſcens ſervavit Eccleſia.

Admiranda ſunt, quæ hac de re leguntur Actor. 3. a v. 32. *Multitudinis autem credentium,* inquit ſacer textus, *erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia, — neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant. Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Et quamvis Apoſtoli, eorumque diſcipuli ut plurimum a jure vivendi ex Evangelio abſtinerent, ac opera manuum ſuarum ſe ſuſtentarent, id tamen non fecerunt, quaſi jure de Evangelio non poſſent vivere; contrarium enim inculcat Paulus Corinthiis l. cit. ſed ne puſillis ſiniſtram ideam ingererent, quaſi propter temporalem quæſtum Evangelium prædicarent; unde idem gentium Doctor ibi v. 12. ſubdit: *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos? ſed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.*

5. Communio bonorum, quæ quantum ad Laicos ob Eccleſiæ dilatationem non diu perſtitit, in Clero multis Sæculis perduravit, unde Præbendæ originem duxerunt.

Fideles Laicos primis Eccleſiæ Sæculis primitias, decimas, aliaſque oblationes alendis ſacris Miniſtris contuliſſe ex mox adferendis authoritatibus conſtabit; quin & domos, & agros, & hortos, & quidem ante Conſtantini M. tempora Eccleſiam poſſediſſe teſtatur Euſebius lib. 2. de vita Conſtantini c. 39. Quorum proventuum Oeconomus & Adminiſtrator ſupremus erat Epiſcopus, qui eos reliquo Clero, aliiſque indigentibus ad libellam juſtitiæ diſtributivæ elargiebatur.

6. Spor-

6. Sportulæ igitur ſive portiones, quæ ex communi maſſa oblatorum & poſſeſſionum tum Epiſcopo ipſi, tum alia reſpective Clericis pro rata cujuſque obveniebant, eorum primis IV. Sæculis erant Præbendæ.

Id atteſtatur Sæculo III. S. Cyprianus l. 4. ep. 5. *Cæterum Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & Sportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur.* Quo loco ſequentia notatu digna indicantur. *Primo*, Presbyteros opimiores, & uberiores ſportulas præ inferioribus Clericis retuliſſe; ſi tamen inferior Clericus ſpecialiter inſigniſſet fidem, Religionem, & induſtriam ſuam, illis in ſportulis ſubinde æquatum fuiſſe. Quod præmium S. Cyprianus conſtituit illuſtribus Lectoribus Celerino & Aurelio, his verbis: *Sportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur.* Secundo, diſtinctas fuiſſe diſtributiones Sportularum, quæ conſiſtebant in eſculentis &c. a diviſionibus menſurnis, quæ conſiſtebant in pecunia; prioribus ob naturam eſculentorum hebdomadatim factis, his vero menſiliter; unde idem Cyprianus Ep. 28. 66. *Interim ſe a diviſione menſurna cohibeant &c.* & Euſebius lib. 5. c. 28. commemorat Natalem Confeſſorem ab Hæreticis illectum fuiſſe, & Epiſcopalibus inſulis exornatum, depenſa *pecunia menſtrua* 150. nummorum argenti. Ex quo apparet menſtruas pecuniarias diſtributiones fuiſſe, eaſque non mediocris ſummæ. Hinc Tertullianus narrat ſuo tempore in Arcam Eccleſiæ ſtipem jactare ſolitos fideles ſingulis menſibus. Tertio, horum proventuum ſupremum diſpenſatorem fuiſſe Epiſcopum, qui eos per ſe vel per ſuos Presbyteros & Diaconos diſtribuebat. Unde canone Apoſtolorum 40. dicitur: *Præcipimus, ut Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ fidei ejus committendæ ſunt, multo utique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur, neque non cum timore Dei, ſummaque ſollicitudine per Presbyteros & Diaconos erogentur Pauperes. Percipiat autem & ipſe (ſi modo indiget) quantum ad neceſſarios ſuos, & hoſpitio exceptorum Fratrum uſus opus habet, ne quoquo modo ipſe poſteriori loco habeatur, quam cæteri.* Et in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 8. c. 31. ſancitur: *Benedictiones, ſive Eulogiæ, quæ in myſticis ſuperant, de ſententia Epiſcopi, aut Presbyterorum Diaconi diſtribuant Clero; Epiſcopo partes 4. Presbytero 3. Diacono 2. reliquis vero hypodiaconis, aut lectoribus, aut cantoribus, aut diaconiſſis partem unam.* Et cap. 30. *Omnes primitiæ offerantur Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis, ad eos alendos; omnis vero decima offeratur ad alendos reliquos Clericos & Virgines & viduas, & pauperes.* Qui Canones, & Conſtitutiones eſto nequaquam ſint Apoſtolorum (lib. 1. cit. o. N. 27. & 66.), cum tamen circa Sæculi IV. initium videantur ſenſim procuſi, utpote circa Sæculi V. medium jam certo exſtantes (ibi N. 59.) atque ex canonibus primorum Sæculorum conflati (ibi) eorum diſciplinam ex aſſe referunt.

7. Quamquam ex oblationibus Eccleſiaſticis Clerus imprimis participaret, eæ nihilominus ex mente Eccleſiæ pauperibus, aliiſque indigentibus una impertiebantur. Hiſce tamen Sæculis Epiſcopi nulla lege adſtricti fuerunt ad quaternam illam portionem, quæ Sæculo V. in Eccleſia Latina certo jam ſancita fuit, ut mox videbimus.

Quantum ad 1. p. Infirmos inter fratres ſportulantes numeratos fuiſſe, ſicut & Peregrinos conſtat ex ep. 24. lib. 4. S. Cypriani, ubi ait: *Infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis; ſed & peregrinis, ſi qui indigentes fuerint, ſumptus ſuggeratis, de quantitate mea propria, quam apud Rogatianum Compresbyterum noſtrum dimiſi; quæ quantitas ne forte jam univerſa erogata ſit, miſi eidem per Naricum Acolythum aliam portionem, ut largius & promptius circa laborantes fiat operatio.* Et lib. 1. ep. 10. *Quod ſi penuriam talis & neceſſitatem paupertatis obtendit, poteſt inter cæteros, qui alimentis Eccleſiæ ſuſtinentur, hujus quoque neceſſitas adjuvari.* Quo loco pauperes etiam inter fratres ſportulantes numerantur. Sed nec excluduntur Viduæ, quin principem locum inter eos, qui ex Gazophylacio Eccleſiæ alebantur, paremque cum Clero habebant; inde inter 1500. pauperes, quos Eccleſiæ ſtipe ſuſtentabat Cornelius Papa Sæculo III. Viduas præcipuo habitas fuiſſe loco narrat Euſebius lib. 5. c. 43. Inter Viduas vero cordi præcipue habebantur diaconiſſæ, de quibus egimus lib. 1. Tit. 11. N. 32. id quod conſtat ex Tertulliano, qui lib. de Virginibus velandis moleſtius tulit juniorem Virgunculam annorum 20. ab Epiſcopo quodam Viduarum, hoc eſt Diaconiſſarum albo inſcriptam fuiſſe, quæ anno 60. ætatis demum ex præcepto Apoſtoli ordinabantur. Ita vero ſtatuit Tertullianus, ſi ea incidiſſet Epiſcopo ſententia, ut Virginem illam Diaconiſſarum ſportulis honeſtaret, rationem illi quandam aliam ejus rei inveniendam fuiſſe, quæ minus a ſenſu & natura communi abhorreret. *Plane ſcio*, inquit, *alicubi Virginem in viduatu ab annis nondum 20. collocatam. Cui ſi quid refrigerii debuerat Epiſcopus, aliter utique ſalvo reſpectu diſciplinæ præſtare potuiſſet.* Sed nihil luculentius ad probandum, quemadmodum ab Apoſtolis, eorumque diſcipulis Eccleſiaſticarum Præbendarum tum illatio, tum diſtributio ordinata fuerit, adduci poteſt teſtimonio Juſtini Martyris, qui cum circa ſæculi II. medium vixerit, atque adeo Apoſtolicorum diſcipulorum diſcipulus ipſe fuerit, non potuit ab illis inductam, uſque roboratam diſciplinam non optime callere; Hic autem habet quantum ad præſens caput Apologia, quam pro Chriſtianis ſcripſit, ſecunda: *Cæterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt contribuunt; & quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur, atque inde ille opitulatur Viduis, pupillis, & his, qui propter morbum, aut aliam quamlibet cauſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus, & ut ſimpliciter dicam, indigentium is omnium Curator eſt.* Nomine Præpoſiti Epiſcopum intelligit Juſtinus, & Clericos ipſos gregi pauperum implicat, qui inde una vivebant, quod die Dominico celebratis myſteriis divites in corbonam voluntaria pietate miſiſſent. Aurea Eccleſiæ tempora! in quibus fideles Chriſtiani, fortuna uberiori fruentes, in erogandis hunc in finem divitiis, Præſules in iis debite diſtribuendis præcipuum ſibi officium conſtituere.

Secunda propoſitionis pars ex authoritatibus adductis elucet, in nulla ſiquidem earum largæ Epiſcoporum manus ad certam ſummam ſibi, Clero, Eccleſiæ fabricæ, pauperibus erogandam ligantur; quamvis horum omnium rationem ex Eccleſiæ praxi, offerentiumque intentione habere tenerentur, quemadmodum ex iiſdem authoritatibus conſtat. Quin certum eſt ex hiſtoria Eccleſiaſtica horum ſæculorum, Epiſcopos bene multos, ut exemplum darent Clero inferiori, charaque poſteritati, eoſque una erudirent, quam in Paſtorali officio conſtituti ſolo ac nudo amore Jeſu Chriſti concreditum ſibi gregem paſcere deberent, quemadmodum ille ex ſolo amore noſtri verbo & exemplo ſalutari nos omnes pavit, cætera vero honoris, ſuſtentationiſque adminiculo (juſtiſſime quidem atque ex naturæ divinæque legis præcepto iiſdem debita) inſuper habere; exemplo Pauli, aliorumque Apoſtolorum animatos, oblatis ab Eccleſia ſtipendiis non tantum uſos

non

non fuiſſe, ſed ſuas inſuper ſubſtantias in bonum Eccleſiæ expendiſſe, quæ res tam frequens videtur fuiſſe, ut præjudicium actus hi meræ voluntatis Ordini Epiſcopali vix non videantur attuliſſe; dicitur enim in conſtitutione Apoſtolica N. 6. h. t. allata; Percipiat autem & ipſe (Epiſcopus) ratem ſuam ex ſportulis, *Si modo indiget*. Quem vero fructum ex ſua hac œconomia retulerunt Sanctiſſimi illi Epiſcopi? Illum, quem etiam modo bene multi eorum *imitatores*: Coronam immarceſcibilem, & menſuram retributionis coagmentatam in cœlis, æmulationem in Grege ſibi concredito ad indicibilem ſatisfactionem Chriſti Salvatoris flagrantem, & apud poſteros famam optimi odoris perennem.

8. Ad Sæculi V. ſuprema quadripartita redituum Eccleſiæ diſtributio in Epiſcopum, in Clerum, in Eccleſiæ fabricas, & pauperes obſervata jam fuit in Eccleſia Latina.

Dico obſervata, quia decreta Gelaſii, & Simplicii Romanorum Pontificum mox referenda rem hanc non ſtatuunt, ſed jam ſtatutam ſupponunt, nec tamen ex aliquo alio antiquitatis monumento ejus Epoche conuelis determinata erui poteſt. Itaque Simplicius A. 475. Florentio, Equitio, & Severo Epiſcopis hæc ſcribit ep. 3. *Simul etiam de Reditibus Eccleſiæ vel oblatione fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat; ſed ſola ei ex his quarta portio remittatur; dua Eccleſiaſticis Fabricis, & erogationi Peregrinorum, & pauperum profutura, ab Onagro* (Bonagro) *Presbytero ſub periculo ſui Ordinis miniſtrentur; ultima inter ſe Clericis pro ſingulorum meritis dividatur.* Quem locum infra illuſtrabimus. Gelaſius vero ep. 9. ad Epiſcopos Lucaniæ paucis poſt Simplicium annis ſcripta cap. 20. hæc habet: *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Eccleſiæ facultas admittit, ſicut dudum rationabiliter eſt decretum, convenit fieri portiones; quarum ſit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta Fabricis applicanda.* Notet quidem Collector Conciliorum in margine ad hæc verba, Dudum rationabiliter eſt decretum *a Simplicio*; at ex verbis Simplicii relatis certiſſime conſtare nequit, eum hanc quadrifariam portionem primum ſanxiſſe; quin potius eorum tenor ſupponit rem hanc vel alterius Pontificis aut Concilii decreto, vel ipſo uſu & conſuetudine jam introductam. Obiter enim imprimis hanc rem & incidentaliter tractat. Et Gaudentium Aufinienſem Epiſcopum ob ſibi appropriatas triennio tres reliquas portiones ad reſtitutionem condemnat. Quod non eſt legem condere, ſed legem conditam executioni mandare. Verba Ep. ſunt: *ut tres illas portiones, quas per triennium dicitur ſibi tantummodo vindicaſſe, reſtituat.*

9. Eodem Sæculo V. ea quadripartita diſtributio in Orientalibus Eccleſiis non obſervabatur; ſed ſicut prioribus Sæculis, providentiæ & charitati Antiſtitis ſollicitudo hæc committebatur.

Id conſtat ex aperto teſtimonio Cyrilli Alexandrini, qui hoc Sæculo floruit, in cujus operum Tomo V. parte 2. pag. 211. hæc leguntur: *Male habet, magnaque triſtitia afficit ſanctiſſimos Epiſcopos, qui ſunt ubique terrarum, quod ſumptuum, qui illis eveniunt, diſpenſationis ratio ab iis exigatur, ſive ex Eccleſiaſticis reditibus, ſive ex fructu aliunde percepto. Unuſquiſque enim noſtrum dabit ſuarum malorum rationem omnium Judici. Vaſa enim pretioſa & poſſeſſiones immobiles oportet ſervari Eccleſiis; Epiſcopis autem, qui tunc temporis divinum Sacerdotium adminiſtrant, incidentium ſumptuum diſpenſationem ſecure credi.* Vaſa Eccleſiæ, ac bona immobilia Epiſcopos pro arbitrio diſtrahere non poſſe concedit Cyrillus; reditus ex bonis immobilibus & aliunde provenientes non poſſe negat. Cyrillo concinit Iſidorus Pelusiota, qui dum in Presbyteros, ſimul ac in Epiſcopum avaritiæ ſuæ ſordibus & rapinis inſiſtentem, excandeſcit, nullam mentionem facit Canonicæ portionis vel pauperum, vel quorumvis aliorum. Quæ œconomia in Eccleſia Græca, quoad ibi duravit communio bonorum, non videtur immutata.

10. Rationes præcipuæ, quæ Eccleſiam Latinam permoverunt, ut diſtributionem hanc quadrifariam introduceret, eaque charitati Epiſcoporum cancellos quodammodo poneret, fuerunt avaritia tum Epiſcoporum, tum eorundem Miniſtrorum, ipſiuſque Cleri participantis ſubinde inſatiabilitas.

Prior illa indicatur aperte in ep. Simplicii N. 8. h. t. relata, in qua Pontifex Gaudentio Aufinienſium Epiſcopo tres illas portiones, quas per triennium dicebatur ſibi tantummodo vindicaſſe, auferri jubet. Sed antiquiora hujus avaritiæ tum Epiſcoporum, tum Diaconorum, tum œconomorum occurrunt exempla, apud Thomaſſinum videnda, & ex conditione naturæ humanæ facile ſuſpicanda, quæ Eccleſiam Latinam ante Simplicium ad præſentem œconomiam poſt Sæculum IV. ineundam excitarunt. Secunda vero, quemadmodum ante Gelaſii tempora non inſolita fuiſſe videtur, ita & in ejus decreto N. 8. h. t. relato occurrit. Sic enim ſubjungit Pontifex: *De quibus, ſicut Sacerdotis intereſt integram Miniſtris Eccleſiæ memoratam dependere quantitatem; ſic Clerus* (Clericus) *ultra delegatam ſibi ſummam nihil inſolenter noverit expetendum.* Juſtitia igitur & pax Clerum inter & Epiſcopos ſe oſculatæ ſunt opitulantibus hiſce Eccleſiæ Latinæ conſtitutionibus.

11. Diſtributio hæc proventuum Eccleſiæ in quatuor partes, & Clericorum conſequenter in penu communitas perſeveravit Sæculo VI. VII. & VIII.

Pro Romana Eccleſia ad Sæculi ſexti finem & ſeptimi initium teſtem omni exceptione majorem habemus Gregorium M. qui lib. 1. ep. 64. munera Epiſcopi Meſſanenſis repudiat, ne quid decedat de Clerici portione. Et lib. 3. ep. 11. tam antiquos, quam novos reditus in quatuor partes dividi imperat. Et lib. 12. ep. 31. optatiſſimum habet, ut Clerici in communi poſſiderent omnia cum Epiſcopo, idque in Anglia ab Auguſtino Anglorum Apoſtolo inſtitui, ſervarique pervicit. Locum hunc Apoſtolici prorſus Pontificis, non poſſum mihi temperare, quin huc transferam; ſic autem ſonat: *Mos Apoſtolicæ Sedis eſt, ordinatis Epiſcopis præceptum tradere, ut de omni ſtipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones. Una videlicet Epiſcopo & Familiæ ejus propter hoſpitalitatem & ſuſceptionem; alia Clero; tertia vero pauperibus; quarta Eccleſiis reparandis. Sed quia tua fraternitas Monaſterii Regulis erudita ſeorſum vivere non debet a Clericis ſuis, in Eccleſia Anglorum hanc debet inſtituere converſationem, quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Legitur præterea idem S. Pater lib. 4. ep. 12. lib. 7. ep. 2. lib. 7. ep. 8. lib. 9. ep. 59. &c. Exemplum Gregorii I. Sæculo VIII. ſecutus eſt Gregorius II. qui cum Epiſcopos, Clericosque in Bavariam ablegaret, Evangelicæ ibi ſementis ſatores futuros; hanc illis ſimiliter inculcavit in 4. partes rerum omnium diviſionem: quarum quæ Clericorum erat, partienda rurſum fuit *pro ſuorum officiorum ſedulitate*, ut habet hujus Pontificis Capitulare. Eandem diſciplinam hiſce ſæculis viguiſſe in Hiſpaniarum, Galliæque Eccleſiis variæ horum Nationum produnt Conci-

 lia.

lia. Et quidem in Gallia Agathenſe Concilium Can. 8. portione ſua mulctat immorigeros, & officia Eccleſiaſtica minus frequentantes Clericos, Aurelianenſe vero I. A. 511. Can. 5. inquit: *Juſtiſſimum definimus, ut in reparationibus Eccleſiarum, eleemoſynis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur.* Quam conſtitutionem Canone 14. dicit in antiquis Canonibus, Sæculi nimirum V. fundatam. In Hiſpania Concilium Tarraconenſe Can. 8. ita ſancit: *Antiquæ conſuetudinis Ordo ſervetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo Diœceſano viſitentur* (Parochiales Eccleſiæ), *& ſi qua forte Baſilica reperta fuerit deſtituta, ordinatione ipſius reparetur. Quia tertia ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Epiſcopis, novimus ſtatutum.* Concordant aliæ Synodi. Habemus ergo laudatam diſciplinam in Italia, Gallia, Hiſpania, & Catholica Germania continuatam ope Romanorum Pontificum, & Conciliorum, ex quorum ſanctionibus illud quoque in aprico eſt, diſpenſationem bonorum Eccleſiaſticorum apud ſolus Epiſcopos reſediſſe.

12. Hac ſubſiſtente diſciplina tribus hiſce Sæculis quibuſdam Clericis in particulari terræ quædam ac prædia utenda concedebantur, quæ tamen poſt eorum mortem ad Epiſcopalem diſpoſitionem revertebantur. Atque ita paſſus quaſi unus a vita communi Clericorum ad modernas præbendas & beneficia ſeparata factus eſt.

Concilium Agathenſe A. 506. *Minuſculas res, aut Eccleſiæ minus utiles, peregrinis vel Clericis, ſalvo Jure Eccleſiæ, in uſum præſtari permittit.* Et citatum Aurelianenſe Can. 23. *Si Epiſcopus*, inquit, *humanitatis intuitu vineolas, vel terrulas Clericis & Monachis præſtiterit excolendas, vel pro tempore tenendas, etiamſi longa tranſiſſe annorum ſpatia comprobentur, nullum Eccleſia præjudicium patiatur, nec ſæculari lege præſcriptio, quæ Eccleſiæ aliquid impediat, apponatur.* Sed magis ad propoſitum facit ep. Symmachi Papæ, qui Sæculi V. fine poſt Gelaſium ſedit, refertturque a Gratiano 19. q. 1. c. 61. ſequenti tenore; *Poſſeſſiones, quas unuſquiſque Eccleſiæ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque diſtractionibus, vel ſub quocunque argumento non patimur; niſi forte aut Clericis bonorum meritorum, aut Monaſteriis Religionis intuitu, aut certe peregrinis, ſi neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen ut hæc ipſa non perpetuo, ſed temporaliter perfruantur.* Ex quo apparet Sæculi V. fine vitam Clericorum communem jam relaxari cœpiſſe. Quam relaxationem confirmavit Sæculo VI. pro Hiſpaniis Synodus Toletana II. Can. 4. & III. Can. 3. &c. quibus Clericis ſingularibus, ſeu Parochis prædiola & fundi *ad diem obitus* perfruendi conceduntur. Quin & Laicis in Eccleſiæ utilitatem concedebantur in uſumfructum Eccleſiæ prædia, poſt mortem poſſeſſorum vel alias eidem reſtituenda; ut patet ex Peregrinis in authoritatibus pro Italia, & Eccleſia Gallicana allatis, & pro Hiſpania ex Concilio IV. Toletano A. 633. cujus Canon 5. ita habet: *Decernimus, ut quiſquis Clericorum vel aliarum quarumlibet perſonarum ſtipendium de rebus Eccleſiæ cujuſcunque Epiſcopi percipit largitate &c.* Item pro Eccleſia Græca ex Conſtitutione Leonis & Anthemii, quam poſtea ſuo Codici inſeruit Juſtinianus lib. 1. de SS. Eccl. L. 14. ubi legimus: *Non minus, quam alterius tantæ quantitatis, quantæ acceperit reditus, cum ipſorum prædiorum Dominio, & rebus immobilibus, earum colonis & Mancipiis Eccleſiæ derelinquat* œconomus vel Arrendator laicus. De qua re Eccleſiæ Gallicanæ nihilominus non magnopere gratulandum fuit, eſto generaliter conceſſa fuerit ob patrimonii pauperum incrementum; cum ea illecebra increſcat Laici fundos ipſimet Eccleſiæ poſtea pene omnes occupaverint, & nomine beneficii diutiſſime retinuerint. De qua re vide, quæ diximus lib. 1. tit. 18. a N. 4. Interim ex relatis verbis tum Concilii Aurelianenſis, tum Symmachi ad oculum patet, admodum raras fuiſſe has conceſſiones, neque lege ordinaria, ſed tantum ex ſingulari aliqua neceſſitate, & ob ſingularia alicujus perſonæ merita factas.

13. Collatio illa terrarum ac prædiolorum Matrici Eccleſiæ per priora V. Sæcula in uſum communem Cleri fructificantium, ad Sæculi V. finem ſingularibus Clericis pro rata quaſi determinata ſui ſtipendii facta, atque per Sæculum VI. VII. & VIII. lentis paſſibus procedens, Sæculo denique IX. & ſequenti ſub Carolo M. ejuſque Regia proſapia notabilem incrementum cœpit, prædiis Eccleſiaſticis, eorumque redditibus Clericis, Canonicis, Xenodochiis, atque Eccleſiarum fabricis independenter ab Epiſcopali cura, & diſtributione aſſignari ſolitis. Unde quaterna illa redituum Eccleſiaſticorum partitio primis quatuor Sæculis ad arbitrium Epiſcoporum fieri ſolita, & Sæculo V. Legibus ſancita in re quidem perſeveravit, at aliam faciem ſortita eſt.

Prolixiorem hanc propoſitionem Doctiſſimus Thomaſſinus de beneficiis p. 3. lib. 2. per 4. capita fuſe probat, a capite nimirum 19. ad 22. Authoritates ab eo adductas huc tranſcribemus. Prius tamen ex eodem præclariſſimo authore advertimus, Sæculo IX. Clerum ab Epiſcopis in unum corpus congregari cœpiſſe, vitaque communi in victu, veſtitu, & dormitorio uſum fuiſſe. Quæ Congregationes dictæ ſunt Capitula Cathedralia ab Eccleſia cathedrali, in qua divinis ſervitiis vacabant, in Pſalmodia præcipue. Præter hæc vero Capitula, quæ communi cum Epiſcopo vel Præpoſito menſa utebantur, hoc & ſequenti Sæculo frequens fit mentio Canonicorum, quos Concilia tum a Canonicis ex Clero Cathedrali coadunatis, tum a Monachis aperte diſtinguunt, quique ſub Abbate vivebant, monaſticum tamen rigorem non experiebantur, nec erant Canonici Regulares ſimiles modernis, ſed, ut conjicit Thomaſſinus, olim Monachi ſub Regulis S. Columbani, Cæſarii, Aureliani, Benedicti, aliorumque, qui relaxata diſciplinæ Monaſticæ fibula cœperunt Clericorum potius agere vitam, quam Monachorum. Id quod urgentiſſimis authoritatibus probat idem p. 1. Lib. 3. c. 9. ubi etiam diſcrimen notat inter capitula Clericorum Sæcularium hoc Sæculo enata, & inter Clerum primitivum Cathedralem; quod Canonici olim dicebantur quicunque Presbyteri vel Clerici in Eccleſia tum Cathedrali, tum Collegiali, tum in Parochia quapiam agreſti agentes ex eo, quod Canoni, ſeu Matriculæ eſſent inſerti, ut ſtipendiorum eſſent participes; tempore vero jam Pipini, ſeu Sæculo VIII. adulto & Caroli M. non amplius ab illo Eccleſiæ Canone ſeu *Matricula*, cui inſcripti erant, ſed a Canone ſeu *Regula vitæ*, quæ ipſis ſervanda indicebatur. Qualem ipſis dedit Crodogangus Metenſis Epiſcopus, eorum primus Congregator. His ergo Capitulis tum iis, qui ſub Epiſcoporum, tum iis, qui ſub Abbatum regimine in communi vivebant, quam etiam ipſis Monaſteriis Epiſcopi de fundis Eccleſiarum præbendas reditusque ſtabiles ac pingues aſſignare conſueverunt. Id quod aperte teſtantur ejus ævi Hiſtorici; & Flodoardus quidem lib. 2. Chronici Rhemenſis c. 11. de Beato Rigoberto Rhemenſi Archiepiſcopo hæc ſcribit: *Sed & Canonicam Clericis Religionem reſtituit, ac ſufficientia victualia conſtituit, & prædia quædam illis contulit, nec non ærarium commune eorum uſibus*

bus inſtituit. Ad quod has villas delegavit Muſceſum, Poſeſum, &c. Eccleſiam quoque S. Hilarii cum Suburbio ad eam pertinente. Idem teſtatur Petrus Diaconus de Crodogango apud du Cheſne tom. 2. pag. 204. Ex cujus regulæ c. 42. & 43. conſtat, congregationi Canonicorum fuiſſe fundorum & proventuum ſatis ad ſui ſuſtentationem, quos ipſi adminiſtrarent: percepiſſe ipſosmet oblationes & eleemoſynas, quæ offerrentur ad miſſas, & ad cætera officia Eccleſiaſtica. Jubentur vero, ut decimas redituum & oblationum decerpant, conferantque Xenodochio Peregrinorum & pauperum, quorum curam agent, & quorum adminiſtrationi præficient unum ex Canonicis. Plura alia exempla corradit Thomaſſinus l. cit. e quibus munificentia Epiſcoporum in Canonicos utriuſque generis emicat, ſicut & in Monachos. Quamvis autem Canonici Clerici, ſeu ſæculares in communi viverent, quidam tamen eorum munera Parochialia in Eccleſiis Capitulis dictis adunatis obibant, earumque reditibus ſeparatim gaudebant, per quod poſterius a Monachis præcipue ſecernebantur. Unde in Aquiſgranenſi Concilio A. 816. Can. 115. dicitur: *Quia nihil ſibi proprium Monachi reliquerunt, manifeſtum eſt illos copioſioribus Eccleſiæ ſumptibus, quam Canonicos, qui ſuis & Eccleſiæ licite utuntur rebus, indigere.* Quamvis & Canonicis ſub Abbate conſtitutis, ſicut & Monachis ſuæ tunc fuerint incorporatæ Parochiæ cum proventibus ſuis. Unde in Capitulari Caroli Calvi pag. 422. dicitur: *De omnibus vero Eccleſiis, unuſquiſque Epiſcopus vel Abbas, de ſua ſolummodo poteſtate accipiant de Presbyteris, a quacunque plurimum ſolidos quinque, a qua minimum 4. denarios*, in ſubſidium nempe Regis contribuendos. Et B. Meinvercus Padarbonenſis Epiſcopus ſuis inædificatam fundis Parochiam *proprietario jure poſſidendam delegavit* Monaſterio a ſe conſtructo, ſervatis ſibi Juribus Epiſcopalibus, ut teſtatur Surius ad diem 5. Junii. Quas Eccleſias dum initio Monaſteria & Capitula vel in communi, vel per ſua membra adminiſtrarent, Canonicique ſæculares fructus earum in beneficium & præbendam conſtitutos haberent, dumque illas per ſe adminiſtrare non valentes, Presbyteros conductitios in hunc finem ſibi conſciſcerent, reſervatis ſibi juribus principalibus, inde enata eſt diſtinctio inter Paſtores ſeu Parochos primitivos & Vicarios. De quibus egimus lib. 1. tit. 18. Quantum vero ad ſarta tecta Eccleſiarum conſervanda, Laici, quibus beneficiario jure collati fuerant fundi Eccleſiæ, majoribus & minoribus obnoxii erant reparationibus. Id quod conſtat ex Concilio Arelatenſi VI. A. 813. cujus Canon 25. ita ſonat: *Ut ſi quis beneficium de rebus Eccleſiæ habet, ad tecta ejuſdem Eccleſiæ reſtauranda, vel ad ipſas Eccleſias ædificandas omnino adjuvet.* Concinit Concilium Moguntinum Can. 41. & ipſe Carolus M. Laicorum hac in re tergiverſationem Regia Authoritate fregit, ut narrat Eginhardus apud Du Cheſne tomo 2. pag. 100. & 129. Sed & Xenodochiis pro conſervanda hoſpitalitate, & alendis pauperibus fundos aliquos certos addictos, & ſegregatos fuiſſe jam innuimus. Et plura hujus rei occurrunt exempla; unum hic adjiciemus, quod memorat Flodoardus lib. 3. c. 10. ubi narrat Hincmarum Archiepiſcopum Rhemenſem Xenodochium a fundamentis excitaſſe, lautamque ejus dotationem, in fundorum inſtructione aliiſque conſiſtentem, ab Epiſcopis Provinciæ & ipſo Rege confirmari feciſſe. Ex allatis porro momentis propoſitio noſtra in apricum deducitur, ex iis ſiquidem conſtat, Clericos, pauperes, & Eccleſias determinatos fundos pro ſui ſuſtentatione independenter a cura & diſtributione Epiſcoporum habuiſſe, videlicet illa ſingulari, quæ primis V. Sæculis viguit. Subdit vero Thomaſſinus cit. c. 22. N. 8. *Sed ita diſtributis Eccleſiæ prædiis & fundis omnibus, & ſua pauperibus ſepoſita portione in Xenodochiorum conſtitutionem & dotationem. ua ſe tamen Epiſcopi, Abbates, & Beneficiarii proſus omnes abſolutos putent a pauperum cura gerenda, quaſi jam ſuperfluentes opes fas ſibi ſit in luxum, & vanas ſæculi delicias abligurire. Nam eo facta eſt illa fundorum Eccleſiæ diſtributio, ut ne jam ditiores Beneficiarii cogerentur ſuperfluos proventus ſuos in pauperes dilargiri, ſed ne pauperes ea ſaltem portione orbarentur, quam eis Canones expreſſius dicaverunt.*

14. Immutatio priſtinæ diſciplinæ circa Præbendas & Beneficia Eccleſiaſtica, quæ Sæculi V. fine levibus indulgentiis primum præformata, ſequentibus uſque ad Sæculum X. majus ſemper incrementum ſumpſit, alia quoque primævis moribus oppido adverſantia ſecum invexit; inter quæ notatu dignum eſt, quod hoc tempore Presbyteri Curati, ſeu Parochi hodiernam faciem adepti ſint: ſtabilitatem nimirum in beneficiis determinatis, & jus percipiendi proventus ſui beneficii independenter a diſpoſitione Diœceſani.

Imprimis enim cum jam paſſim Præbendæ fixæ dari ſolerent Parochis ad vitam ab iis perfruendæ, ſed poſt obitum Epiſcopi juri reſtituendæ, ita ut Presbyter defuncti Succeſſor eas de manu ejuſdem precario, & quaſi ex liberalitate recipere deberet; id demum incommodum viſum eſt, cœperuntque ſingulæ Eccleſiæ jus percipiendi proventus intra limites ſuarum Eccleſiarum ſuis Presbyteris independenter ab Epiſcopis vindicare; invaluitque tandem Juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem in Jure ad percipiendas decimas, oblationes, aliaſque proventus intra fines ſuarum reſpective Parochiarum provenientes. Quod quidem non uno tempore, nec ubique, aut aliquo conciliari decreto introductum, ſed paulatim de una ad aliam Eccleſiam tranſiliſſe notat Eſpenius; & ex dictis colligi poteſt. Videatur Titulus 33. de decimis h. lib. qui majori ex parte conſtat ex decretis Alexandri III. & Innocentii III. Romanorum Sæculi XII. & XIII. Pontificum, atque delineatam hoc N. Eccleſiæ diſciplinam, ceu fixam jam in univerſo Occidente repræſentat, præſertim c. 13. 26. &c. Secundo hanc Præbendarum inferioris Cleri a collectione & diſpenſatione Epiſcopi ſeparationem imitata ſunt Capitula tum Cathedralia, tum Collegiata, & quidem iiſdem paſſibus, citius nimirum ſeriuſque vitam communem, ad quam exeunte Sæculo VIII. collecta fuerant, deſerentia. De qua vitæ immutatione non adeo propitio calamo ſcribunt Sæculi X. & XI. tum zeloſi Antiſtites, tum alii Scriptores. Et quidem Trithemius ad An. 975. ſequentia narrat: *Sub Theodorico Archiepiſcopo Trevirenſi Canonici majoris Eccleſiæ ibidem abjecta vita regulari, quam huc uſque in eadem Eccleſia Majores eorum continuaverant, deſierunt eſſe regulares, & facti ſunt nomine & converſatione ſæculares. Quorum exemplo mala Canonici quoque S. Paulini Trevirenſes, Sancti Caſtoris in Confluentia, Moguntinenſes, Warmatienſes, Spirenſes, & complurium aliarum Eccleſiarum, diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt.* Sæculo vero XI. Gregorius VII. per litteras monuit Capitulum Lugdunenſis Eccleſiæ, reſignaſſe in manus ſuas Decanum Lugdunenſem obedientias & alia Beneficia, quæ citra conſenſum Capituli invaſerat: *Prudenti*, inquiens, *& ſalubri conſilio ductus obedientias Eccleſiæ, cæteraque beneficia, quæ ſine communi conſenſu Fratrum acquiſierat, in manus noſtras ſponte renuntiavit, &c.*

ſe ulterius non intromiſſurum promiſit. Lib. 6. ep. 36. Ex quo notabili loco confirmantur huc uſque dicta, Præbendas nimirum Capitulis ab Epiſcopis (quos ſundis ampliſſimis Imperatorum, Regum, Principumque ditaverat Religioſiſſima largitas) aſſignatos primum quidem fuiſſe particularibus communitatis membris vel ab ipſis Epiſcopis, vel ex communi conſenſu Capituli; ambitioſos vero avaroſque homines, earum illecebra illectos, eas ſibi ſubinde authore prætore vendicaſſe, quorum exempla dum aliis ideam non inferioris conditionis excitarent, communitatem tandem in fruſta diſcerptam fuiſſe, quod prius contigiſſe in Germania, quam in Galliis eu Trithemio colligi poteſt. Gallos tamen paulo poſt Germanos imitatos fuiſſe teſtatur S. Ivo Carnotenſis Ep. 60. in qua ad Sec. XI. finem ſcribit: *Quod communis vita in omnibus Eccleſiis pene defecit tam civilibus, quam diœceſanis, non authoritati, ſed deſuetudini, & defectui adſcribendum eſt, refrigeſcente charitate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea, quæ Dei ſunt & proximi, ſed tantum quæ ſunt propria*. Quamvis vero ex adductis authoritatibus conſtet, ſeparationem hanc Canonicorum a communi vita inter collabeſcentis diſciplinæ capita eſſe numerandam, namo tamen rei per tot ſæcolorum curricula inolitæ jam ſuccenſeat, eo vel maxime, quod plures nunc exiſtant Canonici, qui regularis vitæ exactitudinem ad amuſſim ſacrorum canonum omni ex parte adimplent. Id quod vel unicum Reverendiſſimum ſemperque fidele Capitulum Metropolitanum Pragenſe (ut nulli alteri invidiam cauſem) ſatis ſuperque demonſtrat. Tertio ex eadem beneficiorum diviſione fontaliter orta eſt diſtinctio inter beneficia *Regularia & Secularia*, quam Epiſcoporum in Monaſteria largitas ſuperius notata introduxit, & continuata per Regulares adminiſtratio Præbendarum conceſſarum firmavit. Invaluit denique IV. beneficiorum plurium uſurpatio, ſæculis illis, quibus Clerici ex communi penu Eccleſiæ vivebant, admodum rara, utpote illecebris ſeparatorum proventuum deſtituta. Hinc Concilium Pariſienſe A. 829. can. 49. ait: *Avaritia ſane, quæ eſt Idolorum ſervitus, quod non ſine magna pudore proſequimur, quaſdam invaſit Presbyteras; —— hi namque ignibus avaritiæ æſtuantes —— datis quibuſdam Xeniis, aut pollicitis, non ſolum a Clericis, verum etiam a Laicis, alias Baſilicas contra fas ad Chriſti famulatum peragendum ſuſcipiunt*. Qui abuſus ſequentibus Sæculis, & in Gallia Sæculo XII. adeo invaluit, ut teſte Alexandro III. cap. 15. h. t. præ multitudine delinquentium emendari non poſſet. Saluberrima tamen remedia eidem exſtirpando tum ab eodem Sapientiſſimo Pontifice, tum a ſuis Succeſſoribus præſcripta ſunt. Quibus tamen non obſtantibus identidem recrudnit peſtiferum malum, atque circa tempus Tridentini Concilii altas denuo radices fixit, quibus ſecurim ſaluberrimam iteratis vicibus appoſuerunt zeloſiſſimi Patres, ut ex parte vidimus Titulo præcedenti.

§. II.
De Dignitatibus & Perſonatibus.

15. QUid ſit dignitas, quid Perſonatus, oſtendimus N. 1. h. t. Ex hac vero definitione liquet ante erectionem Capitulorum modernorum, quæ Sæculo IX. contigit, ut N. 13. vidimus, dignitatum nomen hoc modo ſumptum incognitum omnino fuiſſe.

Cum enim primis Eccleſiæ Sæculis, nondum exortis beneficiorum Titulis, per ſolam Ordinationem Clerici Miniſteriis Eccleſiaſticis applicarentur; ipſaque Eccleſiaſtica munera ipſis Ordinibus annexa eſſent, atque per ipſam Ordinationem Jus percipiendi proventus Eccleſiaſticos ex caſſa communi conſequerentur, uti vidimus hoc Titulo §. 1. omnis quoque prærogativa, & præeminentia a dignitate Ordinum petebatur, iſque major in miniſterio Eccleſiaſtico cepurabatur, qui major erat in Ordine. Et quamvis inter Diaconus Cleri Cathedralis emineret Archidiaconus, inter Presbyteros Archipresbyter, inter Clerum inferiorem Primicerius vel Primi-Clerus, hæc tamen omnia, ſicut & munia Sacriſtæ, Cuſtodis &c. mera erant Officia, non dignitates aut Perſonatus modernis ſimiles. De quibus omnibus vide, quæ diximus lib. 1. Tit. 21. 23. 25. &c.

16. Ad hæc, quamdiu Canonici Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum in communi quaſi Regulares vixerunt, nomen dignitatis vix notum fuit.

Vita enim communi durante pleraque, quæ hodie pro dignitatibus reputantur, nec dignitates fuerunt, nec beneficia, ſed ſimplicia officia, quæ a ſuperioribus pro arbitrio committebantur, & adimebantur, ut infra ex principalibus dignitatibus apparebit.

17. Dignitates igitur & Perſonatus Capitulorum ad eum, quo nunc vigent modum, inſtitui cœperunt eo tempore, quo Canonici a vita communi ad ſingularitatem delapſi ſunt.

Sicut enim tunc beneficia ſingularibus perſonis in perpetuum perfruenda dabantur, hiſque beneficiis annexa fuit dignitas & præeminentia; ita qui hæc beneficia obtinebant, perpetuum Titulum dignitatis aſſequebantur. In quo conſiſtit eſſentialis diſtinctio dignitatis a nudo officio, quod eu natura ſua movibile eſt; unde Vicarius Generalis non cenſetur habere propriε dignitatem, eſto in multis præeminentiam & Juriſdictionem habeat, eo quod omnis ejus Juriſdictio, & ex hac profluens præeminentia ſit duntaxat vicaria, ad nutum revocabilis. Quemadmodum autem dignitates circa Sæculum XI. quo ſeparatio dicta contigit (N. 14. h. t.), ortum & progreſſum habuerunt; ita & Perſonatus, cum teſte Eſpenio p. 2. Juris Eccl. Univ. Tit. 17. c. 2. ante hoc Sæculum nulla hujuſmodi Perſonatus mentio occurrat. Qui & ibidem ſubdit: *Sub id tempus Clerici nonnulli Eccleſiarum Perſonæ dici cœperunt; illi nimirum, qui Eccleſias, etiam Parochiales obtinebant, ſed curam animarum, totumque ſpirituale officium alicui Presbytero, quem Vicarium ſuum dicebant, committebant. Hi enim Eccleſias obtinentes, & Titulum ſine Officio retinentes, proventus Eccleſiarum percipiebant, atque certam quoque prærogativam, quemadmodum etiam nonnunquam in Capitula & Monaſteria ſub qualitate Paſtorum primitivorum retinuerunt, & Perſonæ Eccleſiarum dicti ſunt, nihil præter proventus aliquos, & certa honoris inſignia retinentes*. Hi Perſonatus cum dignitatibus in Decretalibus ſubinde confunduntur, ſubinde contra eas diſtinguuntur; & revera rigoroſe loquendo ab iis diſtingui debent, ut N. 1. h. t. ex Fagnano advertimus, quamvis de conſuetudine alicubi ſit dignitas, quod alibi eſt Perſonatus, ut l. cit. advertit Eſpenius.

18. Dignitates Capitulorum præſcindendo a Cathedralibus & non Cathedralibus ſunt Præpoſitura, Decanatus, Primiceriatus, Scholaſteria, & Theſaurariatus, cum Canonico Theologo; Capitulorum vero Cathedralium Archidiaconatus, Archipresbyteratus, cum Pœnitentiario.

Numeramus inter dignitates allata Officia, non quaſi omnia ubique dignitatis prærogativam ſint aſſecuta, ſed quia nullum exiſtit, quod alicubi inter dignitates non numeretur. De omnium autem origine &c. præterquam de Præpoſitura &

Deca-

Decanatus, jam egimus lib. 1. Tit. 22. 23. & ſeqq. Supereſt itaque hic ſpecialius de his duobus tractandum.

19. Præpoſiti nomen & officium e Monaſteriis ad Capitula ſæcularia traductum eſt, ſicut & illud Decani.

Quod Præpoſitos attinet, illi Sæculo VI. erant in Monaſteriis Benedictinis, qui tum fere ſoli erant Monachi Occidentis, quaſi ſecundi Abbates, id quod colligitur ex Regula S. Patris c. 65. ubi ait: *Sæpius contingit, ut per Ordinationem Præpoſiti ſcandala oriantur, dum æſtimantes ſe ſecundos Abbates diſſenſiones faciant &c.* Ad Præpoſitum teſte S. Iſidoro lib. 1. etymol. c. 1. Sæculo VII. pertinebat *ſolicitudo Monachorum, actio cauſarum, cura poſſeſſionum, ſatio agrorum, plantatio & cultura vinearum, diligentia legum, conſtructio ædificiorum, opus Carpentariorum, & Fabrorum.* Eorum quoque meminit Gregorius M. lib. 2. ep. 3. & alibi. De Decanis vero diu ante S. Benedictum Hieronymus & Caſſianus meminerunt, quibus Abbas commendabat regendos Monachos 10. unde & Decanorum nomen meruerunt. Agit de illis etiam S. Auguſtinus de moribus Eccl. lib. 1. c. 31. inquiens. *Opus ſuam tradunt eis, quos Decanos vocant, eo quod ſunt decie Præpoſiti.* Et S. Benedictus in ſua Regula: *Per Decanos ordinetur omnis utilitas Monaſterii; ut dum pluribus committitur, unus non ſuperbiat.*

20. Sub imperio Caroli M. Præpoſiti & Decani a Monaſteriis ad Capitula ſæcularia traducti ſunt.

N. 13. h. t. obiter adnotavimus Crodogangum Metenſem Epiſcopum Clerum ſæcularem in communitatem congregaſſe, formæque Capitulorum præſentium Sæculo IX. fundamenta jeciſſe. Conſtat autem ex ejus regula his Congregationibus præſcripta, ipſum eam ad normam Regulæ S. Benedicti effinxiſſe, ac contemperaſſe; & conſequenter Capitulis Cathedralibus & Collegiatis Præpoſitos ſimiles Monaſteriorum dediſſe; uti aperte colligitur ex Capitularibus Caroli M. l. 1. c. 88. ubi habetur: *De his, quos Præpoſiti Canonicorum aut Monachorum ordinandos expetierint, eadem forma ſervanda eſt.* Erant quoque vi ejuſdem Regulæ in dictis capitulis Decani Capitulares, Archipresbyteri, de quibus egimus lib. 1. T. 24 ſimiles, & quidem plures, in quos eminebat Juriſdictio & poteſtas Præpoſiti. De quibus intelligenda ſunt, quæ ſcribit Ebbo de Rhemenſi Capitulo: *Cujus etiam* (Præpoſiti) *prudentiſſima circumſpectio Decanis ſibi ſuppoſitis invigilare debet: ne unus quidem a maximo ad minimum ubſque ejus conſcientia, & licentia unius diei ſpatio nequaquam ab officii ſui loco deſit.*

21. Horum prærogativæ, dum vita communis inter Canonicos vigebat, mera erant Officia ad nutum Epiſcopi amovibilia.

Quantum ad Præpoſitos id conſtat ex can. 138. Concilii Aquiſgranenſis ſub Ludovico pio, ubi habetur: *Oportet Eccleſiæ Prælatos, ut de congregatione ſibi commiſſo tales eligant boni teſtimonii fratres, in quibus onero regiminis ſecure poſſint partiri; quibus etiam talem conferant poteſtatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonica cenſura corrigere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare.* Et de Præpoſitis ſimul atque Decanis Monaſteriorum idem Conventus Aquiſgranenſis can. 55. & 56. A. 817. ſtatuit: *Ut Præpoſitus, Decanus, Cellarius de eorum Monaſterio, niſi cauſa neceſſitatis, vel utilitatis non removeantur.* Ad quorum normam cum inſtituti tum eſſent Præpoſiti, Decanique Capitulorum ſæcularium, eos merum obiiſſe officium in aprico eſt. De quibus pro coronide hujus Tituli audiatur doctiſſimus Thomaſſinus p. 1. lib. 3. c. 66. N. 7. hæc ſcribens: *In Regula Canonicorum cap. 10. Crodogangus unum eundemque donat nomine, dignitate, & poteſtate Archidiaconi, Præpoſiti, & Primicerii.* Qui Archidiaconus, vel Primicerius &c. qui Archidiaconus vel Præpoſitus &c. *Archidiacono ſane eodem commendata poteſtas fuerat in omnes unius Eccleſiæ Clericos, nondum tunc in communis vitæ ſocietatem devinctos, quæ poſtea credita eſt Præpoſitis, poſt congregationes Clericorum inſtitutas. Itaque primum Archidiaconi & Præpoſiti officia conjuncta in unum fuere, quæ ſejuncta deinde fuere, ut eſſet penes Præpoſitum Juriſdictio in omne capitulum, penes Archidiaconum autem priſca in alios omnes totius diœceſeos Clericos Authoritas. Itaque præpoſitura Capitulorum velut decerpta fuit portio quædam Archidiaconatus: ita ut Præpoſiti deinceps Vicarii fuerint Epiſcoporum, & eorum Juriſdictionis adminiſtri in Canonicos, ſicut Archidiaconi.* (& poſt ipſos Vicarii Generales) *in Clericos cæteros omnes Diœceſeos.* In quibus pulcherrime relucent antiqua officia Archipresbyteri & Archidiaconi Eccleſiæ Cathedralis. Addit denique Regula Crodogangi ibi: *Si quo ſe graviori flagitio obſtrinxerit Archidiaconus, vel Præpoſitus, ab Epiſcopo utrumque exauthorari debere, aliumque ſubſtitui.*

T I T U L U S XXV.

De Peculio Clericorum.

1. SAltum grandem facimus a Titulo V. hujus Libri ad Titulum XXV. excuſabilem tamen, cum intermedii Tituli commentationem hiſtoricam vel prorſus non admittant, quales ſunt illi de variis contractibus prænotati, vel quidquam ſingulare non habeant, quod in prioribus non ſit jam delineatum; quin & paſſum commodum, ob materiæ hujus Tituli cum prioris connexionem, ac dependentiam; in priori ſiquidem Titulo Eccleſiæ œconomiam circa ipſas præbendas Eccleſiaſticas luſtravimus; nunc videndum, quid per ſucceſſionem Sæculorum ſenſerit circa Jus ipſum Clericorum in proventus ex dictis præbendis iiſdem obvenientes. Quam commentationem momentoſæ Quæſtioni, *An Beneficiati ſint Domini fructuum ſuperfluorum,* ab Eccleſia necdum deciſæ, lumen aliquod allaturam in Domino confidimus, eo quod nullo partium, ſed inveſtigandæ veritatis ſtudio abrepti, eam aggreſſi fuerimus, quid nobis nihilominus veroſimilius videatur, ſubinde indicentes.

2. Inſcribitur autem præſens Titulus *de peculio Clericorum*, quamvis in capitulis ſubjectis nomen peculii non occurrat, ſed id unum fere caveatur, ut ſi quæ poſt ordinationem ex rebus Eccleſiæ, vel occaſione Eccleſiæ Clericis obvenerunt, vel Clerici acquiſiverunt, ad Eccleſiam tanquam ad eam pertinentia revertantur. *Admodum autem veriſimile eſt,* inquit Van-Eſpen p. 2. Juris Eccl. Tit. 32. c. 1. *rebus Eccleſiæ, quæ Clericis ad uſum conceduntur, nomen peculii inditum fuiſſe, poſtquam facta beneficiorum erectione ipſa bona Eccleſiæ in quaſdam portiones ſingulis titulis annexas dividi, & a communi maſſa bonorum Eccleſiæ ſeparari cœperunt; atque tum demum hoc nomen iis inditum fuiſſe exemplo peculii, quo Ro-*

mani

mine ſignificabant omne id, quod Servus Domini permiſſu ſeparatum a rationibus dominicis habet. L. 5. ff. *de peculio*. De qua diviſione late egimus Titulo 5. hujus Libri.

3. Hæc autem diviſio bonorum Eccleſiaſticorum lapis eſt quaſi lydius utriusque contrariæ ſententiæ circa propoſitam quæſtionem: nam qui affirmant Beneficiatos eſſe veros Dominos fructuum ſuperfluorum beneficialium, (de his namque princeps eſt difficultas, non de Patrimonialibus, aut aliunde quam intuitu Eccleſiæ acquiſitis, de quibus nulla; aut de quaſi patrimonialibus, ſeu fructibus ſtolæ &c. aliisque inſtabilibus, vel de Parſimonialibus, de quibus ſeveriores quidam negative ſentiunt) equidem concedunt Epiſcopos ante bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem non fuiſſe dominos maſſæ Eccleſiaſticorum proventuum, ſed meros diſpenſatores, qui quod ſuæ ſuſtentationi competenti ſupererat, ex intentione largientium in reliquos Miniſtros, aliosque pios uſus diſtribuere tenebantur, & quidem ex juſtitia, eo quod non alia intentione a fidelibus gazophylacio Eccleſiæ collata fuerint; at facta horum bonorum diviſione, & tam Epiſcopo, quam inferioribus Clericis, atque Eccleſiarum fabricæ, nec non pauperibus aſſignata determinata portione, negant hi, petorgantque ſuperflua ex portione Epiſcoporum, vel inferiorum Beneficiatorum in pios uſus *ex juſtitia*, adeoque ſub onere *reſtitutionis* eſſe applicanda. Videturque ipſis ſatis favere D. Thomas tum 22. q. 185. A. 7. in (-) tum Quodl. 6. q. 7. A. 14. ad 3. ubi ait: *Ad 3. dicendum, quod bona Eccleſiaſtica non ſolum ſunt diſpenſanda pauperibus, ſed etiam Eccleſiæ Miniſtris: unde ſecundum Canones debeat dividi hoc modo, ut aliqua pars cedat in uſus pauperum, & aliqua in uſus Miniſtrorum, & in cultum Eccleſiæ. Aliter ergo dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitati Miniſtrorum, ſicut ſunt bona hoſpitalium, & aliorum hujusmodi: & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus Miniſtrorum, ſicut ſunt præbendæ Clericorum, & alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus abſumit, quod eſt alterius; & ideo tenetur ad reſtitutionem tamquam defraudator rei alienæ. In ſecundis vero bonis non committitur peccatum niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt; unde non tenetur aliquis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.* At alii, qui negant beneficiarios, etiam poſt aſſignatas ſingulis determinatas portiones, eſſe veros Dominos eorum, quæ ex his portionibus ſuperſunt, conſtanter affirmant, Eccleſiæ ſenſum etiam poſt hanc immutationem diſciplinæ invariatum permanſiſſe, ut ſicut Epiſcopus ante illam ſuperflua ex communi maſſa *ex juſtitia* tenebatur in uſus pios convertere, ita & poſt illam quilibet Beneficiarius idem *ex juſtitia* de ſuperfluis ſuæ portionis teneatur facere; ita quidem, ut aliqui hoc non tantum extendant ad ſuperflua in fructibus ſtricte beneficialibus, quales ſunt ſtabiles proventus fundorum Præbendalium, ſed etiam ad ſuperflua redituum ſtolæ, ſtipendiorum Miſſæ, Concionum, Capellaniarum etiam aulicorum, & bonorum Parſimonialium; uno verbo omnium, quæ Clericus quiscumque *intuitu* Eccleſiæ obtinet. Hancque ſententiam dicunt eſſe Doctorum omnium æræ Chriſtianæ uſque ad recentiores Scholaſticos, quos ajunt rationi nimium fidentes, officiumque ſpirituale Clericorum ad Mercenariorum temporalium decempedam metientes, nec intentionem Eccleſiæ fundatorumque cordi habentes, adeoque in ipſo quæſtionis limine offendentes contrariam opinionem procudiſſe, æternæ totius Cleri ſaluti adeo periculoſam. Quid Patres aliaque Eccleſiaſtica monumenta de hac re habeant, cum grano ſalis referemus.

4. Ab Eccleſiæ incunabulis uſque ad diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum Sæculo V. factam certum eſt, Epiſcopos ex mente Eccleſiæ, & fidelium Benefactorum non fuiſſe Dominos maſſæ communis Eccleſiaſticæ, ſed tota quanta ex iiſdem intentionibus eroganda fuit in uſus pios ex juſtitia.

Hanc propoſitionem adſtruunt illæ authoritates, quas hoc lib. tit. 5. a N. 6. uſque ad 8. adduximus. In quibus equidem diſpenſatio bonorum Eccleſiæ arbitrio Epiſcopi permittitur, ſed una ſeveriſſime præcipitur, ne in alios, præterquam pios uſus ſacra illa ſubſtantia convertatur, quo, & non alio fine a fidelibus fuerat in corbonam miſſa. Id quod pro his ſæculis adhuc confirmari poteſt ex S. Proſpero, vel, ut alii volunt, ex S. Juliano Pomerio lib. 2. de vita contemplativa c. 39. ubi poſtquam narravit, quomodo S. Paulinus Epiſcopus Nolanus, & S. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis omnia ſua contempſiſſent, & pauperibus erogaſſent, antequam ad Epiſcopatum venirent, infert: *Unde datur intelligi, quod tanti ac tales Viri, qui volentes fieri Chriſti Diſcipuli renuntiaverunt omnibus, quæ habebant, non ut Poſſeſſores, ſed ut Procuratores facultates Eccleſiæ poſſiderent. Et idcirco ſcientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ*, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum, *non eas vindicarunt in uſus ſuos* ut proprias, *ſed ut* commendatas *pauperibus diviſerunt*.

6. Eadem intentio Eccleſiæ & Fundatorum poſt diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum factam, & portionem ſuam ſingulis aſſignatam non fuit immutata.

Id adeo verum eſt, ut ipſi Patroni affirmativæ ſententiæ fateantur, Beneficiarios non poſſe ſine gravi peccato fructus ſuperfluos abligurire, adeoque habere dominium eorum reſtrictius, quam ſæculares ſuorum. Id quod inferius amplius patebit ex denegatione teſtandi de bonis intuitu Eccleſiæ perceptis, Clericis conſtanter facta. Et certum eſt, ne unum quidem fidelium ſuam ſubſtantiam Eccleſiæ ſive ante, ſive poſt diviſionem bonorum factam ea mente contuliſſe, ut Clerici inde luxurioſe lauteque vivere, atque conſanguineus ſuos &c. ditare valeant; nec unquam Eccleſia has oblationes eo animo videtur ſuſcepiſſe, quaſi eſſent *merces*, cujus lucrandæ & appropriandæ cauſa ſui Miniſtri ſpiritualia miniſtrare deberent populo; ſed nude tamquam *neceſſariam ſuſtentationem*, ſine qua Evangelii Miniſtri, qui temporalibus lucris faciendis renuntiaſſent, non poſſent ſubſiſtere; nec facile perſuadebitur, fideles vel ipſam Eccleſiam contrariam intentionem unquam habuiſſe. Unde & poſt factam ſæculo V. horum bonorum diviſionem uſque ad ipſam compilationem decretalium res Eccleſiæ, vel intuitu Eccleſiæ acquiſitæ, vocantur vota fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia Chriſti ac pauperum. Et quidem Sæculo VI. ſynodus Matiſconenſis Can. 4. ait: *ut qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Eccleſiæ conferuntur, retinent, veluti Retentatores Eccleſiæ aut egentium necatores ab Eccleſiæ liminibus arceantur*. Et S. Gregorius ejusdem Sæculi fine vel VII. initio lib. 5. ep. 55. monet Protaſium Aquenſem Epiſcopum, ut Virgilio Arelatenſi dicat: *ut Penſiones, quas prædeceſſor ejus per annos plurimos de Patrimonio Romanæ Eccleſiæ percepit, & apud ſe retinuit, ad ſe, quia pauperum res ſunt, ſtudeat deſtinare.* Non dubitavit ergo S. Gregorius Patrimonium Eccleſiæ Romanæ dicere *res pauperum*. Et in ep.

57. ad

57. ad Arigium Galliæ Patricium ſcribit: *Præterea filium noſtrum Candidum Presbyterum, quem ad gubernationem Patrimonioli Eccleſiæ noſtræ, quod illic eſt, tranſmiſimus, vobis per omnia commendamus, confidentes a Deo noſtro vos mercedis vicem recipere, ſi rebus* pauperum *ſolatia ſua gloria veſtra devota mente præſtiterit.* Sive ergo res Eccleſiæ ſuæ repetat, ſive tuitionem earum commendet Gregorius, eas non niſi ut *res pauperum* conſiderat. Eandem definitionem bonorum Eccleſiaſticorum tanquam notum & ex traditione Patrum receptam retinuit Eccleſia tempore Caroli M. ejusque Succeſſorum, uti in eorum Capitularibus notatur, ac ſignanter lib. 2. c. 77. item lib. 5. c. 208. & in additione 3. c. 1. editionis Baluzianæ, ubi leguntur hæc verba relata a Gratiano 16. q. 1. c. 59. *Quia juxta SS. Patrum Traditionem novimus res Eccleſiæ* vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum, *cuique non ſolum habita conſervare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus.* Idem ſentiunt Concilium Turonenſe A. 849. in Synodica ad Nomenioum Ducem Britonum. Valentinum item A. 855. Can. 21. ad antiquorum Patrum ſententiam provocans. Similia & in Synodis & in authoribus iſtius & ſequentium Sæculorum plurima occurrunt. Quin & Sæculo XII. exclamat S. Bernardus: *Res pauperum non pauperibus dare par ſacrilegii crimen eſſe dignoſcitur. Sane Patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum.* Et circa idem tempus Petrus Bleſenſis ep. 15. ad Carnotenſem Epiſcopum ſcripſit: *Si te illius Diſcipulum profiteris, qui venit miniſtrare, non miniſtrari, ſic miniſtrabis pauperibus, ut non vituperetur Miniſterium tuum,* ut Patrimonium Chriſti & Pauperum ejus, *quod tibi commiſſum eſt, in egentium neceſſitates, non in uſus extraordinarios expendatur.* Concordat ex aſſe eodem Sæculo XII. Gratianus hanc quæſtionem 12. q. 3. 4. & 5. ex profeſſo tractans, atque Conciliorum decreta bene multa congerens in id conſpirantia, uxores Patrimonii beneficiarios nil poſſe acquirere, niſi Eccleſiæ nomine, nihil largiri. Ubi admonet doctiſſimus Thomaſſinus p. 3. 2. lib. c. 16. N. 2. *Ævo Gratiani uſu & moribus adhuc viguiſſe antiquos Canones, atque adeo ſeneſcente jam ſæculo XII. perſuaſiſſimum adhuc fuiſſe, nil proximis dimitti poſſe earum pecuniarum, quas ex reditibus ſacris cujusque parcimonia ſegregaſſet, vel fundorum his pecuniis emptorum.*

7. Capitula hoc Titulo in Decretales Gregorii Papæ IX. Sæculo XIII. relata eundem ſenſum Eccleſiæ & fidelium fundatorum circa bona beneficialia confirmant.

Sic enim habet cap. 1. *Inveſtigandum eſt, ſi nihil Patrimonii habens Presbyter, quando promotus eſt ad Eccleſiaſticum Ordinem, poſtea emerit prædia, cujus Juris ſint? quoniam Eccleſiæ, ad quam nihil habens promotus eſt, eſſe debent juxta* Canonicam *authoritatem*; & ſecundum: *Presbyter cum Diœceſim tenet, de eis, quæ ſuperemerit, ad ipſius Eccleſiæ nomen ſcripturam faciat, aut ab ejus ordinatione diſcedat.* Tertium item: *ut unusquisque Presbyter res, quas poſt dies conſecrationis acquiſierit, propriæ Eccleſiæ relinquat.* Quartum denique: *inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit: quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus Eccleſiaſticis debet. Quoniam hoc Sacrilegium eſt, & par crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat, & furabatur.* Accedit cap. 9. de teſtamen. ubi Alexander III. reſpondet Vigilenſi Epiſcopo: *Quod licet Clerici de his, quæ paternæ ſucceſſionis vel cognationis intuitu, aut de artificio ſunt adepti, ſeu dono conſanguineorum, aut amicorum non habito reſpectu ad Eccleſiam pervenerunt ad ipſos, libere diſponere valeant; de his tamen, quæ* conſideratione Eccleſiæ *perceperunt, nullum de jure facere poſſunt teſtamentum.* Quibus authoritatibus permoti rigoroſiores Canoniſtæ fidenter concludunt, Clericos non tantum non eſſe Dominos bonorum ſuperfluorum beneficialium, ſeu eorum, quæ conſiſtunt in reditibus ſtabilibus, ſed neque Parſimonialium, ſeu quæ ſengalius vivendo ſibi congregant, quin nec bonorum quaſi Patrimonialium, ſeu redituum inſtabilium ratione ſtolæ, Celebrationis Miſſæ, Concionum, Capellaniarum bellicarum, vel aulicarum obvenientium, eo quod hæc omnia accipiant *conſideratione Eccleſiæ*; cujus intentionem tum ante, tum poſt bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem fuiſſe, ut ea non aliter, præterquam in pios uſus expendere valeant, ex allatis huc uſque authoritatibus, aliisque ſimilibus prætendunt. Quin adjunt, quod ſi Epiſcopus vel alius Clericus beneficiatus ea habeat bona Patrimonialia, ut ex iis ſufficientes ſuſtentari poſſit, nec hunc, nec illum Eccleſiaſticos proventus in ſuos uſus convertere poſſe. Id quod probare nituntur ex Canone 40. Apoſtolorum, quem ſupra T. V. N. 6. retulimus. Item ex Canone 25. Antiocheno apud Gratianum cauſa 12. q. 1. c. 22. 23. 24. in quibus permittuntur Epiſcopis ſtipendia Eccleſiæ cum ea reſtrictione, *ſi modo indigeant.* Præterea ex S. Auguſtino ep. 185. ad Bonifacium apud Gratianum cauſa 23. q. 7. c. 3. ubi ait: *Quæ tamen* (bona Eccleſiarum), *ſi pauperum* compauperes *ſumus, & noſtra ſunt & illorum: ſi autem* privatim, *quæ nobis* ſufficiunt, *poſſidemus, non ſunt illa noſtra,* ſed pauperum, *quorum procurationem quodammodo gerimus, non* proprietatem *nobis uſurpatione damnabili vindicamus.* Unde id, quod Auguſtinus de Epiſcopis ſui temporis, ſeu ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum edixit, poſt eorum diviſionem de omnibus Clericis pronuntiavit Dionyſius Carthuſianus, qui floruit Sæc. XV. in Tractatu contra pluralitatem beneficiorum Art. 14. inquiens: *Bona Eccleſiæ ſunt ſtipendia Miniſtrorum ejus* indigentium *hujusmodi bonis. Quid ſi eis* non egeant? *non ſunt* capaces *talium bonorum ad proprium uſum. Veruntamen ſerviendo Eccleſiæ faciunt hujusmodi bona eſſe ſua, ut ea indigentibus pie diſpenſent, non ut ſibi theſaurizent, poſſideant, & immoderate ſeu abſque neceſſitate & indigentia abſumant.* Et Tractatu de vita Canonicorum Art. 24. propoſita quæſtione: *An Canonici & Miniſtri Eccleſiæ, qui de ſuo ſe Patrimonio poſſunt ſuſtentare, licite convertant in uſus ſuos bona Eccleſiæ?* priusquam ad reſolutionem quæſtionis deſcendat, præmittit: *Securius & ſalubrius creditur ac paretur dictis Sanctorum, per quos locutus eſt Spiritus Dei, quam Scholaſticorum quarundam, qui ſua magis, quam expedit, credunt & innituntur ingenia, auctoritatem Sanctorum ad ſuam retorquentes opinionem. Quamvis ergo* (concludit poſt hæc) *de propoſita quæſtione quidam dicant Scholaſtici, poſſe id licite fieri, conſultius tamen credendum & ſtandum eſt verbis Hieronymi, & Bernardi, imo & ſummi Pontificis, Beatique Proſperi. Ait enim Damaſus Papa: Qui bonis Parentum ſuſtentari poſſunt, ſi accipiunt, quod Pauperum eſt, ſacrilegium incurrunt.* Dionyſio Carthuſiano concinit doctiſſimus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 27. ubi quærens: *An qui bona Patrimonialia habet, poſſit ſimul bona Eccleſiaſtica habere?* & pro utraque ſententia allatis nonnullis auctoritatibus credit, auctores utriusque ſententiæ poſſe forſan conciliari, ut dicamus S. Proſperum (quem citat pro negativa) loqui de illis, *qui plane habent ſufficientem ſuſtentationem ex Patrimonio aut beneficio.* Tunc enim alterum eſt ſuperfluum, &

proin-

proinde Pauperibus debitum. Alios vero Authores loqui de illis, *qui neque ex Patrimonio, neque ex Beneficio ſufficientem omnino ſuſtentationem habent*. Hi enim utrumque retinere poſſunt, modo ex utroque nihil accipiant ultra ſuſtentationem decentem, juxta conditionem proprii Status. Tandemque concludit: Quod enim vere ſuperfluum eſt, dandum eſſe pauperibus, Theologi *communiter* docent. Ex quibus authoritatibus Summorum Virorum hoc hic notandum eſt, nimirum tam ante, quam poſt Tridentinum Concilium communem fuiſſe Theologorum ſententiam, Beneficiarios non eſſe Dominos fructuum ſuperfluorum beneficialium, ſeu illorum, quæ intuitu Eccleſiæ acquirunt, ut habet cap. 9. de Teſtam. controverſiam vero ſolum fuiſſe de eo, an *Patrimonio abundantes* ex ſtipendiis Eccleſiæ poſſint vivere? ex quo magnum præjudicium accedere videtur contrariæ modernorum Scholaſticorum ſententiæ fere communi, nimirum *nota novitatis*.

8. Cauſa præcipua, cur recentiores Theologi a veteribus in re tanti momenti receſſerint, videtur eſſe; quod aliam ideam ſibi formaverint de Officio Clericali, quam antiqui.

Dum enim reflecterent ad illud Apoſtoli; *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit?* aliolve ſimiles initio hujus Tituli relatos, concludebant Apoſtolum illis indicaſſe, non ſecus deberi Clericis ſtipendium, aut mercedem, quam militiæ ſæculari, aut cultoribus vineæ, aliiſque operariis ſuarum operarum ſtipendium, non propter eorum *indigentiam*, ſed propter *operas & labores* præſtitos; & conſequenter, ſicut milites, aliique operarii mercedis acceptæ fiunt veri Domini, ita & Clerici. At antiqui conſiderantes illa Chriſti verba, *Gratis accepiſtis, gratis date*, & vocationem Petri ad paſtorale Officium per notabilia illa verba ter repetita, *Petre amas me?* judicarunt Clericos evangelica miniſteria debere obire *Gratis*, nec ob alium finem, aliamve mercedem laborare, quam *ut Chriſtum lucrifaciant*; & quamquam ipſis ſtipendia debeantur, non tamen tanquam *Merces laborum* ſuorum, ſed per modum ſuſtentationis neceſſariæ in victu & veſtitu &c. & conſequenter non eſſe ſuperfluorum Dominos, ſed nudos diſpenſatores in uſus ab Eccleſia & benefactoribus intentos; atque in hunc tantum modum & non aliter intelligendum ajunt Apoſtolum LL. cc. unde Doctiſſimus Eſtius in 1. ad Timoth. 5. v. 18. advertit: *Neque ſignificat Apoſtolus hac parte, ſubſidium temporale habere rationem Mercedis, quam Prædicator Evangelicus pro labore & opere ſuo recipiat; id enim eſſet vendere Evangelium, quod Gratis debet annuntiari; ſed ſenſus Apoſtoli eſt, ſicut Operarius dignus eſt Mercede, unde vivat, ita & Evangelii Miniſtrum dignum eſſe honorario ſubſidio*, unde ſuſtentetur. *Tantum enim in hac comparatione ſpectatur ſuſtentatio operanti debita. Unde & Chriſtus Matth. 10. eandem ſententiam afferens pro mercede Cibum nominavit: dignus eſt*, inquit, *Operarius Cibo ſuo*. Quo mercedis, & ſuſtentationis diſcrimine poſito, ſi Benefactores, & Fundatores beneficiorum bona ſua non alia intentione Eccleſiæ Miniſtris contulerunt, niſi *ut* inde honeſte vivant, & ſuperflua in pios uſus diſpenſent; ſique Eccleſia ita & non aliter frui Clericos vult ſuis bonis, in aprico eſſe videtur, illos fructus ſuperfluos intuitu Eccleſiæ acquiſitos teneri in pios uſus elargiri non tantum ex *charitate* ſub peccato mortali obligante, uti fatentur recentiores, ſed etiam ex *juſtitia*; & conſequenter ſi eos dilapident, non tantum habere peccatum in collo, uti loquuntur, ſed etiam onus reſtitutionis in dorſo. *Illum enim, qui contra voluntatem concedentis bona conceſſa diſpenſat ad reſtitutionem teneri omnia jura clamant*. Quod autem Eccleſia bona a fidelibus ſibi collata non aliter ac præſcripto modo fruenda conceſſerit, fideleſque illa hac intentione Eccleſiæ contulerint, ex decretis Pontificum, Conciliorum, & omnium Patrum loquendi modo manifeſtum fit, nec negari poterit a quopiam cordato, qui authoritates præſenti Titulo allatas ſine præjudicio expenderit. Qui modus loquendi, & decernendi cum idem permanſerit in Patribus, Conciliis &c. poſt factam bonorum Eccleſiaſticorum diviſionem, beneficiorumque erectionem, etiam eadem mens Eccleſiæ & Fundatorum perſeveraverit eſt neceſſe; cum hoc ſolo diſcrimine, quod ſicut Epiſcopus ante illam diviſionem ſuperflua communis caſſæ ex juſtitia in pios uſus debebat erogare, ita poſt diviſionem factam quilibet Beneficiarius ſuperflua particularis caſſæ ex juſtitia in eoſdem uſus diſpenſare obligetur. Unde a ſeverioribus Canoniſtis arguuntur Patroni contrariæ ſententiæ, quod non ſatis perpendentes naturam Eccleſiaſticorum Officiorum, intentionemque Eccleſiæ, ac Fundatorum, ſed mercenariis temporalibus Clerum comparantes, ex hoc non ſatis firmo principio in re maximi momenti ab antiquis receſſerint, alioſque ſuis argumentis apparentiam multam habentibus, quin efficaciam, ſi Cleri officia ita conſiderentur, in ſuam ſententiam pertraxerint. Confirmari poſſunt dicta ex eo, quod incredibile ſit, pientiſſimos Imperatores, Reges, Principes, alioſque fundaſſe tot beneficia, quæ tam manifeſte ſuperfluos habent reditus, alio fine, aliaque intentione, præterquam ut per ſacras ac Deo conſecratas Cleri utriuſque manus in egentium neceſſitates, alioſque pios uſus expendantur. Hinc eſt, quod Sæculo IX. munificentiſſimi Imperatores Carolus & Ludovicus Eccleſiarum bona habita non ſolum conſervare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optaverint, ſuiſque Succeſſoribus ſeveriſſime interdixerint illorum ſub quocunque prætextu invaſionem. En verba eorum ex lib. 1. ſuorum Capitularium c. 83. apud Gratianum 16. q. 1. c. 59. *Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem novimus res Eccleſiæ vota eſſe fidelium, pretia peccatorum, & Patrimonia pauperum, cuique* (Eccleſiæ) *non ſolum habita conſervare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus* (notent adverſarii cauſalem, ob quam Imperatores Eccleſiis multa conferre optaverint, & ex illa manantem generalem Fundatorum beneficiorum intentionem). *Ut autem ab Eccleſiaſticis* (Perſonis) *de dividendis rebus Eccleſiæ ſuſpicionem dudum conceptam amoveremus, ſtatuimus, ut neque noſtris, neque filiorum, & Deo diſpenſante Succeſſorum noſtrorum temporibus, qui noſtram, vel progenitorum noſtrorum voluntatem, vel exemplum imitari voluerint, ullam penitus diviſionem aut jacturam patiantur*. Ut poſterior capituli pars illuſtretur, notanda ſunt, quæ Correctores Romani in hoc capitulum annotarunt. Sic autem habent: *In Capitulis autem MSS., quæ ab Epiſcopis Provinciarum Rhemenſis ac Rothomagenſis Ludovico Regi miſſa fuerunt, hæc habentur ad hunc locum pertinentia*: Quia vero Carolus Princeps Pipini Regis pater, qui primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Eccleſiarum ab eis ſeparavit atque diviſit, pro hoc ſolo maxime eſt æternaliter perditus. Nam S. Eucherius Aurelianenſis Epiſcopus, qui in Monaſterio S. Trudonis requieſcit, in oratione poſitus, ad alterum Sæculum raptus, & inter cætera, quæ Domino ſibi oſtendente conſpexit, vidit illum in inferno inferiori torqueri. Cui interroganti ab Angelo ejus cuſtode

reſpon-

reſponſum eſt: quia Sanctarum judicatione, qui in futuro judicio cum Domino judicabunt, quorumque res abſtulit, & diviſit, ante illud judicium anima & corpore ſempiternis pœnis deputatus eſt, & recepit ſimul cum peccatis ſuis pœnas propter peccata omnium, qui res ſuas & facultates in honore & amore Domini ad Sanctorum loca in luminaribus Divini cultus, & alimoniis Servorum Chriſti, ac pauperum, pro animarum ſuarum redemptione tradiderant. —— Quod cognoſcens filius ejus Pipinus Synodum apud Liptinas congregari fecit, & quidquid de rebus, quas Pater ſuus abſtulerat, potuit, Eccleſiis reddere procuravit. —— Unde & D. Carolus Imperator adhuc in Regia nomine conſtitutus Edictum fecit, nimirum mox allatum. Hanc tamen damnationis Caroli Martelli narrationem, ceu fabulam refellit Nat. Alex. Sæc. VIII. hiſt. Eccl. c. 7. §. 4.

9. Ex dictis hoc & præcedentibus numeris momenta illorum, qui Clericos ajunt eſſe dominos fructuum ſuperfluorum, valide infirmantur.

Nihil enim eos juvant textus Apoſtoli in favorem ſuæ ſententiæ afferri ſoliti; intelligendi enim ſunt de neceſſaria *Suſtentatione*, non de *mercede*, cujus fiant proprietarii (N. 8. h. t.), & ſimiliter intelligendi ſunt canones aliquorum Conciliorum. Nec ipſus juvat bonorum Eccleſiaſticorum diviſio ſub Simplicio (ut falſo arbitrantur N. 8. cit. 6.) facta & inde ductum argumentum: quod ſicut ante diviſionem communitas eorum habebat dominium, ita poſt illam ſinguli Beneficiati ſingulatum portionum facti ſint heri; ex omnium enim Sæculorum Patrum ac Conciliorum canonibus probatum videtur, Epiſcopos ante diviſionem ex intentione Eccleſiæ & benefactorum fuiſſe *ex juſtitia* obligatos reſiduum, poſt competentem Cleri ſuſtentationem, in pauperes alioſque pios uſus expendendi. Sicut ergo Clericus ea tempeſtate non aliud jus habuit in Caſſam communem Eccleſiæ, præterquam honeſtæ ſuſtentationis; ita non plus juris accepit, poſtquam ipſi ſtabilis portio ſui aſſignata, bene vero onus, quemadmodum prius Epiſcopus ſuperflua communitatis, eadem ſuperflua ſuæ particularis portionis in pauperes, alioſve pios uſus expendendi. Eo vel maxime, quod facta bonorum Eccleſiaſticorum diviſione portio pauperum cum illa Cleri fuerit confuſa, cum amplius non extet, nec dici irrefragabiliter poſſit, illam exiſtere in hoſpitalibus, cum certe non omnia hoſpitalia ex bonis Eccleſiaſticis ſint fundata, nec omnes pauperes in hoſpitalibus alantur, nec Fundatorum, dum beneficia adeo pinguia erigerent, intentio fuerit, ut ſoli pauperes hoſpitalium ex ſuperfluis alantur, ſed tot quidem, ad quot eadem ſuperflua ſe extendunt &c. Non videtur etiam ſubſiſtere eorum reſponſio ad Canones ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum conditos, illos nimirum Pacuvii atavis, tritaviſque eſſe relinquendos, cum ante dictam diviſionem conditi fuerint; replicatur enim primo naturam bonorum Eccleſiaſticorum poſt illam diviſionem non eſſe immutatam (N. 6. 7. 8. h. t.), replicatur ſecundo, canones præfatos Sæculo XI. a Gratiano in ſuum decretum eſſe relatos, quod decretum partem Corporis Juris moderni efficit; & ſi legalem ex integro non obtinet authoritatem, ejus tamen canones eo vigore certo pollent, quo eorum fontes, unde deſumpti ſunt (lib. 1. Tit. 2. c. 5. N. 251.); placeant autem aſpicere fontes laudatorum canonum, & eos aliter revereri diſcent, quam ut ad Pacuvii atavos relegentur. Nec minus tenet reſponſio dari ſolita ad capitula ex decretalibus N. 7. h. t. ſua poſt factam diviſionem allata: ea nimirum intelligenda eſſe, quod Clerici non ſint Domini bonorum Eccleſiæ, hoc eſt portionis pro fabrica Eccleſiæ &c. ſegregatæ, non vero bonorum ſuperfluorum beneficii Eccleſiaſtici. Replicatur enim primo, authoritates in decreto Gratiani poſt eandem diviſionem canonizatas contrarium aperte ſtatuere. Secundo idipſum aperte etiam ſtatuunt capitula hujus Tituli, ſi abſque præjudiciis expendantur. Nec valet dicere, his capitulis nudum contineri præceptum ſuperflua in pios uſus erogandi cum dominio componibile, contrarium enim ex intentione Eccleſiæ & fundatorum jam evictum eſt. Unde Patres & Concilia, dum prætendunt Beneficiatios ex juſtitia obligari ſuperfluos reditus in pias cauſas profundere, nequaquam *exaggerative* loquuntur, uti prætendunt; quis enim ſentiet Patres voluiſſe conſcientiis Beneficiatorum laqueos pedicaſque parare? ſed ita loquuntur inſpecta natura Eccleſiaſtici Miniſterii, & inde manantis Beneficii, Eccleſiæ quoque & Fundatorum intentione; quam num illi, num recentiores Theologi melius aſſecuti ſint, judicio Lectorum relinquitur.

10. Concilium Tridentinum nullatenus declaravit Beneficiarios eſſe Dominos proprie tales portionis bonorum ſuo Titulo annexæ; quin contrarium videtur ſenſiſſe.

Fidenter nimis Patroni contrariæ opinionis ad hoc ultimum generale Concilium Sæculo XVI. celebratum provocant, quod unica particula *fructus ſuos* utatur Seſſ. 24. c. 12. item Seſſ. 23. c. 1. de ref. quibus decernit beneficiatos a Reſidentia ſua abſentes pro rata abſentiæ fructus non facere *ſuos*, ſicut & eos, qui intra bimeſtre accepti Beneficii profeſſionem fidei non emittunt. Id enim optimo jure facere potuit, quin quæſtionem hanc ſcholaſticam definiendo (quod ſcilicet in ſimilibus materiis eidem ſolemne fuit) beneficiatos horum fructuum Dominos declaraverit. Cum enim juxta hodiernam diſciplinam non minus planam adminiſtrationem, nec minus liberum uſum habeat quilibet beneficiatus reſpectu portionis bonorum ſuo titulo annexæ, quam olim habebant Epiſcopi circa prædia & bona Eccleſiæ ſuæ, non mirum, ſi & beneficiatus proventuum Eccleſiaſticorum *Dominus* credatur, & vulgari modo loquendi habere *Dominium*, ſeu fructus *ſuos* facere dicatur, tametſi procurationem dumtaxat revera obtineat: eo quod tam liberam eorum diſpenſationem, etiam cum facultate ſuis uſibus applicandi adipiſcatur, ut ſoli Deo rationem diſpenſationis reddere obſtrictus ſit. Nec credo, quod ſacra Congregatio contrarium uſquam declaraverit, aut declaratura ſit, ſi conſuleretur, & ſimiliter intelligendus eſt Bonifacius VIII. c. un. de Clericis non reſidentibus in 6. Recte autem uſa eſt ſacra Synodus termino *Fructus ſuos*, ut beneficiatos diſtingueret a Monachis, qui ob defectum liberæ diſpoſitionis etiam in cauſas pias rerum ſibi obvenientium non habent in particulari liberam diſpoſitionem. Quid autem zeloſiſſimi Patres Tridentini circa œconomiam redituum Eccleſiaſticorum ſenſerint, non ex ambiguo termino occaſionaliter prolato, ſed ex decreto hac de re ex profeſſo edito colligamus. Sic autem ſonat Decretum Seſſionis 25. de ref. c. 1. *Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet* (S. Synodus) *ut Epiſcopi modeſta ſupellectili & menſa, ac frugali victu contenti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod a S. hoc Inſtituto ſit alienum; quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolo*-

rum

vam canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, *conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa; imo quam maxime poteſt, eos S. Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga Fratres, Nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multarum malorum in Eccleſia ſeminarium exſtat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcunque beneficia Eccleſiaſtica tam ſæcularia, quam regularia obtinentibus, pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.* Jam ſic Sacra Synodus hoc Decreto renovat Canonem Apoſtolorum 41. non ſemel a nobis jam laudatum, alioſque ipſi ſimiles; atqui tam hic, quam alii ante diviſionem bonorum Eccleſiaſticorum, Epiſcopos non declararunt Dominos proventuum ſacrorum, ſed nudos adminiſtratores conſtituerunt, ut legenti ipſum hoc lib. tit. 5. N. 6. ſicut & alios omnes hoc Titulo allatos manifeſte patebit, nec negant contrariæ ſententiæ Patroni; ergo ad mentem Tridentini natura fructuum beneficialium poſt diviſionem factam non fuit immutata. Et hinc S. Synodus inhærendo phraſi Patrum omnium retro Sæculorum eas *Eccleſiaſticas* vocat *res Dei*, non Beneficiariorum, niſi in quantum frugali eorum ſuſtentationi deſerviunt, prohibetque ne eas in ſuperfluus uſus expendant. Concilium autem Tridentinum utique repræſentavit Eccleſiam univerſalem, igitur res Dei contra intentionem Eccleſiæ, & Fundatorum, a quibus eas habent, dilapidantes, non tantum videntur peccare mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem teneri, utpote ſubſtantiam ſuæ diſpenſationi creditam contra voluntatem Creditorum expendentes. Et hinc in Synodo Nonantulana A. 1688. habita a Cardinali de Angelis legimus, *ſuperflaot Eccleſiæ Reditus in pias uſus expendant, memores illorum non eſſe* Dominos, *ſed tantum commendatarios, & adminiſtratores.* Et in Synodo Veliterna habita a Cardinali Cibo A. 1698. *Quicumque reditus Eccleſiaſticos poſſident, noverint res Eccleſiæ nihil aliud eſſe, quam vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, earumque propterea Miniſtros ſe eſſe, non* Dominos, *ut quod illis ſupereſt, in pauperum neceſſitatibus erogent.* At ne quiſpiam exiſtimet nos ſentire Concilium Tridentinum contrariam ſententiam damnaſſe, qui toties jam inculcavimus, idem Concilium circa controverſias ſcholaſticorum nihil definire voluiſſe; ea, quæ SS. Dominus noſter Papa Benedictus XIV. in præclariſſimo ſuo opere de Synodo diœceſana lib. 7. c. 7. N. 13. poſt relatas has duas Synodos, Nonantulanam nimirum, & Veliternam ſapientiſſime ſubjungit, hic candide exſcribimus, quæ ita ſonant.

Licet autem nos ejuſmodi Epiſcoporum effata haudquaquam reprehendamus, cum liberum illis fuerit ſententiam amplecti, quam innumeri Theologi laudabiliter propugnant, & tutiorem eſſe, atque in praxi conſulendam etiam alii, qui pro contraria ſtant Doctores, fateantur, inter quos Leſſius de juſt. & jur. lib. 2. c. 4. num. 41. & Duvallius 22. Div. Thom. p. 2. Tract. de Charitate & Eleemoſyna qu. 8. art. 6. attamen conſultius exiſtimamus, ut Epiſcopus in Synodo abſtineat a quæſtione decidenda ſuoque calculo adjiciendo alteri ex controverſis inter Catholicos opinionibus. In hoc autem propoſito nos obfirmant Patres Concilii Tridentini. Scimus etenim enunciatum decretum Seſſ. 25. c. 1. de reform. quo interdicitur Epiſcopis, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant, ita prius fuiſſe efformatum, ut ejuſmodi prohibitionis hæc ibidem adduceretur ratio, videlicet, *quia Eccleſiaſticorum proventuum Diſpenſatores tantum ſunt*, & tamen hæc poſtrema verba in generali Congregatione habita die 23. Novembris 1563. viſa ſunt Patribus expungenda & reipſa expuncta ſunt; quoniam Cardinalis a Lotharingia Archiepiſcopus Rhemenſis, Petrus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis, aliique Præſules illis interceſſere, ne detrimentum afferrent ſententiæ, ut ipſi ajebant, valde communi, quæ Eccleſiaſticorum etiam ſuperfluorum proventuum dominium Beneficiatis attribuit. Rem totidem fere verbis narrat Cardinalis Pallavicinus hiſt. Concil. Trident. lib. 24. c. 3. num. 4. neque inficiatur Paulus Sarpi ejuſdem Concil. hiſt. lib. 8. quamvis ut indulgeat ſuo genio, aut impugnandi, aut ſaltem obſcurandi veritatem, decreto obſtitiſſe aſſerat non Cardinalem a Lotharingia, neque Archiepiſcopum Guerrerum, ſed Epiſcopum Sulmonenſem. quod tamen falſum eſſe fatetur etiam modernus Auctor, qui Sarpi Hiſtoriam in Gallicum ſermonem vertit, eodemque, quo Sarpus, infectus veneno lividis notis aſperſit, ut legere eſt tom. 2. pag. 724. N. 22. Quocirca ſi Concilii Tridentini Patres noluerunt Quæſtionem attingere inter Catholicos exagitatam, jure meritoque nos conſulendum duximus Epiſcopis, ne illam in ſuis ſynodis definiant, aut tanquam definitam aſſumant.

Urgeant ipſi & inculcent ſuis Clericis ex Eccleſiæ ſtipendiis victitantibus gravem obligationem, quam habent elargiendi pauperibus aliiſve piis uſibus applicandi ſibi redundantes Eccleſiaſticos reditus, ſed adhuc latentem hujus obligationis originem non inveſtigent; ut enim ajebat Cardinalis Bellarminus in Epiſtola ad Theanenſem Epiſcopum nepotem ſuum contrmicov. 8. & ult. parum refert determinare, unde illud proveniat gravis obligationis vinculum, quo cæteroquin omnes Beneficiarios obſtringi indubitanter ſcimus. Non diſputo (inquit Bellarminus) quæſtionem illam, an Prælati ſint veri Domini redituum Eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ male expenderunt. Parum enim refert, utrum Prælatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra juſtitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solum quæro, in quos uſus debeat expendere ſuas Eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam.

Jam quod Angelici Doctoris Authoritatem tum ex quodlibeto 6. q. 7. art. 12. ad 3. (quam retulimus ſupra N. 3.) tum ex 22. q. 185. art. 7. allatam attinet, ad utramque non poſſumus non reſpondere ex eodem Sanctiſſimo Domino ac Patre Noſtro loco in continenti citato N. 10. Sic autem habet: Porro tam Authores primæ quam ſecundæ ſententiæ ſibi ſuffragari contendunt Angelicum Doctorem. Duplici in loco Sanctus Doctor hanc verſavit quæſtionem, in quodlibetis nimirum, & in Summa. In quodlibetis, quæ circa annum 1257. ab eo ſcripta teſtantur Echard de Scriptoribus Ord. S. Dominici tom. 1. pag. 272. & Touron in vita S. Thomæ pag. 177. aperte adhæret poſteriori ſententiæ. Etenim quodlibeto 6. q. 7. art. 12. ad 3. hæc habet: Aliter dicendum eſt de illis Eccleſiaſticis bonis, quæ principaliter ſunt attribuenda neceſſitatibus pauperum, & ex conſequenti neceſſitatibus Miniſtrorum, ſicuti ſunt bona hoſpitalium, & aliorum hujuſmodi; & aliter de illis bonis, quæ ſunt principaliter attributa uſibus Miniſtrorum, ſicuti ſunt præbendæ Clericorum, & alia hujuſmodi; nam in primis bonis peccatum committitur non ſolum ex abuſu, ſed etiam ex ipſa rerum conditione, dum aliquis in ſuos uſus aſſumit, quod eſt alterius: & ideo tenetur ad reſtitutionem tanquam defraudator rei ali-

lite-

lienæ. In ſecundis vero bonis non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt; unde non tenetur quis ad reſtitutionem, ſed ſolum ad pœnitentiam peragendam.

Poſt exarata Quodlibeta ſuadente Clemente IV. qui die 5. Februarii 1265. fuerat Pontifex renunciatus, operam dare cœpit Angelicus ſuæ conſcribendæ ſummæ Theologicæ, & ſecundam ſecundæ circa annum 1269. abſolvit, uti proſequuntur Echard. cit. loc. & Touron pag. 236. In hoc autem poſtremo opere, nempe 2. 2. q. 185. art. 7. ſententiam retractaſſe, quam in quodlibetis docuerat, contendunt plerique ex iis, qui primam opinionem propugnant. Verum ut ingenue loquamur, in hoc ipſo Theologicæ Summæ loco, quem iſti Doctores ſibi favere ajunt, videtur Angelicus doctrinam confirmare, quam in citato quodlibeto 6. tradiderat: præmiſſa ſiquidem diſtinctione bonorum, & diſſerens de Eccleſiaſticis proventibus Epiſcopi ſuſtentationi aſſignatis, inquit: De his autem, quæ ſunt ſpecialiter ſuo uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de bonis propriis. Nihilominus tamen, quia hic S. Thomas non ita perſpicue, ſicuti aliàs ſolet, mentem ſuam explicuit, ideo Genettus, ne ſibi contrarium fateatur Angelicum, cujus doctrinæ eſt addictiſſimus, de ejuſdem hac in re ſententia ita cit. loc. concludit: Licet autem Angelicus Doctor ſingulari quadam perſpicuitate mentem ſuam ut plurimum aperire ſoleat, nullumque relinquat de veritate opinionis & mentis ſuæ dubitandi locum, fatendum tamen, illum in hac quæſtione reſolvenda verbis ita in ſpeciem ambiguis uſum eſſe, ut etiamſi inſigniores illius diſcipuli ſignificaverint, docuerintque, quod juxta ejuſdem Sancti Doctoris mentem Beneficiati non poſſunt eſſe Domini redituum Beneficiorum ſuorum, attamen nonnulli reperti ſunt, qui contrario plane modo illius mentem interpretati ſunt, & fundamentum ſuæ ſententiæ hauſerunt ex Quodlibeto ſexto. Inter relatos S. Doctoris Diſcipulos videatur Cajetanus in Commentario ad q. 185. art. 2. 22. ubi S. Doctoris mentem contra Dominium beneficiatorum exponit.

T I T U L U S XXVI.

De Teſtamentis & ultimis Voluntatibus.

1. QUamvis incapacitas teſtandi abſolute non arguat carentiam dominii, ut patet in mente captis, ſurdis, & mutis, in impuberibus &c. qui teſtari jure prohibentur, ſunt tamen rerum ſuarum proprietarii; fons tamen primarius hujus incapacitatis eſt dicta dominii carentia. Nullus autem vel hoſpes in Jure Canonico eſt, qui neget Clericis facultatem teſtandi de bonis conſideratione Eccleſiæ acquiſitis omnibus ſæculis fuiſſe reſpective interdictam; ſed lis ſolum eſt circa motivum hujus prohibitionis. Videtur autem Eccleſia facultatem teſtandi Clericis tam conſtanter inhibuiſſe, quia cenſuit eos non eſſe Dominos fructuum beneficialium ultra neceſſariam, ac honeſtam ſuſtentationem remanentium, id quod ex ſubjiciendis Canonibus per ſæculorum intervalla conditis dijudicandum erit.

2. Prioribus V. Eccleſiæ Sæculis prohibiti ſunt Epiſcopi, & conſequenter etiam Clerici de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis teſtari, eo quod judicarentur eorum tantum eſſe diſpenſatores.

Ad probandam propoſitionem primo loco afferimus Canonem Apoſtolorum 39. (lib. 1. tit. 2. N. 25.) in quo habetur: *Manifeſta ſunto privatæ res Epiſcopi, ſi modo privatas habet: manifeſtæ item ſunto Dominicæ, ut privatas quidem res Epiſcopus, cum moritur, quibus vult, & quomodo vult, relinquendi facultatem habeat &c.* non vero res Dominicas, ſeu intuitu Eccleſiæ acquiſitas, quæ illatio quidem non habetur in textu, ſequitur tamen ex antitheſi poſita; ſi quæratur diſparitas, illa eſt, quia Patres Antiocheni, ex quorum Canone 24. præſens Canon a larvato Clemente compilatus eſt, ut oſtendit Doctiſſimus Gibertus Tom. 1. Corporis Juris Eccl. per Regulas naturali ordine digeſtas pag. 54. judicarunt Clerum equidem habere Dominium in Patrimonia, non vero in res *conſideratione Eccleſiaſticè Miniſterii* acquiſitas. Sic autem habet Canon laudatus Concilii Antiocheni: *Sint autem manifeſta, quæ ad Eccleſiam pertinent cum cognitione Presbyterorum & Diaconorum, qui ſunt circa eum Epiſcopum, ut ſciant, & non ignorent, quæ ſint propria Eccleſiæ* (hoc eſt communitatis, non fabricæ), *ut nihil ipſos lateat: ut ſi contingat Epiſcopum e vita migrare, iis manifeſtis exiſtentibus, quæ ad Eccleſiam pertinent, ne ea intercidant & pereant: nec quæ ſunt propria Epiſcopi, prætextu rerum Eccleſiaſticarum vexentur.* Concinit eodem Sæculo IV. Concilium Carthaginenſe III. Can. 49. apud Grat. 12. q. 3. Can. 1. inquiens: *Ut Epiſcopi & quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, debeant omnia, quæ poſt ordinationem comparaverunt, Eccleſiæ conferre; ſi autem ipſis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit.* Quem Canonem referens Cardinalis Baronius ad A. 397. ſcribit: *Occaſio ſanciendi hujus Canonis fuit; cum reddita pace Eccleſia ubique bonis afflueret, complures ex iis, qui eidem miniſtrabant, pietatem in quæſtum convertentes, ſtudio Sanctitatis, & cura pauperum abjectis, divitias colligendi ardore dumtaxat flagrabant.* Quam mercenariam affectionem in iis ſupprimere volens, eos erudivit, Apoſtolicum munus ex *Patrum traditione* non eſſe obeundum *propter mercedem temporalem*, neque Laicos fideles ſuam ſubſtantiam Eccleſiæ gazophylacio eo fine conferre, neque Eccleſiam alium uſum harum rerum Miniſtris ſuis concedere velle, quam ad debitam ſuſtentationem neceſſarium, cum non debeant prædicare, ut manducent, ſed manducare, ut prædicare valeant. Et hæc fuit mens Eccleſiæ primorum quatuor Sæculorum circa Teſtamenta Clericorum. Quam exacte conabantur exequi Epiſcopi tam Orientis, quam Occidentis, quorum exempla refert Thomaſſinus p. 3. lib. 2. c. 38. 39. quæque inconcuſſa permanſit Sæculo V. In Concilio enim Chalcedonenſi A. 451. celebrato act. 10. perlecta eſt accuſatio quatuor Edeſſenæ Eccleſiæ Presbyterorum adverſus Ibam ejus civitatis Metropolitanum. Reus autem hinc etiam agebatur, quod Suffraganeo ſuo Danieli Epiſcopo conniveret, qui teſtamento nepotibus Matronæ cujuſdam, quam amabat, ea legaſſet bona, quæ ab Eccleſia obtineret: quique ſibi retinuerat hæreditatem Diaconi, quanquam ſpopondiſſet omnia ſe in pauperes erogaturum, quod ex Eccleſiaſticis proventibus ea proveniſſent. *Cum ratum illud & inconvulſum ſit, quod Eccleſiæ reditibus partum ſit, ad Eccleſiam neceſſario redire debere.* Omnibus ergo Epiſcopis, Eccleſiæque

Miniſtris perſuaſum ſæculo V. fuit id, quod Patres priorum Sæculorum de Clericorum teſtamentis ſanxere. Inter quos mira hujus perſuaſionis ſpecimina dedit S. Auguſtinus, quæ vide apud Thomaſſ. L. cit.

3. Abſoluta teſtandi prohibitio de bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis Clericis prioribus V. Sæculis facta, continuata fuit uſque ad Sæculum VIII.

Et quidem Sæculo VI. Juſtinianus Imper. Cod. de Epiſc. & Clericis l. 34. *Licentiam*, inquit, *habeat Epiſcopus, quæcunque ante Epiſcopatum probatus fuerit habuiſſe, & quæcunque poſt Epiſcopatum jure cognationis uſque ad quartum* (gradum) *ad eum pervenerunt, ad quos voluerit, ultima voluntate tranſmittere. Cæteris rebus alio modo acquiſitis ab eo, Dominio Eccleſiæ reſervatis, niſi in utilitatem Eccleſiæ, vel opera pietatis conſumpta ſint. Eadem diſtinctione habita in adminiſtratoribus cujuſcunque loci Religioſi. Item ſi quis Epiſcopus aut Miniſter Eccleſiæ moriatur ſine Teſtamento, & ſucceſſore legitimo, vel legitimo* (in res proprias Epiſcopi, vel Miniſtri) *Succeſſio competit Eccleſiæ, in qua conſtituti ſunt*. Hac certe lege, inquit Thomaſſ. l. cit. non exprimuntur niſi Epiſcopi, Abbates, & Adminiſtratores rerum Sodalitii alicujus; nec ea Clerici conſtringuntur cæteri, cum eo ævo tam late pateret Beneficiariorum, quam Clericorum nomen. Solis enim tunc & parcis diſtributionibus Clerici donabantur, quorum ex parcimonia difficillime potuiſſent agri & prædia coemi. At ubi poſtea non ſportulis ſolum & diſtributionibus gaviſi ſunt beneficiarii, ſed agris etiam & latifundiis beneficio ſuo illigatis, jam tunc ſane & ipſi Adminiſtratores eſſe cœpere, & inconcuſſa adminiſtrationum lege juſſi ſunt, idonea ſibi ſepoſita ſuſtentatione, reliqua ſpargere omnia in pauperes. Cum enim oblationum & hoſtiarum Deo dicatorum una ſit ſemper natura & conditio, ut Religioni & Charitati impendantur, nunquam hinc fas eſt, ſæcularis opulentiæ inſtrumenta parari. Unde etſi idem Juſtinianus Nov. 123. c. 19. præcipiat Clericos cæteros, *res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere ſub ſua poteſtate, ad ſimilitudinem caſtrenſium peculiorum, & donare ſecundum leges, & in his teſtari, licet ſub Parentum ſint Poteſtate*; id tamen nequaquam intelligendum eſt de rebus intuitu Eccleſiæ, ſed aliunde his Clericis obvenientibus, alias melioris conditionis fuiſſent, quam Epiſcopi, quorum quartæ portioni ſuo uſui addictæ id oneris imminebat, ut ex ea hoſpites advenæ & peregrini alerentur. Privilegium igitur hac lege ſolum dare videtur Clericis Juſtinianus, ut de peculio ſua ſibi induſtria comparato ad ſimilitudinem caſtrenſium peculiorum, etiam ſub Patria poteſtate conſtituti, teſtari valeant. Quamvis Græci Clerici tum fibulam continentiæ abrumpentes, & liberos procreantes, ſumptibus ex diſtributionibus Eccleſiaſticis ſubinde parcerent, eoſque ſeponerent, ut haberent, quod filiis tranſmitterent. Hinc religioſius eædem Juſtinianeæ leges in Occidente obſervabantur; unde Gregorius I. lib. 4. ep. 22. ad Cyprianum Diaconum ſcribit: *Quia ipſe* (Theodorus Epiſcopus) *teſtamentum dicitur condidiſſe, ſubtiliter ne quid de rebus Eccleſiæ ſuæ conſumpſiſſet, te oportet inquirere. Et ſiquidem eum exinde aliquid incongrue minuiſſe didiceris, ita age, ut res ipſæ ab eo, cujus intereſt, modis omnibus reparentur*. Et lib. 5. ep. 1. cum Eccleſiæ Ravennatis Clerus Gregorium querelis ſuis interpellaſſet, quod Joannes ejus civitatis Epiſcopus teſtamentum edidiſſet, Eccleſiæ utilitatibus, & legibus ipſis Cæſareis inimicum; Mariniano ejus Succeſſori præcipit, *ut ea, quæ de Eccleſia ſua, vel de acquiſitis in epiſcopatu rebus contra legum fieri ſtatuta diſpoſuit, nec authoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione conſentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante epiſcopatum habuit, --- firmum per omnia robur obtinere neceſſe eſt*. Non meminit his, aliiſque ſimilibus locis Gregorius M. Clericorum, quod cum parcis diſtributionibus, & alimentorum Sportulis cæteri Beneficiarii fruerentur, non facile videbantur congerere ex his poſſe, quo & tolerarent vitam & domos præterea agroſque ſibi compararent. Interim ratio prohibitionis ad eos quoque excurrit. Gregorii M. Sanctionibus Concilia Galliæ, Hiſpaniæ, & Africæ his ſæculis concordant, & Galliæ quidem Agathenſe Can. 6. Lugdunenſe II. Can. 2. Pariſienſe V. Can. 10. Quo & teſtamenta Clericorum a ſubtilitatibus Legum eximuntur, & quaſi prima lineamenta deſcribuntur novæ teſtamentorum formæ, quam Jus Canonicum invexit primo Clericis, poſt etiam fidelibus Laicis ad declinandas ambages, & verſutias in re tanti ad rem privatam publicamque momenti. Item Epaonenſe c. 7. & 8. In Hiſpania Synodus Tarraconenſis Can. 12. *Sicubi defunctus fuerit Epiſcopus inteſtatus, a Presbyteris & Diaconibus de rebus ipſius inventorium fideliter conſcribatur, a minimo uſque ad maximum &c.* non ergo proximi defunctorum Epiſcoporum ad eorum ædes accedebant, non hæreditati ſe interponebant, unde colligere licet, qualia tum fieri ſolerent ab Epiſcopis Hiſpaniæ teſtamenta. Et in Concilio Valetino Can. 3. prohibentur propinqui inteſtati Epiſcopi aliquid de rebus ejus occupare: *ne forte cum hæreditariis rebus, etiam aliqua ad Eccleſiam pertinentia, vel permixta uſurpent*. Quæ res dilucidius adhuc declaratur in Concilio Hiſpalenſi I. Can. 1. & 2. Concinunt Concilia Toletana IV. & IX. aliaque bene multa, Clericos de rebus occaſione ſervitii Eccleſiaſtici acquiſitis teſtari prohibentia.

4. Eadem diſciplina perſeveravit ſub Carolo M. & ejus ſtirpe uſque ad Sæculum X. fraudibuſque ſubinde repagula objecta.

Concilium Francofordienſe A. 794. Can. 41. ait: *Et Propinqui vel hæredes Epiſcopi res, quæ ab Epiſcopo ſunt acquiſitæ, aut per comparationes, aut per traditiones, poſtquam fuerit ordinatus, nequaquam poſt ejus obitum hæreditare debeant, ſed ad ſuam Eccleſiam Catholicæ. Illæ autem, quas prius habuit, niſi traditionem ad Eccleſiam ex eis fecerit, hæredibus & propinquis ſuccedant*. Concilium item Pariſienſe A. 829. c. 16. *Quoniam multi Epiſcoporum amore propinquorum ſuorum de rebus ſibi commendatis, ſuo, aut quorumvis amicorum nomine, prædia vel mancipia emunt, & ut in propinquorum ſuorum jus cedant ſtatuunt; & ob hoc & jura Eccleſiaſtica convelluntur, miniſterium ſacerdotale fuſcatur, imo a ſubditis detrahitur, & contemnitur: placuit omnibus, ut hoc deinceps avaritiæ genus caveatur, &c. & poſtquam Epiſcopus factus eſt, quaſcunque res de facultatibus Eccleſiæ, aut ſuo, aut alterius nomine quolibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum ſuorum, ſed in Eccleſiæ, cui præeſt, jura deveniant*. Id ipſum ibi ſtatuitur de Parochis his verbis: *Similiter & de Presbyteris, qui de Eccleſiarum rebus, quibus præſunt, prædia eo modo emunt, faciendum ſtatuimus. Quoniam multos Presbyterorum occaſione taliter emptarum rerum Eccleſias, quibus præſunt, expoliaſſe, & a ſuo miniſterio multis modis exorbitaſſe, & ſe diabolo mancipaſſe, multoſque Laicorum ex hoc facto in ſcandalum damnationis & perditionis protraxiſſe cognovimus*. Hæ ſimileſque his ſæculis factæ ſanctiones, quibus Cleri diſciplina in Galliis aliiſque Regionibus collapſa reſtituebatur, illatæ ſunt

in

in Capitularia Regum Francorum, atque per ea confirmatæ. Nec minor circa idem punctum fuit Eccleſiæ Græcæ zelus, in ea ſiquidem obviatum videtur fuiſſe ſolicita cautela illi difficultati, ob quam in Eccleſia Latina teſtamenta Clericorum ſubinde permiſſa ſunt, nimirum *ſecernendi bona propria Cleri a bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis*. Sic enim habet Balſamon Scriptor Græcus in Can. 22. Chalced. *Tunc dicitur Epiſcopus res habere, & de iis diſponere ac teſtificari poſſe, quando, ut vult 50. Canon Apoſtolicus, cum primum fuit electus, quæ ſunt ſua propria, & quæ Epiſcopatus, deſcripſit. Niſi enim ita fecerit, omnia, quæ ſunt ejus, ad Eccleſiam pertinent.* Addit Balſamon eo ſemel inventario conſcripto, etſi præfeſtino fato inteſtatus obeat Epiſcopus, videri ſibi proximos ejus ſuccedere; quanquam mordicus hæreret alii Carthaginenſi Canoni, quo inteſtati Succeſſor Epiſcopi omnia ejus in poteſtate habet. Scitiſſime ruſus idem Balſamon docet, ubi Carthaginenſis Canon ipſi Eccleſiæ adjudicat omnia mobilia Epiſcopi morientis poſt ordinationem parta, exceptis iis, quæ ad eum deveniſſent donatione, legato, vel hæreditate ipſi ſeparatim obtingente, non tam ſtricte id ad reliquos Clericos trahendum eſſe. Rationem vero nam eſſe, quod acquirere de novo quidquam haud poſſit Epiſcopus, niſi vel ex reditibus Eccleſiæ ſuæ, vel ex obvenientibus ſibi ſucceſſionibus. At Clericis artes ſuppetere longe plurimas congerendæ pecuniæ, ſi quapiam arte præcellat, ſi libros exſcribat, ſi pueros literarum rudimentis imbuat, ſi calamum, manumque ei commodet, cui ſit a ſecretis; ex quibus innoxiis artibus ſi pecuniam, opeſque lucretur, & hinc fundos coemat, jure cogi non poterit hæredem ſibi aſciſcere Eccleſiam. Quibus omnibus expenſis in dubium nemo vocaverit, quin Jure Canonico & Civili Græcorum & Latinorum in id conſpiratum, id uſu his ſæculis receptiſſimum fuerit, ut mobilia & immobilia omnia Epiſcoporum, & quorumcunque Clericorum ex opibus & reditibus Eccleſiaſticis parta, poſt eorum obitum Eccleſiæ juris eſſent.

5. Abſoluta prohibitio teſtandi ex bonis intuitu Eccleſiæ acquiſitis etiam ad cauſas pias Clericis a ſacris primorum Sæculorum Conciliis, Romaniſque Pontificibus facta, atque uſque ad Sæculum XI. continuata, manutenta fuit hoc & ſequentibus duobus ſæculis: quanquam illis rigor priſcorum Canonum, quatenus ad pia legata, eaque modica ex dictis proventibus Eccleſiæ facienda tantiſper relaxari cœperit.

Prima pars majori ex parte demonſtrata jam fuit Titulo præcedenti N. 6. ubi docuimus tempore Gratiani, qui Sæculo XII. floruit, hanc fuiſſe communem omnium ſententiam; unde & quæſtionem V. cauſæ 12. ſui decreti abſolute inſcribit: *Teſtamento vero non licet eis conficere, niſi de rebus propriis*. Superſunt porro & inviƈtiſſima documenta, quæ perſuadeant uſque ad A. 1300. priſcos canones, & decreta Juris Canonici novi ſeu Decretalium vigorem priſtinum illibatum retinuiſſe, nec Clericos potuiſſe ſive integra valetudine, ſive teſtamento mobilium etiam ſuorum quidquam legare, niſi Eccleſiæ, vel pauperibus: nec proximos donare potuiſſe, niſi ut inopes, & pro inopiæ modo, vel obſequii, quod ab illis ſibi præſtitum eſſet. Unde Synodus Diœceſana Colonienſis can. 5. ſtatuit: *Clerici bona maxime immobilia, & quæ per Eccleſiam ſunt adepti, ſive per modum teſtamenti, ſive alias non transferant ad Filios vel Nepotes, aut ad alios ſuos conſanguineos, ſed relinquant ea Eccleſiæ, a qua ſunt profecta. Sed intuitu eleemoſynæ pauperibus, Religioſis, & piis locis, & illis, qui ipſis ſerviverunt, ſive conſanguinei ſint, ſive alii, juxta ſervitii meritum de mobilibus dare poſſunt.* Poſt quæ ibidem concedit Synodus, ut pro arbitrio ſuo legent, ac diſpenſent hæreditarias res omnes, & quas ſibi ſua ipſi induſtria adjecere, *non ex bonis Eccleſiaſticis*. Denique excommunicatione hic percelluntur Clerici, qui mobilia Eccleſiæ cognatis reliquerint, dederintque. Concordant ex aſſe pro Sæculo XIII. Decretales hujus Tituli, & quidem cap. primi ſummarium ſic habet: *Epiſcopus de rebus patrimonialibus teſtari poteſt, de rebus vero Eccleſiæ ſeu intuitu Eccleſiæ quæſitis teſtari non valet*. Et capituli 7. *De bonis per Eccleſiam acquiſitis Clerici teſtari non poſſunt*. Cætera longum eſſet hic referre. Quin Sæculo adhuc XIV. cognati Clericorum non ſuccedebant vel teſtamento, vel quavis ratione alia in bona, quæ ex Eccleſiæ proventibus proveniſſent. Sic enim habet Concilium Toletanum A. 1324. can. 5. *Statuimus, quod nullus Clericorum bona intuitu Eccleſiæ acquiſita filiis, vel filiabus ſuis det, vel conferat inter vivos, vel teſtamento contra canonum inſtituta dimittat; præcipientes omnibus Epiſcopis in virtute S. Obedientiæ, quod Jura ſuper hoc edita diligenter obſervent*. Et conſtitutiones Archiepiſcopi Toletani de A. 1322. *Parta*, inquiunt, *Eccleſiaſticis obſequiis bona, ea dare, legareve filiis, quamvis juſtis, nefas eſto. Conſtit. Concilii Tarrac. lib. 3. Tit. 12.* Nec minus in Concilio Tarraconenſi de A. 1329. prohibentur Clerici, ne quos ſibi privatos ſcribant hæredes ſive Clericos, ſive Laicos; ſive proximos, ſive extraneos. Nec enim id voluiſſe Concilia ea, quæ teſtandi copiam fecere de rebus Eccleſiæ.

Quantum ad II. partem Alexander III. c. 8. h. t. conceſſit, quod *Clerici viventes & ſui compotes moderate valeant aliqua de bonis ipſis non ratione teſtamenti, ſed eleemoſynæ intuitu erogare in ægritudine conſtituti*. Unde emolliri cœpit priſcus vigor canonum, ait Thomaſſinus L. cit. ut teſtari de rebus mobilibus fas eſſet. Gliſcenti ei indulgentiæ ab Alexandro III. reſtitum eſt, utpote a quo conceſſum tantummodo illud fuit, ut moderatæ inde fierent eleemoſynæ. *Non ratione teſtamenti*, inquiens, *ſed ratione eleemoſynæ*; & c. 9. h. t. *de his tamen, quæ conſideratione Eccleſiæ perceperunt, nullum de jure facere poſſunt teſtamentum*. At ea conſuetudo dandi aliquid ex bonis intuitu Eccleſiæ partis per modum eleemoſynæ, cui jus aperte ſubſcripſit, utpote intra modum ſe cohibenti, nec extra circumſcriptos limites ſpatianti, hæc inquam conſuetudo jam modi & finium horum impatiens, uſu poſtea ad ipſam conditionem teſtamentorum invaluit; valetque etiamnum, ut tamen jure decretalium nuſquam dici poſſit confirmata, inquit idem ibidem. Qui & ſubdit: Quin ex Concilio Alteimenſi in libris Decretalium edicitur: *Si Presbyteri, Epiſcopi, cæterique Clerici ante obitum ſuum de bonis hæreditariis ſuis nihil ſtatuerint, Eccleſiam illis ab inteſtato hæredem futuram. Si ante obierint, altari, cui ſerviunt, omnia ſanctificentur perpetuo, & in jus Eccleſiæ tradantur*. Lib. 3. Tit. 27. cap. 1. & 2. Ei capiti rubrica & gloſſa clauſulam addidere a textu ipſo valde alienam, qua videlicet Decretum illud ad Clericos arctatur, quibus nulli ſunt proximi, & qui inteſtati obeunt. *Si decedat inteſtatus & non habet conſanguineos*. Sed quam conſentit hoc decretum iis temporibus, quibus & rubricæ & gloſſæ conſcriptæ ſunt, ſeu Sæculo XIV. tam immaniter diſſentit ab ipſius canonis ſententia, & ab uſu eorum temporum & locorum, quibus ſub Gregorio IX. libri ipſi Decretalium orbi Chriſtiano promulgati ſunt, nimirum ad initium Sæculi XIII.

6. Poſt An. 1400. ſeu Sæculo XV. invaleſcere conſuetudo cœpit, ut cognati hæreditates adi-

rent Clericorum & Beneficiariorum ampliatione quadam ejus conſuetudinis, quam jus tolerabat, ut aliquid eis legaretur, tanquam egenis & famulis; non tamen omnes adhuc Eccleſias pervaſit eodem Sæculo.

Ulam invaluiſſe in Galliis, quod Præſules ea in Eccleſia teſtari valerent, executoreſque ſuorum teſtamentorum conſtituere, ex declaratione Caroli VI. A. 1381. emanata aperte colligitur; ſic enim habet: *Licet de jure, uſu, & conſuetudine, & communi obſervantia notorie obſervatis, Epiſcopis Regni noſtri teſtari liceat, & in ſuis teſtamentis executores ordinare*. Item ex conſtitutione, quam idem Galliarum Rex A. 1406. edidit, in qua legitur: *Niſi forte in illis locis regni, ubi de uſu & conſuetudine notorie obſervatis licitum ſit Prælatis ipſis, & aliis Viris Eccleſiaſticis ſæcularibus de iiſdem bonis facere teſtamentum: quibus etiam ab inteſtato in dictis bonis ſecundum conſuetudinem & obſervantiam ſupradictas ſui ſuccedunt hæredes*. Id quod confirmat Joannes Galli q. 16. & 290. *De conſuetudine notoria*, inquiens, *& notorie obſervata in Regno Franciæ, in Patria conſuetudinaria, Epiſcopi, Presbyteri, Curati, & alii Beneficiati in acquiſitis per ipſos antequam eſſent Beneficiati, vel poſt, ſive mobilia, vel immobilia, habent hæredem, vel ſucceſſorem propinquiorem, ſcilicet de eorum genere*. Habemus ergo primo in Gallia ampliationem ejus conſuetudinis, quam Jus c. 8. h. t. tolerabat, ut aliquid propinquis, atque famulis legari poſſit tanquam egenis & bene meritis a Beneficiariis, dum allatis authoritatibus edocemur, laudatam licentiam in abſolutam teſtandi facultatem tranſiiſſe. Habemus II. hanc libertatem ſoli uſui ac conſuetudini innixam fuiſſe, de *conſuetudine notoria &c.* Habemus III. quod hoc Jus conſuetudinarium ne quidem in Gallia hoc adhuc Sæculo fuerit firmiter ſtabilitum ex iis verbis: *niſi forte in illis locis regni, ubi de uſu & conſuetudine &c.* Quin Carolina conſtitutio de A. 1406. Succeſſoribus Beneficiariorum defunctorum ſubſtantiam ab ipſis relictam obvenire vult, non hæredibus, ut ad intentionem Fundatorum, & priſcorum Canonum, in pauperes, neceſſitateſque Eccleſiæ expendatur. *Cum*, inquiens, *fructus Eccleſiarum, & beneficiorum quorumcunque etiam vacantium, tam ſecundum diſpenſationem Conciliorum generalium & Jurium, quam ſecundum piam intentionem fundatorum ordinati ſint ad ſuſtentationem Miniſtrantium in divinis, ipſiuſque divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Eccleſiarum, ſacrorumque Ædificiorum reparationem, terrarum & poſſeſſionum Eccleſiæ culturam, jurium ipſarum conſervationem, cæterorumque onerum incumbentium ſupportationem*. Hinc etiam eſt, quod juxta tenorem conſtitutionis ejuſdem Galliarum Regis de A. 1381. ipſi quoque hæredes beneficiariorum ad ſimilia onera ſubeunda obligabantur: *Qui Executores* (verba ſunt Conſtitutionis) *aut ſaltem Epiſcoporum hæredes ad faciendum reparationes ædificiorum Epiſcopalium, dum caſus eveniunt, per Judices & Officiarios noſtros compellantur*.

Secunda propoſitionis pars vel ex eo patet, quod uſus & conſuetudo teſtandi in Clero ne quidem in Galliis, unde progreſſum habuit, generaliter invaluerit. Quæ inſuper adſtrui poteſt ex eo, quod in aliis Chriſtianæ Eccleſiæ regnis priſcus hoc tempore perennaverit uſus, quo in nullam ſucceſſionis partem veniebant Beneficiariorum cognati, niſi paupertatis, & famulitii Jure ac modulo. Id quod colligit Thomaſſinus L. cit. ex Concilio Hafnienſi A. 1455. Can. 18. quo bona Clericorum ab inteſtato decedentium dividi jubentur ſecundum Canonum ſacrorum ſanctiones. Item ex Concilio Salisburgenſi A. 1420. Can. 40. quo ſævitum eſt in Clericos, Laicoſque, qui obtentu Patronatus invadebant ſpolia mobilium, & immobilium Beneficiarii hinc excedentis, atque ita Eccleſiam ſpoliabant. Item ex Concilio Eboracenſi 1466. cui execrationi fuit eorum perverſitas, qui paulo ante mortem ſua largiebantur omnia, ut ne ſupereſſet quidem, quod ad reparationes ſatis eſſet; ex quibus equidem conjecturare licet Sæculo XIV. generalem uſum teſtandi in gratiam propinquorum &c. in Eccleſia univerſali necdum invaluiſſe; ſed nequaquam concludi, reliquas extra Gallicanam Eccleſiam ab hoc uſu immunes fuiſſe; Concilium enim Dertuſanum A. 1429. expreſſe vult valere teſtamenta ſæcularium Beneficiariorum, ſi Canonicis inſtitutis & Legibus Synodalibus conſtant. *Idem eſſe cenſemus*, verba ſunt Canonis, *de bonis Clericorum ſæcularium decedentium, ſi juxta formam Provincialium vel ſynodalium conſtitutionum ſua ordinaverint teſtamenta, vel ultimas voluntates*. Synodi ergo hujus Sæculi jam non vetabant *ſimpliciter* a Clericis condi teſtamenta, ſed modus teſtandi præſcribebant. Inter quos præcipui erant, *ut haberent licentiam ab Epiſcopis*, ut conſtat ex conſtitutionibus Epiſcopatus Leodienſis A. 1449. a Nicolao V. confirmatis, atque *ne eis bonis beneficialibus ad cauſas profanas teſtarentur*.

7. Eodem Sæculo XV. permiſſa eſt teſtantium beneficiariorum conſcientiæ poteſtas teſtandi conformiter Juri Canonico, & conſuetudini a decretalibus non improbatæ. Seu valida & legitima habebantur *abſolute* teſtamenta Clericorum, *onerata* eorum manente *conſcientia* graviſſima neceſſitate obſervandæ Juris Regulæ, & Canonicæ conſuetudinis convenienter Libris Decretalium. Qui novus uſus Sæculo XVI. convaluit, ac latius ſerpſit, Eccleſia ſolum tolerante.

Priori propoſitionis parti ſuffragatur Rainaldus ad Annum 1431. ubi narrat, Cardinales, qui electioni Eugenii IV. Interfuere, inter alia capita, in quæ juramento ſeipſos adegere, ut ea *futurus etiam Pontifex* obſervaret, hoc quoque ſanxiſſe: *quod bona Dominorum Cardinalium, Prælatorumque, nec non aliorum Curiſianorum in Curia decedentium nullo modo occupabit, vel occupari patietur; ſed permittet juxta Juris diſpoſitionem & conſuetudinem, quæ in multis regnis & regionibus ſervantur, fieri executiones juxta voluntatem decedentium, relinquendo Conſcientiis eorum diſtributionem bonorum, ad eos quomodolibet pertinentium*. Non ergo jam hic onerantur Diaconi, aliive, ut legerent bona Beneficiarii Eccleſiæ intuitu acquiſita a Patrimonialibus, induſtrialibus &c. ut olim fieri conſuevit; ſed *conſcientiæ* teſtantium relinquitur, an ipſi hanc ſecretionem fecerint, & ad intentum ſacrorum Canonum bona per Eccleſiaſtica officia parta in pias cauſas, reliqua ad libitum diſtribuerint.

Secunda pars ita eruitur, quod Concilia hujus ſæculi de facultate teſtandi Clericis, tanquam de re *uſu* recepta loquantur, ipſiſque id unum inculcent, ne facultates intuitu Eccleſiæ partas aliter, quam in pias cauſas teſtamento diſpenſent. Sic enim habent conſtitutiones Synodicæ Stephani Poncherii Epiſcopi Pariſienſis An. 1503. editæ: *Prohibemus Clericis eorum rebus male uti, & de bonis eorum Eccleſiaſticis teſtari & legare aliis locis & perſonis, quam eorum Eccleſiis, ſi voluerint ſacrilegium & ultionem evitare divinam, ſicuti ſacræ ſanctiones prohibuerunt*. Et a Cardinali Campegio Germaniæ Legato Apoſtolico A. 1524. inter complura reformatæ Eccleſiæ capita vitio datum eſt Epiſcopis quibuſdam, quod *inteſtatorum* Clericorum etiam Patrimonia invaderent. *Inhibemus inſuper, ne impoſterum Epiſcopi*

Cle-

Clericis legitimis ab inteſtato decedentibus in Patrimonialibus bonis aut induſtria propria acquiſitis ſuccedere poſſint, aut debeant, cap. 23. Similiter Concilium Colonienſe A. 1536. & Toletanum A. 1566. providet caſibus iis, quibus Clerici ab *inteſtato* diſcedunt; igitur ſupponunt in iis facultatem teſtandi, reſtrictam tamen quantum ad proventus Eccleſiaſticos ad cauſas pias, & onerate deſuper eorum conſcientiæ, quæ ſola ſubſtantiam Eccleſiaſticam e Patrimoniali optime, ſtreque taorum ſecernere valet.

Tertia pars allatæ propoſitionis ita intelligenda eſt, quod Eccleſia toleret teſtamenta Clericorum *abſolute*, quia non poteſt facile diſcernere bona eorum Patrimonialia ab acquiſitis conſideratione Eccleſiæ; non vero quod toletaret apertam dilapidationem proventuum Eccleſiaſticorum etiam Titulo præſcriptionis vel conſuetudinis coloratam, ſi defectus prædictæ diſcretionis tolli poſſet. Patres enim Tridentini, licet haud ignorarent in multis regnis teſtamenta Clericorum de proventibus Eccleſiaſticis etiam in favorem Parentum non egentium tolerari & valida reputari, nihilominus Epiſcopis, aliiſque quibuscunque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus omnino interdicunt, *ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos familiareſque ſuos augere ſtudeant, ſed ſi pauperes ſint, ut pauperibus diſtribuant*. Propter ſola igitur *odia litium* ex defectu præfatæ diſcretionis neceſſario oriundarum, teſtamenta Clericorum de proventibus Eccleſiaſticis in uſus profanos quantum ad executivam annullationem tolerantur, non aliter; manente interim obſtricta teſtatorum conſcientia inviolabili vinculo intentionis fundatorum, cepagolo Sacrorum Canonum omnium Sæculorum & ipſa natura bonorum ac proventuum Eccleſiaſticorum. Nec unquam Patroni ſententiæ, quod nimirum beneficiati patrocinante præſcriptione, vel conſuetudine poſſint teſtari licite & valide de bonis Eccleſiæ conſideratione acquiſitis in uſus profanos, ſe tueri poſſunt privilegio a Sixto IV. A. 1474. Bulla VIII. primitus impertito, quo permittitur Clericis, qui vitam ducere, & ſedem defigere Romæ aſſentirentur, vel rure vicino ac ſuburbanis ad to. uſque lapidem; ut vel ſuperſtites, vel appetente morte proximis ſuis datent, legarentque acquiſitiones, & fructus redundantes beneficiorum ſuorum, utque iis inteſtatis proximi ſuccederent. Quod privilegium Julius III. A. 1549. Bulla V. & Paulus V. A. 1606. Bulla XVIII. confirmarunt. His ipſis enim Privilegiis teſtati ſunt Pontifices *Jure communi* vetitam eſſe Clericis hujosmodi teſtationem, poſſe tamen cohoneſtari, ſi ejusdem conceſſio ſobria *majus Eccleſiæ univerſalis bonum* promotura ſperetur; quod certe intenderunt dicti Pontifices, dum rara hac facultate attrahere voluerunt homines in urbem toto Chriſtiano orbe Principem, ſed *pene deſertam*, id quod eorum conſtitutiones teſtantur; non vero obtineri poteſt per conſuetudinem aut præſcriptionem, eo quod hæc ex ſua natura capax eſſet, totius Eccleſiæ bonorum in uſus profanos expendendorum facultatem tribuendi & juſtificandi; nullo emolumento, quin maximo ſponſæ Chriſti detrimento inde ſecuturo. Standum igitur potius videtur ſententiis Patrum, Pontificum, Conciliorumque primorum, & poſteriorum ſæculorum circa diſpenſationem bonorum conſideratione Eccleſiæ partorum, quam ſubtilitatibus quorundam recentiorum caſuiſtarum; eo vel maxime quod, quantum ad teſtamenta attinet, ex dictis hoc Titulo ſole clarius ſit, Clericos per tot Sæcula de bonis Eccleſiæ conſideratione acquiſitis nequaquam teſtati potuiſſe, modicum deinde conferendi *in vivis* conſanguineis familiaribusve *ut egentibus* conceſſum fuiſſe, hanc conceſſionem poſthac conſuetudine facultatem teſtandi ad pias cauſas peperiſſe, ac tandem in præſentem diſciplinam teſtandi *abſolute* onerata teſtatoris *conſcientia* adoleviſſe, nec ullum Juris communis vel recentioris textum adduci poſſe, qui id ex profeſſo ſanciat; quodque ex titulis de præbendis, & peculio Clericorum a nobis commentatis ſatis apparet, Clericos non eſſe Dominos redituum Eccleſiaſticorum ſuperfluorum.

8. Quemadmodum autem mox laudato Titulo de peculio Clericorum in pertractanda hiſtorice quidem magis, quam ſcholaſtice quæſtione illa: *An Beneficiati ſint Domini fructuum beneficialium ſuperfluorum?* ſententiæ negativæ ſubſcribentes, nihilominus contrariam ſententiam in ſuo valore ac pondere reliquimus; atque in hunc finem Sanctiſſimi D. N. Benedicti XIV. diſcurſum imparcialem ex præclariſſimo ejus opere de Synodo diœceſane lib. 7. c. 7. N. 13. adduximus: ita ſententiam illam, quam ex recentioribus propugnant Covarruvias, Garcias, Glettle, Schambogen, Schmalzgrueber, & Pichler: *quod nempe Privilegio, vel conſuetudine introduci poſſit, ut Clerici de bonis beneficialibus ſuperfluis etiam ad cauſas profanas, & quidem non tantum valide, verum etiam licite teſtari valeant*, cenſura aliqua notare non præſumimus. Præſertim cum laudati Authores in variis Diœceſibus conſuetudinem illam teſtandi vigere adſirment; eamque in Alma Archi-Diœceſi Pragenſi obtinere illuſtris ſubſellii Doctores ejusdem Almæ Archi-Diœceſeos colligant ex Synodo Archi-Diœceſana Pragenſi ab Illuſtriſſimo Sbigneo Berka A. 1605 habita, Titulo *de Teſtamentis Clericorum*, ubi habetur: *Clerici omnes Sæculares hujus Metropolis & Archi-Diœceſis noſtræ, etiamſi beneficia Eccleſiaſtica cujusvis generis obtineant, liberam quidem habent teſtandi facultatem ex privilegiis antiquiſſimis, & immemorabili conſuetudine; ſed de bonis Eccleſiæ nomine acquiſitis nullo modo teſtari ſeu diſponere poterunt.*

T I T U L U S XXVIII.

De Sepulturis.

1. IN hoc Titulo principaliter agendum venit de loco, de ritibus, de jure Sepulturæ fidelium Chriſtianorum, deque ſuffragiis pro iisdem ab Eccleſia Romana fieri ſolitis. Locus, in quo nunc ſepeliuntur fideles defuncti, eſt locus determinatus ac religioſus, isque vel Crypta Eccleſiæ, vel ager eidem contiguus, aut alias ad Sepulturas determinatus, qui cœmeterium, ſeu dormitorium appellatur. Ritus generales, atque præcipui Sepulturæ Catholicorum in Eccleſia Romana ſunt, quod eorum corpora, ſeu etiam Tumbæ aſpergantur aqua benedicta, incenſentur thure, Pſalmis ac hymnis defunctis parentetur. Per Jus ſepulturæ intelligitur tum Jus eligendi locum ſepulturæ ex parte ſepeliendorum, tum Jus ſepeliendi defunctos ex parte Parochorum, ſimulque percipiendi intuitu functionum ſuorum illam penſionem, quam hodie taxam ſtolæ appellamus. Suffragia denique pro mortuis conſiſtunt in Miſſæ Sacrificiis, aliisque a Ritualibus præſcriptis

piis precibus Deo Optimo Maximo pro ſublevamine defunctorum perſolvi ſolitis. Quæ pleraque cum a Novatoribus noſtri temporis immodice cavillari ſoleant, eorum antiquitas, univerſalitas, & rationabilitas jam oſtendenda venit.

§. I.
De Loco Sepulturæ.

2. IN ipſis Eccleſiæ incunabulis defunctorum corpora apud Romanos tum comburebantur, tum ſepeliebantur; apud Judæos vero ſepeliebantur.

Legem XII. Tabularum, in qua edicitur: *Hominem mortuum in urbe ne ſepelito, neve urito*, ea tempeſtate quantum ad combuſtionem cadaverum apud gentiles adhuc obtinuiſſe, colligitur ex Minutio Felice, qui refert ab iis probro fuiſſe datum Chriſtianis, *quod execrentur rogos, & damnent ignium ſepulturam*.

Secunda pars colligitur ex Sepultura tum Lazari, Joan. 11. tum Chriſti, Matth. 17. tum Stephani Act. 8.

3. Neo-Chriſtiani tum ex Judaiſmo, tum ex Gentilitate converſi primis ſtatim temporibus videntur adoptaſſe Sepulturam Judæorum, ac illam ignium Gentilibus ſolemnem reprobaſſe.

Id præter allata, aliaque Martyrum primitivorum Sepulturæ exempla, ſuadet a mox citato Minutio Felice allata exprobratio, quam illis faciebant, quod crederent eos ideo non tradere igni defunctorum corpora, ne perirent; quibus ſcitiſſime reponit Minutius Felix, hunc Chriſtianæ genti morem non ex inſulſa illa manare formidine; ne corpora pereant, quæ utique vel ardendo, vel putreſcendo æque pereunt; ſed ex veneratione, & obſervantia conſuetudinis longe antiquioris, & religioſioris inhumandi, quam comburendi. *Non, ut creditur, ullum damnum Sepulturæ timemus, ſed & veterem, & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus*. Verba ſunt ipſius. Et uſum comburendi defunctorum corpora Sæculi IV. fine prorſus exoleviſſe teſtatur Macrobius illius ætatis author lib. 7. cap. 7. inquiens: *Licet urendi corpora defunctorum uſus noſtro tempore nullus ſit*.

4. Naſcente ſub Judæorum, Gentiliumque perſecutionibus Eccleſia, fideles defuncti non in aliquo determinato loco, ſed vage plerumque ſepeliebantur.

Jam ſupra retulimus lege XII. Tabularum vetitum fuiſſe, ne quis in urbe ſepeliatur, vel comburatur; hanc legem pro urbe Roma latam, ab Imperatore ad omnes Imperii urbes propagatam fuiſſe ait Ulpianus. Quem Imperatorem fuiſſe Antoninum Pium affirmat Lampridius. Sepulcra tradit Varro plerumque juxta vias publicas locata fuiſſe, ad mortales mortalitatis ſuæ admonendos, Lib. 5. de lingua lat. ſcribens: Sepulcra ideo ſecundum viam ſunt, quo prætereuntes admoneant, & ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. Et hunc morem, hancque legem tum temporis ſecutos fuiſſe Chriſtianos ex actis martyrum patet, utpote in quibus frequenter occurrit: Sepultus eſt via Appia, via Aurelia &c. Septimo, decimo &c. ab urbe Lapide. In agris itaque, ſpeluncis, & cryptis tempore perſecutionum Chriſtiani mortuos ſuos ſepeliebant. Quamvis Chriſtianorum pietas occiſorum martyrum corpora ſæpe raperet, & domi ſuæ intra urbem ſepeliret; uti ſæpe occurrit in Martyrologio. Et Romæ pro ſepulturis Martyrum delectæ fuerint a Chriſtianis ibi agentibus arenariæ Cryptæ extra urbem, in quibus Martyrum corpora recondebantur, atque ibi a Chriſticolis clanculum ſacra tenebantur. Hæ Cryptæ, quæ modo Cœmeteria, interdum areæ, tumbæ, catacumbæ, catatumbæ, vel cryptæ arenariæ, ex loci natura nomine comparato, dici conſueverunt, ſed cœmeterium uſitatius, uti notat Baronius ad Annum Chriſti 226. qui ibidem ex libro de Romanis Pontificibus, aliiſque ex locis 43. ſimilia cœmeteria enumerat. Qui & ad Annum Chriſti 129. magnificum cœmeterium a Priſcilla via ſalaria tertio ab urbe Lapide conſtructum deſcribit: *Mirabile dictu*, inquiens, *vidimus, ſæpiusque luſtravimus Priſcillæ cœmeterium, haud pridem inventum, atque refoſſum via ſalaria tertio ab urbe Lapide: quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus pro ejus amplitudine, multiſque atque diverſis ejusdem viis, quam ſubterraneam civitatem: quippe quod ipſius ingreſſu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde vias diverſas habeat, easdemque frequentes, quæ rurſum in diverſos viculos dividuntur, & angiportus: rurſus, ut in civitatibus, ſtatis locis velut fora quædam, ampliora ſint ſpatia ad conventus ſacros agendos, eademque ſanctorum imaginibus exornata; nec deſint, licet nunc abſtructa, ad lumen recipiendum deſuper exciſa foramina*. Ex qua deſcriptione velim notet eruditus Lector contra novos Iconoclaſtas Calviniſtas tempore Baronii inventum Priſcillæ cœmeterium repertum fuiſſe Sanctorum imaginibus exornatum, ſimulque admiretur ſtupendam primorum Chriſtianorum induſtriam, qui in media ſæviſſimarum perſecutionum procella noverunt ſubterraneas uſque civitates pro latebris, pro ſacris Chriſtianorum, pro ſepulturis Martyrum clanculo exſtruere.

5. Reddita Eccleſiæ pace fideles in urbibus ſepeliri cœperunt, idque vel in ipſis Eccleſiis, vel prope illas in cœmeteriis.

Hujus rei occaſionem dederunt decantatæ in hiſtoria Eccleſiaſtica tranſlationes corporum, ſive reliquiarum tum Apoſtolorum, tum Martyrum ex ſuburbanis aut agreſtibus in urbana ſepulcra, ædiculis, quin Eccleſiis ſuperædificatis honorificata, ſedes Martyrum, vulgo vero Martyria appellata. Quæ Martyrum ſepulcra cum in ipſis civitatibus permitterentur, nonnullorum fallax, & arguta ſolertia, ut habet lex 6. cod. Theodoſ. *de ſepulcro violato*, contendebat, hæc ſepulcra a lege generali, vetante loca civitatis ſepulturæ deputari, eſſe excepta; quaſi in hiſce ſaltem ſepulcris Martyrum privatorum quorumcunque cadavera ſepelire liceret. Ab his, aliiſque Eccleſiis, teſte Thomaſſino p. 3. lib. 1. c. 65. N. 5. ceſſantibus perſecutionibus cœmeteria ſejuncta fuere, ſed in dies magis magiſque viciniora evaſere. Id quod ex Optato Milevitano, qui poſt Sæculi IV. medium floruit, adſtruit, Donatiſtis lib. 6. exprobrante, uſurpatas ab illis Catholicorum Eccleſias, ut & cœmeteria aliquando invaderent, prohiberentque fideles ſepeliri. *Ad hæc Baſilicas invadere voluiſtis*, verba ſunt ejuſdem, *ut vobis ſolis cœmeteria vindicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholica*. Cur autem privati quique ſub ipſa reſpiratione Eccleſiæ admodum deſideraverant apud Martyrum loca ſepeliri, conſtat ex lege Theodoſiana jam citata, partim nimirum urbanæ ſepulturæ præjudicio a Martyribus ipſis, ut mox inſinuavimus, petito, partim pietatis motu deſiderantes & corpora ſua poſt mortem corporibus Martyrum ſociari, nonnunquam forſan & ambitione. De quo deſiderio videri poteſt S. Auguſtinus de 8. Dulcitii quæſtionibus quæſt. 2. qui & ſcripſiſſe librum de cura pro mortuis, cum interrogatus literis fuiſſet, utrum proſit cuique poſt mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam ſepeliatur, teſtatur lib. 2. retract. c. 64. quæ interrogatio lat ipſum populi deſiderium ſurſus inſinuat.

6. Uſus iſte ſepeliendi promiſcuos quoſque in urbibus in vel apud Sedes, ſive Eccleſias Martyrum

rum contra leges Romanas invaleſcens, a Theodoſio M. conſtitutione A. 381. edita ſublatus eſt.

Refertur hæc conſtitutio L. 6. cod. Theod. de ſepulcro violato ſequentis tenoris: *Omnia, quæ ſupra terram urnis clauſa, vel ſarcophagis corpora detinentur, extra urbem delata ponantur, ut & humanitatis inſtar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio ſanctitatem*. Voce *inſtar* ſpeciem vel effigiem humanitatis, ſive mortalitatis juxta Græcam interpretationem Imperatorem intellexiſſe notat Gothofredus; ex quo conſtat, eum ex ipſo motivo, quo lex tabularum, & Antonino ſepulcra in viis publicis condi voluere, eadem ex urbibus proſcripſiſſe, alterumque inſuper addidiſſe, ut nimirum relinquatur incolarum domicilio ſanctitas, non illa quidem, quam olim fingebant Gentiles, perſuaſi Diis ſuperis ſacrata ſolo aſpectu vel contactu rei funeſtæ contaminari, uti notat hic Gothofredus; ſed ſanctitas a fœtore corporum mortuorum, nam civitates inficere, uti obſervat Iſidorus lib. 14. Orig. c. 12. ubi vetitæ ſepulturæ in civitate hanc rationem reddit: *ne fœtore ipſo corpora viventium contacta inficerentur*. At iſthoc periculum cautelis evadere poſſe Veſpillones, hodierna praxis docet. Hinc

7. Sæculo VIII. a Leone Imperatore Nov. 53. data fuit plena libertas vel intra, vel extra urbem ſepulturam eligendi, qua indicatur, Legem Theodoſianam de non ſepeliendo in civitate conſuetudine fuiſſe contemptam ante hoc Leonis Decretum.

En ejus tenorem. *Ne igitur*, ait, *ullo modo inter civiles Leges hæc Lex cenſeatur, ſancimus: quin potius, ut a conſuetudine recte contemnitur, ſic etiam decreto noſtro prorſus reprobatur*.

8. Acrius inſtiterunt tum Leges, tum Canones contra ſepulturam promiſcuam in ipſis Eccleſiis.

Ad hanc inſiſtentiam permoti ſunt Authores tum Legum, tum Canonum, primorum Chriſtianorum Imperatorum exemplis, qui teſte S. Chryſoſtomo hom. 26. in 2. ad Corinth. *pro magno habuere, ſi juxta Apoſtolorum ſaltem veſtibula corpora ipſorum ſepelirentur, fierentque Reges Piſcatorum Janitores*. Unde non alibi, quam in Veſtibulo templi Apoſtolorum ſepultus eſt Conſtantinus M. honorificum ſibi ratus, ut vel Janitor eorum haberetur. Uti conſtat ex vita ejus lib. 4. ab Euſebio deſcripta c. 60. & 70. Si hæc capita ad mentem Chryſoſtomi exponantur, qui ſuis oculis quotidie eadem ſepulcra conſpexit, & conſequenter vera narrat, dum L. cit. ait: *Nam & hic quoque Conſtantinum filium ejus ita demum ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, ſi eum in Piſcatoris veſtibulo conderet. Quodque Imperatoribus ſunt in aulis Janitores, hoc in ſepulcro Piſcatoribus ſunt Imperatores. Atque illi quidem velut Domini interiores loci partes obtinent, hi autem velut accolæ & vicini præclare ſecum agi putarunt, ſi veſtibuli Janua ipſis aſſignetur*. Igitur ad Sæculi IV. finem, quo vixit Chryſoſtomus, vel ipſi Imperatores in veſtibulo Eccleſiæ tantummodo ſepeliebantur, cujus honoris participes quoque fuerunt Epiſcopi teſte Theodoreto lib. 1. c. ult. de eodem Conſtantino ſcribente: *Depoſitus eſt in Eccleſia Apoſtolorum, quam ipſe eo conſilio ædificaverat, ut Imperatores, ac Pontifices ab Apoſtolorum reliquiis haud procul abeſſent*. Hoc itaque primorum Imperatorum exemplo factum eſt, ut Chriſtianorum ſepulturis non ipſæ Eccleſiæ, ſed loca prope ipſas Eccleſias deſignata & conceſſa fuerint: idque tam intra, quam extra urbes, ubicunque Eccleſiæ Parochiales ſive publicæ eſſent extructæ, quæ loca olim & nunc uſitatius dicuntur cœmeteria a græco verbo *koimao*, quod dormire ſignificat, cum juxta Apoſtolum 1. ad Theſſ. c. 4. fideles decedentes non mori, ſed dormire cenſeantur, dum inquit: *nolo vos ignorare de dormientibus*. Et quanquam eidem conceſſioni, quantum ad Sepulturas in cœmeteriis intra urbem, obſtiterit ſubinde Lex Theodoſiana, contraria tamen conſuetudo ex motivis ſupra N. 6. allatis eidem conſtanter obſtitit, donec lege contraria Sæculo VIII. firmata fuerit, ut vidimus N. 7. At ſepulturam inter limina ipſa Eccleſiæ Sæculo VI. prohibuit Concilium Braccarenſe Can. 18. inquiens: *Placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in Baſilica Sanctorum ſepeliantur, ſed ſi neceſſe eſt deforis circa murum Baſilicæ uſque adeo non abhorret. Nam ſi firmiſſimum hoc privilegium uſque nunc retinent civitates, ut nullo modo intra ambitum murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium Martyrum debet reverentia obtinere*. Et a Ferrando Diacono Sæculi VII. authore obſervatum eſt in vita S. Fulgentii, hunc primum in Eccleſia Sanctorum Apoſtolorum tumulatum fuiſſe, quanquam priſca conſuetudine id hactenus invaluiſſet, ut ne Epiſcopi quidem ibi terræ manderentur, nedum Laici. *Primus plane*, verba ejusdem ſunt cap. ult. *in eadem Baſilica Pontifex poni meruit, ubi nullum mortuum, neque Sacerdotem, neque Laicum ſepeliri, conſuetudo ſinebat antiqua*. Quamvis diffiteri non poſſimus Epiſcopos aliosque ſpectatæ Sanctitatis Viros ſicut ante, ita & poſt Legem Theodoſianam in Eccleſiis fuiſſe ſepultos, ab Imperatoribus & Epiſcopis ortis exemplis fidelium in Eccleſiis ipſis tumulandorum. Sic S. Ambroſius ſub altari ipſo, quod quotidianis frequentabat Sacrificiis, recondi poſt mortem voluit, at poſtmodum dexteram SS. Martyribus Gervaſio & Protaſio ceſſit, Epiſt. 55. juxta quem & ejus Soror Marcellina humari voluit, Baron. ad A. 383. Et Hier. in Epitaphio Paulæ inquit: *in media Eccleſia ſpeluncæ Salvatoris eſt poſita*. Fratrem ſuum Cæſarinum in Eccleſia Martyrum ſepultum fuiſſe perhibet Nazianzenus Oratione 10. Qui mos Sæculo VIII. incrementa ſumpſit in dies majora, ut mox videbimus.

9. Sæculo VIII. mos ſepeliendi ipſos quoque Laicos in Eccleſia tum apud Latinos, tum Græcos invaluit, & tandem obtinuit, fruſtra obnitentibus Conciliis & Epiſcopis.

Quantum ad Latinos de conſuetudine in Galliis narrat Theodulphus: *Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, & plerumque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, cœmeteria, ſive Polyandria facta ſunt. Unde volumus, ut ab hac re deinceps abſtineatur, & nemo in Eccleſia ſepeliatur, niſi forte talis ſit perſona Sacerdotis, aut cujuslibet hominis, qui per vitæ meritum talem viventi ſuo corpori defuncto locum acquiſivit*. Concordat Concilium Arelatenſe VI. A. 813. Can. 21. Pluſculum remiſit ejuſdem anni Concilium Moguntinum Can. 20. inquiens: *Nullus mortuus infra Eccleſiam ſepeliatur, niſi Epiſcopi aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel fideles Laici*. Ejuſdem tenoris eſt Capitulare Caroli M. hoc anno editum. Temperamentum excogitavit Concilium Nannetenſe Can. 6. quo & votis fidelium fieret ſatis, nec tamen in Eccleſiis quiſquam humaretur, veſtibula ipſa Eccleſiæ, vel porticus eis adjunctas ſepulturis promiſcuis deputando. Hincmarus vero Archiepiſcopus Rhemenſis Tom. 1. pag. 713. neminem vult a Presbyteris in Eccleſia ſepeliri ſine conſultu Epiſcopi, exceptis hujuſmodi duntaxat perſonis, quas ſigillatim & privatim in ſynodo ſe ſignaſſe affirmat. In Italia vero jam tempore Gregorii M. liberum Laicis fuiſſe ſepulturam ſibi eligendi in Eccleſia ex dialogis ejuſdem Pontificis

con-

Et hinc S. Gregorius M. L. a nobis N. 15. relato ſubdit: *Sed ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſi quidem Parentes ipſius, proximi, vel hæredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus. Peti vero vel exigi aliquid omnino prohibemus.* Concilium item Triburienſe apud Gratianum 13. q. 2. c. 14. dum omnibus Chriſtianis terram mortuis vendere interdicit, & debitam ſepulturam denegare, hoc interdictum limitans ſubdit: *niſi forte proximi & amici defuncti gratis ali… dare velint.* Concilium quoque Ravennateoſe Canonem ſuum tertium ad hanc amuſſim concinnavit, inquiens: *Et ſi quis ſacri Ordinis de ſepultura mortuorum aliquid acceperit, niſi forte, qua ſponte ab amicis vel propinquis mortuorum Eccleſiæ fuerint collata, hac maledictione teneantur obnoxii.* Et Bituricenſe A. 1031. Can. 12. *Nullus pretium pro Baptiſmo, neque pro pœnitentia danda, neque pro ſepultura accipiat, niſi quod fideles ſponte dare, vel offerre voluerint.* Circa hæc decreta, quarum plura a Gratiano Sæculi XII. medio in ſuum decretum ſunt relata, cujus uſus paulo poſt factus eſt communis tum in Scholis, tum in judiciis, notat Thomaſſ. L. cit. N. 6. in fine, nullam adhuc mentionem fieri laudabilium conſuetudinum, quæ nimirum gratuitas fidelium occaſione funerum oblationes aliquantiſper faceret debitas, & ſubdit: *Nec fere Gregoriani Decretalium Libri, niſi voluntarias memorant oblationes, quarum ibi delineatur facienda partitio inter Parochialem Eccleſiam, & illas alias, ubi quis elegit tumulari. Et quamvis Pontifices, quorum decreta hoc titulo relata, jam tertiam, jam mediam, jam quartam partem pro locorum & temporum conſuetudine velint de jure obvenire Eccleſiæ Matrici, in cauſa electæ a defuncto extraneæ ſepulturæ; modus tamen loquendi ſemper tendit ad ſummam, quam defunctus occaſione ſepulturæ faciendæ ſponte ac voluntarie reliquit.*

18. Laudabiles illæ conſuetudines Eccleſiis earumque Rectoribus occaſione funeris aliquid elargiendi, aſſiſtentia Juris ſi non in corpore Juris clauſa, ſaltem poſt ejus compilationem emanata firmatæ ſunt, ac demum certa quota per modum ſtipendii Parochis debiti determinata.

Determinatio laudabilium harum conſuetudinum ſub nomine taxæ ſtolæ poſtremis his Sæculis inolevit; quando ea, quæ prioribus ſpectabantur ut eleemoſynæ, tamquam penſiones quædam alimentariæ, in quibus major jam ſpecies juſtitiæ & neceſſitatis imago ſubluceat, conſiderari cœperunt, neceſſitate hanc immutationem inducente; ut enim præclare diſſerit Cl. Van Eſpen p. 2. tit. 38. c. 4. N. 40. poſtquam decimæ Perſonales deſierunt, & decimæ reales ac mixtæ ſenſim ad Monaſteria & capitula Canonicorum devolutæ fuere, neceſſitas quodammodo coegit, conſuetudines has offerendi ſtabilire, ipſoſque Laicos quaſi coſtringere ad ipſas oblationes hactenus conſuetas, ut Parochorum & Eccleſiarum Parochialium neceſſitatibus provideretur; creditumque fuit æquum eſſe *propria Paſtori tam pro officio exequiarum, quam reliquis charitatis officiis defuncto vita ejus durante impenſis, debitum honorarium poſt mortem præſtari*, uti loquitur Syn. Prov. 2. Cameracenſis tit. 12. c. 8. quæ exequiarum charitatiſque officia olim remunerabantur vel decimis, vel Imperatorum munificentia (N. 15. h. t.) compenſabantur. Unde S. Carolus dum. L. N. 15. cit. quidpiam pro exequiis exigi prohibet, mox ſubdit: *pias tamen in his conſuetudines ſervari jubemus, cujus rei* (atque etiam executionis) *Epiſcopus curam ſuſcipiat.*

Quantum ad 2. p. frigiditas Laicorum erga decentem ſuſtentationem ſuorum Paſtorum, & ſubinde etiam avaritia tum Clericorum, tum Monachorum, quæ duo poſterioribus his Sæculis ſcandaloſas lites circa ſepulturas non ſemel excitarunt, in pleriſque ſtatuminationem, ſeu determinationem quotæ, quæ taxa ſtolæ appellatur, induxit. Quæ vel ex hoc ipſo (modo juſta ac competens ſit) magnopere commendabilis eſt, quod dictis duabus paſſionibus in corrupto humano genere ad finem uſque mundi diſtributive perſeverantis modum ponat.

19. Jus ſepeliendi fideles, de quo Parochi fundatam in jure habent intentionem, ex Privilegio competit Regularibus.

Regulares ante Sæculum IX. privilegio mortuos intra ſepta Monaſterii ſepeliendi præditos fuiſſe, aperte conſtat ex lib. 1. ep. 12. S. Greg. M. ad Epiſc. Urbevet. ubi ait: *Sepeliri ibidem* (hoc eſt intra ſepta Monaſterii) *mortuos, vel celebrare miſſas, nulla ulterius habita contradictione permittas.* Unde hallucinantur, qui Epocham horum privilegiorum ad Sæculum IX. protrahunt. Hoc verum eſt, Sæculo IX. dum lucroſæ fierent ſepulturæ, variiſque Titulis utiles, lites ſæpenumero exortas eſſe Monachos inter & Clerum Sæcularem. Quibus occurrere ſtuduerunt hoc & ſequentibus Sæculis varia Concilia, præſertim quantum ad indemnitatem Parochis ex talibus ſepulturis procurandam (N. 53. h. t.), unde orta eſt præſens diſciplina: ut nempe corpus defuncti, qui ſepulturam apud Regulares elegit, non poſſint Regulares ſine requiſitione & præſentia Parochi levare, & ad ſuas Eccleſias deferre, niſi Parochus requiſitus conſentire vel venire recuſet. Non tamen tenentur corpus prius deferre ad Parochiam. Exequias & actus funerales ipſi peragunt, non Parochus. Et tandem hæredes taxam ſuam Parocho nihilominus ſolvunt. De quibus Canoniſtæ.

20. Hoc Jus ſepeliendi a primis Eccleſiæ Sæculis Clero vindicatum eſt, ceu actio religioſæ pietatis.

Id Sæculo III. teſtatur Tertullianus in lib. de anima: *Cum in pace dormiſſet, & morante adhuc ſepultura, interim oratione Presbyteri componeretur &c.* Et Sæculo IV. S. Hieronymus, dum mulierem capite plexam a Clericis terræ mandatam commemorat: *Clerici*, inquiens, *quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvolvunt, & foſſam humum lapidibus conſtruentes, ex more tumulum parant.* Ex quibus patet his ſæculis non tantum functiones cæremoniales funerum, verum ipſas etiam ſepulturas a Clericis reſpective ut plurimum peractas fuiſſe. Quæ tamen poſterior functio ſuccedentibus Sæculis hominibus Laicis & quidem vilibus commiſſa fuit, functione cæremoniali precum ac benedictionum penes Clerum remanente. Vide lib. 1. Tit. 31. N. 6. de foſſariis priſtinis.

§. III.

De Ritibus Generalibus Sepulturæ Catholicorum.

21. INter Ritus Generales ſæpulturæ Catholicorum primo loco poſuimus orationes a Sacerdote ſuper defunctum fieri ſolitas.

Ritus iſte deſcendit ex fidei articulo in utraque Eccleſia recepto de exiſtentia purgatorii, quo ſuppoſito rationabilis eſt; non enim aptius pietatis officia animæ defuncti impendimus, quam dum ergaſtulo ejuſdem, quod ad tempus reliquit, precibus patentamus.

22. Ritus iſte ex Apoſtolica traditione manavit, atque in Chriſtianorum ſepulturis in utraque Eccleſia conſtanter obſervatus eſt primis IV. Sæculis.

Primam partem adſtruit Tertullianus lib. de corona c. 13. ubi ait: *Oblationes pro defunctis,*

pro

Digitized by Google

pro natalitiis annua die facimus; & cap. 4. *harum & aliarum hujuſmodi diſciplinarum* (quas inter cap. præcedenti oblationes, & lib. de anima orationem Sacerdotis ſuper defunctum enumerat, ut N. præced. vidimus) *ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, fides obſervatrix.* Quantum præjudicet hæc authoritas Patris celeberrimi Sæculi III. initio florentis, & de recepta Eccleſiæ diſciplina teſtantis authoritas erroneæ Proteſtantium de purgatorio opinioni, cordatus Lector dijudicet. Non igitur mirum, quod his & ſimilibus teſtimoniis circa alia quoque capita religionis, nos inter & ipſos controverſa, ex ſæculo uſque II. Chriſtiani ævi deſumpta, preſſi teneriores adverſarii ſuperſtitionis regnum, contra quod eorum Primipili ſenſere, jam illo Sæculo in Eccleſia radices egiſſe adfirmare cogantur. Quæ equidem illorum frons ſine fronte, miſerum eſt, quantum me in orthodoxa Patrum noſtrorum fide circa laudata capita confirmet, quantoque compaſſionis affectus erga miſere deceptos, juſtæque indignationis erga omnes, qui rorum erroribus olim quomodocunque occaſionem præbuerunt, in animo meo excitet.

Secunda pars. Quantum ad priora duo Sæcula æræ Chriſtianæ jam adducta eſt ex Tertulliano mox laudato, & confirmari valide poteſt authoritate S. Dionyſii Apoſtolorum diſcipuli lib. de Eccl. Hierarch. c. 7. ubi ait: *Accedens Venerandus Antiſtes preces ſacram ſuper mortuum peragit; precatur divinam Clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admiſſa peccata defuncto, eumque in luce ſtatuat & regione vivorum.* Quid dicent ad hoc teſtimonium negatores purgatorii? Libri omnes Dionyſio adſcripti non ſunt ab Areopagita editi? et probabilius ſunt. Et gratis admiſſo, quod non ſint, etiam juxta ipſos Sæculo IV. poſteriores non ſunt.

23. Ritus iſte per Sæcula poſteriora uſque ad præſentem diem in utraque Eccleſia inconcuſſe perſeveravit.

Hæc propoſitio pro Sæculis noſtro ævo propinquioribus non eget probatione, cum non negetur ab adverſariis; adferendi proinde ſolum ſunt teſtimonia illorum ſæculorum, quæ ad priora quatuor propius accedunt. Et quidem, quod Eccleſiam latinam concernit, in Sacramentario a S. Leone M. qui Sæculo V. Eccleſiam rexit, confecto, atque ex codice ante annos 1000. conſcripto, a Muratorio edito, col. 451. longo ordine exhibentur orationes ſuper defunctos. Item in Gelaſiano ex ejuſdem ætatis codice a Thomaſſino publici juris facto, atque a Muratorio edito col. 747. §. 91. ponitur oratio poſt obitum hominis. Item oratio, antequam ad ſepulcrum deferatur, & iterum priuſquam ſepeliatur. An autem hoc Sacramentarium Gelaſio, qui Gregorium M. integro Sæculo in Sede Apoſtolica antecеſſit, adſcribendum ſit, hæſitare incœpi ex eo, quod in canone ibidem col. 696. relato legerem illa verba: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas*; quæ tamen verba canoni juſſu Gregorii M. primum addita fuiſſe teſtatur Breviarium Romanum ad 12. Martii Lectione 6. Cum Leonino & Gelaſiano Sacramentario Gregorianum conſpirat, dum col. 215. cit. edit. orationes ante & poſt ſepultum corpus defuncti præſcribit.

Quantum ad Eccleſiam Græcam Rituale Græcorum a doctiſſimo Goario editum tantas a pagina 432. uſque ad pag. 478. pro defunctis præſcribit preces, ut non niſi inſanus negare poſſit, illos non credere purgatorium, & quidem omnium prima ſic habet: *Deus ſpirituum & omnis carnis, qui morte conculcata diabolum expugnaſti, & vitam mundo largitus es: ipſe Domine anima ſervi tui N. defuncti in loco lucido, in loco amœno, in loco refrigerii, unde dolor, & ærumna, ſuſpirium omne exulat, da requiem &c.* Pro majori tamen luce huc tranſcribo, quæ Goarius in Notis ad officium Exequiarum N. 3. animadvertit. *Purgatorii vocem*, inquit, *ut & Græcorum quidam reſpuunt, rem ipſam alii non admittant: adverſus eorum nuperum errorem nuperi quoque Græci decertant; Cariophyllus præſertim & Arcadius opere de purgatorio ſpeciatim edito. Omiſſa vero armorum hujuſmodi, quæ alii tractant, copia, telum fortius in obſtinatam prave ſentientium mentem contorquendum non cenſeo, præter id quod ipſi ſuis verbis, orationibus, & votis depromunt. In Liturgia ſiquidem quotidie non minus mortuarum, quam viventium memoriam agunt, pro quibus, nominibus etiam earum e diptychis ton ke koimenon recitatis, munera offerunt. Sabbati officium Necroſima Troparia complectitur. Annis inſuper ſingulis, ante magnam quadrageſimam, vigilia Pentecoſtes, & primo menſis Octobris Sabbato legunt:* Officium cunctorum a Sæculo dormientium Chriſtianorum. *Uniuscujuſque præterea recens defuncti memoria ſtudioſe recolitur, precibus, & Sacrificiis Deo oblatis tertio, nono, & quadrageſimo die.* ——— *At quod præ ceteris convincit, argumentum eſt, quod tum hic, tum ſexcentis aliis locis orant Græci*, ut animæ mortui detur requies: ut e tenebris erutam in loco lucido, ab æſtu in loco amœno, ab intolerandis ardoribus in loco refrigerii, ubi exulant dolor, triſtitia, & gemitus, Deus eam conſtituat.

24. Ritus celebrandi Miſſas pro defunctis non eſt junior ritu fundendi preces pro iiſdem.

De illo ſiquidem ut communi, atque a Patribus accepto Sæculi III. medio loquitur S. Cyprianus ep. 66. ad Clerum & plebem Furnitanam, dum ait: *Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes cenſuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec Sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Qui fuerunt iſti Cypriani anteceſſores, qui exoſam iſtam miſſam de requie certis defunctis negarunt? Si non Apoſtolorum diſcipuli, Nepotes certe. Nec tantum Eccleſia Latina, ſed etiam Græca ritum hunc ridiculum (ſcilicet) a ſuperſtitioſis his Apoſtolorum commenſalibus edocta fuit, unde Sæculo IV. Cyrillus Hieroſolymitan. Catech. Myſtag. 5. inquit: *Deinde pro Defunctis SS. Patribus & Epiſcopis, denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi ſunt, maximum credentes animarum juvamen, pro quibus affertur precatio ſancti illius & tremendi, quod in altari poſitum eſt, Sacrificii; —— in quo Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum offerimus, ut & nobis & illis eum, qui eſt benigniſſimus, propitium reddamus.* Proh! Papiſtam jam Sæculo IV. ſed ne hilo quidem melior ipſo eſt S. Chryſoſtomus; ſic enim hom. 41. in ep. 1. ad Corinth. ſcribit: *Non ſunt enim hæc temere excogitata, neque fruſtra eorum, qui exceſſerunt, in divinis myſteriis meminimus, & pro ipſis accedimus rogantes Agnum propoſitum, qui mundi peccatum tulit; ſed ut eis inde aliqua ſit conſolatio: neque ab re is, qui adſtat altari, dum veneranda peraguntur myſteria, clamat: Pro omnibus, qui in Chriſto dormierunt, & iis, qui pro ipſis celebrant memorias.* Similia habet hom. 3. in ep. ad Philip. hom. 21. in acta Apoſt. Concordant ſupra citata Sacramentaria Miſſas pro defunctis præſcribentia, Patreſque ac Concilia omnium Sæculorum uſque ad noſtra tempora, quæ vide relata apud Nat. Alex. hiſt. Eccl. Sæc. IV. diſſert. 45.

25. Hymnorum quoque ac Pſalmorum uſus in ſepulturis Chriſtianorum antiquiſſimus eſt.

In

In Sacramentario Gregorii M. ſub rubrica de Agenda mortuorum legimus: *Poſt hæc continuatim cantantur Pſalmi, & poſtea dicantur capitula.* Quin Sæculo II. morem mortuos ſepeliendi totius Cleri pſallentis præcedente cœtu jam receptum fuiſſe conſtat ex actis Marcelli Pontificis & Martyris, qui corpora Martyrum cum Presbyteris & Diaconis, cumque Hymnis & Canticis ſepelire ſolemne habuit, ut narrat in Pontificum Romanorum vitis Ciaconius. Accenſas quoque faces adhibuiſſe, nec pompæ exterius emicantis ſolemnitatem recuſaſſe priſtinos Patres, Cypriani acta commonſtrant. *Ita B. Cyprianus paſſus eſt*, ajunt illa, *ejusque corpus propter Gentilium curioſitatem, in proximo poſitum eſt cum cereis & ſcholaribus, in atris Macrobii Candidi Procuratoris, cum voto & triumpho magno.* Ritum eundem circa Paulam Sæculo IV. obſervatum teſtatur Hieronymus. *Quæ translata eſt*, inquiens, *Epiſcoporum manibus, & cervicem feretro ſubjicientibus, cum alii Pontifices Lampades, cereosque præferrent, alii Choros Pſallentium ducerent.* Sed ſolemnius & copioſius hæc omnia in Eccleſia Græca obſervabantur. Tanta enim cantanda & oranda in officio exequiarum ab eorum Rituali præſcribuntur, quæ duratione ad minus terna vel quaterna noſtras ſepulturas excedunt. Rubrica, quæ ad rem præſentem facit, ſic ſonat; *& ſiquidem cuncta ad exequias requiſita jam ſint diſpoſita, continuo Benedictionem ſubjungit Sacerdos. Et incipimus canere Sanctus Deus cum omni tremore & compunctione. Et cadaver efferentes ad Eccleſiam proficiſcimur, præcedentibus Sacerdotibus cum cereis, & Diacono cum thuribulo.* In hoc ritus funerandi Græcorum a ritu moderno Latinorum diſcrepat, quod Græci in ſuis funeribus frequentiſſime repetunt vocem illam lætitiæ *Alleluja*, hymnum quoque Angelicum *Gloria in Excelſis Deo* adhibeant, cujus loco in Eccleſia Latina triſte nunc recolunt *Requiem* cum flebili *Miſerere*; quamvis primis Sæculis Latinos etiam in funeribus uſos fuiſſe cantico *Alleluja* nos doceat Hieronymus de morte Fabiolæ ſcribens: *Tum fama volans tanti prænuntia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata tecta templorum in ſublimi quatiebat Alleluja.* Eſt etiam apud Hugonem Menardum in notis ad Gregorii Sacram. officium, cujus hæc ſunt primordia: *imprimis cantatur Pſalmus: In exitu Iſrael de Ægypto, cum Antiphona vel Alleluja.* Nec tamen Græcorum ſigna lætitiæ, nec teſſeræ triſtitiæ Latinorum in funebribus fidelium unum vel alterum ritum reddunt irrationabilem, cum fidelis defunctus ſpectari poſſit & ut filius veteris Adæ triſtem mortis ſententiam, in totam ejus poſteritatem latam, expertus, aliosque caducitatis rerum humanarum ſuo fato admonens, & fortaſſis in flammis purgantibus debitas pœnas luens, quibus omnibus ſigna triſtitiæ congruunt: & ut in ſpem filiorum Dei per lavacrum Baptiſmatis adoptatus, atque in Chriſto Salvatore ſuo defunctus, cui utpote hujus vitæ miſeriis perfuncto, & jam æternæ beatitudinis certo gratulandum ſit.

26. Thuris in funeribus Chriſtianorum uſus æque antiquus eſt, ac ille Hymnorum, Pſalmorum, ac Cereorum accenſorum, quin antiquiora de eo proſtant documenta.

Thuris & aromatum copiam in funeribus Chriſtianorum conſumi ſolitam Sæculo III. ſcribit Tertullianus in Apologetico adverſus gentes c. 42. *Thura plane non emimus? ſi Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi, pluris & charioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Et S. Ephrem in ſuo Teſtam. ita habet: *Oro vos quoque dilectiſſimi, ne cum aromatibus me ſepeliatis; date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini: me orationibus veſtris comitamini, & aromata Deo afferte.* Et Nili Junioris defuncti diſcipulus Bartholomæus funus ejus deſcribens: *Totam noctem illam*, inquit, *in Pſalmis & funereis Hymnis cantandis peregimus: mane vero cum cereis, & incenſo, & cantibus, lectulo ſublato corpus extulimus.*

27. Græci in ſuis funeribus æque ac Latini ritum injectionis terræ ſuper ſarcophagum defuncti obſervant; de aquæ tamen benedictæ aſperſione, apud Latinos uſitatæ, nulla in eorum Rituali fit mentio, ſed ejus loco olei infuſione utuntur.

Primam partem docet rubrica poſtrema officii exequiarum, in qua legimus: *& cadaver in monumento deponitur. Sacerdos vero terram batillo tollens ſuperinjicit Cadaveri.* Et S. Bernardus ſerm. 26. in Cant. *Indutus*, inquit, *Sacerdotalibus ſolitam orationem proprio ore complevi: terram meis manibus ex more jeci ſuper dilectum corpus, terram & ipſum futurum.*

Altera pars ex eodem Rituali Græcorum L. cit. adſtruitur: pergit enim Rubrica: his peractis cadaveri ſuperinfundunt Lampadis oleum, aut e thuribulo cinerem, nulla mentione aſperſionis aquæ benedictæ facta. Qui ritus, quando in Latina Eccleſia cœperit, me latet. Antiquiſſimum eſſe ſuſpicari licet, quod uſus aquæ luſtralis jam Sæculo V. ad varias functiones religioſas adhiberetur, ut ſuo loco oſtendemus.

28. A primis Eccleſiæ ſæculis oblationes pro defunctis a fidelibus peragebantur.

Harum oblationum (de quibus fuſius alibi) meminit Tertull. lib. de monogamia c. 10. ubi de officio viduæ fidelis erga maritum ita ſcribit: *Enim vero & pro anima ejus orat, & refrigerium interim adpoſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis ejus.* Similia habet lib. de exhort. caſt. cap. 11. & S. Cyprianus ep. 66. ad Clerum & Plebem Furnitanam: *Ideo Victor, cum contra formam nuper in Concilio a Sacerdotibus datam Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, non eſt, quod pro dormitione ejus apud nos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur.* Pro cujus intelligentia notandum eſt ex Thomaſſino p. 3. lib. 1. cap. 52. quod ſicut fideles vivi excommunicati, aut certis criminibus obnoxii ab oblationibus faciendis, ita & mortui hujusmodi a participandis arcerentur ſunt; eo quod illæ oblationes eſſent teſſeræ communionis fidelium, & juris ad participandum corpus Chriſti, de quibus ſuo loco fuſius.

DISSERTATIO DOGMATICA.
An Ritus Sepulturæ Catholicorum ſint rationabiles?

29. DE Ritibus hucuſque enumeratis, atque ab univerſali Eccleſia approbatis contra Novatores noſtros diſputationem ſuſcipimus, non de abuſibus particularium hominum occaſione funerum committi ſolitis. Conſiſtuntque in precibus Sacerdotum, ac Miſſæ Sacrificio pro fidelibus defunctis Deo offerri ſolitis. In Hymnis item ac Canticis, quibus iiſdem parentamus. Thuris quoque fumigatione, aquæ luſtralis aſperſione, ac terræ ſuper tumbam injectione. Ac demum in fidelium oblationibus, ac eleemoſynis pro animabus defunctorum fieri conſuetis.

30. Qui notas hiſtoricas de his ritibus præſenti §. datas legerit, fortaſſe mirabitur hæreticos noſtri temporis eo audaciæ devenire potuiſſe, ut ea irrideant, quæ tamen Sæculo III. inter fideles, tanquam a Patribus accepta, communi uſu abſque ulla hæſitatione celebrabantur, qualiter de ritibus funeralibus majori ex parte demonſtratum eſt. Sed ſcire oportet, eorum recentiores, dum

videant

ſe circa controverſa Religionis capita ex authoritatibus Sæculi II. & III. premi, & quidem, poſtquam beneficio critices hiſtoria Eccleſiaſtica in orbe Catholico plenam meridiem nacta eſt, vehementer; Patrum ſuorum flebile refugium, Eccleſiam nempe Catholico-Romanam Sæculo V. a Chriſto apoſtatare cœpiſſe, uſque eo perducere, ut regnum ſuperſtitionis Sæculo III. quin II. Chriſtiano Orbi irrepſiſſe circa plurima nos inter & ipſos controverſa capita prætendant. Quo ſolo traditionis vim ac energiam ſe ſubterfugere confidunt ingrati poſteri Patrum horum Sæculorum, qui ſanguine ſuo fidem Chriſti ad nos derivarunt. Unde Fleiſcherus in ſua manuductione ad jus Eccleſiaſticum Proteſtantium c. 12. non formidat de oblationibus fidelium pro defunctis tempore Tertulliani, & Cypriani, ſeu Sæculi III. initio communiter, adeoque certiſſime ex traditione majorum fieri ſolitis pronuntiare: Dieſes war alſo zu denen Aberglaubiſchen Zeiten, ein vortreſſliches Mittel die Kirchen zu bereichern, indeme ein jeder gerne alle das ſeinige hinngab, umb den Himmel zu erlangen, und auch die ſeinigen auss dem Fegfeuer zu erretten. §. 18. *Hoc itaque* ſuperſtitioſis *illis* temporibus *excellens erat medium Eccleſias ditandi; quoniam conſequendi regni cæleſtis, ſuoſque e purgatorio liberandi gratia, ſua quilibet lubens conferebat.* Quo loco Juriſconſultus ille Heterodoxus non tantum graviſſimam ſuperſtitionis calumniam impingit Eccleſiæ adoleſcenti, verum etiam falſum aperte committit, dum oblationes fidelium ditandarum Eccleſiarum cauſa introductas (ſit venia verbo) mentitur. De quo argui poteſt ex tit. 5. hujus libri de præbendis, & titulo ſeq. dum de oblationibus acturi ſumus, redarguetur. Non immerito proinde aliquot ab hinc annis a quodam viro docto profeſſione externa Lutherano, re tamen fortaſſe Naturaliſta, dictum eſt mihi, quod primus paſſus ad abjicienda religionis revelatæ præjudicia Catholico faciendus ſit per ſuſceptionem Lutheraniſmi; eo quod reformatio Proteſtantium contra apertam traditionem Chriſtianorum etiam naſcentis ipſius Eccleſiæ facta, homini a præjudiciis libero, & conſequenter Novatorum dictatum placitis primorum Chriſtianorum præferre non valenti, facile eam inſpiret indifferentiam, qua omnibus revelatarum religionum jugum portantibus comparatur. Hæc ille.

31. Nos, qui nolumus eſſe ſapientiores Patribus noſtris, & periculoſas novitates devitare volumus, firmiter perſuaſi contra omnes profanos de evidentia credibilitatis myſteriorum noſtræ fidei, & contra Dominos Proteſtantes de infallibilitate viſibilis Eccleſiæ, Ritus enumeratos circa ſepulturam fidelium defendendos ſuſcipimus non tantum ex eo, quod fere omnes naſcenti Eccleſiæ coævi ſint, id quod jam præſtitimus; verum etiam quod nihil a ratione innocuæ cæremoniæ alienum contineant, quamvis ad amuſſim Wolfſianam lib. 1. tit. 8. a N. 29. exhibitam expendantur.

32. Et quidem quod preces Sacerdotis, Miſſæ Sacrificium, & oblationes pro fidelibus defunctis exhiberi ſolitas attinet; hi Ritus ſuppoſita veritate dogmatis de exiſtentia purgatorii prono alveo fluunt, atque juſtificantur. Cauſam autem Catholicorum hac in parte prævalere cauſæ Proteſtantium quivis indifferens facile non inficiabitur. Certe enim ſi quæſtio circa Hagiographum libri I. & II. Machabæorum ſpectetur, affirmativa Catholicorum ſententia frontem prævalentem exporrigit placitis negativis Proteſtantium, & tamen ibi legimus: *Virum fortiſſimum Judam, facta collatione, miſiſſe duodecim millia drachmas argenti Hieroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, bene & religioſe de Reſurrectione cogitantem;* —— ubi & ſubditur: *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Demus autem, quod Author horum librorum hiſtoricum nudum egerit, non inſpiratum hominem, cujus tamen contrarium a noſtris criticis demonſtratur; id ſaltem evincemus, Judæos nobiſcum contra Novatores exiſtentiam purgatorii credidiſſe, ac publice profeſſos fuiſſe, animas ibi detentas fidelium oblationibus, ſacrificiiſque juvari poſſe. Quod quantum præjudicium afferat doctrinæ contrariæ a Luthero homine in Sedem Apoſtolicam, atque in indulgentias ab eadem promulgatas animato impotenti furore profuſæ quodammodo, nemo non videt. Cui teſtimonio ſi locum illum famoſum ex Matth. cap. 12. addamus, utriuſque teſtamenti paginis purgatorii exiſtentiam adſtructam ſecure affirmabimus. Sic autem ſonat: *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Supponit igitur Chriſtus evidenter aliqua in futuro ſæculo remitti peccata; at non in inferno, ex quo nulla eſt redemptio, neque in cœlo, quo nihil inquinatum introibit, igitur in tertio loco, quem purgatorium appellamus.

33. Sed quid dicent Domini Proteſtantes ad argumentum, quod ſuppoſitis his Scripturæ textibus eſt peremptorium, quodque omnes illorum ſubtilitates, quibus cunctæ retro hæreſes, dum ſacri eloquii authoritatibus premerentur, ſeſe tueri ſolenne habuerunt, exſufflat, elidit, proſternit. Ad argumentum, inquam, ex traditione Eccleſiæ viſibilis ab incunabulis ſuis adusque noſtra tempora ininterrupte derivata, quæ docet tam aperte exiſtentiam purgatorii? Et quam ex ipſis precibus Sacerdotum, Miſſæ Sacrificiis, & oblationibus fidelium Sæculo III. quin II. pro defunctis fieri ſolitis jam demonſtravimus? Numquid ſuperſtitionis arguent ipſam juvenculam Chriſti ſponſam? Ego pro parte mea, dum tam clarus Scripturæ textus pro exiſtentia purgatorii conſpicio, eorumque ſenſum per ſecuriſſimam primorum Chriſtianorum traditionis regulam aſſequor; periculoſis Novatoribus, ſacri eloquii aliquo poſitivo contrario textu nequaquam nixis, & traditionem Patrum ſibi obverſantem habentibus nuntium remitto, & præfatos ſepulturæ ritus ſeipſis juſtificatos probo.

34. His autem juſtificatis, Hymni, Pſalmique a primis Chriſtianis in parentando fidelibus defunctis adhiberi ſoliti probati debent, eſto in finem, ut animabus defunctorum proſint, adhibiti fuerint. Diſcrimen autem Eccleſiæ Græcæ cum Latina circa præfatos hymnos, & Pſalmos jam juſtificatum eſt h. t. N. 25. injectio item terræ ſuper tumbam defuncti ex S. Bernardo N. 28. Nec cereis accenſis, aut incenſo adhibito ſepulturis notio rationabilis cæremoniæ deeſt, cum præter alia prioribus lumen fidei in defuncto luxiſſe, & poſteriori fumigeram vanitatem rerum caducarum mentibus aſtantium ingeramus, quæ commonitiones per cæremonias *vivificatæ* earum neceſſitatem non tantum in bene ordinata Republica, verum etiam in Religione inducunt: quemadmodum demonſtrat Wolffius loco ſupra a nobis laudato. Sed neque eſt explodenda oleorum ſuper defunctos effuſio a Græcis uſurpata, ſicut nec aquæ luſtralis aſperſio Latinis ſolemnis. Rationabilem enim eſſe cæremoniam Græcorum S. Dionyſius, vel certe Author aliquis Sæculi IV. cap. 7. de Eccl. Hierarchia demonſtrat, dum ait: *Memento quia ſecundum divinam regenerationem ante ſacrum Baptiſma prima fuit ſymboli participatio data initiato poſt integram veſtis denudationem,*

nem, & unctionis oleum. His demum omnibus peractis, oleo reſpergitur obdormiens; & tunc quidem ad ſacro certamina initiatum olei unctio evocabat: nunc vero dum effunditur, oſtendit pugnis omnibus perfunctum, omnique ex parte perfectum illum, qui obdormiit, quaſi certaminis coronam adeptum. Nec cavillari poteſt aſperſio aquæ benedictæ a Latinis adhiberi ſolita, quemadmodum ex ſolutione objectionum patebit.

Solvuntur Objectiones.

35. PRimo lapidem offenſionis inveniunt in precibus illis, quibus Eccleſia tum intra, tum extra Miſſæ ſacrificium pro defunctis orat: *ut liberentur de morte æterna in die illa tremenda, quando cæli movendi ſunt & terra, dum venerit Chriſtus judicare ſæculum per ignem.* Item in Offertorio Miſſæ pro defunctis: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcurum.* Denique ante ſepulturam defuncti: *Non intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo, niſi per te omnium peccatorum ei tribuatur remiſſio. Non ergo eum, quæſumus, tua judicialis ſententia premat, quem tibi vera ſupplicatio fidei Chriſtianæ commendet.* Quo jure, inquiunt, Eccleſia orare poteſt in die obitus defuncti, ut eum cum reliquis animabus in extremo die Judicii liberet a morte æterna? quæ particulare Judicium Dei, & hoc irrevocabiliter jam circa ipſum credit abſolutum. Quo prudentia petit, ut eripiatur ab ore leonis, ne eum abſorbeat tartarus? Quæ ipſum credit aut jam abſorptum, & tunc non amplius juvabilem, aut non abſorptum, & tunc jam extra periculum, ne ore leonis infernalis abſorbeatur. Qua denique fronte rogat Chriſtum, ne intret cum ſervo ſuo in judicium, neve eum ſua judicialis premat ſententia, quem in ipſo momento mortis jam judicatum confitetur?

36. Ad hoc argumentum, quo etiam prætendunt ex precibus Eccleſiæ a primis Eccleſiæ Sæculis pro animabus fidelium defunctorum fundi ſolitis nequaquam colligi poſſe purgatorium, eum ex iis jure colligi etiam poſſet damnatorum animas ex inferno eripi poſſe, vel ſuſpenſam eorum, qui in ſtatu gratiæ & charitatis decedunt, manere ſalutem ad diem uſque Judicii; reſpondet Natalis Alexander hiſt. Eccl. Sæc. IV. diſſert. 45. in qua ex locis ſacræ Scripturæ a nobis relatis, ex conſenſu Patrum omnium Sæculorum, atque ex ininterruptis precibus Eccleſiæ pro animabus fidelium defunctorum cunctis retro ætatibus Deo Opt. Maximo fundi ſolitis, exiſtentiam purgatorii invicte omnino ac fuſiſſime demonſtrat; preces Eccleſiæ mox laudatas referri ad illud inſtans, quo animæ e corpore migrarunt, quæ migratio tunc in memoriam revocatur, cum has orationes Eccleſia fundit, non quidem ut earum liberationem ex inferorum pœnis obtineat, ſed ut ipſis pœnarum, quas in purgatorio ſubeunt, mitigationem, vel integram remiſſionem impetret: quæ mitigatio, vel remiſſio beneficium eſt ad illud conſequens, quo ipſas divina miſeratio conferendo eis perſeverantiæ donum ſervavit, ne damnationem æternam incurrerent. Sic Eccleſia Myſteria Chriſti celebrando tempus illud revocat in memoriam, quo nondum perfecta erant, ſed a Patriarchis, Prophetis, vel Apoſtolis, & juſtis illorum temporum Viris deſiderabantur, vel exſpectabantur: & eorum voces mutuata illorum conſummationem poſtulat, non quidem in ſe & abſolute ſpectatorum, quia de illorum non dubitat adimpletione; ſed quoad illorum fructus, & gratias ex illis ſcaturientes, quas membris Chriſti, filiis ſuis poſtulat applicari. Eo tendunt preces illæ, quæ adventus tempore fiunt: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*: & ſimiles, quæ in feſtis Nativitatis Domini, Paſſionis, & Reſurrectionis canuntur: quæ Myſteria illa ab Eccleſia ita celebrari, & recoli ſupponunt, quaſi adhuc adimplenda eſſent, nondum adimpleta. Qua de re S. Auguſt. Ep. 23. ad Bonif. Ep. ita ſcribit: *Nempe ſæpe ita loquimur, ut Paſcha propinquante dicamus craſtinam, vel perendinam Domini Paſſionem, cum ille ante tam multos annos paſſus ſit, nec omnino niſi ſemel illa paſſio facta ſit. Nempe ipſo die Dominico dicimus: hodie Dominus reſurrexit; cum ex quo ſurrexit, tot anni tranſierunt. Cur nemo tam ineptus eſt, ut nos ita loquentes arguat eſſe mentitos; niſi quia iſtos dies ſecundum illorum, quibus hæc geſta ſunt, ſimilitudinem nuncupamus, ut dicatur ipſe dies qui non eſt ipſe, ſed revolutione temporis ſimilis ejus: & dicatur illo die fieri, propter Sacramenti celebrationem, quod non illo die, ſed jam olim factum eſt? nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo, & tamen in Sacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus reſponderit immolari.* Hæc S. Auguſtinus, in quotidianis Miſſæ Sacrificiis Chriſtum incruente immolari affirmans. Et certe non diſſentiunt hac in parte Eccleſiæ Proteſtantium a Catholica, dum eodem modo adventum Domini, Paſſionem, Reſurrectionem, ac Feſta Pentecoſtalia concelebrant, ut eorum Cancionalia aperte produnt.

37. Aliam reſponſionem in idem tamen redeuntem ibi adhibet Author egregius; Eccleſiam nimirum ea quandoque a Deo poſtulare, de quibus certiſſima eſt, vel quorum jam eſt poſſeſſione donata, ut vehemens deſiderium, ardentiſſimumque amorem præſtiti jam a Deo beneficii oſtendat, cujus appendices ab eo precatur. Id quod exemplo Eccleſiæ Græcæ in Liturgia poſt verba Chriſti, quibus Euchariſtia conſecratur, preces fundentis, *ut Deus faciat panem pretioſum corpus Chriſti ſui*, confirmat. Ex quibus omnibus Ritus precandi pro defunctis in objectione allati a nota irrationabilis cæremoniæ plene juſtificantur.

38. Secunda petra ſcandali Proteſtantibus eſt aſperſio aquæ benedictæ ſuper cadavera mortuorum, aut eorum tumbas fieri ſolita; eo quod credamus per aſperſionem hujuſmodi, ſeu per virtutem aquæ precibus Eccleſiæ benedictæ fidelibus defunctis impetrari locum refrigerii, lucis, & pacis; e ſepulcris vero, & cœmeteriis omnem infeſtationem malignorum ſpirituum procul abigi.

39. Sed aquæ luſtralis benedictionem, ejuſque ad dæmones pellendos vim, alioſque effectus nos ex Apoſtolica Traditione credere lib. V. Tit. 38. demonſtrabimus. Quid de ea habeat Clemens, ſeu alius Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. c. 29. huc interim opponimus: *De aqua autem & oleo —— conſtituo ego Matthæus, ut benedicat Epiſcopus aquam aut oleum. Si non vero non adſit, benedicat Presbyter præſente Diacono. Quando autem aderit Epiſcopus, aſſiſtant Presbyter & Diaconus. Hunc vero in modum dicat: Domine Sabaoth, Deus virtutum, Creator aquarum, miſericors, & hominum ſtudioſe, qui dediſti aquam ad potum, & expurgationem, —— & nunc per Chriſtum ſanctifica hanc aquam —— nomine illius, qui obtulit, —— & da vim effectricem ſanitatis, morborumque expultricem, dæmonum fugatricem, omnium inſidiarum profligatricem, per Chriſtum Spem noſtram.* Non tamen diffitemur ritum trinæ aſperſionis vel thurificationis non eſſe æque antiquum, ac alios enumeratos; nulla enim mentio fit trinæ thurificationis, uti nec aſperſionis

aquæ

aquæ luſtralis in Rituali Ratholdi, quod ſub finem Sæculi IX. ſcriptum credit Menardus, indicium, hos Ritus eſſe recentioris inſtituti, aut ſaltem in Eccleſia, ad cujus uſum hoc Sacramentarium erat ſcriptum, tunc nondum fuiſſe receptos. Rituale Romanum unius tantum aſperſionis & thurificationis meminit. Sciant enim nihil adeo varium olim fuiſſe pro varietate Eccleſiarum, quam Rituum ac precum ſimilium uſus.

T I T U L U S XXX.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

1. INter bona temporalia, quibus in primitiva Eccleſia alebantur Altaris ſancti Miniſtri, principem locum tenebant decimæ, primitiæ, & oblationes fidelium, de quibus præſens agit Titulus. Cum enim lege naturali onus alendorum ſacrorum Miniſtrorum ſibi incumbere noſſent primi Chriſtiani, eamque legem a Chriſto diſertis verbis legerent confirmatam, utpote qui Apoſtolis Matth. 10. v. 10. aperte ſuaſit: *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas &c.* rationem ſubdens: *dignus eſt enim operarius cibo ſuo*; atque Lucæ 10. v. 7. illos juſſit *manere in eadem domo edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; eo quod dignus ſit operarius mercede ſua*: ſimulque viderent, populum Judaicum ex mandato Dei, Miniſtros legis Moſaicæ deputatione decimarum, primitiarum, ſpontaneiſque oblationibus aluiſſe, facile in id quoque erant inclinabiles, & inclinati, ut ſimili œconomia Miniſtros Evangelii, qui omnibus terrenis negotiis poſtpoſitis in hoc ſolum eſſent intenti, ut ſpiritualia ipſis ſeminarent, de condigno ſuſtentarent; nimirum per decimas, primitias, & oblationes communi eorum Gazophylacio factas. De quibus præſenti Titulo notas hiſtoricas damus.

§. I.
De Decimis.

2. QUamvis præſtatio alimentorum ſacris Miniſtris debita ſit jure naturali, & hinc præceptum de ſolvendis Decimis in Lege Moſaica ſub hoc reſpectu fuerit morale, a Chriſto minime abrogatum, quin LL. mox citatis confirmatum; nihilominus in quantum hæc præſtatio alligata fuerat ad decimam partem frugum, nullatenus morale fuit, ſed judiciale, neque a Chriſto ad novi teſtamenti Miniſtros perductum.

Hæc ſententia eſt S. Thomæ 2a. q. 87. a. 1. in (-) ubi ait: *Sic ergo patet, quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur, partim quidem jure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ; quæ tamen penſatis opportunitatibus temporum, & perſonarum poſſet aliam partem determinare ſolvendam.* Quæ Doctoris Angelici concluſio unanimi Theologorum & Recentiorum Canoniſtarum calculo probatur, & ubique gentium recepta eſt, exploſa quorundam antiquorum Canoniſtarum opinione, qui volebant populum Chriſtianum ad ſpecificam ac determinatam decimarum ſolutionem, non minus quam populum Judaicum præcepto divino, nulla conſuetudine abolendo, obligari, uti habet Cl. Van Eſpen Juris Eccl. univ. p. 2. Tit. 33. c. 2. N. 4. & patebit ex eo quod Adverſarii nullum locum ex novo Teſtamento adducere valeant, qui legem Decimarum Moſaicarum ſeu materialium ad Chriſtianos extendat; confirmarique poteſt, quod juxta dicenda Decimæ in naſcente Eccleſia non videntur fuiſſe in uſu, minus in præcepto, nec poſtremis hiice Sæculis ubique vigeant.

3. Non videtur ullo poſitivo teſtimonio adſtrui poſſe fideles, durantibus Imperatorum perſecutionibus, ſeu per tria priora Sæcula poſitivo aliquo Eccleſiæ præcepto adſtrictos fuiſſe ad perſolvendum Clero decimas materiales, ſeu decimam partem ſuorum frugum &c. Quin contrarium ex auctoritate Actuum Apoſtolorum, Patrumque illorum Sæculorum adſtrui poteſt.

Prima pars ex ſilentio generali tum Scripturæ, tum Authorum illius ævi clareſcit, quæ inſuper ſuadetur

Probando ſecundam. In actis enim Apoſtolorum c. 4. legimus, fideles, quibus abundantior erat ſubſtantia, initio naſcentis Eccleſiæ, non tantum Miniſtros Eccleſiæ, verum etiam egentes confratres ſæculares ex ejus divenditæ pretio per diſpenſationem Apoſtolorum, aliorumve aluiſſe, aut ſaltem largis eleemoſynis a Miniſtris deputatis collectis eorundem neceſſitatibus ſuccurriſſe. Sic enim legimus Actor. 4. v. 34. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos: quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant. Et ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Et cap. 11. v. 29. & 30. *Diſcipuli autem* (Antiochiæ commorantes) *prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabæ & Sauli.* Qui poſterior modus ſuccurrendi neceſſitatibus Miniſtrorum & pauperum fidelium per eleemoſynas abundantium longe diſtinctus a decimis, primitiis, & oblationibus, de quibus præſenti titulo commentationes hiſtoricas inſtituimus, videtur perſeveraſſe uſque ad tempora Conſtantini M. uti patebit legenti Titulum V. hujus Libri de præbendis, quamvis ibidem non negaverimus, etiam ante hunc Imperatorem Eccleſiam prædiis, fundiſque ſtabilibus a fidelibus ſubinde dotatam fuiſſe, primitiaſque, & oblationes ad altare jam his ſæculis in communi uſu fuiſſe infra ſimus probaturi. Ibidem relata confirmari poſſunt ex Sancto Cypriano Sæculi III. Patre, qui lib. de unit. Eccl. ait: *at nunc de Patrimonia nec decimas damus.* Et ep. 66. ad Clerum & populum Furnitanorum oſtendere volens Sacerdotes per ſæcularia negotia ab officio Altaris non eſſe abſtrahendos, atque propterea in Veteri Lege aſſignatas fuiſſe decimas de fructibus terrarum, quæ aliis Tribubus erant aſſignatæ, ſubjungit: *Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, nec moleſtiis ac negotiis ſæcularibus alligentur: ſed in honore ſportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructu accipientes ab altari & Sacrificiis non recedant: ſed die ac nocte cæleſtibus rebus & ſpiritu aliis ſerviant.* Hæc enim palam ſupponunt, tempore Cypriani *ſportulas* vicem decimarum ſubiiſſe. Poſtquam nimirum creſcente in dies numero fidelium & Epiſcopis & fidelibus in mentem veniſſet, expeditius fore, conſultiuſque, ut fundi ipſi retinerentur, uti perennes eleemoſynarum fontes deinceps futuri.

4. Hæ ſportulæ, ſeu collectæ Sæculo II. in extra-

araordinarias & in ordinarias authoritate Epiſcoporum eraor partitæ.

Extraordinariæ urgente nova quadam neceſſitate ab Epiſcopis indicebantur, a fidelibua nihilominus ſpontanca charitate perſolvendæ; puta, ſi quando ab infidelibus redimenda erat poteſtas congregandæ in religioſaa ſynaxes chriſtianæ multitudinis &c. De quibus eos redarguit ab eorum communione jam ſeparatus infelix Tertullianus lib. *de Jejunio* adv. Pſych. & *de fuga in perſecut.* ſed immerito.

Ordinariæ a fidelibua quolibet menſe, aut quolibet etiam die dominico in gazophylacium, arcam, corbonam, aut concham, (cujus curam & rationes probati quidam Seniores gerebant) dum divinis intereſſent, pro virili mittebantur. Unde circa Sæculi II. medium affirmat S. Juſtinus Martyr fideles omnes ruris, urbiſque conveniſſe quolibet Dominico die ad ſolemne ſacrum, quo expleto pro ſua quiſque ſubſtantiæ & pietatis modo conſerebat in ærarium quoddam ſacrum, unde Paſtor in pauperes & ægrotos, viduas & orphanos, hoſpites & peregrinos erogaret. *Qui copioſiores ſunt*, inquit, *& volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt; & quod ita colligitur, apud præpoſitum deponitur: atque inde opitulatur pupillis & viduis, & his, qui propter morbum, & aliam ob cauſam egent.* Et Tertullianus: *Præſident probati quinque Seniores, honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti; neque enim pretio ulla res Dei conſtat; etiamſi quod arcæ genus eſt, non de onoraria ſumma quaſi redempta religionis congregat. Modicam unuſquiſque ſtipem menſtrua die, ſed cum velit, & ſi modo poſſit, apponit; nam nemo compellitur, ſed ſponte confert.* Quibus ex locis duo notanda veniunt, quorum primum eſt, Corbonas quidem illas authoritate Epiſcoporum fuiſſe erectas, fideleſque ad elargiendas eleemoſynas exhortatos, ad harum tamen certam quotam, ſive portionem neminem fuiſſe compulſum, aut quemadmodum poſtea ad decimas, obligatum. Secundum, nullam his in locis fieri mentionem pecuniæ ex corbona in Clerum diſtribuendæ, cum tamen ex Cypriano ſupra relato in aprico ſit, eos ſportulantium fratrum catalogo fuiſſe adſcriptos; ex quo apparet, eos pauperum nomine ab his authoribua fuiſſe comprehenſos, atque ut tales ab Eccleſia ex his gazophylaciis, ex prædiis, vel etiam ex licito artificio, aut negotiatione, quorum meminerunt Scriptores, & Concilia horum Sæculorum apud Thomaſ. p. 3. lib. 1. c. 3. ac denique ex oblationibus ad altare hac ætate jam fieri ſolitis, ut infra videbimus, fuiſſe aliros.

5. Patres nihilominus horum Sæculorum fideles ad decimas Clero elargiendas ſubinde exhortati ſunt.

Id fecit Irenæus lib. 4. cap. 34. ſed fuſe illud exequitur Origenes hom. 11. in Num. ubi ait: Quomodo ergo abundat juſtitia noſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, ſi illi de fructibus terræ ſuæ guſtare non audent, priuſquam primitias Sacerdotibua non offerant, & Levitis decimæ ſeparentur: & ego nihil horum faciens fructibus terræ ita abutor, ut Sacerdos neſciat, levites ignoret, divinum altare non ſentiat?

6. Reddita ſub Conſtantino Imperatore Eccleſiæ pace, quod Sæculi IV. initio accidit, frequentiores Patrum ad decimaa Sacris Miniſtris perſolvendaa, legimus exhortationes, nullis tamen adhuc Legibus hoc & ſequente Sæculo videntur fuiſſe ſancitæ.

Ad decimas in Eccleſia Græca populum excitabat S. Joannes Chryſoſt. hom. 1. in ep. ad Ephrſios dicens: Nam quid Judæi non faciebant? decimas, & rurſum decimas præbebant Orphanis, Viduis, Proſelytis: hic aut ille dat decimas: quanto hoc eſt plenum probro & dedecore, ſi quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Chriſtianos factum eſt admirabile? Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc ſit? Inter Latinos vero Patres S. Hieronymus in commentariis ad Malachiam c. 3. quia decimas & primitias Levitis populus non reddebat, ſe ipſum dicit Dominus fraudem ſuſtinere; ——— cur non in Miniſtris ſuis ipſe decimas accipiat, & ſi non dentur, parte ſua ipſe privetur? Idem urget S. Auguſt. in enarrat. in Pſal. 146. dicens: decimas vis? decimas exime, quanquam parum ſit; dictum eſt enim, quia Phariſæi decimas dabant, jejuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo. Et quid ait Dominus? niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Similia repetit S. Pater, itemque S. Hieronym. aliis in locis. Quibus concinit Julianus Pomerius de vita contemplat. Lib. 2. c. 21. ubi invehitur in Paſtores ſui amantes, gregis immemores, dicens: Lac & lanas ovium Chriſti, oblationes quotidianas ac decimas fidelium gaudentes accipimus, & curam paſcendorum gregum, a quibus perverſo ordine volumus paſci, deponimus. Ex quibus authoritatibus, ſicut etiam variis decimarum, etiam Monachis his Sæculis perſolutarum exemplis diſcimus, & Patres exhortatos fuiſſe fideles ad elargiendas in uſum Cleri ac pauperum decimas, & has ab ipſis jamjam in hunc finem hinc inde parcius, largiuſque perſolvi ſolitas.

Quod autem iſthæc diſciplina hiſce Sæculis nulla Lege, nullove Canone ſancita, ac ſtabilita fuerit, ex relatis Patrum exhortationibus ſatis colligitur. Præſertim ex illa S. Chryſoſtomi a nobis mox relata: ubi ait elargitionem decimarum ab uno vel altero ſubinde factam in oculis aliorum eſſe aliquid mirabile. In quem locum Lupus Tom. 4. Scholiorum in Can. pag. 595. ait: Ex quo vides decimas tunc fuiſſe duntaxat voluntarias; eas quippe non unuſquiſque, ſed hic duntaxat aut ille dabat, eratque opus admiratione dignum. Nec obſtat ſermo S. Auguſtino adſcriptus de reddendis decimis, qui non tantum exhortationem ad offerendas decimas continet, ſed & rigidum præceptum non obſcure ſupponit Num. 3. dum ait: Decimæ enim ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerit, res alienas invaſit. Hunc enim ſermonem S. Auguſtino eſſe ſuppoſitum eruditorum jam noſcit univerſitas. Neque propoſitionem noſtram convellit Conſtitutionum Apoſtolicarum authoritas, quæ lib. 7. c. 30. præſcribunt: Dabis Sacerdotibus omnes primitias torcularis & areæ, vindemiæ & meſſis, boum, atque ovium. Dabis omnem decimam pupillo, & viduæ, & pauperi, & Proſelyto. Has enim conſtitutiones Apoſtolis ſuppoſitas, & Sæculo V. adhuc fere ignotas probavimus lib. 1. tit. 2. c. 2. §. 2. quamvis ibi adverterimus, eas diſciplinam 4. primorum Sæculorum majori ex parte referre, cum ex illa ab Authore conflatæ ſint, qui etiam ex more apud Chriſtianos his Sæculis vigente quantum ad primitias, & oblationes, & hinc inde quantum ad decimas præſentem conſtitutionem procudiſſe videtur.

7. Sæculo VI. igitur in Latina Eccleſia decimarum uſus, qui Sæculo V. ob Patrum ad eas in uſum Cleri, Pauperum, ac miſerabilium Perſonarum elargiendas, frequentes exhortationes jam multis in locis invaluit, atque fortaſſis in una vel altera diœceſi præceptus fuit, Legibus Canonicis paſſim ſanciri cœpit.

Hanc propoſitionem ita limitamus, quod Concilia hujus Sæculi decimarum onus fidelibua imponen-

ponentis paſſim ad conſuetudines, & quidem antiquas provocent, quodque eruditi, qui S. Auguſtino Epiſt. N. præced. relatam, in qua decimæ ſupponuntur præceptæ, abjudicant, eam Cæſareo Arelatenſi, qui ſub finem Sæculi V. floruit, tribuendam putent. Itaque Matiſconenſe Concilium II. A. 585. celebratum primum creditur fuiſſe, quod decimas materiales ſeu decimam frugum partem ſacris Miniſtris a fidelibus perſolvi diſertis verbis præcepit, dum Can. 5. ait. Nunc autem paulatim prævaricatores Legum Chriſtiani pene omnes oſtenduntur, dum ea, quæ divinitus ſancita ſunt, adimplere negligunt. Unde ſtatuimus ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & decimas Eccleſiaſticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat: quas Sacerdotes in uſum pauperum, aut in captivorum redemptionem prærogantes, ſuis orationibus pacem populo ac ſalutem impetrent. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, a membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur. Decimas formales, ſeu congrua Clericis ſtipendia lege divina præcepta edicit præſens Concilium; materiales in hunc finem fidelibus, conſuetudine jam aliunde conſecratas, præcipit. Poſt hoc vero decretum plurimi in Eccleſia Latina emanarunt Canones eandem decimarum ſolutionem urgentes & præcipientes. Sic in Capitulari Caroli M. A. 801. c. 6. decernitur: *ut unuſquiſque Sacerdos cunctos ſibi pertinentes erudiat, ut ſciant qualiter decimas totius facultatis Eccleſiis divinis debite offerant*. Admodum vero notandum eſt, quod c. 7. ibidem adjungitur: *Ut & ipſi ſacerdotes populi ſuſcipiant decimas, & nomina eorum, quicunque dederint, ſcripta habeant, & ſecundum authoritatem Canonicam coram teſtibus dividant, & ad ornamentum Eccleſiæ primam eligant partem: ſecundam autem ad uſum pauperum vel peregrinorum per eorum manus miſericorditer cum omni humilitate diſpenſent: tertiam vero ſibimet partem ipſis ſoli Sacerdotes reſervent*. Concinit Concilium Turonenſe A. 813. celebratum, cujus Canone 16. decernitur: *Ut decimæ, quæ ſingulis dabuntur Eccleſiis per conſulta Epiſcoporum a Presbyteris ad uſum Eccleſiæ & pauperum ſumma diligentia diſpenſentur*. Imo quod amplius eſt ab eo tempore, non tantum Epiſcopi, ſed & Imperatores & Principes populum ad ſolvendas decimas conſtrinxerunt; ut patet ex libro 2. capitularium cap. 39. ex capit. Wormatienſi ſub Ludovico Pio A. 829. edito, tit. 1. c. 6. Plures quoque Canones decimas Clero a Laicis fideliter pendendas præcipientes in ſuum Decretum Sæculo XII. retulit Gratianus 16. q. 1. & q. 7. ac alibi.

8. Apud Græcos Sæculo VI. Jus decimandi conſuetudine Clericis fuit ſtabilitum, cui tamen intercesſere Imperatoriæ ſanctiones, ex quibus etiam natum videtur, quod decimæ in hac Eccleſia in deſuetudinem abiverint, alia penſione Clericis ſubſtituta.

Prima Pars conſtat ex L. 39. cod. *de Epiſc. & Cleric.* ubi dicitur: *Non oportet Epiſcopos, aut Clericos cogere quoſquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare. Quamvis uſus ita obtinuerit. Transgreſſor cadit ab Eccleſia, & adminiſtratione ipſius, & dat 10. libras.*

Quantum ad 2. p. quamvis in laudata conſtitutione expreſſa habeatur limitatio, quod Conſtantinopoli & in ejus territorio ſolum obtineat. *Hæc vero*, verba ſunt ejus, *obtinent in ſola Imperatrice (civitate) & territorio ejus, & locis ad eos, qui a Patriarcha ordinantur, pertinentibus, aut ad ordinatos ab his Epiſcopos*. Atque a Photio in Nomo-Canone Sæculo IX. obſervetur, ei conſtitutioni locum non eſſe, niſi Conſtantinopoli & Metropolibus, quæ ei ſubjiciuntur: nihilominus decimas in Orientali Eccleſia occaſione hujus in deſuetudinem ſubinde abiviſſe Sæculo XII. & XIII. teſtantur Innocentius III. cap. 32. h. t. & Honorius III. cap. 11. de tranſact. ubi in additamento, capitulo ex ejus conſtitutione a Romanis correctoribus facto, legitur: *Licet Epiſcopi Græcorum nec percipere decimas —— conſueverunt*. Et confirmari poteſt ex eo, quod Nov. 3. & 43. Juſtiniani certa fuerint conſtituta tributa pro Sacerdotum alimentis, taxeturque hujus tributi ſumma Sæculo XI. in Bulla aurea Iſaaci Comneni, e qua taxatione apparet, hoc tributum vices decimarum facile ſupplere potuiſſe.

9. Decimæ Sæculo IX. in Eccleſia Latina in neceſſitates Cleri, Fabricæ, & Pauperum erant diſtribuendæ.

Propoſitio hæc extra dubitationis aleam poſita eſt N. 7. hujus Tituli. Ex ea vero apparet, pauperes adhuc Sæculo IX. jus habuiſſe in redituum Eccleſiaſticorum portionem notabiliorem. Hæc tamen diſciplina hoc jam Sæculo non ubique viguit, ut infra N. 11. videbimus.

10. Sequentibus ſæculis, dum Clerus a vita communi magis ſemper magiſque recederet, fabricisque Eccleſiarum ſui fundi ad conſervanda ſarta tecta aſſignarentur, pauperumque portio determinata non amplius a Clero diſpenſaretur, (hoc lib. tit. 5. N. 14.) etiam decimæ in jus ſolorum Parochorum per modum Canonicæ portionis tranſierunt, invaluitque axioma juris, quod Parochi habeant fundatam intentionem in jure ad percipiendas decimas; quæ diſciplina in præſentem uſque diem perſeverat.

Hanc propoſitionem probant fere omnia capitula hujus Tituli ab Alexandro III. & Innocentio III. qui Sæculo XII. & XIII. Romanam gubernarunt Eccleſiam, majori ex parte edita, quæ Paſtoribus immediatis jus decimandi contra quoſcunque etiam ipſos Epiſcopos protegunt. Summorum cap. 26. rem totam conficit, utpote quod veteris diſciplinæ abrogationem, & recentioris œconomiam hiſce nitide exprimit: *Sine deductione*, inquiens, *ſeminis, & ſumptuum debent Dominus & colonus decimam ſolvere, & non cui voluerint Eccleſiæ vel pauperibus, ſed Eccleſiæ cui debentur; nec ab hoc excuſantur propter malitiam Clericorum*. Caput illud editum fuit ab Innocentio III. cui ſuffragatur jus noviſſimum Trid. Concilii, in cujus Seſſ. 25. de ref. c. 12. edicitur: *Non ſunt ferendi, qui variis artibus decimas Eccleſiis convenientes ſubtrahere moliuntur: aut qui ab aliis ſolvendas temere occupant, & in rem ſuam vertunt, cum decimarum ſolutio debita ſit Deo; & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur S. Synodus omnibus cujuſcunque gradus & conditionis ſint, ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, impoſterum Cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis vel Perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant*.

11. Hac diſciplina introducta Epiſcopi ipſi & Abbates decimas fundorum obſtrictorum Parochis ſolis dare cogebantur.

Cum A. 813. ad Synodum Cabilonenſem II. delatæ eſſent querelæ, quod quidam Epiſcopi & Abbates decimas non ſinerent dari Eccleſiis, ubi illorum coloni miſſas audiunt: decrevit ſacer conventus Can. 19. *Ut Epiſcopi & Abbates de agris & vineis, quæ ad ſuum & fratrum ſtipendium habent, decimas ad Eccleſias deferri faciant: familiæ vero ibi dent decimas, ubi infantes eorum baptizantur, & ubi per totum anni curriculum miſſas audiunt*. Quod autem ſolis Parochis privative etiam ad Seniores, ſeu ut modo loquimur Capel-

lanos, tum jam deberentur decimæ, ex Concilio Metenſi A. 888. celebrato manifeſtum fit, utpote in quo Canone 2. ſtatuitur: *ut deinceps nemo Seniorum de Eccleſia ſua accipiat de decimis aliquam portionem, ſed ſolummodo Sacerdos, qui eo loco ſervit, ubi antiquitus decimæ fuerant conſecratæ, ipſe eas cum integritate accipiat in ſui ſuſtentationem, & ad luminaria concinnanda, & Baſilicæ ædificia, veſtimenta quoque ſacerdotalia, & cætera utenſilia ſuo miniſterio congrua obtinenda.* Qui ea, quæ in Titulum V. hujus Libri de præbendis annoravimus attenta mente pervolverit, non mirabitur, Sæculo IX. tam diverſa circa diſtributionem decimarum decerni, ut nimirum nunc Parochus, Clerus, fabrica, & pauperes jus in eas habere dicantur, nunc Parocho, excluſo Clero, pauperibuſque tribui jubeantur, ad Eccleſiæ tamen fabricam, ſacramque ſupellectilem etiam applicandæ. Ibi ſiquidem monſtravimus Sæculo IX. Beneficia curata quantum ad jus percipiendi proventus intra limites determinatæ Parochiæ a diſpoſitione Epiſcoporum cœpiſſe ſubtrahi, atque multis in locis ſtabiliri, ita ut Parochiani, qui prioribus ſæculis ſimiles proventus ad Epiſcopos deſtinarent, pro rata Clero, pauperibus, atque Eccleſiarum fabricis applicandos, eos Presbyteris, qui ſibi Sacramenta miniſtrabant, nec jam ad libitum, quemadmodum prioribus ſæculis, ab Epiſcopis erant amovibiles, conferrent, ſubinde cum onere partiendi eos in pauperes, atque Eccleſiæ fabricam, aut cooperantem Clerum, ſubinde vero (id quod ſequentibus ſæculis ſtabilitum eſt) ipſis ſolis, velut canonicam portionem, perfruendos. Cum ergo decimæ principaliorem proventuum beneficiorum Curatorum partem his ſæculis conſtituerint, non mirum, quod eorum naturam, quantum ad relatam œconomiam, fuerint ſecutæ.

12. Sæculo IX. variis titulis decimæ ipſæ ad Laicos devolutæ ſunt.

Hos ordine referemus. Non autem loquimur hic de decimis profanis, quas Principes aut nobiles ab iis exigebant, quibus terras ſuas, præcipue incultas in emphyteuſim dabant ea conditione, ut certa pars fructuum ab emphyteutis ſolveretur Dominis directis, quæ pars fructuum ſubinde decima vocata fuit; cum cenſus iſte omni ex parte conſideratus mere profanus ſit. Neque de Nonis, quas hoc ſæculo quidam Laici ſpontanea liberalitate ultra decimas debitas ſolvebant Eccleſiis, cum hæ a Laicis in præjudicium Eccleſiarum vel ex hoc ſolo titulo uſurpari nequiverint. Neque de Nonis & decimis illis, quas illi Laici pendere debebant Eccleſiis, quarum prædia ac latifundia miſeris illis temporibus vi invaſerant, aut a Regibus Francorum beneficiario jure obtinuerant eo fine, ut ſacra contra irruentes undique Saracenos, Normannos, aliosque Barbaros Eccleſiaſtico adjuti nervo efficacius tuerentur; cum eo in caſu non ipſi decimas perceperint, ſed ex maſſa proventuum Eccleſiaſticorum uſurpata, aut donata decimam ſaltem partem Eccleſiis juſtiſſime reſtituerint. Sed de iis decimis, quæ a primis & ſequentibus Sæculis ſacris Miniſtris a fidelibus vel ſponte vel præcepto Eccleſiaſtico largiebantur intuitu Miniſterii Eccleſiaſtici; quarum Laicos, ni authoritas Eccleſiaſtica accedat, eſſe omnino incapaces, neque eas ulla præſcriptione aut longi temporis poſſeſſione ſibi vendicare poſſe, uno quaſi conſenſu tradunt Canoniſtæ, idque multorum textuum Juris Canonici authoritate.

13. Cum Sæculo IX. Prædia Eccleſiaſtica pluriima in manibus Laicorum hærerent, priori jam Sæculo partim vi occupata, partim a Majoribus domus in Galliis, dum bella inteſtina omnia ſus deque ibidem verterent, ea lege conceſſa, ut nonæ decimæque Clero exinde ſolverentur; hujus vero obligationis facile obliviſcerentur, hæc violenta occupatio, vel regia conceſſio una ex præcipuis cauſis fuit, quod decimæ hoc titulo Clero debitæ apud ipſos remanerent.

Leges æquiſſimas Caroli M. & Ludovici pii Capitularibus promulgatas, quibus ſancitur: *ut qui Eccleſiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Eccleſiæ, cujus res ſunt, donent*; Cap. Car. M. l. 1. cap. 163. eodem Sæculo IX. a pluribus Magnatibus, aliiſque Sæcularibus Beneficiariis fuiſſe floccipenſas, teſtantur innumeræ querelæ ab Epiſcopis, & Conciliis eapropter ad eorum Succeſſores directæ. Et quidem cum Patres Sueſſionenſis II. Concilii viderent ſpem omnem præterclusam recipiendi e manibus Laicorum prædia Eccleſiaſtica, id ſaltem flagitarunt, ne decimis noniſque ſuis Eccleſiæ fruſtrarentur: *Ut ex poſſeſſionibus, quæ Eccleſiaſticæ certis indiciis comprobantur, nec plene propter varias neceſſitates poſſunt reſtitui, ſaltem nona ac decima tribuantur.* Can. 9. A. 853. Concilium Valentinum III. A. 855. eaſdem preces iteravit, conveniencer principum edictis: *Sicut edictis Principum juſſum eſt*; Can. 10. Verum Epiſcopi Rhemenſis, & Rothomagenſis Provinciarum ad Concilium Cariſiacum adunati A. 858. liberius querelas ſuas effudere can. 7. ſcriptiſque ad Ludovicum Germaniæ Regem literis teſtificati ſunt Carolum Martellum ſacrilegæ hujus uſurpationis auctorem fuiſſe: a Pipino ejus filio congregatam fuiſſe Synodum Liptinenſem: ibi eum reſtituiſſe quidquid tum quidem in poteſtate habuit: cum agros vero fundoſque omnes redintegrare Eccleſiæ non poſſet propter bella, quæ tam flagrabant cum Gaifaro Aquitaniæ Principe, adductos ab eo fuiſſe Epiſcopos, ut ea beneficia precarii nomine concederent militibus, decimas, nonaſque, & reparationum expenſa perſolventis, donec tempeſtivior ſe daret occaſio totius implendæ reſtitutionis. Alia Concilia idipſum urgentia vide apud Thomaſſ. p. 3. lib. 1. c. 8.

14. Cum vero jam a Sæculo VIII. & ſequentibus Laici non tantum prædia Eccleſiarum, ſed multas inſuper Eccleſias occupaſſent, quarum proventus ipſi traherent, Vicario, qui ob modicam penſionem ſpiritualia populis miniſtraret, conſtituto; hinc originaliter quoque factum eſt, ut decimæ harum Parochiarum Paſtoribus alias Legitimis collatæ, ipſis cederent.

Vide quæ diximus lib. 1. tit. 28. N. 4. de officio Vicarii. Diſtinguendas vero apprime vult Thomaſſ. L. cit. c. 11. Decimas, quæ ex rapinis Laicorum Sæculo præſertim X. & XI. quibus ſibi non tantum prædia Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ſed ipſas quoque Eccleſias ſacrilege vendicarunt, ad ipſos ceu pingue corollarium pervenerunt; ab illis, quæ ex ſimilibus prædiis, vel Eccleſiis a Carolo Martello, ejuſque Succeſſoribus Vaſallis, Patriæ tam profanæ quam ſacræ defendendæ gratia, collatis, iiſdem obvenerunt. Has enim a Romanis Pontificibus atque Epiſcopis Sæculo XI. & XII. minime repetitas, heas vero priores multis argumentis contendit Thomaſſinus L. cit. c. 11. contra Marcam in can. 7. Conc. Clarom. Quorum præcipua ſunt, quod ſimilia prædia lapſu 300. fere annorum ab hæreditariis Laicorum vix jam dignoſci potuiſſent. Quod Concilia Sueſſionenſe, & Liptinenſe, quæ ſupra retulimus, Bonifacius Papæ Legatus, Zacharias ipſe Papa aſſenſi tandem fuerint rerum Eccleſiæ uſurpationi poſt tempora Caroli Martelli. Quod in ſola Gallia ævo Martelli & poſterorum res Eccleſiæ Militibus ſunt tranſcriptæ; at Concilia Melfenſe & Romanum, aliaque Sæculi XI. & XII. expilatas ejuſmodi res Eccleſiæ in Italia,

ac

ſe in reliquo Occidente repererint. Quod deinque ſub Carolo Martello & Pipino Commendæ maxime militares excitatæ fuerint in Abbatiis: at prædones aliarum decimarum in Abbatias graſſari non potuerint præ vitium tenuitate, & conſequenter ſolas invaſerint Parochiales Eccleſias cum decimis ſuis.

15. Simoniæ & incontinentiæ labes, quæ Clerum Sæculo X. & XI. pene omnem deturparat, latam quoque malevolis Laicis viam aperuit decimas Eccleſiaſticas invadendi.

Calamitatem horum Sæculorum adombravimus lib. 1. Tit. *6.* in diſſert. de inveſtituris. Ubi vidimus Epiſcopatus & Abbatias ſub haſta venditas fuiſſe hominibus ſordidis plerumque & luxurioſis, quorum exemplo inferior Clerus animatus non erubuit eadem via intrare in beneficia inferiora, eaque libidinum monſtris contaminare. Cum itaque in ſimoniacis his proviſionibus promovendis Nobiles Laici, Aulicique non parum pro ſua, qua pollebant apud Imperatorem, alioſve Principes gratia conferrent, Epiſcopi vero e re ſua eſſe putarent Patronos iniquitatis regratificandi, beneficia Eccleſiaſtica, Eccleſias ipſas, ac inde dependentes decimas, vel titulo Commendæ, vel titulo feudi iiſdem conſulere; quæ ſubinde ipſi quoque Laici ad exemplum Cleri æquali vel majori pretio coemebant, atque ad familiam ſuam tranſmittebant. Ut late enarrant triſtium illorum ſæculorum monumenta.

16. Decimas has a Laicis his viis occupatas Eccleſiæ Sæculo XI. & XII. vindicare magnopere adlaborarunt Romani Pontifices, aliique inferiores Præſules.

Quantum ad Gallias In Concilio Bituricenſi A. 1031. prohibiti ſunt Nobiles, qui Feudos ſibi veluti quoſdam pepererant ex Eccleſiis Parochialibus, ne Parochos tyrannica poteſtate opprimerent, neve illos injuſſu Epiſcoporum ſuo arbitratu inſtituerent, vel deſtituerent. Can. 21. & 22. Ibidem in Concilio Rhemenſi, cui Leo IX. præerat A. 1049. vetitum eſt: *Nequis Laicorum Eccleſiaſticum Miniſterium vel Altaria teneret, nec Epiſcoporum quivis conſentiret.* In Concilio Tuloſano Ao. 1053. can. 8. *Nemo Laicorum Abbatiam Monachorum, vel Clericorum Archidiaconatum, neque Præpoſituram vel honorem Presbyterii, —— neque ullos honores ad jus prædictum pertinentes, auſit ſuis uſibus retinere; & ſi fecerit, excommunicationi ſubjaceat.* Et can. 11. *Item de Eccleſiis in alodiis Laicorum conſtitutis, ut tertia pars decimarum cum primitiis & Presbyterio & cæteris in poteſtate Presbyteri ad ſervitium ipſius Eccleſiæ ſub Epiſcopi, vel Clericorum ditione permaneant.* Sic equidem de rebus ſuis cum raptoribus Laicis tranſigere cogebatur Clerus miseranda illa tempeſtate. Surrexit tandem acerrimus ille libertatis Eccleſiaſticæ Vindex Gregorius VII. qui univerſim prohibuit, ne Laici eas invaderent, aut retinerent Decimas. Canonem en. Concilii Romani a ſe celebrati huc tranſcribimus; ita vero ſonat: *Decimas, quas in uſum pietatis conceſſas eſſe canonica authoritas demonſtrat, a Laicis poſſideri Apoſtolica authoritate prohibemus. Sive enim ab Epiſcopis, vel Regibus, vel quibuslibet perſonis eas acceperint, niſi eas Eccleſiæ reddiderint, ſciant ſe ſacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Idem Pontifex lib. 9. ep. 3. laudibus extulit Regem Angliæ, qui Laicos compuliſſet ad Decimarum reſtitutionem, inquiens: *Laicis Decimas, quas detinebant, etiam juramento dimittere compulit.* Ex quibus apparet malum hoc tum per totum fere Occidentem ſerpſiſſe. Gregorii zelum in revindicandis Clero Decimis imitati ſunt ejus Succeſſores Urbanus II. Calliſtus II. plurimaque variarum Nationum Concilia uſque ad Concilium Lateranenſe III. A. 1179. celebratum. At et eos parum profeciſſe monitionibus, excommunicationibuſque ſuis ex eodem concilii can. 14. colligitur, utpote quo Laici adhuc prohibentur decimas in alios Laicos transferre. Id tamen fatendum & ante & poſt hoc Concilium plures Decimarum detentores periculo animarum ſuarum tactos eas reſtituiſſe, ſed plerumque Monaſteriis; Pontificeſque eorum ſaluti conſulturos veteres Decimas iiſdem relaxaſſe, modo a novis uſurpandis continerent; unde Decimæ Monaſteriorum, & infeudatæ prodierunt, de quibus jam.

17. Hæ Decimarum de manibus Laicorum vindiciæ cauſa una fuerunt, cur his ſæculis plures Parochiales Eccleſiæ cum Decimis ſuis Monachis conceſſæ fuerint.

Dixi in propoſitione cauſa *una* fuerunt, indubitatiſſimum ſiquidem eſt, & Romanos Pontifices, & Epiſcopos perſæpe Parochiales Eccleſias Regularibus commendaſſe, ut Eccleſiis potiſſimum conſulerent, uti apparet ex ep. 18. Leonis IX. & ex can. *6.* Concilii Pictavienſis An. 1078. celebrati, in quo legimus: *Ut Abbates, Monachi, Canonici Eccleſias, quas nunquam habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vendicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cujus fuerint diœceſi. In illis vero, quas hactenus abſque calumnia habuerunt, reditus beneficiaque obtineant. Presbyter tamen de cura animarum, & de Chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondeat.* Ex hoc canone apparet Monaſteria hoc Sæculo conſenſu Epiſcoporum Parochiales Eccleſias obtinere potuiſſe, & de facto obtinuiſſe; inſuper est a Laicis inſalutatis diœceſanis una cum decimis frequentius emiſſe, vel alia via ſibi vendicaſſe. Cum enim poſt tot ac tantas Pontificum, aliorumque Præſulum admonitiones veritatis & juſtitiæ ſol illuceſcere cœpiſſet etiam illis ac ſacrilegis Chriſti Patrimonii deprædatoribus; exarſere tandem etiam illi ad abſtergendum a ſe tantum dedecus, atque ad reddendas Eccleſias, decimaſque uſurpatas. Sed quonian, inquit Thomaſs. L. cit. c. 10. cum regno collapſa fuerat & Eccleſiæ diſciplina, Nobiles illi neſcio quo Cleri faſtidio, qui non ita forſan moratus tum eſſet, ut par erat, nec ea, qua olim ſanctimonia morum reſplenderet, Monachis maluere, quam Epiſcopis, vel Parochis eas reſtituere Eccleſias & decimas, quas retineri jam ulterius a ſe poſſe deſperabant. Nonnulli pure & citra ſordes ullas reſtituerunt, alii pecuniæ quid ante extuderunt, quam optimam ſibi prædam ſinerent extorqueri. Paſtoribus Eccleſiæ non ea erat tum vel authoritas vel poteſtas, ut ſibi potius, quod ſuum erat, cogerent reſtitui; ideo & neceſſario acquievere, ut Monachis potius cederent res Eccleſiæ, quam diutius a Laicis profanarentur. Non multo poſt tamen ſubiit animum, quanta ea jactura Cleri poſthac foret, ſi pleraſque Parochias & decimas Monachi obtinuiſſent. Eo compulſi ſunt Patres Concilii Pictavienſis ſupra laudati, & complurium mox aliorum Conciliorum, ut conſtituerent, ne impoſterum Monachi Eccleſias Parochiales, earumque decimas vel acciperent, vel redimerent, niſi conſentiente Epiſcopo, qui non ante aſſentiretur, quam profiterentur Monachi his Eccleſiis Parochum a ſe vel Vicarium præſtitutum iri, qui in procurando animarum regimine Epiſcopo ſubeſſet. Sed de hac translatione Eccleſiarum, decimarumque ad Monaſteria, onde tot jurgia Clerum regularem inter & ſæcularem exarſerunt, alibi fortaſſis prolixius.

18. Quanquam impoſſibilitas eruendi decimas e manibus ſingulorum uſurpatorum, præſertim eas, quibus diuturno tempore jamjam potiti fuiſſent,

ſent, Romanorum Pontificum longanimitatem eo perduxerit, ut Laicis decimas ante Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III. ad finem Sæculi XII. vel ſaltem ante Lateranenſe IV. ſub initium Sæculi XIII. celebrata poſſeſſas, per modum feudi (id eſt ſub certis obligationibus Eccleſiæ præſtandis) ulterius fruendas permitteret; hæc tamen indulgentia non eſt ſola origo decimarum feudalium, ſed altius, atque a poſitivis conceſſionibus ſunt repetendæ.

Rem acu videntur tetigiſſe, quibus perſuaſum fuit, cœptas eſſe eas vel a privatis invadi, vel a Regibus donari a temporibus Caroli Martelli, & Poſterorum ejus, non ſine obſequio aliquo Eccleſiis præſtando, & intacto penes eas jure poſtliminii; Epiſcopos denique ipſos illis inveſtiſſe Laicos, aut affectui privato indulgentes, aut milites, defenſoreſque Eccleſiæ parantes, ut eſſent militum cunei ad tuitionem Eccleſiæ parati, & ad Epiſcopos in exercitum regium deducendos, cingendoſque expediti. Nam ex antedictis certum eſt, Decimas Laicis a Regibus Galliæ conceſſas, atque a Laicis in Gallia, Italia, Anglia, & toto fere Occidente fuiſſe occupatas, itemque non niſi ægerrime, neque omnes Eccleſiæ reſtitutas; quas providam poſtea indulgentiam Romanorum Pontificum poſt Innocentium III. condonaſſe, ut deſperata tandem aliquando earum reſtitutione obſequii ſaltem aliquid a Laicis his præſtaretur, & præſidio eſſent Eccleſiæ, qui ejus jam tuto fruerentur feudis, eorum clare exhibet œconomia, veteres decimas, ſeu illas, quæ ante dicta Concilia ad Laicos quomodocunque pervenerunt, diſſimulans, dum novarum uſurpationem ſeveriſſime ad noſtra uſque tempora prohibet. Epiſcopos vero his ſæculis plures diœceſium ſuarum decimas Laicis conceſſiſſe, & ſubinde ex non ſat nobili fine perhibet Can. 2. 16. q. 7. Gregorio VII. a Gratiano tributus, in quo habetur: *Quidam Epiſcoporum non ſacerdotibus propriæ diœceſis decimas, atque Chriſtianorum oblationes, ſed potius Laicalibus perſonis conferunt, militum videlicet, ſive ſervitorum, vel quod gravius eſt, etiam conſanguineis*. Legendi etiam hac de re ſunt S. Fulbertus ep. 20. S. Petrus Damiani L. 1. ep. 10. cum aliis a Thomaſs. L. cit. relatis. Ipſi Pontifices Romani Regibus Hiſpaniæ, aliiſque Principibus Jus decimarum ob ſervitia Eccleſiæ præſtita vel præſtanda conceſſere.

19. Decimas de jure communi ex poſſeſſis fundis non tantum dare tenentur omnes Laici, etiam Principes & Reges, verum etiam Monachi, quibus tamen ob eorum paupertatem privilegia exemptionis a decimis ſolvendis pridem data fuere.

Primam partem unanimi conſenſu docent Canoniſtæ, quamvis huic oneri a Principibus hinc inde variis titulis præſcriptum ſit.

Secunda habetur cap. 4. h. t. ubi Pontifex ſcribit, monendos & urgendos Monachos, ut *decimas de terris cultis, in quibus olim domus conſtructæ fuerant, Eccleſiæ cum ea integritate perſolvant, quæ priuſquam in eadem Parochia morarentur, ſolebant perſolvi*. Et jam pridem dixit S. Hieronymus ep. 1. apud Grat. 16. q. 1. c. 6. *Alia cauſa eſt Monachorum, alia Clericorum. Clerici paſcunt oves, ego paſcor: illi de altario vivunt, mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero*.

Tertiam partem ſuadent ipſa privilegia tum in corpore Juris, tum in Bullario Romano reperibilia, quæ hic longum eſſet referre; id ſolum annotaſſe ſufficiet, quod ſub nomine Paſchalis II. refert Grat. 16. q. 1. c. 47. ubi legimus: *Decimas a populo Sacerdotibus ac Levitis eſſe reddendas divina Legis ſanxit authoritas. Cæterum a Monachis ſive Clericis communiter viventibus, nulla ratio ſinit, ut milites, aut Epiſcopi, aut perſona qualibet decimas de laboribus, ſeu nutrimentis propriis extorquere debeant*. Cæterum in multis diœceſibus exolevit determinata illa decimæ partis frugum datio, ſuſtentationi Parochorum applicanda, iiliſque ex aliis fundis de canonica portione providetur; quod aperte innuit decimas materiales nequaquam, bene vero honeſtam Cleri ſuſtentationem a Laicis præſtandam, eſſe Juris divini.

§. II.
De Primitiis & Oblationibus.

20. CUm primis Eccleſiæ Sæculis quemadmodum decimæ, ita & primitiæ frugum Clero ad exemplum fidelium veteris teſtamenti, a fidelibus novi teſtamenti ſpontanee ad exhortationem Paſtorum, quemadmodum cæteræ oblationes offerentur; nec ſubſequentibus ſæculis, ſaltem in Decretalibus legantur præcepta, ſicut præceptæ leguntur decimæ; fataque, quæ decimis mediis ſæculis acciderunt, dum homines profani Eccleſias & Altaria Dei invaderent, etiam primitias tetigerint, ubi eæ in uſu fuerunt, non eſt cur ſpecialem commentationem de iis inſtituamus. Ad oblationes igitur convertimur, quæ ſpecialem hoc in titulo merentur attentionem. Secernendæ vero ſunt oblationes Altari deputatæ ab oblationibus aliis tapetum, aulæorum, auri, argentique, extra altare Epiſcopis, Eccleſiæ Miniſtris, vel ipſis Eccleſiis a Magnatibus præſertim offerri ſolitis, atque ab oblationibus pecuniarum, ſeu collectis tam ordinariis, quam extraordinariis, de quibus ſupra h. t. N. 4. egimus. De ſolis enim prioribus notas hiſtoricas dabimus.

21. Ut populus ad ipſius incruenti Sacrificii oblationem ſe concurrere amplius oſtenderet, atque una cum Sacerdote ſacrificium offerret; vetuſtiſſimus in Eccleſia Chriſtianorum mos fuit, ut qui ad Miſſarum ſolemnia conveniebant, ſuam unuſquiſque partem ſacrificii offerrat.

Hunc ritum circa Sæculi III. medium jam in uſu fuiſſe non obſcure colligitur ex S. Cypriano libro *de operibus & eleemoſyna*, ubi ait: *Locuples & dives es, & dominicum celebrare credis, qua in dominicum ſine ſacrificio venis, qua partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*. Quæ verba Cypriani expendens vir eruditus Nicolaus Rigaltius ſcribit: *Sacrificia dicit eleemoſynas in uſus fidelium collatas. Inter eleemoſynas erant panes per Euchariſtiam ſacrandi. De panibus autem iſtis quandoque dives parcus & ſterilis, hoc eſt, qui nihil contulerat in eleemoſynam, ſumebat Euchariſtiam*. Quod pudendum ait Cyprianus.

22. Ad Altare vero ſolum panis & vinum offerri debuit, quæ a Sacerdotibus conſecrata communicantibus poſtea diſtribuebantur.

Concilium Carthaginenſe III. A. 395. celebratum decernit: *Ut in Sacramentis corporis & ſanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis & vinum aqua mixtum*. Item Ordo Romanus poſt tempora S. Gregorii conſcriptus: *Tranſit Sacerdos ad ſuſcipiendas oblationes. Interim Cantores cantant offertorium cum verſibus, & populus dat oblationes ſuas, id eſt panem & vinum, & offerunt cum fanonibus candidis, primo maſculi, deinde fœminæ*. Fanones hic accipi pro panno oblongo ad offerendas, recipiendaſque oblationes notat Mabillonius Tom. 2. Muſæi Italici pag. 47. Has vero oblationes conſecratas communicantibus fuiſſe diſtributas ex authoritate S. Cypriani N. præcedenti allata conſtat, atque ex dicendis in apricum deducetur. Ex canone autem Carthaginenſi ſuſpicari licet, Chriſtianos Sæculi IV. ad altare

quæ-

quædam obtuliſſe, quæ eo non pertinebant. Et re-vera Sæculo VII. in quibuſdam Eccleſiis involue-rat conſuetudo, ut uvæ ad altare offerrentur, ea-que cum ſpeciebus conſecratis populo diſtribue-rentur; id quod ne impoſterum fiet, prohibuit Sy-nodus Trullana can. 28. Videntur autem nonnul-li ex pravo canonis 3. vulgo Apoſtolorum intel-lectu exiſtimaſſe uvas, ſeu botrum uvarum inte-grum poſſe conſecrari. Sic enim ſonat: *Si quis Epiſcopus vel Presbyter præter Domini de Sacrifi-cio ordinationem alia quædam ad altare obtulerit; mel, vel lac, vel pro vino ſiceram, vel confecta, vel aves, vel aliqua animalia, vel legumina, præ-ter ordinationem deponatur, præterquam nova le-gumina* (apud Græcos præterquam novas ſpicas & uvas) *tempore opportuno. Ne liceat autem ali-quid aliud ad altare offerre, quam oleum ad lumi-nare, & incenſum tempore S. Oblationis.* Et can. 4. *Omnis autem alios fructus domum mittatur, pri-mitiæ Epiſcopo & Presbyteris.* Quorum canonum hæc eſt ſumma, etiam juxta Græcorum commen-tarios, inquit Van Eſpen in tract. hiſt. canoni-co p. 3. c. 3. §. 4. Ne quid aliud quidpiam in Sacrificio incruento ad altare offeratur præter pa-nem & vinum ab ipſo Chriſto inſtitutum. Per-mittit vero canon novas ſpicas vel uvas tempore opportuno, id eſt cum maturæ fuerint, offerri in altari, eo quod ex ſpica & uva fiat materia Eu-chariſtiæ, nullatenus vero conſecrandas, ſed tan-tum benedicendas, ut explicavit Concilium Trul-lanum, & nos infra videbimus; ſicut & oblatio-nem olei & thuris in fine aſſignato.

23. Hæ oblationes prioribus Sæculis, quo fre-quentiores erant communiones fidelium, etiam crebriſcebant, eaſque Paſtores animarum magna religione urgebant.

Cum ſub finem Sæculi VI. deprehendiſſent Pa-tres Concilii Matiſconenſis II. Chriſtianos non-nullos ad Miſſarum ſolemnia accedere, nullam admoventes hoſtiam, decreverunt can. 4. *Ut in omnibus Dominicis diebus altaris oblatio ab omni-bus viris & mulieribus offeratur tam panis, quam vini, ut per has oblationes peccatorum ſuorum fa-ſcibus careant, & sum Abel, vel cæteris juſte of-ferentibus promereantur eſſe conſortes.*

24. Oblationum panis & vini a fidelibus in Ec-cleſia latino inter Miſſarum ſolemnia frequentata-rum uſque ad Sæculum XII. habemus veſtigia, poſt quod in deſuetudinem videtur abiviſſe, ſubſtitu-ta, quæ nunc in uſu eſt, pecuniaria oblatione.

Pro Sæculo VII. diſertiſſime affirmat Joannes Diaconus Euchariſtiam conſecrari ſolitam ex pa-nibus ipſis, quos privati obtuliſſent. *Matrona quædam* (inquit in vita S. Greg. lib. 2. c. 41.) *B. Gregorio per ſtationes publicas Miſſarum ſolem-nia celebranti ſolitas oblationes obtulerat. —— Pa-nem, quem propriis manibus me feciſſe cognoveram, tu corpus dominicum perhibebas.* Et Sæculo IX. Concilium Nannetenſe can. 9. Presbytero mandat: *ut quæ de oblationibus, quæ offeruntur a populo, conſecrationi ſuperſunt, partes inciſas habeat in va-ſe nitido, quas poſt Miſſam illis diſtribuat, qui non communicarunt.* Accedit ordo Romanus poſt S. Gregorium editus, cujus locum ſupra retulimus. Quin & nonnullæ, quæ etiamnum hodie exſtant in Miſſali, orationes ſecretæ, quæ olim diceban-tur ſuper oblata, hunc modum evidenter ſuppo-nunt; ac præ cæteris oratio ſecreta dicenda Do-minica V. poſt Pentecoſten, his verbis expreſſa: *Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris; & has oblationes famulorum famularumque tuarum beni-gnus aſſume: ut quod ſinguli obtulerunt ad hono-rem, ſingulis proficiat ad ſalutem.*

Quo præciſe tempore populus deſierit panem & vinum in Miſſa offerre, incertum eſt. Ab Ho-norio Auguſtodunenſi, qui ad initium Sæculi XIII. floruit, traditum eſt, olim oblatam a fidelibus farinam, ex ea Presbyteros confeciſſe panes, quos conſecrarent, & communicantibus impertirent, eoque etiam tum more Græcos uti. Addit por-ro augeſcente fidelium turba, & decreſcente pie-tate offerri cœpiſſe denarios, qui pauperibus ero-garentur, vel in impenſas Sacrificii. Gemma ani-mæ L. 1. c. 58. Monet tamen Chriſtianus Lu-pus, quod poſtquam denarii oblati in uſum Sa-cerdotum cedere cœperunt, *Hinc ob vitam popu-li de Cleri avaritia & nimiis proventibus calumniam defecerit paulatim etiam denariorum oblatio, contra-cta fere ad ſolam Miſſam in exequiis defunctorum.* Et pergit: *Accedens Eccleſiarum, Altarium in ea-dem etiam Eccleſia, Sacerdotum, plurium quotidie in eodem quoque altari miſſarum multiplicatio iſtam contractionem ſtrenue adjuvit. Dum vero ſenſim ob-latio inter miſſarum ſolemnia pene ceſſabat, atque in miſſis præcipue privatis oblatio parum nota eſſet, tunc qui pro ſe ſpecialiter tanquam offerente Miſſam celebrari & orari volebat, id oblato denario a Sa-cerdote poſtulabat; atque hinc ille denarius, quem hodie honorarium aut ſtipendium miſſæ vocamus,* in-quit Van Eſpen p. 2. Tit. 5. c. 5. Quando horum ſtipendiorum oblationes cœperint, incertum eſt. Mabillonio in præf. ad Sæculum III. Benedict. videtur id fieri cœptum Sæculo VIII. ſaltem in miſſis privatis, non tamen ubique paſſim ante Sæ-culum XII.

25. Panes per octo Sæcula conficiendæ Eucha-riſtiæ deſtinati a Laicis erant confecti, adeoque plerumque uſuales ſeu fermentati, iique integri, ſed parvæ molis, ac nitidiſſime præparati.

Quantum ad formam hujus panis ejuſque præ-parationem Concilium Tolet. XVI. A. 693. cele-bratum ingerit limpidiſſimam nobis ideam. Dam-natur enim in illo eorum conſuetudo Presbytero-rum, qui ad altare non conſecrabant niſi portiun-culam, & cruſtulum rotundum panis alicujus com-munis & uſitati. Can. 6. Eum uſum a Græcis, ut apparet, profectum, apud quos etiam nunc vi-get, convellunt Toletani Patres ex eo, quod Evangelici Codices, & Paulinæ ipſæ epiſtolæ con-firment diſertis verbis panem integrum a Chriſto conſecratum fuiſſe, & ita Apoſtolis diſtributum. Ex quo id ab illis concluditur, Eccleſiam huic exemplo & divinæ formæ obſequentem offerre de-bere panes integros, diligentiſſime paratos, & ela-boratos ad Sacrificium; ſed ita tenues, ut vel hinc æſtimari poſſit, eo cibo non carnem, ſed mentem paſci, nec corporales, ſed ſpirituales de-licias degustari. Panes vero hos his ſæculis ad-huc confeciſſe Laicos ex dictis N. 24. conſtat, eoſque fuiſſe fermentatos plauſibilis eſt opinio, ut ſtatim videbimus.

26. Sæculo IX. oblatæ Euchariſtiæ conficiendæ deſtinata jam a Presbyteris, vel eorum ſubordi-natis Clericis conficiebantur, & probabiliſſime ex azymis.

Id adſtruit Theodulphus in ſuo capitulari c. 5. & 6. inquiens: *Panes, quos Deo in ſacrificium of-fertis, aut a vobis ipſis, aut a veſtris pueris coram vobis nitide & ſtudioſe fiant. Et diligenter obſerve-tur, ut panis & vinum & aqua, ſine quibus miſ-ſæ nequeunt celebrari, mundiſſime ac ſtudioſe trac-tentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur. —— Fœmina, miſſam Sacerdote cele-brante, nequaquam ad altare accedant, ſed locis ſuis ſtent, & ibi Sacerdos earum oblationes accipiat.* Ex quo Theodulphi Capitulari intelligis, jam Eu-chariſtiæ deſtinatos amplius non fuiſſe panes, qui a Laicis offerebantur, ſed alendis egenis: ad Sa-crificium vero adhibitos panes illos nitidiores, quos Clericorum ſaltem ſuorum manibus mundiſ-ſimos fieri Presbyteri curabant, inquit Thomaſſ. L. cit. c. 14. ſubdens: *Si, ut non paucis, nec*

indo-

indoctis viſum eſt, conſecrato eſt alim Euchariſtio ex panibus fermentatis in Eccleſiis Latinis, quanda conſecrabantur panes ipſi, quas Laici dama ſua allatos offerebant; & rurſum ſi eo uſu deſtitum non eſt, niſi paucis ante ſæculis, quam hinc Græci anſam aucuparentur invidiæ Latinis facienda: ea mutatia diſciplina non injuria imputari poterit ei cauſa, quam perſtrinxit Theodulphus. Cum enim inceſſiſſet novus amor, & nova cura nitoris & munditiei panum conſecrandorum, unde & eis elaborandis præpoſiti ſunt Presbyteri, ſimillimum veri eſt, tum cœpiſſe Presbyteros conficere & offerre nitidiuſculas, candidiores, & mundiores panes bas infermentatos. Qui teſte Honorio Auguſtodunenſi in gemma animæ ſupra N. 24. citata jam hoſtiis noſtris erant ſimiles; ait enim: *Ideo imago Domini cum literis in hoc pane exprimitur, quia & in denaria imago & nomen Imperatoris ſcribitur, & per hunc panem imago Dei in nobis reparatur, & nomen noſtrum in libra vitæ notatur.*

27. Non omnes Panes, qui prioribus Eccleſiæ Sæculis a fidelibus ad altare offerebantur, a Sacerdotibus conſecrabantur, ſed tot ſolum, quot communicaturis videbantur ſufficere, cæteris ſolum benedictis, ac poſt miſſarum ſolemnia fidelibus, qui non communicarunt, diſtributis, qui Eulogiæ dicebantur, unde ortum habet panis benedictus.

Luculentiſſimus hanc in rem eſt canon 9. Concilii Nannetenſis, quod Sæculo IX. dicitur celebratum: in eo ſiquidem ſancitur: *ut de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & conſecrationi ſuperſunt, vel certe de ſuis Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati,* eulogias *omni die Dominico & in diebus feſtis exinde accipiant.* Apud Reginon. lib. 1. c. 1. N. 61. Qui ibidem collectam huic benedictioni deſtinatam ſubjicit. Unde liquet fuiſſe tum adhuc Eccleſias, ubi conſecrarentur aliqui ex iis panibus, quos populus obtuliſſet: ſed non minus dilucidum eſt, in hoc canone ſecerni oblationes & panes a populo oblatos, fierique Euchariſtiam ex oblationibus, non ex panibus. Ratio in promptu eſt, quod oblationes jam uſu frequentiſſimo dicerentur modici illi, & candidiuſculi panes, ac infermentati, qui ad Euchariſtiam conficiebantur, & ex quibus tamen, ſi quæ reſiduæ eſſent, ut & ex panibus panis benedictus fiebat. Quæ diſciplina apud Græcos æque vigebat, teſte Theophilo Alexandrino Epiſcopo ep. can. ad Ammonem, quam refert Balſamon. Quod idem de vino ſtatuitur in capitulari Hincmari apud Reginonem lib. 1. c. 1. N. 72. 73. ubi legimus: *Si plus de vino voluerit (Presbyter) in buticula vel canna, aut plures oblatas, aut ante Miſſam, aut poſt Miſſam Presbytero, vel Miniſtro illius tribuat, unde populus ex eleemoſyna, & benedictione illius Eulogias accipiat, vel Presbyter ſupplementum aliquod habeat.* Et Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſub imperio Alexii Comneni ſeu Sæculo XI. ad interrogationem ſibi factam: *An oporteat eos, qui a ſancta donatione* (hoc eſt communione) *ſunt prohibiti, comedere exaltatos oblationes?* (hoc eſt Eulogias) reſpondit: *invenimus in vita S. Theodori Siceotæ eos fuiſſe prohibitos.* Unde Concilium Teullanum ſupra N. 22. laudatum, dum uvas ad altare oblatas incruento oblationis Sacrificio conjungi, ſeu conſecrari vetat, ſubdit: *Tanquam primitias autem uvæ oblationem exiſtimantes, Sacerdotes eam ſeorſim benedicentes, petentibus impertiri ad fructuum datoris gratiarum actionem &c.* Similes frugum ac ſigillatim uvarum benedictiones exſtant tam in recentioribus; quam vetuſtioribus Græcorum & Latinorum Ritualibus. Et quidem in Sacramentario S. Gregorii in feſto Xiſti exſtat benedictio uvæ, quæ ita terminatur: *Per quem hæc omnia &c.* ubi illud *& cætera* includit ea, quæ hodie in Miſſa ſequuntur: *Semper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis.* Nam ut advertit Cardinalis Bona lib. 2. rer. Liturg. c. 14. immediate ante hæc verba, ſi novæ fruges, aut quælibet alia humanis uſibus ſervientia benedicenda erant, ante altare olim collocari ſolebant, & hic a Sacerdote benedici: & terminata benedictione ſolita clauſula per Chriſtum Dominum noſtrum ſequentem addebant orationem: *Per quem hæc omnia creas &c.* Quæ tunc non tam ad Corpus & Sanguinem Chriſti, quam ad res benedictas referebantur, quas Deus continuo conſervando creat. Sed ſucceſſu temporis tepeſcente fidelium fervore, hæc, ne Miſſa prolixior eſſet, ab ea ſejuncta fuerunt; manente interim oratione, quæ dum hodie ſuper ſolas ſpecies conſecratas profertur, vix intelligitur, imo ut ſenſum habeat convenientem, mirum in modum torqueri debet: quod & in multis aliis in Miſſa occurrentibus accidiſſe, & hodie obſcuritatem magnam parere ſæpius monet Cardinalis Bona. Ex his autem apparet, quam canus ſit ſimilium benedictionum in utraque Eccleſia uſus, & quam venerandis fundamentis innixus, ut proin irrationabiliſſime a Proteſtantibus irrideatur. Hic incidenter notandum in can. 3. Apoſtolorum N. 22. h. t. relato prohiberi oblationem lactis & mellis ſuper Altare: quo non obſtante in Eccleſia Latina mos obtinuit, & quidem ad finem Sæculi IV. offerendi ſemel in anno, dum nempe Catechumeni initiabantur, lac & mel, quod ſolemniter benedictum dabatur Catechumenis deguſtandum, ut habet Can. 4. Concilii Carthaginenſis IV.

28. Oblationes, præcipue illæ panis & vini ad Altare a fidelibus offerri ſolitæ, teſſera erant communionis fidelium; ita quidem, ut qui exortes eſſent participationis Corporis Chriſti, ſive vivi, ſive defuncti, eorum oblationes, vel pro ipſis ab aliis factæ non reciperentur.

Concilium Carthaginenſe IV. mox relatum Can. 95. ſancit: *Oblationes diſſidentium Fratrum neque in Gazophylacia* (minus in Altario) *recipiantur. Eorum, qui pauperes opprimunt, dona a Sacerdotibus refutanda.* Et ante hoc Concilium Liberius Papa dona a Conſtantio Imp. hæretico oblata, & a Cuſtode templi S. Petri incaute ſuſcepta, magna inde ejecit conſtantia, ut ſcribit Athanaſius in ep. ad ſolitarios. Quantum ad defunctos Aurelianenſe Concilium II. Can. 15. ait: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerunt interempti, recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis manibus intuliſſe.* Plures in hanc rem Canones cumulari poſſent, ſi opellæ ratio hoc pateretur. Hoc finaliter ex Thomaſſino notandum, nec oblationes tantum & hoſtias fidelium ad altare fuiſſe admiſſas, ſed & eorum nomina omnium recitata, quorum oblationes ſuſceptæ fuiſſent: hæque fuiſſe diptycha, ſeu monumenta ſolemnia, quæ publice prælegebantur inter Miſſarum ſolemnia ex ambona poſt ſuſceptas oblationes, non ante; nam ut ſcribit Innocentius I. Papa Ep. 1. c. 3. quam ſuperfluum ſit, & ipſe recognoſcis, ut cujus hoſtiam necdum Deo offeras, ejus ante nomen inſinues. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur &c.

T I T U L U S XXXI.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem.

1. EA eſt præſentis argumenti de Regularibus (ſi nomen iſtud in tota ſua latitudine ſumatur, ita ut non ſolum Monachos, & Mendicantes, verum etiam Clericos, atque Canonicos Regulares, eorumque diſciplinam, dependentiam ab ordinariis, exemptionem ab eorum Juriſdictione, Privilegia &c. comprehendat) vaſtitas, ut ſi pro merito tractari hoc loco deberet, Titulus præſens ſua mole reliquam tractatum hiſtoricum in præſentem Librum ſi non excederet, facile æquaret. Quare duplici œconomia procedendum exiſtimavi, primo ut ea, quæ de regularibus tractanda ſunt hiſtorice, compendio, quantum fieri poteſt, exhibeam. Secundo, ut illa in tres Titulos diſtribuam, atque 35. bujus Libri Titulo de Statu Monachorum & Canonicorum Regularium inſcripto, de Clericis, Canonicisque Regularibus, ac Ordinibus militaribus, Monachorumque cum eis connexione; Titulo item 33. Libri V. Decretalium de Privilegiis prænotato, de Regularium ſubjectione, exemptione, privilegiis; in præſenti vero de ſolis Monachis & Mendicantibus, & quidem ſolum quantum ad eorum originem, & domeſticam diſciplinam tractatum inſtituam, ſtatumque ſanctiſſimum, atque Eccleſiæ Dei utiliſſimum contra calumnias atras Proteſtantium, zoilique dentem unius vel alterius orthodoxi defendam.

§. I.
De Monachorum Origine, & Vetuſtate.

2. QUamquam Viri eruditi ultro fateantur Eliam, Eliſeum cum Prophetis Veteris Teſtamenti, Joannemque Baptiſta exemplar luculentiſſimum exhibuiſſe earum virtutum, in quibus ſeſe poſteriores Monachi præcipue exercent, unde & nomen ſortiti ſunt, abſtractionis nimirum a negotiis ſæcularibus, orationis prolixioris, contemplationiſque rerum divinarum, corporearumque auſteritatum; minime tamen aſſentiuntur iis, qui eos faciem Monachis antiquis vel modernis ſimilem prorſus exhibuiſſe operoſo, ſed non ſat felici conatu contendunt; multo minus iis, qui ſtatus Monachorum epocham ante diluvium collocant.

Ut Monachos in his conſequaris, ait Thomaſſ. de V. & N. Eccl. diſcipl. p. 1. lib. 3. c. 12. N. 11. opus eſt præterea regula, congregatione, ſpeciali viſte, ſtata ab aliis diſcrepante & notabili, exercitiis officiiſque ad certas horas alligatis & ſui ſemper ſimillimis, ſcholis, coloniis; nec id uſquam niſi poſt Antonium invenies. Nec meo quidem tenui judicio Eccleſia opus habet, Monachos in veteri teſtamento, vel prorſus in Lege naturæ quæreti, ut ſtatum Monachorum veterum & præſentium contra impetus hæreticorum efficaciter tueatur. Cum ſponſus ejus Salvator noſter ea in Evangelio ſuo eidem tela reliquerit, quibus nullo negotio cæcorum hominum calumniæ profligari poſſunt.

3. Neque primi Chriſtiani, de quibus Actuum 4. a v. 32. legitur: *Multitudinis autem Credentium erat cor unum, & animæ una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia &c.* erant Monachi noſtris ſimiles, quanquam ſuo exemplo Monachiſmo efficaciter præluſerint.

Caſſianum collat. 18. c. 5. Cœnobitarum diſciplinam ex allata authoritate ab Apoſtolorum prædicatione derivantem, atque uſque ad Pauli & Antonii tempora perducentem vel ex hoc ſolo cum aliis refellit Thomaſſ. l. cit. N. 10. quod eidem non poſſint ſolida ſuppetere argumenta, quibus conficeret, primos Eccleſiæ Hieroſolymitanæ fideles cum Patrimoniis etiam conjugia repudiaſſe, quæ tamen repudiatio animam Monachiſmi efficit.

Secunda propoſitionis pars ex ſe ipſa elucet: nemo enim non videt Monachos ex ſui inſtitutione velle imitari primitias illas Chriſtianorum ineundo Societatem, cui ex inſtitutione debet eſſe cor unum, & anima una, cuique omnia ſint communia, cui præcepe cura perſeverare in oratione, quæſtum regni cœlorum temporalibus lucris præferre &c.

4. Chriſtus in Evangelio Monachorum vitam delineavit, atque conſuluit.

Propoſitio hæc infra magis enucleabitur, dum criminationes Proteſtantium retundemus. Hic interim contendimus, eum paupertatem non tantum eſſentialem, ſeu illam ſpiritus, quæ conſiſtit in abſtractione voluntatis ab omni alligatione ad res temporales poſſeſſas, eſtque ad aſſequendam Chriſtianam perfectionem abſolute neceſſaria; verum etiam materialem, ſeu abdicationem omnis proprietatis, tanquam ad eam conſequendam valde utilem commendaſſe; exemplo quidem ſuo a nativitate in ſtabulo, uſque ad mortem in crucis patibulo; verbo vero Matth. 19. v. 21. dum adoleſcenti eum ſequendi cupido ait: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus;* item dum v. 23. occaſione hominis hujus ad terrenam ſubſtantiam oppido alligati pericula divitiarum exponit, dicens: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum Cælorum.* Similiter etiam caſtitatem non tantum illam conjugalem, verum abſolutam, dum L. cit. v. 12. inquit: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.* Quam ſpiritualem caſtrationem ad perfectionem Chriſtianam facilius conſequendam oppido conducere, quemadmodum & Matrimonium ſuapte natura eidem impedimenta difficultateſque non obvias injicere profitetur Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 34. dicens: *Mulier innupta & Virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu; quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro;* nimirum ſuapte natura virginitatis & Matrimonii compatibili cum vitio contrario innuptæ, & virtute nuptæ. Obedientiam denique, dum pauperi Matri, & vili fabro, quos ſapientia & prudentia in immenſum anteibat, ad annum uſque 30. ſubdebatur, hancque ſubditelam omnibus alta ſapientibus, & in ſua aſtutia confidentibus publicis monumentis voluit conſignari, Lucæ 2. v. 51. cum notabili illo colophone. *& Jeſu proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.*

5. Nec Virgines, quæ ab ipſis incunabulis Eccleſiæ velabantur, & Deo conſecrabantur; nec viri, qui in ſolitudinibus tum meditationibus ſanctis vitam impendebant, monaſticam vitam duxerunt.

Virgines enim illæ, quemadmodum produnt Patrum teſtimonia, ſolo caſtitatis voto ſeſe obſtringebant, & hoc ſubinde tantum implicite, neque vivebant in certa communitate ſub regula, & alicujus præpoſitæ obedientia, ſed in domo paterna.

Viri

Viri vero, de quibus ſcribit S. Paulus: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, —— in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cavernis terræ;* ad Hebr. 11. v. 37. 38. ſolitudines petebant vel perſecutionis declinandæ, vel meditationibus vacandi gratia, nullo cæteroquin voto adſtricti, aut ſub certa Regula viventes.

6. Simillimi Monachis Sæculi IV. fuerunt illi homines utriuſque ſexus, qui ſub Marco Evangeliſta, ſine uxoribus viventes ſolicitì duntaxat, quomodo placerent Deo, ſingularem & eximiam vitam ducebant; atque Therapeutæ, ſeu cultores & Monachi, aut cultrices & Monachæ audiebant.

Illorum vivendi rationem in libro de vita in contemplatione poſita deſcribit Philo eorum coævus, admirator, & diſertiſſimus Panegyriſta: *Eſt,* inquiens, *in quoque agro fere Ædes ſacra, quæ appellatur ſemneion* (id eſt auguſtum templum) *vel Monaſterion* (quod latine locus ſolitarius, ſeparatus, dici poteſt), *in quo illi ab aliis ſeparati, ſejunctique vitæ piæ, & propter virtutem auguſta myſteria obeunt: nihilque eo vel cibi, vel potionis, vel aliarum rerum, quæ ad corporis uſum neceſſaria ſunt, omnino ſecum apportant; ſed leges & oracula a Prophetis divinitus edita, hymnoſque ibi recolunt, & alias denique res, quibus divina ſcientia, & vera erga Deum pietas creſcat & perficiatur; —— totum temporis ſpatium, quod inter auroram & veſperam intercedit, in pia quadam exercitatione collocant; —— exſtant etiam apud illos commentarii veterum quorundam hominum, qui illorum Religionis & ſectæ Auctores ac Duces fuerunt: qui complura monumenta de ea ſpecie & ratione doctrinae, quæ in allegoriis cernitur, poſt ſe reliquerunt. Quibus quidem cunquam exemplaribus utentes, & Profeſſionis illius, & inſtituti modum ſedulo imitantur. —— Cum temperantiam quaſi quoddam fundamentum in animis ſuis jecerint, alia virtutum genera ſuperædificant. Cibum aut potum ante ſolis occaſum nemo illorum capit; quippe divinæ ſapientiæ ſtudium, quo ſe involvunt, lucem promereri judicant; corporis autem neceſſitates tenebras ſolum merito ſibi vindicare. Unde illis quidem totum diem, his autem exiguam quandam noctis particulam largiuntur. ——* Commune Semneum (ſeu Monaſterium, aut locus ſacrorum), *in quod ſeptimo quoque die conveniunt, ſepto clauditur duplici, ſeparatis virorum & mulierum cœtibus. Nam mulieres quoque ſimul auſcultant ex more, duntaxat quæ inſtitutum idem ſectantur. Medius autem paries a ſolo ſurgit tribus, quatuorve cubitis, in modum loricula; ſuperiora uſque ad tectum patent; unde gemina provenit commoditas, & quod pudori fœminei ſexus conſulitur, & quod verba Doctoris exaudiuntur facile abſque ullis obſtaculis, quæ vocem ejus intercipiant.* Ex his porro patet primo, hoc genus hominum in eadem ſecta, ſeu Eccleſia, congregationem ſingularis vivendi methodi conſtituiſſe. Secundo, in eo non tantum fuiſſe mares, ſed etiam fœminas. Tertio, eos in communi vixiſſe, & paupertatem ſummam coluiſſe. Quarto, rei uxoriæ operam non navaſſe, ſed utrumque ſexum in ædiculis ſeparatum, atque a ſocietate reliquorum hominum, etiam fratrum avulſum, caſtitatem exactam ſervaſſe, eo quod diem totam, noctemque pene in orationibus, meditationibus, ſacriſque lectionibus Prophetarum, veterumque ſuorum Fundatorum conſumpſerint, quæ res cum prolium procreatione earumque educatione ſubſiſtere nequit. Quibus omnibus ſi addantur ea, quæ de ſimilium hominum profeſſione ſcribit Dionyſius Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia, ſique hi libri revera ſunt ipſius, ut graviſſimi Authores ſuſtinent, defenditque Nat. Alex. hiſt. Eccl. Sæc. I. diſſert. 22. eos, ut ovum ovo, Monachis IV. Sæculi fuiſſe ſimiles vix inficiari poteſt. Sic autem habet: *Sacerdos ſtat ad Altare. Is autem, qui conſecratur, ſtat poſt Sacerdotem —— ſupra illum myſticam invocationem proſecuti; qua finita Sacerdos accedens, rogat ipſum primum, an omnibus rebus dividuis renuntiet, non ſolum vitiis, ſed etiam imaginationibus. Deinde exponit illi vitam perfectiſſimam, conteſtans illum debere mediam vivendi rationem ſuperare. Quæ ubi omnia is, qui initiatur, profeſſus eſt, Sacerdos cum crucis ſigno conſignatum tondet, —— omnique veſte detracta, cum alia induit.* Chriſtiani vero an Judæi Eſſeni fuerint hi Therapeutæ quæſtio omnium intricatarum facile princeps eſt; quæ conſequenter non tantum antiquos Patres, verum etiam recentiores Criticos inter ſe collidit. Chriſtianos fuiſſe affirmant Scriptores Eccleſiaſtici Sæculi IV. primi Subſellii Euſebius hiſt. Eccl. lib. 2. c. 16. Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccl. Epiphanius hæreſi 2. N. 5. & poſt ipſos Sozomenus lib. 1. c. 12. Caſſianus lib. 2. de cœnobiorum inſtitutis c. 5. Photius in Bibliotheca Cod. 103. Suidas & alii, idque ex narrationis, quam ex Philone retulimus, ſerie videntur colligere; dicit enim hos aſcetas præter Lectionem Prophetarum, etiam commentarios Authorum ſuæ ſectæ, ſeu religionis diligenter evolviſſe, quo loquendi methodo Philonem ad Apoſtolos, & conſcripta ab eis Evangelia, alioſque ſacros Codices alludere, vel inde cuivis videtur, quod hos Commentarios affirmet continere complura monumenta de ea ſpecie, & ratione doctrinæ, quæ *in allegoriis* cernitur; Evangelium vero in allegoriis, & parabolis majori ex parte conſiſtere, totumque novum teſtamentum in hoc velut in cardine verſari, ut allegorias & figuras veteris teſtamenti in Chriſto, atque in fundata ab eo religione monſtret adimpletas, nemo eſt, qui neſciat. Sicut neque, quod S. Marcus Alexandriæ amplam, dum viveret, fundaverit Eccleſiam. Hinc eſt, quod illorum ſententiam ex recentioribus amplexi ſint Baronius, Bellarminus, Petavius, Natal. Alex. cum pluribus aliis, qui poſtremus ſucceſſit iis Viris Catholicis eruditis, qui Therapeutas, de quibus loquitur Philo, vel nuſquam exſtitiſſe aſſerunt, vel Chriſtianos & Monachos non fuiſſe, quod Magdeburgenſibus Centuriatoribus, quam antiquis Scriptoribus Eccleſiaſticis, potius auſcultent. E contra ex antiquis Nilus S. Chryſoſtomi auditor, & ſi erudito Mammachio de originibus, & antiquitatibus Chriſtianis Tom. 1. p. 16. fides, Photius pro altera ſententia ſupra ex Nat. Alexand. cit. ex recentioribus vero Cotelerius, Pagius, Dupinius, & alii plurimi hos Therapeutas volunt eſſe puros putos Judæos de ſecta Eſſæorum, Eſſenorum, aut Jeſſenorum, quos idem Philo, & Joſephus alibi deſcribunt; idque eo potiſſimum argumento, quod Philo ibi ſcribat: *Exſtare apud illos commentarios veterum quorundam hominum, qui illorum ſectæ & religionis Duces fuerunt:* Quod de Chriſtianis a S. Marco inſtitutis, quos Philo vidit, dici non poſſe prætendunt, cum nulli tunc de Chriſtiana religione libri conſcripti eſſent. Et ſi daretur tum jam novum teſtamentum fuiſſe divulgatum majori ex parte, commentarii illi non potuiſſent dici *veterum* quorundam hominum; cum Philo librum de vita contemplativa ſcripſerit A. C. 68. quo anno Scriptores Canonici vel adhuc vivebant, vel nuper mortui erant. Hinc eſt, quod huic poſteriori ſententiæ invitus adhæreat ipſe Mammachius recentiſſimus Scriptor. Nobis vero nec vacat, nec incumbit, quid de Therapeutis ſentiamus, hic aperire.

7. Eſſæi ſive Eſſeni, qui ſectam inter Judæos illi Phariſæorum, & Saducæorum oppoſitam profite-

fitebantur, maximam cum vita veterum Monachorum præſeferebant ſimilitudinem; ab iis tamen ratio vivendi veterum monachorum originem nequaquam duxit, ut prætendunt quidam heterodoxi.

Quantum ad s. p. eorum imaginem Monachis antiquis ſimillimam pingit Joſephus lib. 2. de bello Judaico c. 7. & libro 18. antiquitatum c. 2. nec non Philo apud Euſebium lib. 8. præparationis Evang. ex quibus Natalis Alexan. in hiſt. Vet. Teſtam. ſexta mundi ætate c. 1. Art. 9. §. 4. ſequens compendium exhibet. Eſſæi, ſive Eſſeni (cum Aſſidæis de quibus 1. Math. 2. v. 47. &c. minime confundendi) Phariſæis recentiores, de Dei Providentia, & animarum immortalitate ſane ſentiebant. Vitæ Aſceticæ inſtituto celebres fuerunt. Non admittebant in ſocietatem niſi viros graves, & quorum ætas ad ſenectutem vergeret. Diſcipulos quadriennio toto probabant. Cælibatum ſervabant, paucis tamen exceptis. Alienos pueros velut cognatos inſtituebant ſub unius Magiſtri cura. Sabbathum cæteris Judæis ſcrupuloſius obſervabant. Summa inter illos erat bonorum communio; deſignati communium rerum Procuratores; candida veſte utebantur, victu parco & auſtero; cujus ſumptioni præmittebatur oratio, gratiarum actio ſubſequebatur. Statæ illorum preces, maxime ad ortum ſolis. Artes, occupationeſque variæ, —— vitæ Theoreticæ & Lectioni deditiſſimi, pietatis, beneficentiæ, hoſpitalitatis ſtudioſiſſimi, ſolitudinis & ſilentii obſervantiſſimi fuere. In juvando duntaxat & miſerando ſui juris erant; in cæteris e curatoris ſui pendebant arbitrio; ſine cujus venia vel cognatis aliquid dare neſas ducebant. Myſticum Sacræ Scripturæ ſenſum ſectabantur. —— Severi erant criminum vindices. Deprehenſos nempe in crimine a ſua ſocietate pellebant. Quæ omnia quam veterum inſtituto Monachorum ſint parilia, præſertim ſi ex Plinio lib. 5. hiſt. naturalis c. 17. addas, eos ſine ulla fœmina omni venere abdicata vitam traduxiſſe, nemo non videt.

Ex hoc tamen non ſequitur monaſticum inſtitutum Chriſtianorum hujus ſectæ Judaicæ ſimiam fuiſſe, ut quidam Proteſtantes autumant. Cum quæ ſimillima ſunt, non ſemper ab invicem dependeant. Alias quis dicat, Europæos Catholicos multiplicitatem ſuarum cæremoniarum a Chinenſibus, qui iis abundant, emutuaſſe, aut Pyrii pulveris conficiendi artem, quam illi prius callebant, ab ipſis didiciſſe. Evangelica igitur conſilia a Salvatore noſtro ſequacium ſuorum optioni relicta, nec non exempla ſingularium perſonarum prioribus tribus Sæculis ad eorum amuſſim vitam ſuam inſtituentium, S. Antonium Ægyptium, Hilarionem, eorumque ſequaces inflammarunt, e turba Chriſtianorum, præceptis Evangelicis obtemperantium, caput extollendi, iiſque vitæ monaſticæ Evangelicis bis conſiliis N. 4. h. t. inſinuatis ſuperſtructæ ſublimitate eminendi. In vita enim Antonii in Breviario ad 17. Januarii legimus: *Cum ingreſſus Eccleſiam ex Evangelio audiviſſet: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: tanquam ea ſibi dicta eſſent, ſic Chriſto Domino obtemperandum exiſtimavit, &c.*

8. Si Monachum itaque dicamus eum, qui contemptis divitiis, carnis illecebris, mundanorumque hominum converſatione ſibi & Deo vacat: Sæculo IV. pace Eccleſiæ ſub Conſtantino M. reddita, triplicis generis fuere Monachi, ſeu ſimilem vitam profitentes, Cœnobitæ nimirum, Anachoretæ, & Ægyptii Remoboth.

Omnes hi conveniebant, quod a mundano ſtrepitu ſeparati per obſervationem Evangelicorum conſiliorum ad Chriſtianam perfectionem eniti conarentur. In hoc vero differebant, quod Cœnobitæ in Cœnobiis ſub unius Præpoſiti & ſubalternorum Rectorum diſciplina vivebant. Anachoretæ vero ab invicem ſeparati ſolitudines incolerent. Remoboth vero bini vel terni, aut paulo plures ſimul morarentur, & abſque Præpoſito & regula proprio arbitrio viverent; quorum proin inſtitutum omnium erat imperfectiſſimum. De omnibus his diſſerit S. Hieronymus in ep. ad Euſtochium de cuſtodia Virginitatis.

9. Si Monachos antonomaſtice ſumamus pro Cœnobitis vel Anachoretis in aviis ſolitudinibus verſantes, earum Author ac Pater merito dici debet Antonius Ægyptius.

Id ſignificat S. Athanaſius in vita S. Antonii inquiens: *Nondum tam crebra erant in Ægypto Monaſteria, neque omnino quiſquam aviam ſolitudinem noverat; ſed quicunque in Chriſti ſervitute ſibimet ipſi prodeſſe cupiebat, non longe a ſua Villula ſeparatus inſtituebatur. Erat in agello vicino ſenex quidam, vitam ſolitariam a prima ſectatus ætate. Hunc Antonius cum vidiſſet, æmulatus eſt ad bonum.* Hoc loco S. Athanaſius oppoſitas de origine Monachorum ſententias, quarum una, quæ Caſſiani eſt, eam Eccleſiæ coævam facit, altera eam in Antonium tanquam Authorem refundit, conciliare videtur, dum Chriſtianos, qui in locis abſtractis *ſibimet ipſis* vivebant, dicit ante Antonium extitiſſe, & revera ſimiles homines ab Eccleſiæ cunabulis per tria perſecutionum Sæcula nunquam non extitiſſe ex dictis in comperto eſt; non vero Monaſteria cœnobitarum exſtructa fuiſſe, aut homines aviam ſolitudinem petere ſolitos ante Antonium affirmat. Quod vero dicit: Non tam crebra ante Antonium in Ægypto erant monaſteria; non ſupponit Cœnobia, lauraſque in Ægypto ante Antonium fuiſſe exſtructas, in quibus Congregationes Monachorum ſub regimine Abbatis habitaſſent; contrarium enim in aprico eſt; ſed habitationes ſimilium Aſcetarum, qui in ſuburbanis, vel ruri urbibus vicino ſolitudines ſibi ædificarunt. Antonium vero jure eſſe dicendum Authorem, Inſtitutoremque tum Cœnobitarum, tum Anachoretarum, quamvis S. Paulus ante Antonium Anachoretarum exemplar fuerit, S. Hieronymus de antiquitate vitæ Monaſticæ ex eo adſtruit, *quod ab eo ante omnes aliarum ad vitam monaſticam utriuſque generis amplectendam incitata ſint ſtudia.* Unde Breviarium citatum de ipſo dicit: *Cum innumerabiles ſui inſtituti imitatores haberet, convocatis Monachis, & ad perfectam Chriſtianæ vitæ regulam inſtructis, —— migravit in cælum.*

10. Monaſtica vivendi ratio ab Antonio inſtituta, eodem Sæculo IV. & quinti initio in Aſia, Europa, & Africa per Viros ſanctitate & doctrina celeberrimos propagata eſt.

Eam Hilarion propagavit in Palæſtina, ut ſcribit Hieronymus in vita Pachomii. In Ponto S. Baſilius. Eam Europæ intulit S. Athanaſius, dum vitam S. Antonii adhuc viventis Romam ſecum adſerret teſte eodem Hieronymo in vita Marcellæ. Ad quam Monachorum ac Virginum propagationem multum ipſe doctrina ac inſtitutione ſua contulit; uti apparet ex ejus ep. ad Principiam Virginem, in qua inter alia ait: *Crebra Virginum Monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo* (Romæ), *ut pro frequentia ſervientium Deo, quod prius ignominia fuerat,* (Monachiſmus enim Romanis tum erat res nova, viliſque videbatur) *eſſet poſtea gloriæ.* Roma derivatum eſt Monaſticum inſtitutum in inſulas Etruſci maris, eodem teſte in epitaph. Fabiolæ. Mediolani fundatore Ambroſio fuiſſe Monaſterium plenum fratribus teſtatur S. Auguſtinus lib. 8. Confeſ. c. 6. S. Euſebium præfuiſſe Monaſterio

Vercellenſi ſcribit Ambroſius ep. 82. Sanctum Martinum Pictavis & Turonibus in Gallia Monaſteria exſtruxiſſe, & Monachos inſtituiſſe teſtatus Severus Sulpitius in ejus vita. In Africa vero hujus ſacratiſſimi inſtituti propagator fuit S. Auguſtinus, de quo Poſſidius in ejus vita cap. ult: *Clerum ſufficientiſſimum, & Monaſteria Virorum ac Fœminarum continentium cum ſuis Præpoſitis plena Eccleſiæ dimiſit*. Eum vero fuiſſe propagatorem primum conſtat ex ejus libro de moribus Eccl. Cath. c. 13. ubi Manichæorum fucatis virtutibus opponens Monachorum Catholicorum infucatam ſanctimoniam ad Ægypti & Orientis Monachos provocat, quod non feciſſet, ſi domeſtica tum ipſi abundaſſent Monachorum Africanorum exempla.

11. Sæculo VI. Monaſtica vita in Europam propagata per Viros undequaque ſanctiſſimos magna incrementa ſuſcepit.

Princeps omnium fuit S. Benedictus, qui Monachorum Europæorum Patriarcha ex eo dici poteſt, quod ejus inſtituta, ſeu regulam omnes tandem Monachi Europæi ſucceſſive amplexi ſint, ut infra videbimus. Præter ipſum, Monaſticum Inſtitutum hoc Sæculo promoverunt Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Aurelianus, Columbanus, Ferreolus Ucetienſis, Iſidorus, S. Fructuoſus.

12. Sæculo VIII. Omnes Monachi in Occidente, qui alias inſtituti fuerant a S. Marino, Cæſario, & Columbano, inſtituta S. Benedicti amplexi ſunt.

Videatus Mabillonius Sæculo III. Benedictinorum. Ex quo etiam diſces, quemadmodum hic celeberrimus Ordo Sæculo præcedenti & ſubſequentibus propagatus fuerit per S. Maurum in Gallia, Placidum in Sicilia, Leonardum in Alſatia, Conatum in Hiſpania, Auguſtinum in Anglia, Bonifacium in Germania &c.

13. Monaſtica hæc juxta Regulam S. P. Benedicti vivendi ratio in omnibus Occidentis Monachis perſeveravit uſque ad Sæculum XI. quanquam Benedictinum inſtitutum per ſuccedentes reformationes in varias congregationes diviſum fuerit.

Reformationem Diſciplinæ Benedictinæ, quæ Sæculo IX. ſola in Galliis, Germania, & Italia, atque in tota Europa recepta, atque majori ex parte, præſertim in Gallia ob bella inteſtina, & direptionem bonorum Eccleſiæ, ut ſæpe jam diximus, collapſa fuit, propagandam ſuſcepit eodem Sæculo S. Benedictus Anianenſis Abbas, ſicut teſtatur Ardo in ejus vita. Sæculo vero X. occaſione ejuſdem reformationis excitata eſt in Galliis famoſa Congregatio Cluniacenſis, cujus primus Abbas fuit Berno, cui ſucceſſit Odo, qui exſtinctum pene in Galliis S. Benedicti Ordinem ſuſcitavit, multumque propagavit. Hanc Sæculo XI. excepit Congregatio Camaldulenſis auctore S. Romualdo, cui ſucceſſit Congregatio Vallis Umbroſæ, ſic dicta ab arboribus montium dorſo inhærentibus, atque vallem opacam reddentibus, quam eodem Sæculo fundavit S. Joannes Gualbertus. Huic demum Sæculo iſthoc exſpirante nobiliſſimus Ciſtercienſium Ordo, cujus fundamenta A. 1098. in nemore vaſtiſſimo ac uliginoſo jecit B. Robertus Abbas Moliſmenſis Ordinis Benedictini, ampliſſime vero propagavit Monaſtica obſervantia, vitæ ſanctitate, doctrina pene cœleſti in Eccleſia Latina celebratiſſimus S. Bernardus Clarevallenſis Abbas. Videatus Mabillonius.

14. Sæculo eodem XI. & XII. exorti ſunt Ordines Monaſtici Grandimontenſis, Carthuſianus, & S. Antonii, qui Regulam S. Benedicti non ſunt ſecuti.

Ordinem Grandimontenſem inde dictum, quod ejus Profeſſores montem Mauſetum relinquere coacti, in grandem montem A. 1124. migrarint, eodem Anno fundavit S. Stephanus de Mauſeto; Fratribuſque Regulam propriam Apoſtolicam ſane & auſteram, quam RR. Pontifices Urbanus III. & Clemens III. confirmarunt, præſcripſit; ut proinde fallantur, qui hunc ordinem vel ſub Regula S. Benedicti, vel S. Bernardi, vel S. Auguſtini militaſſe affirmant. Carthuſienſium ſtrictiſſimum inſtitutum ad Sæculi XI. finem condidit S. Bruno, ita dictum ab aſperrimis Carthuſiæ montibus, quos Sanctus ille cum Sociis inhabitavit, Ordiniſque ſanctiſſimi fundamenta inibi jecit. Eodem Sæculo jacta ſunt fundamenta Ordinis Sancti Antonii per erectionem Societatis a Gaſtone Viro nobiliſſimo, ejuſque filio Giſino a ſacro Igne tum per Gallias immaniter graſſante precibus S. Antonii Ægyptii miraculoſe ſanatis, cujus Præſes Falco ſeſe Sæculo XIII. cum ſociis tribus ſolemnibus votis adſtrinxit, indulgente Honorio III. ac dehinc Ordo S. Antonii per Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Germaniam, aliaſque orbis partes propagatus eſt. De Canonicis Regularibus, ſimul & Ordinibus militaribus Sæculo XII. inſtitutis hic Ordine agendum foret, ni hanc materiam, ſicut & illam de Congregationibus Clericorum, Titulo XXXV. deputaſſemus.

15. Sæculo XIII. & XIV. exorti ſunt in Eccleſia Latina Ordines mendicantium, majori ex parte ſub regula S. Patris Auguſtini, ſed diverſis conſtitutionibus, quorum vitæ ratio a præcedentium Monachorum notabiliter differt.

Hos inter Ordines primus eſt Ordo Prædicatorum a S. Dominico inſtitutus atque ab Honorio III. An. 1216. confirmatus. Eodem pariter Sæculo S. Franciſcus Seraphicus Ordinem Minorum fundavit, ab Innocentio III. in Lateranenſi IV. Concilio A. 1215. atque ab Honorio III. confirmatum. De Ordinis Carmelitarum, Eremitarumque S. Patris Auguſtini origine & antiquitate hic præſcindimus, non cenſorem, ſed cultorem utriuſque ex animo nos profitentes. Id certum eſt B. Albertum Hieroſolymitanum Epiſcopum A. 1214. montis Carmeli Eremitis regulam breviſſimam dediſſe ab Honorio III. A. 1226. confirmatam. Eos ex Aſia in Europam veniſſe A. 1245. ſcribit Natalis Alex. & ſuperinducta cœnobiticæ vitæ forma inter Ordines Religioſos numeratos fuiſſe favente Innocentio IV. Alexander vero IV. Pontifex maximus quinque congregationes Eremitarum diverſis regulis, titulis, & veſtibus viventes, ad tollendam omnem confuſionem in unam Ordinis & regulæ S. Auguſtini obſervantiam, in uniformem vivendi, ac veſtiendi modum An. 1256. redegit, atque huic Ordini primum Priorem Generalem Lanfrancum Septalanum Mediolanenſem præfecit. Præter hos quatuor ſacros Ordines, qui antonomaſtice Ordines mendicantium audiunt, his ſæculis Religioſorum Ordinum feraciſſimis fundati ſunt alii quam plures ſacri cœtus, inter quos primo loco venit Ordo SS. Trinitatis redemptionis captivorum a S. Joanne de Matha fundatus, atque ab Innocentio III. An. 1198. confirmatus. 2. Ordo Vallis Scholarium. 3. Congregatio Sylveſtrinorum An. 1231. a Sylveſtro Guzolino ſub regula S. Benedicti inſtitutus, ab Innocentio IV. A. 1247. confirmatus. 4. Ordo S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum a Petro Nolaſco inſtitutus A. 1223. a Gregorio IX. A. 1235. confirmatus. 5. Ordo Servorum B. M. V. initiatus eſt a VII. Nobilibus Civibus Florentinis Bonfilio Monaldiu, Bonajuncta Manetti, Manetto Antelenſi, Amideo de Amideis, Uguccione Uguccionio, Soſteneo de Soſteneis, & Alexio de Falconeriis An. 1233. & confirmatus ab Innocentio IV. An. 1251. inter Ordines vero Mendican-

dicantes a Martino V. An. 1428. per bullam, quæ incipit: Sacræ religionis &c. relatum eſt. Annales Srtv. Cene. 2. i. 5. c. 3. 6. Anno 1270. erecta eſt Congregatio Cœleſtinorum a Petro de Marone, qui poſtea fuit Cœleſtinus V. Summus Pontifex ſub regula S. Benedicti. 7. Sub eadem S. Benedicti regula An. 1313. prodiit congregatio S. Mariæ montis Oliveti fundatore B. Bernardo Ptolomæo, quam Clemens VI. An. 1344. diplomate ſtabilivit. 8. Eremitæ S. Pauli Budæ in Hungaria ex inſtituto nimirum S. Pauli primi Anachoretæ, Authore P. Euſebio Strigonienſi Archiepiſcopo cœperunt circa An. 1215. Sed eorum Ordinem anno duntaxat 1338. confirmavit Joannes XXII. 9. Ordinem S. Salvatoris circa An. 1363. inſtitutum S. Birgitta Daniæ Regis filia; eum ratum habuit An. 1370. Urbanus V. 10. Hieronymiani, ſive Monachi S. Hieronymi Auctore Petro Fernando, ejusque Socio Petro Romano B. Auguſtini regulam amplexi ſunt, approbante eorum inſtituta Gregorio XI. An. 1374. 11. Alii Eremitæ S. Hieronymi a B. Petro Gambacurta nobili Piſano fuerunt inſtituti ſub An. 1380. ſine votis, quibus eos tandem conſtrinxit S. Pius V. 12. Denique Ordinem S. Ambroſii dudum inſtitutum, ſed abſque certa regula a ſede Apoſtolica approbata, confirmavit idem Gregorius XI. ſub Regula S. Auguſtini An. 1385. cum poteſtate recitandi Ambroſianum Officium. Prætermitto Ordines pauperum Catholicorum, Humiliatorum, & Jeſuatorum his ſæculis inſtitutos, eo quod ſubinde caſſati fuerint a Romanis Pontificibus.

16. Sæculo XV. ſtrenue adlaboratum eſt, ut Ordines tum Monaſtici, tum Mendicantes ad primævam diſciplinam revocarentur, noviſque ordinibus Eccleſia fœcundata eſt.

In Italia Ludovicus Barbus Monaſterio S. Juſtinæ a Gregorio XII. præfectus priſtinum ſplendorem Ordini S. Benedicti in Italia reſtituit circa An. 1408. inde enim ortum trahit celeberrima congregatio *S. Juſtinæ*, ſeu Caſſinenſis. In Hiſpania vero Martinus Vargas veterem diſciplinam Ordinis Ciſtercienſis revocavit, & congregationem ſub Titulo *S. Bernardi* An. 1425. inſtituit, quam Martinus V. confirmavit. Reformationem Ordinis S. Franciſci circa An. 1419. magno zelo aggreſſus eſt S. Bernardinus, quique ei adhæſerunt *Obſervantini* dicti ſunt, ad diſcrimen fratrum Conventualium ejuſdem Ordinis, qui in recepta jam vivendi forma juxta privilegia & diſpenſationes a ſede Apoſtolica conceſſas permanere voluerunt. Hoc ſæculo prodiit quoque *Congregatio Lombardiæ*, quæ inter Congregationes reformatas Eremitarum S. Auguſtini eminet. Altera congregatio Benedictinorum *Burſfeldenſis* appellata opera Joannis Rodii in Germania prope Treviros in Monaſterio S. Matthiæ prodiit, ac Burſfeldiæ primum ſuſcepta eſt An. 1435. ejus exemplum ſecuta Germaniæ & Gallo-Belgii Monaſteria eidem ſe ſe adjunxere. Eodem Sæculo Carmelitæ alteram mitigationem Regulæ ſuæ a B. Alberto Patriarcha Jeroſolymitano obtinuerunt ab Eugenio IV. An. 1432. quam qui obſervant, Carmelitæ mitigati nuncupantur. Hoc ipſo Sæculo S. Franciſcus de Paula fundavit Ordinem *Fratrum Minimorum*, cujus fundamenta jecit in cœnobio prope Paulam An. 1467. Ordinem vero confirmavit Sixtus IV. An. 1474. Congregatio quoque Eremitarum *S. Hieronymi de Feſulis* a B. Carolo filio Antonii Comitis Montis granelli An. 1380. inchoata, ad regularem profeſſionem ſecundum Conſtitutiones S. Hieronymi nomine inſignitas ab Innocentio VII. admiſſa & approbata eſt An. 1405. Cujus alumni poſtea regulam S. Auguſtini approbante Eugenio IV. amplexi ſunt.

17. Seculo XVI. adhuc prodiere partim novi Ordines, partim Ordines præcedentium inſtitutorum reformativi.

Inter novos Ordines, qui Eccleſiam hoc Sæculo illuſtrarunt primo loco nominanda venit Societas Jeſu a S. Ignatio Lojola An. 1534. inſtituta, atque a Summis Pontificibus Paulo III. An. 1540. Julio III. An. 1552. Gregorio XIII. An. 1584. & Gregorio XV. approbata, Ordinibuſque Mendicantium annumerata. 2. Ordinem Charitatis, ſeu fratrum Miſericordiæ An. 1536. inſtituit S. Joannes de Deo, confirmavit S. Pius V. An. 1572. in cœtum vero regularem erexit Paulus V. An. 1617. 3. Ordini Cappucinorum S. Franciſci regulam ad literam profitentium initium dedit Fr. Matthæus de Baſſio A. 1525. quam Congregationem approbarunt Romani Pontifices Clemens VII. A. 1527. & Paulus III. A. 1535. 4. Ordinem Carmelitarum ad antiquam primæ Regulæ, & priſcæ diſciplinæ obſervantiam reſtituit eodem Sæculo S. Tereſia de Jeſu nobilis Virgo Abulenſis, cujus inſtitutionem ratihabuit Gregorius XIII. An. 1580. 5. Congregatio denique Fratrum Minorum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ inſtituta eſt a quibusdam ejuſdem Ordinis Profeſſoribus, quos poſtea Recollectos vocarunt, eo quod Regulam S. Franciſci pure juxta literam & Declarationes Nicolai III. & Clementis V. obſervare ſatagerent. Hanc Recollectorum Congregationem confirmavit Clemens VII. A. 1532. 6. Congregationi B. M. Fulienſis exordium dedit, Monachoſque Benedictinos ad primævum S. Benedicti & Bernardi inſtitutum reduxit Joannes Barriera; illam approbavit Sixtus V. A. 1586. 7. A. 1595. Congregatio Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini a Clemente VIII. confirmata fuit; qui Pontifex 8. etiam approbavit Congregationem Diſcalceatorum Ordinis SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum. 9. Monaſteria Ordinis S. Baſilii in Italia, Sicilia, Hiſpania in unam Congregationem ſub Abbate Generali A. 1579. reduxit Gregorius XIII. Pontifex M.

18. Sæculo quoque XVII. novis Ordinibus fœcundata, veterumque reformatione decorata eſt Eccleſia.

Inter novos Ordines Mendicantium Choro privilegiiſque adſcriptis recenſenda venit hoc Sæculo Congregatio Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum a B. Joſepho Calaſantio ſub Paulo V. A. 1617. erecta, & approbata. Reformationis vero in Ordine Prædicatorum opus hoc Sæculo ſuſceperunt in Gallia P. Sebaſtianus Michaelis, qui plures Sacri Ordinis Conventus reformavit; & P. Antonius Cuveus, qui ex ejuſdem Ordinis Alumnis novam Congregationem ſub nomine ſanctiſſimi Sacramenti inſtituit. Ad reſtaurandam itidem Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum primævæ Regulæ Obſervantiam plurimum laboravit V. P. Hieronymus a Sanctiſſimo Sacramento; quæ Gallicana Congregatio ab Urbano VIII. a 1629. confirmata ab illa Hiſpanica diſcalceatorum habitu, ac nihil differt. Hoc quoque Sæculo Benedictina diſciplina refloruit in S. Mauri congregatione ad petitionem Ludovici XIII. Regis Galliæ erecta A. 1661. & confirmata ab Urbano VIII. A. 1627. Antiquam quoque Ciſtercii faciem ad amuſſim reſtituit Armandus Joannes Butilierius Rancæus Abbas Monaſterii B. M. domus Dei de Trappa, cujus Alumni vulgo Trappenſes audiunt. Hoc eodem Sæculo minimus noſter Ordo Servorum B. M. V. cujus Alumnos indigniſſimus divina vocante Gratia eſſe merui, a tempore prætenſæ reformatio-

nis ob odioſum proteſtantibus nomen Serv. Mariæ ſucceſſive totaliter exſtirpatus ex oris Germaniæ, in eam auſpiciis Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ per Venerabilem Annam Julianam nsram Duciſſam Mantuæ, deſponſaram Sereniſſimo Archiduci Auſtriæ Ferdinando Comiti Tyrolis reintroductus eſt, adſcitis ex Eremo montis Senarii prope Florentiam, unde Ordo Servorum prodiit, Oenipontum aliquot religioſis Viris, qui juventurem Germanicam ad ſtrictiorem obſervantiæ amuſſim erudirent, quam vivendi methodum poſtea ratihabuit Clemens IX. An. 1668. conſtit. ex *commiſſi nobis cælitus &c.* Clemens vero XI. conſtitutiones Fratrum Servorum B. M. V. ſpecialem vivendi methodum in Germania profitentium confirmavit An. 1708.

19. Virgines Deo ab incunabolis Eccleſiæ ſacræ, quæque mares illorum temporum numero videntur, zeloque ſuperaſſe, eodem, quo Viri tempore, Monaſticas in Congregariooes coiverunt.

De Sorore S. Antonii Ægyptii ſcribit S. Athanaſius: *Sororem quoque jam vetulam Virginem videns, & aliarum puellarum Magiſtram, mira exultatione ſuſtollitur Antonius.* c. 29. Inter alumnos Antonii eximius cum primis Pachomius Sorori & ipſe Monaſterium ſtruxit, ubi Sanctimonialibus eam complurimis præfecit, & religionis fama præſtantiſſimia. Sic enim legimus in ejus vita c. 28. *Protinus imperat Religioſioribus Fratribus, ut ei procul a ſe monaſterium conſtruant. —— Convenerunt ad eam aliæ plurimæ, & brevi tempore magna multitudinis Mater effecta eſt.*

20. Quemadmodum autem ſubſequo tempore Monaſticus Ordo Virorum, ita etiam mulierum per utramque Eccleſiam propagatus eſt.

Sanctum Baſilium Aſceteria Virginum fundaſſe teſtatur S. Gregorius Naz. Eorum Monaſteriorum meminit quoque Theodoretus Hiſt. relig. c. 30. S. Ambroſius lib. 1. de Virg. Severus Sulpitius Dial. 2. B. Auguſtinum fundamenta jeciſſe Monaſteriorum utriuſq. ſexus teſtatur Poſſidius in ejus vita c. ult. Romæ quoque Sæculo IV. fuiſſe Monaſteria mulierum teſtatur Hieronymus in Epitaphio Marcellæ. Et quis ignorat ſororem S. Benedicti ejuſdem zelum in ſuo ſexu Sæculo VI. imitatam fuiſſe, dumque Sæculo XIII. Ordines mendicantium naſcerentur, etiam fœminas religioſas eorum inſtitutum pro modulo ſuo æmulatas fuiſſe? unde numeramus Clariſſas, Dominicanas, Eliſabethinas, Urſulinas, &c. a quarum tamen origine diſtinctius, quemadmodum illa Virorum, referenda ob operis anguſtias abſtinere cogimur. Qui plura ſcire deſiderat, adire poteſt Thomaſſinum, qui L. cit. a cap. 42. ad 49. ea, quæ ad præſens objectum pertinent, fuſe ac doctiſſime diſquirit.

§. II.

De Monachorum Regulis.

21. PRimaria & quaſi fundamentalis Monachorum priſtinorum Regula fuit Evangelium, quantum ad conſilia imprimis in eo contenta.

Per horum enim literalem obſervantiam ſeſe Monachi præcipue diſtinguebant a reliquis Chriſtiania, quamvis in cæteris omnibus turbam Chriſtianorum excellere indeſeſſe adlaborarent.

22. Cum tria genera Monachorum Sæculo IV. fuerint in Ægypto, ut ſupra N. 8. vidimus, Cœnobitæ, Anachoretæ, & Remoboth, omneſque Evangelicam regulam eandem profiterentur, eorum diverſitas ex diverſis Regulis, vel conſtitutionibus, quæ regulam univerſalem ad particulares vivendi methodos applicarent, oriri debuit.

Propoſitio de ſe clara eſt; quamvis enim Evangelica conſilia ſervari poſſint tam in vita communi, quam ſeparata, alia tamen directione in illa, alia in iſta opus eſt, cum aliud ſit vivere in communitate, ac ſub obedientia, aliud a toto hominum contubernio ſeparatum, atque ſub propria directione. Hinc indubium eſt, Antonium, eſto nullam determinatam regulam diſcipulis ſuis ſcripſerit, ordinem tamen ipſis, quemadmodum ſe erga Deum, præpoſitos, atque confratres &c. gerere debeant, readidiſſe, qui uſu ac obſervantia in normam agendorum ſubinde convaluerit. Hinc Hieronymus de Cœnobitis ſui temporis loquens ait: *Prima apud eos confœderatio eſt, obedire majoribus, & quid quid juſſerint, facere. Diviſi ſunt per Decurias, atque Centurias; ita ut novem hominibus decimus præſit, & rurſum decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat.* Omnes autem ſub communi Patre eſſe ibidem aſſerit, atque quæ obſervare habeant circa exhortationes, menſas, cibos, viſitationes cellarum, opera manualia, infirmos, jejunia, ibidem enarrat, ſuoque ipſiſſima, circa quæ modernæ Religioſorum conſtitutiones occupantur.

23. S. Pachomius primus fuit, qui regulas has Monachorum S. Antonii inſtituta ſequentium, orali traditione, ac uſu confirmatas in unum corpus collegit, quem ſecuti ſunt Theodorus & Orſieſius.

Id colligimus ex S. Hieronymo in præfatione ad regulam S. Pachomii, ubi habet: *Ajebat enim Sylvanus, quod in Thebaide & in monaſterio Metanoea --- haberent plurimi Latinorum, qui ignorant Ægyptiacum Græcumque ſermonem, qua Pachomii & Theodori & Orſieſii præcepta conſcripta ſunt, qui primi per Thebaidem, & Ægyptum cænobiorum fundamenta jecerunt juxta præceptum Dei, & Angeli, qui a Deo ſub hanc ipſam inſtitutionem miſſus fuerat.* Hæc Regula, quæ diſciplinam regularem ſancit tam monaſteriorum Virorum, quam mulierum, 127. capita complectitur. Alia ejuſdem Pachomii Regula refertur a Palladio 14. capitibus conſtans, quam tabulæ æneæ inſculptam accepit ab Angelo, quaque Monachi, qui poſt Paulum & Antonium, vel prorſus anachoretice vivebant, vel rarius ad exemplum Therapeutarum in unum conveniebant, ad perfectam cellarum, menſæque communionem per Ægyptum, & adjacentes Regiones perducti ſunt.

24. Poſt S. Pachomium diſciplinam monaſticam in communi vita per Pontum aliaſque Orientis Provincias mire promovit S. Baſilius M. Regulis ampliſſimis ac utiliſſimis in hunc finem præſcriptis.

Duplicis eæ ſunt generis; breviores aliæ 313. capitibus comprehenſæ; aliæ, quæ vocantur diſputatæ, 55. capitibus expoſitæ teſte Photio in Bibl. 141. & 191. per quas variis Monachorum interrogationibus circa varia diſciplinæ Catholicæ, & Monaſticæ imprimis capita ſatisfacit Monachorum Orientalium Pater Baſilius. His regulis Monachorum inſtitutum ita temperavit, ut ſolitariæ ac actuoſæ vitæ utilitates præclare ſimul conjungeret. Huic regulæ Aſiæ pleraque Monaſteria militabant a Turcis nunc fere oppreſſa. Diffuſi tamen adhuc ſunt Baſiliani Alumni non tantum Schiſmatici per Græciam & Ruſſiam, verum etiam Catholici in aliis Eccleſiæ Catholicæ regionibus.

25. Monachorum in Africa Pater S. Auguſtinus auream ſcripſit regulam vitæ communi Monachorum accommodatiſſimam, quam Ordines mendicantium poſterioribus Sæculis exorti majori ex parte amplexi ſunt.

Hanc regulam S. Auguſtinus neque Clericis ſeu Canonicis Regularibus, neque Monachis a ſe inſtitutis præſcripſit, ſed Sanctimonialibus ſub regimine ſororis ſuæ in monaſterium a ſe congregatis,

Digitized by Google

gitis, & de his quidem ex profeſſo, & data quaſi opera in eamdem Monaſticæ communitatis erectione; ſed occaſionaliter, dum longam jam ætatem ſub regimine ſororis ſuæ Chriſto ſerviviſſent, quam poſtea imprudenter mutare volentes, indecenter tumultuatæ fuerant; quas S. Auguſtinus Ep. 109. compeſcuit, iiſque regulam hanc auream præſcripſit, ut ipſa litera hujus epiſtolæ & regulæ loquitur; quæ ſubinde procemiolo illo, *ante omnia fratres chariſſimi diligatur Deus, deinde proximus: quia iſta præcepta ſunt principaliter nobis data*; aucta, Viriſque juxta leges grammatices accommodata eſt. Scripta eſt autem idiomate latino, quia tempore Auguſtini in Africa, ceu Romana Provincia, vulgus ipſum latine, quamvis non nihil barbare loquebatur. Unde Auguſtinus in Pſ. 138. *Os ſuum dicit*, ſic habet: *Quod vulgo dicitur oſſum, latine os dicitur. Habeo in abſcondito quoddam oſſum. Sic enim potius loquamur. Melius eſt, ut nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi.*

26. Ante tempora S. Benedicti ſeu Sæculo V. quemadmodum in Occidentali Europa, præſertim in Galliis Monaſtica late propagabatur diſciplina; ita Monachis a viris Sanctiſſimis eidem ſartæ tectæ conſervandæ ſaluberrimæ quoque regulæ ſcriptæ ſunt.

Sic in Galliis Monaſteria Maſſilienſia a Caſſiano inſtituta ejus ſervabant regulam teſte Gregorio Turonenſe lib. 10. hiſt. c. 29. quæ non extat inter opera Caſſiani. Quid quid vero ex ea laudatur, totum deſumptum eſt ex libro 2. 3. & 4. Caſſiani de Cœnobiorum inſtitutis, & commode referri poteſt ad 6. præcipua capita. S. Honoratus Lirinenſis Monaſterii Conditor vetuſtioris quoque Regulæ, quam Lirinenſes Monachi obſervarunt, priuſquam Benedictinam ſuſciperent, author extitit, ut colligitur ex S. Eucherio lib. de Laude Eremi, & ex Concilio Arelatenſi An. 455. in cauſa Monaſterii Lirinenſis celebrato, ubi ait: *Regula, quæ a fundatore ipſius Monaſterii dudum conſtituta eſt, in omnibus cuſtodita.* Non extat regula hujus Monaſterii. In eo vero Monachorum Ægyptiorum inſtituta viguiſſe colligitur ex præfatione Caſſiani ante undecimam collationem ad Honoratum & Eucherium directa. Eodem Sæculo conditum fuit in Galliis celeberrimum Monaſterium Agaunenſe, nunc Cœnobium S. Mauricii in Valleſia dictum, uti probat Nat. Alex. ad hoc Sæculum c. 5. cujus Monachi peculiarem regulam obſervarunt, quæ & Tarranenſis inſcribitur. Decem capita integra continet ex Regula S. Auguſtini, & tredecim propria complectitur.

26. Sæculo VI. & VII. qui vitam monaſticam in Occidente propagarunt Viri ſanctiſſimi, Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Aurelianus, Columbanus, Ferreolus Uceticnſis, Benedictus, Iſidorus, Sanctus Fructuoſus, etiam regulas eidem diſciplinæ accommodatas fratribus tradiderunt.

Duplicem S. Cæſarius regulam ſcripſit: unam Sanctimonialibus in gratiam Cæſariæ ſororis ſuæ, earum in conventu Arelatenſi Præfectæ, conſtantem capitibus 45. ejuſque recapitulatio 21. capite; alteram Monachis, quæ in pleriſque Monaſteriis vigebat præſertim in Gallia Narbonenſi. Ad exemplum S. Cæſarii ejus Succeſſor S. Aurelianus Monachis conſtitutis in Monaſterio, quod Regis Childeberti munificentia Arelate conſtruxerat, regulam dedit, ſicut & alteram Virginibus. Poſt hunc S. Ferreolus Ucetienſis Epiſcopus Monaſterium inſtituit, quod ſuo de nomine Ferreolucenſe nuncupavit; cujus Monachis regulam ſcripſit, quam Lucretii Dienſis Epiſcopi, qui magna in exiſtimatione erat in Gallia, permiſit cenſuræ An. 558. Sanctus Columbanus Luxovienſe Monaſterium condidit An. 590. cum hactenus in loco, cui nomen Anagrates in Voſego, in monte cum Sociis degiſſet. Regulam ſingularem Diſcipulis ſuis dedit, quæ extat apud Holſtenium in Codice regularum. Sed Regulam diſcretione præcipuam (elogium eſt S. Gregorii M. lib. 2. dial. cap. 36.) edidit S. Benedictus, atque per eam primum in Italia vitam Monaſticam informavit ac propagavit, quæ deinde in Galliam a S. Mauro ejus Diſcipulo illata eſt, eamque ſucceſſive omnes Monachi Occidentis uſque ad Sæculum XI. rejectis aliis amplexi ſunt, ut ſupra vidimus. Tardius Monaſtica diſciplina In Hiſpaniam invecta eſt, nimirum Sæculi VII. incunabulis per Donatum Monachum, qui adjunctis ſibi 70. Sociis ex Africa illuc trajecit, ac religioſam vivendi rationem certis legibus inſtitutiſque temperatam inibi primus invexit, ut S. Ildefonſus ſcribit. Monachi enim, quorum in actis Conciliorum Hiſpaniæ ante hæc tempora mentio exſtat, aut nulla votorum religione obſtricti erant, aut per ſylvas diſſipati vitam degebant ſolitariam teſte Mariana lib. 5. hiſt. Hiſp. c. 11. Deinde S. Iſidorus regulam Hiſpanienſibus Monaſteriis tradidit, ex regulis priorum Patrum defloratam. Poſt hunc S. Fructuoſus Complutenſis Abbas Monaſticum inſtitutum in Hiſpaniis propagavit poſt medium Sæculi VII. duplicemque regulam edidit, alteram 23. alteram 20. duntaxat conſtantem capitibus.

27. Quanquam Sæculo IX. & X. Ordo Benedictinus per varias congregationes fuerit reformatus, quæ reformationes fiebant per quædam ſtatuta particularia extra regulam S. Patris Benedicti vagantia; nullus tamen Ordo his Sæculis ſub ſpeciali regula inſtitutus eſt, niſi Sæculo XI. quo prodierunt Ordines Monaſtici Grandimontenſis, & Carthuſianus, item Fontis Ebraldi.

Fratribus Grandimontenſibus S. Stephanus de Tierno eorum Fundator regulam propriam dedit, Apoſtolicam ſane & imprimis auſteram, quam Cardinales duo Sedis Apoſtolicæ Legati Gregorius de Papeniſcis & Petrus Leonis, qui ipſum Mauretum honoris gratia adiere An. 1124. quo e vivis diſceſſit, approbarunt, & Summi Pontifices Urbanus III. & Clemens III. confirmavere. Ordo Fontis Ebraldi a Ven. Roberto de Arbriſello pro utroque Sexu regulam accepit, quam Paſchalis II. & Calliſtus II. confirmarunt.

28. Cum a Sæculo XIII. uſque ad noſtra tempora prodiverint Ordines Mendicantium, vitæ ratione a Monaſticis, prioribus Sæculis in Eccleſiam Latinam introductis, multum diverſi; regulas etiam pro vitæ amuſſi diverſas accepiſſe, neceſſe eſt.

Ex his Ordinibus non recenſebo eos, qui regulam S. Auguſtini ſub propriis conſtitutionibus amplexi ſunt, neque eos, qui Benedictini Ordinis obſervantiam hinc inde per varias congregationes revocarunt, quos ſub eadem regula ſtatutis particularibus differre in comperto eſt, cum hos ſacros Ordines numero plurimos ſuperius retulerim; & hic de variis regulis agens eos ſolum recenſendos habeam, qui ab hoc Sæculo XIII. uſque ad noſtra tempora ſub ſpeciali regula Chriſto nomen dederunt. Inter eos ergo Ordines, qui ſub propriis regulis Deo militare ab hoc Sæculo cœperunt, ordine chronologico primus venit Ordo SS. Trinitatis redemptionis Captivorum, cui Innocentius III. Pontifex regulam tradidit, quæ inſerta eſt ep. ejus 481. libri primi, qua ipſam approbavit An. 1198. anno pontificatus ſui primo. Hic Ordo ab Authoribus in Sæculum XIII. collocatur, quia exſpirante Sæculo XII. conditus eſt. Idem Pontifex An. 1215. inſtitutum Pauperum Catholicorum ratihabuit.

Poſt hoc S. Franciſcus fratribus ſuis ſpecialem regulam tradidit ab Honorio III. An. 1223. confirmatam, Regulam, quam a B. Alberto ad initium Sæculi XIII. acceperant Carmeli montis Alumni, Honorius III. An. 1226. approbavit. Hanc regulam a B. Alberto traditam Hugo a S. Caro Cardinalis & Willelmus Anteradenſis Epiſcopus auctoritate ſibi ab Innocentio IV. commiſſa declararunt, correxerunt, & mitigarunt, quam declarationem &c. approbavit Pontifex An. 1248. regulam tamen ſic mitigatam non ſervant ipſi, qui mitigati Carmelitæ dicuntur, ſed eandem cum nova mitigatione facta ab Eugenio IV. Suo Ordini S. Franciſcus de Paula ſpecialem regulam dictavit, quam pluries innovatam approbarunt Alexander VI. An. 1501. & Julius II. An. 1506. Seculo XVI. Ordo Annuntiatarum B. M. V. Avarici Biturigum a B. Joanna Valeſis Francorum Regina inſtitutos regulam ex Verbis Evangelicis a Gilberto Nicolai, alias Gabriele Maria Ordinis Minorum accepit, quam Alexander VI. confirmavit. Alter ab iſto eſt Annuntiatarum Ordo Genuæ ſub Clementis VIII. Pontificatu An. circiter 1600., aut 1604. a Maria Victoria Fornea, Matrona Genuenſi inſtitutus; cujus Moniales veſtem albam, & ſcapulare cum pallio ætherei coloris induunt, unde etiam cœleſtes appellantur. Eodem denique Sæculo ſub ſpeciali regula, aut Conſtitutionibus a S. Fundatore Ignatio de Lojola præſcriptis ſub vexillo Chriſti militare cœpit Societas Jeſu, quas conſtitutiones confirmarunt Gregorius XIII. 1584. & Gregorius XIV. An. 1591.

29. Quemadmodum uſque ad tempora S. Pachomii, qui circa medium Sæculi IV. S. Baſilii item, qui ad ejuſdem Sæculi ſenium Regulas Monachis ſcripſerunt, eoſque e vita ſolitaria in communem traduxerunt, Regula Monachorum in Oriente erat Evangelium, Actuſque Apoſtolorum, cum non fixis quibuſdam particularibus ſtatutis; quæ diſciplina in Occidente, præſertim in Africa uſque poſt tempora Auguſtini durabat, & in Hiſpania uſque ad Sæculum VII. (N. 24. 26. h. t.): ita poſt Regulas conſcriptas, atque a Monachis hinc inde receptas, non ex illis ſuis adhæſio, atque ſtabilis ſubjectio, ſingularumque Regularum electio & profeſſio, quemadmodum nunc in uſu eſſe conſpicimus, poſtquam Ordines profitentur Regulas & conſtitutiones a S. Apoſtolica approbatas.

Mutatas paſſim Regulas uſque ad tempora S. Benedicti, & plures etiam in eadem Monaſterio ſervatas ex allatis Regulis patet, & de Athanenſi Monaſterio teſtatur S. Gregorius Turonenſis lib. 10. hiſt. c. 29. ſervatas in eo fuiſſe Regulas S. Baſilii, Caſſiani, & reliquorum Abbatum, detractis ſcilicet, & uſurpatis iis, quæ pro locorum & temporum conditione intempeſtiva aut opportuna videbantur.

30. Si Mabillonio credimus, vagam illam Regulas mutandi licentiam primus tantiſper caſtigavit S. Benedictus, cujus diſcipulis ſuſceptam ſemel Regulam abdicare nunquam fas fuit.

Ille enim per Regulam ſuis Alumnis traditam primus aut certe inter primos ſtabilitatem loci ac obedientiam Superiori *ſecundum Regulam* profitendam injunxit, ut patet ex ipſius profeſſionis tenore a Regula dicta præſcripto. Obſervat vero Holſtenius in præfatione ad hanc Regulam, quod nec ipſe S. Benedictus Regulam univerſalem ſuis ubique omnibus promulgarit: ſed peculiarem duntaxat Caſſinenſi, cui præerat, Cœnobio, quæ inde privata diligentia deſcripta, & imitandi ſtudio publicata eſt. Quia ergo Monachorum Regulæ a Præpoſitorum voluntate primitus dependebant, mirum non eſt, ſi in antiquis Patrum Regulis nec Epiſcoporum, neque Sedis Apoſtolicæ approbatio vel confirmatio appareat.

31. Innocentius III. Pontifex Maxim. primus fuit, qui prohibuit vel novas Religiones de cætero inſtitui, vel inſtitutis aliam præterquam ex jam approbatis regulis præſcribi, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.

Conſtitutio hæc prohibitiva emanavit in Concilio Lat. IV. ſub eodem Pontifice A. 1215. celebrato, refertorque in Decretalibus *de Relig. Domibus &c.* c. fin. ſequenti tenore: *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat; ſed quicunque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis aſſumat. Similiter qui voluerit Religioſam Domum de nova fundare, Regulam & Inſtitutionem accipiat de approbatis.* Ex hoc Decreto advertet Lector, quare in recenſitis hucuſque Religioſis Ordinibus, eorumque Regulis uſque ad Innocentii III. tempora nulla occurrat Sedis Apoſtolicæ confirmatio, occurrat vero conſtanter in ſubſequentium Ordinum inſtitutione. Advertet pariter, quare plurimi Ordines, & Congregationes amplexæ fuerint Regulas vel S. Auguſtini, vel S. Benedicti. Prudentiſſima vero œconomia in edenda hac Conſtitutione uſum fuiſſe ſupremum Eccleſiæ Paſtorem patet ex motivo in ea allato, confuſionis nimirum univerſalis Eccleſiæ ex promiſcua Ordinum Inſtitutione neceſſario oriundæ, ob multorum hominum ſuperſtitiones ac zelum non ſecundum ſcientiam, quemadmodum patet ex Sectis Flagellantium, & Fraticellorum, ad finem hujus Sæculi Eccleſiam infeſtantibus, atque a Summis Pontificibus proſcriptis.

§. III.

De Monachorum Novitiatu, & Profeſſione.

32. Cum una ex præcipuis collabentis & collapſæ Monachorum diſciplinæ cauſis ſemper ſit & fuerit præceps ac improvida ad Religionem admiſſio, poſtulantes ad Religionem juxta S. Benedicti aliorumque Patrum Regulas probationis tempus, ſeu Novitiatum ſubire debuerunt.

Qui autem ſub Parentibus ſunt, inquit S. Baſilius in regulis diſputatis interrog. 19. *eos ab ipſis ad nos adductos multis adhibitis teſtibus recipiamus; —— non ii tamen continuo propterea ad reliquum Fratrum corpus aggregandi, aut cum his ſimul cenſendi ſunt: ut videlicet, ſi illi propoſitum ſuum minus fuerint aſſecuti, eorum poſtra probra in omnes promiſcue ſectatores redundent.* Et S. Benedictus in Regula ſua c. 58. *Poſtea autem ſit in cella Novitiorum, ubi meditetur, & manducet, & dormiat.* Cujus cellæ Novitiorum meminere & aliæ Patrum Regulæ. Ferreoli c. 5. *Vicinam tamen Monaſterio cellulam, dum prænotatum* (probationis) *tempus obſervat, accipiat, victumque quotidianum a Monaſterio, ſi inter reliquos operetur, exſpectet, lectioni ante omnia & orationi dans operam.* S. Fructuoſi item: *Neque interna fratrum diverſoria accedet, ſed delegata in exteriore curte cella perfruetur.* Ex quibus etiam patet Novitios prima Monachiſmi ætate fuiſſe a cohabitatione ac contubernio Fratrum profeſſorum ſeparatos.

33. Novitii olim probabantur in veſte Laicali, neque ante emiſſam Profeſſionem veſtem mutabant, quæ diſciplina duravit uſque ad Sæculum XII.

Id colligitur ex Regula Benedictina c. 58. ubi præcipitur, ut poſt Novitiatum expletum & emiſſam Profeſſionem, *ſuſcipiendus Frater in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus veſtitus eſt, & induatur rebus Monaſterii.* Quæ Regula deinde ab omnibus Monachis in Occidente uſque ad Sæculum

lam XII. recepta fuit. Hanc vero diſciplinam tampore S. Bernardi apod Ciſtercienſes in *uſu* fuiſſe lat uperta innuit S. Bernardus ep. 1. ad Robertum; in qua eum obſecrat, ut meminerit, quod demum aono Novitiatus tranſacto, poſt annum ſponta profeſſus, tuuc primum ſæculari veſte relicta habitum Religionis ſuſceperit. Cum vero, advertit Doctiſſimus Van Eſpen, circa Sæculum XII. & XIII. io pluribus Religionibus annus Novitiatus negligeretur, etiam mox a receptione habitum monaſticum induere cœperunt. Hoc autem ritu introducto, quod ſcilicet habitus monaſticus mox *a* receptione ad Religionem traderetur, quia cum Novitiatus prætermittebatur: cum poſtea Pontifices & Concilia Novitiatum urſerunt, nec ante illum expletum profeſſionem tmitti voluerunt; remanſit conſuetudo tradendi habitum monaſticum io ipſa receptione, atque ita introducta diſciplina ipſum Novitiatum in habitu Monaſtico peragendi, quæ hodie apud omnes Regulares ſervatur: neque Novitiatus aote habitum ſuſceptom iochoatus reputatur.

34. Præter Candidatos, qui proprio motu ad vitam Monaſticam convolabant, juxta Regulam S. Benedicti Parentes infantes utriuſque ſexus Deo in Religione conſectabant.

Pueri Puelleque ita oblatæ a Pareotibus, annos pubertatis adeptæ non poterant juxta Decreta Conciliorum, Pontificumque ad ſæculum redire: unde io Concilio Wormatienſi c. 23. dicit: *Manachum aut Paterna devotio, aut propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus ingeſſus.* Oppugnata eſt hæc veterum opinio Sæculo IX. a noo paucis, quibus ſe oppoſoit Rabanus. At nunc omoibus perſuaſum eſt, Proles io electione cujuſcuoque, & vel maxime Monaſtici ſtatus eſſe ſui juris, & a quocunque voto Parentum independentes, ita ut a Tridentino excommunicentur ii, qui Puellam ad ingreſſum Monaſterii cogunt.

35. Tam ætas, quam tempus probationis ad profeſſionem emittendam requiſitum uſque ad Concilium Tridentinum fuit varium.

Quod ætatem attinet, ſi puerorum illam oblationem excipias, pubertatis anni in profeſſuris ab Eccleſia Latina ſemper requiſiti ſunt. S. Ambroſius lib. 3. de Virg. uonus pubertatis requiſivit, adeoque in Pueris 14. in Puellis 12. annom. Sæcula VI. vel VII. ineunte, S. Gregorius M. pueros ante 18. annum ad profeſſionem religioſam ſuſcipi vetuit in Ordinibus ſtrictioris obſervantiæ lib. 1. ep. 48. in aliis 14. annum ſufficere edicens. Quam diſciplinam Eccleſia Latina tandem recepiſſe videtur, eamque, ſi jus commune Decretalium ſpectemus, firmavit, uti colligere eſt ex cap. 8. 11. & 12. h. t. Addita tamen hac exceptione deſumpta ex cit. ep. 48. S. Gregorii: *Quia dura eſt in Inſulis congregatio Manacharum, etiam Pueros in iiſdem Monaſteriis ante 18. annum ſuſcipi prohibemus.* Hinc Sæculo XIII. Carthoſiani aote 20. annum nullom ad Profeſſionem admittebant. Carthuſianis in determinandis hac ætate Sæcolo XII. præibant Cluniacenſis Benedictini. Cauſam hujus inſtituti allegat Petrus Ven. *immaturam, nimiſque celerem infantium ſuſceptionem, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere poſſent, ſacra Religionis veſtibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant.* Bibl. Cluniacenſ. pag. 1364. ſtatuto 36. Hanc œconomiam omoibus Angliæ Monachis Benedictinis A. 1238. præſcripſit Otto Sedis Apoſtolicæ Legatus. Si Cardinali Pallavicino credimus, a PP. Concilii Trid. paratus fuit Caoon, quo contra jus commune Decretalium ſtatuebatur fas non eſſe regularem profeſſionem emitti ante annum 18. Sed cum eidem intercesſiſſet Bartholomæus de Martyribus Archiepiſcopus Bragenſis io Luſitania, ejuſdem, aliiſque rationibus inducti Patres annum 16. ad minimum completum pro emittenda profeſſione io quacunque Religione ſufficientem adixerunt, ante quem nulla Profeſſio ab utroque ſexu emiſſa ſit valida. Seſſ. 25. de Reg. c. 15. Qua tamen conſtitutione nullateous improbavit particulares Ordinum quorundam Conſtitutiones, majorem ætatem requirentes; id quod ſacram Congregationem declaraſſe teſtatur Fagnanus ad Cap. nullus de Regul. N. 15. Quantum ad Eccleſiam Græcam Sanctus Baſilius in ep. ſua can. annum 16. vel 17. in profitendis requiſivit, quam ætatem Concilium Trullan. canone 40. ad annum 10. contraxit.

Quaotum ad tempus probationis, anno integro probandum eſſe Novitium Regula Benedictina ſupponit. Aotiquorum Monachorum præſertim Ægyptiorum Regulæ ad trienoium Novitiatom paſſim perduxerunt, qoas Sæcolo VI. ſecutus Juſtinianus ſancivit, *ut accedentes ad vitam monaſticam per triennium in veſte laica maneant.* Nov. 5. c. 2. Verum cum tempus illud annuum aut trienoale unica ſpectare videretur, ut Novitii rite de vita monaſtica eſſent inſtructi, & Monaſterium de Novitio cœpiſſet experimentum, nullateous ad ſubſtantiam profeſſionis pertinere viſum fuit; quod multis jam pridem probavit Petrus Venerabilis Cluniacenſium Abbas lib. 1. ep. 28. & evidenter ſuppoſuit Innocentius III. io cap. 16. h. t. unde & profeſſionem ante annuam vel triennalem probationem emiſſam validam cenſuit his verbis: *Quia multa fieri prohibentur, quæ ſi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Subdit tamen: *prohibendum eſt autem Abbatibus, ut paſſim ante tempus probationis quoslibet ad profeſſionem admittant.* Quia igitur in poteſtate Abbatum manebat tempus probationis abbreviare, id variis Titulis ſæpe faciebant, ut propterea iteratis decretis ad hunc abuſum tollendum opus fuerit. *Sed cum hi canones ſpectare viderentur ad ſolum S. Benedicti Ordinem,* inquit Chriſtianus Lupus Tom. 3. Schol. pag. 622. *Novelli tunc Fratres Prædicatores & Minores pergebant ſine probationis Anno ad profeſſionem admittere, admittebant etiam Perſonas inhabiles, atque ita ſuas Eccleſiæ utiliſſimos Ordines gravabant ac vitiabant.* Plura quidem tam ab Innocentio IV. quam Bonifacio VIII. contra hunc abuſum edita fuere decreta, quæ in ſexto decretalium h. t. referuntur; at eorum vel non obſervantiam, vel inefficaciam advertentes Patres Tridentini decreverunt Seſſ. 25. c. 15. h. t. *Ne in quacunque religione tam virorum, quam mulierum, qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervantiam, aut ad alios quoſcunque effectus.* In quo decreto ſecuti ſunt Patres præſcriptum tempus a Regula Benedictina, cum hoc diſcrimine, quod vi Regulæ Benedictinæ emittens profeſſionem ante tempus annuum Novitiatus impletum tenebatur ad aliquam Religionem in genere, vi vero hujus decreti ab omni abſolvatur.

36. Si libri S. Dionyſio adſcripti revera ejus ſunt, ſolemnitas Profeſſionis Monachalis, quæ nunc tam apud Græcos, quam Latinos io uſu eſt, a temporibus Apoſtolorum exordium ſumpſit.

In iis ſiquidem refertur Ritus profitendi Monachorum noſtro ſimillimus, quem ſupra N. 6. retulimus. Quidquid autem ſit de his libris, certum

tum videtur ſolemnem illam incorporationem Therapeutarum Cœtibus (Judæi, ſive Chriſtiani illi fuerint, de quibus recapitulanda ſunt, quæ ſupra N. eod. ex Philone retulimus) cum ipſis cœtibus ſæviſſimarum perſecutionum procellis tribus prioribus Sæculis identidem augeſcentibus diſſipatam fuiſſe, non remanentibus in Eccleſia, niſi Aſcetis ſolitariam vitam ſeparatim, & individualiter colentibus. Hinc

37. Incertum eſt, quo tempore ſolemnes Monachorum Benedictiones, ac profeſſionis ritus invaluerint.

Eam S. Antonio ac aliis antiquis fuiſſe ignotam, multiplicatis vero poſtmodum Monachorum gregibus inductam ex quadam cautela, tanquam Religionis vinculum humanæ infirmitati proviſum cenſet Ivo Carnot. Ep. 41. Deſcriptam tamen in libris Dionyſianis profeſſionis ſolemnitatem ad Sæculi IV. finem viguiſſe in cœnobiis a S. Baſilio inſtitutis vel inde probatur, quod dicti libri etiam in ſententia negantium Sæculo IV. vel V. initio non ſint poſteriores.

38. In Eccleſia Latina Sæculo VI. ſolemnes Monachales Benedictiones, ac Profeſſionis ritus jam extiterunt, majorique ſolemnitate in Eccleſia Græca adhibiti ſunt.

Exſtat namque in regula S. Benedicti c. 58. ritus profeſſionis non abſimilis ei, quem omnes paſſim Religiones obſervant, ſi quaſdam orationes, ac preces, quas poſterior ætas addidit, excipias.

Græci vero officia diverſa habent in Novitium Monaſticum habitum ſuſcipientem; in parvum habitum ſeu mandiam induentem, aut profeſſionem emittentem; & in ſuſcipientem magnum & Angelicum habitum, qui dabatur jam profeſſis, perfectiori vivendi normæ, pluriumque virtutum ac auſteritatum exercitiis ſeſe addicentibus. Quæ officia vide apud Goarium a pag. 382.

39. Hæ tamen ſolemnitates ad eſſentiam religioſæ profeſſionis nequaquam pertinere conſtanter judicatæ ſunt; hinc profeſſiones tacitæ ſine verborum formula per ſolam habitus ſuſceptionem factæ olim & quidem jure decretalium valebant; nec per Tridentinum, ſi Fagnano credimus in cap. *ad noſtram de regularibus*, revocatæ ſunt, modo fiant completo anno probationis, & 16. ætatis. Quamvis contrarium alii ſentiant.

Supra N. 33. oſtendimus, Novitios probatos fuiſſe in veſte laicali uſque ad Sæculum XII. & non niſi ipſa die profeſſionis Religioſum habitum ſuſcepiſſe; unde ſucceſſu temporis originem ſumpſiſſe tacitam profeſſionem per habitus Monaſtici ſuſceptionem, cujus frequens in decretalibus Gregorii mentio occurrit, autumat Van Eſpen, eo quod, cum ante profeſſionem habitus monaſticus ſuſcipi non ſoleret, qui eum ſuſcepit, profiteri cenſeretur.

40. Quamvis Monachi utriuſque Eccleſiæ poſt S. Antonium ſtrictiſſimam caſtitatem, paupertatem, & obedientiam ſervarent, has tamen explicite non voverunt.

Nihil enim de veteribus Monachis legitur aliud, præterquam quod Monaſticæ vitæ profeſſionem poſt annum probationis emiſerint, ut conſtat ex dictis N. 35. h. t. Noverant enim priſtini Monachi, eum, qui ſe dedicat Monachatui, voverique vitam ac profeſſionem monachalem, virtualiter vovere omnia, quæ ſunt ſubſtantialia monachatui: uti ſunt vera morum converſio, cœlibatus ſive continentia, voluntaria paupertas, ac obedientia.

41. Imo per quinque circiter Sæcula adeo indeterminata ac generalis erat Monachorum profeſſio, ut ne quidem certam determinatamque regulam profiterentur; ſed eam, quæ ad obſervantiam vitæ Monaſticæ magis conducere videbatur, judicio ſuperiorum ſuſcipiebant Monachi, ad eamque ſervandam vi ſuæ profeſſionis ſe adſtrictos credebant.

Id patet ex dictis N. 29. h. t. ubi mutatas his ſæculis paſſim regulas, pluresque in uno Monaſterio ſervatas recenſuimus.

42. Falſiſſimum tamen eſt, quod ex Auguſtanæ Confeſſionis articulo VI. *de Votis Monachorum* prætendunt Proteſtantes, in Monaſteriis a Baſilio, Hieronymo, Auguſtino, aliiſque Viris Sanctis erectis neminem ex lege Monaſterii voti neceſſitate obſtrictum fuiſſe ad perennem cœlibatum, niſi volentem, potuiſſeque plurimos aliquamdiu, imo pluribus annis in monaſteriis perſeverare, atque ibi ſacrarum literarum meditationi, & variarum diſciplinarum ſtudiis incumbere, ac ſubinde vitæ ibidem traductæ nuntium mittere.

Propoſitionem demonſtro ex Verbis S. Baſilii in regulis diſputatis interrogatione 19. ubi de pueris a Parentibus ad Monaſterium adductis ait: *Non ii tamen continuo propterea ad reliquum fratrum corpus aggregandi, aut cum his ſimul cenſendi ſunt.* —— Et poſtquam de eorum in novitiatu educatione ſolicita quædam diſpoſuiſſet, ſubdit: *quo ſane tempore admittenda eſt virginitatis profeſſio, tanquam firma jam & ejuſmodi, quæ a proprio conſilio judicioque proficiſcatur, ratione jam probe adulta.* Qui igitur cœtui Monachorum S. Baſilii adſcribi voluit, caſtitatis votum prius emiſerit, fuit neceſſe. Paupertatem vero ſectatores Regulæ S. Baſilii colere debuiſſe conſtat ex cap. Seu interrogatione 34. in qua fit diſpoſitio circa eos, *qui res in conventu uſibus fratrum neceſſarias diſpenſant.* Sub obedientia vero ſuperiorum & quidem ſtrictiſſima eos vixiſſe interrogatio 41. *de auctoritate Superiorum & obedientia* inſcripta loquitur. Hæc omnia vero eos profitendo ſtatum Monaſticum implicite profeſſos fuiſſe, eoſque ut ſacrilegos habitos, qui profeſſionem ſemel emiſſam reſciderunt, audiant Proteſtantes, atque mendacem eſſe articulum VI. ſuæ Confeſſionis agnoſcant ex interrogatione XIV. cujus ſequens tenor eſt: *De iis, qui per profeſſionem Deo ſe ipſos devoverint, dum profeſſionem illam conantur reſcindere?* Reſponſio: *Ceterum horum unuſquiſque, ſi poſteaquam intra reliquorum Fratrum ſocietatem adſcriptus fuerit, factam jam abs ſe profeſſionem reſciderit, is perinde aſpici debet, ut qui in Deum peccaverit, quem videlicet profeſſionis ſuæ teſtem adhibuerit, cuique ſolemni ſe voto obligarit.* Si vero in Deum quis peccaverit, inquit, & quis orabit pro eo? *etenim qui ſe ipſum Deo ſemel devovit, hic ſi ad aliud deinde vitæ genus tranſiverit, ſacrilegii ſe ſcelere obſtrinxit, quippe qui ſe ipſum Deo, cui ſe conſecraverat, veluti ſubterfuratus ſit. Porro hujuſcemodi hominibus rationi quidem conſentaneum fuerit, ut nullo modo aperiantur Fratrum januæ, ne ſi prætereuntes quidem ea re modo, ut tecto recipiantur, ad ipſos diverterint. Perſpicua enim eſt regula Apoſtoli, qua jubemur ſubtrahere nos ab omni inordinato, neque ulla modo cum illo commiſceri, ut confundatur.* Pro excommunicatis ergo habebantur deſertores Baſilitæ. Concordat regula Pachomii Baſiliana antiquior, quæ c. 26. ſic habet: *Si quis acceſſerit ad oſtium Monaſterii volens ſæculo renuntiare, & Fratrum congregari numero, non habebit intrandi poteſtatem, ſed prius nuntiabitur Patri Monaſterii, & manebit paucis diebus foris ante januam, --- & diligenter ſui experimentum dabit, ut forte aliquid fecerit, & turbatus ad horam diſceſſerit, aut ſub aliqua poteſtate ſit, & utrum poſſit renuntiare Parentibus ſuis, & propriam facultatem contemnere: ſi eum viderint aptum ad omnia, tunc docebitur & reliquas Monaſterii diſciplinas, --- & inſtructus atque perfectus in omni opere bono Fratribus copuletur.* Hæc autem inſtructio vi regulæ ab Angelo acceptæ durabat triennio: ſic enim habet c. 11.

Porro

Digitized by Google

Porro eum, qui ſemel ingreditur, nec poteſt cum eis ad triennium ſuſtinere certamen, non admittet; ſed cum opera fecerit difficiliora, ſic prodeat in ſtadium poſt triennium. Quæſo cur tam ſollicite explorandos vult regula Pachomii Candidatos ſui instituti, cur triennio toto probandos, ſi ut vult Articulus VI. Auguſtanæ Confeſſionis *de votis Monachorum*, Monaſteria tunc erant libera Collegia, hominibus, velut columbaria columbis, patentia? Quo autem argumento probabunt Proteſtantes Hieronymum, Auguſtinumque in conſtituendis Monaſteriis aliam viam ingreſſos fuiſſe, qui monaſticum inſtitutum a Græcis didicerant, ut ſupra vidimus? Certe regula ipſa S. Auguſtini, eſto de emittenda ſtabili profeſſione nihil præſcribat, nec de Apoſtatis ſpeciali titulo tractet, cum occaſionaliter Virginibus in Clauſtro jam adultis ab illo exarata ſit, nihilominus caſtitatis, paupertatis, ac obedientiæ votis obſtrictas maniſeſte ſupponit, ſæculoque plene mortuas. Quamvis ergo tempore Baſilii, Hieronymi, Auguſtini profeſſio monaſtica matrimonium contrahendum non diremerit; quamvis fortaſſis ejus deſertores ad reditum non tam exacte, quemadmodum nunc, compulſi fuerint, ut infames nihilominus ac ſacrilegi votorum deſertores ſemper habebantur: ut proinde ſæpe laudatus Articulus VI. Confeſſionis Auguſtanæ mentiatur, dum ſubdit: *poſtea* (hoc eſt poſt S. Auguſtinum tempore S. Benedicti) *corrupta diſciplina, ubique addita ſunt vota, ut tanquam excogitato carcere diſciplina reſtitueretur.* Hinc Juſtinianus Sæculo VI. capitalem pœnam ſtatuit in raptores Virginum Sanctimonialium; & deſertores Monaſteriorum juxta antiquam ſanctionem vult pecuniaria aut corporali pœna, vel bonorum confiſcatione compelci. Cod. de Epiſ. L. 53. 54.

43. S. Benedictus ſi non primus, ſaltem inter primos fuit, qui in Occidente Monachos a ſe inſtitutos voluit profeſſionem emittere de ſervanda regula a ſe fratribus determinate præſcripta; quamvis in ea profeſſione nulla fiat expreſſa mentio voti caſtitatis, & Obedientiæ.

Juxta formulam profeſſionis a S. Benedicto præſcriptam, prout hodie exſtat, & a Benedictinis uſurpatur, tria explicite promittuntur, nimirum ſtabilitas loci, converſio morum, atque obedientia ſecundum regulam a S. Benedicto præſcriptam; quanquam, uti monet Mabillonius in præf. N. 59. in veteri Benedictinæ profeſſionis regula nulla etiam occurrat mentio converſionis morum: nimirum quia obedientiæ *ſecundum regulam* voto ſatis contineri videbatur. Cum ergo ſubſequis ſæculis uſque ad XII. regula S. Benedicti per totum Occidentem fere obtinuerit, tria religionis vota ante Sæculum XII. quo Ordines Mendicantium erecti ſunt, non videntur explicite emiſſa fuiſſe, ſed ad horum inſtitutionem eorum emiſſionis figenda eſt epocha, ut patet ex regula S. Franciſci c. 1. &c.

44. Quamvis tum Monachorum, tum Virginum Sanctimonialium, aut Deo dicatarum nuptiæ ſemper in Eccleſia damnatæ fuerint, eorum tamen profeſſio multis Sæculis matrimonia poſtea ſacrilege contracta non irritavit.

Prima pars ex inconcuſſis Patrum teſtimoniis adſtruitur a Cl. Van Eſpen p. 2. tit. 33. c. 4. Imprimis S. Hieronymus apud Grat. diſt. 27. c. 5. ait: *Si nupſerit Virgo, non peccat, non illa virgo, quæ ſemel cultui divino dedicavit. Harum enim ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Et Synodus Chalced. c. 16. *Si qua Virgo ſe dedicavit Deo, ſimiliter Monachus, non licet eis nuptiis jungi; ſi vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati. Statuimus vero eis poſſe fieri humanitatem, ſi ita probaverit Epiſcopus loci.* 27. q. 1. c. 22.

Accedit lex Juſtinianea de raptoribus ſacrarum Virginum ſupra indicata, quam refert Gratianus de pœnit. diſt. 1. c. 6.

Secundam partem non minus clare edicere videntur Patres. Innocentius enim I. ad initium Sæculi V. Ep. ad Victricium Rothomagenſem ſcribit, non eſſe admittendam ad pœnitentiam mulierem religioſam, quæ poſt fidem Deo promiſſam ad nuptias convolaverat, *niſi poſt viri obitum*: idque indubie, ne pœnitentia cedat in matrimonii initi injuriam: tunc enim publice pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. Verba Innocentii ſunt: *Quæ Chriſto ſpiritualiter nupſerunt, velari a Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publice nupſerint, vel ſe clancula corruperint, non eas admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe junxerant, de ſæcula receſſerit.* Et citatus canon Chalcedonenſis virginibus illis, & Monachis nequaquam injungit ſeparationem a conjugibus, ſed hoc unum præcipit, ut pœnitentiæ addicantur. Similiter S. Leo, qui Synodo Chalcedonenſi A. 451. per ſuos Legatos præfuit, interrogatus a Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi de Monachis, qui uxores acceperunt, non reſpondit, eos ab uxoribus ſeparandos, ſed publica pœnitentiæ ſatisfactione purgandos 20. q. 3. c. 1. In Africa ante hæc tempora fuiſſe videntur nonnulli, qui hujuſmodi Virginum matrimonia non nuptias, ſed adulteria eſſe aſſererent; ut his ſe oppoſuit Auguſtinus lib. de bono viduitatis c. 10. ſcribens: *Proinde qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur diligenter ac acute ponderare, quid dicant* ——. *Fit autem per hanc minus conſideratam opinionem, qua putant Lapſarum a S. propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe conjugia, non parvum malum, ut a maritis ſeparentur Uxores, & cum volunt eas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt Maritos earum adulteros veros, cum ſuis Uxoribus vivis alteras duxerint. Quapropter non poſſum quidem dicere a propoſito meliori lapſas, ſi nupſerint, fœminas, adulteria eſſe, non conjugia; ſed plane non dubitaverim dicere, lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiore, quæ vovetur Deo, adulteriis eſſe pejores.* 27. q. 1. c. 41.

45. Quo præciſe tempore religioſa profeſſio dirimere cœperit ſubſecuta matrimonia, non facile eſt definire; veriſimile eſt, id ſenſim invaluiſſe; neque ubique eodem tempore, ſed alibi citius, alibi ſerius.

Certe Hieronymus Auguſtini coævus lib. 1. contra Jovinianum c. 1. contrariam S. Auguſtino fovet opinionem, dum ait: *Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerunt, non tam adulteræ ſunt, quam inceſtæ.* Quorum ſententias concordare volens Gratianus diſt. 27. poſt Canonem 8. ait: *Hic diſtinguendum eſt, quod voventium alii ſunt ſimpliciter voventes, de quibus Auguſtinus, & Theodorus locuti ſunt; alii ſunt, quibus poſt votum* benedictio *accedit* conſecrationis, vel propoſitum religionis, *de quibus Hieronymus, & Nicolaus, & Calliſtus ſcripſerunt.* Sed quanquam jam tempore Hieronymi & Auguſtini Virgines anno pubertatis admitterentur ad votum caſtitatis emittendum, non vero velarentur niſi anno 25. Voti tamen *ſolemnis* & *ſimplicis* diſtinctio, præſertim ad effectum dirimendi, vel ſolum impediendi matrimonium, ipſis non videtur fuiſſe nota, cum uſurpari primo cœperit tempore Gratiani. Quamvis enim canonem 3. ex pœnitentiali Theodori ita referat: Si vir *ſimplex* votum Virginitatis habens &c. hanc tamen vocem ab omnibus MSS. abeſſe ibi notant correctores, quod ſignum manifeſtum eſt, eam diſtinctionem tum paulatim invaluiſſe. Accedit, quod Monachi, de quibus Sæculo V. agunt Innocentius, & Leo

Pon-

Pontifices, ſicut & Chalcedonenſe Concilium, jam habuerint Religionis propoſitum, cum Monachus tum nullus efficeretur niſi profeſſione emiſſa, ut luculenter ſuperius demonſtratum, quorum tamen matrimonia Sacrilega non declarantur invalida. Quin Sæculi VI. fine S. Gregorius Venantium quemdam, habitum Monachalem, quem pie ſuſceperat, impie rejecerat; non ſolum reſumere non coegit, ſed etiam omnium legitur indulſiſſe communionem Apoſtatæ perduranti, uti habetur ep. 33. lib. 1. ex quo exemplo S. Bernardus, quaſi ex cautibus ſcopuloſis vix enavigavit, dum clica ejus factum, & Auguſtini ſcriptum quærentibus inter alia reſpondit: *Certus ſum —— ſive in ſuo abundaverint ſenſu, ſive in Dei Spiritu, ſicut & in cæteris, ita & in his ambo exſtitiſſe fideles, illum in diſpenſando, quod præ manibus erat, iſtum in ſcribendo quod ſenſerat.* Sæculo itaque XII. quo floruit S. Bernardus, multis præterea argumentis agitatam hanc fuiſſe quæſtionem probat Mabillonius in notis ad hunc Bernardi locum in editione operum noviſſima An. 1690. Ex titulo III. hujus libri conſtat Sæculo X. & XI. Clerum Sæcularem in Eccleſia Latina non tantum concubinas tenuiſſe, verum etiam Uxores duxiſſe, eique malo a Gregorio VII. efficaciter obviatum fuiſſe, irritatione ſimilium matrimoniorum promulgata & in opus tandem deducta; ſimilia vero & Monachos attentaſſe, conſtat ex actis ab Urbano II. initio Sæculi XII. editis*, & a Gratiano ſub nomine Calliſti II. relatis c. 8. diſt. 27. in quo *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicitur: contracta quoque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere, juxta Sacrorum canonum definitiones judicatur.* Quibus poſterioribus verbis innuit Pontifex ſimilia matrimonia jam ſuperioribus Sæculis fuiſſe irritata, & quidem canones, qui Clericos concernunt, a variis Conciliis editos, nec tamen adamuſſim obſervatos, retulimus Titulo III. Quid vero de œconomia Eccleſiæ circa Monachorum connubia dicendum ſit, hucuſque dicta demonſtrant, quæ etiam propoſitionis veritatem evincunt.

46. Poſtquam diſtinctio illa votorum in ſolemnia & ſimplicia recepta communiter fuit ex Gratiano, prioribuſque vis indita matrimonia poſtliminio contracta diſſolvendi; eodem & ſub initium ſequentis Sæculi de validitate matrimonii contra votum caſtitatis initi, interrogati Romani Pontifices, juxta hanc votorum diſtinctionem, tanquam indubitanter tunc receptam reſponderunt.

Videantur capitula 4. 5. 6. &c. *Qui Clerici vel voventes Matrimonium contrahere poſſint.*

47. Verum cum adhuc non ſatis definitum eſſet, in quo ipſa ſolemnitas voti, qua votum illud a voto ſimplici, quoad effectum dirimendi matrimonium diſtingueretur; frequentes ortæ ſunt quæſtiones ſuper validitate, & invaliditate matrimonii contra votum caſtitatis contracti; quas difficultates & quæſtiones Sæculi XIII. fine diremit Bonifacius VIII.

Hæ difficultates hoc Titulo, ſicut & illo, *Qui Clerici vel voventes*, videri poſſunt. Decretum vero Bonifacii exhibetur cap. un. *de voto, & voti redemptione*, ubi declarat: *illud ſolum votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum eſt per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis.* Ex quo colligitur ſolam ſuſceptionem Ordinis ſacri, itemque profeſſionem in religione a Sede Apoſtolica approbata, & nullam aliam exteriorem ſolemnitatem, vel cæremoniam etiam ab Epiſcopo adhibitam, vel ſimile votum *in* aliquo non approbato pio cœtu emiſſum, ſolemnitatem voti canonicam hodierno jure canonico poſſe introducere; unde tametſi forſan ante editam Bonifacii Decretalem, ſaltem aliquot Sæculis omne votum *Solemne* diremerit matrimonium, hodie nullum dirimit vi hujus materialis ſolemnitatis, niſi ad hunc effectum ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem ſacri Ordinis, aut per profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Quæ collectanea abundant immeo effundunt Quæſtionibus ſcholaſticis de facto agitari ſolitis: *An nimirum vota religioſa jure divino dirimant matrimonium contrahendum?* Item: *An Romanus Pontifex cum religioſe Profeſſo diſpenſare valeat, ut deſerta religione Matrimonium contrahere poſſit?* Atque affirmativam ſententiam magnopere juvant. De veſtibus Monachorum nunc agendum foret, ſed cum de vili primorum Monachorum habitu aliqua incidenter jam dixerimus Titulo I. hujus libri, & varietas habituum in Ordinibus Mendicantium poſt Sæculum XII. exorta omnibus Catholicis majori ex parte ſe in Originali præſentet, de hoc ce argumento præſcindimus ad magis ſeria properantes.

§. IV.
De Diſciplina Monachorum in communi viventium.

48. CUm vita monaſtica ad hoc inſtituta fuerit, ut per renuntiationem eorum, quæ ſuapte natura idonea ſunt hominem a perfecto amore Dei Creatoris abſtrahere, atque amori creaturarum illigare, qualia ſunt propria voluntas, divitiæ, honores, & commercium uxorium, homines ne expeditius ad finem creationis ſuæ, qui in caſto ac impermixto amore Creatoris in omnibus & ſuper omnia conſiſtit, pertingere valeant impedientia; omnis monaſtica diſciplina & olim & nunc in eo, velut in cardine verſatur, ut renuntiatio hæc quotidiana praxi in opus redigatur. Itaque ſuperaddita exercitia, quæ vi nativa apta ſunt hominem ad amorem Dei, abnegationem ſui, & internarum virtutum exercitium perducendi.

Ex hoc patet I. ſtatum Monachalem in genere eſſe ſtatum pœnitentialem, utpote in exercitio earum rerum aſſidue verſantem, quæ *totaliter* ea omnia excludunt, in quibus corrupta natura ſolatia ſua habere conſuevit, qualia ſunt propria voluntas, divitiæ, honores, conſortium uxorium; & inde manantia varia naturalis vitæ blandimenta. 2. Statum Monachalem ejuſque diſciplinam ex fine primario tendere ad perficiendos proprios ſui profeſſores. Quo bifario charactere ſeſe ſecernit tum a ſtatu Cleri ſæcularis, tum fidelium Laicorum. Clerus ſiquidem ſæcularis vi ſui inſtituti primario ordinatus eſt ad miniſteria ſpiritualia populo Chriſtiano exhibenda, nec omnibus, quibus Monachi ſe ſe ex profeſſo abdicant, renuntiare tenetur; Laici vero fideles utentes hoc mundo licite, hoc eſt ſine alligatione cordis ad res perituras, ad promovendam felicitatem Reipublicæ temporalis quilibet pro ſtatu, vocatione, & officio ſuo vocati ſunt.

49. Inter opera pœnitentialia, atque ad perficiendum hominem in ſemetipſo ordinata, præcipua ſunt, vilitas cibi & potus, ejuſque parcitas, jejunia, ſolitudo, ſilentium, auſteritates corporales in amictu, lecto, vigiliis, atque in labore manuum, contemplatio myſteriorum noſtræ fidei, oratio vocalis, laus Dei in Pſalmis & Canticis, lectio, ſtudiumque ſacrarum literarum.

Per auſteritates corporales concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quæ mollitiis contrariis nutritur, ut quo-

ut quotidiana docet experientia, domatur, atque eidem ſubjicitur. Per contemplationem vero, orationem, lectionem, ſtudiumque ſacrarum literarum ſpiritus roboratur. Nemo autem neſcit, quod ad hoc, ut homo perfectionem Chriſtianam aſſequatur, hoc eſt moralem unionem cum Deo, ita ut facile, prompte, ac delectabiliter Dei voluntatem ejuſque beneplacitum in omnibus vi vocationis, ſtatus, ac officii ſibi incumbentibus agendis, patiendis, & omittendis conſtanter, atque uſque ad minimas circumſtantias expleat, neceſſarium eſſe, ut caruis concupiſcentia huic voluntati ac beneplacito aſſidue rebellis dometur; atque ſpiritus ſeu fundus animæ, cui inſitum eſt indelebile deſiderium unionis cum ſuo Creatore, ejuſque fruitionis, ne quidem in dæmonibus damnatiſque exſtinctum, coboretur.

50. Igitur Monachi Orientis Sæculo IV. præter exactam paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis cuſtodiam ex confœderatione ſancta ſub inſpectione ſubordinatorum Superiorum viventes, Orationi vocali & colloquiis ſpiritualibus imprimis vacabant.

Pachomii diſcipulos ſingulis diebus pluries divinæ Pſalmodiæ vocaſſe, & officium diu noctuque perſolviſſe, refert Sozomenus lib. 3. c. 14. ubi narrat S. Pachomium diſcipulis ſuis præſcripſiſſe, ut primo ac poſtremo hebdomadis die, Sabbatho nimirum & Dominica, ad altare accederent ad ſacrorum Myſteriorum communionem. Præterea ut duodecies orarent quotidie: mane ſcilicet ſexies, & tantundem veſperi. Noctu quoque totidem vicibus. Hora autem 9. ter: ut cibum ſumpturi, ante unamquamque orationem pſalmum canerent. Narrat Caſſianus lib. 2. *de can. nocturna Orationis* cap. 5. & 6. quod, cum Thebaidis & Ægypti Monachi de numero Pſalmorum, qui cani deberent in divino officio, inter ſe diſſiderent, Angelus ſub ſpecie Monachi ipſis apparuit ad officium perſolvendum ſimul congregatis: *& in medium pſalmos cantaturus exurrexit. Cumque ſedentibus cunctis, & in pſallentis verba omni cordis intentione defixis, undecim pſalmos orationum interjectione diſtinctos, contiguis verſibus parili pronunciatione cantaſſet, duodecimum ſub Alleluja reſponſione conſumans quæſtioni pariter & cæremoniæ finem impoſuit.* Addit Caſſianus, ex tunc morem invaluiſſe, ut pſalmi duodecim tam in veſpertinis, quam in nocturnis conventiculis canerentur. Ægypti Monachi ad officium duntaxat nocturnum & veſpertinum conveniebant. Tota vero die, excepta Dominica & Sabbatho, manibus laborabant, pſallendo interdum, aut ſacrarum ſcripturarum meditationi incumbendo. In Palæſtinæ vero, Meſopotamiæ, & totius Orientis Monaſteriis, tertiam, ſextam, & nonam ſimul perſolvebant Monachi. Tribus pſalmis hora quælibet conſtabat, ita ut neceſſaria operationis officia ſpiritualibus obſequiis nullatenus valerent impedire; teſte Caſſiano lib. 3. *de Canonico diurnarum Orat. & Pſalm. modo* c. 2. 3. & 4. Officii quoque divini, & pſalmorum a Monachis ſeptem diverſis horis quolibet die concinendorum meminit S. Baſilius *ſermone de inſtit. Monachor.* & *in regulis fuſius diſputatis* c. 37. Qui officio divino non adfuerant Monachi, cum ab omnibus in commune perſolvebatur in Eccleſia vel Oratorio, privatim illud recitare tenebantur, uti colligitur ex S. Baſilio *regular.* c. 107. *Si enim*, inquit, *corporaliter adeſſe cum cæteris non occurat ad orationis locum, in quocunque loco inventus fuerit, quod devotionis eſt, expleat.*

De Colloquiis Spiritualibus Monachorum Ægyptiorum S. Hieronymus hæc annotavit. *Dehinc* (abſoluta nimirum cœna) *conſurgunt pariter, & hymno dicto ad præſepia redeunt. Ibi uſque ad veſperam cum ſuis unuſquiſque loquitur, & dicit, vidiſtis illum & illum? quanta in ipſo ſit gratia, quantum ſilentium, quam moderatus inceſſus? ſi infirmum viderint, conſolantur: ſi in Dei amore ferventem, cohortantur ad ſtudium.* Ad ſimilia colloquia ſtatis temporibus ipſi quoque Anachoretæ convenire ſolebant, quorum collationes Spiritu Dei refertas nobis conſervavit Caſſianus.

51. Præter has collationes ſpirituales, quibus ſe ad profectum ſpiritualem mutuo exhortabantur Monachi, ab Abbate ſuo ſtata hora quotidie inſuper ſermone de rebus cœleſtibus nutriebantur.

S. Hieronymus L. cit. *Poſt horam nonam in commune concurritur, Pſalmi reſonant, Scripturæ recitantur ex more: & completis orationibus cunctiſque reſidentibus, quem Patrem vocant, incipit diſputare: quo loquente tantum ſilentium fit, ut nemo alium reſpicere, nemo audeat exſcreare. Dicentis laus in fletu eſt audientium: tacitæ volvuntur per ora lacrymæ, & ne in ſingultus quidem prorumpit dolor. Cum vero de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annuntiare ventura; videas cunctos moderato ſuſpirio, & oculis ad cœlum levatis intra ſe dicere: quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* De Monachis S. Pachomii Regula 7. habet: *Mane per ſingulas domos finitis orationibus non ſtatim ad ſuas cellas revertentur, ſed conferent inter ſe, quæ Præpoſitos audierint diſputantes, & intrabunt cubicula ſua. Diſputatio* (hoc eſt exhortatio) *a præpoſitis domorum per ſingulas hebdomadas tertio fiet, & in ipſa diſputatione ſedentes, ſive ſtantes fratres ſuum Ordinem non mutabunt.*

52. Lectioni præterea librorum ſpiritualium, præſertim Scripturæ ſacræ, ejuſque meditationi diligenter incumbebant Monachi Aſiani.

Ad Ruſticum Monachum ſcribit S. Hieronymus: *Nunquam de manu & oculis tuis recedat liber.* Idem de S. Hilarione in ejus vita ſcribit: *Scripturas ſanctas memoriter tenens, poſt orationes & pſalmos, quaſi Deo præſente recitabat.* In conventu Fratrum Ægyptiorum ſcripturas fuiſſe recitatas ex eodem mox retulimus.

53. Tempus, quod enumeratis hucuſque exercitiis ſpiritualibus ſupererat, Monachi Aſiani laboribus manualibus vi ſui inſtituti conſecrabant.

Id teſtatur S. Hieronymus in ep. ad Ruſticum dicens: *Ægyptiorum Monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque labore operis ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſitatem, quam propter animæ ſalutem: ne vagetur otioſis cogitationibus mens.* De Ægypti & Orientis Monaſteriis idem teſtatur S. Auguſtinus libro *de moribus Eccleſiæ* cap. 32. *Simul*, inquiens, *ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus. Nemo quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſſit, & a Deo mens impediri non poſſit. Sane quidquid neceſſario victui redundat, nam redundat plurimum ex operibus manuum, & epularum reſtrictione, egenibus diſtribuitur. Adeo ut oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes incolunt.*

54. Silentii, ſolitudiniſque rationem ſummam habebant Sæculo IV. Aſiani Monachi.

Manent ſeparati, inquit S. Hieronymus ep. 22. cit. *ſed junctis cellulis, uſque ad horam nonam* (ut eſt inſtitutum) *nemo pergit ad alium exceptis his Decanis, quos diximus; ut ſi cogitationibus quis fluctuet, illius conſoletur alloquiis.* Hujus ſilentii, ſolitudiniſque amor lauris extruendis origo fuit, quæ diſſitas ab invicem cellulas habebant, & Monaſteriis plerumque conjunctæ erant, in iiſque ſolitariam vitam agebant, quorum provectior jam erat virtus, dum juniores Monachi, quibus Fratrum

Digitized by Google

trum ſocietas neceſſaria erat, in Monaſteriis inſtituebantur.

55. Miram præterea in victu, veſtitu, & lecto auſteritatem ſervabant eodem Sæculo Monachi Aſiani.

Quantum ad victum de Anachoretis ſcribit S. Hieronymus cit. ep. 22. *Hi exeunt de cœnobio & excepto pane & ſale deſerta in nihil perferunt amplius*. De cœnobitis vero: *Poſt hæc concilium ſolvitur, & unaquæque decuria cum ſuo Parente pergit ad menſam, cui per ſingulas hebdomades viciſſim miniſtrant. Nullus in cibo ſtrepitus eſt; nemo comedens loquitur. Vivitur pane leguminibus & oleribus, quæ ſale ſolo condiuntur: vinum ſenes tantum accipiunt, quibus, & parvulis ſæpe fit prandium, ut aliorum feſſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens*. Et regula 22. S. Pachomii: *vinum & liquamen abſque loco ægrotantium, nullus attingat*. Caput item 20. *regulæ diſputatæ S. Baſilii: In communi autem hoc ſtatuendum eſt, ut cibaria, quæ promiſcue omnibus apponuntur, ejuſmodi ſint, quæ cum vili pretio, tum parva etiam negotio comparentur*. De veſtitu & lecto Monachorum Ægyptiorum ſcribit S. Hieronymus ep. ſæpe citata. *Et quia non licet dicere cuiquam: tunicam & ſagum, textaque junceis ſtrata non habeo*. Cilicinos præterea ſaccos portabant hi Monachi, Chameunialque, hoc eſt humi-cubationes frequentabant.

56. Iidem Monachi perpetuum ſervabant fere jejunium, carnibus vero nuſquam veſcebantur.

Jejunium, inquit Hieronymus l. cit. *totius anni æquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius vivere. A Paſcha ad Pentecoſten cœnæ mutantur in Prandia, quo & traditioni Eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerent duplicato*. Igitur extra tempus Paſchale ſolum cœnabant, hoc eſt veſperi comedebant Monachi, & ſola quidem fere legumina; Paſchali vero tempore dum prandebant, incœnati manebant, quod modernis moribus fuit ſemper jejunare.

57. Victus, veſtitus, lectuſque, ac alia vitæ ſuſtentandæ neceſſaria ex communi penu priſcis illis Monachis diſtribuebantur.

Ingenti ſollicitudine regulæ antiquæ Monachorum tam S. Pachomii, quam S. Baſilii in hoc occupabantur, ut omnem proprietatem a Monachis radicitus evellerent; ad exemplum priorum Chriſtianorum, quibus omnia erant communia. Quæ diſciplina ad eum rigorem ſubinde pervenit, ut Fratres ne quidem neceſſaria poſtulare auderent, utpote quibus a deputatis diſpenſatoribus ſolicite aliunde provideretur. Hinc S. Hieronymus L. cit. *Opus diei ſtatum eſt, quod Decano redditum fertur ad Oeconomum, qui & ipſe per ſingulos menſes Patri omnium cum magno tremore reddit rationem: a quo etiam cum cibi facti fuerint, prægustantur. Et quia non licet dicere cuiquam, tunicam & ſagum, textaque junceis ſtrata non habeo; ille ita univerſa moderatur, ut nemo quid poſtulet, nemo non habeat*.

58. Diſciplinæ hujus moderator ſupremus unus erat, quem Patrem, ſeu Abbatem vocabant; cui ſubordinabantur præpoſiti Decanorum, qui decem Decanis præerant, Decani vero novem Monachorum inſpectionem gerebant.

Id rurſum diſcimus ex S. Hieronymo L. cit. ubi ait: *Prima apud eos confœderatio eſt obedire majoribus. Et quidquid juſſerint, facere. Diviſi ſunt per Decurias atque Centurias: ita ut novem hominibus decimus præſit, & rurſum decem Præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat*.

59. Cum monaſticum inſtitutum ex Aſia in Europam, & inde in Africam propagatum fuerit, ut ſupra N. 10. vidimus, diſciplinam quoque quantum ad enumerata capita eo migraſſe neceſſe fuit, variis tamen modis ſubinde modificatam.

Qui regulas S. Auguſtini, Caſſiani, aliaſque ſæculo V. conſcriptas, quas ſupra N. 25. 26. recenſuimus, perlegerit, eas in hoc totas eſſe deprehendet, ut Profeſſoribus ſuis obedientiam erga Superiores, caſtitatis cuſtodiam, omnis proprietatis abdicationem, orationis tum vocalis, tum mentalis ſtudium, lectionem frequentem librorum ſacrorum, conferentias ſacras, exhortationem Superiorum, ſolitudinem, ſilentium, victus atque veſtitus parcitatem, vigilias, aliaſque corporis auſteritates, laborem item manualem præſcribant. Unde & S. Auguſtinus tractatum de opere Monachorum edidit.

60. Cum Regula S. Patris Benedicti Sæculo VI. edita ſubſequis Sæculis ab omnibus Occidentis Monachis recepta fuerit, ex illius tenore monaſticam diſciplinam in Occidente uſque ad Sæculum XII. colligere licet.

Præcipua ejus capita adnumero: a Kalendis Novembris uſque ad Paſcha Monachos ad Vigilias ſurgere hora noctis octava jubet, poſtquam per ſex horas & aliquanto amplius quieverint. Interſtitium autem, quod a fine vigiliarum uſque ad matutinas, id eſt, uſque ad laudes intercedit, a fratribus, qui pſalterii & lectionum ignari ſunt, in earundem rerum meditatione ſeu lectione inſumi præcipit, ut pſalmos expedite legere, atque etiam interpretari diſcant. Æſtatis vero tempore vigilias & laudes dici vult parvo interjecto intervallo ob noctium brevitatem. Pſalterium integrum ſingulis hebdomadis in officiis divinis cani ſancit. A Monachis, qui longe ab oratorio laborant, aut in via ſunt, horas canonicas perſolvi jubet horis conſtitutis. Proprietatis vitium radicitus amputat. Carnium eſum ſolis permittit infirmis. Diſcretionem erga ſenes & adoleſcentiores exhibet; quibus concedit, ut præveniant horas canonicas prandii, id eſt ſextam, aut nonam, cibumque citius ac frequenter accipiant. Ciborum quovis die menſuram ſtatuit, libram panis propenſam, id eſt, quæ inclinata præponderet, ex qua, ſi dies jejunii non ſit, tertia pars a Cellario ſervetur, reddenda cœnaturis. Menſuram vero potus ſtatuit heminam vini ex indulgentia; præmittit ſiquidem ibi: *Vinum non eſſe omnino Monachorum, ſi veterum Patrum exempla ſequi velint*. Tempus vero refectionis hoc modo ſtatuit, ut a Paſchate ad Pentecoſten ad ſextam, id eſt ad meridiem reficiantur Fratres, & ſero cœnent. A Pentecoſte tota æſtate, quarta & ſexta feria jejunent ad nonam, hoc eſt ad tertiam pomeridianam, niſi labores agrorum, aut æſtatis intemperies prohibeat; cujus rei judicium vult eſſe penes Abbatem. Ab idibus Septembris uſque ad caput quadrageſimæ ad nonam refectionem differendam decernit. Toto vero quadrageſimæ tempore jejunium ſolvi prohibet ante veſperam; ſilentium, nocturnis præſertim horis, maxime commendat quocunque tempore: utque poſt veſperam congregatis Fratribus legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut aliud, quod ædificet audientes. Opus manuum quotidianum injungit S. Benedictus, & quotidianam item lectionem. Indumenta ſecundum regionum temperiem, & qualia in provinciis inveniri poſſunt, Monachis dari decernit, de colore, aut groſſitie, vel tenuitate panni non admodum curans.

61. Monachorum tum veteris, tum medii ævi inſtituta majori ex parte amplexi ſunt Ordines Mendicantes a Sæculo XII. uſque ad noſtra tempora ſucceſſive inſtituti. In variis tamen capitibus diverſam ab ipſis vitæ rationem vi ſuorum ſtatutorum inierunt.

Prima

Prima pars conſtat ex Pſalmodia diurna, nocturnaque, orationibus mentalibus, lectionibus ſacris, ſilentii cura, communitate in victu, corporalibuſque auſteritatibus ab Ordinibus mendicantibus ſuſceptis.

Quantum ad ſecundam; Regulæ Monachorum veterum, tum Benedictinorum, tum aliorum eſum carnium Profeſſoribus ſuis unanimiter interdicebant, non interdicunt illum pleræque Regulæ & conſtitutiones mendicantium. Illæ Monachos ad vitam contemplativam, & manuum laborem adſtringebant ex fine primario, quamvis privatam eruditionem Monachorum, ac juventutis inſtructionem ſubinde non interdicerent. Hæ vero vitæ contemplativæ activam ceu manum ſubſidiariam in cura animarum Clero Sæculari porrigentem in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, ac Verbi divini prædicatione, ſacriſque miſſionibus jungunt. Illæ ſtabilem locum, ſtabilemque Superiorem determinant, hæ neutrum. Illæ victum labore manuali parandum jubent, hæ ex ſtipe oſtiatim colligendas ſuos alumnos victitare volunt. Dixi autem in propoſitione *vi ſuorum ſtatutorum*, quia non nego celeberrimum Benedictinorum Ordinem, ejuſque Surculos, dum præſertim Monachi Sacerdotii charactere inſigniri cœpiſſent, in vinea Domini jam inde a Sæculo VII. ſtrenue laboraſſe; cum Anglia, magna pars Germaniæ, & Septentrionis Evangelii lumen eidem in acceptis referre debeant, atque ad eundem Sæculo X. XI. &c. multa beneficia curata pervenerint, uti ex notis hiſtoricis hucuſque datis in aprico eſt.

62. Diſciplina Monaſtica a Sæculo IV. ad uſque noſtra tempora producta ſæpe collapſa, multimodiſque per Viros Spiritu Dei ferventes reſtituta eſt.

Propoſitionem probant ea, quæ de variis Congregationibus tum Ordinis Benedictini, tum Mendicantium N. 16. & ſeq. h. t. attulimus.

QUÆSTIO DOGMATICA.

An Status Monaſticus ſit ſalutaris & utilis tum ſuis Profeſſoribus, tum toti Eccleſiæ?

63. SI unquam, certe in ſanctiſſimo Monachorum inſtituto Paulinum verificatum eſt oraculum 2. ad Timoth. 3. v. 12. *Omnes, qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* A primis enim ejuſdem cunis aduſque moderna tempora non defuerunt tum ex ortho, tum heterodoxis, qui Theonino dente ſacerrimum inſtitutum arrodere non ſunt veriti. Magno enim Baſilio, qui cœnobitarum pene author fuit, crimini datum fuiſſe, quod Monaſticæ profeſſioni aditum reſeraſſet, ipſe teſtatur inquiens: *Accuſamur vero & hujus* (& quidem a Catholicis) *quod homines habeamus pietatis ſtudioſas aſcetas, qui Mundo renuntiarunt. Ego vero vitam impenderem, ne poſſent mihi hæc delicta impingi, haberemque apud me viros, qui me Doctore hoc pietatis ſtudium amplexi hactenus fuiſſent. Nunc autem & in Ægypto, & in Palæſtina, & in Meſopotamia audio talem eſſe virorum quorundam virtutem.* Et hæc quidem Sæculo IV. in magnum Baſilium garriebant quidam Pſeudo-Catholici; ex hæreticis vero, qui cœlibatus, paupertatiſque meritum eodem Sæculo IV. impetebant, Coryphæus fuit Jovinianus, quem ſecutus eſt Vigilantius, quos S. Hieronymus ſcriptis confutavit. Cum vero Sæculo XII. contra modernorum Dominorum Proteſtantium Patriarchas Albigenſes, alioſque Hæreticos Eccleſia Chriſti Ordinibus Mendicantium, imprimis ſacerrimo Ordine Prædicatorum armaretur, hi non tantum ab hæreticis illius temporis conſuetas calumnias ſubire debuerunt, verum etiam e Catholicis inventi ſunt duo Magiſtri Pariſienſes Willhelmus de S. Amore, & Sigerius, multique eorum ſequaces, qui in eum inciderunt errorem, ut Religioſorum mendicantium ſtatum damnatum aſſererent, libro in hunc finem Clementi IV. porrecto, quem refutavit tum orbe toto celeberrimus Doctor Thomas Aquinas ex Ordine Prædicatorum opuſculo in poſtrema edit. Veneta decimo-ſexto, alias decimo-nono. Quo Pontifici oblato liber ille ſpurius tanquam hæreticus, & nefarius ab eodem damnatus fuit. Adverſis autem ibi Doctor Angelicus, quod quamvis authores præfati libri tela ſua ex condicto in Ordines mendicantium, atque diverſam a prioribus Monachis diſciplinam, velut in ſcopum dirigant, univerſum ſtatum Monaſticum nihilominus per latus ferire intendant. Sed omnium, qui odium ſanctiſſimo Monachorum inſtituto conciliare adniſi ſunt, ovaque, ut ajunt, contra Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſtatumque Regularium poſuit, quæ poſteriores hæretici excluſerunt, fuit maciléntus ille hypocrita Anglus Wicleffus, ex cujus operibus Joannes Luke Oxonienſis Theologus 266. errores collegit, quos inter 28. ita ſonat: *Sancti inſtituentes Religiones privatas ſic inſtituenda peccaverunt.* 29. *Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.* 30. *Si quis ingreditur religionem privatam qualemcunque tam Poſſeſſionatorum, quam Mendicantium redditur ineptior, & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei.* 43. *Quod Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerint poſſeſſiones, & inſtituerint, & intraverint Religiones: & ſic a Papa uſque ad infimum Religioſum omnes ſunt hæretici.* Et tandem 44. propoſitione orationem omnem præhabitam laconiſmo concludit egregius ille ſcilicet Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ſtatuſque Monachalis Panegyriſta dicens: *quod omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt a Diabolo.* Wicleffo conſenſerunt Sæculo XV. Bohemi Huſſitæ, ſtatum Monachalem non tantum ſcriptis, verum etiam armis proſcindentes. Quos Sæculo XVI. inſecuti ſunt recentiores Heterodoxi, calumniandi ſpiritum ab excucullato Monacho Luthero affatim edocti; & quanquam in ſuo libro ſymbolico, ſeu in confeſſione Auguſtana, de votis Monachorum Art. VI. Wicleffi opinionem ex toto non ſequantur, ſed inſtitutum Monaſticum ſolum damnent, quemadmodum nunc viget, dum ajunt: *Auguſtini tempore Monaſteria erant libera collegia, poſtea corrupta diſciplina ubique addita ſunt vota, ut tanquam excogitato carcere diſciplina reſtitueretur.* Et infra: *Olim erant Scholæ ſacrarum litterarum, & aliarum diſciplinarum, quæ ſunt utiles Eccleſiæ, & ſumebantur inde Paſtores & Epiſcopi; nunc alia res eſt, nihil opus eſt recitare.* Quod falſum eſſe ſupra N. 42. demonſtravimus. Dumini nihilominus Proteſtantes moderni non habentes eam reverentiam erga ſuam confeſſionem, quam nos profitemur erga ſynodum Tridentinam, ſtatum Monaſticum generaliter damnare non verentur, Patreſque quarti & poſteriorum Sæculorum, qui eum ſummis laudibus extulerunt, flocci habere. Inter alios Joannes Laurentius Fleiſcherus in ſua manuductione ad jus Eccleſiaſticum lib. 1. c. 19. ſequentis velut ex tripode definit: *Nullum dubium eſt, totum Monachiſmum eſſe conſiderandum ut rem ſumme nocivam, & tanquam baſin corrupti Papiſmi. Nihilominus Papiſtæ non verentur ejus originem a Chriſto deducere, quamvis tota ejus doctrina & vivendi ratio ei e diametro opponatur. Nec mirandum eſt iſthac inſtitutum a Patribus Eccleſiæ omnimodis extolli, cum in aperto ſit, eos nil minus quam rationabilem moralem intellexiſſe.*

64. Pergit adeptus ille, ut ſibi videtur, in rationali morali. Fundamentum Monachiſmi equidem apud Ethnicos, Judæoſque quærendum eſt.

Hi enim in eo verſabantur errore, quod felicitas hominum in ſpeculationibus conſiſtat, ita quidem, ut eum, qui abdicatis aliis omnibus his ſolis vacaret, exiſtimarent feliciſſimum. Et quanquam multa de virtute garrirent, in nuda nihilominus ejus cognitione hærebant, ita ut perſuaſum haberent, eum, qui ſciret definire virtutem, jam Virum Philoſophum exiſtere. Hæc itaque perſuaſio gentilibus auſam dedit, ut ſpeculativam Philoſophorum vitam cæteris omnibus præferrent, quin hos ſolos felices exiſtimarent, cæteram vero hominum turbam miſerrimam, quanquam hi præ illis humanæ ſocietati utiliores eſſent. Ut vero ſpeculationibus eo melius litari poſſet, homoque a ſæcularibus negotiis omnino abſtraheretur, vitam ſolitariam quidam ethnicorum Philoſophorum commendarunt, quæ tamen ſuaſio melancholico illorum temperamento tantum in acceptis referenda fuit; atque in hoc ipſo dementiæ luto apud Judæos hærebat ſecta Eſſæorum. Hunc §. ex Joanne Clerico in Proleg. hiſt. Eccl. Sect. 1. c. 5. excerpſit Fleiſcherus.

65. Pergit vero: Cum igitur multi tum ex Judæis, tum ex Gentibus Chriſtianam Religionem ſuſciperent, veroſimile eſt, quosdam illorum in hac doctrina perſeveraſſe, atque Chriſtianiſmum in ſolitudine, atque in vita ſpeculativa quæſiviſſe. Hæc tamen vivendi ratio ab Eccleſia nunquam approbata fuit, quin præolfactum fuit, ſimile vitæ genus Doctrinæ Chriſti ex æquo repugnare, cum non in ſolitudinibus, ſed inter homines Chriſtus converſatus fuerit; neque vitam ſpeculativam a ſuis ſequacibus prætenderit, ſed ut ametur Deus, deinde Proximus; nec unquam dixerit ut ſolum oremus, ſed ut oremus, & laboremus. Et quanquam ſævientibus perſecutionibus, præſertim ſub Decio Imperatore Chriſtiani in ſylvas, antra, deſerta ſecederent, id tamen non fiebat eo animo, quaſi ſeceſſus ille Chriſtiano foret neceſſarius, vel ibidem permanendi voluntate; verum ſolius Tyrannidis evadendæ, aut vitæ conſervandæ gratia. Res hæc nihilominus occaſio fuit, quod Paulus & Antonius in eam venarint ſententiam, hominem nec melius nec perfectius Deo ſervire poſſe, præterquam in eremo, atque ita initium Monachiſmo dedere. Hieronymus in vita Pauli. Tillemontius in hiſt. Eccl. tom. 7. p. 1. pag. 176. ſeqq. Quia eo pervenerunt duo iſti homines, ut non ſolum ipſi extra ſocietatem hominum viverent, verum etiam Diſcipulos aſſumerent, eoſque in præſcriptis regulis edocerent, Chriſtianum nonniſi in ſylvis, antris, & his ſimilibus vivere poſſe; & ſicut piſci extra aquam neceſſario moriendum, ita vitam veri Chriſtiani ſimilia Urbium hominumque ſocietatem ſalutari amittere ſit neceſſe. Et hæc quidem opinio apud plurimos eum plauſum invenit, ut iſthæc vivendi ratio totum brevi tempore occuparet Orientem.

66. Hæc ergo ſunt præcipua capita, e quibus Proteſtantes vitam Monaſticam tum in genere, tum prout nunc inſtituitur, vellicant. Quæ priuſquam refellamus, fontem, unde erronea eorum manat perſuaſio, detegamus oportet. Illum autem inſinuat D. Fleiſcherus l. ſupra citato, dum ait: *Chriſtum a ſuis ſequacibus vitam ſpeculativam ſeu contemplativam non prætendiſſe, ſed ut ametur Deus, deinde proximus; nec ſolum orationem, verum etiam laborem præcepiſſe.* Unde concludunt, vitam Monaſticam Evangelio eſſe contrariam. Sed qui hujus ſunt opinionis, non advertunt ſe tantum petere illas religiones, quæ vitam contemplativam profitentur, minime vero eas, quæ & Deo per contemplationem vacant, & proximo præcipua charitatis officia, ſpiritualia nimirum in Doctrina, in prædicatione Verbi Dei, & adminiſtratione ſacramentorum; aut excellentia corporalia, in cura infirmorum, redemptione captivorum &c. ex inſtituto ſuo impendunt. Quapropter contra eos vindicanda tantum venit vita Anachoretica, aut Monaſtica illa, quæ in ſuis communitatibus abſtractam ab omni commercio humano vitam profitetur. Aliter obviandum eſt illis, qui ſtatum Monaſticum ut tribus votis illigatum generaliter, & Religiones Mendicantium propter ipſam mendicationem in ſpecie ſuggillant.

PROPOSITIO I.

Status Anachoreticus, aut Monaſticus orationi, & contemplationi rerum divinarum dicatus, eſt ſalutaris & utilis tum Profeſſoribus ſuis, tum toti Eccleſiæ.

67. Concluſio quantum ad primam partem in aprico erit, ſi demonſtrata fuerit, quantum ad ſecundam: non enim ex alio capite hunc ſtatum blaſphemant Hæretici, quam quia per eum Jura ſocietatis humanæ lædi arbitrantur. Quod quam falſum ſit, ex officiis ipſis hominis Chriſtiani, atque ex ipſa Chriſtianæ Reipublicæ pragmatica, ſeu fundamentali conſtitutione jam venit demonſtrandum. Hæc autem conſtitutio, quamvis nullatenus cum ſano rationis lumine pugnat, toto nihilominus cœlo a ſocietate humana, quæ non alio, quam rationis lumine regeretur, differt, quam Societatem fingunt ii, qui de jure naturæ & gentium a ſæculo volumina conſcripſerunt, quos inter celebris eſt clariſſimus Wolfius, orbi literario notiſſimus, qui octo juſtis Tomis Jus naturæ & gentium complexus eſt; quorum labor etſi de ſe ſit valde utilis, cum deſerviat quam maxime ad hoc, ut de legibus humanis, pactis, aliiſque commercii humani fœderibus limatum ferre poſſimus judicium, cum nihil horum juſtum eſſe valeat, ni legi naturæ a Deo nobis inditæ ex omni parte ſit conforme; ſuum incommodum nihilominus habet, quod homines a reali ſyſtemate, in quo poſt lapſum Adami actu perſiſtunt, ad fictitium transferant, in quo eſſent, ſi Deus Adamum, & ex eo deſcenſuros non creaſſet ad beatitudinem ſupernaturalem, quæ in reali viſione Dei, ejuſque amore, ac familiari converſatione in cœlis conſiſtit, ac conſequenter eidem Adamo non tribuiſſet juſtitiam originalem cum cæteris donis hominem inferiorem ſuperiori, & hunc Deo ſubjicientibus; nec permiſiſſet, ut Adamus hæc omnia tam pro ſe, quam pro ſuis poſteris amitteret peccato originali, & conſequenter non miſiſſet unigenitum filium ſuum, qui meritis vitæ & mortis ſuæ humanum genus poſtliminio aptum redderet Gratiæ Dei percipiendæ, ejuſque ope finem a Deo in ſui creatione propoſitum conſequendi. Unde fit, quod multi aut non ſatis perſpicaces, aut non ſatis cauti ex ſimilium lucubrationum lectione in eum labantur errorem, ut obligationi Chriſtiani hominis ſatisfacere ſe exiſtiment, dum naturalem vitam, hoc eſt ad regulas rectæ rationis ſolummodo exactam vivunt, cum nihilominus fides Chriſtiana non quidem contrariam rectæ rationi, ſed multo ſublimiorem vivendi methodum, quo ſcintilla illa non pertingit, nos edoceat. Atque ut rem in officiis hominis erga ſe ipſum ob oculos ponam, lumen rationis ſuis relictum limitibus nos docet, *quod quilibet ſtudere debeat, ut ea conſequatur animi, corporis, ac fortunæ bona, quæ in poteſtate ipſius ſunt*, ut habet Cl. Wolfius *in Inſtitutionibus juris naturæ* §. 104. *Evangelium autem non tantum non præcipit, ut bona fortunæ quæramus, ſed ut illa inſuper habeamus magis conſulit.* Lumen rationis dictat: *quod homo curam habere debeat, ut vitam commode ac jucunde tranſigat*, ut habet idem §. 119. E contra in Evangelio dicitur: *Si*

quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Uno verbo lumen naturæ ſelicitatem hominis in fruitione innocua bonorum præſentium animæ, corporis, & fortunæ, ſeu exteriorum conſtituit, ut patet *ex* toto ilio Tractatu Wolfii de officiis hominis erga ſe; Fidea ſeu Evangelium in bonis futuri ſæculi.

68. Si ergo homanum genus a Deo eſſet creatum ad felicitstem præſentia ſæculi conſequendam, vel ſi ſtatus innocentiæ in Adamo *ejuſque* poſteris perſeveraſſet, merito fortaſſis irriderentor homines vitam Monaſticam profitentes. At at in alio ſyſtemate ſumus, quod ſtatum Monaſticum non modo juſtificat, verum etiam commendat. Contra Chriſtianos Proteſtantea diſputationem texo, non contra Profanos noſtri temporis præter rrligionem naturalem nullam revelatam admittentes ;hi enim cum revelationem omnem rideant, per me etiam rideant Monachos ex ejus principiis viram inſtituentes, in altero ſæculo io ſui interitu a Deo rurſum irridendi. Hi ergo admittere mihi debenr ſequentia principia ex ſacrarum paginarum infallibiii authoritate dedocta. Quorum I. eſt: Quod Deus hominem creaverit *ex eo* fine ut ipſum amet ex tota anima, *ex* tota mente, & ex omnibus viribus, hoc eſt, ut amorem ſuum in nullam creatoram propter ſeipſam partiatur, ſed in omnibus creaturis ſolum authorem diligat. II. Quod homo honc finem ſine ſuperno gratiæ divinæ auxilio conſequi nullatenus poſſit: *Sine me nihil poteſtis facere* Joan. 15. v. 5. III. Quod iſthoc auxilium Deus primo homini a ſe creato non denegaverit, ſed præter juſtitiam originalem, qua appetitus ſenſitivus rationi, & hæc Deo perfecte ſubjiciebatur, auxilia etiam alia contuierit, quibus in amore Creatoris ſui perſiſtere potuiſſet, ſi voluiſſet. IV. Quod homo ille amorem creaturæ amori Creatoris præponendo ex illo felici innocentiæ ſtatu una cum poſteris *exciderit*, atque totam generis humani maſſam peccato originaii ſordidatam Creatori ſun inimicam reddiderit; unde natæ ſunt illæ tenebræ intellrctus, illa pertinax inclinatio voluntatis ad malum, illa obſtinata rebellio appetitus inferioris contra ſanam rationem, & inde naſcens inordinatus amor ſui ac terum periturarum. V. Filium Dei incarnatum, ſeu Chriſtum Jeſom officium fidejuſſoris pro perdiro humano genere ſuſcepiſſe, & paſſione ſua ac morte æterno Patri ſuperabundantem ſatisfactioorm præſtitiſſe, hominesque æternæ ſalutis conſequendæ poſtliminio capaces reddidiſſe. VI. Non tamen per baptiſmum miſerias ſtatus naturæ lapſæ, uti quotidie experimur, ſuſtuliſſe. VII. Nihilomious hominibus doctrina, exemplo, ac divinæ gratiæ a ſe promeritæ auxiliis ita providiſſe, ut omnes, modo velint, deſcriptum ſupra amorem Dei, nequicquam obſtante naturæ corruptela, in hoc mundo, & in altero æternam ejus fruitionem conſequi poſſint.

69. Ex his ergo principiis ab Ipſo Deo humano generi *revelatis*, conſectanea ſunt I. Quod hic non habeamus manentem civitatem, ſed futuram inquiramus, ad Heb. 13. v. 14. II. Quod cujuslibet hominis princeps occupatio, quamdiu peregrinatur a Domino, eſſe debeat, quærere primum regnum Dei, hoc *eſt*, perfectam cum Deo in charitate unionem, qua ſuodus animæ ita Deo, ceu ejuſdem tam titulo creationis, quam redemptionis legitimo & unico Domino ſubjiciatur, ut moraliter cum ejus voluntate unum quid efficiatur, omnia volendo quæ Deus vult, & cuncta nolendo a peccatis mortalibus uſque ad venialia, & ipſas imperfectiones, quæ Deus non vult, & hæc omnia *ex* propria dilectioni intentione, ut Deo placeat, in quo conſiſtit Chriſtiana perfectio. III. Quod hanc perfectionem in quolibet Chriſtianæ Reipublicæ ſtato aſſequi poſſimus; alias enim, cum Deus diverſos ſtatus in ſocietate humana neceſſarios per Evangelium non iuſtulerit, quidam homines neceſſitate a Deo introducta a perfectione Chriſtiana conſequenda impedirentur, quod non eſt dicendum. IV. Nihilominos quibuſdam ſtatibus humanæ ſocietatis quædam eſſe inſeparabiliter connexa, quæ ſuapte natura & *ex* divinis oraculis cor hominis in ſtatu naturæ lapſæ conſtituti a totali illo amore ſoli Deo debito nata ſunt abſtrahere, atque in amorem ſui allicere; qualia ſunt uxor, divitiæ, & propria voluntas. Et de uxore quidem teſtatur S. Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 23. a nobis ſupra relatus. De divitiis vero ipſe Chriſtus Matth. 13. v. 22. *Solicitudo hujus ſæculi, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur.* Quam vero nata ſit propria lapſi hominis voluntas, ſi fræoo ſubjectionis careat, eundem in præceps agere, præter quotidianam experientiam ex Proverbiorum 3. v. 5. abunde colligitur, ubi dicitur: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* V. Chriſtum equidem in libera hominum optione reliquiſſe, an cum vel ſine his impedimentis ad finem ſuæ creationis tendere velint, nihilominus viam alteram tanquam ſecuriorem conſuluiſſe, uti ſupra N. 4. demonſtratum eſt.

70. Hoc ergo ſtante ſyſtemate, quilibet Chriſtianus jus habet ſe ſe ab impedimentis illis, quæ fini, ob quem creatus eſt, conſequendo obſiſtunt, expedire, atque eam vivendi rationem amplecti, quæ ſine his ambagibus eo perducit. Jam vero vita Anachoretica, vel Monaſtica in propoſitione deſcripta hujuſmodi eſt, ut per ſe patet; quivis igitur eam amplecti poteſt, & conſequenter utilis & ſalutaris *eſt* Profeſſoribus ſuis. Minor adſtruitur ex eo, quod vita illa Anachoretica, vel Monaſtica contemplativa blandimenta uxoris, divitiarum, & propriæ voluntatis, indeque manantes captiones multiplices *miſeræ* animæ ignoret; ſuam igitur Profeſſoribus ſuis confert utilitatem. Sed & Reipublicæ Chriſtianæ utilis eſt. Si enim lege naturæ dictante nomen divinum celebrandum, ſi pro bonis ab eo conſequendis orandum, ſi nomen *ejus* ore laudandum, ſi exemplis alii ad idem perducendi, uti habet Cl. Wolfius loc. cit. quæ inutilitas illorum hominum, qui in ſocietate Chriſtiana, quæ vi ſui inſtituti utitur hoc mundo, quaſi non utatur, nec hic ſibi theſaurizare ſtudet, ſed in altera vita, familiari cum ſolo Deo converſatione, aſſidua oratione, ac laude Dei occupati, princeps adjutorium reliquis ſtatibus in negotiis mundi occupatis, nimirum gratiam Dei multiplicem *exorant*, eoſque ab inordinato rerum periturarum amore ſuis exemplis avocant? Si enim ipſos vel viles Mechanicos Reipublicæ utiles cenſemus, quia corporibus noſtris poſtridie incinerandis erga exactam ſolutionem noſtram commoda præſtant, cur inutilia membra Reipublicæ cenſebimus eos, qui vitæ ſanctitate, & familiari cum Deo converſatione ſpiritualia & temporalia dona *eidem* exorant? Da ergo mihi hominum ſtatum, qui a Deo ſit creatus ad perfruendum hujus vitæ commodis, de quo Deus nullam curam habeat, cujuſque eſſe poſt mortem deſinat; & Anachoretas omnes, cunctoſque Monachos tibi concedam amentes. Convince me, contemplationem divinorum attributorum, & myſteriorum fidei non perducere ad amorem Dei, vigilias, orationes, jejunia, abnegationem conſtantem eorum, quæ caro, corrupta natura, dæmon, mundus inſuſurrant eſſe virtutum nudas ſpeculationes, hominiſque perfectionem in obſequiis externis charitatis Chriſtianæ magis conſiſtere, quam in his, & dicam Ana-

choretas, ac Monachos homines otioſos, ac inutiles. Certe ſi perfectio Chriſtiana conſiſteret in externis obſequiis proximis præſtandis, homo facultatibus animæ & fortunæ deſtitutus ejuſdem conſequendæ ſpem nullam haberet, eum ſocietati moleſtus eſſe debeat magis quam proficuus. Et bonus Rex, egregius Doctor, aptus Conſiliarius, ſtrenuus Miles, beneficus Dives, verbo Phariſæi omnes eleemoſynarii perfecti eſſent, quamvis concupiſcentiis carnis, concupiſcentiis oculorum, & ſuperbiæ vitæ quotidie ſacra facerent. Intelligant ergo differentiam inter bonum civem, & bonum Chriſtianum; & inter Deum opera hominum ex affectu ſolo penſantem, & inter Principem temporalem eum ſolo effectu contentum; & blaſphemare ceſſent eos, qui ſine aliorum præjudicio ſecundum conſilia Chriſti abjectis impedimentis hominem interiorem ex condicto reformare, atque ad divinæ voluntatis amuſſim formare conantur. Nec dicant, hujuſmodi homines eſſe præjudicioſos Reipublicæ, quod temporalibus ſe ſa non immiſceant negotiis; falſiſſima enim eſt illa perſuaſio, omnia hominum individua temporalibus negotiis occupari debere, Chriſtoque injurioſa, qui contrarium in Evangelio toties conſuluit, ipſique Apoſtolo dicenti: *Nemo militans Deo immiſcet ſe negotiis ſæcularibus*. Et contra ipſum jus naturæ, quod officia humanitatis *non niſi indigentibus præſtanda ingerit*. Quis autem Catholicorum unquam ſuſtinuit homines poſſe fieri Anachoretas vel Monachos cum detrimento tertii? Certe decantatum eſt, nec ſervum, nec maritum, in quem uxor jus plenum nacta ſit, invitis illis poſſe valida profiteri. Et de antiquis Anachoretis in aprico eſt, eos ſolitudines ſuas dereliquiſſe, ac in mediam hominum turbam commeaſſe, quoties id exigebat Eccleſiæ neceſſitas. Ignorantiæ ergo Proteſtantium, qua laborant circa conſilia Chriſti, circa Chriſtianam perfectionem, & circa ſyſtema Eccleſiæ Chriſti, adſcribendum eſt, quod vitam Monaſticam contemplativam ſuggillent.

PROPOSITIO II.

Status Monaſticus aut etiam Ordinum Mendicantium contemplationi, ac proximorum ſaluti vacans eſt ſalutaris, ac utilis tum Profeſſoribus ſuis, tum toti Eccleſiæ.

69 CONcluſio ex præcedenti manet demonſtrata: ſi enim in ſyſtemate Chriſtiano vita illa contemplativa divinarum perfectionum, ac myſteriorum noſtræ fidei Profeſſoribus ſuis eſt utilis, quod ex ſui inſtitutione nata ſit eos ab omni inordinato amore ſui, & omnium creaturarum abſtrahere, atque ad caſtum amorem Conditoris, ejuſque familiarem converſationem perducere, in quo Chriſtiana conſiſtit perfectio; ſi etiam ſit utilis Eccleſiæ, eo quod ejus interſit, dum pleraque ejus membra dura humanæ ſocietatis neceſſitudine adacta cogantur curis temporalibus vitam pene impendere, habere quoſdam, qui in celebratione, ac laude divina Deo juxta principia noſtræ fidei tot Titulis debita ex profeſſo occupentur, iique orationibus ſuis Benedictionem divinam in ſuis negotiis, neceſſariaſque gratias impetrent, ne inter illectiva creaturarum blandimenta ab amore *Soli & Unico* Deo debito abſtracti in tranſverſam ſuæ ſaluti viam abripiantur, quique exemplo heroicæ renuntiationis omnium, quæ mundus habet delectabilium, ipſis quodammodo continui Prædicatores exiſtunt veritatum fundamentalium Evangelii, quibus edocemur in quocunque ſtatu cor noſtrum a rebus tranſitoriis totaliter abſtrahere, & ad ſolum amorem cœleſtium transferre, uno verbo, ut ait S. Paulus 1. ad Cor. 7. v. 29. *Habere uxores, quaſi non habentes, flere tanquam non flentes, gaudere tanquam non gaudentes, emere tanquam non poſſidentes, uti hoc mundo tanquam non utamur*, cum ejus figura prætereat; cur Ordines illi, qui iiſdem exercitiis ex inſtituto vacantes variis præterea pietatis officiis proximis in neceſſitatibus tum corporalibus, tum ſpiritualibus ſuccurrunt, non eſſent Profeſſoribus ſuis, totique Eccleſiæ ſalutares ac utiles?

70. Confirmo præſentem diſcurſum profundo Angelici Doctoris ratiocinio, quo in citato opuſculo contra obtrectatores Religionum Mendicantium cap. 1. utitur inquiens: *Ex his ergo patet, quod duplex eſt Religionis acceptio. Una ſecundum ſui nominis primam inſtitutionem, ſecundum quod aliquis Deo ſe ligat per fidem ad debitum cultum; & ſic quilibet Chriſtianus Religionis fit particeps in baptiſmo, abrenuntians ſatanæ, & omnibus pompis ejus. Secunda prout aliquis ad aliqua charitatis opera ſe obligat, quibus ſpecialiter Deo ſervitur, abrenuntians ſæcularibus; & hoc modo Religionis nomine ad præſens utimur. Charitas autem Deo debitum obſequium reddit ſecundum actus vitæ activæ & contemplativæ. In actibus quidem activæ vitæ diverſimode ſecundum diverſa officia charitatis, quæ proximis impenduntur: & ideo ſunt aliquæ Religiones inſtitutæ ad vacandum Deo per contemplationem, ſicut Religio Monaſtica, & Eremitica; aliæ autem ad ſerviendum Deo in membris ſuis per actionem, ſicut illorum, qui ad hoc Deo ſe dedicant, ut infirmos ſuſcipiant, captivos redimant, & alia miſericordiæ opera exequantur. Nec eſt aliquod opus miſericordiæ, ad cujus executionem Religio inſtitui non poſſit, etſi non ſit hactenus inſtituta. Sicut autem in baptiſmo homo per fidei Religionem Deo ligatur, peccato moritur; ita per votum Religionis, non ſolum peccato, ſed ſæculo moritur, ut ſoli Deo vivat in illo opere, in quo ſe Deo miniſtraturum devovit fidei: quia ſicut per peccatum vita tollitur, ita per occupationes Sæculi Chriſti miniſterium impeditur 2. ad Timoth. 2. v. 4. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Et ideo per Religionis votum abrenuntiatur illis, quibus humanus animus maxime occupari conſuevit, & a divinis obſequiis impediri. Quorum primum & principale eſt conjugium 1. ad Corinth. 7. v. 23. *Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori & diviſus eſt*. Secundum eſt poſſeſſio divitiarum terrenarum Matth. 13. v. 22. *Solicitudo hujus ſæculi, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur*. —— Tertium eſt propria voluntas, quia qui ſuæ voluntatis eſt arbiter, ſolicitudinem habet de vitæ ſuæ gubernatione: & ideo nobis conſulitur, ut noſtri ſtatus diſpoſitionem divinæ providentiæ committamus 1. Petri c. 5. v. 7. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eo, quoniam ipſi cura eſt de vobis*. - - - Et inde eſt, quod perfecta religio triplici voto conſecratur: ſcilicet voto caſtitatis, per quod abrenuntiatur conjugio, voto paupertatis, per quod abrenuntiatur divitiis, voto obedientiæ, per quod abrenuntiatur propriæ voluntati. Per hæc autem tria vota homo ſacrificium Deo offert de omnibus bonis: per votum quidem caſtitatis in ſacrificio Deo offerens corpus proprium —— per votum autem paupertatis oblationem Deo faciens de exterioribus bonis —— per votum autem obedientiæ ſacrificium Deo ſpiritus offerens.*

Calu-

Calumniæ adverſariorum enervantur.

71. PRimo loco adferam cavillationes Heterodoxorum, quibus Monachiſmum in genere petunt; ſubnecturus dehinc præcipua tela, quæ ſupra fati Doctores Pariſienſes in Ordines Mendicantium in ſpecie torſerant, a S. Thoma dudum obtuſa, confracta. Præcipua autem cavillationum capita contra Monachiſmum in genere complexus eſt D. Fleiſcherus, quæ ex eodem ſuperius n. 63. & ſeqq. fideliter deſcripſimus, quæ proinde compendio hic repetemus.

72. Itaque primo arguit laudatus Author Catholicos, quod vitam Monaſticam ab ipſo Chriſto derivare præſumant, non obſtante quod tota Salvatoris vivendi ratio, traditæque ab ipſo Doctrinæ eidem repugnent.

73. Reſpondeo hsoc eſſe calumniam omnium maxime reprehenſibilem, eo quod Chriſti vitæ atque Doctrinæ opponat inſtitutum, quod non tantum præcepta, verum etiam ejuſdem conſilia ex profeſſo ſequitur. Fatemur equidem Chriſtum nulla Monaſteria inſtituiſſe, nec vitam Anachoreticam duxiſſe, cum ad docendum & prædicandum miſſus fuerit; at negamus eam vivendi rationem, quam profitentur Monachi, in Evangelio ſuo non conſuluiſſe, illamque quoad præcipua ejuſdem capita vitæ ſuæ tenore, quantum ejus vocatio & officium patiebatur, non expreſſiſſe. Contrarium enim in ſuperioribus N. 4. demonſtratum eſt. Hæcque fuit ratio, cur omnes Eccleſiæ Patres, Romanique Pontifices, & generalia Concilia Monaſticum inſtitutum meritis laudibus extulerint, atque pro virili promovere ſtuduerint.

74. Ac replicat Fleiſcherus I. Patrum elogia hac in parte non eſſe curanda, cum in aprico ſit, illos nil minus quam ſanam moralem poſſediſſe. II. Pontifices Romanos ſemper faviſſe Monaſtico inſtituto, quia principem baſim corrupti Papiſmi efficit.

75. Quam atrox prior Fleiſcheri ſit calumnia, totique Eccleſiæ Chriſti injurioſa, ipſi Domini Proteſtantes dijudicent. Ergone Patres IV. & V. Sæculi, quorum pietate & doctrina Evangelicæ veritates exſpirante perſecutionum procella in plenam meridiem poſitæ ſunt, hæreſeſque profligatæ, rationabili morali deſtituti fuere? eamque Chriſtus reſervavit poſterioribus his Sæculis, in quibus ipſo teſte Matth. 24. v. 12. *abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum?* Si ergo Viri illi Paſtores, & Doctores toto orbe & tum & ſequentibus Sæculis celebratiſſimi rationabili morali omnes deſtituebantur, quam moralem habuere cæteri Chriſtiani, qui ad eorum doctrinam & exempla vitæ ſuæ rationem componebant? Ergone ita deſeruit Chriſtus Eccleſiam ſponſam ſuam, ut ereptam a gladio terreno in os tartarei leonis excuſſo ſacræ moralis jugo præcipitem agi permitteret? Non perſuadebunt hoc nobis Domini Proteſtantes, quin cauſæ ſuæ deſperationem magis prodeat, cum ad ſtabiliendas ſuas erroneas opiniones venerandæ antiquitatis authoritatem tam indignis, tamque abjectis cuniculis enervare conantur. Invictum itaque pro vindicando ſtatu Monachali ab eorum dicteriis argumentum elogia Patrum eidem attributa ſuppeditant.

76. Quod ſecundam ejuſdem calumniam attinet; honori ſibi ducit Monaſticum inſtitutum a Proteſtantibus appellari unam ex præcipuis baſibus Eccleſiæ Romano-Catholicæ, eredit enim ſe hoc elogio dignum; cum hæreſis non una per ipſum profligata ſit, ipſiſque Dominis adverſariis in præſentem diem non leve negotium faceſſat, eorumque ruinas in Indiis tum Orientalibus, tum Occidentalibus improbis laboribus reſtaurare conetur, victoriam cum zeloſiſſima ſæcularis Cleri militia ſerius, citius Chriſto propitio reportaturum. At illud eſſe baſim corrupti Papiſmi, ſeu corruptelarum Romanæ Eccleſiæ, id demum ſolemniſſime negatur, nec concedetur, niſi demonſtratum fuerit Romanam Eccleſiam corruptelam in fide atque morali ab ipſa approbata protegere, & fovere, quod equidem de facto incaſſum tentarunt prætenſi noſtri reformati.

77. Arguit ſecundo idem Juris-Conſultus, ſibique perſuadet Monachiſmum Catholicorum originem ſuam debere Philoſophis Ethnicis, Judæiſque Eſſænis; quos in eo verſatos errore aſſerit, ut felicitatem humanam in nudis ſpeculationibus conſtituerent; atque ea propter ſeſe ab hominum conſortio alienare, ſibique ſolis vacare ſolemne haberent; cui vitæ rationi illam ſocialem longe præferendam exiſtimat. Et hinc ait primis tribus Sæculis Monaſticum Inſtitutum in Eccleſia fuiſſe ignoratum, & Sæculo IV. in Eccleſia Occidentali improbatum, uſque dum Hieronymus vir melancholicus, & præterea exigui judicii illud etiam ibi ſtabiliret.

78. Falſam eſſe Fleiſcheri opinionem de origine Monachorum ſupra demonſtratum eſt. An vero Ethnici Philoſophi, qui abdicatis ſocialis vitæ curis contemplationi veritatum naturalium, itemque Judæi Eſſæni ſeu Therapeutæ, qui ſe totos ſcrutandis divinæ Scripturæ myſteriis, orationibus, laudi divinæ celebrandæ, aliiſque honeſtiſſimis occupationibus dederunt, propterea reprehendendi ſint, nobis hic diſquirere non vacat. Id ſolum contendimus, quod in lege gratiæ, quæ tota quanta eo collimat, ut nos doceat contemnere terreſtria, & inquirere Cæleſtia, ut abunde jam probatum eſt, non ſit culpanda ea pars hominum, quæ abjectis rebus ſpebuſque humanis ſe totam Deo conſecrat, atque internarum virtutum exercitiis dicat; eo vel maxime, quod Reipublicæ humanæ homines illi ſoli etiam vitæ contemplativæ vacantes ſuam conferant utilitatem, gratias illi temporales, & ſpirituales exorando, atque exemplo heroico ab amore rerum temporalium, quibus neceſſario implicita eſt, avocando, uti N. *69.* probavimus. Et quis ſanæ mentis arduam veterum Monachorum, modernorumque vitam contemplationi vacantium nudam ſpeculationem pronuntiet? ergone contemplatio Patris noſtri cæleſtis, ejuſque beneficiorum, præſertim redemptionis in nos collatorum, Chriſti item vitæ, paſſionis, & mortis, & futuræ quam in hac lacrymarum valle præſtolamur gloriæ, atque inde in corde naſcentes mille affectus flagrantis charitatis, intimæ gratitudinis, admirationis, gratiarum actionis, humiliationis, odii peccatorum, contemptus rerum peritaearum &c. &c. nuda ſpeculatio eſt? Ergone diurna nocturnaque Dei laus, onera obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, jejunia, vigiliæ, ſtudium, labor manualis, continua cura denegandi inferiori homini a maximo uſque ad minimum omne id, quod contra Dei voluntatem & rectam rationem ſub fidei regula conſtitutam appetit, virtutes ſunt ſpeculativæ? Sint certe tales in oculis eorum, qui aut animæ immortalitatem, aut futuram poſt hujus vitæ peregrinationem gloriam pernegant; aut etiam illorum Chriſtianorum, qui commoditates corporis ſenſuumque blandimenta cum vita veri Chriſtiani copulari poſſe autumant, dummodo cæteroquin officia ſocietatis humanæ non negligantur. Ego cum Patribus morali Chriſtiana, non pura illa naturali imbutis pronuntio: omnem omnino Chriſtianum præter officia erga Deum, erga proximum, circa officia erga ſe ipſum ad hoc indiſpenſabiliter obligari, ut cor ab omni amore & inclinatione erga creatu-

tas abſtractum habeat, atque ſolum Deum ejuſque beneplacitum in omnibus adimplere ſtudeat; quod quia in ſtatu naturæ lapſæ, atque per peccatum originale velut quodam pondere ad amorem inordinatum creaturarum inclinatæ magnis difficultatibus aſſequuntur ii, qui negotiis vitæ ſocialis implicantur. Laudo quidem omnes ſtatus Reipublicæ Chriſtianæ, qui temporalium rerum procurationi, diſpoſitionique incumbunt, dum aſſero omnes eſſe neceſſarios; ſed etiam laudo eos homines, qui abjectis ſollicitudinibus hujus ſæculi, quibus major pars hominum ad vitæ humanæ tranſitoria ſolatia non rogata ſe implicat, in vita Monaſtica etiam pure contemplativa ad hanc veri Chriſtiani conſtitutionem compendio tendunt, ſuaſque utilitates magni ſane momenti commercio humano, ſi fidei oculo contemplatur, conferunt. Si enim inutiles Reipublicæ eſſent illi homines, qui operas temporales eidem non conferunt, inutiliſſimi certe eſſent illi, qui propagationi generis humani operam dare nollent, cum baſis illa ſit, ſuper quam reliqua ſocialis vitæ negotia fundantur; iniquum ergo, quia Reipublicæ noxium, Chriſtus dediſſet conſilium de ſervanda perpetua continentia. Unde merito hic repeto, quod alias jam dixi, religiones novellas Proteſtantium planam efficere viam ad Profaniſmum; dum enim earum aſſeclæ quædam Religionis noſtræ capita de falſitate, aut iniquitate carpunt, Patreſque primorum Sæculorum nobiſcum ſentientes flocci habent, ut contingit in præſenti capite, dum ſe tandem eo perductos vident, ut ſtante illorum hypotheſi ſimile quid Evangelio affingere cogantur, nullo negotio eo perducuntur, ut ſibi perſuadeant, omnem revelatam Religionem eſſe pura puta figmenta, ex contradictionibus non unis conſuta. Sic Calviniſta perſuaſos transſubſtantiationis panis Eucharistici in corpus Chriſti dogma implicare contradictionem, totamque tetro antiquitatem propterea erroris cum Calvino damnans, dum ſimiles difficultates videt in dogmata Dei Unius & Trini, quod vi ſuæ ſectæ profiteri nihilominus cogitur, vacillare primum, poſtea ad Naturaliſmum tranſire facile ſolet. Tutius procedimus nos Catholici, qui credentes nobis Deum plura non quidem contra, ſed ſupra rationem exiſtentia revelaſſe, ea univerſim tuemur, quemadmodum nobis ab Eccleſia, quæ *firmamentum & columna veritatis exiſtit*, tradita ſunt, cujus ſenſum ex conſpirantibus Patrum ſcriptis ſecure accipimus. Quorum propterea impii calumniatores eſſe nolumus, quemadmodum non verentur eſſe quidam ex illis.

79. Ad primum Additamentum reſpondeo. Dato etiam quod Therapeutæ Alexandrini non fuerint Chriſtiani (N. 6. h. t.), dato etiam, quod libri de cœleſti Hierarchia non ſint S. Dionyſii (ibi & N. 36.), ex dictis N. 9. conſtat ante Antonium in Eccleſia fuiſſe homines, qui a mundi tumultu ſegregati vitæ contemplativæ vacabant. Et Virgines Deo conſecrari ab ipſis Apoſtolorum temporibus ſolitas in hiſtoria Eccleſiaſtica decantatum eſt, ut ſupra vidimus. Quod vero monaſticum inſtitutum perſecutionum tempore eam faciem, quam poſtea, non habuerit, ex ipſa horum ſæculorum criſi dijudicandum venit. Cæterum nullius momenti eſt iſtud Fleiſcheri argumentum, quia ex non uſu conſiliorum Evangelicorum malum eſſe illorum uſum infert.

80. Per quod patet reſponſio ad ſecundum: negatur enim Eccleſiam Latinam, quod vita monaſtica non ilico ac Orientalis uſa fuerit, illam improbaſſe; cum ambabus ulnis eam excepiſſe, ac in varias Provincias propagaſſe in comperto ſit ex N. 10. h. t. Si vero ſuos in Occidente, quemadmodum in Oriente detrectatores ſubinde nacta ſit, ii certe ſimiles fuerunt his, qui Tullii conſulatum vituperaverunt: eam interim Sæculo IV. & V. ut alios taceam, laudarunt & propagarunt S. Ambroſius, S. Auguſtinus, & poſt ipſos Sæculo VI. S. Gregorius M. tres præcipui Eccleſiæ Doctores apud Catholicos, homines melancholici, & egeni judicii ex oraculo D. Fleiſcheri, argumento ducto ex elogio, quod in objectione texit S. Hieronymo ob Monachiſmum Occidenti invectum. Vindicatus igitur eſt Monachiſmus primorum Sæculorum in contemplatione conſiſtens; nunc proferenda ſunt argumenta, quibus iidem Domini Proteſtantes modernam Monachorum diſciplinam vellicant, quæ ad tria capita reducuntur: nimirum, quod olim Monaſteria fuerint libera collegia, nunc perpetui ſint Carceres. Quod conſequenter antiqui Monachi ignoraverint vota, quibus moderni conſtringuntur. Denique quod modernus Monachiſmus a reali pietate in centonem ſuperſtitioſarum cæremoniarum deſierit.

81. At Monachos veteres ſub regula S. Pachomii, Baſilii, &c. viventes profitendo inſtitutum Monaſticum implicite id voviſſe, quod nunc vovetur explicite, ſupra N. 42. invicte demonſtratum eſt; vota vero monaſtica ſtatum Monachalem nequaquam deteriorare, ſed perficere N. 70. ex S. Thoma adſtruximus. Et mirandi ſunt certe Domini Adverſarii, qui vitæ rationem juxta Evangelicorum conſiliorum amuſſim inſtituendam votis ſtabiliri poſſe cauſantur, quaſi vero voto ſe homo non poſſit conſecrare Deo, qui inſolubili nexu ſeſe copulare poteſt uxori, moribus, forma ſubinde diſplicituræ, aut ſterilitate rei familiari, familiæ avitæ, aut toti ſubinde Regno obfuturæ. Si ergo Eccleſia erravit ſtatum Monaſticum tribus votis perpetuando, nullum tamen ad ejus electionem cogendo; eo quod quidam ejus Profeſſores de ſua electione poſtliminio pœniteant; ex pari ratione erravit Chriſtus, matrimonium arctis adeo limitibus conſtringendo; unde iterum janua ad Naturaliſmum.

82. Quantum ad tertium caput, lib. 5. tit. 8. cæremoniarum neceſſitatem atque utilitatem multifariam ex Proteſtantibus non ſuſpecto Cl. Wolfio inſinuavimus. Religioſi ergo ob cæremonias fini ſuo tum generali, tum particulari congruentes non prius arguendi, quam earum irrationabilitas ob oculos ponatur, quod an tam facili negotio, ac calumniam hanc religioſis inſtitutis impingunt, præſtitari ſint, ignoro. Nunc ex Doctore Angelico jam refellenda ſunt ea capita, quibus ſupralati Pariſienſes Magiſtri Ordines Mendicantium ſpeciatim & per latus reliquos aggreſſi ſunt, a Clemente IV. propterea damnati; ea S. Thomas in laudato opuſculo ſequenti ordine recenſet. Primo, quod Mendicantibus non liceat docere. 2. Quod iis non liceat eſſe de collegio ſæculari Magiſtrorum. 3. Quod iis non liceat prædicare, & confeſſiones audire, atque curam animarum habere. 4. Quod teneantur propriis manibus laborare. 5. Quod ipſis non liceat omnia ſua relinquere, ita quod nihil ſibi poſſidendum remaneat nec in proprio, nec in communi. 6. Quod non poſſint vivere de eleemoſynis, & de mendicatis præcipue. Et hæc ſunt capita, quibus religioſos opprimere nitebantur. Pergit deinde ad enumeranda ea, quibus Religioſorum famam corrumpere nituntur: quorum 1. eſt, quod habitum vilem, & humilem deferant. 2. Quod aliorum negotiis ſe intromittant. 3. Quod circumeuſſient pro ſalute animarum. 4. Quod ſtudiis incumbant. 5. Quod ordinate prædicant. 6. Quod ſe & ſuam religionem commendent, & per Epiſtolas commendari procurent. 7. Quod detractoribus

bus ſuis reſiſtant. 8. Quod in judicio contendunt. 9. Quod perſecutores ſuos puniri procurent. 10. Quod valint placere hominibus. 11. Quod gaudeant de his, quæ per eos Deus magnifice operatus. 12. Quod curiam Principum frequentent. His enumeratis monſtrat S. Doctor, quomodo dicti Magiſtri judicium ſuum pervertant in infamiam perſonarum religioſorum. 1. Mala, ſi quæ in eis ſunt, extendendo. 2. Aſſerendo, quod Religioſi favorem mundi quærunt, & ſuam gloriam, & non Chriſti. 3. Falſa confingendo, quod ſcilicet Religioſi ſint Pſeudo-Apoſtoli, Pſeudo-Prophetæ, & Pſeudo-Chriſti. 4. Crimina imponendo, quæ Eccleſia toto temporis proceſſu patitur, ſcilicet quod Religioſi ſint lupi, fures, latrones, & penetrantes domos. 5. Mala, quæ in finali Eccleſiæ timentur, religioſis imponendo, probare volentes, quod e vicino inſtent tempora Anti-Chriſti. 6. Quod religioſi nuncii ſint Anti-Chriſti. 7. Religioſorum manifeſta bona, ut orationes, jejunia, & hujuſmodi pervertere nitendo, atque ſuſpecta oſtendere. Hæc triplicis claſſis tela ab his, quos Sæculo XIII. in religioſos Mendicantium Ordines morum ſanctitate, doctrinæ excellentiæ, zeloque animarum tum præſtantiſſimos atra animavit invidia, vibrata hebetat, atque retundit Angelicus Doctor. Cum autem inter illa pluſcula inveniantur, quæ a Dominis Proteſtantibus non adoptentur, qualia ſunt ea, quæ literarum ſtudium, zelumque ſalutis animarum concernunt, cum potius iſta in Religioſis requirant, ne Reipublicæ per ſolam inanem contemplationem, ut ajunt, inutiles evadant, nos ea tantum hic inſerere aſſumemus, atque ex S. Doctore refellemus, quæ circa hæc objecta verſantur.

83. Itaque primo ad probandum, *quod religioſi teneantur laborare manibus*, aſſumunt locum ex 1. ad Theſſal. 4. v. 11. *operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis*. Quem locum confirmant ex ep. ad Epheſ. 4. v. 28. Item ab exemplo Apoſtolorum 1. ad Cor. 4. 12. Act. 20. v. 34. 2. Ab exemplo Monachorum Ægyptiorum, de quibus S. Hieronymus ad Ruſticum ſcribit: *Ægyptiorum Monaſteria hunc morem tenent, ut nullum abſque opere, & labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſaria, quam propter animæ ſalutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus*. 3. Authoritate S. Auguſtini, qui in libro de opere Monachorum religioſos non operantes contumaces nominat, eorumque excuſationem, *quod vacent pſalmis, orationibus, prædicationibus, & lectionibus* ſugillans, ait: *quid agant, qui corporaliter operari nolunt, cui rei vacent, ſcire deſidero: orationibus, inquiunt, & Pſalmis, & Lectioni, & Verbo Dei*: & ſingula iſtorum removens, dicit primo de oratione: *citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris*; quantum vero ad vacantes divinis laudibus & canticis ſubjungit: *Cantica cantare divina etiam manibus operantes facile poſſunt*; ſimilia habet de lectione, & prædicatione; ex quibus intulerunt Pſeudo-illi Pariſienſes Magiſtri Religioſos eſſe in ſtatu damnationis, qui manibus non laborant.

84. Argumentum iſtud inter alia ſequenti ratiocinio refellit S. Thomas dicendo: laborare manibus, aut eſt præceptum, aut conſilium. Si conſilium eſt, nullus tenetur ad laborandum manibus, niſi qui ad hoc voto ſe obſtrinxit. Ergo Religioſi, qui in regula ſua non habent, quod debeant manibus laborare, ad laborem manuum non tenentur. Si autem eſt in præcepto, cum ad præcepta Divina, & Apoſtolica æqualiter teneantur Religioſi, & ſæculares, non magis ad laborem manuum tenentur Religioſi, quam ſæculares. Ergo ſi licebat alicui ſine labore manuum vivere, quando in ſæculo erat, idem licebit, quando in Religione aliqua erit. Concedit denique S. Doctor laborem manuum lege naturæ eſſe præceptum non ſingulis hominibus, ſicut eſt præcepta manducatio, ſed iis tantum, qui victum aliter pro ſe, ſuiſque, præterquam labore manuum, licite acquirere non valent; ſi enim humanæ ſocietatis officia ſingulos obligarent, tunc unus homo deberet & vacare generationi, & contemplationi, & ædificationi, & agriculturæ, & omnibus aliis exercitiis, quibus indiget vita humana, quod abſurdiſſimum eſſe nemo non videt; unde in his, pergit Doctor Angelicus, unus ab alio juvatur, ſicut in corpore unum membrum ab alio. Et propter mutuum obſequium, quod homines ſibi invicem impendere debent, dicit Apoſtolus ad Rom. 12. v. 5. *Singuli autem alter alterius membra*. Horum autem Miniſteriorum diſtributio, ut ſcilicet diverſi homines diverſis miniſteriis occupentur, fit principaliter ex divina providentia, ſed ſecundario ex cauſis naturalibus, per quas magis homo inclinatur ad unum quam ad aliud. Unde ad authoritates ex Apoſtolo allatas reſpondet: quod Apoſtolus laborem manuum nunquam præcepit, niſi illis, qui a labore manuum abſtinentes cauſa victus acquirendi in peccata alia incidebant, ut ſupra probatum eſt. Et ſic ex verbis Apoſtoli non poteſt probari, niſi quod quilibet homo vel Religioſus, vel ſæcularis tenetur manibus laborare potius, quam ſe mori dimittat, vel victum aliquo modo illicito quærat.

85. Ad exempla de labore manuum ab Apoſtolis adhiberi ſolita, dicit: quod hoc, quod Apoſtoli manibus laborarunt, quandoque quidem fuerit neceſſitatis, quandoque ſupererogationis. Neceſſitatis quidem fuit, quando ab aliis victum invenire non poterant, ut patet 1. ad Cor. c. 4. Quod etiam ſupererogationis fuerit, patet per id, quod habetur 1. ad Cor. 9. Qua ſupererogatione tribus de cauſis uſum fuiſſe ait Apoſtolum, primo, ut auferret occaſionem Pſeudo-Apoſtolis prædicandi Evangelium propter Temporalia, 2. ad Cor. 11. v. 12. Secundo propter avaritiam eorum, quibus prædicabat, ne gravarentur, ſi Apoſtolo ſeminanti ſpiritualia providerent temporalia, a fide diſcederent, 2. ad Cor. 12. v. 13. Tertio ad dandum exemplum otioſis operandi, 2. ad Theſſ. 3. v. 8. Quod autem illa Chriſtianæ ſocietatis membra, quæ ſpiritualia bona eidem procurare ſtudent, ab eadem temporalibus neceſſitatibus provideri debeant, apertis verbis edicit idem Apoſtolus ad Cor. 1. c. 9. v. 11. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* quin magis, quam illa, quæ eidem Reipublicæ temporalia conferunt; pergit enim v. 12. *Si alii poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non* potius *nos?* jam vero Monachos Contemplativos, laude divina, orationibus, virtutum internarum exercitiis, familiari cum Deo converſatione; illos vero, qui vitam ſimul activam profitentur, verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione ſpiritualia bona Chriſtianæ Reipublicæ conferre, probatum eſt ſupra N. 78. &c. igitur a dicta communitate temporalibus neceſſariis providendi, eſto manuali labore victum non quærant, ad quem non obligantur, niſi conditionibus a S. Thoma allatis exiſtentibus.

86. Ad ſecundam confirmationem ex Hieronymo reſpondet idem, quod labor manualis, ut per ipſam S. Hieronymi authoritatem patet, non ſolum aſſumitur ad victum quærendum, ſed ad vanas cogitationes reprimendas, quæ naſcuntur ex otio & carnis corruptione. Otium autem efficaciter removetur non ſolum per opera manualia,

lia, ſed etiam per exercitia ſpiritualia, quibus etiam concupiſcentia carnis frænatur: unde dicit Hieronymus in eadem ep. *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.*

87. Ad tertiam confirmationem ex S. Auguſtino reſpondet idem S. Doctor, illum in ſuo libro de opere Monachorum errorem eorum Monachorum condemnaſſe, qui dicebant, religioſos manibus operari ſine ſuæ perfectionis detrimento non poſſe, contra hos enim præfatum librum ſe ſcripſiſſe teſtatur in libris retractationum. Unde dum eorum cauſationes de Oratione, Pſalmis, canticis, lectione, prædicatione, quibus errorem ſuum tuebantur, (*quod nempe his ſolis inſiſtendum ſit ex præcepto Apoſtoli, nullatenus vero labori manuali*) retundit, doctrina ejus ſecundum hunc ſibi in eo libro præfixum ſcopum exponenda venit; ut nimirum, verba ſunt S. Thomæ, qui prædictis ſpiritualibus operibus quaſi operibus publicis vacant, (poſſe enim prædicta conſiderari ut publica, & ut privata ibidem præmiſit) non labore legitime victum acquirunt, a fidelibus accipiendo, utpote utilitati communi inſervientes. Qui autem prædictis operibus, quaſi privatis vacant, a labore manuum abſtinentes, quandoque quidem ſunt tranſgreſſores præcepti Apoſtolici, quando ſcilicet ſunt de illis, quibus denuntiat Apoſtolus, ut *cum ſilentio operantes ſuum panem manducent*, ut dictum eſt. De his ergo loquitur Auguſtinus, ut patet ex hoc, quod dicit: *cur & non præceptis Apoſtolicis obſervandis aliquas partes temporum deputamus?* & etiam ex hoc, quod dicit: *citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.* —— Quandoque autem vacantes prædictis, ut etiam privatis operibus, Apoſtoli præceptum non tranſgrediuntur, manibus non operantes: quia non laborioſam vitam ex pigritia fugientes, vacui, & otioſi volunt paſci, ſed abundantis divini amoris ab omni exteriori opere retrahuntur, ut contemplationi vacent: ut per auctoritates ſupra inductas probatum eſt. Quæ videantur apud S. Doctorem. Unam ex eodem huc tranſcribo; Item, inquit, in eodem libro Auguſtinus loquens de aliquo divite, qui bona ſua alicui Monaſterio tribuit, dicit: *quod bene facit manibus laborando, ut aliis exemplum det: quod quidem ſi nolit*, ſcilicet laborare manibus, *quis eum audeat cogere? nec differt*, ut ibi ipſe ſubjungit, *ſive Monaſterio dederit, ſive ubicunque diviſerit, cum omnium Chriſtianorum ſit una Reſpublica.* Monachus ergo Auguſtino judice etſi nihil Monaſterio attulerit, nec manibus laborare voluerit, modo aliis ſpiritualibus exercitiis otium vitet, e communi fratrum penu alendus eſt. Quare? quia una eſt omnium Chriſtianorum Reſpublica, in qua non homines ſoli, ſed gratia Dei cum hominibus operatur commune temporale & ſpirituale bonum, cui proinde tam temporalia, quam ſpiritualia bona providentes ſunt utiles. Apage igitur Fleiſchetum cum aliis ſuis Collegis, qui carnalem, nimiſque abjectam ideam de civitate Dei, quæ eſt Eccleſia; fingentes, Monaſticum inſtitutum in contemplatione, in laude Dei jugiter concinenda &c. occupatum vanæ ſpeculationis cauterio inurunt, atque doctrinæ Chriſti adverſarium garriunt. Quaſi vero a Deo creati, atque a Chriſto redempti ſimus, ut unanimi conſpiratione omnes & ſinguli ducamus uxores, ædificemus domos, plantemus vineas, ludamus in avibus cœli &c. & non potius ut ante hæc omnia quæramus regnum Dei, & juſtitiam ejus; & conſequenter alia pars hominum, quæ relictis confratribus ſuis mundi hujus tranſitoriis ſolatiis Evangelica conſilia amplectitur, atque adeo orationibus, meditationibus, aliiſque virtutum exemplis illum omnibus tam neceſſarium rerum humanarum contemptum, ab Evangelio Apoſtoliciſque ſcriptis adeo conſtanter inculcatum, indies promovere & inculcare ſtudet, Reipublicæ ſit inutilis aut etiam noxia. Alium ſenſum de illis habuerunt Eccleſiæ Sanctiſſimi Doctiſſimique Patres, quos ſanam non habuiſſe moralem, per me licit, impie criminetur Fleiſchetus, id ſufficit, neminem ſanæ & chriſtianæ mentis hominem in hoc ei aſſenſurum. Nec prava quorundam Religioſorum exempla hic objiciant more ſolito Domini Proteſtantes; de his enim ego ipſe, licet Monachus, pronuntio, eos inutilia prorſus eſſe terræ pondera, cum Reipublicæ nec in ſpiritualibus, neque in temporalibus proſint. Regulæ noſtræ, conſtitutioneſque legitime approbatæ, o Domini, ſcrutandæ ſunt, & ex his dijudicandum, an Ordines Religioſi detrimentum Reipublicæ Chriſtianæ, ſi illa in ſuo vero ſyſtemate ſpectetur, pro ſcopo habeant? At multi ſunt Monachi inordinate viventes, ſed multi, quin plures ſunt ſpiritu ferventes. Et nonne etiam multi ſunt Chriſtiani ſecundum carnem ambulantes? Chriſtiana ergo Religio ceu noxia e medio tollenda? quin imo cum ſtatu Religioſo identidem ad amuſſim Evangelicam reformanda.

88. Caput ſecundum, illudque præcipuum, ex quo Ordines Mendicantium oppugnaverunt perverſi illi Pariſienſes Magiſtri, fuit, *quod illis non liceat omnia ſua relinquere, & ſibi nihil retinere in proprio, nec in communi.* Et ad hoc probandum induxerunt 1. locum ex Prov. 30. v. 8. *mendicitatem & divitias ne dederis mihi;* intrantes autem Religiones Mendicantium mendicitati ſe exponunt. 2. locum Eccl. 27. v. 1. *propter inopiam multi deliquerunt.* 3. illud ex 1. ad Timoth. 6. v. 8. *habentes alimenta & quibus tegamur;* ſuper quem locum dicit gloſſa: *Sicut divitiæ negligentiam pariunt ſalutis, ita egeſtas, dum ſatuitati quærit, a juſtitia declinat.* 4. illud Lucæ 12. 29. *nolite quærere quid manducetis?* ubi gloſſa: *Non præcepit, ut nihil pecuniæ ad uſus neceſſarios reſervetur a ſanctis; cum & ipſe Dominus loculos habuiſſe legatur.* 5. quia dare danda & non danda eſt actus prodigalitatis; ſed qui dat omnia, ſicut intrans Religionem Mendicantium, dat danda & non danda. 6. illud ex ep. ad Romanos 12. v. 1. *rationabile obſequium veſtrum;* ubi gloſſa, *ne quid nimis ſit;* at dare omnia eſt dare nimis. 7. quia ſicut non licet ſe occidere, ita nec fami exponere, 8. quia plus homo ſibi tenetur, quam alii; peccaret autem aliquis, qui alteri totum ſubtraheret, unde vitam ſuſtentare deberet, 9. Joannis 12. dicitur Chriſtus loculos habuiſſe; & Joannis 4. legimus, quod Diſcipuli ejus iverant in civitatem, ut cibos ſibi emerent; igitur omnia ſua dare eſt contra exemplum Chriſti. 10. Quin contra morem naſcentis Eccleſiæ, quæ prototypon fuit religioſæ vitæ teſte Hieronymo lib. de Viris illuſtribus, de quibus dicitur Actor. 6. quod *erant illis omnia communia, & nullus erat egens inter eos;* ergo illi, qui dimiſſis propriis non habent poſſeſſiones in communi, quos oportet eſſe egentes, non religioſam, ſed ſuperſtitioſam vitam ducunt. 11. Quia Chriſtus præceptum illud, ut diſcipuli ejus in via nihil ſecum ferrent Matth. 10. videtur revocaſſe paſſione imminente Lucæ 11. 36. ubi ait: *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram.* 12. quia gloſſa ſuper illud Matthæi 4. ſi Filius Dei es, mitte te deorſum, ait: *nemo debet tentare Deum, quando habet* ex *humana ratione quid faciat;* Mendicantes ergo, qui poſſeſſiones in particulari & in communi repudiant, nec manibus laborant, quantum ad proviſionem neceſſarii victus & veſtitus, Deum tentant. 13. Quia corporalia neceſſaria ad vitam quotidie a Deo petimus, ergo non ſunt abjicienda.

da. 14. Quia in decret. de conſecrat. diſt. 1. cap. *nemo* dicitur: *Eccleſia non debet ædificari, antequam ille, qui vult ædificare, providerit, quæ ad alimenta, & cuſtodiam, & ſtipendia cuſtodum ſufficiant.* 15. Quia modus iſte cum communibus poſſeſſionibus in Religionibus eſt approbatus per antiquos Patres Auguſtinum, Baſilium, Benedictum, & multos alios; ergo temerarium videtur alium modum novum inducere.

89. Hæ ſunt præcipuæ ratiunculæ, quibus erroneam ſuam opinionem tueri conari ſunt Pariſienſes illi Magiſtri, quaſque amplectuntur moderni Novatores, Mendicantium præcipui oſores; erroris autem hujus Proto-parens fuit Sæculi IV. Hæreticus Vigilantius, qui non contentus cum Joviniano condemnare virginitatem a Chriſto conſultam, conſilium etiam de paupertate reali ſeu actuali evertere conatus eſt, teſte Hieronymo; quem imitantes dicunt, paupertatem laudari in ſcriptura *non actualem*, qua aliquis ſe rebus temporalibus exſpoliat, *ſed habitualem*, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etſi re poſſideat. Ad deſtructionem igitur hujus erroris hoc modo procedit S. Thomas; primo oſtendit ad perfectionem Evangelicam pertinere non ſolum paupertatem habitualem, ſed etiam actualem, quæ fit per abjectionem rerum corporalium. Secundo, quod hæc perfectio manet, etiamſi poſſeſſiones in communi non habeantur. Tertio, quod hæc perfectio etiam in his, qui poſſeſſionibus carent, non ſemper requirit manuum laborem. Quarto denique ſolvit argumenta ab Adverſariis adducta. Primum adſtruit ex iis locis Evangelii, quos ſupra N. 70. adduximus, probando divitias ex natura ſua impedire Chriſtianam perfectionem. Secundum ex exemplo Jeſu Chriſti & Apoſtolorum, qui ſua relinquentes, nullas habuere poſſeſſiones in communi. Tertium denique iis argumentis, quibus ſupra a N. 84. oſtenſum eſt, Religioſos abſolute non obligari ad labores manuales. Poſt hæc ad adverſariorum objecta reſpondet, cum quo

90. Ad I. Reſpondemus: ſicut divitiarum, ita & paupertatis non uſum, ſed abuſum eſſe culpabilem, quando ſcilicet aliquis paupertatem invite & impatienter ſuſtinet. Quod ergo dicit Salomon, *mendicitatem & divitias ne dederis mihi*, intelligitur de paupertate involuntaria, quod patet ex hoc, quod ſequitur: *ne egeſtate compulſus furer*; quæ pericula a voluntaria paupertate procul abſunt. Et per hoc patet ad ſecundum: Eccleſiaſticus enim ibi loquitur de paupertate involuntaria.

91. Ad tertium reſpondet S. Doctor, quod illud, quod dicitur, quod temporalia non ſunt omnino abjicienda, intelligendum eſt, quin eis utamur ad ſuſtentationem vitæ in cibo, & poto, & veſtitu: quod patet ex hoc, quod dicitur: *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*: non tamen intelligit gloſſa, quin homo poſſit omnium temporalium curam a ſe abjicere.

92. Ad quartum dicit, quod quamvis non ſit præceptum, quod nihil pecuniæ ad uſus neceſſarios reſervetur, eſt tamen conſilium: nec Dominus loculos habuit, quaſi alias ei non potuiſſet provideri, ſed ut infirmorum gerens perſonam, ut ſibi licitum crederent, quod a Chriſto obſervatum viderent. -- Prævidit enim multos infirmos futuros, & iſta quæſituros. Et tamen loculos, quos habebat, ex poſſeſſionibus non implevrat, ſed ex his, quæ ei a devotis, & fidelibus adminiſtrabantur.

93. Ad quintum ait, quod ſicut in 2. Ethicorum determinatur, medium in virtutibus non accipitur ſecundum diſtantiam ab extremis, ſed ſecundum debitam proportionem circumſtantiarum, quam facit ratio recta: unde non oportet, quod medium virtutis ſit inter ſuperfluum & diminutum in unaquaque circumſtantia ſecundum ſe conſiderata, ſed in una circumſtantia per comparationem ad alias. Contingit enim quandoque, quod unius circumſtantiæ medium variare oportet ſecundum variationem alterius circumſtantiæ: v. g. in ſobrietate modus hujus circumſtantiæ *quis* variatur ſecundum varietatem hujus circumſtantiæ *quid*: conſtat enim, quod aliquid in cibum ſumere eſt alicui Perſonæ moderatum, quod alteri Perſonæ eſt ſuperfluum, alteri vero diminutum. Unde aliquando contingit, quod una circumſtantia in ſuo maximo exiſtens moderatur ſecundum proportionem ad aliam circumſtantiam. —— Patet ergo, quod medium virtutis non corrumpitur ex hoc, quod una circumſtantia in ſui ſummo accipiatur, dummodo per alias circumſtantias moderetur. Si ergo in liberalitate conſideremus, quantum ſit dandum, & accipiatur ultimum circumſtantiæ hujus, videlicet omnia dare, aliquibus circumſtantiis adjunctis cadet in ſuperfluitatem, & erit prodigalitatis vitium: aliis autem circumſtantiis adjunctis, erit perfectæ liberalitatis opus; v. g. ſi daret aliquis omnia ſua, ut conſulat patriæ, cui periculum deſtructionis imminet, non reputabitur a morali Philoſopho prodigus, ſed perfecte liberalis. Similiter qui omnia ſua dat propter Chriſti conſilium implendum, non eſt prodigus, ſed perfectum actum virtutis agit. Si autem non debito fine, aut aliis circumſtantiis indebitis omnia daret, prodigus eſſet. Et ſimiliter dicendum eſt de virginitate, & de aliis hujuſmodi, in quibus videtur exceſſus contra commune medium virtutis. Sic ergo patet, quod dare omnia propter Chriſtum non eſt dare danda & non danda, ſed eſt dare danda tantum. Quamvis enim non omnia ſint danda quocunque modo, ſunt tamen danda propter Chriſtum.

94. Ad ſextum reſpondetur ex eodem S. Doctore, Apoſtolum velle rationabile obſequium noſtrum in iis, quæ immediate ad naturam ſuſtentandam pertinent, ſicut potus, cibus, ſomnus, & hujuſmodi ſunt, unde ſi in iſtis aliquis ſibi ſubtrahat ultra id, quod natura ſuſtinere poteſt, ſic rationis medium excedit, & vitioſus eſt. At ſunt quædam, ſine quibus natura conſervari poteſt, ſicut venereorum uſus: & ideo in iſtis, quantumcunque ſubtrahatur propter Deum, non poteſt eſſe ſuperfluum, dummodo ex alia circumſtantia vitium non incidat: & propter hoc Virginitas laudabilis eſt, quæ ab omni hujuſmodi delectabili abſtinet. Et ſimiliter eſt in propoſito. Poteſt enim ſine Dominio poſſeſſionum terrenarum natura conſervari cum ſpe divini auxilii multis modis; unde quantumcunque ei ſubtrahatur, non erit ſuperfluum, ſi propter Deum fiat. Et ſic patet, quod voluntaria paupertas propter Chriſtum ſuſcepta a medio virtutis non diſcedat. Et per hoc patet ad ſeptimum, quia licet ille, qui dat omnia propter Chriſtum, ſubtrahat ſibi aliquod auxilium vitæ, non tamen omne: quia adhuc remanet auxilium divinæ providentiæ, quæ ei in neceſſariis non deerit, & fidelium devotio. Et ideo ille, qui dimittit omnia propter Chriſtum, non ſe exponit fami, quæ ipſum interimat, quia nunquam a Deo ita deſeritur, quod fame moriatur.

95. Ad octavum dicimus cum eodem S. Doctore, quod homo rerum ſuarum eſt Dominus, non autem rerum alterius; & ideo injuriam faceret alteri, ſi poſſeſſiones ei auferret, non autem ſi poſſeſſiones ſibi aufert, injuriam ſibi facit, eo vel maxime, quod ſua dimittendo, non inducat ſe in paupertatem involuntariam, ſed voluntariam propter Chriſtum, quod non tantum

tum licet, ſed & conſultum eſt, ut ex dictis in aprico eſt.

96. Ad nonum dicendum, quod, ſicut ſupra dictum eſt, Dominus pecunias reſervari fecit ad neceſſarios uſus, ut infirmis condeſcenderet: & ideo non eſt ceputandum pro ſuperſtitione, ſi aliqui perfecti viri pecuniam reſervare nolunt: accedit, quod etſi Dominus pecuniam reſervari fecerit, non tamen eam de aliquibus propriis poſſeſſionibus habebat, ſed magis ei a fidelibus per modum eleemoſynæ miniſtrabatur; unde dicitur Lucæ 8. quod *mulieres quædam ſequebantur Dominum miniſtrantes de facultatibus ſuis.*

97. Ad decimum ait S. D. quod Apoſtoli reſervabant pecunias, & etiam colligebant, ut ſanctis pauperibus, qui prædia ſua vendiderant propter Chriſtum, neceſſaria miniſtrarent: nec tamen illas pecunias habebant de aliquibus poſſeſſionibus, ſed ex eleemoſynis fidelium. Quod etiam dicitur, quod nullus egenus erat inter eos, non eſt intelligendum, quin Apoſtoli, & primitivæ Eccleſiæ diſcipuli multas egeſtates & penurias ſuſtinuerint propter Chriſtum; cum dicatur 1. ad Cor. 4. v. 11. *uſque in hanc horam eſurimus, & ſitimus &c.* ſed quia de his, quæ haberi poterant, unicuique ſecundum quod opus erat, tribuebant, ut quantum eis facultas ſuppeteret, omnium indigentias relevarent.

98. Ad undecimum dicit, quod quamvis illud præceptum, *in viam gentium ne abieritis*, fuerit poſt paſſionem totaliter revocatum, eo quod primum oportebat Judæis verbum Dei loqui, & ſic tranſire ad gentes, ut dicitur Actor. 13. tamen hoc, quod Dominus dixerat Apoſtolis, quod non ſecum neceſſaria ferrent, non totaliter revocavit in cœna, ſed ſolum tempore perſecutionis, quando a perſecutoribus neceſſaria haberi non potuiſſent. —— Dicitur enim in ultima can. Joan. cap. 5. *Cariſſime fideliter facis quidquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos;* & infra: *Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a gentilibus. Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi.* Non autem eſſet neceſſarium, quamvis a gentilibus nihil acciperent, quod reciperentur a fidelibus, ſi ſecum neceſſaria ad victum deferrent.

99. Ad duodecimum ait, quod ille, qui dimiſſis omnibus propter Chriſtum, ſpem habet, ut ſuſtentetur a Deo, neque præſumptuoſus eſt, neque Deum tentat. Qui ergo fiduciam debitam de Deo habet, neque præſumptuoſus eſt, neque Deum tentat. Talem autem fiduciam debent habere de Deo pauperes Chriſti, & præcipue Prædicatores veritatis; quibus dicitur Lucæ 13. Noliте portare ſacculum &c. remanent enim fideles devoti, per quos ſatisfieri eis poteſt & debet.

100. Ad decimum tertium, quod temporalia a Deo petere jubemur ad naturæ uſus neceſſarios, unde temporalia non debemus abjicere, quin eis utamur ad neceſſitatem corporis in cibo & veſtibus.

101. Ad decimum quartum reſpondet, quod ſtatutum illud inductum eſt in favorem Miniſtrorum Eccleſiæ: & ideo, ſi aliqui ſupererogare velint, ut ſine poſſeſſionibus Eccleſiæ ſerviant, laudabiliores exiſtunt, ſicut Paulus prædicans Evangelium ſine ſumptu, qui Prædicator erat a Deo ordinatus, ut patet 1. ad Cor. 9. Ex hoc etiam ruit argumentum ab eo ductum, quod Eccleſia poſſeſſiones habeat; reſpondetur enim, quod Eccleſia multos infirmos ſuſtinet, quos non facile ſuſtineret ſine temporalium poſſeſſionum ſolatio; ex quo tamen non ſequitur, quod non ſit expediens perfectis viris, qui ſua dimiſerunt, vitam religioſam agere ſine communibus poſſeſſionibus; & quamvis perfectio Apoſtolica non annulletur in illis, qui poſſeſſiones communes habent, tamen expreſſius conſervatur in illis, qui propriis dimiſſis, etiam communibus carent. Verba ſunt S. Doctoris.

102. Ad decimum quintum dicit, quod quamvis SS. Patres illum modum approbaverint, non tamen iſtum modum reprobaverunt: & ideo non eſt præſumptuoſum modum hunc ſequi: alias nihil de novo poſſet inſtitui, quod non fuerit antiquitus obſervatum. Nihilominus tamen iſte modus antiquitus a multis Sanctis fuit approbatus, etiam in Eccleſia primitiva. Nec obſtat finaliter, quod diſcipulis Chriſti in novo teſtamento imponitur, ut neceſſitatibus pauperum ſubveniant, quod mendicantes facere non poſſunt; reſpondetur enim, quod ſubvenire indigentibus indicitur illis, qui divitias poſſident Joann. 1. c. 3. v. 17. Sed multo laudabilius eſt, quod aliquis omnibus ſuis datis etiam ſemetipſum Deo det, quod ad Apoſtolicam perfectionem pertinet: unde dicit Hieronymus ad Lucinum Beticum: *Se ipſum offerre Deo proprie Chriſtianorum eſt, & Apoſtolorum, qui totum cenſum, quem habuerant, Domino tradiderunt.* Ex his igitur patet, quam futilia omnia ſint argumenta, quæ tum hæretici, tum invidioſi Catholici excogitarunt, ad expugnandos Religioſos Ordines tum in genere, tum in ſpecie Mendicantes. Sed adhuc excutiendum caput ſpeciale de Mendicantibus.

103. Tertium caput, Religioſos nempe Mendicantes non poſſe licite de eleemoſynis vivere, quod eſt veluti conſectarium duorum præcedentium, eos nimirum debere labore manuum victum quærere, & ſi hoc nolint, non poſſe tam in particulari, quam in communi ſua omnia relinquere; probare conantur 1. Quia juxta effatum Apoſtolicum Actor. 20. v. 35. *Beatius eſt magis dare, quam accipere;* Religioſi autem ſunt in ſtatu perfectionis, ergo debent magis manibus laborare, ut eleemoſynam dare poſſint, quam mendicare. 2. Quia Apoſtolus 1. ad Timoth. v. 5. præcipit, ut viduæ, quæ poſſunt aliunde vivere, non vivant de eleemoſynis Eccleſiæ, ne gravetur Eccleſia, ut illis, quæ vere ſunt viduæ, ſufficiat; ergo Religioſi validi & robuſti debent de laboribus manuum vivere, non de eleemoſynis, quas accipiunt pauperes, qui aliunde quam de eleemoſynis vivere nequeunt. 3. Quia Hieronymus relatus cauſa 1. q. 11. can. *Clericos* ait: *Qui bonis parentum, & operibus ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium profecto committunt, & per abuſionem talium judicium ſibi manducant & bibunt.* 4. Quia & dicit Auguſt. ſuper illud 2. ad Theſſ. cap. ult. *Ut nosmetipſos formam daremus: qui frequenter ad alienam menſam convenit otio deditus, aduletur neceſſe eſt paſcenti ſe.* Ad alienam menſam autem Religioſi Mendicantes frequenter accedere habent neceſſe, ergo de neceſſitate ſunt adulatores. 5. Idem Auguſtinus in libro de opere Monachorum reprehendit quoſdam Religioſos, qui ſine labore manuum volebant de eleemoſynis vivere: de quibus inter cætera dicit: *Iſti fratres ſibi temere arrogant, quantum exiſtimo, quod ejuſmodi habeant poteſtatem, ſcilicet vivendi de Evangelio ſine labore manuum:* & tamen illi, contra quos loquitur, ſua propter Chriſtum reliquerant, & ſpiritualibus operibus vacabant, ſcilicet orationibus, pſalmis, lectioni, & Verbo Dei. 6. Quia vivere de ſumptibus fidelium eſt a Domino proviſum ad ſolatium eorum, qui in Evangelio laborant, ut patet 1. ad Cor. 9. & 2. ad Timoth. 11. v. 6. ergo ſaltem illi Religioſi Mendicantes, qui non laborant in Evangelio, non poſſunt de eleemoſynis vivere. 7. Apoſtolus nolebat ſumptus a Corinthiis, unde viveret, accipere, ut occaſionem auferret Pſeudo-Apoſtolis, ut patet 2.

ad

ad Cor. 11. Item ne fideles ſcandalum in fide paterentur, unde Auguſtinus iib. de opere Monachorum: *Eadem vobis cauſa eſt, quæ Apoſtolo fuit, ut amputetis occaſionem his, qui quærunt occaſionem*. 8. Quia ſi Religioſi, qui ſunt validi & fortes, de eleemoſynis vivere poſſunt ſine iabore manuum, eadem ratione & alii poterunt; ſi vero omnes talem vitem agere aelient, tote vita humana periret. Hæc ſunt præcipua argumenta, quibus dicti Magiſtri, & cum iis moderni Domini Proteſtantes ſimpliciter damoent vitam eorum, qui ex aleemoſynis qualitercunque obtentit vivunt, ſi aliter neceſſitatibus ſuis providere poſſunt. Ulserius vero nituntus oſtendere, quod etſi Religioſi Mendicentes poſſent aliquo modo de eleemoſynis ultro obletis vivere, non tamen ipſis iiceat eleemoſynas mendicando quærere: quie 1. Deuteronomii 15. v. 4. dicitur: *Omnino indigens & mendicus non erit inter vus*. 2. in Pſalmo 36. v. 25. habetur: *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*. 3. Pſalm. 108. v. 10. *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent*. 4. 1. ad Theſſal. 4. v. 11. *Ut honeſte ambuletis ad eos, qui foris ſunt, & nullius aliquid deſideretis*: ubi gloſſa ait: *Et non deſiderabitis rem alterius*, nedum rogeris, *vel tollatis aliquid*. Scriptura igitur a juſtis amovet mendicitatem, tsm ipſis prohibet, maliſque imprecatur. 5. Quia Auguſtinus ſuper illud 2. ad Theſſai. c. 3. *Si quis non vult operari &c.* ait: *Vult ſervos Dei corporaliter operari unde vivant, ut ne compellantur egeſtate neceſſaria petere*. 6. S. Hieronymus ad Nepotianum Presbyterum: *Nunquam petentes, rara accipiamus rogati. Beatius enim eſt magis dare, quam accipere*. 7. Auguſtinus item libro de opere Monachorom contra Religioſos Mendicantes dicit: *Tam multos Hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit callidiſſimus hoſtis, circumeuntes provincias, nuſquam miſſos, nuſquam fixos, nuſquam ſtantes, nuſquam ſedentes*: & infra: *omnes petunt, & omnes exigunt aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis*. 8. Quia mendicatio eſt turpis, ingerit enim homini verecundiam, quæ teſte Damaſceno non eſt niſi de turpi. Poſtremo denique nituntur oſtendere, quod Religioſi etiam Prædicantes de eleemoſynis vivere, vel etiam eleemoſynas petere non debent. 1. Quia, qui de eleemoſynis vivunt, oportet adulari illis, a quibus paſcuntur, quod eit contra officium Prædicatoris 1. ad Theſſai. 11. v. 5. 2. Quis, ut dicitur 2. ad Cor. 10. v. 14. Prædicatores non debent quærere ab iis, quibus prædicant, temporales res, quod tamen faciunt Prædicatores mendicantes. 3. Quia in 2. ad Timoth. 11. habetur, quod vivere de Evangelio poteſtatis eſt, non mendicitatis: poteſtas autem iſta non competit niſi Prælatis. 4. Prædicatores, qui non ſunt Prælati, victum ſuum ab his, quibus prædicant, mendicando quærentes, aut quærunt quod eſt ais debitum, aut quod non eſt eis debitum. Si quærunt quod eſt eis debitum, ergo poſſunt illud poteſtative exigere, & per coactionem; quod manifeſte eſt falſum. Si autem petunt, quod non eſt eis debitum; ergo & indebite & injuſte petunt. 5. Prælati recipientes a plebibus decimas & oblationes tenentur in ſpiritualibus eis providere, ergo ſi alii ab Epiſcopis dirigantur ad ſpiritualia miniſtranda, injuria fit plebi, ſi a plebe victum recipient, cum magis Epiſcopi eis teneantur providere. 6. Quia Dominus Matth. 23. v. 14. contra Phariſæos dicit: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum orationes longas orantes*; ergo & illi ſemper videntur eſſe reprehenſibiles, qui ſub prætextu orationis, aut prædicationis, aut alicujus hujuſmodi eleemoſynas petunt. 7. Quia Prædicatores mendicantes videntur ſimoniam committere; non enim licet poſt ſpiritualium adminiſtrationem accipere temporalia ab eis, quibus adminiſtrate ſunt ſive ante, ſive poſt, ſive petendo, ſive oblata recipiendo. 8. Denique Prædicatores mendicantes petendo temporalia ab his, quibus prædicant, ſpeciem mali videntur committere; quod prohibetur 1. ad Theſſ. ult. v. 22.

104. Hanc argumentorum farraginem, quam ceu crambem recoctam in Mendicantes Ordines reſumunt moderni Proteſtantes, duplici via diſſipat S. Thomas; primo poſitivis argumentis contrarium monſtrando, ſecundo argutiunculas illas ſolvendo. Primum præſtat probando imprimis, quod pauperes, qui reliquerunt omnia propter Chriſtum, poſſunt de eleemoſynis vivere. Secundo, quod Prædicatores, etſi non ſint Prælati, dummodo a Prælatis Eccleſiæ mittantur, poſſunt ab eis, quibus prædicant, accipere unde vivant. Tertio, quod liceat prædictis eleemoſynas petere mendicando, quamvis ſint corpore validi. Quarto, quod eis præcipue ſunt eleemoſynæ dandæ; quo poſteriori ariete proſternit falſam eorum opinionem, quam ibi variis rationibus adſtruere conantur; quod nempe non liceat Religioſis Mendicantibus eleemoſynam dare. Cum ergo hæ S. Doctoris propoſitiones in prioribus jam ſatis in apricum poſitæ ſint, ubi probavimus Monachos abſolute loquendo non teneri ad manuales labores; item poſſe aliquem amore Chriſti ſua omnia tam in particulari, quam in communi relinquere; atque ex ſolutione argumentorum propoſitorum ſatis patebunt; ne ſolito prolixiores in anguſto opere ſimus, ad ſolvendam hanc aranearum telam ex eodem S. Doctore procedimus, cum utique ex propria penu nihil adferre poſſimus, quod non viderit, aut præoccupaverit ille, de quo ipſe inter Dominos Proteſtantes ingenii laude, atque animi candore celebratiſſimus Chriſtianus Liber Baro de Wolff. anno necdum elapſo Halæ Magdeburgicæ mortuus in præfatione ſecundæ partis Theologiæ naturalis ob ſimilem rationem teſtatur: *Vidit hoc pro acumine ſuo præ-ſus ſingulari D. Thomas: unde aſſeruit, exiſtentiam Dei a priori demonſtrari non poſſe: ejuſdem Doctoris ſummi luminibus uſi &c.* Itaque cum eodem *Summo Doctore*

105. Ad primæ claſſis argumentum I. reſpondemus, quod dare ſecundum ſe eſt laudabilius quam accipere; nihil tamen prohibet receptionem eſſe meliorem ratione alicujus adjuncti, & hoc eſt per accidens. Dicendum ergo, quod ſi in paupere nihil conſideretur, niſi receptio eleemoſynæ tantum, beatior eſt dives, qui dat eleemoſynam, quam pauper, qui recipit: ſed talis poteſt eſſe cauſa recipiendi eleemoſynam, quod magis merebitur recipiens, quam dans, utpote ſi ſe in tali ſtatu propter Chriſtum conſtituerit, ut eleemoſynas recipiat non quaſi coactus, ſed voluntarius pauper. Et quæro ab adverſariis, an œconomia Chriſti propter nos in forma pauperis eleemoſynas a Religioſis mulieribus recipientis imperfectior fuerit, quam illa mulierum eidem, atque diſcipulis ejus, qui propter eum ſua omnia reliquerunt, eaſdem elargientium? Sed fortaſſis quemadmodum Patres Eccleſiæ Chriſti, ita nec Chriſtus ipſe ſanam moralem habuit? ſane facilis ad hanc blaſphemam impietatem eſt deſcenſus, atque ad Naturaliſmum oſtium patens in principiis modernorum Proteſtantium. In plana igitur Catholicorum via manendum eſt, & cum S. Doctore dicendum, quod ſecundum gloſſam in textum allatum procul dubio laudabilius ſit cuncta poſſeſſa relinquere & nihilominus manibus laborare operando, ut habeatur, unde tribuatur neceſſitatem patienti; ſed in illis duntaxat, qui

ab

ab aliis magis neceſſariis occupationibus vacant. Et ita tales ſi poſſent ſine impedimento talium occupationum laborare, & aliis dare, perfectius eſſet; —— nec tamen concedendum, quod Religioſi teneantur ad omne id, quod perfectius eſt, ſed ad illa tantum, ad quæ ex voto ſe adſtringunt.

106. Ad II. dicendum, quod Eccleſia non gravetur, ſi tales de eleemoſynis vivunt, quia modicis ſunt contenti, magnum fructum in Eccleſia facientes; imo in hoc Eccleſia maxime alleviatur, quia quod alii, qui non ſunt ita modicis contenti, cum magnis expenſis faciunt, hoc idem per tales cum parvis ſumptibus expletur. Nec in hoc pauperibus aliquid ſubtrahitur, quod tales de eleemoſynis vivunt; quia talium conſilio, & inductione multo plura pauperibus dantur, quam ipſi accipiunt. Et præterea ipſi etiam omnia, quæ habuerunt, pauperibus ſunt largiti, unde multo plus in ſumptibus pauperum poſuerunt, quam illud, quod de eleemoſynis accipiunt.

107. Ad III. reſpondet S. D. quod illud Decretum perverſe inducitur, quod patet ex hoc, quod Gratianus dicit in cap. ſequenti. Verum his auctoritatibus prohibentur ab Eccleſia ſuſcipi non illi, qui quondam fuerunt divites, & poſtea omnia reliquerunt, ut Petrus, & Matthæus, & Paulus; aut pauperibus diſtribuerunt, ut Zachæus; aut Eccleſiæ rebus adjunxerunt, ſicut illi, qui prædia ſua vendentes ponebant pretia ante pedes Apoſtolorum, ut eſſent illis omnia communia: ſed illi, qui in domibus parentum reſidentes, vel ſua relinquere nolentes, eccleſiaſticis facultatibus paſci deſiderant.

108. Ad IV. dicit, quod Auguſtinus loquitur de illis, qui ſunt otio dediti, qui in nullo poſſunt eſſe utiles illis, a quibus paſcuntur: tales enim neceſſe eſt, ut adulentur ad hoc, ut paſcantur. Tales enim paſcere oneroſum eſſet cuilibet, niſi favorem paſcentis ſaltem adulationibus captarent. Sed illi, qui paſcuntur propter Chriſtum, a quibus paſcentes ſcilicet ſperent ſpiritualia pro temporalibus, quæ largiuntur, non oportet adulari: quia talibus non datur propter eos, ſed propter illum, cujus ſunt ſervi, qui in eis recipitur, ut dicitur Matth. 10. v. 40.

109. Ad V. jam ſupra reſponſum eſt, quod Auguſtinus in libro illo reprehendit Monachos, qui volebant de eleemoſynis vivere propter duo. Primo propter errorem, in quem inciderant, ut ſcilicet dicerent manibus operari eſſe contrarium Præcepto Evangelico, quod habetur Matth. 6. v. 25. *nolite ſoliciti eſſe corpori veſtro &c.* Secundo, quia propter pigritiam a labore manuum deſiſtebant, laborioſam vitam fugientes, quia in ſæculo laboraverunt. Unde de his dicit: *quod nullo modo decet, ut in ea vita, ubi Senatores fiunt laborioſi, ibi fiant opifices otioſi*. Eos autem, qui in ſæculo poſſeſſiones habuerunt, unde viverent ſine labore manuum, vel qui occupationibus Eccleſiaſticis occupantur, non prohibet de eleemoſynis vivere exemplo eorum, quos tales fuiſſe in primitiva Eccleſia Hieronymus dicit: & hoc manifeſte patet verba libri diligenter intuenti.

110. Ad VI. reſpondetur. Cum Religioſi Mendicantes ex commiſſione prædicantes ſimiliter laborent, dignum eſt, ut & ipſi ab his, quibus prædicant, neceſſaria victus accipiant. Sunt tamen & aliæ cauſæ, propter quas & Religioſi etiam non prædicantes neceſſaria victus a fidelibus accipere poſſunt: puta, quia omnia ſua propter Chriſtum reliquerunt; vel quia miniſtrant Altari, cujus Sacrificium, ubicunque agatur, commune eſt toti populo fidelium; vel quia vacent ſtudio ſacræ ſcripturæ, contemplationi, orationi, & aliis ſpiritualibus ad communem utilitatem totius Eccleſiæ.

111. Ad VII. dicit, quod majus damnum ſequebatur ex Prædicatione Pſeudo-Apoſtolorum, quibus prædicandi occaſionem Apoſtolus auferebat de ſumptibus fidelium non vivendo, cum contraria fidei prædicarent, quam de hoc, quod Apoſtolus ſe labori manuum implicabat de proprio labore vivens. Nunc autem eſt e converſo, quia majus profectus eſt Eccleſiæ fidelibus de hoc, quod aliqui exemplum *humilitatis* præbent in paupertate, & mendicitate vivendo voluntarie propter Chriſtum, & dimiſſo labore manuum, occupando ſe in his quæ pertinent ad ſalutem animarum, quam ſequetur damnum de hoc, quod aliqui turpiter de eleemoſynis vivere volunt. Et ideo non debent deſiſtere Pauperes Chriſti ab hoc, quod de eleemoſynis vivant, ut aliis occaſionem auferant. Per quod etiam patet ad ſecundam partem ejuſdem argumenti: nam etſi a principio converſionis gentium, quando in gentibus necdum, quemadmodum apud Judæos, conſuetum erat Doctoribus ab aliis vitæ ſubſidia miniſtrari, Apoſtoli ſumptus dimittebant accipere propter ſcandalum: nunc tamen hoc ſcandalum non eſt timendum, & præcipue in illis, qui modico victu, & veſtitu ſunt contenti; de quo multo plures ædificantur, quam ſcandalizantur. Qui enim de hoc ſcandalizantur, Phariſæorum ſcandalum ſibi inducunt, quod Dominus parvipendere jubet Matth. 15. Secus autem eſſet, ſi eleemoſynam acciperent non ſolum ad neceſſitatem victus, ſed ad laute vivendum, vel ad divitias congregandas. Quod cum S. Thoma non juſtificemus, ſed omnes, qui Patrimonio Chriſti ſive ex eleemoſyna quotidiana, ſive ex beneficiis ſæcularibus, ſive regularibus provenienti ita abutuntur, conſpirante Eccleſia peccari arguimus. At ſi Heterodoxi moderni cauſam contra nos evincere volunt, non ex corruptis moribus quorundam Clericorum aut Monachorum ſimilia facientium nos aggredi debent, quod tamen ſolenne habent, ſed canones, regulaſque Monachorum producant eſt neceſſe, qui ſimilia præcipiant, quod in æternum non præſtabunt.

112. Ad VIII. reſpondet idem Angelicus Doctor, quod eadem ratione probari poſſet, quod Virginitas non ſit bona; quia hoc Hieronymus dicit contra Vigilantium prædictam rationem facientem: *Si omnes virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus*; ad quod infra dicit: *Rara eſt virtus, nec a pluribus appetitur: atque utinam hoc omnes eſſent, quod pauci ſunt, de quibus dicitur: multi ſunt vocati, pauci vero electi*. Ex quo patet ſolutio prædictæ objectionis. Opera enim perfectionis tantæ difficultatis ſunt, quod paucorum eſt ſe ad ea extendere. Nec dicendum, quod timendum ſit, quod dum omnes ei inhærent, mundus pereat. Certe hoc non timuit Chriſtus, dum virginitatem, & Evangelicam paupertatem ſequacibus ſuis conſuluit, aut ſi nullus ejus conſilia ſequi debet, male conſuluit, quod abſit vel cogitare.

113. Ad I. Argumentum ſecundæ claſſis reſpondet, quod in loco Deuteronomii non prohibetur, quin aliquis ſtatum mendicitatis, vel paupertatis aſſumat: ſed quia non ita derelinquetur ab eis, ut in talem ſtatum incidat, in quo eum oporteat de neceſſitate mendicare: & hoc patet per id, quod præcedit: *Civem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem*. —— Ex quo patet, quod ibi præcipitur miſericordia, non prohibetur mendicitas. Et hinc ad ſecundum dicit, locum illum intelligendum eſſe, quod juſti non quærunt panem ex neceſſitate, quaſi derelicti a Deo;

Digitized by Google

Deo; per quod tamen non excloditur, quin illi, qui ſunt juſti, voluntarie ſe poſſint exponere paupertati propter Chriſtum. Per quod etiam patet ad tertium, quia non eſt inconveniens, quod illud, quod alicui in pœnam infligitur, ab illo voluntarie aſſumptum in joſtitiam vertatur. Et quæſo an de malorum, & infelicium ſorte fuerint SS. Martyres, qui carceres malis paratos ſpontanea Chriſti confeſſione elegerunt. Et ſimiliter ad quartum reſpondendum, quod per iliam gloſſam prohibetur, quod aliquis non petat ex cupiditate, aliat gloſſa non concordaret textui: in textu enim dicitur: *ut nullius aliquid deſideretis*. Ex cupiditate autem quærunt, non qui neceſſaria victus & veſtitus petunt, ſed qui ultra hoc quærunt, unde divites fieri poſſint. Ex vanit igitur biſce argutiis minime infertur, voluntatiam mendicitatem propter Chriſtum a ſcripturis redargui. Hinc etiam patet ad id, quod ſexto loco objicitor ex S. Hieronymo; loquitur enim de petitione, & acceptione eorum, quæ ſunt ultra neceſſarium victum: ſcribit enim Nepotiano Pretbytero, qui de rebus mundi ſufficienter habebat ad vitam ſuſtentandam. S. Auguſtinus vero, cujus gloſſa argumento quinto abutuntur, per verba illa non prohibet mendicitatem voluntariam, ſed docet occaſionem neceſſariæ mendicitatis vitandam eſſe a pauperibus Chriſti, dum manibus laborant: quod patet per hoc, quod dicit: *ut non compellantur egeſtate neceſſaria petere*. Et ideo idem S. Pater loco ſeptimo inductus loquitur de illis, qui non ſolum petebant neceſſaria victus, ſed aliquid ultra ad divitias congregandas; nec habebant veram ſanctitatem, ſed ſimulatam: quod patet ex hoc, quod dicit: *quod exigebant ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis*: & hoc procul dubio reprehenſibile erat, atque in hoc ſenſu leges quoque civiles validos mendicantes ab oſtiis repellunt. Sed apage mihi collationem iniquiſſimam hujus furfuris hominum cum Servis Dei juxta ſpiritum Eccleſiæ, regulæque immaculatæ approbatorum a Sede Apoſtolica Ordinum paupertatem Chriſti cum fructu maximo Eccleſiæ profitentium.

114. Ad VIII. cum eodem S. Doctore dicendum, quod erubeſcentia ſemper eſt de turpi: turpe autem pulchro opponitur, unde ſecundum differentiam pulchri oportet accipere differentiam turpitudinis & ruboris. Eſt enim duplex pulchritudo; una ſpiritualis, quæ conſiſtit in debita ordinatione animæ, & affluentia bonorum ſpiritualium: unde omne, quod procedit ex defectu ſpiritualis boni, vel quod interiorem inordinationem oſtendit, turpitudinem habet. Alia eſt pulchritudo exterior, quæ conſiſtit in debita ordinatione corporis, & affluentia exteriorum rerum, quæ ad corpus ordinantur; & e converſo inordinatio corporis, vel defectos temporalium rerum exteriorem quandam turpitudinem habet. Et ſicut utraque pulchritudo delectat, & deſideratur, ita utraque turpitudo erubeſcentiam parit. Verecundatur enim aliquis de hoc, quod eſt pauper, vel de hoc, quod eſt corpore vitiatus, vel de hoc, quod eſt inſcius, vel inordinata geſſit. Quia igitur turpitudo interior ſemper eſt reprobanda, ideo omne, quod habet erubeſcentiam prædictæ turpitudinis, reprobandum eſt. Defectus autem exteriorum, vel turpitudo a Sanctis Viris contemnitur, & quandoque perfectionis ſtudio aſſumitur propter Chriſtum. Unde illud, quod habet erubeſcentiam illius turpitudinis, non ſemper eſt reprobandum; imo quandoque maxime laudatur, quando propter humilitatem aſſumitur. Mendicare autem habet erubeſcentiam huic ſecundæ turpitudini reſpondentem: quia omnis mendicans ſe pauperem oſtendit, & quodammodo ſe ſubjicit ei, a quo mendicat, quæ ad defectum exteriorem pertinent: unde mendicitas propter Chriſtum aſſumpta non ſolum non eſt reprobanda, ſed maxime laudanda.

115. Ad tertiæ claſſis ratiunculam I. reſpondet S. Doctor, quod quamvis Prædicatores de eleemoſynis vivant, non tamen ſequitur, quod adulentur. Quamvis enim qui ſine adulatione prædicant, non habeant gratiam apud malos, qui dicuntur homines carnales, habent tamen gratiam apud bonos, & ideo quandoque ſi ſine adulatione prædicant, coguntur defectus multos pati, quando ſcilicet in illos incidunt, apud quos ſine adulatione gratiam habere non poſſunt: quandoque autem ſine egeſtate ſunt, quando in illos incidunt, quorum ſine adulatione gratiam habent. Unde & Chriſtus hoſpitium quandoque habere non poterat, quandoque etiam invitabatur a multis, & mulieres, quæ eum ſequebantur, de ſuis facultatibus ei miniſtrabant, ut dicitur Lucæ 8. Ita etiam Apoſtoli quandoque multas penurias ſuſtinebant, quandoque autem abundabant, in utriuſque modeſte ſe habentes, ad Philipp. ult. *Scio & abundare & penuriam pati*. Et has etiam viciſſitudines pauperes Prædicatores noſtri temporis experiuntur multi.

116. Ad ſecundum dicit, quod Prædicatores non debent quærere temporalia quaſi ex principali intentione, ut in eis finem conſtituant; poſſunt tamen quærere ſecundario, ut ſuſtententur ad Evangelium prædicandum, quod primo quærere debent: Matth. 6. v. 36. *Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus*.

117. Ad tertium ex eodem S. Doctore reſpondemus, quod vivere de Evangelio poſſit contingere vel ex debito legalis juſtitiæ, vel ex debito juſtitiæ amicabilis; primo modo competit Prælatis vivere de illo, ſecundo modo Religioſis, qui non ſunt Prælati. Quando enim aliquis Prælatus alicui plebi præfertur, hoc modo ad invicem colligantur, quod ſubditi poſſunt a Prælato ſpiritualia petere, & Prælati a ſubditis temporalia; ſed ab aliis, qui non ſunt Prælati, non poſſunt ſubditi ſpiritualia exigere, nec e converſo ipſi poſſunt eos cogere ad ſolvendum temporalia, quamvis ex licentia Prælatorum ſpiritualia ſeminent; niſi forte quantum ad omnia Vicarii Prælatorum conſtituantur. Patet ergo, quod diverſimode accipiunt ſumptus pauperes, qui omnino nihil impendunt, & Religioſi, qui non ſunt Prælati, ſed prædicant de licentia Prælatorum, & Prælati; quia alii pauperes totaliter accipiunt gratis, unde in eis eſt pura mendicitas; ſed prædicantes, qui non ſunt Prælati, ſed prædicant de licentia Prælatorum, accipiunt ſicut mercedem debitam, unde habent poteſtatem accipiendi, quamvis non coactivam: Prælati autem etiam coactivam habent poteſtatem. Si autem ille, qui poteſt aliquid ex poteſtate accipere, petat non quaſi debitum, ſed quaſi omnino gratuitum, nulli facit injuriam, ſed in ſe *humilitatem* commendabilem reddit. Et per hoc patet reſponſio ad quartum. Prædicti enim Religioſi Prædicantes petunt quod eſt eis debitum per ſecundum modum juſtitiæ, quia debitum juſtitiam reſpicit; ſed in hoc commendabiliores ſunt, quia hoc, quod eſt debitum, ut gratuitum petunt.

118. Ad V. reſpondet, quod Prælati recipientes a populo decimas & oblationes, etſi ipſi ſolvant per ſe debito modo ſpiritualia ſeminando, poſſunt tamen ad majorem plebis utilitatem etiam alios cooperatores habere; unde nulla injuria fit plebi, ſi plus de temporalibus conferant, quam ſit ſtatutum, quando & plus de ſpirituali-

bus eis impenditur, quam Prælati teneantur; & præcipue ex quo non poteſtative accipitur, ſed humiliter & charitative petitur.

119. Nec valet dicere, quod Prælati mittentes aliquos ad prædicandum tenentur eis in neceſſariis providere, ut habetur extr. de Off. Ord. *inter cætera*; ſi ergo Prædicatores ab Epiſcopis miſſi ab aliis victum requirant, hoc in illorum gravamen cedit; & ita non debent ab aliis ſumptus petere.

120. Reſpondetur enim cum eodem S. Doctore, quod unuſquiſque renuntiare poteſt ei, quod ſibi debetur: unde etſi Prælati ex debito teneantur providere eis, quos mittunt ad prædicandum, poſſunt tamen, qui mittuntur, huic debito renuntiare. Nec tamen in hoc gravamen ingeritur illis, ad quos mittuntur, cum ab eis ultra neceſſaria victus non petant, nec etiam iſta exigant coactive, ſed caritative, prout unuſquiſque deſtinavit in corde ſuo, in hoc exemplum Apoſtoli imitantes 1. Corinth. cap. 8. & 9.

121. Ad VI. reſpondetur, quod hypocritæ propter hoc a Domino redarguuntur, quia per orationem, & alia, quæ ſuperſtitioſe agebant, ſolum intendebant ad quæſtum; hoc autem de aliquo judicare eſt temerarium, cum pertineat ad intentionem cordis. Et ego, niſi vehementer fallor, non memini me in aliqua Mendicantium Ordinum Regula a Sede Pontificia approbata ſimile quid Alumnis religioſis præſcriptum fuiſſe, ſimilia nimirum dicteria hominem cordatum terrent. Hinc patet ad id, quod ſeptimo loco calumniantur Pſeudo illi Magiſtri: quis enim audeat vel ſomniare, Religioſos Mendicantes vi ſui inſtituti in prædicatione Evangelii eam finalem intentionem habere, ut temporale lucrum inde capiant, quod eſſet ſimoniacum? cum potius ſublimiore intentione non ex debito, ſed ex charitate paſci prætendant, ut ſpiritualia ſeminare poſſint. Ex quo etiam ſoluta manet objectio octava; quamvis enim potuerit eſſe aliqua ſpecies mali accipere naſcente Eccleſia victum a gentibus, quibus fides prædicabatur, propter hoc, quod non erat eis conſuetum, ut ſupra dictum eſt; tamen nunc nulla ſpecies mali apparet, divulgata Evangelii doctrina, quæ hæc deberi evangelizantibus ordinavit, & præcipue illis, qui non quærunt ad ſuperfluitatem, ſed ad neceſſitatem.

122. Hæc igitur genuina Religioſorum præſertim Mendicantium imago eſt, ab humili, cordato, ſancto, ac ſummi ingenii Viro D. Thoma Aquinate nativis coloribus depicta, atque a maculis, quam eidem tum invidi Catholici, tum præjudiciis excæcati Hæretici aſpergere conati ſunt, & adhucdum conantur, plene expurgata. Puræ putæ igitur ſunt calumniæ, quas poſt allata hactenus principalia objectionum capita in ſuo male conſuto centone dicti Magiſtri attulerunt, & quas moderni Domini Proteſtantes ad nauſeam recoquunt, a S. *Doctore* opuſculo cit. non minore accuratione refutatæ, ad quod benevolum Lectorem remittimus, ne propoſitum præſentis opellæ in re domeſtica inſolita prolixitate tranſgrediamur. Illas fideliter retulimus N. 82. h. t. Exemplum autem ſibi datum a S. Thoma perdiſcent ex hactenus dictis Domini Adverſarii, quod non debeant in ſuis ſcriptis plurima velut ex tripode contra ſtatus ſpirituales Eccleſiæ Catholicæ definire, & definitionis ſuæ nullam rationem reddere, vel ſi reddant, eam ex moribus quorundam hos ſtatus profitentium emendicare, quemadmodum ſolemne habent; ſed vero ſyſtemate Cœtus fidelium ex ſanctionibus pragmaticis a Chriſto in Evangelio poſitis ſine præjudiciis comparato, tum demum videre, ſi quidquam in iis, quæ Romana Eccleſia, ſive in materia fidei, ſive morum approbavit, ex ratione ab hoc fonte petita reprehenſibile ſit. Si enim ex moribus multorum Chriſtianorum hac noſtra ætate, qua omnia præter avitam pietatem ad ſumma vix non perducuntur, dijudicanda eſſet Chriſtianæ Religionis innocentia & veritas, finiendo præſentem materiam Chriſtianus eſſe deſiſterem.

T I T U L U S XXXV.

De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.

1. PRæſens Titulus equidem ea ſolum complectitur, quæ Regulares ſive Monachos, ſive Canonicos in ſpecie concernunt, quapropter & *de ſtatu Monachorum & Canonicorum Regularium* inſcribitur; quæ Rubrica ſatis indicat, eundem eſſe generalioris tituli *de Regularibus, & tranſeuntibus ad Religionem* determinativum. Cum vero Præcedentis, & hujus, ſicut & tituli 33. libri V. *de privilegiis & exceſſibus Privilegiatorum* occaſione conſtituerimus dare Lectori benevolo juſtam, quantum pro modulo noſtro valemus, notitiam tam de Monachorum, quam Clericorum Congregationibus, eorumque Privilegiis, abſoluto de Monaſticis inſtitutis tractatu, de Clericorum & Canonicorum Regularium Congregationibus impræſentiarum agemus, de Privilegiis utrorumque titulo citato libri quinti tractatum inſtituturi.

§. I.

De Clericis & Canonicis Regularibus.

2. NE tamen in limine ipſo offendamus, Lectorique confuſam ideam ingeramus, probe neceſſarium cenſuimus diſtinctionem inter Collegia Clericorum, quæ in unum coaleſcunt, nec tamen vitam communem agunt; cujuſmodi hodie ſunt Capitula Cathedralium & collegiatarum Eccleſiarum; & inter illa, in quibus vita communis agitur, qualia ſunt, quæ hodie vocantur Congregationes Clericorum & Canonicorum Regularium. Vita vero communis a non communi in hoc præcipue ſecernitur, quod illi, qui priorem profitentur, e penu communi alantur & veſtiantur, ſeu non habeant in particulari ſibi aſſignatam portionem proventuum, ex quibus ſibi pro arbitrio victum & veſtitum comparare valeant; quales fuerunt primigenii Canonici Cathedrales ſub regula Chrodogangi vel Aquiſgranenſi viventes, & uſque in hodiernam diem Clerici & Canonici Regulares. Illi vero, qui poſteriorem agunt, proventus ſuos ſpeciales naneiſcantur, quorum œconomia neceſſitatibus ſuis providere poſſint. Quales ſunt moderni Canonici Cathedrales, & Collegiales. Patet vero ex terminis, quod quamvis vita communis hujuſcemodi Congregationum exigat abdicationem proprietatis cum rerum externarum, tum voluntatis, & caſtitatis cuſtodiam, nihilominus non exigere ex natura ſua, ut votis Deo factis iſta ſtabiliantur. In decurſu enim præſentis materiæ videbimus, Canonicos a S. Auguſtino in Africa conſtitutos, communem vitam agentes, votis enumeratis non fuiſſe adſtrictos; quamvis Caſtitatem ob ſuſceptos ſacros ordines, abdicationem proprii ob ipſam vitæ communis profeſſionem, ſicut & obedientiam ob eandem rationem ſet-

ſervare debuerint. Patet vero non minus, tria hæc a Clericalibus Congregationibus ſolemniter voveri poſſe; & hinc ortum habere diverſi illè Clericorum ſtatus, qui ab initio Eccleſiæ uſque ad moderna tempora floruerunt, in quibus Clerici primitivi ex communi penu Eccleſiæ ſportulas per diſpenſationem Epiſcopi quidem accipiebant, ſed communi domo menſaque non utebantur. Sub Auguſtini vero inſtitutis Sæc. V. militantes ita communi domo ac menſa utebantur, ut abdicatio omnis proprii ipſis imponeretur. At Clerici ſub regula Chrodogangi & Aquisgranensi communiter viventes ad hanc abdicationem non adigebantur Sæculo VIII. & IX. E contra dum eorum collapſa diſciplina Sæculo XI. reſtitueretur, ad expreſſam trium votorum emiſſionem adigebantur. Clerus vero Sæcularis tam Cathedralis, quam reliquus tam a communi menſa, ac domo, quam a diſpenſatione Epiſcoporum ſeparatus, viritim ſtabiles ſuſtentationis fundos acquireret. De quibus, ſicut & de militarium Ordinum præclariſſimis inſtitutis ordine Chronologico jam agendum.

3. Quemadmodum graſſantibus perſecutionibus nulla poterat eſſe Monachorum, vel ſacrarum Virginum, ita nec Clericorum in communi viventium Congregatio.

Non enim uſque adeo deſipiebant Rectores Eccleſiarum, inquit Thomaſſinus, ut florem delibatum Chriſtianæ Eccleſiæ unum in locum colligerent, objicerentque infidelium graſſationi. In ea ſiquidem monaſteria ſive collegia illico deſæviſſet Principum furor; nec tacuiſſet hiſtoria ruinas & clades diſſipatarum hujuſmodi congregationum. Non tamen negamus Chriſtum communem cum Apoſtolis ſuis vitam initiaſſe, duxiſſeque, eadem cum ipſis menſa, domoque, & contubernio uſum; Apoſtolos quoque & diſcipulos ejus, poſtquam ille in cœlos revolavit, communis vitæ vinculo copulatos veterioris ſæculis præluxiſſe; ſed id factum eſt ſolum Jeruſolymis, & modico tempore, nec poterat dici ſtricta clericalis vel monachalis congregatio, ut Titulo præcedenti jam advertimus, cum teſte S. Luca in Actis Apoſtolorum non Clerum duntaxat, ſed fideles etiam Laicos, & conjugatos, & mulierculas, pueroſque & innuptas puellas complecteretur, qui communi menſæ certe non accumbebant, nec ſub eodem tecto morabantur.

4. Itaque primis Eccleſiæ Sæculis Clerus mediam quodammodo vitam inter modernum Clerum ſæcularem & regularem ducebat.

Imprimis enim ex dictis libro primo Titulis de officio Archidiaconi, & Archipresbyteri conſtat, Clerum Cathedralium Eccleſiarum Collegium, ſeu ut nunc dicimus Capitulum, cum ſuo Epiſcopo conſtituiſſe, cujus conſilio, opeque Eccleſiam ille ſive diœceſim gubernabat, unde in Concilio œcumenico Epheſino plures extant Cyrilli Alexandrini Epiſcopi Epiſtolæ ſcriptæ *ad Presbyteros & Diaconos*, id eſt ad Clerum ſive Capitulum Alexandrinæ civitatis. Et ipſa Synodus Epheſina ſcribit *Presbyteris, œconomis, aliiſque Clericis Conſtantinopolitanis &c.* Patet etiam ex ibidem dictis, quod ruri ſubinde degerent plures Presbyteri ſub inſpectione ſenioris vel Chorepiſcopi Plebem ruſticam verbo divino paſcentes. Hic tamen Clerus Cathedralis non utebatur communi menſa vel domo, ſed ſeparatim vivebat, uti vidimus hoc libro Titulo 2. *de Cohabitatione Clericorum & mulierum*, ubi annotavimus, a Concilio Nicæno vetitum fuiſſe Epiſcopis, Presbyteris, & aliis Clericis, ne ſubintroductas haberent fœminas, tales enim habere non potuiſſent, ſi in congregatione aliqua communem vitam duxiſſent. Vidimus præterea in Titulo de præbendis eodem hoc libro, eoſdem Clericos ſive Cathedrales, ſive rurales non habuiſſe peculiares aliquos fundos ſuæ ſuſtentationis, quorum diſpoſitio ad illos pertineret, quemadmodum nunc habent Canonici aliique beneficiati, ſed ab Epiſcopo ex communibus proventibus Eccleſiæ unicuique, prout opus habebat, diſtributum fuiſſe, unde & a S. Cypriano *Fratres ſportulantes* vocati ſunt. Ex quo patet eos mediam vivendi rationem inter modernum Clerum ſæcularem, & regularem iniviſſe.

5. Sæculo V. Sanctus Auguſtinus primus Clericorum congregationes inſtituit.

Eundem S. Patrem Monachorum primum, deinde Clericorum Regularium Patrem fuiſſe colligitur ex Poſſidio Calamenſi Epiſcopo in ejus vita. De primo enim ita ſcribit c. 5. *Factus Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei Servis vivere cœpit ſecundum modum & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam.* Secundum vero eruitur ex ejuſdem S. Patris ſermone 49. de diverſis, ubi ita diſſerit: *Dedit mihi Valerius hortum illum, in quo nunc eſt Monaſterium. Perveni ad Epiſcopatum, vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſve venientibus ſive tranſeuntibus; quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus diceret. Si autem conſuetudo iſta in Monaſterio permiſſa eſſet, indecens eſſet. Et ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum Monaſterium Clericorum.* Ex quo patet diſtinctum fuiſſe Monaſterium Monachorum a Monaſterio Clericorum S. Auguſtini. Quod autem hi Clerici in perfecta communitate, hoc eſt ſine proprio vixerint, ex ſermone 50. eruitur, ubi ait: *Modo quia placuit illis hæc ſocialis vita, quiſquis cum hypocriſi vixerit, quiſquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat teſtamentum, ſed delebo illum de Tabula Clericorum.* Statuiſſe præterea S. Auguſtinum nullum ordinare Clericum, qui non profiteretur communem eam vitam, quam inſtituerat, in præcitato ſermone 49. fatetur, dicens: *Certe ego ſum, qui ſtatueram, ſicut noſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere: ut ſi vellet diſcedere a propoſito, recte illi tollerem Clericatum, quia deſereret ſanctæ ſocietatis promiſſum, cœptumque propoſitum.* Et infra: *Profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter vivendi ſocietatem: ſi ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit.* Ex quo patet Clericos illos profeſſione ſe ſe ad hoc vitæ genus obſtringere debuiſſe, in quo cum paupertas, caſtitas, & obedientia colerentur, ad hæc tria ſe implicite obligaſſe. Eundem vero S. Patrem primum eſſe Fundatorem Congregationis Clericorum puræ & impermixtæ ex eo eruitur, quod ante ipſum Euſebius Vercellenſis in Occidente, Baſilius item, & S. Epiphanius in Oriente pura & impermixta Clericorum Seminaria haud inſtituerint; ſed in Cathedralibus ſuis Eccleſiis Clericatum cum monaſticæ vitæ & auſteritatis toto rigore copulaverint. De Euſebio ſiquidem teſtatur S. Ambroſius: *In Eccleſia Vercellenſi duo pariter exigi videntur ab Epiſcopo; monaſterii continentia, & diſciplina Eccleſiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diverſa inter ſe* (ſoli enim contemplationi & manuum labori, adeoque ſibi tantum vacabant tum Monachi; Clerici vero animarum curæ) *Euſebius S. Memoriæ conjunxit, ut & in civitate poſitus inſtituta Monachorum teneret, & Eccleſiam regeret jejunii ſobrietate.* Ep. 82. & Infra: *Euſebius prior levavit vexillum confeſſionis. Hæc patientia in S. Euſebio Monaſterii coaluit uſu, & durioris obſervationis conſuetudine hauſit laborum tolerantiam.* Cujus rigoris nec S. Auguſtinus, nec S. Poſſidius uſpiam meminere, dum

de ſuis congregationibus verba faciant, ſolam communem vitam & paupertatis profeſſionem commemorantes. Quod S. Baſilium attinet, memorat ille quidem alicubi Canonicos in Cœnobio degentes: ſed de cœnobiis illis ſermo eſt, ſeu de Monachis communem adgregatis ad vitam, cum cæteri Monachi ſoli & alii ab aliis disjuncti agerent. Unde & in Conſtitutionibus Monaſticis de his verba facit S. Pater, ubi & duas has Monachorum ſpecies diligenter ſecernit, & utriuſque præceptiones longe pulcherrime accommodat. *Conſtit. Monaſt.* c. 18. Illos autem vocat *Canonicos*, tanquam diligentiſſimos Regulæ, quæ *Canon* dicitur, diſcipulos. Diſciplinam & mores Eccleſiæ Catholicæ ſui ævi elegantiſſime expreſſit Epiphanius in eo, quem edidit tractatu *de expoſitione Fidei Catholicæ*. Docet porro ſubdiaconatum & quoslibet ſacros Ordines iis demum conferri ſolitos, qui virginitatem coluiſſent, & integritatem carnis, vel certe *Monachis*, vel certe iis, qui ſuperſtite conjuge, vel extincta continentiam ſervarent; ex quo colligitur, id in more fuiſſe Orientalibus in Eccleſiis, ut ſanctiſſimi quique Monachi Monaſteriis abducerentur ſuis, & ad Ordines ſacros dignitateſque Cleri attollerentur. Præterea, quod nulla ævo Epiphanii Clericorum fuerint Collegia, ſi enim extitiſſent, ea certe Epiphanius ſilentio haud præteriviſſet.

6. Pulcherrimum hoc S. Auguſtini inſtitutum in Africa equidem magno zelo propagatum fuit; an autem alias Regiones pervaſerit, incertum eſt; quin non diu in Africa perſeveraſſe veroſimillimum.

Poſſidium Sanctumque Alipium Auguſtini in Africa Collegas ad imitationem ejuſdem Clericorum Seminaria & Monachorum Monaſteria in ſuis Diœceſibus erexiſſe hiſtorica produnt monumenta. Ad Alipium ſcribens S. Paulinus hæc habet: *Noſtris ſalutentur invicem obſequiis, & in Clero ſanctitatis tuæ Comites, & in Monaſteriis fidei & virtutis tuæ æmulatores. Nam etſi in populis, & ſupra populum agas, tamen abdicatione ſæculi, ac repulſa carnis & ſanguinis, deſertum tibi ipſe fecisti, ſecretus a multis, vocatus in paucis.*

Quantum ad ſecundum membrum, quamvis & in Hiſpania & in Gallia occurrant Seminariorum Clericalium exempla, ea tamen ab Auguſtinianis in Africa Collegiis erant oppido diverſa; vel enim ex Clero Cathedrali communi menſa domoque non utente, ſed ex Canone, ſeu ex reditibus Eccleſiæ individuas ſportulas reportante conflabantur; vel gratia juventutis in Clerum erudiendæ aptandæque erant erecta; qualia memorantur in Hiſpania a Concilio Toletano VI. vel ex Clericis conſtabant, qui in eodem cum Epiſcopo conclavi verſantes morum ejus integritatis, ac imprimis caſtitatis illibatæ erant ſpeculatores, teſtes, ac ab obtrectationibus turbæ vindices; quos ſi forte infirmitas aut ætatis gravitas in conclavi Epiſcopi manere non ſineret, eandem ſocietatem relinquere poſſent, ac ſeparatim vivere cum aliquibus vitæ ſuæ teſtibus; uti habet idem Toletanum Concilium, & in Gallia Concilium Turonenſe 2. can. 12. Quos Clericos Syncellos dictos, iiſque Epiſcopos tum Orientis, tum Occidentis uſos fuiſſe probavimus lib. 1. Tit. 25. N. 11. vel denique ſacri hi conventus ex Epiſcopis & Monachis conſtituebantur, quem vivendi modum in Angliam hortante S. Gregorio hac ætate invexit S. Auguſtinus Anglorum Epiſcopus, cui Sanctiſſimus Pontifex in optione reliquit, ut Clerum in majoribus Ordinibus conſtitutum vel Monaſterii diſciplina, in qua inſtitutus ipſe fuerat, imbueret, vel naſcentis primum Eccleſiæ mores æmularetur, id quod in Africa fecit Auguſtinus. Verba ejus apud Bedam libro 1. c. 27. ſic ſonant: *Mos Sedis Apoſtolicæ eſt, ordinatis Epiſcopis in præcepto tradere, ut in omni ſtipendio, quod accedit, quatuor debeant fieri portiones &c. Sed quia fraternitas tua Monaſterii regulis erudita ſeorſim fieri non debet a Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, hanc debet converſationem inſtituere, quæ initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia. Si qui vero ſunt Clerici extra ſacros Ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent, & ſtipendia ſua exterius accipere.* Quo inſigni teſtimonio Summi Pontificis manifeſte edocemur, vitam communem Clericorum in Eccleſia Occidentali in more non fuiſſe his ſæculis, quamvis non negemus eam ſubinde in quibuſdam Hiſpaniæ Galliæque diœceſibus excitatam fuiſſe, ut teſtatur Thomaſſinus ex S. Gregorio Turonenſi hiſt. libro 10. ubi de Euphronio ſuo anteceſſore ait: *Hic inſtituit menſam Canonicorum*. Sed ipſa hæc vita Monachiſmum ſpirabat; & in Anglia quidem ita rem ſe habuiſſe ex Ven. Beda L. 4. c. 27. diſcimus, ubi ait: *Siquidem in temporibus antiquis in inſula Lindiſfarnenſium Epiſcopus cum Clero, & Abbas ſolebat manere cum Monachis, qui tamen & ipſi ad curam Epiſcopi familiariter pertinerent. Quia nimirum Aidan, qui primus ejus loci Epiſcopus fuit, cum Monachis illius, & ipſe Monachus adveniens, Monachicam in ea converſationem inſtituit, quomodo & prius B. Pater Auguſtinus in Cantia feciſſe noſcitur, ſcribente ei Reverendiſſimo Papa Gregorio* id quod ſupra poſuimus. Et in vita S. Gundberti c. 16. *Una eademque habitatio utroſque ſimul tenet &c. omnes loci ipſius Antiſtites uſque hodie ſic Epiſcopale exercent officium, ut regente Monaſterium Abbate omnes Presbyteri, Diaconi, Cantores, Lectores, cæterique Gradus Eccleſiaſtici Monachicam per omnia cum Epiſcopo regulam ſervent*. Nimirum S. Benedicti.

Quod tertium membrum attinet, nullum fere dubium, quod Wandalorum inundatio & diutina infeſtatio, quæ poſt fata S. Auguſtini contigit, præclaram ſpem interceperit propagandæ latius diutiuſque purioris Eccleſiarum diſciplinæ. An vero S. Auguſtini inſtitutum per Gelaſium I. ad finem Sæculi V. Europæ invectum, & Romæ in Lateranenſi Baſilica excultum, ac inde in alias regiones uſque ad moderna tempora propagatum fuerit, quæſtio eſt, quæ ſuperioribus annis magnopere colliſit viros doctiſſimos ſacerrimorum Ordinum Benedictinorum, & Canonicorum Regularium S. P. Auguſtini in Germania de præcedentia ex Titulo antiquitatis contendentes. Affirmant idipſum Canonici Regulares, ſuamque ſententiam muniunt approbatione Pii IV. in Bulla in favorem ſuum contra Monachos Benedictinos Caſſinenſes expedita Romæ 18. Jan. 1564. atque ex eo, quod ejuſdem narrationis veritas Breviario Canonicorum Regularium Lateranenſium a Pio V. approbato inſerta reperiatur. Negant vero pernegantque Patres Benedictini, contenduntque S. Benedictum, poſtquam conſtructo Caſſinenſi Monaſterio interfuerat Lateranenſi Concilio ſive Romano A. 530. a Bonifacio II. vocatum, & exoratum Monachorum coloniis inſtruxiſſe omnis urbis Eccleſias, & inter illas Lateranenſem incoluiſſe, poſtea vero illi præfeciſſe ex diſcipulis ſuis Abbatem Valentinianum tempore S. Gregorii M. vita ſancte functum. Id quod confirmant ex lib. 2. dial. ejuſdem Summi Pontificis, ubi in principio ait: *Hujus* (S. Benedicti) *ego omnia geſta non didici, ſed pauca, quæ narro, quatuor diſcipulis ejus referentibus agnovi, Conſtantino ſcilicet Reverendiſſimo valde Viro, qui et in monaſterii* (Caſſinenſis) *regimine*

ſuc-

ſucceſſit, *Valentiniana quoque*, *qui annis multis* Lateranenſi Monaſterio *præfuit*. Quam Lateranenſem Eccleſiam juxta Mabill. in apologia tenuiſſe Ordinem Benedictinum aſſerunt annis 500. ſeu uſque circa medium Sæculi XI. ubi ajunt Lateranenſi Eccleſiæ Clericos Lucenſes ſub regula Chrodogangi vel Aquiſgranenſi vitam communem profitentes ab Alexandro II. invectos fuiſſe; eoſque ibi perduraſſe uſque ad Bonifacii VIII. A. 1294. in Papam electi tempora, nec tamen Benedictinos eliminatos, cum Innocentius II. A. 1130. electus Pontifex Benedictinus Lateranenſis aſſeratur a Baronio ex monumento in Archivo tituli S. Praxedis accepto. Bonifacium deinde VIII. tandem Canonicos ſæculares in eam Eccleſiam invexiſſe. At Eugenium IV. electum A. 1431. in eandem reintroduxiſſe Canonicos Regulares authore Jacobo de Bergamo Ordinis Prædicatorum A. 1400. inſtitutos, Friſionarios, ac Frigionarios dictos, vagos primum, ac ſub multiplici habitus forma ſæpius immutata, Canonicis regularibus tandem deputatos, & conſequenter, qui modo dicuntur Lateranenſes, a Frigionariis non differre, ex variis authoribus adſtruere conantur. Quos A. 1447. Canonicis ſæcularibus locum rurſum cedere coactos aſſerunt. Verum Paulum II. Papam electum A. 1464. Canonicos Regulares ſæcularibus immiſcuiſſe, quos tamen Sixtus IV. Anno 1471. electus rurſus exiſſe juſſerit, & conſequenter in Eccleſiam ſibi aſſignatam, cui a pace nomen erat, ſe ſe recipere coactos, atque abinde ſe Canonicos Congregationis Lateranenſis nominaſſe ex iiſdem perhibent. Qui primum ſub Leone X. abjecto caputio & cappa nigra cum ſuis Rochetis, ſive camiſiis albis, & Birettis, Benedictinis id non curantibus, in Proceſſionibus tanquam ultimi in Clero ſæculari proceſſerint, in ſuis tamen Monaſteriis & Eccleſiis, ac per vias publicas caputium & nigram cappam adhuc deferentes ex Maſt. Galeſio. Hæc hiſtorice referre ſuſcepti operis poſtulabat ratio, critice vero diſcutere me prohibet tum ſacræ congregationis interdictum, annis ſuperioribus emanatum, quo vetatur ne quis ad alterutram opinionem quocunque prætextu *ventilandam*, vel minimam lucubrationem aut ſcriptionem quamcunque in lucem deinceps emittere præſumat, tum profunda mea erga utrumque ſacerrimum Ordinem veneratio. Quem monumenta utriuſque partis expendere curioſitas invaderet, legat pro parte Canonicorum Lateranenſium S. P. Auguſtini Commentariſtam in ejuſdem Regulam, alioſque; pro parte vero Benedictinorum Doctiſſimum Mabillonium in Apologia pro Benedictinis, & Benedicti Stolte tractatum hiſtorico-juridicum de hac materia &c.

7. Iiſdem Sæculis VI. & VII. Clerum Capitularem in Eccleſia Græca Conſtantinopoli & in aliis Eccleſiis Cathedralibus extitiſſe certum eſt; qui tamen eam vivendi rationem, quam modo in Eccleſia Latina profitentur Clerici vel Canonici regulares, non adoptavit.

Prima pars conſtat ex Novell. 3. 6. & 15. Juſtiniani, ubi in Conſtantinopolitana majori Eccleſia enumerantur Presbyteri 60. Diaconi 140. Diaconiſſæ 40. Subdiaconi 90. Lectores 100. atque ita Clerici 425. per quos in Eccleſia majori, atque in aliis divina celebrabantur officia. Item ex Synodo Trullana can. 16. qua novo munitur vigore Novella Juſtiniani & conſuetudo non paucarum, nec ignobilium Eccleſiarum, ubi plures eſſent quam ſeptem Diaconi.

Secunda vero pars ex ipſa Eccleſiæ Orientalis diſciplina, qua Clero connubia permittebantur, in apricum ponitur, de qua jam alibi verba fecimus. Nec credendum eſt Diaconiſſas Clero in eadem domo & menſa commixtas fuiſſe. Ex facultatibus itaque Eccleſiæ portiones & diſtributiones viritim trahebant illi Capitulares. Unde in Conſtitutione Heraclii Imperatoris legimus: *Adeo quidem, ut inde diariarum quantitas, quæ ipſis* (Clericis Cathedralibus) *datur, magnopere excreſcat*.

8. Sæculo VIII. Clerus in Occidente in unam ſocietatem, communemque vitam ſub certa regula congregari cœpit.

Hujus vitæ regulæque ſub Pipino Francorum Rege in Galliis Author fuit Chrodogangus Metenſis Epiſcopus, de quo Paulus Diaconus in fragmento de Metenſibus Epiſcopis (apud Duſchenium hiſtoriæ Francorum Tomo 2.) teſtatur: *Vir egregius, & omnibus præconiis efferendus Chrodegangus Antiſtes —— Clerum adunavit, & ad inſtar Cœnobii intra Clauſtrorum ſepta converſari fecit, normamque eis inſtituit, qualiter in Eccleſia militare deberent. -- Ipſumque Clerum abundanter lege divina, humanaque imbutum Cantilena, morem atque Ordinem Romanæ Eccleſiæ ſervare præcepit. Quod uſque ad id tempus in Metenſi Eccleſia factum minime fuit*. Hanc regulam ex Veteri MSS. Vaticanæ Bibliothecæ cum Andegavenſi & Fiſcanenſi collato edidit P. Labbeus Tomo 8. Conciliorum. Triginta quatuor duntaxat conſtat capitibus, & ſincera eſt procul dubio Chrodogangi regula; in ſpicilegio Lucæ Dacherii 86. capitibus conſtat, ſed hæc ab Anonymo interpolata eſt, aſſutis ex Concilio Aquiſgranenſi plurimis additamentis. Cæterum hanc regulam ex Sacris canonibus, atque magna ex parte ex regula S. Benedicti contexuit Chrodogangus. Notandum nihilominus ante Chrodogangum Canonicam Religionem in Rhemenſi Clero S. Rigobertum reſtituiſſe, & eorum uſibus *ærarium commune* ſtatuiſſe, ut teſtatur Flodoardus lib. 2. cap. 11. ſed Regulam hic Rigobertus nullam dederat.

9 Quamquam autem ſolis Canonicis Metenſibus data ſit primum a Chrodogango hæc Regula, ab aliarum tamen diœceſum, quæ Regum Chriſtianorum parebant imperio, Clericis octavo & nono ſæculo ſuſcepta eſt, & ſervata nonnullis cum additionibus.

Propoſitio conſtabit ex dicendis.

10. Itaque ſub Carolo M. ſeu Sæculo IX. præter Monachos duplicis generis capitula Canonicorum extiterunt: nimirum alia, quæ ſub Epiſcopis egerunt in Eccleſiis Cathedralibus; alia ſub Abbatibus, ubi & vitæ communi, & regulæ Canonicorum inſervirent.

Hanc propoſitionem doctiſſimus Thomaſſinus tribus documentis ex Concilio Turonenſi III. A. 813. roborat; canone enim 23. dicitur: *Canonici & Clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur, conſideravimus, ut in clauſtris habitantes ſimul omnes in uno dormitorio dormiant, ſimulque in uno reficiantur refectorio, quo facilius poſſint ad horas canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & converſatione ſua admoneri & doceri: victum ac veſtimentum juxta facultatem Epiſcopi accipiant, ne paupertatis occaſione per diverſa vagari cogantur*. En Canonicos Epiſcopales! Canone ſequenti delineantur Canonici, qui ſub Abbatis imperio merebant: *Simili modo & Abbates Monaſteriorum, in quibus canonica vita antiquitus fuit, vel nunc videtur eſſe, ſollicite ſuis provideant Canonicis, ut habeant Clauſtra & dormitoria, in quibus ſimul dormiant, ſimulque reficiantur; horas canonicas cuſtodiant, victum & veſtitum, juxta quod poteſt* Abbas, *habeant, quo facilius ad Dei ſervitium poſſint conſtringi: ſintque Abbates ſibi ſubditis bene vivendo duces & prævii &c.* Canone deinque proximo deſcribuntur Monachi regulam S. Benedicti profeſſi: *Monaſteria Monachorum, in quibus olim regula Patris Benedicti conſervabatur*

&c. Diſtabant itaque hi Canonici hoc uno capitali diſcrimine, quod alii Epiſcopo, alii Abbati immediate ſubjicerentur: illi *civitatem* vel *domum ipſam Epiſcopalem* incolerent; *Canonici & Clerici civitatum, qui in Epiſcopiis converſantur &c.* hi *extra civitates*, ſaltem extra Epiſcopales ædes domicilia nacti ſint.

11. Veroſimillimum autem eſt, hæc poſteriorum Canonicorum Capitula quondam fuiſſe Monachorum Cœnobia ſub regulis S. Columbani, Cæſarii, Aureliani, Benedicti, aliorumque, qui relaxata diſciplinæ fibula cœperint Clericorum potius agere vitam, quam Monachorum, eo præſertim tempore, quo ea nomina indiſcriminatim cœpta ſunt uſurpari: tandemque, cum Pipinus & Carolus M. aggreſſi ſunt Eccleſiaſticos Conventus omnes ſanctiori vindicare formæ & diſciplinæ, optionem his factam eſſe alterutrius Regulæ lectandæ vel Chrodogangi, vel S. Benedicti, dum ab ea, quam eſſent complexi, tantillum ne declinarent.

Hanc conjecturam idem doctiſ. Thomaſſinus ex eodem Concilio Turonenſi probat, cujus Can. 25. ita ſonat: *Monaſteria, in quibus regula B. Benedicti penitus abolita negligitur &c. aliqua ſunt, in quibus pauci Monachi, qui prædicti Patris regulam ſuis Abbatibus promiſſam habeant, quippe cum ipſi Abbates magis canonice, quam monachice inter ſuos converſari videntur.* 2. ex epiſtola Caroli M. ad Albinum tom. *1.* Capitul. Baluz. in qua exprobrat piiſſimus Imperator Monachis S. Martini ſequentia: *aliquando enim Monachos, aliquando Canonicos, aliquando neutrum vos eſſe dicebatis.* 3. ex Concilio Verno, ubi dicitur: *Placuit, ut in Monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi ſub Ordine Canonico.* Eandem illis optionis copiam fecit Carolus M. in Aquiſgranenſi Capitulari: *Illi Clerici*, inquiens, *qui ſe fingunt habitu vel nomine Monachos, & non ſunt, corrigendi omnimodis videntur, ut vel veri Monachi ſint, vel veri Canonici.* Pergit Thomaſſinus, nec illud oſcitanter expendendum eſt, parum hic anxios fuiſſe Imperatores & Conciliorum Præſules de vera & prima cujuſque Monaſterii origine detegenda, an ab exordio Monaſtica ibi viguerint inſtituta. Ubique aſſentiri videntur, præſtabilius eſſe, ut boni habeantur Clerici, quam mali Monachi. Quibus ita præſtitutis, nemo ſtupebit, ſi ad Clericorum quoque Conventus, & *Monaſteriorum*, & *Abbatum* vocabula defluxerint.

12. Utriuſque generis Canonici ſub eadem Regula vel Chrodogangi, vel Aquiſgranenſi vivebant.

Id conſtat ex Concilio Meldenſi A. 845. can. 53. *Ut Canonici in civitate, vel Monaſteriis, ſicut conſtitutum eſt, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & tam ſani, quam infirmi canonice veſtiantur, atque in Clauſtris horis congruis degant, & ſub cuſtodia Canonica lectionibus & ceteris divinæ inſtitutionis inſiſtant officiis.* Id quod præſcribit Regula Chrodogangi A. 789. in Concilio Aquiſgranenſi, & in Moguntino A. 813. Clericis obſervanda præſcripta, poſt quam teſte Ademato A. 816. ad mandatum Ludovici Imperatoris regula quædam ex SS. PP. ſcriptis per Amalarium Diaconum excerpta in altero Concilio Aquiſgranenſi approbata, data eſt Canonicis obſervanda; & eſt eadem propemodum atque Regula Chrodogangi, ipſiſſima enim verba Regulæ Chrodogangi Concilio iſti Aquiſgranenſi a cap. 115. uſque ad cap. 125. inſerta reperiuntur.

13. Neutri hi Canonici voto paupertatis erant adſtricti per Regulam Chrodogangi, aut illam Aquiſgranenſem; adeoque non fuerunt Canonici proprie regulares.

Primam partem evincunt ipſa verba Regulæ cap. 32. ubi ſtatuitur: *Ut ſi aliquis uni Sacerdoti pro Miſſa ſua, vel pro Confeſſione, aut pro infirmitate, ſeu pro qualibet charo ſuo, aut vivente, aut mortuo, aliquid in eleemoſynam dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, & inde quod voluerit faciat.* Itemque capite 31. *Ut qui in Congregationem Canonicorum recipi voluerit, facultates ſuas Eccleſiæ S. Pauli ſolemni donationis inſtrumento tradat, facta tamen, ſi voluerit, precaria, ut quamdiu vixerit, uſum fructuum percipiat.* Quæ capita in Regula Aquiſgranenſi reperiuntur exſcripta l. mox citato. Unde juxta additionem 3. ad Capitularia cap. 112. Canonici beneficia Eccleſiaſtica habere poterant, ſed tum nulla ſtipendia ex communi Congregationis ærario recipiebant. Et ex cap. 113. ejuſdem additionis non tenebantur ſe Patrimonio abdicare, ſed in illo caſu pariter nullo ſtipendio donabantur. Ex quibus etiam patet, tum, quemadmodum nunc Canonicos Regulares, ex illis quoque Canonicis alios inſerviiſſe choro, alios curæ animarum. Sæculo enim IX. omnes Clerici Canonicorum Regulæ ſubditi fuere, & vitæ communi, ubi poſſibile fuerat, in Eccleſia præſertim Gallicana, & Germanica.

Ex his patet ſecunda pars, moderni enim Canonici Regulares paupertatem ſolemniter vovent.

14. Vita hæc communis, quam Sæculo VIII. & IX. omnes pene Clerici profitebantur in Capitulis tum Cathedralibus, tum Abbatialibus, ſequenti Sæculo paulatim deflorere cœpit, donec plene aboliretur; in Capitulis vero ſub cura Abbatum conſtitutis pariter non amplius perſeverat ſub Regula Chrodogangi vel Aquiſgranenſi.

Primam propoſitionis partem ſufficienter jam expoſuimus hoc libro Titulo quinto de Præbendis N. 23. & ſeqq. & videri poteſt infra N. 59. teſtimonium Ivonis.

Secunda vero inde patet, quod modo non habeamus alios Canonicos præter eos S. Auguſtini ac Præmonſtratenſes, tribus votis ſolemnibus adſtrictos. Priores ajunt Patres Benedictini in Controverſia ſuperius N. 6. citata eſſe reliquias illorum poſteriorum Sæculo XI. reformatorum, ac per omnes Occidentis Regiones longe lateque propagatorum, qui ſucceſſive abdicata Chrodogangi, aut alia Canonica Regula, Regulam S. Auguſtini pro Monialibus ſcriptam ſibi adaptaverint, Religioſam vitam per emiſſionem trium votorum amplectentes; illi vero legitimam ſui per diſcipulos S. Auguſtini ininterruptamque propagationem ad moderna uſque tempora pro virili tuentur. De qua Controverſia ventilanda jam omnibus ſuperſedendum eſt, ut ibi annotavimus.

15. Communis Clericorum vita, a SS. Apoſtolis inſtituta, ac per S. Auguſtinum propagata, ſub Caroli vero M. & Ludovici Pii imperio reſtituta, decimo denique ſæculo collapſa, undecimo & ſequentibus ſæculis Viris Religioſis ac ſanctis agentibus florentior ſurrexit, ac propagata eſt per varias Congregationes.

Divinum hoc opus reformationis Canonicorum decreverant Nicolaus II. & Alexander II. Pontifices Max. An. 1059. & 1063. in Synodis Romanis de vita communi Clericorum Canonem edentes; quo quidem perfectam peculii abdicationem Profeſſoribus hujus vitæ non imperarunt, ſed ſuaſerunt duntaxat.

16. Primus itaque in Italia fuit B. Petrus de Honeſtis, peccatoris ſibi nomen indens, qui ad votum horum Pontificum opus ſanctæ reformationis non tantum incepit in Eccleſia S. Mariæ in portu in agro Ravennate, ubi Canonicis, quibus præerat, ſcripſit Regulam tam ex SS. Patrum authoritate, quam Religioſorum Virorum exemplis & morum honeſtate conceptam; verum etiam Canonicos ad abdicationem omnis proprii adſtrinxit.

Id

Id teſtator Paſchalis II. qui illam Regulam coofirmavit 12. Kal. Januarii 1115. Quem qoi confuderunt, ioqoit Nat. Alex. *hiſt. Eccl. Sæc.* 11. c. 7. Art. 7. cum B. Petro Damiani, & Portuenſes conſtitutiones ab ipſo editas Regulam Damianam appellarunt, fœde hallucinati ſunt. Contra hunc errorem legendi Hieronymus Rubeus *lib.* 5. *hiſt. Ravennat.* & Bennonus *lib.* 2. *hiſt. tripartita cap.* 48. Portuenſis Eccleſiæ Regulam in Eccleſiam Eugubinam intulit S. Ubaldus Caoonicorum Regularium ibidem Prior, ac Eugubinos paulo poſt Epiſcopus. Eundem B. Petrum de Honeſtis æmulati ſunt Canonici S. Frigidani, Lucenſes, Lateranenſes, & Mortarienſes S. Crucis Caoonici, quæ Eccleſiæ celeberrimarum Congregationum capita progreſſu temporis evaſeront.

17. Sæculi XI. initio, adeoque uno Sæcolo ante Congregationem Portuenſem, celebris quoque erat Canonicæ Regulæ obſervantia Abbatia S. Rufi extra muros Avenionenſes, quæ ad Albigenſium uſque tempora ſtetit, quorum furore everſa Valentiam tranſlata eſt A. 1210.

Hujus Monaſterii Paſchali II. ſummo Pontifice Abbas erat S. Oldegarius, qui Barcinonenſis poſtea Epiſcopus, ac deinde Archiepiſcopus Tarraconenſis, ac Legatus Apoſtolicus, Caoonicorum Regularium inſtitutum in Hiſpaniam provexit. Vide Anſelmum Havelburgenſem lib. 1. dial. c. 11. Fundata eſt hæc Congregatio ab Arnoldo, Odilone, Pontio, & Durando zeloſis Eccleſiæ iſtius Cathedralis Canonicis, Benedicto I. Avenionenſi Epiſcopo Abbatiam S. Rufi eis donante An. 1030. ubi prænominati quatuor Canonici vitæ communi antiquorum Canonicorum ſub regola vel Chrodogangi vel Aquiſgranenſi degentium addiderunt promiſſionem trium Religionis votorum ad exemplum Monachorum, onde & *Regulares* cœperunt dici, teſte Mabillonio in Apol. ſol. 14. ubi aſſerit eos non vixiſſe ſub regula S. Auguſtini.

18. Anno 1135. S. Gilbertos Sempringamenſis Ordinem Canonicorum Regularium in Anglia renovavit, qoi ab ipſo eo in regno Ordo Gilbertinorum, & Sempringamenſis nuncupatus eſt.

Ejus elogium contexuit Wilhelmus Neoburgenſis ſuppar auctor *lib.* 1. *cap.* 16. ejuſque ſpiritum a S. Bernardo probatum fuiſſe tradit. Ordinis vero ab eo condiri innocentiam a fœdis calumniis, quibus impetebator, vindicavit Wilhelmus Norvicenſis Epiſcopus ab Alexaodro III. ad inquirendum in cauſa delegatus.

19. Ante Gilbertum ſeo ad Sæcoli XI. finem Caoonicorum Regularium Ordinem in Gallia reſtituit S. Ivo Carnotenſis Epiſcopus.

Id teſtantur Sigebertus *in Chronico ad Annum* 1078. Vincentius Bellovacenſis *in ſpeculo hiſtoriali*, & S. Antoninus *Chronici parte* 2. *tit.* 15. *cap.* 16. Eccleſia S. Quintini, cojus tum erat Præpoſitus Ivo, illuſtre fuit Sanctæ reformationis ſeminarium. Neminem Clericorum a communi viſa excipi, nec civilis, nec ſuburbanæ Eccleſiæ Presbyterum, prolatis Sanctorum Clementis, & Urbani Pontificum apocryphis decretalibus aſſerit Ivo *ep.* 213. *Quod vero*, inquit, *communis vita in omnibus Eccleſiis pene defecit, tàm civilibus, quam diæceſanis, non auctoritati, ſed deſuetudini & defectui adſcribendum eſt, refrigeſcente charitate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate, quæ non quærit ea, quæ Dei ſunt, & proximi, ſed tantum quæ propria.* Hunc Ivonem S. Auguſtini regulam propagaſſe quidam ferunt, propterea dictum Canonicorum Regularium S. Auguſtini Reformatorem, ut ſeotit Lebeccius in Chronico Mindenſi; alii vero eorundem inſtitutorem prorſus eſſe contendunt; utriſque contradicit Thomaſſinus, vultque Ivonem non S. Auguſtini, ſed Sancti Quintini regulam eſſe ſecotum. Nos a controverſia hac odioſiſſima juxta moderationem ſuperius ioitam præſcindimus.

20. Sæculi XII. initio Cœoobium Canonicorum Regularium Sancti Victoris ad muros Pariſienſes regia munificeotia excitavit Ludovicus VI. Rex Chriſtianiſſimus.

Primos ejuſdem Cœnobii Abbas fuit Gilduinus vir religione & regulæ obſervantia ſpectatiſſimus. Regalis hæc Abbatia plurimarum aliarum parens & caput celeberrimæ Coogregationis fuit: multoſque peperit ſanctimonia & doctrina inſignes Viros, quorum aliquos Eccleſia illuſtriorum ornavit inſulis dignitatum. Videatur Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis *hiſt. Occidentalis cap.* 24. Primæ hujus congregationis conſtitutiones exſtant MSS. in Bibliothecis Abbatiarum S. Victoris, & Genovevæ.

21. Hæc S. Genovevæ Abbatia, Victorinæ filia eſt. In Eccleſiam quippe S. Genovevæ, jubente Eugenio III. Pontifice Maximo, Sugerio Sandionyſiano Abbate, ac Regni Miniſtro exequente, Canonici Regulares e cœnobio S. Victoris ſelecti loco Sæcularium iotroducti ſunt An. 1148.

Inter Sæculares hos Caoonicos erat unus nomine Wilhelmus, collegis ſuis ob morum innocentiam, & ſtudium vitæ Regularis exoſus, quam iotroductis Victorianis Canonicis devote & alacriter profeſſus eſt, ac in Virum Sanctiſſimum evaſit. A Rege Waldemaro filio S. Canuti Regis & Martyris, & Salomone Roſchildenſi Epiſcopo in Daoiam accerſitus collapſam Canooicorum diſciplinam in Eſchii Inſula prope Raſchildam reſtituit, Abbas ab Epiſcopo creatus.

22. Anno 1120. novum Canonicorum regularium Ordinem condidit S. Norbertus in diœceſeos Laudunenſis loco, qui Præmonſtratus dicitur in Voſago Sylva, quem ipſi Bartholomæus Epiſcopus Lauduneoſis conceſſit.

Sancti Norberti inſtitutum approbavit Caliiſtus II. Hoorius II. Innocentius II. Lucius II. Eugenius II. Hadrianus IV. Alexander III. Lucius III. Urbanus III. Clemens III. Privilegiis donarunt, quæ in Bibliotheca Præmonſtratenſi ſunt excuſa. S. Auguſtini regulam ſectantur Canooici Regulares Præmonſtratenſes, conſtitutiones auſteras obſervant ex S. Norberti diſciplina. Ex quibus primaria capita continentur lib. 4. Bibliothecæ Præmonſtratenſis. Unde FF. Prædicatorum conſtitutiones maxima ex parte derivatas eſſe teſtatur Nat. Alex. Quorum inſtitutum fuiſſe æque canonicum ac illud Præmonſtratenſium defendit Gravelon hiſt. Eccl. Sæculo XIII. & XIV.

23. Ex dictis in aprico eſt, Congregationes has Canonicorum Regularium Sæculo X. XI. & XII. a Viris Sanctiſſimis inſtitutas, fuiſſe reformativas Congregationum Canonicorum vel S. Auguſtini, vel earum, quæ Sæculis VIII. & IX. ſub Regulis Chrodogangi, aut Aquiſgraneoſi in communis ac Apoſtolicæ vitæ ſocietatem collectæ ſunt, (ſi illam Præmonſtratenſium noviter inſtitutam excipias) ac infelici Sæculo X. cum Clero ſæculari, ac Monachis potiori ex parte ad laxiorem vitam degenerarunt.

Confirmatur vero ex eo, qood concoquere non poterat B. Petrus Damiani, quod Canonici peculium haberent; atque Regulam a Synodo Aquiſgranenſi f. ſub Ludovico Pio approbatam, cujus ſe auctoritate tuebaotur, ſuggillavit, ejus proculdubio ignorans authores & approbatores: Canonicos omnes in Congregatione viventes ad peculii abdicationem teneri, SS. Auguſtini, Hieronymi, & Proſperi, ſeu potius Juliani Pomerii teſtimoniis probare conatus eſt opuſculo

24. con-

24. *contra Canonicos proprietarios*. Eorum excuſationem ex Regola petitam, non quidem S. Auguſtini, quam non profitebantur, ſed Synodi Aquiſgranenſis, refellit ibidem. Legendum præterea ejuſdem S. Viri *opuſ.* 27. *de communi vita Canonicorum cap.* 2. Cujus Viri imitatoram in Galliis fuiſſe S. Ivonem teſtatur Mabill. Annal. Benedict. Tom. 4. Et Numero præcedenti vidimus Canonicos in Dania reformatos fuiſſe *a* Wilhelmo Congregationis Victorinæ Presbytero. Clemens denique III. Pontifex Max. Canonicum Regularem cum peculio morientem Chriſtiana ſepultura privari præcepit cap. ſuper quodam h. t.

24. Reformatio vero Canonicorum in hoc præcipue conſiſtebat, quod ad amuſſim Regulæ S. Auguſtini vitam inſtituerent, & conſequenter nec Patrimonium, nec ulla bona quovis modo quæſita proprio nomine poſſiderent, aut peculium habere ullatenus poſſent; quam vitæ rationem profiteri debebant Clerici S. Patris Auguſtini (N. 5. h. t.), non vero Canonici ſub Regula Chrodogangi, aut Aquiſgranenſi militantes (N. 13. h. t.).

Canonicos Regulares Sæculo XI. & XII. profeſſos fuiſſe Regulam S. Auguſtini ad Moniales nimirum ſcriptam, & Viris tum jam accommodatam, in qua legimus: *Et non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia*: probat Natalis Alex. hiſt. Eccl. Sæc. XI. & XII. c. 7. Art. 7. N. 7. ex Bertholdo Presbytero ad A. 1095. ſcribente: *Lutholphum Tullenſis Eccleſiæ Decanum in Monaſterio a ſe condito Clericos ſecundum Regulam B. Auguſtini vivere profeſſos* congregaſſe: *& Urbanum II.* decreviſſe, *ut Clerici illius loci Regulam S. Auguſtini in perpetuum cuſtodirent*. Item ex Ivone Carnotenſi, quem Beati Auguſtini Regulam Canonicis ſuis tradidiſſe teſtari ait Canonicos Regulares S. Joannis in Valle Carnotenſi, *in literis aſſociationis cum Monaſterio S. Quintini Bellovacenſis* datis A. 1128. Verba literarum ſunt: *Cum igitur a longe retroactis temporibus a viſceribus Matris noſtræ Eccleſiæ B. Quintini Belvacenſis fuerimus ſpiritualiter propagati, & ab ipſa tanquam a Fonte ſacra Religionis fluenta ſumpſerimus per Venerabilem Patrem Ivonem, qui, cum floreret in eadem Eccleſia Religionis novella plantatio ſub* B. Auguſtini Regula, *digne omnipotenti Deo militans, Fratribus ibidem Deo ſervientibus præfuit*. Quo loco vellicat ſententiam Thomaſſini aſſerentis S. Ivonem Canonicos Regulares ſub Regula S. Quintini, non Auguſtini inſtituiſſe, aut propagaſſe. Sed & ſolvit Argumentum pro ſententia Doctiſſimi Thomaſſini militans æque doctus Nat. Alexander, dum pergit: Hæc certe Regula eſt, cujus fit mentio in charta inſtitutionis Canonicorum Regularium Sancti Quintini Bellovacenſis in Eccleſia S. Georgii Trecenſis *a* Philippo Epiſcopo A. 1085. in qua legimus: *Domno itaque Ivone Abbate Trecis in capitulo B. Petri reſidente, hæc ratio approbata eſt ex utraque parte, ut Fratres S. Georgii a S. Petro ſua teneant, a B. autem Quintino Regulam: in qua quidem ſi offenderint, illius ſit Eccleſiæ aut aliquid in eis corrigere, aut aliquem ex eis tranſmutare*. Certe in hac charta authentica legimus Fratres S. Georgii *a B. Quintino* accepiſſe Regulam, non tamen *B. Quintini* Regulam. Literæ autem aſſociationis Canonicorum S. Joannis in valle Carnotenſi mox relatæ hanc dicunt fuiſſe Regulam *S. Auguſtini*. Regulam S. Auguſtini viris accommodatam commentario illuſtravit Hugo *a* S. Victore, quod argumento eſt Canonicos Regulares Congregationis Victorinæ hanc Regulam fuiſſe profeſſos. Idem probant primæ conſtitutiones MSS. quæ ad S. Genovevam aſſervantur cap. *de ſuſceptione Novitiorum*, ubi Abbas Novitium alloquitur dicens: *Frater, reddis te Deo ad ſerviendum ei in ſocietate & obedientia Congregationis hujus, & ad tenendam vitam canonicam* ſecundum Regulam B. Auguſtini, *& conſtitutiones hujus loci, quæ vel jam in præſenti inſtitutæ ſunt, vel poſt hæc, Domino annuente, inſtituendæ ſunt?* Reſpondet: *Reddo*. Ex quo illuſtri loco patet 1. Clericos ſeu Canonicos Regulares his ſæculis ſaltem pleroſque (id quod etiam fatentur Apologiſtæ Benedictini) profeſſos fuiſſe Regulam S. Auguſtini, quam etiam Canonici Præmonſtratenſes adoptarunt. 2. Eos præter Regulam communem S. Auguſtini diverſas conſtitutiones ſervandas ſpopondiſſe, ut ex dictis eluceſcet animum advertenti. 3. Tribus votis Religionis obligatos fuiſſe.

25. Hi Canonici Regulares Parochiales Eccleſias regere poterant, ſalvo tamen Epiſcopi Jure.

Id primum Sueſſionenſi Abbati conceſſum videtur ab Urbano II. ep. 18. ubi ait: *Ut igitur propoſiti veſtri Ordinem ſecundum B. Auguſtini Regulam commiſſi tibi Fratres tranquille valeant abſque ſæcularium tumultuum perturbationibus annuente Domino cuſtodire, poſtulationi tuæ libenter annuimus, ut in Parochianis Eccleſiis, quæ ad veſtrum Monaſterium pertinent, Regulares vobis liceat Clauſtri veſtri Clericos ordinare, qui & Eccleſiis ipſis religioſe ſerviant, & adjacentis populi Parochiam ſecundum timorem Dei, ſalvo Epiſcopi jure debito, ſollicite procurare non negligant*. Et Concilium Pictavienſe præſidentibus Paſchalis II. Papæ legatis A. 1100. celebratum canone 9. ſtatuit. *Ut Clericis Regularibus juſſu Epiſcopi ſui baptizare, prædicare, pœnitentiam dare, mortuos ſepelire liceat*.

26. Iidem Canonici Regulares Parochiis præpoſiti a ſuis Abbatibus amoveri ad nutum, & in Monaſterium revocari poterant.

Id probat Epiſtola 95. Stephani Abbatis S. Genovevæ, poſtea Tornacenſis Epiſcopi, qua Lucium III. rogat, ut Canonicos S. Joannis Sueſſionenſis adverſus Abbatem eos a Parochiis revocantem contumaces reprimat. *Per obedientiam*, inquit, *inobedienter vivunt, nec Abbati revocanti reſpondere, nec corrigenti volunt acquieſcere, nec credere corripienti. Hujus nequitiæ ſuæ velamentum, & excuſationis opponunt cauſam authoritatem Epiſcopi ſui, qui contra ſacram, quam profeſſi ſunt, diſciplinam armat eos & animat, ne Abbati ſuo reverentiam exhibeant, quam ei inter prima ſuæ converſionis auſpicia, coram Deo, & Sanctis ejus reliquiis, tanquam Cœleſtis Reipublicæ jurati milites promiſerunt*. En originem differentiarum inter modernum Clerum Sæcularem & Regularem in vitæ ratione, & cura animarum; atque compendium omnium fere, quæ de utroque hucuſque diximus. Vivebat primitivus Clerus non quidem communi domo, & menſa, ſed communibus ſportulis, ex communi Diœceſis penu Eccleſiaſtica per Epiſcopum adminiſtrata; atque ex Cathedrali Eccleſia ad rurales paſcendas mittebatur ad nutum Epiſcopi revocabilis. Ad communem menſam, domumque Sæculo IV. inſtituebatur a S. Auguſtino in Africa, quin ad Monachiſmum in Europa per Euſebium, in Aſia per Baſilium, ad curam animarum revocabiliter mittendus; ſed non omnis cœpit verbum hoc, quin ſæculis inſequentibus titulum ſtabilem in beneficiis independentem a diſpoſitione vel revocatione Epiſcopi ſibi acquiſivit. Iterum Sæculo VIII. & IX. quaſi primitivam Eccleſiam ſuperans in vita communi ſub Regulis Chrodogangi & Aquiſgranenſi tum in Cathedralibus Eccleſiis ſub Epiſcopis, tum in Collegiatis ſeu Monaſteriis ſub Abbatibus fere per totum Occidentem coadunatus eſt, beneficia Eccleſiaſtica plurimis in locis revocabiliter utique adminiſtrans. At vita com-

communis Sæculo X. fere deſerta, aut ſaltem magnopere collapſa eſt. Refloruit aquidem Sæculo XI. & XII. & quidem ſub arctiori diſciplina zelo præſtantiſſimorum Virorum, quos ex parte commemoravimus; at totus Clerus, & præſertim Cathedralis eam non eſt amplexus, unde factum eſt, quod Clerus eandem vivendi rationem amplexus in Congregationes varias ſectus fuerit, a Capitulis Cathedralibus vitam communem amplius non coleoribus diſtinctas, atque ad Monachiſmum magis accedentes. Qui proinde ad curam animarum non aſſumebatur niſi in Beneficiis Abbatiis ſuis incorporatis, & quidem immediate a ſuis Abbatibus, ſalvis Juribus Epiſcopalibus, ac revocabiliter, quæ diſciplina tam in Canonicis Regularibus, quam Monachis curam animarum adeptis in præſentem diem perſevarat, eoſque in hoc puncto a Clericis ſæcularibus principaliter ſecernit.

27. Sæculo nihilominus XIII. Epiſcopi Canonicos Cathedralium ſuarum ad vitæ regularis profeſſionem compellere poterant.

Id ex cap. *quoniam* a Gregorio IX. promulgato Tit. *de vita & honeſtate Clericorum*, compertum eſt. Qua proculdubio conſtitutione fretum Concilium Colnnienſe A. 1260. vitam regularem & communem in omnibus ejuſdem Provinciæ Capitulis reſtituir can 7. Benedictus vero XII. conſtitutione, quæ incipit *ad decorem*, A. 1339 Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini œconomiam edixit.

28. Hoc quoque ſæculo Gerardus Magnus, Pariſienſis Doctor, Ultrajectenſis, & Aquiſgranenſis Canonicus, beneficiis opibuſque dimiſſis, Congregationem Fratrum vitæ communis Daventariæ inſtituit. Quod inſtitutum poſtea per Germaniam inferiorem late propagatum eſt.

Canonici Ragulares non erant, ſed Clerici nullo voto obligari. Bona ſi quæ habebant, in commune conſerebant, cum in ſocietatem admittebantur, jureque illa repetendi, ſi e congregatione illos exire contingeret, ſe in perpetuum abdicabant; labori manuum jungebant Magiſterium literarum humaniorum.

29. Sæculi XV. initio inſtituta eſt Congregatio Canonicorum regularium S. Salvatoris Sylvæ-Lacus.

Nomen ſumpſit hæc Congregatio ab Eccleſia S. Salvatori dicata in Sylva ilicum ad lacum civitati Senenſi vicinum, quæ poſtea *Scopetinarum* a vulgo appellata eſt ab unione Eccleſiæ S. Donati de Scopeto Florentiæ ſitæ, quam Martinus V. ipſi adjunxit. Ejuſdem Author eſt Stephanus Senenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini profeſſor, qui mutato habitu aucturitate Pontificia Canonicus Regularis affectus eſt. Congregationem illam confirmavit Gregorius XII. A. 1408. Regulam profitentur S. Auguſtini.

30. Sæculo XVI. Ordo Clericorum Regularium Theatinorum a Joanne Petro Caraffa Theatino Epiſcopo, qui poſtea fuit Summus Pontifex Paulus IV. & Cajetano Tienæo Nobili Vicentino ab Urbano VIII. in beatorum album adſcripto conditus eſt A. 1524.

Inſtituta fuit hæc Congregatio a Sanctiſſimis Viris ad Cleri in Urbe, in Italia, aliiſque Regionibus maxime depravati reformationem, inquit Nat. Alexander. Eorum inſtitutum eſt, præter tria vota Religioſa, non ſolum nihil omnino poſſidere, verum etiam nec mendicando vitam ſuſtinere, ſed ſponte oblatis, ac in providentiæ divinæ ſinu vivere. Inſtitutum Sanctiſſimum approbavit Clemens VII. A. 1524.

31. Eodem Sæculo Congregatio Somaſchæ Clericorum Regularium condita eſt ab Hieronymo Æmiliano Nobili Veneto ac Senatore.

Finis hujus Congregationis fuit gerenda Orphanorum cura, ut in certis locis educarentur, & in pietate, literis, vel artium mechanicarum tyrocinio inſtruerentur. Eam confirmavit Paulus III. A. 1540. Pius V. conceſſit, ut Clerici Regulares *S. Majoli de Papia* nuncuparentur, quoniam illud primum fuit Congregationis collegium; vulgo tamen *Somaſchi* appellantur a loco Mediolanum inter & Bergamum, ubi Fundator Sanctiſſimus obiit 1537.

32. Coætanea mox adnumeranda congregationi eſt congregatio Clericorum Regularium S. Pauli Decollati, vulgo Barnabitarum, ab Eccleſia S. Barnabæ eidem Mediolani primum conceſſa.

Inſtituta eſt hæc Congregatio A. 1536. a Viris ejuſdem civitatis nobilibus Jacobo Antonio Morigia, Bartholomæo Ferrario, ac Franciſco Maria Zacharia Cremonenſi, ferventiſſimis Seraphini Firmani Canonici regularis concionibus ad nuntium ſæculari vitæ remittendum incitatis. Qui homines ad pœnitentiam adhortati, & publica S. Pauli Apoſtoli Epiſtolarum lectione bene vivendi normam edocere ſatagentes, pluribus aliis in conſortium ſuum adlectis, Congregationem ſub præfato nomine condiderunt, a Clemente VII. approbatam An. 1528. aliiſque Pontificibus confirmatam.

33. Hoc ipſo Sæculo Congregatio Clericorum regularium miniſtrantium infirmis, Romæ inſtituta eſt a Camillo de Læliis Theatinæ diœceſis Presbytero.

Eam approbavit Sixtus V. An. 1585. ejuſque regulam confirmavit Gregorius XIV. 1591. reformavit Clemens VIII. Ao. 1600. Ejus fundatorem Sanctorum albo inſcripſit, ejuſque officium Urbis & Orbis effecit Benedictus XIV. feliciter regnans An. 1752. aſſignata 23. Julii.

34. Hac tempeſtate præterea prodiit congregatio Clericorum regularium minorum a Joanne Auguſtino Adamo Genuenſi Presbytero.

A Sixto V. pariter confirmata eſt conſtitutione, quæ incipit *Sacra religionis*, data die 1. Julii 1588.

§. II.
De Ordinibus militaribus.

35. SÆculo XII. inſtituti ſunt Ordines Equeſtres, Regno Hieroſolymitano per Godefridum Bullonium reſtituto.

Inter hos celeberrimi fuere Hoſpitalarii S. Joannis Hieroſolymitani, Milites templi, Ordo S. Mariæ Teutonicorum, & Ordo de Calatrava.

36. Hoſpitale S. Joannis initium habuit, cum adhuc ſub Saracenorum dominio civitas ſancta captiva teneretur.

Dominante Ægyptio Sultano Jeroſolymis, poſtquam Chriſtiani ab eodem facultatem Eccleſiæ ædificandæ prope Sepulchrum Dominicum in honorem B. Mariæ Virginis impetraſſent, ac poſtmodum peregrinis mulieribus excipiendis aliud monaſterium in honorem B. Mariæ Magdalenæ condidiſſent, in quo Sanctimoniales hoſpitalariæ conſtitutæ ſunt; demum peregrinorum ad loca Sancta confluentium creſcente numero, Abbas & Monachi S. Mariæ infirmis & egenis ſuſcipiendis hoſpitale & capellam in honorem S. Joannis Eleemoſynarii condidere. Poſtquam vero Hieroſolymam Ducis Godefridi, aliorumque fidelium armis a Saracenorum tyrannide liberatam, Chriſtiano cultui penitus reſtitui voluit Deus; Gerardus quidam Vir nobilis, & vitæ ſanctimonia inſignis, qui in S. Joannis hoſpitali pauperibus & infirmis ſub Abbatum Eccleſiæ S. Mariæ de latina dictæ, quam mox commemoravimus, directione miniſtraverat, adjunctis ſibi nonnullis honeſtis, religioſiſque Viris, habitum regularem

ſuſce-

ſuſcepit, ac veſtibus ſuis alba cruce inſignitis, redemptionis noſtræ ſignum in pectore palam præferens, Regulæ ſalutari, priſque inſtitutis profeſſione ſolemni ſe obſtrinxit. Sanctum propoſitum æmulata eſt Agnes nobilis & Religioſa fœmina. Hi devote Domino ſervientes, & infirmis pauperibus de paupertate ſua diligenter miniſtrantes in agro, qui vocatur Haceldama, mortuos ſepeliebant. Progreſſu temporis Milites cum ſervientibus in ſuum collegium admiſere ad terræ ſanctæ defenſionem contra Saracenos, ac demum Ordo Hoſpitalis totus in Equeſtrem mutatus eſt. Hique olim Rhodii, nunc Melitenſes Equites. Hæc Natalis Alexander ex Jacobo de Vitriaco Hiſt. Jeroſolymitanæ cap. 64. qui ea deſumpſit ex Wilhelmo Tyrio hujus Sæculi ſcriptore. Quamvis multi Originem hujus Equeſtris Ordinis altius haud improbabiliter accerſant, inquit Graveſon in tabula 14. Chronologica. Qui etiam Colloquio VI. in Sæculum XII. Wilhelmum Archiepiſcopum Tyrium, ut parum æquum Militibus Melitenſibus cum aliis notat, quod aſſerat S. Gerardum Hoſpitale dictum dedicaſſe S. Joanni Eleemoſynario, cum ex perpetua traditione ſtrenuiſſimus Ordo S. Joannem Baptiſtam Patronum ſuum revereatur. Cardinalis de Vitriaco Hiſt. Jeroſol. cap. 64. & alii.

36. Hoſpitalariis in militiæ religioſæ Profeſſione prævere Templarii Equites An. 1118. instituti. Ad pedes Hieroſolymitani Patriarchæ ſe adſtrinxerunt ad viarum publicarum cuſtodiam, & Peregrinorum defenſionem contra Prædones & Sicarios.

Initium Ordini dedere Viri nobiles Hugo de Paganis, & Gaufridus de S. Aldemaro cum 7. Sociis. Quibus Rex Hieroſolymorum Balduinus II. partem Palatii ſui juxta templum Domini conceſſit ad tempus habitandum: Abbas autem & Canonici templi Domini plateam, quam juxta Regis palatium habebant, eiſdem ad conſtruendas officinas tradiderunt. Inde *fratres militiæ templi* ſunt appellati. Novus Ordo in Concilio Trecenſi An. 1128. celebrato confirmatus eſt, ipſiſque tradita regula de mandato Honorii Papæ, & Domini Stephani Patriarchæ Hieroſolymitani, teſte Wilhelmo Tyrio authore ſuppari. Et veſtes candidæ conſcriptæ, quibus Eugenius III. poſtea rubeam crucem attexi curavit. Ordo hic in ſui initio parvus, & a S. Bernardo commendatus, miris Perſonarum, divitiarumque incrementis in Occidente brevi auctus eſt, a Clemente V. & Philippo Pulchro aliiſque Principibus Sæculo XIV. funditus deletus.

37. Ordinis Templariorum fœtus eſt Ordo B. Mariæ Teutonicorum, hoſpitalis ſimul & Equeſtris, ſub eadem regula militans, hoc tantum diſcrimine, quod iſti cruces nigras albis chlamydibus intextas haberent.

Ordo Teutonicorum dicitur, quod a Teutonicis inchoatus, pro ſuſceptione pauperum peregrinorum & infirmorum ex Teutonica gente, ſive ex Germania fundatus fuerit, & nobiles Germani illi Xenodochio & militiæ ſolemni voto ſe obſtrinxerint. Dicitur autem B. Mariæ, quia ſub Deiparæ Virginis patrocinio inſtitutus eſt. Vide Jacobum de Vitriaco hiſt. Hieroſol. c. 66.

38. Sacram Calatravæ militiam in Hiſpania inſtituit B. Raymundus Abbas Fiterii, quod Ciſtercienſis Ordinis celebre Monaſterium in Navarra.

Ordini condendo Calatravæ Urbis diſcrimen occaſionem dedit. Hanc Mauris ereptam Alphonſus VIII. Rex Hiſpaniæ Templariis conceſſit Militibus, ut arcis inſtar eſſet ad Barbarorum incurſus arcendos. Ab iis metu Saracenorum, quorum propulſandis incurſibus impares ſe exiſtimabant, Sancio III. Caſtellæ Regis Alphonſi filio reddita. Quam ille Raymundo Fiterii Abbati, & Didaco Velaſqui Monacho, viro bellicæ fortitudinis gloria quondam celebri, dedit. Hi ope Joannis Archiepiſcopi Toletani, & civium collecto exercitu, Saracenos repreſſere, quibus impugnandis B. Raymundus Militarem Ordinem Ciſtercienſis inſtituti condidit An. 1159. vel 1160. Ordinem Calatravæ laudat Rodericus Ximenius Raymundo & Didaco Velaſqui ſuppar Author lib. 7. cap. 27.

39. Præter hos celebriores Ordines Militares Sæculo XII. exortos, Sæculo XIII. alii adhuc conditi ſunt. Et imprimis Ordo S. Mariæ glorioſæ: cujus officium erat procuratio & conciliatio pacis in civitatibus Italiæ, quæ Gibellinorum & Guelforum inteſtinis odiis ac bellis conflagrabant.

Auctor inſtituti fuit Bartholomæus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Vir Sanctus, Patria Vincentinus. Ab Urbano IV. confirmatus eſt An. 1261. Tunica alba & ſubcinericia toga induti, crucem purpuream in campo albo duabus ſupra poſitis ſtellis præferebant. Regulam S. Auguſtini profitebantur. Quos etiam, quod ſuis quique in ædibus cum Uxoribus & Liberis vitam agere permiſſi ſint, vulgus *fratres gaudentes* appellavit. De his Ghirardacius in hiſtoria Bononienſi.

40. Prodiit in Palæſtina circa annum 1250. Equeſtris Ordo pœnitentiæ SS. Martyrum ſub Regula S. Auguſtini.

Ejus meminere, qui de Ordinibus Militaribus ſcripſerunt, præſertim Franciſcus Menenius. Verba ſunt Natalis Alexandri ex Menenio. A B. Cleto An. Chriſti 81. fundatum Ordinem Sanctum prætendunt ejus Profeſſores.

41. Ordinem Fratrum & Militum Hoſpitalis Leproſorum S. Lazari Hieroſolymitani longe ante ſua tempora conſtitutum, ſub S. Auguſtini Regula confirmavit Alexander IV. A. 1255.

De eo legendi Pelcjus & Menenius in libris ſuis de Ordinibus Equeſtribus &c.

42. Ordo Monteſiæ ab urbe Regni Aragonii, in qua Sedes ejus præcipua conſtituta eſt, Ordini Calatravæ aggregatus, & Ciſtercienſium leges ſub proprio Magiſtro ſervare juſſus eſt; Valentinumque Regnum a Maurorum incurſibus tueri. Veſte candida cum rubea cruce novi Milites inſigniri. Templariorum bona in Valentino tractu illis collata.

Joannis XXII. Pontif. Max. auctoritate hæc militia inſtituta, idque Aragonii Regis precibus datum A. 1317.

43. Poſt biennium in Luſitania eodem Pontifice concedente ſacra pariter Militia inſtituta eſt, cui a Chriſto nomen, Mauris & Saracenis propulſandis, Cruce rubra, linea candida interſecante diſtincta. Cui etiam Templariorum bona ejuſdem Regni attributa fuere.

Sedes principalis Caſtrum Marinum Sylvenſis in Algarbiis diœceſis, unde poſtea Tomarium migrarunt. De Monteſia, & Chriſti Militia legendus Mariana lib. 15. cap. 16. Hæc ex Natali Alexandro defloravimus. Quem non omnes Ordines Militares enumeraſſe conſtat ex eo, quod noſtris in oris conſpiciamus Ordinem Militarem Cuſtodum S. Sepulcri Pragæ in Zderas & Niſſæ Sileſiorum Domicilia habentem, nec non Ordinem Militarem Crucigerorum cum rubea Stella per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, Hungariam, Poloniam, Sileſiam diffuſum; ac præter hos quoſdam adhuc referat in ſuo emblemate *Liber vitæ* intitulato Eximius D. Simon Antonius Ertl poſterturis Ordinis Alumnus, Pragæ A. 1714. edito: cujus verba de utraque ſacerrima familia huc excerpo nulla mutatione, vel additamento adhibito. De primo itaque ſcribit: Circa primævum

hujus

hujus Ordinis Fundatorem magna inter Authores eſt diverſitas. Ut Bartholomæus de Salignia ejuſdem Ordinis Eques illum faciat ceteris antiquiorem, & Apoſtolicum, conatur in itinerario Terræ Sanctæ ex quibuſdam conjecturis probare, quod originem trahat ex inſtitutione S. Jacobi primi Hierofolymorum Epiſcopi ——. Sunt etiam, qui a S. Helena Conſtantini matre fundatos exiſtiment Cuſtodes S. Sepulcri. —— Nonnulli etiam hujus Militiæ florem S. Narciſſo attribuunt. —— Verum ut ſcribit Andreas Mendo §. 3. ex Sylveſtro Marulio, Petro Pellego, & aliis Scriptoribus, probabilius videtur initium ſumpſiſſe circa A. Chriſti 1110. quo tempore Balduinus primus Hieroſolymorum Rex hos Equites inſtituit cum obligatione S. Sepulcro aſſiſtendi, eleemoſynas corrogandi pro redimendis ex captivitate apud Saracenos Chriſtianis. Hæc ille. De poſteriore vero ſeu proprio inclyto Ordine ſolum hæc: Inter Illuſtriores Militarium Ordinum Cohortes, quæ olim pro fide & Eccleſia non modo Religione ſed & Armis ſub Crucis labaris contra infidelem Orientem decertantes præclara meruere ſtipendia, conſpicua etiamnum eſt inclyta Crocigerorum cum rubea Stella Familia. Cujus Illuſtres Milites, poſteaquam compluribus annis ſæpius de Saracenis adempta illis Ægypto, Palæſtina, Phœnicia, Hieroſolymis in virtute S. Crucis triumphaſſent, tandem ultra vires eorum invaleſcente Barbarorum potentia ſua in Orientalibus terris exuti ſtatione A. 1217. regnante in Bohemia Præmiſlao Ottocaro, in Bohemiam, quaſi laſſati præſtantium actorum meritis, ſeque, ſuaque ſigna reciperent, devenere. Poſt quæ Regum, Reginarumque Bohemiæ in eos munificentiam enarrat. Inclyti Ordinis Supremus ac Generalis Magiſter Vetero-Pragæ in principe Hoſpitali ad pedem Pontis reſidet. In quem, dum hæc ſcribo, electus eſt Reverendiſſimus, Perilluſtris, ac Ampliſſimus Dominus Antonius Jacobus Suchanek, quem honoris ac debitæ venerationis cauſa nominare conſtitui.

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

1. NOmen ipſum Juris Patronatus eo ſenſu, quo accipitur præſenti Titulo, quod nimirum ſit Jus nominandi ſeu præſentandi Clericum idoneum promovendum ad beneficium Eccleſiaſticum vacans, & hodie paſſim a Canoniſtis & Theologis intelligitur, non reperitur apud antiquos authores canonum & Legum, ait eruditus Franciſcus Florens apud Eſpenium in tractatu de antiquo Jure Patronatus; monetque nomen Patroni, quod in cap. 1. & 2. h. t. apud Gregorium exſtat, deeſſe in collectione prima, & integris canonibus, qui extant in Concilio Cabillonenſi 2. ſub Carolo M. & Triburrenſi ſub Arnulpho. Fuit autem hæc dictio *Patroni* addita a B. Raymundo Decretalium Collectore facilioris notitiæ *cauſa*: quia ejuſdem ætate nomen Patroni in ea ſignificatione, quam hodie habet, invaluerat.

2. Licet autem nomen Patroni in hodierna ſignificatione ignotum eſſet, res ipſa tamen non erat incognita.

Fundatoris enim & Fundationis nomine veteres quidem utebantur, at ea fere iis tribuebant jura, quæ hodie Patronis tribuuntur. Non quidem, quod hodierna Patronorum Jura priſtinis Eccleſiæ Sæculis nota, & ſecundum modernam diſciplinam ordinata fuerint, quod nonniſi ſenſim accidit, ſed quod in antiquis Canonibus, ac monumentis occurrant multa, quæ ipſum jus Patronatus licet non nomine, re ipſa tamen in hodierna etiam acceptione notum fuiſſe oſtendunt, ipſiuſque initia & progreſſus ſatis probant.

3. Notant præterea communiter interpretes, multis ſæculis unius duntaxat generis jus Patronatus fuiſſe: neque differentiam ullam inter *Eccleſiaſticum & Laicum* in antiquis Canonibus, vel Novellis Juſtiniani notam eſſe: ſed diviſionem Juris Patronatus in *Eccleſiaſticum* & *Laicum*, & differentias inter utrumque ſenſim labentibus ſæculis, non tam canone, quam conſuetudine invaluiſſe.

Jus Patronatus Eccleſiaſticum proprie dicitur, *quod competit Eccleſiæ, ſeu ratione Eccleſiæ ſive Clerico, ſive etiam Laicæ Perſonæ v. g. Abbatiſſæ.* Jus Patronatus Laicale vero appellatur, *quod alicui ſive Laico, ſive Clerico competit ratione proprii Patrimonii, non Beneficii, vel Eccleſiæ.* Eorum differentiæ præcipuæ conſiſtunt in differentia temporum præſentationi definitorum a Bonifacio VIII. ad finem Sæculi XIII. probata c. un. *de Jure Patronatus* in 6. & in eo, quod Patronus Laicus intra ſuum tempus poſſit ſucceſſive plures præſentare, eo ſaltem effectu, ut Epiſcopus poſſit etiam poſteriùs præſentatum præferre priori præſentato; Eccleſiaſticus vero Patronus unum tantum; & ſi de facto plures ſucceſſive præſentaverit, prior ſit omnino præferendus. De quibus videantur Scholaſtici. Nos notas hiſtoricas de utroque in globo dabimus.

4. Præcipua pars Juris Patronatus eſt Præſentatio Clerici ad Beneficium vel Eccleſiam fundatam; hanc comitantur Jura alimentationis, ſuperintendentiæ, & Jura honorifica, inter quæ hodie uſitatiora ſunt honor Proceſſionis, honor Thuris, aquæ benedictæ, honor precum, honor ſedis, & ſepulturæ.

De omnibus his hiſtorica commentatio jam inſtituenda.

5. Primis igitur quinque Eccleſiæ Sæculis jura quædam honorifica ipſis Eccleſiarum Fundatoribus conceſſa fuere ex virtute gratitudinis.

Id teſtatur Alexander III. in cap. 24. *de Jure Patronatus* primæ collectionis apud Ant. Auguſtinum, ubi ait: *Sanctos Patres Patronis reſervaſſe, quæ plane obſervantur.* Et ita legimus nomina & elogia Fundatorum in eorum Eccleſiis ſub initium Sæculi V. ſolemniter fuiſſe inſcripta, uti teſtatur S. Paulinus tum florens ep. 10. & 12. Quin & a Fundatoribus cœperunt, etiam antiquiſſimis temporibus, ipſæ Eccleſiæ nomen ſuum mutuare, atque Titulus Eccleſiæ nomen Fundatoris præferre. Unde inter Titulos ſive Baſilicas Eccleſiæ numerantur *Baſilica Conſtantiniana, Titulus Damaſi, Titulus Equitii, Titulus Paſtoris, Titulus Veſtinæ, Titulus Eudoxiæ, Titulus Lucinæ & Faſciolæ*; nomine petito a fundatoribus, ſive maſculis, ſive fœminis. Hæc Franciſcus Florens in tractatu *de antiquo Jure Patronatus*, qui pluribus exemplis aliarum Eccleſiarum, quæ a nomine Fundatorum jam pridem appellatæ ſunt, idipſum confirmat; notatque, quod is ſolus honor Patrono, ut de nomine ejus Baſilicæ, id eſt Eccleſiæ, Oratoria, Monaſteria denominarentur, ab initio videatur attributus.

6. Ad Sæculi IV. finem vel V. initium Jus nominationis, vel (ut hodie vocatur) Jus Præſenta-

Digitized by Google

ſentationis Fundatoribus delatum fuiſſe veroſimillimum eſt.

Propoſitionem adſtruere videtur can. 10. Concilii Arauſicani I. A. 441, celebrati, in quo decernitur: *Epiſcopum non eſſe prohibendum in alieno territorio Eccleſiam ædificare;* additque: *ſervata ædificatori Epiſcopo hac gratia, ut quos deſiderat Clericos in re ſua videre, ipſos ordinet is, cujus territorium eſt, vel ſi ordinati jam ſint, habere acquieſcat.* Quin autem hic Epiſcopo ædificatori jus plane ſimile Juri hodierno præſentationis reſervetur, negari nequit: adeoque jus illud jam Sæculo V. Fundatoribus deferri cœpiſſe conſtat. Quin multum probabile eſt, idem jus ad Succeſſores ſimilium Epiſcoporum tranſiiſſe; cum in eodem Concilio æquum eſſe cenſeatur, ut ne habeat alios Epiſcopus ille, in cujus diœceſi Eccleſia ædificata fuit, Miniſtros, quam *quos* Fundator *deſiderat Clericos in re ſua videre.* Hæc enim ratio ſuffragatur omnibus in Epiſcopatu ſucceſſuris. Notandum tamen, quod hoc Jus nomine *Gratiæ* exprimatur, ut ſignificetur gratia Eccleſiæ ad Fundatores perveniſſe.

7. Eodem Sæculo V. eadem gratia necdum videtur facta fundatoribus laicis in Occidente, bene vero in Oriente, adeoque Jus præſentandi Laicorum ibidem antiquius eſt, quam apud nos.

Ut enim advertit eruditus Florens, idem canon Arauſicanus loquens de Sæcularibus Eccleſias ædificantibus, nihil illis ſimile annuit. Quin canon 39. Concilii Arelatenſis II. An. 451. eundem canonem confirmans addita hac clauſula: *& ſi quid Eccleſiæ fuerit ab Epiſcopo* Conditore *collatum, is, in cujus territorio eſt, auferendi non habeat exinde poteſtatem.* Hoc *ſolum ædificatori* Epiſcopo *credimus reſervandum:* quaſi ex profeſſo ædificatorem alium præter Epiſcopum ab hac gratia excludit.

Quantum ad ſecundam partem, refertur a Theodoro Lectore, Pulcheriam Auguſtam pientiſſimam Imperatricem plures in vita Eccleſias ædificaſſe, atque poſſediſſe, ſeu jus præſentandi neceſſarios in illis Miniſtros habuiſſe; uti ex hac Phraſi infert Thomaſſinus, addens: Eudoxiam Imperatricem Theodoſii Junioris conjugem, cum plura, eaque ſplendidiſſima templa in Palæſtina excitaſſet, *ea*, quibus collibitum ſibi eſſet, adminiſtranda concrediſſe. *Scriptor* item vitæ B. Euthymii Abbatis, Cyrillus apud eundem fidem facit de Eccleſia S. Stephani, quam ampliſſime dotatam contulit Gabrieli Monacho, quem prius curaverat Presbyterum ordinare. Baron. ad Ao. 445. N. 21. Narrat idem Scriptor, ut nobilis & pia Matrona Baſſa Andream Paſtorem effecerit, & Præfectum Monaſterii, quod ab ea fuerat ædificatum. Idem Baronius An. 460. N. 14. Ex quo infert Thomaſſ. ſi fundationis jure Patroni nominabant Abbates Monaſteriorum in Oriente, quanto probabilius Rectores, & Beneficiarios quarumcunque aliarum Eccleſiarum.

8. Sæculo VI. VII. & VIII. Patronatus & Laicus, & Eccleſiaſticus tam in Occidente, quam in Oriente incrementa ſuſcepit.

Quod Occidentem attinet, tempore Gregorii M. ſeu ad Sæculi VI. finem & VII. initium Patronatum Laicum in Italia necdum involuiſſe, ex reſcriptis ejuſdem Pontificis oſtendere conatur Thomaſſinus de beneficiis p. 2. lib. 1. c. 30. Lib. enim 1. ep. 9. vetat ne Matrona in Oratorio a ſe conſtructo Presbyterum Cardinalem, ſeu beneficiarum conſtituat. Epiſt. nihilominus 59. fidem facit nominatam fuiſſe a Fundatrice Monialium Abbatiſſam. Lib. item 8. ep. 18. cum Surrentina Epiſcopo orbata eſſet Eccleſia, electuſque fuiſſet Presbyter Oratorii, quod in Caſtro erat Matronæ Nobilis; reſcripſit Gregorius ad Subdiaconum Rectorem Patrimonii Romanæ Sedis in Campania, ut examen de illo inſtitueret; & ſi Epiſcopatui gerendo idoneum comperiſſet, Romam deſtinaret perito, etſi forſan minus impetrato conſenſu Matronæ. Non recedit, inquit Thomaſſinus, a veriſimilitudine penes hanc Matronam fuiſſe jura Patronatus, qui tum utique Laicus fuerat. Quo referri etiam debet, quod alibi idem Pontifex Lunenſi mandavit Epiſcopo, ut Presbyteros ordinet, Diaconoſque, quos militiæ Dux quidam præſentaret, diu ante tamen examinatos; ex quo loco umbram quandam Imperatorii, Regiique, adeoque Laici Patronatus elicit Thomaſſinus, quo Imperatores, & ſub ipſis conſtituti Militum Duces Capellanos ſeu Miniſtros ſacros bellicos præſentabant, ab Epiſcopis ordinandos; id quod confirmari poteſt ex Decreto Pelagii Gregorii Succeſſoris in collect. Rom. pag. 241. In Galliis vero his Sæculis Patronatui Laicorum ſua acceſſiſſe incrementa conſtat ex Concilio Aurelianenſi IV. can. 7. 26. item 33. ubi dicitur: *Si quis* (Laicus) *in agro aut habet, aut habere poſtulat diœceſim* (Parochiam), *primum & terras ei deputet ſufficienter, & Clericos, qui officia ſua ibi impleant, ut ſacratis locis reverentia condigna tribuatur.* Horum Laicorum Patronorum jura vel audaciam moderatus eſt S. Bonifacius Archiepiſcopus Moguntinus in conſtitutionibus ſuis. Prohibuit vero imprimis, ne vel inſtituerent beneficiarios, vel deſtituerent inconſulto & invito Epiſcopo, & ne quid pretii pro præſentatione exigerent. Verba ejus ſunt: *Ut Laici Presbyteros non ejiciant de Eccleſiis, nec mittere præſumant ſine conſenſu ſuorum Epiſcoporum. Ut Laici omnino non audeant munera exigere a Presbyteris propter commendationem Eccleſiæ.* Spicil. t. 9. pag. 63. Ex quo patet de Germania. Jus vero hoc præſentandi in Hiſpania quoque Sæculo VII. ſtabilitum fuiſſe evincit decretum Concilii Toletani IX. in cujus canone 2. decernitur: *Ut quamdiu earundem Fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro iiſdem locis curam permittantur habere ſollicitam, & ſollicitudinem ferre præcipuam: atque Rectores idoneos in iiſdem Baſilicis iidem ipſi offerant Epiſcopis ordinandos. Quod ſi tales forſan non inveniantur ab eis, tunc quos Epiſcopus loci probaverit Deo placitos, ſacris cultibus inſtituat cum eorum conniventia ſervitures. Quod ſi ſpretis eiſdem fundatoribus Rectores ibidem præſumpſerit Epiſcopus ordinare, & Ordinationem ſuam irritam noverit eſſe, & ad verecundiam ſui alios in eorum loco, quos iidem ipſi Fundatores condignos elegerint, ordinari.* Can. 32. cauſ. 16. q. 7.

Quantum ad Eccleſiam Græcam Jus præſentandi a Juſtiniano attribuitur Fundatoribus, vel Hæredibus, & eorum Succeſſoribus, qui ſuo ex marſupio effunderent, quo alantur Miniſtri & Beneficiarii: ita ſane, ut neceſſario ſemper intervenire Epiſcopi conſenſio debeat, & inſtitutio. *Si quis*, inquit Novella 57. *ædificans Eccleſiam, aut etiam aliter expendens in ea miniſtrantibus alimenta, voluerit aliquos Clericos inſtituere, non eſſe fiduciam ullam, quos vult, per poteſtatem deducere tuæ Reverentiæ ad ordinandos eos, ſed examinari a tua Sanctitate, & hos ſuſcipere ordinationem, qui Dei Miniſterio digni videbuntur exiſtere.* Vide etiam Novellam 123. c. 18.

9. His quoque Sæculis Patronis Eccleſiarum acceſſit jus curam habendi locorum a ſe vel a parentibus ſuis in Eccleſiam collatorum.

Id conſtat ex Canone 1. Concilii Toletani IX. mox citati, ubi habetur: *Filiis, vel Nepotibus, ac honeſtioribus propinquis ejus, qui conſtruxit, vel ditavit Eccleſiam, licitum ſit hanc bonæ intentionis habere ſolertiam, ut ſi Sacerdotem, ſeu Miniſtrum*

ali-

aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis honeſta conventione compeſcant, aut Epiſcopo vel Judici corrigenda denuntient. Quod ſi talia Epiſcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc inſinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia agat, Regis hæc auribus intimare non differant. Eadem jam prius ſtatuta fuerunt in Concilio Toletano IV. qui Canones referuntur apud Gratianum cauſa 10. q. 1. can. 6. Item 16. q. 1. can. 60. & 16. q. 7. c. 31. Hinc Rectores Angliæ Sæculo XIII. rationem decerpſerunt, ut aſſererent, ne quidem a Summo Pontifice immiuui, & quoquo modo uſurpari poſſe Patronatuum Eccleſiarum reditus, nec ullam exactionem iis imperari. Apud M. Paris ad A. 1240. Et alii volunt cum le Roi non tantum circa bona temporalia hanc Fundatorum ſive Patronorum curam verſari debere: ſed & circa officium divinum, aliaque ex præſcripto fundationis peragenda. Dumque illis objicitur conſtitutio Synodi Tridentinæ Seſſ. 24. cap. 3. de reform. decernens: *Patroni vero in iis, quæ Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant, nullatenus ſe præſumant ingerere, neque viſitationi ornamentorum Eccleſiæ, aut bonorum ſtabilium, ſeu fabricarum proventibus immiſceant: niſi quatenus id eis ex inſtitutione ac fundatione competit &c.* reſpondent, nullatenus veriſimile eſſe, quod Synodus Tridentina ſolicita ſemper inhærere, quantum temporis conditio patiebatur, ſacris Canonibus, voluerit curam & vigilantiam Patronorum pro tuendis legibus Patronalibus Canonum authoritate ſtabilitam evertere, ſed ea vere duntaxat, ne Patroni prætextu defenſionis Epiſcopos in officiorum divinorum celebratione, aut ſacramentorum adminiſtratione turbarent, aut Jura Eccleſiarum ſibi appropriarent, conformiter ad Concilia Toletana; quæ LL. cit. poſtquam Fundatorum curam, & ſtudium in tuendis rebus Eccleſiæ excitarunt, ſubjiciunt hoc monitum: *Noverint autem conditores Baſilicarum in rebus, quas iiſdem Baſilicis conferunt, nullam poteſtatem habere: ſed juxta canonum inſtituta, ſicut Eccleſiam, ita & dotem ad ordinationem Epiſcopi pertinere.*

10. Iiſdem Toletanis, aliiſque Canonibus ſtatutum fuit, ut Fundatores ſeu Patroni Eccleſiarum ad egeſtatem redacti ab iiſdem alantur.

Præbendum eſt, ait can. 38. Conc. Toletani IV. apud Gratianum 16. q. 7. c. 30. *a Sacerdotibus vitæ ſolatium indigentibus, & maxime his, quibus reſtituenda viciſſitudo eſt: quicunque ergo fidelium de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid devotione propria contulerunt, ſi forte ipſi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporum uſu percipiant. Si enim Clericis, vel Monachis, ſeu peregrinis, aut quamlibet neceſſitatem ſuſtinentibus, pro ſolo Religionis intuitu in uſum res Eccleſiaſtica largiuntur, quanto magis his conſulendum eſt, quibus retributione juſta debetur.* Ad hunc canonem reſpexit Pontifex in cap. 23. h. t. ſcribens: *Pro fundatione quoque Eccleſiæ honor Proceſſionis ſervatur, & ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia illi modeſte* (vel ut alia lectio habet) *moderate ſuccurritur, ſicut in ſacris eſt canonibus conſtitutum.* Unde & ex præſcripto Pontificalis Romani Epiſcopus facta Eccleſiæ conſecratione dicit ad Fundatorem, quod ſi Fundator aut ejus Hæredes caſu ad egeſtatem pervenerint, grata recordatione Eccleſia Fundatoris piam liberalitatem recognoſcit. Ex hac ipſa viciſſitudinis ſeu gratificationis lege manavit, ut Fundator vel ſibi, vel ſuis Succeſſoribus penſionem aliquam annuatim etiam extra caſum neceſſitatis ſolvendam reſervare valeat, uti habetur in c. 23. h. t. Quinimo talis penſio tertio alicui conſtitui poteſt juxta cap. 16. *de Cenſibus*. De quibus vide Canoniſtas.

11. Quantum ad jura honorifica Patronis ſeu fundatoribus ab Eccleſia conceſſa, Honor Proceſſionis, ſeu præcedentia in Proceſſionibus, ſi non eſt a Gelaſio I. Sæculi V. fine inſtitutus, certe ejus canones eidem prærogativæ in ſequentibus ſæculis occaſionem præbuerunt.

Plerique Canoniſtarum credunt honoris *Proceſſionis* jam pridem meminiſſe Gelaſium I. inquit Van Eſpen L. cit. eumque Patronis exhibitum fuiſſe, idque authoritate canonum 26. & 27. cauſa 16. q. 7. in quorum priore ſub nomine Gelaſii I. dicitur: *Sciturus* (Fundator Eccleſiæ) *ſine dubio præter* Proceſſionis *aditum, qui omni Chriſtiano debetur, nihil ibidem ſe proprii juris habiturum*. Et Canone ſequente: *Nihil ſe tandem ſibi Fundator ex hac Baſilica noverit vindicandum, niſi* Proceſſionis *aditum, qui Chriſtianis omnibus debetur*. Verum hoc unum voluiſſe videtur Gelaſius, pergit idem, quod poſtquam Baſilica fuerit ædificata, & ſufficienter fundata, tum primum ab Epiſcopo ſit dedicanda, qua dedicatione facta Fundatori concedendus ſit *aditus Proceſſionis*, id eſt, liceat Fundatori in ea Baſilica ad Miſſarum Solemnia procedere, ſicuti omnibus Fidelibus conceditur aditus ad Eccleſias publicas ab Epiſcopis dedicatas, quemadmodum latius oſtendunt, & probant Franciſcus Florens titulo de antiquo jure Patronatus pag. 84. & Franciſcus de Roi l. cit. cap. 7. Quidquid ſit, hoc conſtat, quod authoritate horum Canonum jus Proceſſionis inter jura honorifica fuerit relatum. Scribens enim Clement III. vel ut alii volunt, Alexander III. in cap. 25. h. t. *pro fundatione quoque Eccleſiæ honor* Proceſſionis *Fundatori ſervatur;* mox ſubjungit: *ſicut in ſacris eſt Canonibus inſtitutum*. Quibus verbis indicari citatos Canones manifeſtum eſt: atque ita poſt hanc decretalem unanimi Canoniſtarum calculo probatum eſt, inter Jura honorifica Patrono debita eſſe honorem Proceſſionis, licet inter ipſos non conveniat, quid in allegatis canonibus per aditum Proceſſionis intelligatur. Honor autem hic Patrono duobus potiſſimum modis exhiberi poteſt, uti tradunt Canoniſtæ. Primo, ut venienti ad Eccleſiam proceſſionaliter occurratur; qui tamen non eſt exhibendus niſi illis, qui tales ac tanti ſunt, ut hunc honorem mereantur, nimirum Reges & Principes. Secundo, dando vel cedendo ei locum honoratiorem in ipſa ſolemni ac publica Proceſſione.

12. Honor Thuris, ſive Suffitus, qui conſiſtit in ſpeciali ac honorifica thurificatione alicui in ſignum eminentiæ aut benevolentiæ exhibenda, mediis ac ſequentibus ſæculis Patronis ſeu Fundatoribus ab Eccleſia deferri cœpit.

Antiquiſſimis temporibus Epiſcopos & Sacerdotes ſingillatim ac ſeparatim a reliquo Clero & populo ſuffitum accepiſſe ſat indicat vetus Ordo Romanus, & hodie ex præſcripto Ritualium perſeverat. Cum ergo ſingularis hæc Thurificatio facta Epiſcopis reputaretur ſymbolum honoris, ſenſim cum aliis honoris ſymbolis ad Laicos tranſire cœpit. Scribit Codinus lib. 3. c. 14. N. 17. *Circa Veſperam abit Imperator ad S. Sophiam, audienſque veſpertinos hymnos incenſatur, ſeu Thuris ſuffitu honoratur a Patriarcha, omneſque etiam Aulici Proceres ad ultimum uſque*. Honoris incenſi exhibendi Patriarchæ Gradenſi a Monaſterio S. Georgii meminit Honorius III. in c. 8. de cauſa poſſeſſ. & proprietatis. Quamvis ergo detur Ceronio lib. 3. obſerv. c. 6. ſuffitum ex ſui inſtitutione non eſſe proprie honoris argumentum, ſed ad excitandum populum ad elevandam mentem in Deum &c. inſtitutum: hoc tamen non officit, quin idem ſuffitus aſſumi pariter non potuerit, vel aſſumptus fuerit in caſu ad honoris teſſeram Patronis exhibendam. Et hinc,

13. Quamvis aquæ benedictio, aut ejus aſperſio in Eccleſia hodie recepta; non ſit primitus inſtituta, ut per eam alicui honor deferatur, uti ex precibus in ipſa benedictione recitandis patefcit: nihilominus, in quantum aliquibus cum quadam prærogativa datur; honoris nota eſt; & eatenus Juribus honorificis aſperſio aquæ benedictæ ab Eccleſia ſubinde adnumerata fuit.

Notat Eſpenius nonnullos juribus honorificis gaudentes non contentos, ſi aqua luſtrali ſeu benedicta ſeparatim & ante alios Laicos cum quadam honoris nota aſpergantur, renuiſſe a Sacerdote conſpergi; ſed aſpergillum ſibi porrigi prætendiſſe, ut ipſimet aquam ex aſpergillo accipientes ſeipſos aſpergant. Cui abuſui Epiſcopos in Gallia & Belgio ſe oppoſuiſſe docet ibidem, & merito, cum ex antiquo uſu aqua benedicta juxta Eccleſiæ præſcriptum per aſperſionem dari conſueverit; iſque ritus in omnibus, etiam antiquis Ritualibus ſit probatus juxta illud Pſalmi 50. *Aſperges me hyſſopo & mundabor*, quem etiam inter aſpergendum decantari jubet Eccleſia.

14. Honor quoque precum conſiſtens in ſpeciali recitatione & commendatione alicujus in precibus ab antiquiſſimis temporibus Patronis ab Eccleſia delatus fuit.

Id conſtat ex Concilio Emeritenſi canone 19. ubi ajunt Patres: *Salubri deliberatione cenſemus, & pro ſingulis quibuſque Eccleſiis, in quibus Presbyter juſſus fuerit per ſui Epiſcopi ordinationem præeſſe, pro ſingulis diebus Dominicis Sacrificium Deo procuret offerri, & earum nomina, a quibus eas Eccleſias conſtat eſſe conſtructas, vel qui aliquid his Sanctis Eccleſiis videntur, aut viſi ſunt contuliſſe, ſi viventes in corpore ſunt, ante Altare recitentur tempore Miſſæ; quod ſi ab hac deceſſerint luce, nomina eorum cum fidelibus defunctis recitentur in ſuo ordine.* Ad quem canonem notat Matthias Marechal in Tractatu *de Juribus honorificis* pag. 102. quod licet omnes benefactores hoc haberent commune cum Patronis & Toparchis, quod publice in concionibus, ſive *Pronao*, precibus fidelium commendentur, ipſi tamen Patroni & Toparchæ debeant nominatim, id eſt, expreſſis nominibus, & qualitatibus commendari, ſi id petant.

15. Inter Jura honorifica frequens etiam ac eminens eſt honor Sedis, qui defertur aſſignando ſedem perpetuam & ſpecialem alicui in Eccleſia, quæ eo honorabilior eſt, quo locus Seſſionis eſt honorificentior.

Locus in Eccleſia honorabilior cenſetur, qui magis ipſi Sacrario & Altari appropinquat. Unde ſedem in Choro honorabiliorem eſſe, quam ſedem in Navi Eccleſiæ nemini dubium eſt, inquit Vaneſpen. Et quidem Chorum ex præſcripto canonum populo non patere, ſed ſolis Clericis divinum officium peragentibus ſat conſtat; atque honoris cauſa duntaxat nonnullis Laicis ſenſim apertum eſſe: quod latius deducit Franciſcus de Roye *de Juribus honorificis* lib. 1. cap. 10. Quin & anno 1240. Synodus Wigorienſis can. 3. *Ne Laici ſtent in Cancellis dum celebrantur divina*, ſtatuit, *ſalva tamen reverentia Patronorum*. Et Matthias Marechal in ſimili tractatu non ſemel judicatum fuiſſe ait, ſolis veris Patronis, & Fundatoribus competere jus Sedis in Choro, quod ſi aliis competat, id magis ex conniventia ſive tolerantia, quam jure procedere.

16. Poſtremo honor Sepulturæ Patronis ſeu Fundatoribus poſterioribus Sæculis conceſſus eſt.

Idem honor verſatur quoque circa locum honorabiliorem inhumationis in Eccleſia, iſque hic ſimiliter judicatur honorabilior, qui Sacrario eſt propinquior. Unde Sepulturam habere in choro maxime honorificum reputatur; nec olim Laicis concedebatur; hodie vero Patronis ſpecialiter annuitur.

17. Hæc Jura honorifica Jure decretalium non tantum Patronis Laicis, ſed & Eccleſiaſticis competunt.

Id ſtatuit Alexander III. cap. 3. *de ædif. Eccleſiis*, ubi ſcribit: *quod ſi nova Eccleſia ex proventibus veteris Eccleſiæ conſtruatur & dotetur, prorſus videri debeat, ut competens in ea honor pro facultate loci Matrici Eccleſiæ ſervetur*. Verum cum Patronus Eccleſiaſticus jus Patronatus non habeat proprio nomine, ſed nomine Eccleſiæ ſive Prælaturæ, vel tanquam Prælatus, qui jura ipſius tuetur & exercet, rationi plane conſentaneum eſt, ut inſignia Eccleſiæ, cui Jus Patronatus proprium eſt, affigat, atque ita palam conteſtetur, ad Eccleſiam jus illud pertinere. Uti recte obſervat de Roye lib. 2. cap. 3. monetque rectiſſime obſervatum, Patronum Eccleſiaſticum non poſſe in Liſtra depingere inſignia ſeu arma ſua gentilitia, ſed tantum Eccleſiæ, cujus jure Patronatus utitur.

T I T U L U S XL.

De Conſecratione Eccleſiæ vel Altaris.

1. PRæſenti Titulo hiſtorice pertractabimus, quamvis ſtrictim, ea, quæ ipſo Titulo XLVIII. de Eccleſiis ædificandis vel reparandis dicenda eſſent, cum materiæ utriuſque præſertim quoad hiſtoricam commentationem magna & aperta ſit connexio; ſimulque reconciliationis earundem Eccleſiarum mentionem faciemus.

2. Eccleſia vox Græca *Concionem* ſive *fidelium Congregationem* ſignificans a temporibus Apoſtolorum jam ſumpta fuit pro æde ſacra publico pietatis exercitio, & cultui divino deſtinata.

Propoſitio hæc elicitur 1. ad Corinth. c. 11. ubi Apoſtolus ait: *Convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos*. Et paucis interjectis: *Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut* Eccleſiam *Dei contemnitis*. Hic enim Apoſtolum loqui de loco, ad quem fideles conveniunt, evidens eſt; & ita hunc locum poſt S. Baſilium *in regulis breviaribus interrogatione* 310. exponit S. Auguſtinus quæſt. 57. in Levit. dicens: *Eccleſia dicitur locus, quo Eccleſia* (nimirum homines Eccleſiam proprie dictam, ſeu congregationem conſtituentes) *conveniunt*. Hæc autem pia loca primitivi Chriſtiani *Eccleſias* potius, quam *Templa* dixerunt, ut ſe ab Ethnicis vel ipſo etiam nomine loci ſacri ſecernerent; uſus enim eo tempore obtinebat, ut templi nomine intelligeretur locus ad Sacrificia & cultum falſis gentium Diis exhibenda deſtinatus: atque hoc ſenſu Octavius apud Minucium Felicem, Optatus Milevit. & Hieronymus negant Chriſtianos habere templa, uti monet Bellarm. lib. 3. de cultu SS. c. 4.

3. Eccleſias in hac ſignificatione ſumptas, ſeu loca ſpecialiter deſtinata, ad quæ fideles convenirent orationis, Sacrificii incruenti offerendi, aliaque pietatis & Religionis opera peragendi cauſa, non tantum in domibus privatis, atque in cryptis ſubterraneis, de quibus fortaſſe intelligendus venit Apoſtolus, & plena ſunt Martyrum ſub

du-

duris perſecutionibus monumenta, habuerunt ante Conſtantinum Chriſtiani, verum etiam patentes & publicas.

Id ex indubitatis Sæculi IV. monumentis diſcimus. Refert enim Lampridius Alexandrum Severum Imperatorem Chriſtianis addixiſſe Eccleſiam, de qua controverſiam faciebant caupones: quod Ethnicus ille ſatius fore exiſtimaret, ut locus Numini, quam rei cauponariæ dicaretur; verba ejus ſunt: *Cum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contra Popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit melius eſſe, ut quomodocumque Deus illic colatur, quam Popinariis dedatur*. Et ſimiles Eccleſias eſſe, exſtruique ſiviſſe Ethnicos Imperatores diſcimus ex Euſebio lib. 8. c. 1. & 2. ubi de Chriſtianis ſub Conſtantino, hoc eſt ſub reſpiranta a perſecutionibus Eccleſia ait: *Priſcis ædificiis jam non contenti, in ſingulis Urbibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis exſtruebant Eccleſias*. Et lib. 10. c. 2. *Nobis incredibilis erat lætitia, cum loca cuncta, quæ tyrannorum impietas paulo ante ſubruerat, reviviſcere videremus; templaque rurſus a ſolo in immenſam altitudinem erigi, & longe majore cultu & ſplendore, quam illa, quæ prius expugnata fuiſſent, inniteſcere*. Ex quo famoſo loco non tantum evincitur propoſitio, verum etiam magnifice datur intelligi, Eccleſias prima Eccleſiæ ſæculis fuiſſe coltas, & quidem fortaſſe imaginibus.

4. Reſpirante a perſecutionibus Gentilium Eccleſia, ipſis quoque Imperatoribus ad Chriſtum converſis, tot paſſim ædificari cœperunt Eccleſiæ, ut ipſi primi Imperatores Chriſtiani modum eorum conſtructioni ponere ſint coacti.

Id ex variis eorum legibus & edictis in codice Theodoſiano & Juſtinianeo etiamnum hodie extantibus pateſcit. Et quidem ne ædificationi Eccleſiarum lex poſita eſt, ne quis eas abſque conſenſu diœceſani Epiſcopi ædificet; quemadmodum can. 4. Concilii Chalcedonenſis cautum eſt, & a Grat. cauſa 18. q. 2. can. 10. his verbis effertur: *Placuit igitur neminem aut ædificare, aut exſtruere Monaſteria, aut Oratorii domum præter conſcientia ipſius civitatis Epiſcopi*. Id ipſum pluribus confirmavit Sæculo VI. Juſtinianus Imp. ſignanter Nov. 67. cujus Rubrica habet: *ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Epiſcopi*. Decreta hujus Novellæ, præſertim caput 1. ſubſequentium tam Imperatorum, quam Conciliorum Sanctionibus ſæpius renovata fuerunt; uti videre eſt libro V. *Capitularium Regum Francorum* cap. 382. nec non apud Gratianum diſt. 1. *de Conſecrat.* ubi plures eam in rem Canones adfert. Notandum eſt tamen, quod eodem libro Capitulorum cap. 383. adicitur: *Qui in domo ſua Oratorium habuerit, orare poteſt: tamen non audeat in ea ſacras facere Miſſas, ſine permiſſu Epiſcopi loci illius*. Illud quoque ex Synodo Aurelianenſi recitat Gratianus can. 33. diſt. 1. *de Conſecrat. Unicuique fidelium in domo ſua Oratorium licet habere, & ibi orare, Miſſas autem ibi celebrare non licet*; ſcilicet ſine licentia Epiſcopi. Ex quibus apparet canitres moderoæ diſciplinæ circa ædificationem Eccleſiæ, aut Oratorii publici, ac privati, & circa celebrationem Miſſarum, & conſequenter adminiſtrationem aliorum Sacramentorum in utriſque.

5. Circa onus reparationis Eccleſiarum varia variis Chriſtianæ Reipublicæ Sæculis viguit diſciplina.

Vidimus enim in Titulo de *Præbendis* primis Eccleſiæ Sæculis, dum proventus Eccleſiaſtici in quatuor partes necdum eſſent diviſi, ſed prudenti Epiſcopi diſtributioni concrederentur, partem eorum in reparationem Eccleſiarum fuiſſe impendendam. Vidimus eodem Titulo, quod facta hujuſmodi diviſione Sæculo V. una ex quatuor partibus earondem fabricis, ſartiſque tectis conſervandis fuerit aſſignata; quin in Hiſpaniis tertia Sæculo VI. ſic enim habet Concilium Tarraconenſe A. 516. can. 8. *Decernimus, ut antiquæ conſuetudinis Ordo ſervetur, & annuis vicibus ab Epiſcopo Diœceſes viſitentur, & ſi qua forte Baſilica reperta fuerit deſtituta, ordinatione ejus reparari præcipiatur: quia tertia pars ex omnibus per antiquam traditionem ut accipiatur ab Epiſcopis, novimus eſſe ſtatutum*. Grat. cauſa 10. q. 1. can. 10. Vidimus quoque Titulo XXX. *de Decimis*, quod poſtquam Beneficiarii a veteri diſciplina totaliter receſſiſſent, atque quilibet Titulum ſtabilem in ſuo beneficio acquiſiviſſet, eos ad hanc reparationem ex Decimis perceptis obligatos fuiſſe, quin ipſos Laicos eaſdem decimas uſurpatione, vel legitima conceſſione obtinentes. Subinde Eccleſiæ ipſæ acquiſiverunt Capitalia conſervandæ fabricæ deputata, & nunc beneficiati, nunc Parochiani ad eandem reparationem leguntur obligati. Regulares vero Eccleſiæ ab ipſis regularibus veniunt reparandæ.

6. Eccleſiæ a Chriſtianis pace reddita Sæculo IV. jam certo dedicabantur, ſeu conſecrabantur.

Dixi jam certo; quia ſi genuina ſunt S. Dionyſii opera *de Eccl. Hierarchia*, ex iis colligimus jam ævo Apoſtolorum Eccleſias fuiſſe conſecratas, quemadmodum adnotavimus lib. 1. tit. 15. ubi etiam ea, quæ ſacram Unctionem in his conſecrationibus adhiberi ſolitam tam in Eccleſia Latina, quam Græca attinent, retulimus. Adduci præterea poſſent authoritates ex Ep. Felicis IV. nec non aliorum Romanorum Pontificum a Clemente ad Siricum, quas refert Gratianus diſt. 1. *de Conſecrat.* ſed has Epiſtolas his Pontificibus eſſe ſuppoſitas jam probavimus eodem lib. 1. tit. 2. Nobis itaque ſufficit perſuaſos eſſe Patres Sæculi IV. ritum conſecrationis ſeu dedicationis Eccleſiarum a Patribus priorum Sæculorum hæreditaſſe, quod ejuſdem tanquam rei minime nuper inventæ mentionem faciant. Et quidem Euſebius lib. 10. hiſt. cap. 3. ait: *Poſt hæc votivum nobis, ac deſideratum Spectaculum præbebatur* dedicationum, *ſcilicet feſtivas per ſingulas Urbes, & Oratoriarum recens ſtructorum conſecrationes*. Et paulo poſt: *jam vero Antiſtitum abſolutiſſimæ cæremoniæ & accurata Sacrificia Sacerdotum, & divini quidem auguſtique ritus hinc Pſalmos canentium, & reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium, illinc divina & arcana obeuntium miniſteria*. Meminit quoque hujus Feſtivitatis ſub idem tempus S. Athanaſius in *Apologia* 2. *ad Conſtantium*. Et eundem Conſtantium ie occaſione Encæniarum, ſeu dedicationis Dominici aurei, ſeu magnificentiſſimi templi a Conſtantino cœpti, a ſe perfecti Anno 341. Antiochiam contuliſſe, ac ibidem cum ſuis Arianis pſeudo-Synodum celebraſſe retulimus lib. eodem Tit. 1. N. *69*.

7. Subſequentium Sæculorum Patres variis quoque in locis dedicationis Eccleſiarum meminere, atque in ipſa dedicatione ſermones ad populum habuere.

Inter alios plures ſermones de eadem re habuit S. Auguſtinus, qui ſunt *336. 337.* & *338.* in nova editione. In quorum primo oſtendit, quomodo ea, quæ in ædificatione templi materialis fieri quotidie videmus, ſpiritualiter in ædificatione templi, quod eſt Eccleſia Chriſti, fiant. Eos ſermones legere poteris in Breviario in officio dedicationis. Sermo tamen, qui legitur ſub nomine Auguſtini ipſa die dedicationis, non eſt S. Auguſtini, ſed Cæſarii Arelatenſis. Ut notarunt eruditi operum ejus Reviſores.

8. Ad majorem dedicationis ſolemnitatem vicini quoque Epiſcopi evocari ſunt ſoliti, quin &

occaſione dedicationis Eccleſiæ convenientes Synodos frequentes celebrarunt.

Primæ partis teſtis eſt S. Auguſtinus ep. 229. ad Nobilium Epiſcopum, qua ſe excuſat, quod ad dedicationem novæ fabricæ venire non poſſit: *Tanta eſt*, inquiant, *ſolemnitas, ad quam me affectus tuæ fraternitatis invitat, ut corpuſculum meum ad vos traheret voluntas, niſi teneret infirmitas.*

Secunda pars jam demonſtrata eſt N. 6. h. Titulo.

9. Epiſcopi, Clerus, ac populus in dedicatione Eccleſiæ convenientes, hymnis, precationibus, aliiſque pietatis officiis pro ſuo quiſque munere inſtabant.

Hæc late deſcribit Euſebius teſtis oculatus l. cit. qui ibidem cap. 4. refert orationem panegyticam in dedicatione pronunciatam. Deinde l. 4. de vita Conſtantini deſcribens dedicationem Eccleſiæ Hieroſolymorum, ad quam evocaverat Conſtantinus Epiſcopos in Synodo Tyri congregatos, cap. 45. Sacerdotum, aliorumque in hac Solemnitate functiones enarrat, inquiens: *At Sacerdotes Dei partim precationibus, partim ſermonibus feſtivitatem ornabant. Alii ſiquidem comitatem Religioſi Imperatoris erga omnium Servatorem laudibus celebrabant, & Martyrii magnificentiam oratione perſequebantur. Alii &c.* Non igitur recens eſt, inquit Eſpenius, in ipſa Eccleſiæ dedicatione ſeu conſecratione varias preces fundi, quibus divina benedictio *ſuper domum iſtam impetretur*, fiatque id, quod Eccleſia quotannis orat, *ut quiſquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur*: vel uti intra ipſa conſecrationis ſolemnia: *Nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat, ſed virtute Spiritus S. operante, fiat hic tibi ſemper purum ſervitium, & devota libertas.*

10. Quamvis vero hodie uſus non habeat, ut plures Epiſcopi ad Eccleſiæ dedicationem convocentur, nullus tamen niſi Epiſcopus eam conſecrare poteſt, neque Epiſcopus Diœceſanus id munus delegare, quam Epiſcopo poteſt. Eo quod Conſecratio Eccleſiæ inter ea, quæ Ordinis, non autem Juriſdictionis Epiſcopalis ſunt, recenſetur.

Id cum Barboſa docent unanimiter Canoniſtæ, noſque lib. 1. Tit. 24. N. 18. adſtruximus. Nihilominus Superiores Regulares ſuas poſſunt benedicere Eccleſias ob contrariam rationem. De quo videantur Scholaſtici.

11. Circa Ritus dedicationis ſeu conſecrationis Eccleſiarum non fuit in omnibus Eccleſiis, nec omni tempore idem uſus.

Diſcrepantiam inter Ritus unctionis Eccleſiæ Græcæ & Latinæ fixos, ac Ritualibus, ſeu Pontificalibus utriuſque Eccleſiæ inſertos jam delineavimus lib. 1. Tit. 15. N. 20. utroſque autem hos ritus integros in multis differre a Ritibus Sæculi IV. non eſt dubitandum, atque ex dictis conſtat. Et Sæculo ipſo IV. dedicationis Ritum fuiſſe in Eccleſia Romana diverſum ab eo, quem Mediolani ſervare mos erat, ex S. Ambroſii Ep. 54. intelligimus. *Cum ego* (inquit) *Baſilicam dedicare vellem, multi tanquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: ſicut in Romana, ſic Baſilicam dedices. Reſpondi, faciam, ſi Martyrum Reliquias invenero.* Ex his verbis S. Ambroſii hoc quoque intelligimus, eo tempore in dedicatione Eccleſiæ *Ritu Romano* requiſitas fuiſſe Sanctorum Reliquias, cujus ritus ſub idem tempus etiam meminit S. Paulinus Ep. 12. Eundem fuiſſe jam pridem Græcorum ritum manifeſtum eſt ex canone 7. Synodi VII. quo decernitur: *ut Epiſcopus poſthac templum conſecrans ſine Sanctis Reliquiis deponatur, ut qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreſſus eſt.* De hoc Ritu latius agit Cardinalis Bona lib. 1. *rerum Liturgicarum* cap. 19. §. 5. ibidem notans: *quod mos olim Chriſtianorum fuerit, ut durante Ethnicorum perſecutione in areis & cœmeteriis, in quibus Martyrum corpora quieſcebant, ad ſynaxim peragendam convenirent. Poſtquam vero ceſſante perſecutione licuit publice templa erigere, ea cœperunt potiſſimum excitari iis in locis, in quibus paulo ante congregari, & clam myſteria celebrare conſueverant, nimirum in locis, in quibus Martyrum corpora erant recondita; atque hinc, ait, originem traxiſſe mihi videtur celeberrimus, & inviolabilis Eccleſiæ Ritus, ut ſine Martyrum Reliquiis nullum templum, nullumque Altare ædificetur; quo nimirum adhuc quodammodo ad ipſa Martyrum ſepulcra ædificari templa viderentur.*

12. Præter Ritum hunc importandarum Eccleſiæ conſecrandæ reliquiarum tum in Eccleſia Græca, tum Latina, diverſi Ritus præterea in utraque Eccleſia tempore dedicationis obſervantur ſucceſſive introducti.

Et quidem quod ritum imponendi ſacras reliquias juxta præſcriptum Pontificalis Romani attinet, ejus origo incerta eſt. Equidem in Sacramentario S. Gregorii, vulgo S. Eligii apud Menardum nulla ejus mentio occurrit, uti nec in codice, quem Sæculo IX. ſcripſit Rodradus Presbyter; at in Codice Ratoldi, utpote recentiore, plures adduntur cæremoniæ, uti advertit Menardus in Notis ad Sacramentarium: atque inter alias hæc de recondendis reliquiis, & exercendis vigiliis per totam noctem ad illas pridie, quam Eccleſiæ inferantur. Hunc codicem ſub finem Sæculi IX. ſcriptum credit Menardus. Et Rabanus Maurus ſub medium ejuſdem Sæculi ſcribens, de vigiliis coram reliquiis in nocte præcedenti agendis differit lib. 2. *de Inſtit. Clericorum* cap. 45. Quod vero trinum circuitum Eccleſiæ ab Epiſcopo factum, dum ad conſecrationem Eccleſiæ accedit, attinet cum aſperſione aquæ benedictæ, & poſt tertium circuitum faciendam percuſſionem portæ baculo paſtorali ſub pronuntiatione verborum ex pſalmo: *attollite portas Principes veſtras &c.* antiquus codex apud Menardum percuſſionis hujus trinæ quidem meminit, at non *trini circuitus*; illum nihilominus recenſet codex recentior Ratoldi, uti & Rabanus Maurus L. cit. Sæculo IX. Aſperſionis vero aquæ benedictæ in hac circuitione nec præfatus Codex, neque Rabanus meminit. At Ivo Carnotenſis Sæculo XI. in ſermone *de Sacramentis dedicationis*, poſtquam de benedictione aquæ cum admixtione ſalis fuit locutus, ſubjicit: *Iſta aqua ad quandam baptiſmi imaginem gyrando Eccleſiam tunc exterius aſpergimus, quia ubi more baptizatorum non poteſt fieri trina merſio, neceſſe eſt, ut qua poſſumus Sacramenti ſimilitudine trina fiat aſperſio. Unam enim habet ſignificationem trina merſio, & trina aſperſio.* Ex quibus non obſcurum eſſe ait Eſpenius, ex quo hæc excerpſimus, Ritus hodiernos in Pontificali deſcriptos non eodem tempore fuiſſe adhibitos, ſed alios eſſe recentiores, alios antiquiores. Hoc quoque allegata verba Ivonis indicant, aliquas cæremonias in conſecratione templi materialis eſſe adhibitas ad ſimilitudinem eorum, quæ in Spiritualis templi, ſcilicet animæ dedicatione per baptiſmum adhibentur, eo quod a Patribus dedicatio templi materialis repræſentaretur ut figura dedicationis templi ſpiritualis. Huic veriſimiliter originem debent ritus ſignandi ipſos parietes Eccleſiæ duodecim crucibus, eoſque oleo ſancto liniendi: ut ſicut in ſpirituali dedicatione baptizandus crucis ſignaculo & oleo ſignatur, ita hic ſpiritualis dedicationis figura repræſentetur. Similiter ut Neophytis *Sal* datur, ſic & hic *Sal* adhibeatur: quin & ipſa *duplicis alphabeti* in ipſo templi pavimento delineatio ex Ritu baptiſmi derivata videtur. *Quid enim*, ait Ivo, *per Alphabetum, niſi initia & ru-*

& rudimenta Doctrinæ ſacra intelligi convenit. -- *Scribit etiam Pontifex quaſi Alphabeti Ordinem, dum docet fidei ſimplicitatem &c.* Ritus Conſecrationis Eccleſiæ ſolemniſſimus olim fuit, quem tamen nunc pene antiquatum ſub Turcarum novas Eccleſias conſtruere prohibentium tyrannide Græcia deplorat, inquit Goarius, ac ideo forſan ex editis expunxit Euchologiis, quæ in Pontificum duntaxat MSS. Ritualibus ſecretius & iactarius exarata eſſe vniuir. Eundem hiſtorice & compendioſe exſcribit Nicolaus Cabaſilas de vita in Chriſto lib. 5. quem ficus & rotum benedictionis Ritum lege ſis apud eundem Goarium in Euchologio Græcorum a ſe edito pag. 666.

13. Uſus conviviorum occaſione conſecrationis Eccleſiæ inſtituendorum antiquiſſimus eſt.

Ejus enim meminit S. Gregorius M. lib. 8. ep. 71. & pluribus probat Du Cange in Gloſſario verbo *dedicatio*: ubi advertit, convivia illa in luxus & epulas adeo deflexiſſe, ut inde poſtmodum dedicationis vocabulum in malam partem tractum ſit, ac pro commeſſatione publica ſumptum, quod qui ad ejuſmodi feſta ad Vicos ire ſolent, non tam pietatis, quam commeſſationibus ac ludicris indulgendi cauſa eo confluant. Deplorat Du Cange quod hoc fiat in Gallia, deplorat Vaneſpen quod id frequentetur in Belgio, ſed plures Regiones ob hujuſmodi profanationes deplorandæ ſunt. An vero primis Eccleſiæ Sæculis annua hæc dedicationis feſtivitas fieret, incertum eſt. In Sacramentario Gallicano evulgato per Mabilionium tomo 1. Muſæi Italici p. 2. ex antiquo codice reperto in Bibliotheca Monaſterii Bobienſis ſcripto, ut ipſe credit, ante annos mille habetur pag. 354. *Miſſa in dedicatione*, in qua collecta *ad pacem* eadem eſt, quæ hodie recitatur in anniverſaria die dedicationis: *Deus qui nobis per ſingulos annos &c.* ut vel hinc manifeſtum ſit, etiam eo tempore in Gallia diem anniverſariam dedicationis Eccleſiæ fuiſſe celebratam; & hodie ipſa dies dedicationis anniverſaria, tanquam una ex præcipuis feſtivitatibus, cum octava celebratur in omnibus Eccleſiis.

14. Eccleſiæ ſemel conſecratæ & moraliter perſeverante eodem ædificio ab antiquis Sæculis reconſecrari ſunt vetitæ, ſed ſi pollucrentur, ſive violarentur, *reconciliari* eas voluit Eccleſia.

Primam partem edicit canon 20. Concilii Nicæni apud Gratianum diſt. 68. can. 3. ibi enim habetur: *Eccleſiis ſemel Deo dicatis non debet iterum conſecratio adhiberi, quia ſicut infans a qualicunque Sacerdote in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti ſemel baptizatus non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus iterum conſecrandus eſt.* Quanquam vero hoc Decretum inter Canones Nicænos non reperiatur, nec ullus veterum Scriptorum illius meminerit, nec conſequenter ex illo æram hujus diſciplinæ ſtatuere poſſimus, nihilominus fundamentum illius inductæ diſciplinæ non obſcure ex illo colligimus. Alii canones videri poſſunt apud eundem Gratianum L. cit.

Quantum ad ſecundam partem ea determinatur in Decretalibus, ubi & recenſentur ea, per quæ Eccleſia polluitur, & ritus reconciliationis præſcribuntur. Polluitur autem humani ſanguinis effuſione vel etiam ſeminis &c. reconciliatur vero mediante aqua cum vino & cinere per Epiſcopum benedicta. Quamvis enim aqua tam pro adminiſtratione baptiſmi, quam luſtralis pro benedictione populi a Presbyteris benedicatur; tamen hæc aqua, quæ cum cinere miſcetur pro reconciliatione Eccleſiæ, tantum per Epiſcopum benedicitur, unde ad diſtinctionem alterius aquæ vocatur *aqua conſecrata*. Qui etiam ſolus Eccleſias reconciliare poteſt cap. 9. *de conſecrat.* Aſpergitur autem Eccleſia polluta in ſui reconciliatione aſpergillo ex vero hyſſopo præparato. Ex quibus omnibus hoc finaliter notandum, quod ſicut Patres per conſecrationem templi materialis voluerunt repræſentare conſecrationem templi ſpiritualis per baptiſmum, atque in hunc finem ſupra ſatas cæremonias in ſolemni ea functione præſcripſerunt; ita per hanc reconciliationem figurari voluerunt reconciliationem peccatoris, ut jam pridem adverterunt Theologi, uti notat antiquus Gloſſographus ad cap. un. *de conſecr. Eccl.* in 6. verbo *pollui*; & hinc aquæ ad hunc finem adhibendæ cinerem admiſceri voluerunt, eo quod olim ad publicas pœnitentias ex plurimis authoritatibus ſcripturæ adhiberentur; voluerunt etiam aſperſionem fieri per hyſſopum ex eodem fine juxta illud Pſalmiſtæ: *aſperges me hyſſopo & mundabor*. Quibus omnibus rite expenſis omnes Novatorum calumniæ in venerandas Eccleſiæ Romanæ cæremonias occaſione Conſecrationis vel Reconciliationis Eccleſiæ adhiberi ſolitas ſponte ſua concidunt; nihil enim in iis reprehenſibile merito deprehendent, ſi notiones cæremoniarum rationabilium lib. 1. Tit. 8. in gratiam ipſorum ex doctiſſimo Proteſtante exſcriptas ad limam rectæ rationis expenderint. Accedit quod cæremoniæ in Conſecratione vel reconciliatione illorum locorum, erga quæ fideles ſummam venerationem habere debent, ſint neceſſariæ, cum natæ ſint, hunc effectum in animis mortalium excitandi, ac ideo in conſecratione Regum, Vexillorum &c. adhiberi ſolent; & hinc potius illi, qui eas redarguunt, ac conſequenter reſpuunt, magnopere ſunt reprehendendi. Addo cum Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIV. De Sacrificio Miſſæ ſectione 1. §. 8. proditum eſſe in lege veteri Moyſen tabernaculum conſecraſſe: *unxit & ſanctificavit cum omnibus vaſis ſuis altare*, & ſimilia, ut eſt in Exodi cap. 40. & Numerorum cap. 7. quod quidem conſecrationis noſtrorum templorum figura quædam fuit, ſi Petavio habenda fides ſit de Eccl. Hierarch. lib. 3. cap. 5. Salomon etiam ſolemnem templi dedicationem celebravit: *dedicavit domum Dei Rex, & univerſus populus*. Paralipom. 2. *Mactavitque* 22000. *boum, &* 26000. *arietum*. Judas Machabæus, poſtquam fœdis ſuperſtitionibus pollutum templum expiavit, & altare lapideum poſuit, Encænia celebravit, ſeu quod idem eſt, feſtum dedicationis teſte Iſidoro, qui lib. 1. de Eccleſ. cap. 35. ſcribit: *Encænia feſtivitas erat dedicati templi*. Eam vero feſtivitatem conſtat Judæos celebraſſe etiam Jeſu Chriſti tempore, qui eam præſentia ſua illuſtravit Joannis 10. Hæc vero ſacrarum Scripturarum loca non modo evincunt a Judæis ad Chriſtianos templi conſecrationem manaſſe, ſed etiam luculenter oſtendunt, quanta injuria, quamque temere Calvinus ſacrum ejuſmodi ritum irriſerit Inſtit. lib. 3. cap. 20. facile enim ea diluitur ratio, cui potiſſimum ille innititur, parietes nimirum res eſſe inanimes, quæ ut gratiæ, ita & conſecrationis recipiendæ aptæ non ſunt; nam *Eccleſia materialis* ideo conſecratur, ut ſanctificatio illa repræſentetur, quam *Eccleſia formalis* ſeu cœtus fidelium per paſſionem Chriſti conſecutus eſt, ut docet D. Thomas 3. par. q. 83. a. 3. ad 2.

T I T U L U S XLI.

De Celebratione Miſſarum, & Sacramento Euchariſtiæ, & divinis officiis.

1. EA præſentis tituli, ſeu argumenti in eo propoſiti eſt dignitas ac latitudo, ut ſi pro merito abſolvi deberet, alterum a præſenti volumen efficeret. Plurima enim ſunt, eaque ſane maxima, quæ occaſione Sacroſancti Miſſæ Sacrificii notanda occurrunt; ut ejus nomen, inſtitutio, variæ Eccleſiarum liturgiæ, cæremoniæ, ordines, ac formulæ in Sacrificio cum ſolemni, tum privato adhibitæ, nec non diverſæ Catechumenorum ac pœnitentium Claſſes, eorumque ac Fidelium in Eccleſia ſtationes, ac dimiſſiones; locus, tempus, quo celebretur; item ea, quæ ad ejus præparationem ac apparatum pertinent, videlicet Templa, Oratoria, Altaria, eorumque ornatus; materia item Sacrificii, ſingulariter quæ azyma Latinorum, & fermentum Græcorum concernunt. Sacra demum indumenta Sacerdotum & Miniſtrorum, ſupellex ſacra, vaſa & inſtrumenta ad Sacrificium ſpectantia, Miniſtri ipſi, eorum officia, ſingulorum Ordines, Cantus Eccleſiaſticus. Singulæ denique Miſſæ partes, ritus, eorum cauſæ, inſtitutiones, incrementa, mutationes, videlicet a proxima Sacerdotis ad celebrandum præparatione ipſiuſque acceſſu ad altare uſque ad ejuſdem ab eodem receſſu.

2. Profunditatem turbulentiſſimi hujus maris ingreſſus eſt, difficillimumque ac intricatiſſimum argumentum adverſus Miſſoliturgos ſeu Novatores, noſtrorum Sæculorum feliciter ac omnibus numeris abſolvit eminentiſſimus S. R. E. Cardinalis Bona Tituli S. Bernardi ad Thermas Diocletiani primus Presbyter e Sacratiſſima Ciſtercienſi Familia Congregationis S. Bernardi olim Monachus Pedemontanus An. 1674. vita ſanctiſſima functus; rerum liturgicarum libris duobus, omnium eruditorum Calculis comprobatis, quos nuper doctiſſimis commentariis illuſtravit D. Robertus Sala Taurinenſis ejuſdem Ordinis & Congregationis S. Bernardi Abbas digniſſimus.

3. In hoc opere ea lux ex reconditæ vetuſtatis irrefragabilibus monumentis affunditur tremendo huic myſterio, omnibuſque ad id pertinentibus, quæ ejus Sanctitatem atque a Chriſto inſtitutionem in plenam meridiem ponit, atque Auguſtanam Confeſſionem, cujus caput quodammodo fuit e medio tollere caput noſtræ illibatæ Religionis, Sacrificium nempe, ſine quo nulla unquam in orbe terrarum Religio extitit, ejuſque aſſeclas mirum in modum confundit; qui certe Sæculo XV. quo pietas cum literis in Orbe Catholico tantopere labefactata jacebat, negotium non leve orthodoxis, a quibus tum ſe ſe fide ac moribus per prætenſam reformationem ſeparabant, faceſſere, dum novitatis, humanæque intentionis tum alia, tum præſens vel maxime caput arguerent, ac proinde noſtris incumberet, rationem reddere villicationis Eccleſiæ Romanæ, quæ quidem ad mundum deſcripta jacebat in limpidiſſimis venerandæ antiquitatis monumentis, verum quæ recondita jacerent in Bibliothecis, ignorarentur tum a pluribus. At ex mira divinæ providentiæ diſpoſitione factum eſt, ut poſtrema etiam hac tempeſtate in Eccleſia exorta verificaretur ſacri eloquii oraculum, quod nimirum *oporteat eſſe hæreſes*, ut per eas Eccleſia purificetur, ac ſtabiliatur; hinc enim factum eſt, ut Paſtores, & Doctores Catholicæ Eccleſiæ per repentinos atque exitium minitantes tumultus heterodoxorum velut a gravi ſopore excitati ſeriois omnia excuterent, unde arma contra impetum Novatorum pararent; quæ res improbo Sæculorum labore Deo auſpice eo tandem perducta eſt, ut ſingula nos inter ac illos controverſa capita ad ipſas cunas Eccleſiæ inconcuſſo ordine videamus reducta, & quidem exploſis mediæ ætatis fabulis, ac apocryphis monumentis, authoritatibus ad totum ſanæ Critices rigorem exactis, quæ res ad eas ſane anguſtias recentiſſimos quoſdam adverſæ partis homines adegit, ut affirmare cogantur regnum ſuperſtitionis jam Sæculo ſecundo Eccleſiæ Chriſti dominatum fuiſſe, ut ſupra Tit. 28. & 31. vidimus, & ex dicendis in apricum ponetur.

4. Cum autem varia ex iis capitibus, quæ Eminentiſſimus Cardinalis Bona ad plenam de Miſſæ Sacrificio intelligentiam in præclaro ſuo opera complexus eſt, in decurſo præſentis operis vel ad longum, vel ſtrictim jam abſolverimus, utpote qui de ſacris ordinibus, Altaris Miniſtris late egimus Libro 1. de Eccleſiis, oratoriis, Altaribus hoc libro; de Catechumenis, pœnitentium Claſſibus acturi ſimus infra Libro V. ad reſidua ſolum commentationes hiſtoricas in præſentem Titulum accommodabimus; id præcipue curaturi, ut invictis teſtimoniis Dominis Proteſtantibus demonſtremus, Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificium, quod eorum prætenſi reformatores temere nimis exploſerunt, & a Chriſto eſſe inſtitutum & omnibus retro Sæculis in Eccleſia tam Græca, quam Latina frequentatum. Quod vero Euchariſtiam attinet, quemadmodum lib. 1. tit. 1. §. 6. iiſdem demonſtravimus Eccleſiam ſeu Patres vel Doctores Eccleſiæ omnium retro Sæculorum realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, extra ſumptionem, ſeu per tranſubſtantiationem credidiſſe; ita eandem Eccleſiam nunquam cenſuiſſe communionem ſub utraque ſpecie eſſe Juris divini infra libro V. in apricum ponemus.

§. I.

De ipſo Miſſæ Sacrificio ejuſque inſtitutione ac frequentatione in Eccleſia.

5. PEr Miſſæ Sacrificium intelligimus offerri Deo *verum* & *proprium* Sacrificium non tantum laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti, ſed *vere propitiatorium*; hoc eſt, quod nequaquam ſoli tantum prodeſt ſumenti, ſed pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus offerri debet.

Ita contra Novatores definivit Synodus Tridentina Seſſ. 22. *De Sacrificio Miſſæ* cap. 9. can. 1, & 3. quorum 1. ſic habet: *Si quis dixerit in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit.* Secundi verba fere retulimus. His vero canonibus accurate ſecernitur idea, quam habet ac ſemper habuit Catholica Eccleſia de Miſſæ Sacrificio, ab ea, quam poſtremis his temporibus ſibi de eo finxerunt heterodoxi, qui per ſacram actionem, qua conficitur aut in eorum ſenſu præparatur Euchariſtia, nudam communicationem fractionis panis intelligunt, & ad ſummum Sacrificium aliquod metaphoricum laudis & gratiarum actionis, quia nempe & ipſi in præparatione ſuæ Euchariſtiæ per miniſtros ſuos laudes & gratiarum actiones adhibent, ac demum nudam commemorationem Sacrificii in cruce peracti. Nequaquam vero Sacrificium proprie dictum,

ſeu

ſeu actum Religionis, quo per deſtructionem hoſtiæ fiet proteſtatio ſupremi in Deo dominii ſuper omnes creaturas, noſtræque totalis dependentiæ in eſſe, vivere, & conſervari ab ipſo; ſimulque non tantum participantibus de ipſo, ſeu communicantibus, *vi communionis*, ſed etiam toti Eccleſiæ, ejuſque individuis offerentibus, vel præſentibus, aut pro quibus applicatur tam vivis, quam defunctis, gratiæ variæ remiſſioneſque impetrentur, quemadmodum fiebat per Sacrificia veteris Legis; id quod tenet Catholica Eccleſia.

6. Sacrificium ita ſumptum Chriſtus ipſe Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech in ultima cœna inſtituit.

Id referunt Matthæus, Marcus, & Lucas, dum ajunt Chriſtum poſt conſecrationem panis et vini, eorundemque diſtributionem Diſcipulis factam dixiſſe: *Hoc facite in mei commemorationem*. Quo loco Salvatorem verum Sacrificium ſub ſpecie panis et vini inſtituiſſe præfiguratum in illo, quod olim obtulit Melchiſedech, conſtans eſt et perpetua omnium antiquorum Patrum ſententia; ex quorum teſtimonio ſenſus Eccleſiæ, & ex hujus ſcala ſenſum Sacræ Scripturæ potius deſumendum, quam ex interpretatione contraria noviſſimorum hominum, neſcio de quo Spiritu privato glorianſium, ſupra lib. 1. Tit. 1. §. 6. demonſtratum fuit; & ut unum vel alterum in medium adferamus, S. Cyprianus, qui Sæculo III. floruit ep. 63. ad Cæcilium inquit: *In Sacerdote Melchiſedech SACRIFICII Dominici ſacramentum præfiguratum videmus; —— quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in pſalmis Spiritus S. —— nam qui magis Sacerdos Dei Summi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui* Sacrificium *Deo obtulit, & obtulit* hoc idem, *quod Melchiſedech obtulerat*, id *eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem*, Cypriano ſuffragatur S. Auguſtinus lib. 16. *de civit. Dei* cap. 22. ubi ait: in oblatione Melchiſedech *primum apparuiſſe Sacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur toto orbe terrarum*: impleríque illud, quod longe poſt factum per Prophetam dicitur ad Chriſtum, *Tu es Sacerdos in æternum &c.* Item lib. 18. *de civitate Dei* cap. 35. ubi poſt relata Malachiæ verba c. 1. v. 11. *Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, quibus Sacrificium noſtrum incruentum manifeſte prædicitur, pergit: *Sacrificium per Sacerdotium Chriſti ſecundum ordinem Melchiſedech cum in omni loco a ſolis ortu uſque ad occaſum Deo jam videamus offerri; Sacrificium autem Judæorum, quibus dictum eſt*, non eſt mihi voluntas in vobis, nec accipiam de manibus veſtris munus, *ceſſaſſe negare non poſſunt*. Similia repetit lib. 19. cap. 23. & Orat. *contra Judæos* cap. 9. præcipue autem lib. 4. de Trinit. cap. 14. *Quid tam grate*, inquit, *offerri & ſuſcipi poſſet, quam caro* Sacrificii *noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri?* Sed Eccleſiam ab Apoſtolorum temporibus ſenſiſſe, Chriſtum in ultima Cœna verum Sacrificium inſtituiſſe, ex ejus ininterrupta praxi, de qua teſtes habemus omni exceptione majores omnium ſæculorum Patres & utriuſque Eccleſiæ Doctores, jam perdiſcendum.

7. Idem ergo Miſſæ Sacrificium a Chriſto Domino in ultima Cœna inſtitutum, ab Apoſtolis poſt ejus in cœlos aſcenſionem frequentatum fuit.

Propoſitionem adſtruimus I. ex actis Apoſtolorum cap. 2. ubi S. Lucas ait: *Erant perſeverantes in communicatione fractionis panis*; & infra ex cap. 20. *Una ſabbathorum cum conveniſſent ad frangendum panem*. 2. ex S. Paulo 1. ad Corinthios c. 11. *Convenientibus vobis in unum jam non eſt dominicam cœnam manducare; —— ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit ac dixit, Accipite & manducate: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem*. Quomodo intelligendi ſunt textus allati, Domini Proteſtantes? de veſtra cœna, an de noſtro Sacrificio? edicite: de noſtra, inquiunt, cœna, ſed ſi ea de noſtro Sacrificio a ſuis cunis ad noſtra tempora univerſalis viſibilis intellexit Eccleſia, veſtræne opinioni aut ejus *ſentimento* potius adhæreri debere prætendere poteſtis? at ita illa conſtanter ſenſit, & de Sæculo VI. uſque ad prætenſam veſtram reformationem, quæ Sæculo XVI. contigit, equidem non dubitatis; quid vero ſi teſtes vobis adducamus pro prioribus ſæculis, quibus ſanctiores & doctiores in Chriſtianiſmi vere ipſi non noſtis? nunquid illis in re tante, unde veſtra dependet ſalus, credetis? & Eccleſiæ univerſalis interpretationem, quam præ ſua verbis Chriſti ſive Pauli relatis conſtanter in favorem *veri Sacrificii* adhibuit, tandem præferetis miſeræ neſcio cui Eccleſiæ inviſibili, & in angulis objectæ, quam neceſſitate coacti finxiſtis, aut reformatorum veſtrorum prætenſo ſpiritui privato? Et ecce eos adducimus.

8. Viri Apoſtolici ſeu Apoſtolorum diſcipuli, horumque Auditores per priora II. Sæcula unanimiter teſtantur, Eccleſiam cum ipſis natam, & propagatam cenſuiſſe Chriſtum in ultima cœna verum corporis & ſanguinis ſui inſtituiſſe Sacrificium.

Primo loco veniunt S. Andreæ Diſcipuli, Achajæ Presbyteri in ep. quam de Martyrio S. Andræ conſcripſerunt. *Ego omni die*, inquiunt, *Sacrifico Omnipotenti Deo non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum Agnum in altari*. At non ſunt genuina iſthæc acta! Deſperatæ cauſæ ſane ultimum refugium, a noſtris dudum invictis argumentis exploſum (Lib. 1. Tit. 1. N. 231.). Succedit S. Ignatius Apoſtolorum diſcipulus Sacrificium offerendi ſæpe commemorans, præſertim in ea, quam ad Smyrnenſes genuinam ſcripſit, epiſtola, ex qua hæc verba Sæculo IV. recitat Theodoretus in impatibili dialogo III. *Euchariſtias, & oblationes non admittunt* (hæretici ſui temporis) *quod non confiteantur Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Eundem excipit S. Irenæus Polycarpi Sæculo II. diſcipulus lib. 4. cap. 32. *Dominus ſuis Diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens*: hoc eſt corpus meum; *& calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi teſtamenti novam docuit* oblationem, *quam Eccleſia* ab Apoſtolis *accipiens* in univerſo mundo offert Deo. Quid vult ſibi *nova* illa *novi* teſtamenti oblatio per totum mundum facta Deo in teſſeram grati animi pro perceptis a Deo beneficiis oblata? cœnane illa eſt Proteſtantium laudibus, ac gratiarum actionibus, ſeu metaphorico illo Sacrificio laudis, & gratiarum actionis comitata; an verum ac eſſentiale Sacrificium Catholicæ Eccleſiæ, *in* quo ipſa hoſtia in grati animi teſſeram Deo offertur? poſterius de univerſa Eccleſia teſtatur Irenæus, & quidem tanquam rem ab Apoſtolis acceptam. Hinc non mirum, quod bonus ille Levita Laurentius ad ejuſdem Sæculi II. initium apud Ambroſium lib. 1. off. cap. 41. perſuaſiſſimum habebat in Eccleſia verum offerri per conſecrationem corporis & ſanguinis Chriſti Sacrificium, cum ad Xiſtum ſuum

dice-

dicebat: *Quo Sacerdos S. ſine Diacono properas?* *nunquam* Sacrificium *ſine miniſtro offerre conſueveras*; ab Apoſtolis enim ſeductus iſta dicebat ſimplex ille Levita, ac pro re ſuperſtitioſiſſima in craticula ſe aſſari paſſus eſt. Sed & S. Juſtinus Martyr, qui circa ejuſdem Sæculi II. medium vixit, Apoſtolico veneno videtur afflatus fuiſſe, dum Apologia II. pro Chriſtianis ſic divinæ Liturgiæ ſeriem deſcribit: *Nos preces & ſupplicationes fundimus, ut digni idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni, atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum cuſtodes inveniamur, atque ut ſalute ſolvamur ſempiterna; finitis vero precibus, mutuis nos invicem oſculis ſalutamus. Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ & vini; quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum univerſorum Patri per nomen Filii & Spiritus S. offert, & Euchariſtiam ſive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis ſuis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actiones abſolvit, populus, qui adeſt, omnis fauſta approbatione acclamat dicens Amen.* Amen *autem voce hebræa* fiat *ſignificat. Præſidens vero poſtquam gratiarum actionem perfecit, & populus univerſus apprecatione læta eam comprobavit, qui apud nos vocantur Diaconi, atque Miniſtri, diſtribuunt unicuique &c.* Longam Miſſam ſeu prolixam vides cæremoniam hoc loco, cordate Lector, in qua Euchariſtiæ Sacramentum conficiebatur, ac populo præſenti aureis illis temporibus diſtribuebatur. At ne putes Calviniſticam cœnam a Juſtino delineari, ejus mentem pro re noſtra colligas velim ex dialogo ejuſdem contra Tryphonem: ubi ita habet in editione Colonienſi de A. 1686. col. 259. in fine: *Sane quidem ſimilæ quoque oblatio, O viri* (ad Tryphonem ejuſque ſodales in ſtadio ambulacrorum Xiſti cum ipſo conſidentes loquitur) *dicebam pro eis, qui a lepra purgabantur, ut offerretur tradita, figura fuit panis Euchariſtiæ: quem in recordationem paſſionis, quam pro his ſuſtinuit hominibus, quorum animi ab omni purgantur pravitate, Jeſus Chriſtus Dominus noſter facere præcepit: ut gratias ageremus Deo, cum pro eo, quod mundum cum univerſis, quas complectitur, rebus hominis gratia crearit; tum ob id etiam, quod ab omni, in qua fuimus, malitia nos liberarit, ac principatus, poteſtateſque perfecta occiderit occidione, per eum, qui de conſilio & voluntate ejus factus eſt patibilis. Proinde de Sacrificiis a vobis tum oblatis Deus, ſicuti ſupra dixi, per Malachiam unum ex duodecim ait:* Non eſt voluntas mea in vobis, dicit Dominus, & ſacrificia veſtra non ſuſcipiam de manibus veſtris: propterea quod ab ortu ſolis ad occaſum uſque nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incenſum offertur Nomini meo, & victima pura: quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus: vos autem profanatis illud. *De noſtris vero gentium quæ in omni loco offeruntur*, Sacrificiis, *hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tum locutus prædixit, nos quidem glorificare Nomen ejus* (nimirum Sacrificiis noſtris in pane & poculo), *vos autem profanare* (nimirum Sacrificiis veſtris per ſacrificium Chriſtianorum abolitis.) Quod autem vocabulis panis vini & aquæ, ſeu aqua mixti in utroque loco realem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam non excluſerit Juſtinus, ut miris artificiis extorquere volunt Albertinus, Claudius, Laroquanus, & alii Calviniani Pſeudo-Miſſæ, jam probatum eſt lib. 1. Tit. 1. cap. un. §. 6. N. 233. 259. & 260. Et aliunde jam adeo vapularunt poſt Arnaldum a Natali Alex. & Nicolao le Nourri homines iſti in perniciem ſuam & aliorum ingenioſi, ut nihil reponendum ipſis ſuperſit. Cæterum meridie ipſa clarius eſt, Juſtinum cenſuiſſe in confectione Euchariſtiæ verum offerri Sacrificium, cum illud & Sacrificium diſertis verbis edixerat, & in locum Sacrificiorum Judaicorum ſucceſſiſſe Judæis adfirmet, & in reſſerem grati erga Deum animi pro acceptis beneficiis offerri dicat. Juſtino autem optime perſpectam fuiſſe Apoſtolicam doctrinam vel ipſi heterodoxi affirmant, & inter alios Hieronymus Zanchius operum vol. 3. & Dallæus de uſu Patrum pag. 255. Habemus ergo irrefragabiles teſtes de Miſſæ Sacrificio in Aſia, Africa, Europa, in Orbe Chriſtiano primis duobus Sæculis. Ut S. Dionyſium prætaream, qui cap. 3. Eccl. Hierarchiæ poſtquam magnificis verbis ſalutaris hoſtiæ oblationem & Sacrificii excellentiam extulit: *Pontifex*, inquit, *de Sacrificio dignitatem ſuam ſuperante ſe purgat, ad Chriſtum prius exclamando: tu dixiſti, hoc facite in meam commemorationem*; eo quod dicta opera eidem Apoſtolorum Diſcipulo etiam a quibuſdam ex noſtris abjudicentur.

9. Eccleſia Sæculo III. quam Doctrinam ab Apoſtolis eorumque Diſcipulis de incruento Miſſæ Sacrificio accepit, eandem imperturbata praxi continuavit.

Propoſitionem teſtibus adſtruo. Imprimis Cyprianus *ep. 63.* ad Cæcilium quoſdam reprehendit, qui in Calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando non hoc faciunt, quod Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter *Sacrificii hujus Author & Doctor* fecit & docuit. Et Optatus Milevitanus Sæculi IV. medio l. *1.* meminit Eccleſiæ & Altaris, in quo Cyprianus, Lucianus, & alii Sancti Epiſcopi celebraverant. Et lib. *6.* contra Parmenianum: *Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa Altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum ſpatia ſancte, ut arbitrabamini, obtuliſtis.* In Donatiſtas invehitur. Quia pro mortuis Sacrificia in Eccleſia Sæculo III. offerri ſolita habemus ex eodem S. Patre ſupra Tit. XXVIII. Accedit Tertullianus *de oratione* cap. 15. *Nonne*, inquiens, *ſolemnior erit ſtatio tua, ſi & ad Aram Dei ſteteris? accepto corpore Domini & reſervato utrumque ſalvum eſt, & participatio Sacrificii & executio officii.* Ara Dei nulla profecto eſt ſine Sacrificio, neque participatio Sacrificii, ſi Sacrificium non erit. Habemus ergo miſſæ Sacrificium Sæculo III.

10. Sæculo IV. & V. ſicut Eccleſia abundavit Doctoribus, ita & abundamus teſtibus de continuato in ea ininterrupto Miſſæ Sacrificio.

Actum ageremus, ſi omnia Concilia, Pontifices, Patres in medium adferre vellemus, quæ de inconcuſſa hac veritate teſtimonium perhibent, nullus enim ex omnibus eſt, qui id non teſtetur. Ut tamen paucos ſeligamus, S. Ambroſius in precatione ante Miſſam: *Ego Domine*, inquit, *memor venerandæ paſſionis tuæ, accedo ad Altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi* Sacrificium, *quod tu inſtituiſti, & offerri præcepiſti in tui commemorationem pro ſalute noſtra.* S. Chryſoſtomus Homilia 60. *Verum & tu Laice, cum Sacerdotem videris* offerentem, *ne ne Sacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inviſibiliter extenſam.* Euſebius lib. 1. *demonſtrationis Evangelicæ* c. 10. poſtquam multa diſſeruit de Sacrificio a Chriſto inſtituto, tandem concludit: *nos ſacrificare memoriam celebrantes magni illius Sacrificii, ſecundum myſteria, quæ ab ipſo tradita ſunt.* Optatus Milevitanus l. mox cit. multas obſervat cæremonias quoad ejuſdem Euchariſtiæ celebrationem, quam Sacrificii nomine inſignit, idque ſacrificium pro tota Eccleſia tempore ſuo ſuper Altare ligneo, quod ad majorem reverentiam linteo ornatum, & coopertum erat, celebratum fuiſſe teſtatur;

tur; *cum altaria*, inquit lib. 3. *Solemni Sacrificia aptarent*. Et in fine agens de Miſſa in Africa celebrari ſolita: *Ritu ſalito ſolemnis conſuetudo perſpecta eſt, cum viderent divinis* Sacrificiis *nec mutatum quidquam, nec additum, nec ablatum*. Denique S. Auguſtinus lib. 83. quæſtionum quæſt. 61. *Sacerdos noſter in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech ſeipſum obtulit holocauſtum pro peccatis noſtris, & ejus Sacrificii ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſſionis memoriam commendavit, ut illud, quod Melchiſedech obtulit Deo, jam per totum orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri*. Merito autem huic loco ſubnectit Cardinalis Bona: Poſſem hic longum SS. Patrum Catalogum texere, aſſerentium Sacrificium noſtrum a Chriſto ad Apoſtolos, ab iſtis ad nos profluxiſſe; ſed nolo in re clara & indubitata nimia prolixitate gravare Lectorem.

11. Hæc fides de incruento Miſſæ Sacrificio a Chriſto inſtituto in eo ſenſu, quo illud accipit Tridentinum ſupra N. 5. relatum, inconcuſſa permanſit per reliquas Chriſtianæ æræ uſque ad nos tempora non ſolum in Eccleſia Latina, verum etiam in Græca, atque in aliis Orientis Sectis veterano Schiſmate, hæreſibuſque ab Eccleſia Romana dudum avulſis.

Propoſitionem hanc quantum ad Eccleſiam Latinam teſtimoniis adſtruere, eſſet ligna in Sylvam vehere. Quod autem eam quantum ad reliquas in apricum ponere poſſimus, Dominis Proteſtantibus in acceptis referre debemus; dum enim eorum prætenſi Reformatores horumque diſcipuli Auguſtanam confeſſionem in linguam Græcam traductam Conſtantinopolim mitterent, ſpe freti, Græcos in ſuas partes pertracturos, id elogii a Patriarcha Jeremia tandem retulerunt, quod nempe impiimis circa præſens punctum corruperint ſenſum Scripturæ, ſintque homines incorrigibiles, qui renuntiando conſtanti traditioni Eccleſiæ etiam renuntiaverint ſeu valvas occluſerint lumini, cujus beneficio a ſuis erroribus revocari poſſent. Duæ Synodi hac ſuper re habitæ Patriarchæ conſentiunt; & quidem Leucoſienſis alte fatetur, quod in Eccleſia Jeſu Chriſti exiſtat Sacrificium incruentum, vere propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum. Et quod hæc ſit fides quatuor Patriarcharum Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Jeroſolymitani, Moſchovitarum item, Ruſſorum, Bulgariæ, Serviæ, Myſiæ ſuperioris & inferioris, Imperii Arabum, & Ægyptiorum cum Græcis communicantium. Inter hos Patriarcha Antiochenus hanc notatu dignam conſignavit confeſſionem cum ſua Eccleſia: *Credimus, quod Miſſa ſit verum Sacrificium incruentum tanta eminentius ſacrificiis in lege Moyſis oblatis, quanto Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, perfectior eſt Agnis, & Sacerdos æternus ſecundum Ordinem Melchiſedech perfectior illo, qui circumdatus eſt infirmitate & capax peccati; etenim Meſſias in divina Miſſa eſt ille, qui offert & offertur, qui recipit & qui donat, ſicut dixit S. Chryſoſtomus. Nos igitur offerimus Sacrificium incruentum Altiſſimo pro peccatorum remiſſione, quæ commiſerunt fideles vivi & mortui, quemadmodum nos docuerunt SS. Apoſtoli per Meſſiam edocti*. Eccleſiæ Græcæ adſtipulantur in Oriente Jacobitæ, & Neſtoriani, cum omnibus reliquis ſectis. Vide le Brun Tom. 2. pag. 428. & ſeqq. Signum manifeſtiſſimum, Doctrinam de incruento Miſſæ Sacrificio ab ipſis Apoſtolis per ininterruptam praxim ad omnes enumeratas Eccleſias ſæculorum vehiculo delatam fuiſſe. Non igitur mirum, quod ipſe infernalis ſathanas Apoſtatæ Luthero Magiſtrum de abroganda Miſſa agere debuerit, ut ipſe teſtatur in ſuorum operum editionibus Wittembergenſi, Jenenſi, Altenbourgenſi &c. vix enim credibile eſt, ſuam propriam audaciam, eſto longe maximam, eundem ad hunc exceſſum, ut Religionem abſque ejus eſſentia, ſive Sacrificio inſtitueret, perducturam fuiſſe. Sed ſequantur per nos licet Domini Proteſtantes Doctrinam a malo dæmone traditam, nos ininterruptæ Doctrinæ, praxique univerſalis Eccleſiæ inhærentes adhærebimus.

§. II.

De variis nominibus hujus incruenti Sacrificii.

12. HOc incruentum Sacrificium a Chriſto inſtitutum variis per varia Eccleſiæ Sæcula nominibus inſignitum legimus, tam in Eccleſia Latina, quam Græca.

Ea ex Cardinalis Bona libris ſupralaudatis huc compendioſe tranſcribemus. Primo igitur a Latinis vocatum eſt *Collecta*, quia colligebatur populus, ut Sacrificio intereſſet. Tertullianus in fine libri de fuga in perſecutione: *Sed quomodo colligemus? quomodo Dominica ſolemnia celebrabimus? poſtremo ſi interdiu colligere non potes, habes noctem*. II. *Dominicum*, ut ex mox relato loco Tertulliani perſpicuum ſit; & S. Cyprianus ep. 63. ad Cæcilium: *Nunquid ergo Dominicum poſt Cœnam celebrare debemus, ut ſic myſticum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* III. *Agenda*, ut conſtat ex concilio Carthaginenſi vulgo II. A. 390. can. 9. ubi dicitur: *Numidius Epiſcopus Maſsylitanus dixit: in quibuſdam locis ſunt Presbyteri, qui aut ignorantes ſimpliciter, aut diſſimulantes audacter, præſente & inconſulto Epiſcopo compluribus in domiciliis agunt agenda*. IV. *Communio*, ut habet S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide Orth. c. 14. *Communio*, inquiens, *optimo jure appellatur, quia per illud cum Chriſto commercium habemus*. V. *Oblatio*, quod in ea Chriſtus Agnus ſine macula offertur, & immolatur. Unde Ennodius Ticinenſis ſub finem Apologetici Eccleſiam ſic loquentem inducit: *Me, quam Dei ſummi templa, repudiatis fanorum cultibus, & novæ lucis nitore gaudentem fecerunt eſſe conſpicuam, quam a victimis liberavit oblatio*. Oſtenditque Pamelius ad lib. Tertull. de cultu fœminarum cap. 11. ubi multas congerit ipſius Tertulliani & aliorum Patrum authoritates. Pergit Cardinalis Bona, Poſſem & alia nomina afferre, quæ Miſſam apud Latinos ſignificant, qualia ſunt *hoſtia*, *fractio panis*, *Myſterium*, *latria*, *Pignus*, *Sanctum*, *Menſa*, *pretium*, *bonum*, *gratia*, & ſimilia: ſed de his legi poſſunt Joſeph Vicecomes lib. 1. de ritibus Miſſæ &c.

Quantum ad Eccleſiam Græcam, ab ejus Patribus vocatur I. *Liturgia*, ſive miniſterium publicum, & quidem ab ipſis Eccleſiæ cunabulis. Actuum enim 13. vox illa *Miniſtrantibus illis Domino*, græce eſt *Liturgunton*; quod quidem Miniſterium nihil aliud fuiſſe creditur, quam Sacrificium, atque ideo textum illum ſic vertit Eraſmus, *cum illi Domino ſacrificarent*. Hinc tranſlatum Liturgiæ nomen ad ipſum contextum & ordinem Sacrificii, cum dicimus Liturgiam Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi &c. II. *Myſtagogia*, quæ idem eſt, ac ſecreta actio, divina participatio, introductio ad Myſteria apud Dionyſium c. 1. Hierarchiæ Eccl. & Nazianzenum Orat. 17. ad cives ſuos. III. *Synaxis*, ſeu collatio, ut eam frequenter ſcribit Dionyſius L. cit. quamvis alii Patres hac voce uti ſoleant pro quacunque fidelium congregatione, ſive ad orationem, ſive ad pſalmodiam, ſive ad audiendum verbum Dei, ut conſtat ex Caſſiano lib. 2. cap. 10. & Collat. 2. cap. ult. IV. Ab eodem Dionyſio ibidem etiam vocatur *Telete*. Eſt autem Telete Lexicographis initiatio, conſecratio, perfectio. Vera autem notio,

tio, ad quam reſpexit Dionyſius, cum hoc nomen Sacrificio tribuit, eſt perfectio & conſummatio; quia in illo Chriſtus offertur Fons totius perfectionis &c. V. *Anaphora*, elevatio, ſurſum elatio, id quod optime expreſſit Anaſtaſius Sinaita Oratione de Synaxi: *State*, inquiens, *obſecro cum reverentia, ſtate cum timore tremenda illa elevationis hora. Quo enim affectu, & quo animo quiſque illo tempore aſſiſtit, ſic & ad Dominum ſurſum fertur. Anaphora enim dicitur, quia ſurſum ad Deum fertur*. VI. *Proſphora*, quæ vox latine oblationem ſignificat, de qua ſupra actum eſt. Loca Sanctorum Patrum, a quibus *Proſphora* pro Sacrificio accipitur, multa congerit Riccardus Comment. ad Orationem 6. Procli pag. 242. VII. *Oeconomia*, quo nomine Epiphanius pro Sacrificio utitur hæreſi 75. Idemque eſt apud illum facere œconomiam, ac Sacrificium offerre; quamvis alii Patres nomen œconomiæ uſurpent ad exprimendum incarnationis myſterium. Alia a Græcis divinæ Liturgiæ tributa nomina (qualia ſunt *Hierurgia*, *Eulogia*, *Agathon*, *Myſterion*, *Latria*, *Dipnon*, *Teleſon*, & ſimilia; quæ latina ſunt actio ſacra, benedictio, bonum, Myſterium, cultus, cœna, perfectio) ſupra citati auctores Vicecomes, Doctes, & Raynaudus ſuppeditabunt, concludit Eminentiſſimus Cardinalis Bona.

13. Inter varia hæc nomina, quibus veteres incruentum Eccleſiæ Catholicæ ſacrificium inſignіverunt, antiquiſſimum & uſitatiſſimum apud Latinos eſt nomen Miſſæ.

Putat Baronius ad An. 34. N. 59. natam hanc vocem ſimul cum Eccleſia, & a primis ejus poſt Chriſtum Fundatoribus Petro & Paulo ex Hebraicis fontibus Romanis traditam, qua etiam uſum fuiſſe ait Jacobum fratrem Domini in ſua Liturgia; ſed utrumque tanti Viri fundamentum refellitur a Cardinali Bona. Negat enim imprimis, & vere negat, Miſſam eſſe nomen Hebraicum; quidquid autem ſit de Liturgia S. Jacobi, quod alio loco examinandum relinquit, eidem nomen Miſſæ adſcribi non poſſe affirmat, cum græce ſcripſerit, ſed latino Interpreti; nec uſquam Græcos Scriptores niſi poſt multa Sæcula ea voce uſos fuiſſe, & quidem non pro liturgia, ſed pro matutinis & veſpertinis precibus; ut habet in priori ſuo MSS. idem Eminentiſſimus Scriptor, teſte Sala ad hunc §. N. 1. Idem Cardinalis eodem loco etiam refellit Vice-Comitem, & alios, qui nomen Miſſæ ex Epiſtolis Romanorum Pontificum primi & ſecundi Sæculi adſtruere nituntur, quod hæ Epiſtolæ ſint ſuppoſititiæ, id quod nos etiam aſſeruimus lib. 1. Tit. 2. cap. 4. §. 5. Et ejus antiquitatem probat ex genuina S. Pii I. ad Juſtum Epiſcopum Viennenſem epiſt. Anno, ut Baronio viſum eſt, circiter 166. ſcripta, in cujus initio ſic loquitur Pontifex: *Soror noſtra Euprepia, ſicut bene recordaris, titulum domus ſuæ pauperibus aſſignavit, ubi nunc commorantes Miſſas agimus*. Item ex Epiſtola Cornelii ad Lupicinum ejuſdem Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopum, in qua ait, non licuiſſe tunc Chriſtianis, neque in Cryptis notioribus publice *Miſſas* agere propter acerrimam perſecutionem. Scripta autem eſt hæc Epiſtola circa An. 254. Item ex S. Ambroſio, qui Sæculo IV. floruit, atque ep. 13. ad Marcellinam Sororem ſcribit: *Ego manſi in munere*, Miſſam *facere cœpi*. Et pro Sæculo V. ex S. Auguſtino ſermone 91. de temp. ubi diſſerit: *in lectione, qua nobis* ad Miſſas *legenda eſt*. Et ſermone 237. item de tempore: *Ecce poſt ſermonem fit* Miſſa *catechumenis, manebunt fideles*. Hi porro Patres eo nomine uſi ſunt tanquam conſueto, & dudum fidelibus uſitato, ut patet; & hic uſus poſt Auguſtini tempora adeo communis factus eſt, ut ſuperfluum ſit ſequentium Sæculorum teſtes proferre.

14. Nomen nihilominus Miſſæ prioribus Sæculis non ſolum ad exprimendum incruentum Eccleſiæ Sacrificium, ſed etiam ad alia ſignificanda uſurpatum eſt.

Et primo quidem ex communi ac primigenia ſua ſignificatione pro *miſſione*, ſeu dimiſſione a quolibet Eccleſiaſtico officio acceptum eſt, ut in Concil. Carth. IV. can. 84. *Epiſcopus nullum prohibeat uſque ad Miſſam Catechumenorum*, id eſt ad dimiſſionem Catechumenorum ex ſacra liturgia. II. Pro *lectionibus & precibus*, quæ ab initio liturgiæ uſque ad dimiſſionem Catechumenorum explentur: qua acceptione Concil. Valentinum c. 1. ſancivit, *ut Sacroſancta Evangelia in Miſſa Catechumenorum poſt Apoſtolum legerentur*. III. Pro illa parte liturgiæ, quæ eſt ab offertorio uſque ad finem, & dicitur *Miſſa fidelium*. Quo ſenſu Miſſæ nomine utitur Cæſarius Arelatenſis Hom. 12. his verbis: *Si diligenter attenderitis, cognoſcetis, quia non tunc fiant Miſſæ, quando divinæ lectiones in Eccleſia recitantur, ſed quando munera offeruntur, & corpus vel ſanguis Domini conſecratur*. IV. Pro *Collectis*, ſive orationibus, quæ in Miſſæ Sacrificio legi ſolent, ut habet Concilium Milevitanum II. c. 12. *Placuit, ut preces vel orationes, ſeu Miſſæ, quæ probatæ fuerint in concilio, ab omnibus celebrentur*. V. Pro *Lectionibus in Choro*, Pſalmorum decantationibus interponi ſolitis, ex eo, quod tum Pſalmorum decantatio dimitteretur; & hoc ſenſu intelligendus eſt S. Aurelianus Arelatenſis Epiſcopus in ſua Regula Monaſterii a ſe conſtructi, in qua ait: *Sexta feria poſt nocturnos duæ Miſſæ fiant in æſtate, in hyeme tres*. Et S. Cæſarius in ſua regula cap. 21. dicens: *Omni Dominico ſex Miſſas facite, prima Miſſa ſemper reſurrectio legatur; perfectis Miſſis dicite Matutinos*. Itemque in ſua regula Tetradius, ubi ait: *Duos nocturnos faciunt, & tres Miſſas*, quæ evidentiſſime lectiones ſunt, non collectæ, ut putat Menardus. VI. Pro *Divino Officio*, ut in Concilio Agathenſi cap. 30. ubi ſtatuitur, quod in concluſione matutinarum, vel veſpertinarum Miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dicantur. Et Caſſianus: *Quare poſt Miſſam nocturnam*, id eſt poſt nocturnum officium, *dormire non oporteat*. VII. Quia Miſſa actio præcipua eſt, quæ in die feſto peragitur; ideo nomen Miſſæ pro ipſa *feſtivitate* a mediæ ætatis Scriptoribus paſſim uſurpatur, apud quos Miſſa S. Martini, vel S. Joannis, idem eſt ac Feſtum Sancti Martini, vel Sancti Joannis. Videatur Sanctus Ivo Carnotenſis in Decreto pag. 15. c. 190. Concilium Piſtenſe ſub Nicolao I. cap. 3. *Communi placito conſtituimus, ut uſque ad Miſſam S. Remigii, id eſt Kalendas Octobris ſpatium habeant*. VIII. Denique ſumitur Miſſa pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenus utramque comprehendit Catechumenorum & fidelium: quæ acceptio adeo inter omnes communis eſt, ut recentiores vix aliam agnoſcant hujus nominis ſignificationem. Porro apud antiquos Miſſæ & Miſſarum Solemnia plurali numero ſæpius, quam ſingulari legentibus occurrunt: vel quia duplex erat Miſſa Catechumenorum & Fidelium: vel quia Miſſæ nomine omnia divina officia, omnemque Sacramentorum adminiſtrationem intelligebant, ut ex dictis manifeſtum eſt. Unde errandi occaſionem accepiſſe magni nominis Theologum Jacobum Gretſerum notat Bona, qui ſolum noſtri temporis uſum attendens, quoties apud Caſſianum & S. Benedictum Miſſæ nomen invenit, de Miſſæ Sacrificio intellexit: ex quo ſequeretur plura in die, imo etiam poſt prandium Sacrificia olim a Monachis oblata: quia etiam poſt Veſperas, & poſt completorium S. Pater Benedictus ſua illa phraſi utitur; *Miſſæ fiat, & Miſſæ fiant*.

Quo

Quo errore nihil eſſe abſurdius ait Cardinalis. Qui lapſus nihilominus eminentem Gretſeri doctrinam obſcurare non debet, cum magnus etiam nonnunquam dormitet Homerus. Interim tamen ſatis indicat, quanti Theologis, Canoniſtiſque interſit ſtudio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ad regulas ſanæ Critices exacto indefeſſam operam locare.

15. Unde nomen miſſæ originaliter derivetur, magna eſt Authorum diſſenſio; verior ſententia eſt illa, quæ illud ait eſſe vocem Latinam, a *mittendo* ſive *dimittendo* dictam.

Prima pars ex eo patet, quod quidam illud exiſtiment Hebraicum ab Hebræa voce *Miſach*, quæ oblationem ſignificat Deut. 16. v. 10. ſed ut optime advertit Bellarminus lib. 1. de Miſſa cap. 1. ſi vox iſta Hebraica in uſu Apoſtolis fuiſſet, eam certe retinuiſſent etiam Græci & Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias ſimiles, videlicet *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Oſanna*, *Sathan*, *Sabbathum*, *Paſcha*. Apud Græcos autem nulla eſt mentio hujus vocis. Genebrardus vero de Liturgia Apoſtolica cap. 3. aliam hujus nominis originem proponat ex Græca voce *Myeſis*, a verbo *Myeo*, quod eſt doceo, inſtituo, ſpiritualiter initio; unde Miſſæ nomen mutata terminatione in lingua Latina prodiverit. At hanc conjecturam Genebrardi Cardinalis Bona vocat leviſſimam, ac tanti Viri doctrina, eruditioneque indignam. Cum nomen Miſſæ non niſi apud Recentiores Græcos reperiatur, qui poſt An. 1000. hanc vocem ſicut & alias a Latinis acceperunt; & alio ſenſu uſurpant, præſertim Scriptores Tactici, qui ea paſſim utuntur pro precibus, quas in exercitu Milites Chriſtiani mane, & veſpere recitabant. Albaſpinæus vero lib. 2. de Sacramento Euch. cap. 3. rejectis aliorum etymologiis ſingulari opinione velit Miſſam dici a nomine Meſs, quod apud Gentes ſeptemtrionales ſignificat *Feſtum* ſive *congregationem*, innixus præcipue Capitularibus, & Conciliis Franciæ ſub Carolo Magno, ejuſque Proſapia habitis, & editis; a quibuſdam tamen potius deducitur Miſſæ nomen ad feſtum conventumque populi denotandum translatum fuiſſe, inquit Cardinalis Bona, manifeſtâ ductus ratione, quam adfert infra cap. 2. §. 5. & nos ſupra N. 14. eam adduximus, quod nempe Sæculi IX. & ſequentium ſcriptores feſta Sanctorum, in quibus Germani Conventus, ſeu Nundinas celebrare jam ſolebant, & adhuc ſolent, Miſſæ nomine inſigniverint. Unde de facto perdurant *die Michael Meeſs*, *die Veits Meeſs*, *die Martini Meeſs &c.* Non enim veriſimile videtur, pergit idem, quod a gentibus ſeptemtrionalibus Miſſæ nomen emanare potuerit, quia cum ſerius ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potius ab illis acceperunt, a quibus fidei Myſteriis imbuti ſunt. Credo igitur, venia Doctiſſimi ac in re canonica verſatiſſimi Albaſpinæi, Miſſæ nomen in enarratis variis ſignificationibus a Gallis & Germanis cum aliis nationibus uſurpatum, ac tandem mediis Sæculis pro ſignificanda tota feſtivitate alicujus loci acceptum, & in hac ſignificatione ad populos ſeptemtrionales cum ipſa fide invectum, vel tandem ab eis uſurpatum, occaſionem potius Germanis dediſſe, ut a feſtis diebus ſeu Miſſis nomen *Meeſs* ad nundinas ſuas derivarint, cum in ſimilibus ſolemnitatibus nundinas celebrare ſolemne habuerint, & adhuc habeant, quam quod ab eorundem nundinis vulgo *Meeſſen* vox illa in Sacrarium derivata fuerit.

Quare merito ſecundæ parti propoſitionis, quod nimirum Sacrificio incruento Miſſæ nomen a *mittendo* ſive *dimittendo* populo a peracto reſpective ſacrificio, eruditorum ex Catholicis fere natio ſubſcribit, quos ad longum refert, iiſque ſubſcribit eruditiſſimus fortaſſis omnium, atque Sæculi noſtri delicium Benedictus Papa XIV. feliciter regnans in Commentario de *Sacrificio Miſſæ* a ſe edito typis Patavinis de An. 1752. §. 68. ubi & conſpirantes in hanc etymologiam Proteſtantes adducit, atque rationem ejuſdem reddit, inquiens: *Quia vero in noſtra Sacrificii Liturgia binæ dimiſſiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos & infideles poſt Evangelium, altera cæteros omnes, Miſſa peracta, dimittebat illis verbis*, ite, Miſſa eſt, *quæ ſecunda dimiſſio etiamnum remanet*, *inde Sacrificio noſtro* Miſſæ *nomen inditum*; & poſt citatos hanc in ſententiam authores notat Boſſuetum in explicatione quarundam difficultatum de Miſſæ Sacrificio cap. 2. monere vocem *Miſſa* eandem eſſe ac *Miſſio* levi facta inflexione, quemadmodum *remiſſa* pro *remiſſio*, *oblata* pro *oblatio*, *Aſcenſa* pro *Aſcenſio* veteres dixerunt. Addit, notaſſe etiam eundem Boſſuetum, cum ad oblationem deventum eſſet, Catechumenos, Pœnitentes, Energumenos alta voce a Diacono, ac deinque expleta Miſſa populum univerſum *dimitti* conſuevisſe: ac propterea Sacrificium non modo *Miſſam*, ſed etiam *Miſſas* eſſe appellatum. Frequentiſſime in libris occurrit *Miſſas facere*, *Miſſarum ſolemnia*; nam in Sacrificio non una, ſed binæ fiebant dimiſſiones. Id quod nos ſupra jam notavimus. Decantata ergo illa Diaconi vel etiam Sacerdotis vox, *ite*, *Miſſa eſt*, idem ſignificat, ac revertimini ad veſtra negotia, miſſio, ſeu dimiſſio vobis a Sacrificio conceditur; vel ſi Catechumeni &c. eſtis, imperatur.

§. III.

De Ritibus in Sacrificio Miſſæ adhibitis.

16. INcruentum ac vere propitiatorium Sacrificium a Chriſto in ultima cœna per conſecrationem panis & vini inſtitutum, atque per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, Apoſtolis, eorumque ſequacibus frequentandum uſque ad conſummationem ſæculi in Eccleſia a ſe fundata mandatum fuiſſe ex hucuſque dictis in apritum poſitum eſt. Nunc, quoniam nulla in rebus humanis datur ſolemnis functio ſine certis ritibus, cæremoniiſque, de ritibus in hoc ſacroſancto Myſterio ab Eccleſia adhibitis recto ordine inquirimus.

17. Damus autem in anteceſſum Dominis Proteſtantibus, quod Chriſtus Dominus, dum in ultima cœna ſacrificaret, nec eos Ritus, quos Eccleſia Latina, neque eos, quos Græca in eodem Sacrificio adhibet, exhibuerit. Ut eos nobis propitios exhibeamus in concedendo, quod neque eorum ritus, quos ipſi in ſuis cœnis adhibent, præuſurpaſſe: utpote qui nocte Euchariſtiam inſtituit, eamque poſt epulas carnales Diſcipulis diſtribuit; atque exinde diſcant non ſcandalizari ex variis hoc myſterium celebrandi Ritibus in varias orthodoxas Eccleſias ſubinde invectis, ac ſæpius immutatis. Manet enim inconcuſſum dogma, fidem in Eccleſia variari non poſſe, diſciplinam mutationi eſſe obnoxiam. Nam & ipſi parvulos ſuos non amplius baptizant nobiſcum per immerſionem, ſed per affuſionem, cujus tamen contrarium legunt in primitiva Eccleſia; ut alia quamplurima prætermittam. Fides ergo de neceſſitate Baptiſmi eſt eadem nunc, quæ olim, modus baptizandi non item. Et eadem ratio reperitur in aliis diſciplinæ capitibus, ac in præſenti imprimis.

18. Itaque Miſſæ inſtitutio ita ad Chriſtum referenda eſt, ut ipſum ejus Authorem agnoſcamus quoad eſſentiam, quæ mutari non poteſt; cætera vero, quæ ad preces, & ritus, ac cæremonias pertinent, & quæ paraſcevaſtica, & acceſſoria, ac parerga ſunt, ab Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus conſtituta fateamur.

Huc enim pertinent Apoſtoli verba ad Corinthios:

shios: *Cætera cum venero diſponam*, ut docet Auguſtinus hunc locum pertractans ep. 118. ad Januarium: *Unde*, inquiens, *intelligi datur, quia multum erat, ut in epiſtola totum illum agendi Ordinem inſinnaret, quem univerſa per Orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*. Sunt igitur quædam in omnibus liturgiis, in quibus omnes Eccleſiæ conveniunt, utpote ſine quibus Sacrificii ratio nullo modo ſubſiſteret; cujuſmodi ſunt panis, & vini præparatio, oblatio, conſecratio, conſummatio, & ipſius Sacramenti communicare volentibus diſtributio; inquit Cardinalis Bona, cujus ſenſum circa ultima verba contra quoſdam rigoroſiores criticos vindicat ejus Commentator Sala hic N. 3. Eccleſias autem omnes in his conveniſſe erui poteſt ex teſtimoniis variorum Patrum hoc. lib. Tit. 30. *de Decimis & Oblationibus*, ſicut & in præſenti §. 1. relatis, & adhuc referendis. Aliæ item præcipuæ partes ſunt, quæ licet ad Sacrificii integritatem non ſpectent, in omnibus tamen omnium gentium liturgiis reperiuntur, Pſalmorum ſcilicet modulatio, lectio Sacræ Scripturæ, Miniſtrorum apparatus, thurificatio, Catechumenorum & aliorum profanorum excluſio, precatio pacis, preces diverſæ, gratiarum actio, & ſi quæ alia ſunt ejuſdem generis. Modus autem & Ritus, quibus hæc omnia peraguntur, verba, quibus preces concipiuntur, ordo cæremoniarum, & reliqua minoris momenti diverſis Eccleſiis diverſa, & peculiaria ſunt: nec ita ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris inſtituta fuerunt, ut perpetua forent & Immutabilia. Ideo in illis varietates apparent, & mutationes, quæ unitatem Eccleſiæ non ſcindunt, nec fideles offendunt. Narrat enim Auguſtinus ep. 118. vel novæ edit. 54. ſibi dubitanti de variis Eccleſiarum obſervationibus dixiſſe Ambroſium: *Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. Idem ep. 86. ſeu in nova edit. 36. *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel inſtituta majorum pro lege tenenda ſunt; de quibus, ſi diſputare voluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio*. Quæ ſententia acutiſſimi Patris adeo vera eſt, ut meo quidem judicio cum ratione, & ſine præjudicio ſuarum religionum a Dominis Proteſtantibus impugnari haud poſſit.

19. Diverſitatis horum Rituum in tanta fidei unitate variæ ſucceſſive cauſæ extiterunt.

Eas enumerat Cardinalis Bona lib. 1. cap. 6. §. 2. videlicet, vel quia diſpares diverſarum Nationum mores & ingenia ſunt, quæ diverſos Ritus & Cæremonias, ut in rebus Politicis, ita etiam in Eccleſiaſticis exigunt: vel quia nullo extante de his Chriſti, vel Apoſtolorum præcepto, libera facultas Epiſcopis relicta eſt id ſentiendi & decernendi, quod unicuique ſalva fide magis expediens viſum fuit, teſte Socrate lib. 5. c. 21. & 22. vel quia ſæviente in Chriſtianos perſecutione cœtus Epiſcoporum in unum cogi non potuit, in quo communibus ſuffragiis communis forma Sacrificii celebrandi ab omnibus cuſtodienda ſtabiliretur. Diviſis enim provinciis inter Apoſtolos ad Evangelii prædicationem, credibile eſt unumquemque illorum gentibus, quas fide imbuerunt, modum quoque liturgiæ tradidiſſe ad eorum mores & conſuetudines, quibus ante ſuſceptam fidem vivebant, accommodatum; atque hinc ritus aliquos Hebræorum in Eccleſia admiſſos teſtatur Hieronymus ep. 85. ad Evagrium. Quia vero diſſimiles apud varias Nationes mores ſemper fuerunt, hinc orta rituum diverſitas eſt. Eadem libertate alios item Antiſtites uſos fuiſſe, qui in variis Regnis ſucceſſu temporis Evangelium diſſeminarunt, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores docent, & infra agendo de liturgiis videbimus.

20. In inducendis variis his Sacrificii Ritibus ſubinde peccatum eſt a variis Antiſtitibus ex variis capitibus.

Ea enumerat laudatus Cardinalis L. cit. §. 3. quarum primum fuit nimia libertas, quam ſibi temere arrogarunt quidlibet in hoc genere audendi minorum etiam gentium Epiſcopi, & ipſi quoque Monaſteriorum Præfecti, adeo ut nonnulli Apoſtolicis inſtitutionibus neglectis, veterumque Patrum authoritate poſthabita, multa prorſus inſulſa, & ab Eccleſiaſtica gravitate aliena ritualibus libris inſeruerint, quæ in antiquis codicibus hodie legimus ac deteſtamur. Ex hoc primo capite, quod levitatis notam meretur, alii illud nimio ſtudio evitare conantes, ſtultorum more in contrarium inciderunt, ait Bona ibi, ſeu in pertinaciam, dum ſemel ſuſceptis conſuetudinibus, ſive laudabiles eæ eſſent, ſive abuſus pertinacius adhærentes, reſtiterunt Romanis Pontificibus remedia adferre volentibus. Alii denique nullum ſtatuentes diſcrimen inter capita fidei & diſciplinæ, ex varietate Rituum dogmatum quoque diverſitatem exiſtimantes, mutuis inter ſe odiis & concertationibus exarſerunt, diſruptoque vinculo pacis ac dilectionis, ſchiſmati & erroribus patentiſſimum oſtium apertum eſt. Cujus rei teſtis eſt Eccleſia Græca.

21. Rituum horum abuſibus varietatique nimiæ tollendæ per omnia ſæcula ſedulo incubuerunt Concilia, Romanique, ac alii Antiſtites.

Legimus enim jam Actuum 15. cauſam circa ritum Circumciſionis & alia legis Moſaicæ præcepta, quæ Judæi gentibus recens ad fidem converſis imponere volebant, Jeroſolymis convocato Concilio definitam fuiſſe; & Tertullianus lib. *de Jejunio* cap. 13. ait: *Aguntur certis in locis Concilia ex univerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magna veneratione celebratur*; atque ex ipſa praxi Eccleſiæ conſtat, Concilia ob altiores ſeu graviores cauſas paſſim convocata fuiſſe, inter quas certe eſt illa Rituum ſacrorum, præſertim in Sacrificio Miſſæ, materia; unde in Concilio Epaonenſi A. 509. can. 27. & in Gerundenſi A. 517. can. 1. ſtatutum eſt, ut idem Miſſæ ordo in univerſa Provincia ſervaretur, quem ſervabat Eccleſia Metropolitana. An. autem 563. Braccarenſe I. aut potius II. can. 22. conſtituit, ut eodem ordine Miſſæ ab omnibus celebraretur, quem præfuturus ejus Eccleſiæ Archiepiſcopus a ſede Apoſtolica ſuſceperat; & ante hæc Concilia Innocentius I. in Ep. *ad Decentium Epiſcopum Eugubinum* acerbe invehitur in ſimiles abuſus, oſtenditque primarias Eccleſias proprios Ritus a Fundatoribus accepiſſe, quoſdam vero ex ſucceſſoribus per licentiam & poteſtatis abuſum ſæpe illos immutaſſe, & novitates introduxiſſe. Sed quis recenſeat omnia Concilia Romanoſque Pontifices, qui huic negotio præſertim circa Miſſæ ſacrificium inſudarunt, donec ea uniformitas in Ritibus ejuſdem prodiret, quam nunc conſpicimus, & ſuſpicere tenemur? Perpendant hos aliquos numeros Domini Proteſtantes, & videant, quam Eccleſia Romana ſit cordata & rationabilis, dum Ritus in Eccleſiis particularibus laudabiles, etſi varios, commendat & fovet; abuſos vero aſſidue tollere nititur; ſimulque expendant, an eorum prætenſi reformatores non fuerint fortaſſis ex eorum claſſe, qui capita fidei & diſciplinæ confundentes, ex hujus poſterioris variis abuſibus apud Catholicos tum deprehenſis anſam arripuerint a fidei unione cum ſuo ſequacium que ſuorum irreparabili damno temere ſe ſuoſque ſeparandi.

22. Quo

22. Quo Rito Apoſtoli Miſſæ Sacrificium celebraveriot, inter Patres non convenit omnino. Fideles, qui juxta actus Apoſtolorum perſeverarunt io fractione panis, vel qui juxta epiſtolam 1. ad Corintb. convenlebant in unum ad dominicæ cœnæ manducatiooem, de qaibus egimus ſupra h. t. N. 7. non ipſos ſingillatim attuliſſe panes, ac vinum, cumque quemlibet ſive marem, ſive fœminam Eucharistiam effeciſſe, ac abſumpſiſſe, ſed tam confectionem, quam diſtributionrm ab Apoſtolis, aliiſque Eccleſiæ Miniſtris peractam fuiſſe, primumque per verum Sacrificium peractom fuiſſe §. 1. hujus Tituli invicte demonſtratum eſt. Aliquem autem Ritum, ſeu cæremoniam huic Sacræ actioni adhibitam fuiſſe, ipſa ejus narura, atque a Chriſto facta inſtitutio, ſive ſacrificium in noſtra Catholica, ſive cœnam ſacram in Proteſtantium ſententia illam fuiſſe affetamus, poſtulat. Hoc ergo ſuppoſito Patres de bac re inquirentrs in duas abiere ſententias inter ſe diſcrepantes, teſte Cardinali Bona lib. 1. cap. 5. §. 3. Nam Gregorius M. lib. 7. Ep. 63. morem Apoſtolorum fuiſſe ſcribit, ſola oratione Dominica oblationis hoſtiam conſecrare, additis procul dubio verbis conſecrationis, cui adſtipulatue Honorius in gemma animæ c. 86. Et clarius idipſum expreſſit Wallridus Strabo c. 22. *de rebus Eccl.* E contratio Proculus Conſtantinopolitanus in libello de traditione divinæ liturgiæ contendit Apoſtolos *fuſiſſime, longoque verborum ambitu Miſſam decantaſſe*. Et S. Chryſoſtomus homil. 27. io 1. *ad Corinthios* affirmat: *Cum ſacras illas cœnas accipiebant Apoſtoli, quid tum faciebant? nonne in preces convertebantur & Hymnos? nonne in ſanctas vigilias? nonne in longam illam Doctrinam, & multæ Philoſophiæ plenam?* quas diſcrepantes ſententias ita conciliari putat Bona, ſi dixerimus, Apoſtolos utramque formulam & brevem, & prolixam diverſis temporibus adhibuiſſe; brevem quidem cum temporis anguſtia, vel perſequentium metu premebantur; prolixam vero eum per tempus, & occupationes liceret; adeoqoe ab initio breviſſimum fuiſſe liturgiæ Ritum, poſtea vero creſcente fidelium numero lectiones, preces cœpiſſe Apoſtolos adjicere, quibus & Sacrificii dignitas clarius eluceſceret, & major ipſi veneratio conciliaretur, pietaſque fidelium ac fervor magis accenderentur; exemplo oimirum veteris teſtamenti, in quo plures a Deo cæremonias inſtitutas ſacræ literæ nos docent.

§. IV.

De Liturgiis.

23. CUm ſicut Canones, legeſque in utriſque Juris Codicibus, ita Ritus peculiares Miſſarum tum Eccleſiæ Latinæ, tum Græcæ in Liturgiis, ſeu potius Codicibus liturgicis compilati exhibeantur; ut materiam de ritibus Miſſæ, §. præcedenti generaliter delineatam, particularius §. præſenti exhibeam, de variis variorum Sanctorum, Natiooumque liturgiis agere conſtitui; nemo autem jure a me prætendat, ut particulares ritus omnium Eccleſiarum hoc loco recenſeam, eoſqoe ad invicem combinem &c. id enim eſſet contra ſcopum ſuſcepti operis, utpote in quo non particulares Juris Canonici materias exhaurire, ſed tantum notis hiſtoricis illuſtrare conſtitui. Velim autem, ut benevolus Lectot in memoriam revocet ea, quæ ſupra N. 18. de ritibus Miſſæ ſubſtantialibus, integralibus, & accidentalibus adnotavimus, atque ontet in prioribus Eccleſiaa ſemper conveniſſe, in poſterioribus non item. Et idem judicium ferendum de ſanis utriuſque Eccleſiæ liturgiis.

24. Itaque ut ſupra N. 22. dictum eſt, Eccleſiæ ab Apoſtolis inſtitutæ formam aliquam & ritum offerendi Sacrificium ab iiſdem acceperunt, qui primis ſtatim ſæculis in aliqoo Codice ordine deſcriptus fuit, qualem codicem nos hodie vocamus Miſſale, ſicut ordinem Miſſæ io eo deſcriptum liturgiam.

Primæ propoſitionis parti conſentit vel ipſe Erneſtus Grabbe heterodoxus Scriptor c. 6. ubi eadem fere verba adbibet. Id ipſum firmat Hugo Grotius. Quorum teſtimonio tanquam ab inimicis ſumpto evincitur illa.

Secundam partem contra le Brun, qui ſentit uſque ad Sæculum V. Eccleſiæ per ſolam traditionem ſervatum fuiſſe Liturgiæ Ordinem, cum aliis fortiter ſuadet Commentator Eminentiſſimi Cardinalis Bona, Robertus Sala ad caput 8. §. 1. N. 1. & primo ex S. Juſtino Martyre, qui in Apologia 2. inter cætera ſic ait: *Deinde ei, qui fratribus præeſt, affertur panis, & poculum aquæ & vini, quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus S. offert, & Eucbariſtiam, ſive gratiarum actionem* —— prolixe exequitur; non eſt autem veroſimile per ſolam traditionem, ac memoriter tantum abſque ullo codice, in quo legerentur prolixæ iſtæ orationes, & preces, uno ordine, unoque ritu perſolvi potuiſſe. 2. Ex Tertulliani loco a nobis N. 21. h. t. relato. 3. Ex S. Hieronymo, qui in catalogo Scriptor. Eccl. de S. Hilario Pictavienſi ſcribit: *Eſt ejus & liber Hymnorum & Myſteriorum alius*. Aliæ probationes videantur ibi.

25. Ex liturgiis, quæ variis Apoſtolis attribuuntur, nulla videtur genuina præter ipſam liturgiam Jacobi, quæ genuinus ejuſdem Apoſtoli fœtus eſt, attamen ſucceſſu temporis augmenta varia accepit.

Imprimis, quod liturgiam ſub nomine S. Petri Sæculo ſuperiore, a Cardinali Sirleto Græce & Latine ex MSS. Codice editam, atque a Guillelmo Lindano notis illuſtratam attinet, eam evidentibus argumentis ſuppoſititiam, atque ab aliquo ejuſdem Sæculi Sacerdote Italo-Græco conflatam probat Bona L. mox cit. §. 1. Liturgias vero ſub nomine Matthæi & Marci Evangeliſtarum peoſtantes §. 2. dubiæ fidei vocat. De prima enim altiſſimum ubique ſilentium eſſe aſſerit, poſteriorem vero commemorari & veluti Pſeudepigrapham a Sæculi XII. ſcriptore Balſamone reſp. 1. *ad Marcum Patriarcham*, & ad Can. 32. Concilii Trullani rejici ait. Quod vero Liturgiam S. Jacobi concernit, ejus genuitatem ex perpetua Eccleſiæ Græcæ traditione, quæ illam ſemper ut legitimam agnovit, adſtruit, addens: Conſentiunt Græcis Syri, qui teſte Abrahamo Ecbellenſi in notis ad Hebedieſu *de Scriptoribus Chaldaicis* pag. 135. aſſerunt S. Jacobum primum omnium Liturgiam ſcripſiſſe, & ad ejus normam cæteras inſtitutas fuiſſe, in Eccleſiis Orientalibus nimirum; nam Eccleſiæ Romanæ Liturgiam, ſeu Ritus celebrandi Miſſæ Sacrificium, traditos fuiſſe a S. Petro, atque eum ſuis augmentis in ea conſervatos, & in alias Eccleſias Occidentis derivatos alibi probat idem Cardinalis. Alia ejuſdem argumenta, ſicut & ſolutiones cuniculorum ab heterodoxis contra hanc liturgiam ſtructorum vide ibi. Qui etiam ibidem ultro fatetur eidem a recentioribus nonnulla addita fuiſſe, ut in ſimilibus fieri ſolet; ſed propterea nullatenus rejiciendam ceu ſpuriam.

26. Liturgiæ Apoſtolorum Diſcipulorum, Clementis ac Dionyſii nomine inſcriptæ, ſubleſtæ fidei ſunt.

Quantum ad Miſſam S. Clementis illa habetur deſcripta in Conſtitutionibus Apoſtolicis per Clementem editis, quas quamvis Cardinalis Bona cenſeat tantum interpolatas, nos tamen lib. 1. tit. 2. cap. 2. §. 2. cum aliis probavimus & A-

poſtolis & Clementi fuiſſe ſuppoſitas. Eas tamen Sæculo IV. vel etiam III. editas Viris doctiſſimis non negamus, & conſequenter fatemur, Miſſam Clementis ejuſque uſum eſſe antiquiſſimum in Eccleſiis Orientalibus. Quantum vero ad liturgiam a Dionyſio traditam Eccl. Hierarch. cap. 3. quamvis eam Apoſtolicam plerique exiſtiment, ejus tamen authentia unice dependet a genuitate ejuſdem Sancti operum. Novimus autem, quantis difficultatibus moderno Sæcolo laborent dicti libri, & quam ponderoſa illorum ſint argumenta, quæ eorum authorem ad ſæculum quartum protrahunt, cum prima illorum mentio primo fiat circa medium Sæculi VI.

27. Ex his liturgiis Græci in Oriente præcipua uſi ſunt illa S. Jacobi Apoſtoli uſque ad tempora S. Baſilii M. ſeu circa An. 370. ubi ſanctus ille Epiſcopus ſuam illam compoſuit, quam Græci ſuſceperunt.

Hanc liturgiam commendat Proclus in opuſculo de traditione divinæ Miſſæ, Trullana Synodus can. 32. Leontius lib. 3. adv. Neſtorium, & alii Patres Græci quam plurimi. Cauſam vero, qua motus eſt Baſilius ad novum offerendi Sacrificii ordinem componendum, hanc tradit Proclus, quia Miſſam a Jacobo editam, fidei fervore deficiente, homines terrenis negotiis immerſi nimiæ prolixitatis accuſabant, quare ſalubri uſus conſilio eam in compendium redegit. Et quanquam Orientales ea liturgia uſi fuerint, nullum tamen hactenus ejus exemplar repertum eſt, quod non mutilum, aut interpolatum ſit, uti affirmat Goarius, qui in Euchologio Græcorum varia ejus profert exempla; hinc quam certum aliquam liturgiam a Baſilio conſcriptam eſſe, tam incertum eſt, quid nunc præciſe ipſius ſit in iis, quæ exſtant ſub ejus nomine, liturgiis. Ejus diverſitatis rationem reddit Scialach; quod ſicut Latini & Græci Antiſtites in ſuis liturgiis, quas ab Apoſtolis acceperunt, multa vel addiderunt, vel immutarunt; idem etiam ab Alexandrinis & Ægyptiis par eſt eredere pro temporum opportunitate factum. Nemo ſe continuit intra terminos a majoribus conſtitutos, ſed quiſque addidit, quæ ſibi aptiora viſa ſunt ad excitandam in ſe & in aliis pietatem. Porro Miſſa S. Baſilii certis duntaxat diebus utuntur Græci, in Dominicis ſcilicet ſanctæ, & magnæ Quadrageſimæ, dempta Dominica Palmarum, in ſancta & magna Feria V. in magno Sabbatho, in vigilia Nativitatis Chriſti, & Epiphaniæ, & in die feſto ipſius S. Patris Baſilii.

28. Eadem, qua S. Baſilius, ratione permotus S. Chryſoſtomus novæ liturgiæ componendæ manum admovit ad finem Sæculi IV.

Id teſtatur idem Proclus ejuſdem S. Patris diſcipulus, & in throno Conſtantinopolitano Succeſſor in eodem Opuſculo. Hanc Liturgiam edidit in ſuo Euchologio Goarius, & cum pluribus tam impreſſis, quam MSS. exemplaribus contulit, diſcuſſit, & notis illuſtravit adeo copioſe & erudite, ut nihil ejus diligentiæ addi poſſit, inquit Bona. Excerpſit quædam Chryſoſtomus ex Baſiliana, & in ſuam tranſtulit; plura deinde ab aliis addita, & pro cujuſque nutu inſerta ſunt, unde maxima exemplarium varietas emanavit. Et hinc ejus eadem ratio, quæ Baſilianæ. Vide Salam hic in commentario, ubi ea, quibus Heterodoxi hanc liturgiam Chryſoſtomo eripere conantur, exſufflat; & quidem facile; cum pro ea teſtimonium ejuſdem S. Patris diſcipuli, & perpetuam traditionem Græcorum habeamus, quamvis interpolatam, minori tamen ex parte, non negemus cum Goario, qui etiam videri poteſt. Ea liturgia utuntur Græci reliquo anni tempore.

29. Græcorum Liturgiis, Ritibuſque in ſacrificio Miſſæ ab iis præſcriptis, utuntur aliæ Nationes quam plurimæ tum in Aſia, tum in Africa, ac Europa; in ſuo tamen quælibet idiomate.

Inter has primo loco veniunt Moſcovitæ Schiſmatici, a Græcis circa Sæculum X. probabilius ad fidem converſi. 2. Chriſtiani Tartari circa Tauricam Cherſoneſum, Circaſſi, & quædam Ponticæ Nationes: itemque Servia, Myſia, Boſnia, Bulgaria, Ruſſia minor Regi Poloniæ ſubjecta, Volhinia, Podolia, & pars quædam Lithuaniæ. Colchi item & Iberi, nunc Georgiani dicti, inter mare Caſpium & Pontum Euxinum ſiti; Albani item Europæi ad Jonicum mare; Melchitæ denique, quorum etſi lingua ſit Arabica, Græco nihilominus idiomate & ritu celebrant.

29. Proprias vero liturgias habent aliæ nationes cum Græcis Schiſmaticis in religione non communicantes.

Inter hos veniunt Neſtoriani & Jacobitæ per Syriam, Aſſyriam, Perſidem, & Indiam, aliaſque finitimas Aſiæ regiones ingenti numero diſſeminati, qui proprias habent Liturgias ſermone Chaldaico, non tamen multum a Græcis diſcrepantes. Neſtoriani ſequuntur Neſtorium, Jacobitæ Dioſcorum & Eutichen. Alii ſunt Jacobitæ Ægyptii, quos Cophtos nominamus, quibus peculiaris eſt liturgia lingua Cophtica conſcripta, crediturque eſſe liturgia Græca corrupta. Eidem ſimilem habent Æthiopes ſeu Abyſſini lingua Æthiopica, quæ tamen ab Arabica differt; in ea habentur 10. Liturgiæ, quarum ultima inſcribitur S. Dioſcori *Patriarchæ Alexandrini*, impii ſcilicet illius, qui in Concilio Chalcedonenſi damnatus fuit, quem Æthiopes illius erroribus imbuti ut ſanctum colunt. Armeni ab Eccleſiæ Romana miſerando Schiſmate adhuc ſejuncti ſpecialem habent liturgiam proprio idiomate conſcriptam, quæ tamen Græcanicum ritum in pleriſque imitatur, licet præter omnium Orientalium morem in azymis celebrent, & a Græcis acerbe diſſideant. Armeni Catholici Latinos Ritus ſuſceperunt, ſed in iis patria lingua utuntur. Priorum Armenorum Ritus ſequitur Albania inter Iberiam & mare Caſpium ſita. Maronitæ ſive Montis Libani incolæ Sæculo XII. ad fidem Catholicam a Monothelismo converſi, atque in ea conſtantiſſime perſeverantes, liturgiam particularem habent, eamque prolixam, in qua Gabriel Sionita eadem fere contineri ait, quæ in Miſſa Latina, diverſo tamen ordine, cæremoniiſque; cum Græcis enim in quibuſdam conſuetudinibus communicant, in Azymis conſecrant cum Armenis, atque inter Miſſarum ſolemnia quoſdam S. Ephræm hymnos valde elegantes concinunt. Qui plura de Orientalium liturgiis ſcire deſiderat, conſulat Cardinalem Bona, qui hic §. 9. ex Abrahamo Eſchellenſi ſupra 50. Orientalium Liturgias recenſet Apoſtolis, & primævæ Eccleſiæ Patribus adſcriptas. Recte autem ait Cardinalis Bona §. præced. Apparet autem hic conſenſus & uniformitas, ac velut ex diverſis vocibus conſonantia, ſive diſcors concordia in omnibus Liturgiis: & inde palam fit, ordinem Sacrificii ab Apoſtolis traditum eſſe, & in omnem terram diffuſum. Quamvis enim differant diverſarum gentium Liturgiæ in ſingularum partium collocatione, & in verbis, quibus orationes concipiuntur, iiſdem nihilominus membris coaleſcunt, quæ ſunt ante omnia peccatorum confeſſio, tum introitus, ſive quoddam quaſi procemium, deinde Pſalmi ac lectiones ſacræ Scripturæ, & potiſſimum Evangelii, Symboli recitatio, lotio manuum, commemoratio & invocatio Sanctorum, preces pro omnibus vivis & defunctis, gratiarum actio,

ctio, ac benedictio , prærer ea , quæ eſſentialia ſunt , oblationem ſcilicet, conſecrationem , & communionem . Porro hæc conſtans & perpetua omnium gentium conſpiratio nonniſi a Spiritu S. eſſe poteſt , cujus influxu totum corpus Eccleſiæ (Catholicæ nimicum) in pace & unitate fovetur , & conſervatur . Et ex qua , ſicut & ex hæreticorum & Schiſmaticorum in hoc puncto cum eadem Eccleſia Catholica perpetuo conſenſu , Miſſæ Sacrificium a Chriſto inſtitutum , ab Apoſtolis traditum contra Dominos Proteſtantes peremptoris omnino probatur .

30. A Græcis liturgiis ad illas Latinorum recto ordine procedimus , inter quas principem locum dignitate , univerſalitate , ac antiquitate , ſibi vendicat liturgia Romana .

Dignitate quidem , quia a B. Petro Apoſtolorum Principe Romanis tradita eſt , ut probat Walfridus Abbas lib. *de rebus Eccl.* c. 22. ac confirmari poteſt ex S. Iſidoro , & immemorabili Eccleſiæ traditione , legenduſque venit Innocentius I. l. ſupra a nobis N. 21. citatus cum iis , quæ diximus de ritibus in celebrandis Sacris Myſteriis ab Apoſtolis inſtitutis N. 24. Infra autem agendo ſuccincte de Partibus Miſſæ , a Succeſſoribus S. Petri preces & cæremonias fuiſſe additas oſtendetur ; ita enim rerum omnium fert conditio , ut initium ſuum habeant , ſequatur incrementum , omnibus demum numeris abſolvantur . Dici autem vere poteſt de hac liturgia ab univerſo Orbe quoad rem & ſubſtantiam eſſe ſuſceptam , & ita intelligendus venit Iſidorus lib. 1. *de Eccleſ. officiis ;* omneſque Eccleſias Occidentales Miſſa Romana nunc uti , Mediolanenſi excepta , etſi quædam Eccleſiæ tum Sæculares , tum Regulares propria Miſſalia habeant , ut vult Bona hic cap. 7. §. 5. quia omnes cum Romanis conveniunt in forma & diſpoſitione Miſſæ ; reliquæ vero minutæ diverſitates nec Ritus diverſitatem inducunt , nec Ritum peculiarem conſtituunt . Cum Romano vero Miſſæ Ordine Eccleſiam Africanam a Petri Apoſtoli Diſcipulo Marco fundatam ac propagatam arctam ſemper ſervaſſe connexionem , clare patet ex S. Auguſtino Ep. 59. *ad Paulinum* , aut *Victorinum* potius q. 5. utpote ex quo evidentiſſime colligitur talem ejus ævo fuiſſe Ordinem Miſſæ , qualis nunc permanet in Eccleſia Romana , quæ cum Africanis tunc conteſſeravit , ut loquitur Tertullianus *de præſcript.* cap. 36. nam primo præmittuntur precationes uſque ad canonem , ſequitur canon , quem nomine *orationis* intelligit Auguſtinus , in cujus fine oratio Dominica recitatur : tum meminit benedictionis Epiſcopalis , quæ olim communioni præmitti ſolebat . Demum poſt communionem Gratiarum actione Miſſarum ſolemnia terminantur .

31. Quamvis autem nullus dubitet liturgiam Romanam , ſeu Ordinem Miſſæ Romanæ traditione in Eccleſia Romana ſeu Latina eſſe antiquiſſimum omnium aliorum ſimilium Ordinum , utpote a S. Petro Romæ Cathedram figente traditum ; ſi tamen Ritualia edita a doctiſſimis Viris moderoorum Sæculorum ſpectemus , liturgia Mediolanenſis , ſeu potius *Codex Liturgicus* ejuſdem tempore præcedit liturgias , ſeu Sacramentaria Romana .

In Liturgiis enim Romanis primo loco occurrit Sacramentarium Leonianum , in editione noviſſima Liturgiæ Romanæ Veteris Ludovici Antonii Muratorii Venetiis de An. 1748. a S. Leone Papa I. ut ipſi videtur , editum . Vixit autem S. Leo Papa I. Sæculi V. medio . Secundo loco Sacramentarium Gelaſianum a S. Gelaſio I. , uti eidem videtur , concinnatum . Vixit vero Gelaſius Sæculi V. fine . Tertio loco Sacramentarium Gregorianum a S. Gregorio I. Papa compoſitum , qui obiit Sæculi VII. initio . Quarto loco Ordo Romanus I. qui judicio Mabillonii , cujus admonitionem Muratorius eidem in citata editione præfigit , Gregorii ætatem ſapit . Quinto denique Ordo Romanus II. , de quo ſequentem apud Muratorium admonitionem præmittit Mabillonius ; *Qui hic ſequitur Ordo Romanus , primo loco editus eſt a Caſſandro & Hittorpio . Onuphrius Panvinius exiſtimat eum eſſe Ordinem Gelaſianum , qui a Gregorio M. fuerit emendatus . Attamen Ordo præmiſſus plura continere videtur antiquioris Ritus .* Quod vero attinet ad Miſſæ Ambroſianæ inſtitutionem , inquit Cardinalis Bona lib. cit. c. 10. §. 5. Walfridus Strabo eam ante annos octingentos Ambroſio adſcribit lib. *de Rebus Eccleſ.* c. 22. his verbis : *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus tam Miſſæ , quam cæterorum diſpoſitionem officiorum ſuæ Eccleſiæ & aliis Liguribus ordinavit . Quæ & uſque hodie in Mediolanenſi tenentur Eccleſia .* Straboni autem ſuffragatur illius Eccleſiæ & totius Italiæ traditio , a qua ſine evidenti ratione recedendum non eſt . Ambroſius ergo , qui vixit ad finem Sæculi IV. in edendo Liturgiam a Romana magnopere diverſam , ut cum Cardinale Bona omnes notant , & res ipſa loquitur , tempore præceſſit omnes enumeratos Pontifices ; at horum liturgiæ , Ordinem Miſſæ a Beato Petro traditum precibus ſolum cæremoniiſque quibuſdam augentes in rei veritate Ambroſiana Liturgia ſunt antiquiores , id quod intendit propoſitio , ex cujus tenore etiam intelliget Lector , liturgiam ſeu Ritus incruenti Sacrificii prius ab eodem beatiſſimo Apoſtolo fuiſſe traditos Antiochenis , apud quos prius ad tempus ſedit , quam Romanis juxta dicta N. 24. h. t.

32. Præter Liturgiam Ambroſianam a Romana diverſam , celebris in Eccleſia Latina Liturgia ſeu miſſa Mozarabica habetur , quæ & Gothica dicitur .

De ea ſic habet Cardinalis Bona : Officium divinum , quo olim Hiſpania & vicinæ gentes utebantur , Gothicum , & Mozarabicum dictum eſt . Gothicum , quia originem habuit eo tempore , quo Reges Gothi ibidem dominabantur : Mozarabicum vero , quia cum Arabes Hiſpaniam pene omnem occupaſſent , Chriſtiani Mixtarabes , & corrupto vocabulo Mozarabes , id eſt mixti cum Arabibus dicti ſunt . A quibus & quo tempore hoc officium inſtitutum fuerit , incertum aſſerit ; atque opinioni Baronii ad An. 633. id Iſidoro Hiſpalenſi tribuenti graves apponit conjecturas , quæ altiorem ejuſdem Epocham ſuadent . Muratorius opere mox citato in præfatione ad hanc liturgiam , quam ibi ad longum refert , fere perſuaſum habet , eadem uſas fuiſſe Galliarum Eccleſias , antequam Romanos Ritus ſuſciperent , inquiens : Lectorem ad prædicti Cardinalis (Bonæ) librum remittimus , hoc præterea adnotando , hanc ejus aſſertionem Concilio Toletano IV. habito An. 633. comprobari . Siquidem ibi can. 12. 13. & 14. ſicut textus loquitur , eundem Ritum per Hiſpaniam æque atque Galliam viguiſſe monſtratur . Textum dixi , nec enim me latet ad marginalem oram Conciliorum editores *Galliciam* pro *Gallia* repoſuiſſe . Fateor Eminentiſſimum Cardinalem L. a Muratorio citato , videlicet lib. 1. Rerum Liturg. c. 11. §. 6. in hac ſententia eſſe , ait enim : Cæterum non abſurdam neque incredibilem eſſe hanc ſententiam de utriuſque Miſſæ Gallicanæ & Hiſpanicæ ſimilitudine , præter ea , quæ dicta ſunt , alia etiam perſuadent &c. ſed illud annoto in re adiaphora , eundem Cardinalem in editione mox citata cap. præcedenti §. 1. canonem 2. Conc. Toletani IV. refecre ſequentibus : *Per omnem Hiſpaniam & Galliciam unum & eundem modum ſervari in Miſſarum ſolemnitatibus ;* in cujus tamen texto apud Colerum in ultima Collectione omnium Conciliorum tom. 6. col. 1450.

loco *Galliciæ*, habetur *Galliæ*, in margine vero *Galliciæ*, ut prætendit Muratorius de canone 12. 13. & 14. in quorum primo ibidem col. 1455. nec Gallia, neque Gallicia occurrit; in ſecundo vero de informitate precum & hymnorum Hiſpaniæ, in textu habetur Galliæ (in margine Galliciæ); in tertio iterum de Miſſæ uniformitate præfato modo agitur. Sed demus Typographorum fata hic non intercurrere, minutia hæc Viris tantis nihil officit. Cæterum Doctiſſimus Robertus Sala ad præſens caput 11. Eminentiſſimi Cardinalis hoc monitum præmittit: Totum hoc Caput &c. Adhuc viget hic Ritus, & ſervatur Toleti in quinque Parœciis, & in Cathedrali Eccleſia in Sacello Cardinalis Franciſci Ximenes Archiepiſcopi Toletani, itemque Salmanticæ ſtatutis diebus in Sacello Doctoris Talabricanſis, quod eſt in Clauſtro Majoris Eccleſiæ. Diſcrepat fere in omnibus ab aliarum Eccleſiarum Ritibus. Pro quo ad præſens inſtitutum notandum, Mozarabicum Ritum, hæreticorum fraude depravatum, deſiiſſe tandem Romanis Ritibus ſubrogatis. A Franciſco vero Ximenio famoſo illo, piiſſimo, ac eruditiſſimo Cardinali expurgatum, ac reſtitutum fuiſſe, atque exinde præfato modo in Hiſpania obſervatum. De quo videatur præfatum caput 11. Cardinalis Bonæ cum Commentariis Salæ.

33. Muratorius in prælaudato opere præter liturgias latinas hucuſque enumeratas refert Miſſale Francorum, ac Miſſale vetus Gallicanum.

De hoc poſteriori inquit Cardinalis Bona cap. 12. §. 1. Implicatum hærere me fateor in hac diſquiſitione, in qua ſuſcepti operis ratio exigit, ut de Miſſa ante Pipinum & Carolum M. in Galliis uſitata ejuſque ritibus agam: cum enim tot Sæculorum decurſu eorum memoria interiarit, nemo non videt, quam difficile futurum ſit e ruderibus antiquitatis velati e tumulis ſepultos eruere, & ad lucem revocare. Nobis ſufficit hic advertere utramque Miſſam ſervare Characteres innocuos pro Eccleſia Catholica in ſuperioribus datos. Qui hæc Miſſalia ad longum adire voluerit, adeat Muratorium; qui vero commentariones eorum curioſius inveſtigare, is conſulat Cardinalem Bona cum ſuo Commentatore loco citato.

§. V.
De variis Miſſarum Generibus.

34. PLura Miſſarum genera, ſicut & varios Ritus ſupra recenſitos olim fuiſſe, atque etiam nunc eſſe manifeſtum eſt, inquit Cardinalis Bona c. 13. ſunt enim Miſſæ ſolemnes, & quotidianæ, publicæ & privatæ, legitimæ & ſolitariæ, generales & peculiares, de tempore & de Sanctis, feriales & votivæ, pro vivis & defunctis. Eſt & Miſſa Præſanctificatorum & alia, quam ſiccam vocant, pergit idem. Nos ex eodem Eminentiſſimo Cardinali ea excerpemus, quæ præſenti inſtituto ſubſerviunt, de Miſſa Catechumenorum, ſeu potius de Catechumenis, ac pœnitentibus libro V. acturi juxta notam inferius dandam.

35. Miſſa itaque ſolemnis juxta eundem eſt, quam hodie Conventualem, Canonicam, Capitularem, præcipuam & majorem vocamus; illa proprie dicitur, quæ cum cantu & ſolemni cæremoniarum apparatu, Miniſtris & Clero aſſiſtentibus, ſuorumque ordinum munia exercentibus celebrari conſuevit: cui Pompæ addebant antiqui frequentiam populi offerentis, & communicantis.

A Walfrido Strabone in fine cap. 22. *legitima* nuncupatur, quod hæc potiſſimum Eccleſiaſtica lege inſtituta & comprobata ſit. Ab Amalario cap. 8. *Generalis* dicta eſt, qua denominatione interdum utuntur antiqua Monachorum Ritualia, quia totus cœtus ei ſolet intereſſe. Una igitur & eadem cenſeri debet, quæ a quibuſdam ſolemnis, ab aliis publica, legitima, & generalis nominatur.

36. Ipſe tenor Miſſæ & Veteris Eccleſiæ praxis evincunt, ab initio ſic Sacrificium principaliter inſtitutum fuiſſe, ut publice ac ſolemniter fieret, Clero ac populo adſtante, offerente, ac communicante.

Propoſitionem ſuam Cardinalis probat ex eo, quod Sacerdos populum invitat ad orationem dicens: *Oremus*; & cum eundem ſalutat, ait: *Dominus vobiſcum*; tum monet fideles, ut corda erigant ad Deum, reſpondent: *habemus ad Dominum*. Pro cæteris ſubſervient lectori ea, quæ titulo XXX. hujus libri diximus *de oblationibus*.

37. Hæc Miſſa publica non eſt dicta a loco publico, quia olim in Cryptis, abditiſque ac remotiſſimis locis agebatur, ſed a Conventu populi circumſtantis, offerentis, & communicantis.

Et in hoc ſenſu Gregorius M. Caſtorio Ariminenſi Epiſcopo ſcribens lib. 4. Ep. 43. Miſſas publicas fieri in Monaſterio vetat, *ne, ſcilicet, in Servorum Dei ſeceſſibus occaſio præbeatur* popularibus conventibus, *& ſimpliciores ex hoc animus plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat; frequentior quoque introitus mulieribus oriatur*. Quam prohibitionem aliis in locis plures iterat. Non tamen ex his infertur, ut quidam perperam exiſtimant, vetitam olim fuiſſe in Monaſteriis Miſſam ſolemnem cum cantu & Miniſtrorum aſſiſtentia, contrarium enim monſtrat Regula S. Benedicti. Et quanquam hæc diſciplina perſeveraverit uſque ad tempora S. Bernardi, ſeu ad Sæculum XII. teſte Philippo Abbate lib. *de continentia Clericorum* cap. 83. eandemque Lateranenſe Concilium ſub Caliſto II. quin Innocentius III. ad ejuſdem Sæculi finem vel XIII. initium renovaverit; nemo tamen poſt exortos Sæculo XIII. Ordines Mendicantium, vitam contemplativo-activam ſeu mixtam profitentium, iis cum aliis Monachis crimini ducet, quod Miſſas publicas celebrent, ſeu fidelium utriuſque ſexus frequentiam, eorumque communionem, & ubi incorporatas habent Parochias, etiam moderatius oblationes admittant; alia enim eſt horum ſtatica, quam veterum Monachorum, eaque illibata, uti demonſtrat Titulus XXXI. hujus libri fuſe a nobis commentatus.

38. Miſſis publicis opponuntur ſolitariæ & privatæ, a Monachis in cœnobiis maxime olim fieri ſolitæ.

Solitariæ teſte Bona rectius & conformius ad praxim aliquando in Eccleſia uſitatam dicuntur illæ, quæ a ſolo Sacerdote nemine præſente & reſpondente fiebant olim in Monaſteriis; privatæ vero, quæ ſine Diacono, & Subdiacono, & Cantoribus, uno tantum Miniſtrante celebrantur, ſive aliqui fideles illi interſint, ſive nullus adſit, ſive ſolus celebrans communicet, ſive ſint aliqui communicantes. Huic poſteriori etiam *quotidianæ* nomen tributum fuit, quia ſingulis diebus celebrari conſuevit. Teſte Gregorio M. lib. 4. dial. cap. 56. Privatæ nomen accepit, ut a ſolemni, quæ publice fit modo N. 37. h. t. deſcripto, diſcerneretur: alioquin omnes Miſſæ publicæ ſunt, quatenus publicum diſtinguitur a ſecreto & occulto. Nam ipſum Sacrificium munus publicum eſt, & publico totius Eccleſiæ nomine offertur in commemorationem mortis Chriſti, quæ eſt publicum beneficium, geritque Sacerdos Miniſtri publici officium, & pro omnibus orat, neminemque, qui velit & dignus ſit, repellit a communione: neque ullæ ſunt Miſſæ occultæ & angulares, ut blaſphemat Lutherus in libro peſtifero *de Miſſa angulari* operum tom. 7. edit. Wittenberg. pag. 228. Ea ordine vero Cameracenſi *in*

expo-

expoſitione Canonis, &. Stephano Eduenſi in lib. *de Sacram. Altaris* cap. 13. probat Cardinalis Bona actas aliquando in Monaſteriis Miſſas a ſolo Sacerdote nemine præſente & reſpondente, quæ idcirco *ſolitariæ* dictæ ſunt; & inde ad alios Sacerdotes Miſſarum privatarum mox deſcriptarum celebrationem emanaſſe. Poſt hæc §. V. ex variis Conciliis particularibus oſtendit, rejectas & reprobatas fuiſſe Miſſas ſolitarias, quæ a ſolo Sacerdote nemine adſtante & reſpondente dicebantur, hac potiſſimum ratione, quia abſurdum viſum eſt, quod Sacerdos diceret *Dominus vobiſcum, ſurſum corda, gratias agamus*, cum nemo reſponderet; aut invitaret ad orandum, dicens *Oremus*, nemine præſente qui ſecum oraret: & in canone memoriam faceret *omnium circumſtantium*, cum nemo adeſſet. An vero uſus Sacrum agendi ſine Miniſtro nunc omnino ſublatus ſit, §. ſequenti fatetur ſe ignorare, in quo & ſolitariam Miſſam ſolide juſtificat aliorum authoritate & rationibus.

39. Miſſæ privatæ a ſolitariis diſtinctæ uſus fuit ab initio Eccleſiæ & deinceps.

Hanc propoſitionem demonſtrat veterum teſtimoniis & exemplis Eminentiſſimus Cardinalis cap. 14. eoque ſuam propoſitionem N. præced. allatam, quod nempe *a* ſolitariis Monachorum Miſſis privatarum uſus ad alios Sacerdotes emanaverit, ad ejuſdem uſus *frequentiam* meo judicio reſtringit. Sic autem habet: Semper viguit in Eccleſia privatæ Miſſæ, uno ſaltem præſente, & miniſtrante, laudabilis conſuetudo, quam hæretici Miſſoliturgi aliquando prohibitam fuiſſe nunquam poterunt demonſtrare. Sive enim dicatur privata *a* loco, quia in privato aliquo oratorio agitur, ſive *ab* Aſſiſtentibus, quia vel unus duntaxat, vel pauci ei interſunt, ſive ex eo, quod ſolus Sacerdos in ea communicet, ſive alia quacunque ex cauſa, ſemper eam licitam, ſemperque in uſu fuiſſe probatiſſimis veterum Patrum teſtimoniis & exemplis demonſtrabo. Fidem ſuam ex aſſe ſolvit Doctiſſimus & piiſſimus purpuratus, ejuſque rationes extendit, ac roborat eruditus Commentator Sala. Quas hic proſequi inſtituti noſtri ratio non patitur, ſi enim ſingula hujus Tituli nos inter & adverſarios controverſa capita examinare pro merito vellemus, Tomum ſingularem conſcribere opus eſſet. Quare ad eos, alioſque ex noſtris remittimus cordatos Proteſtantes.

40. Miſſæ de tempore in Eccleſia Latina dicuntur, quæ neque in honorem alicujus Sancti, uti Miſſæ de Sanctis, neque pro aliqua neceſſitate, uti votivæ, ſed certis anni temporibus aſſignatæ ſunt.

Analogiam habere annum Eccleſiaſticum cum anno Solari explicat Durandus lib. 6. *Rationalis*, ubi docet hyemem repræſentari a Septuageſima uſque ad Paſcha, ver ab Adventu uſque *ad* Septuageſimam, æſtatem *a* Paſchate uſque ad octavam Pentecoſtes, & ab hac uſque ad primam Dominicam Adventus Autumnum. Quædam autem officia propria Miſſarum his temporibus aſſignata fuiſſe vel ab Apoſtolis, vel ab eorum Succeſſoribus, quæ ideo *de tempore* nuncupantur, antiqua traditio eſt: Feſta ſiquidem Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Chriſti, ac Pentecoſtes, & jejunia Paſchæ ſolemnitatem antecedentia, atque his diebus ſynaxes Apoſtolica inſtitutione cœpiſſe, teſtes ſunt Conſtitutiones Apoſtolicæ, & quantum ad ipſa feſta ipſi Proteſtantes affirmant. Tertullianus item libro *de jejuniis*, Theophilus Alexandrinus in *epiſtolis Paſchalibus*, Irenæus apud Euſebium lib. 5. *hiſtoriarum*. De tempore Adventus ante Nativitatem mentio fit in Concilio Turonenſi cap. 17. & in Matiſconenſi I. cap. 9. quæ Sæculo VI. celebrata ſuerunt. Officia vero & Liturgiæ tum his diebus, tum ſingulis Dominicis, certiſque feſtis per annum agendæ exſtant in antiquiſſimis Sacramentorum libris Romanorum Pontificum Gelaſii, Gregorii M. & in lectionario S. Hieronymi, atque in Ordine Romano.

41. Miſſæ de Sanctis ita dictæ, non quod Sanctis offerantur, uti calumniantur quidam heterodoxi, ſed Deo in honorem Sanctorum, Miſſis de tempore haud juniores ſunt.

De his enim Sæculo III. ait S. Cyprianus Ep. 34. *Sacrificia pro eis* (id eſt SS. Martyribus Ignatio, & Laurentio) pro eorum ſcilicet honore, *ſemper offerimus, quoties Martyrum paſſiones, & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Et Ep. 37. *ad Clerum ſuum* diligenter adnotari mandat dies, quibus Martyres excedunt, aut ſibi ſignificari; *ut*, inquiens, *celebrentur hic a nobis oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum*: quo teſtimonio nullum præſtantius. Ad idem reſpexit Cypriani Magiſter Tertullianus, cum libro de corona militis cap. 3. ait: *Oblationes pro Natalitiis annua die facimus*, quem locum male detorquet Rhenanus ad cujuſque diem Natalem more Ethnicorum, quod valde alienum eſt a Spiritu Chriſtianorum illius ævi, & a ſeveritate Tertulliani. Conſonat Ep. Smyrnenſium Fidelium in Aſia apud Euſebium lib. 4. hiſt. Eccl. & Auguſtinus lib. 8. de civit. Dei cap. 27. ubi ait: *Quis audivit aliquando ſtantem Sacerdotem ad Altare, etiam ſuper corpus Martyris ad Dei honorem cultumque conſtructum, dicere in precibus: offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur* Deo, *qui eos & homines & martyres fecit?* idem fuſius proſequitur lib. 20. contra Fauſtum. Miſſas ergo de Sanctis tempore Auguſtini, id eſt Sæculo V. Eccleſia a Patribus didicit, atque ad noſtra uſque tempora illibate tranſmiſit.

42. Miſſæ votivæ dicuntur, quæ pro aliqua ſpeciali cauſa aut neceſſitate ſeu publica, ſeu privata interdum celebrantur.

Ad has ſpectat Miſſa, inquit Cardinalis Bona, quam ſcribit Auguſtinus lib. 22. *de Civitate Dei* cap. 8. actam in domo privata, ut liberaretur a ſpirituum vexatione: ſpectra igitur dari credidit ſimplex & ſuperſtitioſus Auguſtinus contra opinionem tot illuminatiſſimorum Dominorum Proteſtantium, vah! probrum! Miſſa item, quam Proſper lib. *de prædict. dimidii temporis* cap. 6. narrat celebratam in gratiarum actionem ob puellæ *a* diabolo obſeſſæ liberationem. Quotquot denique pro aliqua neceſſitate, vel in B. Virginis, ſive Sanctorum venerationem extra ſolemnes eorum feſtivitates, & antiquitus agebantur, & nunc aguntur, inter votivas computandæ ſunt. Vide Amalarium lib. 1. c. 8. Ordinem Romanum &c.

43. Miſſæ quoque pro defunctis fidelibus in Eccleſia Catholica offerri ſolitæ ex Apoſtolica traditione deſcendunt.

Loca ex Tertulliano, & Cypriano lib. hoc Tit. 28. N. 28. jam attulimus, quæ hic confirmatum imus. Itaque idem Tertullianus de corona Militis cap. 3. ait: *Oblationes pro defunctis annua die facimus*. Veteres autem per oblationem Miſſæ Sacrificium intellexiſſe, ex dictis N. 12. h. t. in aprico eſt. Epiphanius hæreſi 75. inter hæreſes Aerii hanc enumerat, quod negaret offerendum eſſe Sacrificium pro defunctis. Chryſoſtomus hom. 69. ad populum Antiochenum, *Non temere*, inquit, *ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio*. S. Auguſtinus *Confeſſ.* lib. 9. cap. 8. & 10. item cap. 12. 13. nec non ultimo, ubi refert de funere Monicæ Matris ſuæ: *Eadem ſanctiſſima fœmina priuſquam moreretur, ponite, inquit, hoc*

corpus ubicunque, nihil vos ejus cura conturbet; tantum illud rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubi fueritis. Poſteriorum ſæculorum teſtimonia adferre ſupervacaneum eſt, cum circa Apoſtolicam traditionem de Miſſis pro defunctis offerendis conſpiret tota retro antiquitas, Proteſtantes in Aerio hæretico aperte damnant.

44. Celebris & antiquiſſima præſertim in Eccleſia Græca eſt Miſſa Præſanctificatorum, dicta Miſſa per æquivocationem, cum careat Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti conſecratione.

Hæc Miſſa in Eccleſia Orientali ante Chryſoſtomi & Baſilii tempora in uſu fuit, teſte Bona rerum liturgicarum lib. 1. c. 15. §. 5. & adhuc perſeverat. Occidentalis vero Eccleſia, ſi fides eidem, ea nunquam uſa fuit, niſi feria ſexta majoris hebdomadæ, qua de facto celebratur. Quibus diebus fiat in Oriente, oſtendit canon Concilii Trullani, *In omnibus*, inquiens, *ſanctæ Quadrageſimæ jejunii diebus, præterquam Sabbatho & Dominica, & ſancta Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum Miniſterium.* Græci ergo die dominica præter illius diei oblationem quinque alios panes conſecrant pro totidem ſequentibus feriis uſque ad Sabbathum; tum ſingulis diebus ſub veſperam conveniunt in Eccleſia, & in ipſo veſpertinarum precum officio Sacramentum antea conſecratum proponunt, & ſumunt. Et quidem ſub *una* tantum ſpecie, ut lib. 5. contra Huſſitas ac Proteſtantes monſtrabimus.

45. Cum Miſſa præſanctificatorum nonnulli confundunt Miſſam, quam *Siccam*, ſive *Nauticam* vocant; qui tamen turpiter hallucinantur.

Miſſa enim præſanctificatorum legitima auctoritate inſtituta eſt, & vera in ea Chriſti corpus in alia Miſſa conſecratum adeſt, ac ſumitur; ut patet in Eccleſia Latina in die Paraſceves. At Miſſa *Sicca* ab indiſcreta & privata quorundam devotione duxit originem, cui nimium indulgentes fuerunt Sacerdotes. Larva eſt & ſimulatio quædam veræ Miſſæ, ſicca procul dubio & jejuna, utpote carens non ſolum conſecratione, ſed etiam ſumptione Corporis Chriſti, ſimilis cœnæ ligneæ & lapideæ, quam Lampridius & alii referunt, ſæpe convivis ſuis Heliogabalum exhibuiſſe. Verba ſunt Cardinalis Bonæ. *Nautica* dicitur, quia in mari & fluminibus celebrari ſolebat, in quibus propter motum & agitationem fluctuum vix poteſt Sacrificium offerri ſine periculo effuſionis. Ante tempora S. Ludovici Regis Galliæ, qui obiit 1270. eam cœpiſſe autumant Eſtius & alii, cum ſuo tempore jam in uſu fuerit, atque contra eam graviter declamant. Nunc provida Epiſcoporum cura *ubique* gentium, ut putat Bona, obliterata, & abrogata eſt.

§. VI.

De iis, quæ ad Miſſæ locum, tempus, numerum, idioma ſpectant.

46. QUamvis ſævientibus perſecutionibus nullus non eſſet locus, in quo Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Miſſas non celebrarent, nihilominus jam tum erant determinata templa Chriſtianis, in quibus Miſſæ celebrabantur.

Miſſas ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus fuiſſe celebratas ex dictis hoc titulo §. 1. patet. Primitivæ, quin naſcenti Eccleſiæ fuiſſe ſua templa, in quibus Miſſæ agebantur, ex dictis tit. 40. N. 2. in comperto eſt. Ubi etiam N. 4. vidimus, qualis diſciplina circa oratoria privata obſervata fuerit. Quod vero tum etiam in promiſcuis locis celebraverint Sacerdotes, citato loco, & alibi jam oſtenſum eſt, ac per ſe patet.

47. Quod tempus celebrandi Miſſas attinet, certum eſt, primis Eccleſiæ Sæculis, aliquando bis in die ſynaxes factas eſſe, Veſpere nimirum & mane.

Id conſtat ex Tertulliano *de corona militis* c. 3. ubi *utrumque* Sacrificium Matutinum & Veſpertinum commemorat his verbis; *Euchariſtiæ Sacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum a Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præſidentium ſumimus.* Ac ſi diceret *tempore victus*, id eſt *cœnæ*. Et clarius Cyprianus Ep. 63. *ad Cæcilium* de utroque ſacrificio agit, redarguens Aquariorum errorem, qui ſemel mane, ſemel veſpere ſolebant offerre; ſed in ſacrificiis matutinis ſolam Aquam, ne vinum redolerent: in veſpertinis, quia poſt cœnam, vinum mixtum aqua offerebant. Utramque autem morem reprobat tanquam abſurdum, & divinæ, atque Apoſtolicæ traditioni contrarium. Ex quibus Cypriani verbis, aliiſque Authoritatibus probat Cardinalis Bona lib. 1. c. 21. §. 3. veterem & Apoſtolicam traditionem eſſe, ne quis audeat ad divina Myſteria non jejunus accedere, & ſi aliqui ſumpto cibo ſacrificabant, hoc ad abuſus pertinere ait, qui ſenſim irrepſerant, vel ex ignorantia Eccleſiaſticæ legis, & Apoſtolicæ traditionis, vel ex pravitate hæreticorum, qui præſcriptos canones dedita opera violabant, vel arctatus ille mos ad ſolum diem Dominicæ cœnæ, aut reſpicit tempus perſecutionis, quo neceſſitas legem vincebat.

48. Miſſas nocturnas plures olim fuiſſe veterum monumenta declarant; at ex his ſola permanſit, quæ in nocte Nativitatis Domini celebratur.

Ejus inſtitutio apud Gratianum c. *Nocte Sancta* de conſec. diſt. 1. Teleſphoro Romano Pontifici Sæculi II. tribuitur, ſed epiſtola Teleſphori, unde Canon ille deſumptus eſt, ſuppoſititia eſt (lib. 1. tit. 2. c. 4. §. 5.). *Miſſæ* autem nocturnæ hujus diei, ſicut & aliarum, quæ diluculo, & hora tertia dicuntur, meminit Gregorius M. in libro *Sacramentorum*, & homilia 8. in *Evangelia*. Inter has Miſſas Nocturnas celebris eſt illa in reſurrectionis nocte dici ſolita, de qua Amalarius lib. 4. c. 40. *In nocte Sancta Reſurrectionis Domini Miſſam celebramus propter eandem reſurrectionem, quæ in ea completa eſt.* Quater item in anno, in Sabbathis nimirum quatuor temporum Miſſa noctu celebrari conſuevit, ſicut Leo I. teſtatur ep. 81. *ad Dioſcorum Alexandrinum*, Alia Miſſa nocturna acta olim eſt in Vigilia Pentecoſtes, in ipſa ſcilicet nocte, quæ luceſcit in Dominica, ut notat Menardus *ad lib. Sacram.* pag. 161. Certum eſt etiam noctu ad Miſſas conveniſſe fideles, cum Tyrannorum perſecutio vexabat Eccleſiam, de qua re notiſſima eſt Tertulliani Sententia lib. *de Fuga in perſecutione* cap. 14. *Si colligere* (ad ſynaxim) *interdiu non potes, habes noctem.* Huc etiam pertinent cœtus antelucani, propter quos Natio Chriſtianorum apud Minutium Latebroſa, & Lucifuga dicebatur, de quibus Plinius lib. 10. ep. 97. ad *Trajanum* ſcribit: *Quod ſoliti eſſent ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem.* In his autem conventibus Sacramentorum celebrationem non defuiſſe, ex moribus illius ſæculi manifeſtum eſt. His ſimiles ſunt in Septentrione Miſſæ illæ in adventu ſummo mane celebrari ſolitæ, quæ vulgo *Roratæ* dicuntur.

49. Quamvis in primitiva Eccleſia Patres quotidie Miſſas celebraverint ſaltem privatas, in utramque tamen Eccleſiam certa introducta ſunt tempora, in quibus vetita fuerunt Miſſarum ſolemnia; unde habemus diſtinctionem inter dies liturgicas, & aliturgicas.

Pro Miſſa privata teſtimonia jam aliqua ſupra

N. 39.

N. 39. adduximus. Hic pauca placet pro quotidiana ejus celebratione adjicere. Et primo Tertullianus *de jejunio* cap. 14. ita habet: *Nobis certe omnis dies etiam vulgata conſecratione celebratur*. Andreas Apoſtolus ſe quotidie hoſtiam incruentam immolaſſe teſtatus eſt, ut acta ejus referunt a Presbyteris Achajæ conſcripta. Cyprianus ep. 54. ad Cornelium: *Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt pacem dediſſe Martyribus, ut Sacerdotes, qui Sacrificia Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo, & Victimas præparemus*. Baſilium M. quotidie Sacris operatum ſcribit Amphilochius, idemque Baronius de Ambroſio aſſeverat.

Dies aliturgici olim apud Græcos erant, & hodie ſunt omnes dies quadrageſimæ, quibus Miſſa præſanctificatorum utuntur, exceptis Sabbatho & Dominica, & die Annuntiationis. Diem Sabbathi Alexandriæ & Romæ liturgia olim caruiſſe teſtatur Socrates lib. 5. *Hiſt. Eccl.* c. 21. cui Alexandrini feriam quartam & ſextam addiderunt eodem teſte L. cit. Eccleſia Mediolanenſis ſextas quaſque Ferias quadrageſimæ de facto ſine Sacrificio tranſigit. In eadem quadrageſima Officio Miſſæ in Eccleſia Latina caruit Feria V. uſque ad Gregorium II. ſeu Sæculi VIII. initium, cujus vitam ſcribens Anaſtaſius ait. *Hic quadrageſimali tempore, ut in V. feria jejunium, atque Miſſarum celebritas fieret, in Eccleſiis, quod non agebatur, inſtituit*. Certum etiam eſt in antiquis Sacramentorum libris, itemque in Lectionariis, & Calendariis nullam inveniri Miſſam, vel Evangelium tam in quadrageſima, quam extra ipſam per totum annum Feriæ quintæ aſſignatam, niſi poſt Gregorium II. in quadrageſima tantum & in octavis Paſchæ. Cujus Eccleſiaſtici Ritus ex Concilio Narbonenſi A. 589. celebrato rationem p[illegible]am putat ex eo, quod Gentiles olim eandem feriam in honorem Jovis ſacram ac ſolemnem haberent; quos ſubinde execrabili ſuperſtitione imitatos fuiſſe fideles ante hoc Concilium teſtatur & execratur S. Auguſtinus in fine ſermonis 215. Extra quadrageſimam vero diu manſit hæc feria ſine proprio & ſolemni ſacrificio, & ſi quis privatim ſacrificare voluiſſet, præcedentis Dominicæ Miſſa utebatur. Dies item aliturgici olim erant feria VI. majoris hebdomadæ, quæ ſola hodie in Eccleſia Latina Sacrificio caret, & Sabbathum ſanctum, quo die licet nunc Miſſa celebretur, ea tamen agi ſolebat nocte Reſurrectionis, ad quam ſpectat. De hoc biduo exſtat teſtimonium S. Innocentii Papæ ep. ad Decentium, qui obiit A. 402. Reſtat Dominica poſt Sabbathum quatuor temporum, quæ propria Miſſa caret, & vacare dicitur in priſcis Sacramentorum libris. Nam cum Sabbathi hujus Miſſa & ei annexa ſacrorum Ordinum collatio veſpere celebraretur, ſæpe contingebat, ut jejunio uſque ad lucem producto Miſſa die Sabbathi inchoata ſequenti Dominica perficeretur; ipſaque Dominica proprio officio careret, niſi propriam haberet celebritatem, ſicut Dominica Reſurrectionis. Tempore S. Auguſtini diverſæ erant diverſarum Eccleſiarum hac de re conſuetudines, ſicut ipſe teſtatur tract. 26. in Joannem: *Sacramentum*, inquiens, *Corporis & Sanguinis Chriſti alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum Dominica Menſa præparatur, & de Menſa Dominica ſumitur*. Et ep. 118. *Alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi ſabbatho tantum & Dominico, alibi tantum Dominico*. De conſuetudinibus Monaſteriorum vide Cardinalem Bona lib. 1. c. 18. §. 3. & 4. quem ſic concludit: Quo vero tempore ſacrum *quotidianum*, atque *ſolemne* ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem ſacramentorum libris, & ex Ritualibus Monachorum manifeſtum eſt, octavo ſæculo hunc ritum in omni fere regione ſuſceptum, ut non ſolum diebus Dominicis & Feſtivis, ac in diebus ſtationum, ſive in pervigilio majorum feſtivitatum ſolemnis Miſſa celebraretur, ſicut Apoſtolica traditio, primique ac ſecundi ſæculi uſus ferebat, ſed ſingulis etiam diebus, ſola feria VI. ante Paſcha excepta; qui mos hodie in omnibus Eccleſiis collegiatis, & conventualibus exactiſſime obſervatur.

50. Vetus Eccleſia ſuos etiam habebat dies Polyturgicos, in quibus ab uno Sacerdote plures Miſſæ dicebantur, ſicut hodie fit in die Dominicæ Nativitatis.

Quamvis enim Leo M. ep. *ad Dioſcorum Alexand.* eadem die iterari Miſſam prohibeat, niſi ob anguſtiam Eccleſiæ omnis populus intereſſe non poſſit: hoc tamen decretum ita intelligendum eſt, ut id *paſſim* non liceat, & quandocunque Sacerdoti libuerit; ſed certis tantum diebus, & ex aliqua cauſa: vel non uſu aut contraria ſanctione a Summis Pontificibus abrogatum fuit. Unde Leonem III. ſeptem quandoque, item & 9. Miſſas celebraſſe ex Walfrido Strabone c. 21. refert Baronius tomo 9. A. 816. Verba ejus alibi ſunt: *Diverſitas quædam inter Sacerdotes oboriri ſolet, quia eſt talis, qui ſemel tantum in die Miſſam celebrare velit, —— alius vero bis, ter, vel quoties libet, eadem myſteria in die iterare congruum putat, —— & fortaſſe conſuetudinem ſuam inde confirmandam exiſtimant, quia Romanorum uſus habet duas, vel tres interdum unius ſolemnitatis facere Miſſas, uti in Nativitate Domini Salvatoris, & aliquorum feſtis Sanctorum*. De hoc uſu meminit Concilium XII. Toletanum A. 681. can. 5. & paulo ante illud Emeritenſe c. 19. Prima autem ex diebus polyturgicis fuit Kalendarum Januarii, in qua duæ Miſſæ cantari ſolebant ab uno Sacerdote, teſte Menardo in Notis *ad lib. Sacram.* pag. 33. Altera eſt dies Cœnæ Domini, in qua Epiſcopus tres Miſſas celebrabat, teſte eodem pag. 86. Tertia eſt Vigilia Aſcenſionis Domini, in qua ex Kalendario Frontonis duplex Miſſa præſcribitur. Quarta tres dies jejuniorum hebdomadæ Pentecoſtes complectitur, in quibus aſſerit Micrologus c. 58. duas Miſſas ab aliquibus ſuo tempore decantatas. Quinta eſt dies Nativitatis Domini, in qua tres Miſſæ dicuntur, & hæc ſola cæteris abrogatis in uſu permanſit. Præterea in Paſchate, Natalitiiſque quorundam Sanctorum multiplex Miſſa ab eodem Sacerdote offerri conſuevit, de quibus vide Eminentiſſimum Cardinalem L. cit. §. 6. & 7. ubi ex can. 8. Apoſtolorum, Can. 5. Concilii Toletani, aliiſque veterum monumentis probat, ſolemne in utraque Eccleſia fuiſſe, ut unum & idem Sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur. Epiſcopo enim ſive Presbytero celebrante, reliqui, quotquot aderant Epiſcopi ſeu Presbyteri, ſimul celebrabant, ejuſdemque Sacrificii participes erant. Hic autem mos hactenus ſervatur a Græcis; apud nos vero in ſolis ordinationibus Presbyterorum & Epiſcoporum permanſit.

51. Miſſæ Sacrificium & olim, & nunc vario ſermone celebratur; in Eccleſia tamen Latina Sermo Latinus eidem præſcriptus eſt, & generaliter obtinet, idque rationabiliter factum eſt.

Prima Propoſitio quantum ad univerſas Eccleſias ſive ortho- ſive hetero-doxas probata eſt ſupra N. 2[illegible]. & 29. cujus rationem reddit Sanctiſſimus Noſter in tractatu ſupra laudato; quod in qua quiſque Apoſtolorum Provincia Evangelium prædicabat, ejus ſermone Miſſam celebraverit. Hic addo Sæculo IX. S. Methodium Moraviæ Apoſtolum literis Sclavonicis a Conſtantio quodam Philoſopho repertis eam gentem inſtruxiſſe, Dei-

que

que laudes decantare docuiſſe : tum Joannem VIII. epiſt. 247. ad Sſentopulchrum ſeu Suaroplucum Moraviæ Comitem ſcripta A. 870. Miſſas in ea Provincia lingua Sclavonica cantari permiſiſſe , dummodo Evangelium prius Latine, deinde Sclavonice legeretur. Hanc tamen conceſſionem ſuſtulit Sæculi XI. fine Gregorius VII. lib. 7. ep. 11. *ad Wratislaum Bohemiæ Ducem* ſcribens : *Quia Nobilitas tua poſtulavit , quod ſecundum Sclavonicam linguam apud vos divinum annueremus celebrari officium , ſcias nos huic petitioni tuæ nequaquam poſſe favere*. Et paulo poſt : *Unde ne id fiat , auctoritate B. Petri inhibemus , teque ad honorem Omnipotentis Dei huic vanæ temeritati viribus totis reſiſtere præcipimus* . In Provinciis tamen his , ſicut & in Croatia ac Dalmatia , in quibus eadem prohibitio facta fuit ab Alexandri II. Legato, dudum recepta conſuetudo diu prævaluit, & apud Dalmatas ſeu in Illyrico ex privilegiis Apoſtolicis adhuc obſervatur , cujus Clerus proin in divinis celebrandis officiis , ac Miſſa , non in alio diſcrepat a Romano Ritu , præterquam in lingua Illyrica , ſeu Sclavonica literali, non omnibus tamen nota , & a vulgari diſtincta , ac diverſa , qua Sacra omnia peragunt . Vide Salam in lib. 1. Rerum liturg. Cardinalis Bonæ c. 9. § 4.

Ex his quoque patet 2. pars , cujus rationem reddit idem Sanctiſſimus opere cit. §. 73. quod Apoſtoli in Eccleſia Occidentali latino idiomate celebraverint , eo quod ille tum eſſet vernaculus , omniumque communis .

Quantum ad tertiam partem Sanctiſſimus noſter in ſupra laudato Tractatu de Sacrificio Miſſæ Sect. 1. §. 71. impudentiſſimam eorum calumniam refellit, qui idcirco latina lingua a nobis Miſſam celebrari deblaterant , ut Sacrificii myſteria populus omnino ignoret, eamque œconomiam invictis argumentis per varios §. ibi juſtificat. §. 76. huc tranſcribo : *In Provincialium Rothomagenſis Provinciæ Conciliorum collectione apud Beſſi*, inquit, *exſtat ep. Paſtoralis Jacobi Colberti Epiſcopi Rothomagenſis pag. 172. de hoc argumento : Et vero quis ſana mentis id conſilii dederit, quo populus de Miſſæ Myſteriis certior fiat (quod commode per Parochos , & Sacros Oratores obtineri poteſt) ut Miſſa e latino exempli cauſa ſermone in vernaculam linguam convertatur, cum tot ſint vulgares linguæ , riſu plane digna , & prorſus contemnenda? Præterea non cuivis modo genti , ſed cuique pene civitati peculiaris eſt lingua: & labentibus annis quævis lingua mutatur , quod in latina contigiſſe narrat Polybius lib. 3. qui primæ pacis Punicæ fœdus , Punico ſecundo bello confecto , ægre intellectum eſſe teſtatur . Huc accedit , quod in qualibet mutatione ſexcentis aperiretur occaſio contentionibus , & diſſidiis : populus autem Miſſæ in vernaculum ſermonem converſæ intelligeret quidem verba , ſenſum tamen minime aſſequeretur , quod infinitos errores pareret* . Vide Xiſti Senenſis Biblioth. Sanct. lib. 5. c. 172. & lib. 6. c. 263. Hoſium Cardinalem de Miſſa non vulgari , Sylvium 3. p. q. 83. A. 4. Merbeſium in ſumma Chriſt. parte 3. q. 4. Boucat Theol. Patrum diſſert. 1. de Sacris cæremoniis , Jueninum de Sacram. diſſert. 5. de Euchariſtia q. 8. c. 7. Plura ex eodem Sanctiſſimo non adduco , ſed Lectorem ad eum remitto. Sane qui hucuſque adductos varios abuſus in Miſſis per decurſum ſæculorum hominum ignavia , ac ſuperſtitione inductos ſerio expenderit, agnoſcet quam ſano , & longa temporum experientia limato judicio , ac conſilio Eccleſia Romana uniformitatem tam in Ritibus , quam in Sermone Miſſarum introducere, ac modis omnibus manutenere incredibili labore ac vigilantia ſtuduerit , Quam ejus œconomiam tam hic , quam in aliis fatue vellicant plerique Proteſtantes, de *Univerſalitate* , ac *Unitate* Eccleſiæ (utpote certos mundi angulos , in varias ſectas inter ſe mirum in modum diſtracti , inhabitantes) juſtam ideam nequaquam habentes.

§. VII.
De Veſtibus Sacerdoralibus .

52. VEſtes olim erant eædem Clericis & Laicis , Apoſtolique communi utebantur veſte. In Sacrificio tamen ejuſmodi equidem veſtes, ſed non eaſdem adhibebant , quibus in communi uſu utebantur.

De veſtibus Clericorum in communi uſu ab ipſis adhibitis ſatis egimus titulo I. quapropter ea hic ſolum ſuccincte adnotabimus , quæ ad veſtes Sacras attinent . Et quantum ad præſentem propoſitionem , Cardinalis Bona ſcripſerat ipſos Apoſtolos in veſtitu non quidem forma, ſed numero ac nitore a vulgari diſtincto ſacrificaſſe ; quam Sententiam miratur Budæus heterodoxus , irridet Heineccius earundem partium homo , vindicat cum aliis Sanctiſſimus noſter in ſuo 20. edicto Tomo 1. Ait vero Bona : Hoc pertinet Penula a Paulo Troade relicta , quam fuiſſe veſtem Sacerdotalem ſuo loco indicabo . Huc lamina , ſeu Mitra Epiſcopalis , quam geſtaſſe Joannem Evangeliſtam Polycrates Epheſi Epiſcopus auctor eſt apud Euſebium lib. 3. *hiſt.* cap. 31. huc infulæ , quarum meminit Tertullianus lib. *de monogamia* cap. 12. huc querelæ Optati Milevitani de profanatis Eccleſiæ ornamentis . Huc Stephani I. Decretum , qui , ut ait Anaſtaſius, Sacerdotes & Levitas Sacratis in uſu quotidiano non uti , niſi tantum in Eccleſia , conſtituit . Huc Hieronymi teſtimonium in cap. 44. Ezechielis , ubi ait: *Religio divina alterum habitum habet in Miniſterio Altaris , alterum in uſu , victuque communi &c.* Et ſane ridendi potius ſunt Adverſarii, qui Apoſtolos id neglexiſſe autumant , quod in Synagoga ab unguiculis fieri viderunt , quodque omnes moratæ gentes in uſu habuerunt . An minorem decentiam exigere exiſtimabant Sacrificium a Chriſto inſtitutum, ut §. 1. hujus tituli invicte demonſtravimus , quam legalia illa umbratica, vel Idololatrica Gentium ? quod autem hæ veſtes non forma , ſed numero & nitore a vulgaribus diſtinctæ fuerint , jam vidimus citato titulo 1. hujus libri ex Thomaſſino.

53. Inter veſtimenta ſacra , quæ celebraturus aſſumit, primo loco venit amictus , qui primum capiti , deinde humeris injicitur, olim Anaboladium dictus .

Ejus mentio occurrit apud antiquum Scriptorem de ritibus veteris Eccleſiæ ſub nomine Caroli M. qui ait : *Poſt ſandalia in Eccleſiæ veſtimentis ſequitur Superhumerale , quod fit ex lino puriſſimo*. Apud Amalarium lib. 2. c. 17. *Amictus eſt primum veſtimentum noſtrum , quo collum undique cingimus*. Maronitæ & Ambroſiani amictum ponunt ſuper Albam , olim etiam Græci : nunc vero nullo utuntur amictu, teſte Macro in vocabulario Eccleſiaſtico verbo *Amictus* .

54. Secundum veſtimentum Sacrum , quo Sacer Myſta ſuper veſtes communes induitur, eſt Alba , cingulo ſtricta .

A Scriptoribus Eccleſiaſticis Alba e colore nuncupatur , inquit Bona , cujus nominis (& uſus in miniſterio ſacro) mentio fit in Concilio Carthaginenſi ſub Anaſtaſio I. ad Sæculi IV. finem can. 41. quo præcipitur ; *ut Diaconus tempore cantum oblationis , vel lectionis Alba utatur* . Et in Narbonenſi ſub Pelagio II. Sæculo VI. ubi decernitur ; *ut Diaconus , vel Subdiaconus , vel Lector , antequam Miſſa conſummetur , Alba ſe præſumat exuere*. Vide Titulum I. hoc lib. N. 9. &c.

Porro

Digitized by Google

Porro Alba ne defluat, & greſſum impediat, cingulo ſtringitur, de quo vide ibi.

55. Sacrificaturus in Eccleſia Latina induta alba manipulum appendit ſiniſtræ.

Manipulus poſterioris ævi additamentum eſt, neque in antiquis Ritualibus commemuratur, neque a priſcis Patribus inter veſtes Sacras recenſetur. Erat autem lintea Sindon, ſive Mappula brachio ſiniſtro alligata, qua ſudor & ſordes abſtergebantur, ut illi paſſim teſtantur, qui de divinis officiis tractatus ediderunt, Alcuinus nimirum, Amalarius, Rabanus Maurus, Ordo Romanus; tempore S. Gregorii ſoli Clerici Romanæ Eccleſiæ Mappulis utebantur. Duravit autem hic mappulæ, ſive ſudarii linei uſus, donec in locum ejus manipulus, non ad tergendas ſordes, ſed ad ornatum ſuffectus eſt, qui propterea ejus materiæ & texturæ eſt, ex qua ſtola & planeta fieri ſolet; hanc vero mutationem mappulæ in manipulum Sæculo X. factam conjicit Bona, qui videri poteſt, ſicut & N. 8. Tituli I. hujus libri.

56. Poſt manipulum idem Sacerdos ſtolam collo circumdat, eamque circa pectus tranſverſim inflexam cingulo nectit.

Per ſtolam antiqui integram, eamque amplam talarem veſtem intellexerunt, uti vidimus ſupra §. cit. N. 6. Nos faſciam, limbum, aut lorum. Unde decepti ſunt illi ſcriptores vocis æquivocatione, dum in antiquis monumentis deprehendentes ſtolam S. Jacobi, S. Stephani, intulerunt S. Jacobum, Sanctumque Stephanum ſtolam noſtræ ſimilem in ſacris adhibuiſſe, cum id nomen Priſci uſurpaverint ad exprimendam veſtem talarem. Durandus in *Rationali* lib. 3. cap. 5. ſtolæ initium ad illud tempus refert, quo Alba deferri cœpit; ſed hanc conjecturam levem cenſet Bona, ſtolæque noſtræ nomenclaturam deduci vult a faſcia, quæ in limbo ejus veſtis aſſuta erat, quæ olim *ſtola* dicebatur, retento totius veſtis nomine in parte quadam illius; in extrema namque parte antiquæ ſtolæ, ut obſervat Bayfius *de re veſtiaria* cap. 17. aſſuta erat faſciola, ſeu limbus ipſam veſtem ambiens, cui cum ſit valde ſimilis hodierna ſtola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum ſit. In actis S. Sylveſtri, quæ Damaſo adſcribuntur, ab eo conſtitutum legimus, ut *Diaconi Dalmaticis in Eccleſia uterentur, & palla linoſtima læva eorum tegeretur*. Zozimus item conſtitutum feciſſe dicitur: *ut Diaconi lævas tectas haberent de palliis linoſtimis*: ubi forte legendum linoſtema, id eſt ex lino & lana contexta; quæ, ut ait Iſidorus lib. 19. *Originum*. cap. 22. dicta eſt linoſtema, quia in ſtamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ nihil commodius intelligi poteſt, quam ſtola Diaconalis, quæ in humero ſiniſtro ab ipſis defertur ad differentiam Sacerdotalis a collo ad pectus pendentis. Stolæ item mentio fit ſub nomine *Orarii* in Concilio Laodicæno tempore ejuſdem Sylveſtri habito can. 22. & 23. quibus Subdiaconis & Lectoribus prohibetur, ne Orariis utantur. Ex quo duplici teſtimonio infertur ante Annos mille trecentos uſum ſtolæ in Eccleſia invaluiſſe. Vide tit. 1. N. 15. Hanc autem ſtolam veteribus orarium dictam fuiſſe conſtat ex Gemma animæ lib. 1. cap. 204. ubi dicitur: *Deinde circumdat collum ſuum ſtola, quæ & orarium dicitur*. Item ex Rabano Mauro lib. 1. cap. 19. ubi ait: *Quintum eſt, quod orarium dicitur, licet hoc quidam ſtolam vocent*. Et ante hos Anaſtaſius in vita Agathonis ſcribit: *Ea hora S. Synodus una cum Principe ejus orarium auferri a collo ejus juſſerunt*. Macarii ſcilicet Antiocheni. Antiquis Scriptoribus Orarium profanum Sudarium, ſtrophium, linteolum, quo facies abſtergitur, ſignificat. De quo vide Bonam l. cit. cap. 24. §. 7.

57. Poſtremum Sacerdotis Sacris operaturi veſtimentum quidam penulam, alii Caſulam, ſeu planetam vocant, quæ voces a profana ſignificatione ad ſacram tranſlatæ ſunt.

De ea ut profana veſte laicis Clericiſque communi ſufficienter egimus Titulo 1. N. 11. Quo autem tempore hoc veſtimentum a profano & promiſcuo uſu ad Sacrum tranſlatum ſit, non liquet. Legitur nihilominus Caſulæ nomen in antiquo ordine Romano, in libris Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, & aliorum, qui de Ritibus Sacris ſcripſerunt. Et Concilium IV. Toletanum c. 27. *Presbytero*, ait, *in ſui ordinatione Planeta datur, quæ idem eſt ac Caſula*. Olim Caſulæ rotundæ erant totum ambientes hominem a collo uſque ad pedes, unicam in medio aperturam habentes, per quam caput immittebatur: qua de cauſa neceſſarium erat, ut Sacerdos operari, ac manibus libere uti poſſet, eas ſuper brachia revolvi ac complicari. Sic enim indutos Pontifices & ſacerdotes in priſcis parietibus Eccleſiarum cernimus, ſuntque etiam hodie Græcorum Caſulæ (ſive Phælonia) ejuſdem formæ; Latini vero ad evitandum hoc incommodum eas paulatim in lateribus ſcindere ac decurtare cœperunt; Caſulæque ſciſſæ Sæculo X. jam apparent, ut probat Bona ex effigie Joannis Papæ XII. Quia vero planeta totum olim obvolvebat corpus Sacerdotis, hinc ortus eſt uſus, ut a Miniſtro elevetur, cum Sacerdos hoſtiam & calicem elevat, quæ praxis antiquitus neceſſaria, ne pedibus obverſans flectenti genua impedimento eſſet, adhuc perſeverat, tametſi ceſſante cauſa ſuperflua ſit. Hinc etiam permanſit uſus, quem pauci fortaſſis intelligunt, ut in Quadrageſima, aliiſque diebus Jejuniorum, quibus Miniſtri utuntur Planetis, complicatæ ſint a parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem neceſſarium erat, ut expediti eſſent ad miniſtrandum: ſicque paulatim introductum eſt, ut Diaconus, cujus in Miſſa potiſſimum eſt Miniſterium, planetam exuat, ejuſque loco ſtolam latiorem accipiat: quod ævi recentioris eſt, nam Ordo Romanus non exui planetam, ſed elevari mandat: *& Diaconi*, inquiens, *levant planetas in ſcapulas*. Poſt hæc Cardinalis Bona progreditur ad commentandas veſtes Epiſcopales, quibus in Sacris utuntur, & ſunt Sandalia, Caligæ, Crux pectoralis, Tunicella, Dalmatica, Chirothecæ, Annulus, Mitra, Baculus, & ſi ſit Archiepiſcopus, Pallium, de quo nos fuſe egimus lib. 1. tit. 8. ſed hæc longum eſſet huc transferre, ſicut & Ritus benedictionis Sacerdotalium veſtium, earumque ſignificatus, quos recenſet Sanctiſſimus in opere prælaudato. Ad eos ergo Lectorem remittimus, de partibus Miſſæ ex eodem Sanctiſſimo hiſtoricum compendium dantes.

§. VIII.

De Partibus Miſſæ.

58. Itaque Ritus lavandi manus ante Sacrificium a S. Thoma 3. par. q. 83. a. 5. non obſervatur tanquam cæremoniale legis veteris præceptum, ſed ut præceptum novum ex ſola conniventia introductum, idque ab antiquiſſimo tempore.

Hujus enim Ritus meminit S. Chryſoſtomus Homilia 20. *de ſimultate* ad populum Antiochenum N. 7. ubi ait: *Non audes illotis manibus ſacram victimam attrectare, etiamſi mille neceſſitatibus premaris? ne igitur illota accedas anima*.

59. Conſuetudo recitandi ante Sacrificium a Sacerdotibus pſalmos æque antiquiſſima eſt.

Siquidem in Pſalterii cujuſdam initio, quod ex editione Romana & Gallicana in lucem extu-

lit

ſit Venerabilis Cardinalis Thomaſius, eſt quædam Pſalmorum diviſio juxta antiquiorem Eccleſiæ Romanæ uſum: & ad finem notantur pſalmi, quos recitare debet Sacerdos, priuſquam ſe Sacris veſtibus induat, qui ſunt *VII. Pſalmi Pœnitentiales*; interea vero, dum ſe Sacris veſtibus induit, Pſalmi ab eo dicendi ſunt 83. *Quam amabilia*, ſeu *dilecta*, 84. *Benedixiſti*, 85. *Inclina Domine*, 115. *Credidi*, & cum ad altare pervenerit, Pſalmus 42. *Judica me Deus*. Qui Pſalmi poſteriores juxta modernum Miſſale Romanum, addito pſalmo *De profundis*, cum certis verſibus & orationibus a Sacerdote dicuntur ante indutionem, & ſub indutione ad ſingula veſtimenta certæ breves orationes.

60. Miſſam deinde Sacerdos incipit per ſignum Crucis, ac Antiphonam *Introibo ad Altare Dei*; deinde alternatim cum miniſtro recitat mox laudatum Pſalmum *Judica*, quem claudit communi illo glorificationis hymno *Gloria Patri*.

Chriſtianos ex Apoſtolica traditione per ſignum Crucis ſuarum omnium actionum initium ſumpſiſſe tradit Tertullianus lib. *de corona militis* c. 3. Antiphona vero illa nihil accommodatius, Græce enim Antiph. reciprocum & alternum cantum ſignificat; & in utraque Eccleſia mos ille a ſæculo IV. invaluit, ut Pſalmi a duobus choris alternis verſibus abſolverentur, ut vidimus hoc lib. tit. 31. Glorificationis hymnum quidam tribuunt Flaviano Antiocheno Monacho, nonnulli Nicænæ Synodo; ſed ejus hymni vetuſtiora, quam Nicæna Synodus, teſtimonia ſunt apud Athanaſium & Baſilium; quamobrem probanda illorum ſententia, qui eum ex Apoſtolica traditione profectum exiſtimant. Illud duntaxat Nicæno Concilio tribui poteſt, *ſicut erat in principio &c.* quod ad Arianam hæreſim retundendam additum fuit. De quo vide Sanctiſſimum. Adhibitionis vero Pſalmi *Judica* in initio Miſſæ antiquitatem colligere poſſumus ex N. præcedenti. Ejus congruentiam adſtruit idem Sanctiſſimus Pater L. cit. ubi pro ejus, ſicut & pro confeſſionis a Sacerdote & Miniſtro dici ſolitæ antiquo in Eccleſia Latina uſu contra audaculum Vertum adducit Miſſale Romanum ante quingentos annos ſcriptum, atque in Bibliotheca Angelica Romæ aſſervatum, in quo habetur: *Cum autem indutus fuerit* (Sacerdos), *accedat ad Altare, & dicat: Introibo ad altare Dei*, ℟. *ad Deum &c. Pſalmum Judica me Deus, tunc inclinet ſe ante altare, & dicat: Confiteor Deo &c.* Concordat Micrologus c. 23. Idque confirmat Innocentius III. lib. 2. de myſteriis Miſſæ cap. 13. Veterumque monumentorum diligentiores excuſſores inveniunt Pſalmum *Judica* Sæculo VII. & VIII. in principio Miſſæ dici conſueviſſe. Quia hoc tamen non fiebat ab omnibus, idcirco Pius V. in recognitione Miſſalis ſtatuit eum deinceps ab omnibus eſſe recitandum. Pſalmus hic quandoque, nimirum in Miſſis defunctorum & tempore paſſionis omittitur in Eccleſia Latina, nec uſurpatur a Carthuſianis, & aliquot aliis Ordinibus, nec in ritu Ambroſiano. Confeſſionem vero Miſſæ præmitti ſolitam ex Apoſtolica traditione probat Sanctiſſimus cum Cardinali Bona & aliis; incertum tamen aſſerit, quis compoſuerit *Confiteor*. Et hæc de præambulis Miſſæ. Jam

61. Principium Miſſæ, ſeu prima pars Miſſæ eſt *introitus*, ita dictus, quia a choro canebatur, cum Sacerdos ad Altare accederet.

Ejus inſtitutionem S. Cœleſtino I. qui ſedit ſæc. V. tribuunt Walfridus, & Micrologus cum aliis: ſed hæc opinio omni caret fundamento. Honorius ergo lib. 1. *in gemma animæ* cap. 87. auctorem introitus Miſſæ fuiſſe putat S. Gregorium Magnum, quod veroſimilius eſt. Nam S. ille Pontifex Antiphonarium compoſuit ſelectis e Pſalmorum libro Antiphonis, aliis quidem ad introitum, aliis ad reſponſorium, aliis etiam ad offertorium.

62. Poſt introitum ſequitur *Kyrie eleiſon*, novies a Sacerdote & Miniſtro recitatum. Quod inſequitur hymnus Angelicus *Gloria in excelſis Deo*; poſt quem Sacerdos converſus ad populum dicit, *Dominus vobiſcum*, ac ad cornu Epiſtolæ rediens dicit *Oremus*, & collectam legit.

Precatio illa *Kyrie eleiſon*, ſeu *Domine miſerere nobis* adhibetur in genuina liturgia Jacobi Apoſtoli, & in Miſſalibus veterum Græcorum. Quis ab Oriente hæc verba in Occidentem invexerit, viri docti diſputant. Vulgaris olim opinio fuit S. Gregorium Magnum ea Miſſæ addidiſſe: ſed falſitatis arguitur, quod conſtet 60. ante annis ea ab Apoſtolica Sede & ab Italiæ Provinciis eſſe uſurpata, cujus rei teſtem adducit Sanctiſſimus Concilium Vaſenſe A. 529. Olim numerum præfinitum non fuiſſe repetitionum *Kyrie eleiſon*, ut nunc, ſed toties dici conſueviſſe, quoties voluiſſet celebrans, teſtatur Martene de antiquis Eccleſiæ Ritibus lib. 1. cap. 4. a. 3. N. 5. aſſentitur Mabillonus in Comment. in Ord. Rom. A. 6. N. 3. qui & ibi docet *Kyrie eleiſon* dici non conſueviſſe in Miſſis, quæ dictis antea Litaniis celebrarentur. Ambroſiani ter has voces *Kyrie eleiſon* adhibent, poſt Gloria in Excelſis, poſt Evangelium, & in fine Miſſæ. Hymni Gloria in Excelſis Authores ſunt Angeli; reliquum hymnum homines condiderunt, illum Græci *Doxologiam* vocant. Qui vero hi augmentatores fuerint, controverſum eſt inter doctos, de quo vide Sanctiſſimum. Quidam putant ad Latinos eum hymnum a Græcis dimanaſſe, neque in Miſſa dici cœptum ſimul ac a Græcis in Occidentem tranſierit: vide Concilium Tolet. 4. Olim canebatur in Miſſa tantum Nativitatis, & in prima quidem Miſſa Græce, in altera Latine, ut docet Anonymus in libro, cui titulus Speculum Eccleſiæ. Poſtea illum die Dominica & Feſtis ſolemnibus ſolus Epiſcopus recitabat, Presbyteri in die Paſchatis tantum; quæ ſunt fere verba principii libri Sacramentorum Gregorii. Paulo poſt Sæculum X. licuit Presbyteris *Gloria in Excelſis* recitare in Miſſa per annum. Excipiuntur tamen quædam tempora, quibus omittitur. Poſt hæc Sacerdos dicit *Dominus vobiſcum*, & ſi Epiſcopus ſit, *Pax vobis*, nam in diebus pœnitentiæ ipſe quoque dicit *Dominus vobiſcum*. In Orientali Eccleſia Formula, qua Sacerdotes populum ſalutant, eſt *pax omnibus*, ut colligitur ex S. Baſilii & Chryſoſtomi liturgiis. Hujus formulæ meminit can. 1. Concilii Braccarenſis, & Albaſpinæus ex S. Cypriano ep. 30. alias 38. ubi habetur, *auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem*, colligit, lectorem, antequam Evangelium legeret, *pax vobis* dicere conſueviſſe. Quod *collectas*, quæ dicto Dominus vobiſcum, & Oremus a Sacerdote dicuntur, & hic pro brevi oratione ſumuntur, quamvis nomen collectæ olim haberet varium ſignificatum, ut jam in ſuperioribus indicavimus, attinet, earum vis & natura ad Apoſtolicam traditionem eſt referenda, ut ex Juſtino, & Tertulliano ſupra hoc titulo abunde indicavimus. Collectas vero, quibus in Miſſis utimur, compoſuit S. Gelaſius, vel S. Gregorius, teſte Durando. In Eccleſia Lateranenſi olim nulla collecta, ſed Pater noſter recitabatur. Una etiam olim in hac Miſſæ parte collecta, ſeu oratio dicebatur, ut oſtendit Menardus in Notis *ad Sacram. S. Gregorii* pag. 6. poſtea plures recitari cœptæ, iiſque numerus ſubinde præfinitus, ne plures, quam ſeptem recitarentur, ut obſervat Martene, & docet Gemma animæ lib. 1. c. 4.

&

& Macrus Vocabular. Eccl. verbo *Collecta* poſt Innocentium III. dicens, collectarum numerum imparem ſemper eſſe debere, ut præſcribunt Rubricæ. Reliqua vide apud Sanctiſſimum.

63. Poſt dictas collectas ſequitur Epiſtola, Reſponſorium, Graduale, Alleluja, Tractus &c.

De horum ratione adeatur S. Thomas 3. q. 83. A. 4. Quod eorum vetuſtatem attinet, in vetuſtis Codicibus *Epiſtola* dicitur *Lectio ex Apoſtolo*, & quia hæ lectiones plerumque ſumuntur ex Epiſtolis S. Pauli, *Epiſtolæ* vocantur. Et ſane ex ejus Ep. ad *Coloſſenſes* c. 4. item ex 1. *ad Theſſalonicenſes* in fine, ubi ait: *Adjuro vos per Dominum, ut legatur hæc Epiſtola omnibus Sanctis Fratribus;* etſi ibi diſerte non dicat Apoſtolus, ut earum lectio fiat in Miſſa, veriſimile tamen fit, tempore Miſſæ lectas fuiſſe eas Epiſtolas, nullos enim alios conventus novimus Chriſtianorum, quam qui ad Sacram Synaxim agebantur. Unde harum lectionum Epocham ſtatuere licet cum Cardinali Bona & aliis. Series vero & ordo Epiſtolarum & Evangeliorum, quæ totius anni curſu legebantur in Miſſa, vulgo Hieronymo tribuitur, qui librum compoſuit, appellavitque *Comitem*, quem typis edidit Pamelius in voluminibus *de rebus liturgicis*. In Miſſalibus Ambroſiano & Mozarabo duæ leguntur lectiones ante Evangelium, quarum altera e veteri, altera e novo Teſtamento ſumpta eſt. In Gallicano vero *tres* legi conſueverant, addita nimirum lectione ex Evangeliſtis, teſte Mabillonio. Nunc una ordinarie legitur exceptis quibuſdam diebus in Miſſali notatis. Epiſtolam vero Sæculo VIII. cantare cœpit Subdiaconus; in veteri enim Ordinatione Subdiaconi nihil reperitur de lectione Epiſtolæ, ſed Lectores eam legebant. Gradualis auctorem quidam faciunt S. Cœleſtinum, quidam S. Gregorium M. Locus eſt in lib. Pontificali in vita Cœleſtini I. *Conſtituit Graduale poſt officium ad Miſſam*, ſive ut alii legunt, *ad Miſſas cantari*. Et S. Gregorium omnia, quæ in Miſſis canenda ſunt, ordinaſſe compertum eſt. Difficultatem circa hanc aſſertionem ex Canone Concilii Toletani IV. A. 633. adeoque poſt Gregorium M. celebrati, vi cujus nullum reſponſorium poſt Epiſtolam recitari debet, ſolvit Bona, advertendo, tum jam in Hiſpania Mozarabum Ritum viguiſſe. De Tractu, Alleluja &c. conſule Sanctiſſimum.

64. Poſt lectam Epiſtolam nominata pars Miſſæ in Eccleſia Romana eſt Evangelium.

Illud olim legebant Lectores tam apud Latinos, quam Græcos in Miſſis publicis ſeu ſolemnibus, ut colligitur ex Epiſtolis 33. & 34. S. Cypriani. & ex Concilio Toletano I. c. 2. Id vero munus in Evangelii honorem Diaconis poſtmodum demandatum fuit; quamobrem Hieronymus in ep. ad Sabinianum, *Evangelium*, inquit, *Chriſti quaſi Diaconus lectitabas*. Græci vero etiamnum vetuſtum morem retinent, ut Evangelium publice legatur a Lectoribus, teſte Smithio. Evangelii in Miſſa Lectionem ex Apoſtolica manare traditione, uno ore fatentur, quotquot de rebus liturgicis ſcripſerunt. Et S. Juſtinus Apologia 2. teſtatur, Evangelii lectionem ex eadem traditione eſſe profectam, nec vero ulla liturgia vetus eſt, quæ Evangelii Lectionem non præcipiat. Morini dubium doctiſſime reſolvit Cardinalis Bona hic. Poſt Evangelii lectionem in diebus Feſtis ſermo ſeu homilia habebatur ad populum, quemadmodum conſtat ex Juſtini Martyris Apologia 2. & S. Cypriano in vita S. Cæſarii c. 14. quæ conſuetudo adhuc in multis diœceſibus viget. Poſt quæ apud antiquos Miſſa Catechumenorum peracta erat. De quibus lib. 5.

65. Poſt Evangelium Sacerdos recitat ſymbolum, ſiquidem ex Rubrica dicendum ſit; nec enim in qualibet Miſſa locus eſt ſymbolo. Atque ab ipſo incipit Miſſa Fidelium.

Ejectis extra Eccleſiam catechumenis, pœnitentibus, & aliis, quibus peracto ſermone nefas erat in ea permanere, incipit Miſſa fidelium, quæ, cum ſeverior diſciplina vigeret, clauſis januis agebatur, eaſque cuſtodiebant Miniſtri, ne quis intraret immundus, vel indignus. Verba ſunt Cardinalis Bonæ lib. 2. c. 8. §. 1. De ſymbolis latum tractatum inſtituimus lib. 1. Tit. 1. ex quo ad præſentem materiam vide §. 4.

66. Finito ſymbolo in Miſſa ſequitur offertorium, quod præter Antiphonam, quæ in Miſſali inſcribitur *Offertorium*, continet quinque Orationes, nimirum *Suſcipe S. Pater &c.* in oblatione panis, *Offerimus tibi Domine &c.* in oblatione calicis, *In ſpiritu humilitatis. Veni Sanctificator*, poſt horum oblationem, ac demum poſt lotionem manuum *Suſcipe S. Trinitas*.

Mixtio aquæ cum vino non ex divino, ut quidam Theologi olim autumabant, ſed ex Eccleſiaſtico præcepto deſcendit; quod quidem Eccleſiæ præceptum ex ipſius Chriſti Domini facto, & exemplo profectum eſt; quamvis in ſacris paginis nulla occurrat mentio hujuſmodi mixtionis. Nam ut in hiſtoria ſacræ cœnæ obſervat Buxtorfius N. 10. in Ritualibus Judæorum libris unicuique permittitur in Paſchali cœna vinum aqua diluere; id vero eſt, quamobrem credamus, Chriſtum Jeſum, ut temperantiæ & ſobrietatis exemplum ederet, aquam in vinum infudiſſe. Vetus exiſtit hæreſis *Aquariorum* dicta, de qua S. Epiphanius *Hæreſi 46. Tatianus cum ſuis diſcipulis*, inquit, *in ſacramentis ſolum aquam adhibet; ſed a vino prorſus abſtinet, dicens vinum diabolicum eſſe, & impios, qui vinum bibunt*. E contra Armeni in conſecratione non admiſcent aquam vino, ut ex eorum Liturgia refert Gregorius Caſſander; quem Ritum non toleravit Eccleſia Romana in Armenis ſecum unitis, ita cenſente Congregatione de propaganda fide 30. Januarii habita An. 1635. Græci bis aquam infundunt vino in Miſſæ ſolemniis juxta Sanctorum Baſilii & Chryſoſtomi liturgias, teſte Goario; nimirum ſemel ante Miſſam frigidam, & conſecratione facta ante communionem calidam, quem ritum apud Græcos vere exiſtere, nec eos propterea erroris eſſe inſimulandos probat Cardinalis Bona lib. 2. c. 9. §. 4. Mixtionis aquæ cum vino in Sacrificio mentionem unanimem faciunt Patres primitivæ Eccleſiæ. Locum ex Juſtino ſupra retulimus. S. vero Cyprianus ep. *ad Cæcilium* ejuſdem commixtionis myſterium explicat, dum ait: *Videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur*. Ex quo apparet, quam inconſulte, quam temerarie Novatores noſtri ſæculi ejuſmodi commixtionem ceu rem adiaphoram ſuſtulerint. Modicam vero aquam vino admiſceri decreverunt Patres Trullani &c. Panem ſoliis orationibus oblatum Sacerdos inter ſe & calicem linea recta collocat. Græci vero hoſtiam & calicem ita locant, ut lineam rectam a latere ad latus efficiant; quod diu etiam retinuit Romana Eccleſia. Scribit enim Micrologus cap. 10. *Ita juxta Romanum Ordinem in Altari componenda ſunt, ut oblata in corporali poſita, calix ad dexterum latus oblatæ ponatur, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere dominico profluxiſſe credimus*. Et le Brun Tomo 2. pag. 318. putat Ritum collocandi hoſtiam recta inter Sacerdotem & calicem uſurpari cœpiſſe A. 1485.

67. Facta oblatione Sacerdos lavat manus, dicens Pſalmum, *Lavabo inter innocentes &c.* poſtea

ſtea paululum ſe ioclinans dicit orationem *Suſcipe Sancta Trinitas &c.* deinde ad populum verſus dicit *Orate Fratres &c.* deinde *ſecretas* orationes recitat, in quarum ultima *per omoia ſacula ſaculorum* elata voce pronuntiat, ac præfationem dicit.

Ablutionis manoum intra Miſſæ Sacrificium meminit Sæculo IV. S. Cyrillus in Catecheſi Myſtag. c. 5. quam non dicit adhiberi ad tergendas ſordes, ſed Symbolum eſſe muodandarum animarum a peccatis & iniquitatibus. De duplici manuum antiqua ablutione, altera ante offertorium, altera poſt incenſum, quarum nunc in Miſſis cantatis retinetur ſecunda, poſtquam Sacerdos incenſavit Altare, & incenſatus eſt a Diacono, fuſe agit Vertus Tom. 4. pag. 574. & ſeq. Quod Pſalmum *Lavabo* attinet, in quibuſdam Eccleſiis quidam ejus verſiculi duntaxat recitantur; in Miſſali vero Romano totus exhibetur, quod congruit cum liturgiis S. Chryſoſtomi & Baſilii. De oratione *Suſcipe S. Trinitas* Cardinalis Bona lib. 2. *Rerum liturgicarum* cap. 9 N. 6. ſcribit ſe neſcire, quam vetus illa ſit. Micrologus, qui vivebat XI. Sæculo, ait hanc orationem neque in Ordine Romano, neque in liturgiis Gallicanis ſcriptam, recitari tantum a Presbyteris ex conſuetudine. Illius tamen ſubſtantia repetitur in Græcis liturgiis, in Miſſali Ambroſiano, & in pluribus aliis Miſſalibus, & Sacramentariis, quæ Micrologo ſunt antiquiora. Quidam exiſtimant, eam olim non ipſum Sacerdotem, ſed populum recitare conſueviſſe, cum Sacerdoti panem conſecrandum offerebat: poſtquam autem mos ille exolevit apud populum offerendi panem, Sacerdotem ſubinde cœpiſſe eam dicere nomine populi. Vide Pouget Inſtit. Cath. Tom. 2. pag. 846. Orationem *Orate Fratres* Radulphus propoſit. 23. S. Leoni I. tribuit, quod admitti poteſt, ſi de verborum loquitur forma, nam totius ſententiæ ſubſtantia reperitur in liturgiis SS. Marci & Jacobi, ut advertit Meratus Tom. 1. p. 1. pag. 500. N. 31. Circa *Secretas* Orationes, quæ ſuper oblata dicuntur a Sacerdote ſubmiſſa voce, notandum, plures eſtum alludere ad antiquum Eccleſiæ morem, quo fideles panes conſecraodos ipſi offerebant, ut ſupra tit. 30. §. 2. vidimus, & confirmari poteſt ex Secreta Miſſæ in Dominica V. poſt Pentecoſten, ubi habetur: *Propitiare Domine Supplicationibus noſtris, & has oblationes Famularum tuarum benignus aſſume &c. Per omnia ſecula ſeculorum* vero idcirco in fine ultimæ ſecretæ dicitur elata voce, ut populus reſpondeat *Amen*, & orationes a Sacerdote recitatas confirmet, ut poſt Micrologum cap. 7. obſervat Bellarminus Tom. 7. *Controvers.* lib. 6. de *Miſſa* c. 17. *De Præfatione* autem dicitur, quod Sacro præeat canoni, ac præparatio quædam ſit ad Miſſæ Sacrificium, ut probe obſervant Durandus lib. 4. c. 33. In Miſſali Mozarabico appellatur *Illatio*: nam ex fidelium verbis Sacerdos infert, *dignum & juſtum eſſe Deo gratias agere*; & ob eandem rationem in Sacramentario Gallicano appellatur *conteſtatio*. Ejuſdem mentio fit in liturgia S. Jacobi, & in operibus S. Cypriani, & S. Cyrilli; & hinc quamvis in lib. Pontificali tribuatur S. Gelaſio I. hoc tamen ita intelligit Bona cum aliis, ut quaſdam quidem earum compoſuerit, non tamen primus hanc orationem in Miſſam introduxerit, ſed ad Apoſtolica tempora ſit referenda. In Miſſalibus poſt A. 1200. editis novem, quæ nunc apud nos etiam exſtant, legimus præfationes; earum quidem prius meminit Pelagius II. *can. Sanctorum* diſt. 70. ſed hæc ep. a doctis ſuppoſititia cenſetur. Quibus deinde addita eſt communis, quæ vetuſtiſſima eſt, & Gelaſio vel Gregorio M. tribuitur, & præfatio de B. Maria Virgine; ita ut undecim ſint præfationes, quibus nunc utitur Romana Eccleſia. Græci unam tantum habent præfationem in omnibus Miſſis. Mozarabes præfationes habent proprias; plurimæ vero ſunt in Ritu Ambroſiano. Præfationes omnes incipiunt per verba, *Surſum corda*, quæ habentur in Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi; de iis loquitur S. Auguſtinus *Serm.* 227. edit. Benedictinæ, S. Cyprianus *de Dominica Oratione*; cum iis conſonat S. Cyrillus *Catecheſi* 5. *Myſtag.* Deſinunt vero in illum hymnum, quem Græci *triumphalem*, nos *Angelicum* appellamus, *Sanctus, Sanctus, &c.* ſub quo pulſatur a miniſtro campanula ad excitandos adſtantium animos ad devotionem; cujus conſuetudinis originem ſibi adhuc incompertam faſtetur Sanctiſſimus; retinendum vero eum Ritum, ubi jam viget, cum nihil perniciosius exiſtimet variatione in Sacris Ritibus.

68. Princeps Sacrificii noſtri pars, quin firma regula, juxta quam novi teſtamenti Sacrificium eſt celebrandum, eſt Canon, ex hoc fine ita dictus ab Eccleſia Latina, quod Græcis *Regulam* ſignificet.

Canonem S. Gregorius M. *precem*, Vigilius *textum Canonicæ precis*, S. Cyprianus *orationem*, Walfridus & alii *actionem* appellant, quod in eo Sacramenta Domini conficiantur. Incipit Canon Miſſæ ab ea oratione *Te igitur Clementiſſime Pater.* Diciturque ſubmiſſa voce uſque ad orationem Dominicam. Auctor Canonis a quibuſdam ponitur Gelaſius I. inquit Sanctiſſimus, alii canonem tribuunt Muſæo Maſſilienſi Presbytero, nonnulli etiam Voconio Epiſcopo Caſtellanenſi in Mauritania: hi enim omnes teſte Gennadio Sæculi V. Authore libros de re Sacramentaria conſcripſerunt; quæ recenſentur in liturgicis Latinorum a Jacobo Pamelio Canonico Brugenſi digeſtis Tomo I. edito Coloniæ A. 1571. quem cum Pontificali Romano, aliiſque ſelectis monumentis in ſubſidium præſentium lucubrationum pro ſuo in rem literariam eximio zelo mihi gratioſiſſime commodavit Reverendiſſimus, Illuſtriſſimus, ac Excellentiſſimus Dominus Antonius Wokaun Dei & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus Callinicenſis, Celſiſſimi Principis Archiepiſcopi Pragenſis Vicarius Generalis & Officialis. Celebre teſtimonium eſt S. Gregorii M. lib. 7. ep. 64. nunc lib. 9. ep. 12. qui canonem dicit a *Scholaſtico* quodam eſſe compoſitum. Non leve autem diſſidium ortum eſt inter eruditos ex hac Gregorii M. authoritate, aliis volentibus eum nomen Scholaſtici ſumpſiſſe appellative, quemadmodum a Patribus Viros quoſdam eruditos Scholaſticos fuiſſe appellatos legimus. Alii vero ſubſtantive ac proprie ad deſignandum hominem, qui vocabatur *Scholaſticus*. Qui tamen rurſus non conveniunt, an S. Gregorius judicet canonem integrum ab eodem Scholaſtico eſſe compoſitum, an vero aliquas ſolum in eo orationes. Priori ſententiæ adſtipulatur Cardinalis Bona lib. 2. cap. 11. N. 2. quem ſequitur recentior Merstus Tom. 1. in edit. Veneta de A. 1744. p. 96. Quas eruditas concertationes removens Sanctiſſimus locum affert ex Concilio Trid. Seſſ. 22. c. 4. de Sacrificio Miſſæ, ubi a pluribus ſucceſſive compoſitus edicitur his verbis: Is enim conſtat cum ex ipſis Domini verbis, cum ex Apoſtolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum inſtitutionibus. Subdens: Nihil enim de Canonis auctoritate quidquam detrahit, quod a pluribus compoſitus ſit; cum ipſi quoque ſymbolo Apoſtolorum Concilium Nicænum & Conſtantinopolitanum explicationes addiderint, & quidem juxta ipſos Dominos Proteſtantes innocue. De quibus vide lib. 6. Tit. 1. præſentium Notarum. Canonem

ſtem vero a quarto uſque ſæculo adhibitum teſtatur S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis c. 5. & 6. ubi pars illa canonis paucis quibuſdam immutatis legitur: *quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam*; & illa itidem: *qui pridie, quam pateretur*; & illa, *ſupra quæ propitia ac ſerena*: indeque S. Doctor lib. 4. de Sacram. diſerte meminit Orationis illius in Canone, in qua Sacerdos orat pro Ecclesia, etſi non afferat ipſa Orationis verba. Et Sanctiſſimus dicit ſe lib. 1. de Canoniz. c. 5. N. 6. obſervaſſe, in noſtro Canone commemorationem fieri duntaxat Apoſtolorum, & Martyrum, non vero Confeſſorum, quod indicium eſt, canonem priorem eſſe Sæculo IV. quo cultus Martyribus tantum, nondum vero Confeſſoribus tribuebatur. Et ſane vetuſtum eſſe canonem intelligitur ex Vigilio Papa, qui Gregorium M. medio Sæculo anteceſſit. Unde idem Sanctiſſimus ad teſtimonium Gregorii M. eorum probat ſententiam, qui putant eundem Scholaſtico ſuprafato non integrum canonem, ſed orationem quampiam tribuere inſertam canoni. Scribit enim S. Gregorius ſe de eo accuſatum eſſe, quod recitari juſſerit *Pater noſter*, poſt canonem; ſeque id feciſſe ait, quod indignum ſibi videbatur, orationem a Scholaſtico compoſitam ante communionem recitari, orationem vero Dominicalem non dici ſupra Corpus Chriſti; fortaſſe enim ejus ætate oratio Dominicalis vel in Miſſa non dicebatur, vel recitabatur poſt Communionem. E contra, qui Scholaſticum totum Canonem compoſuiſſe ex mente Gregorii contendunt, Tridentinos Patres in ſpeciem pugnantes conciliare nituntur dicentes, quod cum Vigilio Papa loquantur de Subſtantia canonis, quam ex Apoſtolica traditione deſcendere libentiſſime confitentur; Gregorius vero de verbis, ſive ſtylo, quibus canon exaratus eſt.

69. Dictus Canon, ut ſcitiſſime advertunt Patres Tridentini, conſtat 1. ex ipſis Domini verbis; 2. ex iis, quæ ex Apoſtolica traditione; 3. denique ex iis, quæ a Romanis Pontificibus addita ſunt.

Ea omnia doctiſſime more ſolito pertractat, ac a Novatorum cavillationibus vindicat Sanctiſſimus, quem legendum conſulimus. Quod vero additamenta Romanorum Pontificum attinet, proditum eſt S. Leonem in canone Miſſæ addidiſſe *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*; quæ dicuntur a Sacerdote in oratione, quæ conſecrationem conſequitur; cum vero in auctore quæſtionum veteris & novi teſtamenti apud D. Auguſtinum Tom. IV. qui ſcripſit ad finem Sæculi IV. adeoque ante S. Leonem legamus orationem *ſupra quæ propitia &c.* ejuſdemque orationis mentionem faciat S. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis, ſatis conſtat, S. Leonem, totam illam orationem non compoſuiſſe, ut quidam putarunt, ſed illa ſolum verba addidiſſe. Memoriæ quoque traditum eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria, S. Gregorium verba illa in canone addidiſſe; *dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari*. Id enim in vita ejus teſtatur Joannes Diaconus. Poſt Gregorium vero M. certiſſimum eſſe ait Sanctiſſimus, nihil in canone Eccleſiæ Romanæ amplius eſſe addicum, eſto Viros doctos ibi adducat, qui aliqua additamenta in Miſſalibus MSS. unius vel alterius particularis Eccleſiæ reperierunt. Ubi etiam refellit eorum opinionem, qui orationem *Unde & memores* adſcribunt Alexandro I. qui vixit initio Sæculi II. cum potius ex divina inſtitutione promanet, dicente Apoſtolo: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*.

70. Canon iſte Sacrificii Miſſæ apud Latinos ſex orationibus abſolvitur; quarum prima incipit *Te igitur Clementiſſime Pater*, continetque *Memento* & *Communicantes*. Secunda *Hanc igitur oblationem*. Tertia *Quam oblationem tu Deus*, quæ uſque ad finem conſecrationis continuatur. Quarta *Unde & memores*. Quinta *Memento etiam*. Sexta *Nobis quoque peccatoribus*, qua Canon clauditur.

Circa has Orationes quædam huc excerpemus, quæ notitiam hiſtoricam juvare poſſunt, quantum ad reliqua Benevolum Lectorem ad fontem jam indicatum remittentes. Itaque quod primam orationem concernit, in illa Sacerdos orat pro Eccleſia univerſa, pro Papa, pro Epiſcopo, & in aliquibus locis pro Rege. In Eccleſia etiam Orientali mentio fiebat ſummi Pontificis. Quod abolitum in Schiſmate Photii. Nihilominus Græci, quotieſcunque de unione actum nos inter ac illos fuit, in hoc nobiſcum convenerunt, ſummi Pontificis nomen in canone eſſe reſtituendum. In Eccleſia Occidentali conſuetudo hæc omnem memoriam excedit; Concilium Vaſenſe A. 529. can. 4. ſtatuit: *Nobis juſtum viſum eſt, ut nomen Domini Papæ, quicunque Apoſtolicæ ſedi præſuerit, in noſtris Eccleſiis recitetur*. Sed ſimilia monumenta potius conſuetudinem illam reſtituunt, maloſque uſus intermiſſionis ejuſdem auferunt, quam rem ipſam ſtatuant. In Orientali Eccleſia Presbyter orat pro Epiſcopo, Epiſcopus pro Archiepiſcopo, & hic pro Patriarcha, ut videre eſt apud Cardinalem Bona lib. 2. *Rer. Liturg.* c. 11. N. 3. In *Memento* præſentis Orationis Sacerdos orat pro vivis. Poſt quod ſequitur *Communicantes*; cui Rubrica præfigitur, *infra actionem*; quod idem ſignificat, ut inquit Sanctiſſimus, ac intra actionem ſeu canonem, non quidem juxta regulas Grammaticæ, ſed juxta idiotiſmum, quem adoprarunt quidam Eccleſiaſticorum librorum ſcriptores; unde & in quibuſdam Rubricis antiquorum Miſſalium legitur, *vinum* infra *Calicem eſſe infundendum*, hoc eſt *intra* calicem. Verborum autem *Communicantes &c.* planus videtur ille ſenſus, ut unionem ſignificet ſanctorum, qui in cœlo ſunt, cum fidelibus, qui degunt in terris. Nominantur autem poſt Beatiſſimam Dei Genitricem duodecim Apoſtoli cum Paulo. Martyres vero, qui hic commemorantur, omnes vel Romæ, vel in ejus Patriarchatu paſſi ſunt. Et hinc Coſmas & Damianus non ſunt duo Martyres Arabici, nec duo Confeſſores Aſiatici, ſed duo Martyres Romani. Quis ex duobus Xiſtis in canone nominetur, dubium eſt. Recentiores inter hos Martyres ſunt SS. Joannes & Paulus, circa dimidium IV. Sæculi ſub Juliano Apoſtata paſſi. In Ambroſianæ Miſſæ canone poſt Martyres fit commemoratio Confeſſorum; ſed hic uſus quorundam particularium Eccleſiarum fuit, in Romanum canonem nunquam admiſſus. Prima hæc canonis Oratio dicebatur olim ſuper diptycha. Erant autem diptycha quidam aſſeres diviſi in partes tres, ita ſibi juncti, ut complicari poſſent, in quorum primum quorundam Sanctorum, & præſertim B. Virginis, Apoſtolorum, & Martyrum, in alterum fidelium nomina referebantur, qui viverent, & dignitate eſſent illuſtres, vel de Eccleſia eſſent optime meriti; inter eos Romanus Pontifex, Patriarcha, Epiſcopus, & alii ex Clero primi ponebantur; deinde Imperator, Viri Principes, Magiſtratus, & qui de Eccleſia bene meruiſſent, & omnis fidelium cœtus. Tertius aſſer habebat nomina defunctorum, qui in fidelium communione mortui eſſent. In Miſſis privatis Sa-

cerdos, in ſolemnibus Diaconus & Subdiaconus ea nomina recitabant. Plura de Diptychis vide apud Sanctiſſimum, & alios. Nos quædam attigimus hoc libro titulo 30. N. 28.

In ſecunda canonis oratione quatuor petitiones continentur, quarum prima eſt, *ut Deus oblationem noſtram placatus accipiat*. Secunda, *ut dies noſtros in ſua pace diſponat*. Tertia, *ut ab æterna nos liberet damnatione*. Quarta denique, *ut in electorum ſuorum grege nos jubeat numerari*. Secundam petitionem a S. Gregorio M. additam ſupra advertimus. In pervigiliis Paſchatis ac Pentecoſtes, ac per totam earum ſolemnitatum octavam in hac oratione adduntur, quæ ad eos, qui in his diebus baptizantur, pertinent. Nam juxta veterem diſciplinam in pervigiliis Paſchatis & Pentecoſtes Catechumeni baptiſmo abluebantur, qui veſtibus albis amicti Sacrificio Miſſæ aderant, & Sacram Euchariſtiam ſuſcipiebant, ut bene advertit Pouget *Inſtit. Cath.* Tom. 2. pag. 858. Cætera videantur apud Sanctiſſimum.

In tertia oratione reſpiciens Eccleſia non ſolum oblationem panis & vini, eorumque proxime inſtantem tranſſubſtantiationem in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed etiam ſui ipſius & Sacerdotis celebrantis, & aſtantium oblationem, Deum orat, ut eam facere dignetur *Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque, ut nobis fiat corpus & ſanguis unigeniti ejus filii*. Quæ verba explicata lege apud Sanctiſſimum. In hujus orationis progreſſu Sacerdos partim recitative, ſeu hiſtorice & materialiter, partim recitative & ſignificative, ut Theologi loquuntur, exponit, quæ pridie mortis ſuæ Chriſtus fecit & dixit: nimirum accepiſſe panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in cœlum ad Deum Patrem ſuum omnipotentem, gratias illi egiſſe, panem benedixiſſe, fractum dediſſe diſcipulis ſuis, ac dixiſſe, *Accipite & Manducate: Hoc eſt enim Corpus meum*. Et ſic abſoluta eſt conſecratio unius ſpeciei. Quæ ſuper hæc Scholaſtice ac Polemice commentatur Sanctiſſimus, vide ibi. Græci poſt verba, Hoc eſt corpus meum, orant Deum, ut panem immutet, & faciat corpus Chriſti, quod & fit in Miſſali Mozarabum. Qui tamen in Concilio Florentino declararunt, ſe credere vi verborum Chriſti fieri tranſſubſtantiationem, ut vidimus lib. 1. Tit. 1. N. 271. Orationem Græcorum poſt verba Chriſti explicavit Cardinalis Turrecremata in oratione, quam juſſu Eugenii IV. habuit in Concilio Florentino, inquiens: *Oratio illa non eſt, ut conficiatur, quod confectum eſt; ſed ut conſequamur effectum Sacramenti, ſcilicet uniri cum Chriſto, & incorporari*. Cui explicationi conſenſerunt Græci, quibus adſtipulantur & Syri, ut refert S. Maronius in *Expoſit. liturgiæ* c. 33. Neque novum eſt in precibus Orientalis Eccleſiæ, ut poſtuletur, quod jam conceſſum ſit a Deo; ut ex eorum liturgiis oſtendit Sanctiſſimus, & nos etiam de Latina indicavimus hoc lib. Tit. 28. N. 36. Pergit deinde Sacerdos dicens: *ſimili modo poſtquam cœnatum eſt;* ac ſimili modo enarrat, quæ Chriſtus circa conſecrationem calicis egerit, dixeritque; ac demum calicem conſecrat. Panem ac vinum per verba conſecrationis in corpus & ſanguinem Chriſti tranſſubſtantiari lib. 1. Tit. 1. prolixa diſſertatione demonſtravimus. Quod hic adhuc annotandum venit, eſt, Græcos hoſtiam & calicem non ſtatim poſt conſecrationem, ſed paulo ante communionem elevare, eumque morem apud illos vetuſtiſſimum eſſe, itemque apud Armenos & Abyſſinos, qui Sacramentum paulo ante communionem elevantes populum excitant ad illud adorandum, ut refert Bona lib. 2. c. 13. N. 2. Mabillonius in commentario *ad Ordinem Rom.* N. 7. docet fieri cœpiſſe in Gallia elevationem hoſtiæ circa dimidium Sæculi XI. incompertum autem eſſe, an paulo poſt Romana Eccleſia amplexa ſit ejuſmodi diſciplinam, quanquam in Romana & Gallicana Sacra adorabantur Myſteria. Le Brun tomo 1. pag. 476. oſtendit, ab initio uſque XII. Sæculi Presbyteros conſueviſſe poſt finem canonis, ubi ad ea verba perveniſſent, *Omnis honor & Gloria*, hoſtiam & calicem elevare; quam nunc ſecundam, ſeu parvam appellamus elevationem; eam vero, quæ nunc fit poſt conſecrationem, eo conſilio eſſe introductam, ut ſignum Catholicæ fidei adverſus Berengarii Hæreſim induceretur. Ex Soto autem in 4. ſent. diſt. 13. q. 2. a. 5. diſcimus, tempore Berengarii ſeu Sæculi XI. fuiſſe cœptum elevari hoſtiam & calicem, & utrumque quidem in aliquibus Eccleſiis, in aliquibus vero ſolummodo hoſtiam. Dicit enim; *Imo vero apud Carthuſienſes non elevatur* (Calix), *neque in Ordinario noſtro* (Fratrum Dominicanorum) *quod inde ſumptum eſt, præcipitur nobis, ut elevemus*. Ordo autem Prædicatorum prodivit Sæculo XIII.

In tertiæ Orationis fine Sacerdos profert illa verba: *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*; quæ appoſite ſequitur præſens quarta canonis oratio, *Unde & memores*, in qua Sacerdos etiam nomine populi iterum, ut in oratione *Suſcipe S. Trinitas*, Paſſione, Reſurrectione, & Aſcenſione commemoratis, æterno Deo Patri corpus ejus filii & ſanguinem offert. Extat hæc oratio apud S. Ambroſium lib. 4. de Sacram. c. 6. eaque verba, *hoſtiam puram, hoſtiam Sanctam, hoſtiam immaculatam*, ſunt iis ſimillima, quæ habentur in ep. ad Rom. c. 12. *hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. Quæ Scholaſtice & dogmatice in hanc orationem notanda occurrunt, vide apud Sanctiſſimum.

Quemadmodum in prima Canonis oratione memoria vivorum, ita in quinta fidelium defunctorum memoria celebratur ab Eccleſia. Et ideo in ea copulative dicitur, *Memento* etiam *Domine &c.* nulla autem eſt liturgia, quæ non habeat orationem pro defunctis, ut hoc titulo abunde jam demonſtratum eſt. Vide etiam, quæ in explicatione primæ Orationis diximus de diptychis.

Verba initialia *Nobis quoque peccatoribus* ſextæ & ultimæ Canonis Orationis elata paululum voce dicuntur; definitque hæc oratio in clauſulam *per omnia Sæcula Sæculorum*, quæ proxime orationem præcedit Dominicalem; eaque clauſula alta voce dicitur, ut populus reſpondeat *Amen*. In hac oratione invocantur aliqui SS. Apoſtoli, & Martyres utriuſque ſexus; Joannes, qui hic nominatur, non videtur eſſe Joannes Evangeliſta, ut cenſuit Innocentius III. ſed juxta Sanctiſſimum noſtrum & alios Joannes Baptiſta, cum teſte Menardo hujus S. Joannis mentio fiat in liturgiis SS. Baſilii, & Chryſoſtomi poſt conſecrationem. S. Stephanus Matthiæ Apoſtolo præponitur non ratione dignitatis, ſed ordinis Martyrii; Matthias in prima canonis oratione inter alios Apoſtolos non nominatur, quia paſſionis tempore nondum erat Apoſtolus, & quamvis neque Paulus, ille tamen ibi recenſetur, ne ſeparetur a Petro; qui hic non reperitur, nam Petrus, qui hic nominatur, eſt Petrus Exorciſta Socius Marcellini Presbyteri, qui ſub Diocletiano paſſi ſunt, eo quod poſt Petrum proxime nominetur Marcellinus. Quæ circa verba hujus Orationis, *Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas &c.* notanda veniunt, vide ſis Tit. 30. N. 27. hujus libri. Ea explicanda ſuſcepit Sanctiſſimus

hic

hic §. 309. Elevationem vero modicam hoſtiæ cum calice ad illa verba, *omnis honor & gloria*, antiquiorem eſſe majori illa, in qua poſt conſecrationem Sacramenta populo adoranda oſtenduntur, ex dictis hoc numero liquet. In quibuſdam Galliæ Eccleſiis ad hanc elevationem pulſatur campanula, in Miſſa vero ſolemni ſacræ ſpecies thurificantur.

71. In hac ſeata oratione verbis *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & reſponſione *Amen* alta voce prolatis Canon Miſſæ terminatur; unde *Oratio Dominicalis non eſt pars Canonis*.

Hanc veriorem cenſet ſententiam Sanctiſſimus: per Orationem autem Dominicalem Sacerdos propius ſe ad communionem parat. Ante eam vero devote verbis illis præfatur: *Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere*; quæ vetuſtiſſima ſunt, & ad ea reſpexit D. Hieronymus lib. 3. adv. Pelag. dum ait: *Sic docuit Apoſtolos ſuos* (Chriſtus) *ut quotidie in Corporis illius Sacrificio credentes audeant loqui; Pater noſter*. Græci pariter, Maronitæ, Mozarabes, & Ambroſiani ante Orationem Dominicalem in eundem fere modum præfantur. Hanc præfatiunculam ſequitur Oratio Dominicalis ex vetuſtiſſima & Apoſtolica conſuetudine. *Inter vicina momenta dum manus impoſitis, & delicta donatis, mox ad altare converſi Dominicam Orationem prætermittere non poteſtis*, ait Optatus Milevit. lib. 2. Et Cyrillus Hieroſol. Catech. Myſtag. 5. *Dicimus Orationem illam* (poſt fidelium defunctorum commemorationem) *quam Salvator ſuis diſcipulis tradidit*. Alia loca Patrum congeſſit Menardus in Notis ad *Sacram. Gregorii* pag. 21. Nec prætereundum, quod ait Honorius in Gemma c. 81. Apoſtolos Miſſam a Chriſto inſtitutam auxiſſe, *dum ſuper panem & vinum verba, quæ Dominus dixit, & Dominicam orationem dixerunt*. Vide dicta h. t. N. 22. Falſum igitur, quod nonnulli putant S. Gregorium M. primum juſſiſſe in Miſſa Orationem Dominicalem recitari, utpote de qua mentio ſit in liturgiis & apud Patres S. Gregorio antiquiores, nec aliud ex ejus authoritate in fine N. 68. allata extundi poſſit, quam quod ejus ætate Oratio Dominicalis vel in Miſſa non dicebatur Sacerdotum oſcitantia, vel recitabatur poſt communionem. Nec itidem verum eſt, S. Gregorium exiſtimaſſe Apoſtolos in Miſſa ſolam Orationem Dominicalem ante communionem recitaſſe, nam in locum ep. 64. lib. 7. ubi ait: *Orationem Dominicam idcirco poſt precem dicimus, quia mos Apoſtolorum fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis hoſtiam conſecrarent*; irrepſiſſe Amanuenſis oſcitantia τὸ *ſolummodo* ſuſpicari licet, ut obſervat Cardinalis Bona lib. 2. c. 15. Vide Sanctiſſimum hic, ubi Hæreticos varios contrariam opinionem mordicus tuentes refellit. Oratio Dominicalis elata voce dicitur in Miſſa, quæ tamen in horis canonicis cum ſymbolo ſubmiſſa voce recitatur, cujus ratio redditur, quia olim infideles & Catechumeni, quibus ante perfectam inſtructionem ſymbolum & Oratio Dominica non revelabatur, horis quidem Canonicis adeſſe poterant, huic vero Miſſæ parti nequaquam, ut ſupra dictum eſt. Teſtatur Gregorius M. lib. 7. ep. 64. indict. 2. Orationem Dominicam in Miſſa Græcorum non a Sacerdote ſolum, ſed ab univerſo etiam populo recitari ſueviſſe, idque non in ſolemni tantum, verum etiam in privata Miſſa, ut colligitur ex vita S. Joannis Eleemoſynarii. Eccleſiæ Græcæ diſciplinam Gallicana etiam aliquanto retinuit tempore, de qua legendus Martene *de antiquis Eccl. Ritibus* lib. 1. cap. 4. Art. 8. N. 27. Abſoluta Oratione Dominica, Sacerdos ſubmiſſa voce reſpondet *Amen*, quæ particula etſi abſit a Sacramentario S. Gregorii edito a Menardo, ob eam tamen fortaſſe rationem, quia Orationis Dominicæ continuatio quædam eſt, quæ proxime ſequitur Oratio, *Libera nos Domine*, deſinit in *Amen* dicendum a Miniſtro, atque a Ritualiſtis *Embaliſmus* appellatur. In ea olim præter ibi ſpecificatos B. Virginem, Petrum & Paulum, atque Andream alios quoque Sanctos licebat nominare.

72. Actiones præcipuæ, quæ in & poſt hanc Orationem appendicalem a Sacerdote fiunt, ſunt fractio hoſtiæ, & immiſſio particulæ ejuſdem in calicem.

Hoſtiæ fractionem ab ipſo Chriſto accepit Catholica Eccleſia, qui in ipſa inſtitutione Euchariſtiæ accepit panem in ſanctas manus ſuas, benedixit, *fregit*, deditque diſcipulis ſuis. Proinde in Actis Apoſt. ſcriptum eſt, fideles perſeverare conſueviſſe *in communicatione* fractionis *panis*. Et D. Paulus 1. ad Corinth. 10. ait: *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* nullaque liturgia eſt, in qua fractio hoſtiæ non præſcribatur. Græci hoſtiam dividunt in quatuor partes, quarum alteram ſumit Sacerdos celebrans, altera diſpertitur populo, tertia reſervatur infirmis, quarta in calicem immittitur. Qui Mozarabum ſequuntur Ritum, hoſtiam dividunt in partes novem, quarum cuique alicujus ex Chriſti myſteriis nomen imponunt. Occidentalis Eccleſia hoſtiam in tres partes dividit, quarum unam in calicem injectam Sacerdos ſumit cum ſanguine, reliquas duas ſumit ſeorſim à ſanguine, qui in calice continetur. Atque hæc eſt diſciplina, quæ invaluit, neque tamen idem ſemper eſt factitatum. Olim enim hoſtia in tres dividebatur partes, quarum una immittebatur in calicem, alteram manducabat Sacerdos; tertia, quia qui conſecrabatur panis, major erat, & latior, quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas pro adſtantibus, vel infirmis communicandis. Cujuſmodi Ritus etiamnum exſtant in Miſſa ſolemni Summi Pontificis veſtigia, & in Miſſa, quæ celebratur in conſecratione Epiſcopi. Summus enim Pontifex cum ſolemniter celebrat, hoſtiam in partes dividit tres; ex his unam immittit in Calicem, ipſe ſumit alteram, tertiam in duas dividit particulas communicandis Diacono & Subdiacono. In Epiſcopi autem conſecratione Epiſcopus conſecrator hoſtiam in tres partes dividit, quarum unam injicit in calicem, altera ipſe ſe, tertia Epiſcopum, qui conſecratur, communicat. Vide etiam, quæ h. lib. Tit. 30. §. 2. *de oblationibus* annotavimus. Pars vero hoſtiæ in calicem immittitur authoritate antiquiſſimarum liturgiarum, & Conciliorum; præſcribitur enim in liturgia S. Jacobi, & in Concilio Arauſicano A. 441. ait Sanctiſſimus L. cit. qui ibi §. 335. fuſe diſputat hujus immiſſionis originem non eſſe referendam ad Ritum exhibendi communionem ſub utraque ſpecie. Ante immiſſionem hujus particulæ, Sacerdos cum eadem tres cruces ſuper os calicis format, dicendo: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. Olim conſuetudo erat, ut Sacerdos ante prolationem horum verborum benedictionem populo impertiretur, quam Scriptores de ſacris Ritibus *Epiſcopalem* appellant, quod ad Epiſcopum tantum pertineat. Hujuſmodi Ritus deducitur ex vetuſtis Miſſalibus, quæ inſpexit Bona, qui lib. 2. c. 16. N. 4. ait, ſe ex libro quodam Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ ante 900. annos ſcripto didiciſſe, morem fuiſſe quondam in hac Miſſæ parte indicendi jejunia, quæ eſſent obſervanda, & preces, quæ pro hoc vel illo fieri deberent. Juxta

Mozarabum Ritum non Epiſcopi duntaxat, ſed etiam cujuſvis Sacerdotis celebrantis erat hujuſmodi benedictionem populo imperriri. De quo videatur can. 18. Concilii Tolet. IV. Sacerdos dum dictam particulam immittit in calicem, ſubmiſſa voce dicit orationem: *Hæc commixtio* &c, quam habent omnes Ordines Romani, Amalarius, & Micrologus. Carthuſiani eam non recitant; quod oſtendit, Eccleſias Gallicanas, etiamſi Ritum Romanum eſſent amplexæ, eam orationem omiſiſſe, ut notat le Brun.

73. Finita hac Oratione Sacerdos inclinatus in Sacramentum dicit *Agnus Dei* ter ſibi pectus tundens; & antequam ſumat Euchariſtiam, tres alias dicit orationes, quarum prima expleta, ſi danda ſit pax, dicit ad Diaconum *pax tecum*.

Oratio Agnus Dei a Sergio I. Sæculo I. fuit introducta teſte S. Bonaventura in expoſit. Miſſæ cap. 4. Micrologus ſcribit c. 18. non ex antiqua Summorum Pontificum inſtitutione tres in Miſſa recitari orationes ante communionem, ſed Piorum & Religioſorum hominum traditione, cui aſſentiuntur alii. S. Thomas 3. p. q. 83. a. 4. in (-) agit de Ritu dandæ pacis ante communionem, & docet populum parari ad Sacramentum percipiendum per pacem; & hinc in Miſſis defunctorum non dari pacem aſſerit, quia in illis non pro præſenti pace offertur, ſed pro requie mortuorum; quapropter etiam in illis prima oratio omittitur, Olim dabatur pax cum oſculo, & quidem ab omnibus Miſſæ præſcutibus, ut probant liturgiſtæ Cardinalis Bona lib. 2. c. 16. & alii poſt ipſum, qui etiam docent, quando in Miſſis privatis danda ſit pax. Viguit hæc conſuetudo uſque ad Innocentium III. ſeu Sæc. XIII. qui ejus moris meminit lib. 6. *Myſter.* cap. 5. Nunc non amplius pax datur per oſculum, ſed per amplexum, vel parva quædam præbetur ad oſculum Tabella imagine Crucifixi depicta, quam *oſculatorium* appellant, aut etiam crucifixus ille argenteus apud nos, quem *Pacificale* vocamus. Olim non Altare, ſed Hoſtiam oſculabatur Sacerdos, quem ritum obſoletum jam qui nunc adhiberet, reprehenſione non careret. Mos iſte oſculi ab ipſo Apoſtolo 1. ad Theſſ. c. 5. & 1. ad Corinth. c. 16. occaſionatus, propter malitiam carnalium Chriſtianorum in hunc poſteriorem, qui communitar a Sacerdote, Diacono, & Subdiacono tantum obſervatur, mutatus eſt. Græci dant pacem ante præfationem, cæterique Orientales, atque etiam Mozarabes. Apud Maronitas mos eſt, ut ante præfationem Sacerdos pacem det Altari, & ſacris Myſteriis, deinde Miniſtro.

74. His finitis Sacerdos ad ipſam communionem ſeu ſumptionem corporis & ſanguinis procedit,

Ante illam præmittit illa Centurionis Evangelici verba, *Domine non ſum dignus* &c. paululum immutata, quæ a Chriſtianis primitivæ Eccleſiæ communioni ſuiſſe ſolita præmitti teſtis eſt Origenes homilia 5. ad aliquot Evangelii loca, inquiens: *Quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas, & bibis corpus & ſanguinem Domini, tunc Dominus ſub tectum ingreditur; & tu ergo humilians te ipſum imitare hunc Centurionem & dicito: Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.* Qui locus inſigniſſimus eſt ad explicandam mentem Origenis circa realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, quam pervertere nituntur Calviniſtæ iis argumentis, quæ lib. 1. Tit. 3. N. 257. attulimus, & N. 258. ſolvimus, Concordat Chryſoſt. homilia de Sancto Th. Ap. Quivis Epiſcopus & Sacerdos ſtans Euchariſtiam ſumit; Summus item Pontifex *poſt fractionem hoſtiæ ad ſolium aſcendit* (ait Rocca Tom. 1. p. 10. edit. Rom. 1719.) *ibique conſiſtit, & ſtans erectus complicatis manibus Euchariſtiæ Sacramentum exſpectat* (nec prius ſedet, quam os & digitos purificaverit), *digitis jam & ore* (pag. 2.) *inter hæc facienda purificatis, Mitra inſignitus, & ſedens lavat manus.* Eam vero ſumit inclinatus, & facie ad populum verſa: & hinc eſt, quamobrem Pontifex populo procul & ex adverſo in faciem eum aſpicienti videatur ſedens communicare. Poſt communionem Sacerdos vino os, deinde vino & aqua digitos, calicemque purificat; de prima loquitur Innocentius III. in cap. *ex parte* de celeb. Miſſar. & S. Th. 3. p. q. 83. a. 5. quo loco etiam verba facit de digitorum ablutione cum vino & aqua, & diſerte ait, hanc ablutionem olim in locum mundum effundi conſueviſſe; nunc vero ob reverentiam Sacramenti, & propter periculum, ne quod fragmentum digitis, aut Calici aliqua ſanguinis gutta adhæſerit, Sacerdos etiam hoc vinum bibit aqua mixtum. Si qui eorum, qui Miſſæ adſunt, Euchariſtiam velint percipere, poſt ſumptum a Sacerdote corpus & ſanguinem ante purificationem communicantur. De qua communione alibi.

75. Abſoluta communione Sacerdos ſe confert ad cornu Epiſtolæ, legitque Antiphonam, quæ *Communio* dicitur; redit ad medium Altaris, illudque oſculatus, & converſus ad populum dicit, *Dominus vobiſcum*, ac rediens ad librum legit Orationem, quæ dicitur *Poſtcommunio*; poſtremo librum claudit; tum redit rurſum ad medium Altare, quod oſculatur, ad populum autem converſus dicit, *Dominus vobiſcum*, atque *Ite Miſſa eſt*, vel volvens ſe ad Altare, *Benedicamus Domino*, ſi ita præſcribat Rubrica, cui Miniſter reſpondet *Deo gratias*; in Miſſis vero defunctorum dicit, *Requieſcant in pace*, cui Miniſter reſpondet, *Amen*. Denique inclinatus in medio Altari dicit Orationem *Placeat*; & converſus ad populum, ei benedicit, quod prætermittit in Miſſis defunctorum; inde ſe conferens ad cornu Evangelii recitat Evangelium S. Joannis, vel aliud Evangelium, quod Rubrices præſcripſerit.

Hanc Antiphonam obſervat Gavantus idcirco *Communionem* dici, quia canebatur interea, dum populo Euchariſtia diſtribuebatur. Ejus mentionem faciunt Ordines Romani, Hæc Miſſæ pars, in qua communio & poſtcommunio recitantur, olim vocabatur Gratiarum actio, ut ait Rupertus de divinis officiis lib. 2. cap. 18. Et ante ipſum Auguſtinus ep. 149. alias 59. *Participato, inquit, tanto Sacramento Gratiarum actio cuncta concludit*. Quæ gratiarum actio continetur in Orationibus una vel pluribus, poſtcommunionis nomine prænotatis, atque juxta præſcriptum Rubricarum Miſſalis perſolvendis; quarum ſumma eſt, ut tot dicantur in hac parte Miſſæ orationes, quot dictæ fuerunt a principio. His orationibus Euchariſticis olim per totum annum, ut colligitur e Sacramentario Geläſiano, oratio addebatur ſuper populum cum præfatione illa Sacerdotis: *Humiliate capita veſtra Deo*; quæ nunc in ſola Quadrageſima obtinet, De formula illa dimittendi populum, *Ite Miſſa eſt*, quantum ad præſens inſtitutum ſufficientem mentionem fecimus N. 15. h. t. Oratio *Placeat* in pluribus reperitur Sacramentariis poſt Sæculum IX. ſcriptis. Habetur etiam in Miſſis Illyricis, & in aliis apud Menardum. Conſuetudo benedicendi populo poſt hanc Orationem, ſeu in fine Miſſæ non ita vetus eſt;

de

de ea enim ſilet Amalarius, Florus, Rabanus Maurus, Walfridus, & Remigius IX. Seculi ſcriptores. Ejus tamen mentionem facit Micrologus cap. 21. ſed hoc non ubique uſurpatum eſſe oportet; nam de hoc Ritu nulla mentio fit in Ritualibus Ciſtercienſium, & Præmonſtratenſium, qui Religioſi Ordines 30. poſt Micrologum annis ſunt inſtituti. Subjungit Sanctiſſimus: Quæ hactenus diximus, de benedictione ſunt intelligenda, quæ datur ſub finem Miſſæ a Presbyteris. Nam Epiſcoporum benedictio vetuſtiſſima eſt, ut ibi probat præſertim ex Chriſtiano Lupo tom. 5. *ad generalia Concilia & Provincialia* pag. 526. Colophonem denique Miſſæ ex præſcripto S. Pii V. facit Evangelium, ſeu initium Evangelii S. Joannis, niſi aliud legendum præſcriptione Rubricarum occurrat. Gilbertus Grimaud *in liturgia ſacra* parte 3. cap. 17. multa congerit monumenta, quibus oſtendit, quanta olim eſſet fidelium devotio erga S. Evangelium *in principio*. In aliquibus enim Eccleſiis olim legebatur poſt baptiſmum parvulorum, poſt viaticum, & poſt extremam unctionem. Fatetur tamen, ſe, cujus juſſu in fine Miſſæ recitetur, reperire non potuiſſe. Difficultas tamen hujuſmodi hoc tempore nulla eſt; nam Viri docti in eo conſentiunt, quod S. Pius V. ſtatuerit, ut in fine Miſſæ Evangelium S. Joannis legatur; cum antea alii legerent, alii omitterent, ut cuique collibitum eſſet. Et hæc ex ſatis amplo, compendioſo nihilominus adhuc pro vaſtitate argumenti, numeris tamen omnibus abſoluto tractatu de Sacrificio Miſſæ a Sanctiſſimo Patre ac Domino noſtro Benedicto XIV. edito, pro utilitate cupidæ Sacratiorum Legum Juventutis, aliorumque benevolorum Lectorum excerpenda judicavimus, pleniorem notitiam vaſtiſſimi argumenti deſiderantes ad eundem, Authoresque ab ipſo citatos, omnes in hac materia primi ſubſellii, remittentes. Cæterum notet Lector me bene conſcium eſſe, quod mihi ratione Rubricæ hujus tituli incumberet adhuc tractare de Euchariſtia, & divinis Officiis. At de divinis Officiis contentum eſſe quæſo iis, quæ annotavi titulo 31. hujus libri; caput vero rei de Euchariſtia, nimirum de reali Chriſti in ea præſentia, diligenter pertractatum eſt lib. 1. tit. 1. ut inſinuavi. Circa confectionem ejus in Azymo vel fermentato, ſicut & circa communionem ſub utraque vel una ſpecie, quamvis varia occurrant titulo 30. hujus libri §. 2. *de Oblationibus*, nihilominus Deo favente libro V. exſpectationi huic ſatisfacere conabor, addendo etiam ſcitu neceſſaria de Altaribus, quæ occaſione tituli præcedentis quadrageſimi de Conſecratione Eccleſiæ vel Altaris deſiderari poſſent. Nec ſatis; Titulos hunc inſequentes, & commentationum hiſtoricarum fertiliſſimos, nimirum 42. *de Baptiſmo & ejus effectu*, 45. *de reliquiis & veneratione Sanctorum*, 46. *de obſervatione jejuniorum*, & 49. *de immunitate Eccleſiarum*, ad dictum librum transfero. Si quis cauſam ſciſcitetur, huic reſpondeo, quod naturalius equidem de his omnibus præſenti libro tractaretur, ſed quia dictæ materiæ occaſione titulorum in libro V. occurrentium exiguam, vel nullam violentiam patientur, & inſuper ſicut præſens liber III. abundat hiſtoricis argumentis, ita liber IV. & V. ſterilior eſt, hæc me ratio impulit, ut gratia IV. tomi æquali cum reliquis mole edendi præſenti tertio finem imponam (1). Notet vero Lector, Quæſtionem dogmaticam magni momenti; *An nimirum Eccleſia conſtanter cenſuerit, a Chriſto in ultima cœna fuiſſe inſtitutum rigoroſum ac vere propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis*, Notis in præſentem titulum datis maxima ex parte eſſe abſolutam, tam quoad adductionem teſtium de hac Eccleſiæ mente, tam quoad præoccupationem cavillationum ab adverſariis fieri ſolitarum, uti attente eum evolventi patebit.

(1) *Editio harum Notarum Bohema, cui præfuit author, quatuor voluminibus conſtat, quorum tertio hic finis imponitur.*

Finis libri tertii Decretalium.

LIBER IV. DECRETALIUM.

QUemadmodum Librum II. Decretalium *de Judiciis* ob materiæ hiſtoricæ inopiam ſub unico Titulo in aliquot §§. ſecto commentati ſumus, ita & præſentem Librum, eſto ejuſdem materiæ, imprimis vero Controverſiarum nos inter & Proteſtantes fertiliorem, commodius nihilominus ſub unico Titulo, quem in varios §§. diſpeſcemus, commentabimur;

Agendo §. 1. De Matrimonio ſecundum ſe, ejus primæva inſtitutione, ac ſucceſſiva œconomia uſque ad Chriſtum,

§. 2. De Matrimonio per Chriſtum reformato, atque œconomia Eccleſiæ præcipue circa divortia,

§. 3. De Matrimonio poſt mortem Conjugis iterato, ſeu de ſecundis Nuptiis,

§. 4. De ſolemnitatibus Matrimonii, præcipue de Sponſalibus,

§. 5. De Matrimonii impedimentis in genere.

§. 6. De Matrimonii impedimentis in ſpecie.

Ac denique Librum concludemus duplici Diſſertatione; an nimirum Matrimonium in lege gratiæ ſit verum Sacramentum? Et quis hujus Sacramenti ſit Miniſter?

TITULUS I. ET UNICUS

De Sponſalibus & Matrimonio.

§. I.

De Matrimonio ſecundum ſe, ejus primæva inſtitutione, ac ſucceſſiva œconomia uſque ad Chriſtum.

1. SOcietas Conjugalis, de qua tractatum inſtituimus, Latinis vocatur Matrimonium, Nuptiæ, Conjugium, Connubium.

Matrimonium dici a Matris nomine non adepto jam, ſed ſpe & omine mox adipiſcando tradunt Juriſconſulti apud Briſſonium *de Verbor. Sign.* nec diſſentit S. Auguſt. lib. 19. *contra Fauſtum* cap. 26. ſcribens; *Matrimonium quippe ex hoc appellatum eſt, quod non ob aliud debeat fœmina nubere, quam ut Mater fiat.* Appellatur autem Matrimonium potius, quam Patrimonium, quoniam licet Pater ſit ſexu & dignitate præſtantior, Matri tamen fœtus eſt *ante partum oneroſus, doloroſus in partu, poſt partum laborioſus*, c. ex literis de converſione infidelium.

Nuptiæ ita appellatæ ſunt a Flammeo, quo caput nubentis obvolvebatur, quod antiqui *obnubera* vocabant, ut inquiunt Feſtus, Varro, & alii. De quo velamine nuptiarum fit etiam mentio in Sacris Literis, nam Rebecca Gen. 24. c. 65. conſpecto Iſaac Viro ſuo, *tollens cito pallium cooperuit ſe.*

Connubium itidem derivatur a *nubere*, & definitur in Pandectis Flor. *Connubium Uxoris Jure ducendæ facultas*. Cumque nuptiæ dicantur a Mulieris velamine, connubium exprimit quoque *eſſe cum alio*.

Idem fere ſignificat *Conjugium*, quaſi duorum, maris ſcilicet ac fœminæ ad idem jugum alligatio. Græcis Matrimonium vocatur *Gamos* a damo, inquit lib. 7. Arcudius, eo quod Conjuges domet; eſt enim damo idem, ac domo. Sed non eſt inuſitatum Græcis etiam verbum *Gameo*, quod nubere, ac ducere uxorem ſignificat.

2. Hæc Conjugalis ſocietas pro vario hominum ſtatu, in quo ſunt, fuerunt, vel eſſe potuerunt, varie definiri ſolet.

Quidam Proteſtantium Juris naturæ Profeſſores, ſicut idem Jus pertractant præſcindendo a revelatione divina, & conſequenter ſtatum hominum hypotheticum, qui nunquam extitit, fingunt, ita & Matrimonium præſcindendo ab illis, quæ eidem a Deo in Paradiſo, & a Chriſto in novo teſtamento adjecta ſunt, definiunt *eſſe ſocietatem, quæ generandæ ſubolis cauſa initur*; ut habet Thomaſius lib. 3. *Inſtit. Juriſp. Div.* c. 2. §. 81. addens expreſſe, *abſtrahendo a revelatione divina*. Ex qua definitione, quam neque monogamiam, neque individuam vitæ conſuetudinem, neque Viri in Fœminam ſuperioritatem, neque incumbentem utrique Parenti obligationem educandæ Prolis vult comprehendere, plura, eaque majori ex parte abſurda infert Corollaria, quæ non tantum ſpectato Jure divino poſitivo, Gentium, Canonico, Civili, ſed nec ipſo Jure naturæ ſalvo ſuſtineri queunt, atque ut præcipua ſolum referam, ex eo, quod exiſtimet Thomaſius *educationem Prolis* Jure naturæ non pertinere ad utrumque Parentem, infert I. Fœminam æque ac marem peculiariter ſibi Prolem quærere poſſe, in quam ſolam Jus plenum ſibi obtineat. Cumque *Monogamia* juxta datam definitionem æque ad rationem Matrimonii mero naturæ Jure non ſpectet, infert II. dictam Fœminam equidem debere ob finem a ſe intentum inire pactum cum aliquo Viro de præbendo invicem corpore, aſt nequaquam teneri eidem dare fidem, quod nemini præterquam ipſi corporis ſui uſuram concedere velit. Præterea cum perſuaſus ſit, *individuam vitæ conſuetudinem* non eſſe quoque de ratione Matrimonii, ſi idem Jus ſpectetur, infert III. Matrimonia mero Jure naturali eſſe ſolubilia, adeoque dictam mulierem adepta Prole poſſe Maritum, vel Maritos illos conductitios, itemque Virum unam vel plures Uxores temporarias dimittere, dummodo non ſint conducti vel conductæ in longius tempus, vel in perpetuum. Ex eodem capite infert IV. mero Jure naturæ Communionem Uxorum (quæ a Polygamia in hoc diſtinguitur, quod ſit promiſcuus uſus Fœminarum *abſque fœdere conjugali*) mero Jure naturæ eſſe permiſſam, laudatque Stoicorum effatum: *Uxores apud ſapientes communes eſſe debere, ut quilibet illi congrediatur, quæ ſibi prior occurrit.* V. Denique vi Matrimonii in ſtatu naturali Conjuges non teneri ad individuam perpetuamque vitæ conſuetudinem, niſi de hoc paciſcantur.

3. Falſa ſunt hæc Thomaſii axiomata, & conſequenter etiam falſa definitio Matrimonii *pro ſtatu naturæ puræ*, unde illa deduxit.

Ad adſtruendam hanc propoſitionem, quamvis domeſticis authoritatibus abundemus, nihilominus quædam ex Clariſſ. Wolffio Proteſtantibus minus

nus ſuſpecto adferemus, & quidem ex p. 2. *Juris naturæ* c. 2. *de Societate Conjugali*. Et imprimis Thomaſius non videtur perſpectum habuiſſe illud ex præcipuis Juris naturæ principiis, quod nimirum *lex naturæ non det Jus niſi ad ea, ſine quibus obligationi naturali ſatisfacere non poſſumus*; quod inde in apricum ponitur, quod eadem naturæ lex non permittit cibum & potum ultra ſumere, quam ſit neceſſe ad vitam conſervandam, neque actum conjugalem ſolius voluptatis percipiendæ, aut tentationum ſedandarum gratia (quidquid interim ſit de diſpenſatione legis divinæ poſitivæ circa ultimum membrum), ex quo Principio ruit tam Polygynia, quam Polyandria, ſeu uxorum & virorum pluralitas, itemque communio uxorum a Thomaſio Corollario 2. & 4. illata, & ſpectato Jure naturæ juſtificata. Conſtat enim monogamiam ſufficere ad hoc, ut homines obligationi propagandi generis humani ſatisfaciant. Secundo, idem Thomaſius non advertit, præter generationem prolis, ejus quoque *educationem*, & quidem utrumque Parentem obligantem, ad rationem Matrimonii ipſo naturæ Jure pertinere, quod patet ex ejus definitione allata, in qua hanc obligationem omittit; cum tamen nulla in Jure naturæ ſanctior exſtet obligatio, quam iſta, quæ peremptorie ad omnes argutiunculas, & paritates de pecorum fœtibus, qui plerique a Matribus educantur, vel ex hoc ſolo adſtrui poteſt, quod Conjuges humani ratione præditi cognoſcant fœtum ſuum *utrinſque* opus eſſe, adeoque ejus curam ac educationem in bonum ſocietatis humanæ ad *utrumque* pertinere, nimirum juxta utriuſque vires ac conſtitutionem: ſi enim ex hoc, quod plerique fœtus animalium a ſolis Matribus educentur, argumentari liceret ad negandam mutuam hanc obligationem in hominibus, etiam ex eo, quod animantia cauſantia v. g. damna, non ſentiant ſtimulum ad eorumdem reparationem, inferre liceret, ex ſociis damnificantibus non teneri ambos ad ſatisfactionem. Cum igitur bruta animantia videamus naturali quodam inſtinctu ad educationem prolis ferri, illa vero, ad quæ animalia ſua natura feruntur, ſint prima naturæ, ex paritate ab illis potius inferre debemus, educationem prolis ſuæ *primis naturæ* convenire, ut habet Wolffius §. 261. & conſequenter legem naturæ obligare utrumque Parentem ad ſobolem ſuam educandam, ut habet idem §. 263. Et ex hoc principio vellicatur Corollarium primum Thomaſii, nimirum fœminam æque ac marem peculiariter ſibi quærere poſſe Prolem, quia nec Mas nec Fœmina efficere poteſt, ut dicta Proles non ſit etiam ſui in toro conſortis, ad quem proinde Jus in Prolem, & inde naſcens educandæ illius obligatio pertineat. Ruit etiam Corollarium IV. Marem vel Fœminam adepta Prole poſſe conſortes a toro & Matrimonii vinculo dimittere, cum ex hac dimiſſione obex non parvus poneratur dictæ Prolis educationi. Videmus enim in eo animantium genere, in quo tam Mas, quam Fœmella educationi Prolis præeſſe tenetur, Marem Fœmellam non ante dimittere, quam ubi ea ad eum ſtatum fuerit perducta, ut aliena ope amplius non indigeat, unde Sanctus Thomas in Suppl. q. 67. A. 1. in (-) inquit: Dicendum, quod Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem Prolis, non ſolum ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis; unde de lege naturæ eſt, quod Parentes filiis theſaurizent, & filii Parentum hæredes ſint; & ideo cum Proles ſit commune bonum Viri & Uxoris oportet eorum ſocietatem perpetuo manere indiviſam ſecundum legis naturæ dictamen, & ſic inſeparabilitas Matrimonii eſt de lege naturæ. Tertio, videtur idem Thomaſius ignoraſſe, Conjuges ipſo matrimonii contractu abſque ullo alio pacto arctiſſime ita uniri, ut inſtar *unius Perſonæ* ſpectari debeant, nec ita cum alia Perſona uniri poſſint, ex qua unione oritur communicatio officiorum, uſuſque rerum, in qua conſiſtit *conſuetudo vitæ*, ad quam conſequenter Conjuges naturaliter obligantur contra Corollarium quintum Thomaſii; cumque ex officiis Parentum erga liberos, & horum erga Parentes demonſtretur, quantum a ratione alienum ſit Matrimonia temporaria contrahere, inde etiam recte infertur conſuetudinem vitæ inter Conjuges debere eſſe perpetuam, ni aliud quid obviet, quod eam juſte impediat. Matrimonium igitur pro ſtatu naturæ definit Wolffius l. cit. *quod ſit pactum, quod Mas & Fœmina ineunt de Sobole procreanda & educanda*, quam poſteriorem obligationem cum in ſua definitione omiſerit Thomaſius, non mirum, quod in abſurditates a nobis relatas inciderit.

4. Sed quamvis Wolffii definitio longe anteferenda ſit definitioni a Thomaſio allatæ, illa tamen non eſt rigoroſa.

Nam primo non exprimit ſolum formale conſtitutivum Matrimonii, ſed potius cauſam efficientem hujus conſtitutivi; infra enim N. 36. oſtendam, Matrimonium formaliter conſiſtere in vinculo illo, quod inter Conjuges ex pacto maritali reſultat. Secundo, quia pactum *de Sobole procreanda* non videtur eſſe cauſa efficiens eſſentiæ Matrimonii, ſed pactum *de Jure radicali* reciproco ad Conjugum corpora in ordine ad Prolem procreandam & educandam, quod jus nihilominus per pactum de ſervanda continentia quantum ad effectum inter Conjuges impediri poteſt, manente quoad ſubſtantiam Matrimonio, ut infra L. cit. etiam probabitur exemplo Matrimonii inter S. Joſephum, & B. Virginem. Sed quidquid ſit circa rigoroſam Matrimonii definitionem, ipſe generis humani Plaſtes agnovit non ſolam procreationem, ſed etiam prolis educationem jure naturæ inter ejus officia eſſe connumeranda, dum Geneſis 2. v. 23. dixit, *Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, nimirum ad proles procreandas, educandas, officiaque ac rerum uſum communicandum, quæ omnia non oriuntur ex præcepto aliquo poſitivo divino, ut falſo ſibi perſuaſit Thomaſius, ſed ex ipſa Matrimonii animalium rationalium natura, per divinam legem nobis inculcata. Quod ergo Thomaſius §. 41. aliis prædicavit, ſibi dicere hic aliiſque in locis debuiſſet, nimirum *Vides ergo, quantum ratio noſtra lumine ſcripturæ deſtituta caecutiat?*

5. Leges igitur civiles & Canonicæ videntur optime expreſſiſſe ea, quæ de rigore ad eſſentiam Matrimonii, prout eſt officium naturæ, pertinent; dum illud definiverunt, quod ſit conjunctio Maris & Fœminæ, perpetuam vitæ conſuetudinem retinens §. 1. Inſtit. *de Pat. Pot.*

Conjunctio tenet locum generis, per quam, ſi Matrimonium in fieri, ſeu in eſſe contractus Matrimonialis ſpectetur, intelligitur ipſe conſenſus internus & pactio externa inter Conjuges circa jus radicale ad uſum corporum procreandæ Prolis gratia; ſi vero Matrimonium in facto eſſe conſideretur, tunc conjunctio illa exprimit vinculum & nexum illum mutuum, qui ex dicto conſenſu interno & pactione externa inter virum & mulierem reſultat. In quo eſſentiam Matrimonii poſitam eſſe, infra evincemus. Per conjunctionem autem Maris & Fœminæ, utrumque Jus non intelligit qualemcunque, v.g. Paternam, vel fraternam &c. hoc eſt Patris ut Patris cum filia, vel fratris ut fratris cum ſorore, ſed *Maritalem*; unde Canoniſtæ hanc particulam differentialem definitioni ſolent inſerere, ſicut & poſt tò *Viri &*

Fæ-

Fœminæ, particulas illas *inter legitimas Perſonas*, hoc eſt, legitimitate naturali; nam ſi velimus accipere legitimitatem civilem vel canonicam, iiſdem particulis definiemus Matrimonium in ratione contractus Jure civili vel canonico initi. Per *individuam*, vel *perpetuam vitæ ſocietatem* Jura quoque intelligunt *Maritalem*, per præcedentia verba jam determinatam, ſolo conſenſu partium, ut in aliis contractibus ſolemne eſt, non ſolubilem. Matrimonium enim ſpectato nudo naturæ jure, & præciſa revelatione indiſſolubile eſt.

6. Matrimonium ergo in ratione contractus Jure civili & Canonico inhabilis recte definitur: *Conjunctio Maritalis Viri & Fœminæ inter legitimas Perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. In ratione vero Sacramenti: *Matrimonium eſt Sacramentum novæ legis, in qua Vir & Mulier per conjunctionem maritalem individuam vitæ conſuetudinem legitime ineunt*.

Verba priora definitionis, inter legitimas Perſonas, intelligenda ſunt de legitimitate non a jure naturæ, ſed a civili vel Canonico requiſita; multa enim Matrimonia legitima ſunt Jure naturæ, quæ non ſunt legitima Jure Civili, vel Canonico, ut patet in Clandeſtinis poſt Conc. Trident.

7. Conjugalem ſocietatem non ſolum naturæ inſtinctus ſuadet, ſed ipſe etiam Deus lege divina poſitiva inſtituit, ac humano generi præcepit.

Prior pars patet tum ex naturali hominum propenſione in Matrimonium, tum ex eo, quod natura ex ſe tendat ad ſui conſervationem, perfectionem, & propagationem, quæ mediis matrimonii acquiruntur.

Secunda vero ex Gen. cap. 2. ubi Deus, ut primi homines ſe mutua benevolentia, & Conjugio indiſſolubili complecterentur, mulierem ex una de coſtis Viri formavit, atque per Adamum legem de ineundo Matrimonio toti poſteritati promulgavit, dum ille dixit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ.* Non tamen quiſpiam exiſtimet, dum Deus humano generi matrimonium præcepit, ad illud ſingulos obligari; contrariam enim Dei mentem explicavit nobis ipſe Chriſtus, dum caſtitatem perfectam conſuluit, nec conſervatio, & propagatio generis humani tam amplam divini præcepti interpretationem exigit, ut ipſa docet experientia. Et hinc ipſi Juris naturæ Profeſſores apud Proteſtantes illorum cælibatum minime reprehendendum putant, qui probabiliter prævident, *ſe* in cælibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles ſe deprehendunt, plus humano generi, *aut* Civitati ſuæ utilitatis poſſe præſtare, quam uxoratos, qui adeo nequicquam putandi ſunt per naturam obligati, ut præclaris ſuis conatibus per muliebres illecebras remoram injiciant, ut habet Thomaſius L. c. § 57. Et ipſe Thomaſii Diſcipulus Fleiſcherus in ſua introductione ad Jus Canonicum Proteſtantium c. 7. de ſponſ. §. 1. fatetur: *Optimo Jure Princeps mandare poteſt, ut certæ perſonæ Matrimonium ineant; neque Romana Eccleſia in hoc erravit, quod Miniſtris Eccleſiæ Matrimonia interdixerit, modo in illorum arbitrio reliquiſſet deſerendi ſtatum Eccleſiaſticum, dum aliquis in illis non reperitur circumſtantiis, ut extra Matrimonium ſecundum regulas juſti, decori, ac honeſti vivere poſſit.* Quod ultimum membrum quanti ponderis ſit, libravimus libro 3. Tit. 3. per totum. Hic nobis ſufficiat perdoctos & magnæ apud Proteſtantes famæ Viros, Eccleſiæ Romanæ œconomiam circa Cælibatum Clericorum ex ipſo naturæ lumine juſtificare in eo, in quo ab aliis contra lumen naturæ, adeoque irrationabiliter blaſphematur. Interim Eccleſia Romano Catholica non eſt tam levis, qualem eſſe conſulit ominoſus Fleiſcherus, ut carnis gratia (cujus ſtimulis reprimendis, ſicut Paulo ad munus Apoſtolicum vocato, ita cuilibet ejus Succeſſori in divino Miniſterio occupato ſufficit gratia Chriſti) ita cum ſuo miniſterio ludat, ut illi objici poſſit id, quod Tertullianus Sæculo III. lib. *de præſcriptionibus* c. 41. hæreticis improperavit dicens: *Itaque alius hodie Epiſcopus, alius cras; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus;* habet enim de ſuis Miniſtris Tertullianæam ideam, nec Mimos exiſtimat cum hæreticis ſecundi ſæculi, ſed cum fidelibus ejuſdem Sæculi Miniſtros Chriſti characterizatos. Quamvis etiam, charactere non ſuppoſito, Fleiſcheri ratio nihil evincat; ſicut enim, quia Reipublicæ intereſt plurium ſultus non facile admittere in Exercitu, & hinc Principes univerſæ Europæ ab eodem non culpabuntur, ſi millia militum nec ſinant nubere, nec gratia nuptiarum ab Exercitu dimittant; ſic etiam quia Eccleſiæ intereſt eoſdem ſaltus in Clero prorſus prohibere, nullus cælibatum Miniſtris ab ea impoſitum cavillabit, cui ſe inſuper ſpontanea electione ſubjicere poſſunt. Id vero Eccleſiæ intereſſe loco citato abunde demonſtratum eſt.

8. Conjugalis ſocietatis inſtitutor Deus Matrimonia voluit eſſe monogama, hoc eſt unius cum una.

Unum enim maſculum duntaxat creavit, eique unam fœminam ex latere ejus productam Matrimonii vinculo conjunxit, *mutuum & alternum inter ſe ut miſceret amorem*, ut habet Marius Victor lib. 1. *in Geneſ.* & hinc eſt, quod Adam dixit: *Erunt duo in carne una*, non tres aut quatuor &c. id quod Chriſtus repetiit Matth. 19. v. 5.

9. Eadem Matrimonia Deus voluit eſſe indiſſolubilia.

Hanc Patris ſui voluntatem nobis Chriſtus revelavit L. mox cit. ubi Phariſæis tentatoribus ait: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ, & erunt duo in carne una? itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Ex quibus patet, Polygamiam tam muliebrem, quæ græce *Polygynia*, quam virilem, quæ eodem idiomate *Polyandria* dicitur, quam etiam communionem uxorum cum Matrimoniis *ad Thalac* ſeu temporariis, lege divina poſitiva eſſe prohibita; & quamvis Thomaſio ultro admittamus, multa lege divina poſitiva in veteri teſtamento fuiſſe prohibita, quæ lege naturæ ſunt permiſſa, id quod prohibitæ a Deo eſcæ aperte teſtantur, negamus tamen id contigiſſe in caſu, quod ex dictis N. 4. in aprico eſt.

10. Leges hæ de Monogamia Matrimoniorum, eorumque indiſſolubilitate perſeverarunt uſque ad diluvium, atque a Juſtis obſervabantur.

Et quod Matrimonia ante diluvium, quin poſt illud mandato divino fuerint indiſſolubilia uſque ad tempora Moyſis, teſtatur Chriſtus Matth. 19. v. 8. ubi ait: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* Quod vero lex de Monogamia uſque ad diluvium perſeveraverit inalterata, idem Salvator eodem capite edixit L. ſupra N. 8. citato, & patet exemplis juſtorum, qui in libro Geneſis laudantur ſingulares Uxores duxiſſe. Noe enim, ac ejus filii cum individuis Uxoribus intrarunt Arcam.

11. Primus omnium, qui duas Uxores duxit, ac Polygyniam in genere humano malo exemplo intro-

introduxit, fuit Lamechus Cainita, non Lamech Pater Noe.

De illo ſcribit Tertul. *de exhort. caſt.* c. 5. *Duabus Maritatus tres in unam carnem effecit.* Et Hieronymus ep. 85. ad Salvinum, *Unam caſtam diviſit in duas.* Denique Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarar.* c. 51. *Adulterii flagitium in duabus uxoribus perpetravit.* Exemplum ejus prono alveo ſecuti ſunt illius temporis homines, nuper adhuc morigeri, libidine tamen in Polygyniam abrepti, de quibus ait ſacer textus Gen. 6. v. 2. *Videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Quam vero hæc attentatio fuerit Deo execrabilis, verſu ſequenti edicitur, ubi legimus: *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Qui etiam diluvio non ſubduxit niſi quatuor Thoros monogamos.

12. Deum poſt diluvium in Præcepto de Monogamia diſpenſaſſe, apud Catholicos certum dogma eſt.

Diſpenſatio hæc quidem non fuit literis exarata, ſed quemadmodum lex ipſa Matrimonii ante Moyſen, in tabulis cordis ſcripta, ſtylo nimirum monitus, inſtinctus, ac inſpirationis interioris, quæ inſpiratio an Noacho primum, an Abrahamo fuerit facta, & conſequenter ipſa diſpenſatio ad totum genus humanum, an vero ad ſolam gentem electam extenſa, definire difficile eſt. Quin Durandus, Abulenſis, quibus accedit Maldonatus, pluralitatem Uxorum Legi naturæ baud eſſe adverſam, contra communem ac veram Doctorum ſententiam cenſent. Quod nos hic non moramur. Id certum eſt, ſicut idololatriam, ita & Polygamiam apud Noe Poſteros, vias Domini rectas cito deſcientes, æque ac apud Hebræos cultam fuiſſe, ſed ex longe aliis motivis, quam a Sanctis illis Patriarchis, libidinis nimirum explendæ, non propagandi generis humani gratia. Quem finem habuiſſe SS. illos Viros, atque ejus conſequendi gratia etiam inſtinctum internum divinum in lege naturæ, Legeque Moſaica, de Matrimoniorum monogamia diſpenſantem, & conſequenter inſolentem Lamechi Polygamiam illorum exemplis a crimine vindicari non poſſe, neque illorum Polygamiam Lamechi exemplo damnari, quemadmodum id attentare auſus eſt Joannes Henricus Heidgerus exercitatione 7. *de Polyg. Lamechi*, poſt Calvinum, Junium, Tarnovium, Bezam, ac Tremellium, qui Sadducæorum commentum, Jacobum ducendo duas Uxores peccaſſe, ut legitur in Talmud Malchet c. 10. recoxerunt; primo probat Lamechi Cainitæ impietas, eorum vero Sanctitas in ſacris Literis tam abſolute commendata, quæ dum Davidis virtutes celebrant, adulterium ejus aliosve nævos aperte damnant, adulteria Abrahami, Jacobi, ipſiuſque Davidis cum pluribus uxoribus damnatura, ſi Polygamiæ fœtum ea eſſe agnoviſſent. Accedit conſenſus Patrum contra Lamechum, pro Patriarchis militans, ipſaque ratio, quod cito Polygynia, ſeu pluralitas Uxorum, non ſit Jure naturæ permiſſa, id quod ſolum ſupra N. 2. contra Thomaſium evincere intendimus, non tamen ſit de iis objectis, quæ jure naturæ ita ſunt prohibita, ut nullatenus diſpenſari in illis poſſit, qualia ſunt v. g. præcepta de non injuriando Creatore &c. adeoque occurrente ratione, monogamiæ rationibus prævalente, aut aliis honeſtis, qualis in populo electo, ſeu Eccleſia Dei ante Chriſtum, per carnalem generationem propaganda, fuit neceſſitas, in ea diſpenſari potuerit. Unde probata manet propoſitio. Cavillationes Heidgeri non ſunt eæ, quæ allata momenta apud hominem Chriſtianum alterent, viderique poſſunt apud Nat. Alex. in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Tom. 1. diſſert. 4.

13. Quamvis vero inter plures Gentes Polygamia vigeret, multarum tamen legibus ſevera fuit prohibita.

Narrat Gellius lib. 15. *Noctium Atticarum* c. 20. decreto ab Athenienſibus facto Jus fuiſſe habere duas uxores, cum tamen Cecrops iiſdem prius contrariam legem tulerit. Et hinc Socrati, qui Xantippen & Mirto duxit, Polygamia crimini data fuit. Sed præclare eam in rem ſunt leges Romanæ: ſic enim Dioclet. & Max. in L. 2. Cod. *de inceſtis Nuptiis* habent: *Neminem, qui ſub ditione eſt Romani Nominis, binas habere Uxores poſſe, vulgo patet: cum etiam in edicto Prætoris hujuſmodi Viri infamia notati ſint, quam rem competens Judex inultam eſſe non patietur.* Aſſentiuntur his Valerianus quoque & Gallienus in L. 18. c. ad L. Jul. *de adult.* *Is, qui duas ſimul habuit Uxores, ſine dubitatione notatur infamia. In eo namque non Juris effectus, quo cives noſtri Matrimonia contrahere plura prohibentur, ſed animi deſtinatio cogitatur.* Infamia ergo per leges Romanas notabantur bigami ſimultanei. Sed & Judæis Polygyniam interdixerunt Imperatores Chriſtiani L. 2. C. *De Judæis*. *Nemo Judæorum*, inquit Theod. Arcad. & Honorius, *morem ſuum in Conjunctionibus retineat, nec juxta legem ſuam Nuptias ſortiatur, nec in diverſa ſub uno tempore conjugia conveniat.*

14. Junior eſt permiſſio libelli repudii, nec niſi ob duritiam cordis Judæorum conceſſa.

Illa ſiquidem a Deo per Moyſen primo facta fuit Deut. 24. v. 1. 2. 3. 4. ubi habetur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus accipere eam in uxorem: quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino.*

15. Gravis nihilominus eſt controverſia inter Authores Orthodoxos, Primo, utrum ſuppoſita permiſſione libelli repudii Judæis licitum fuerit uxorem dimittere? Secundo, an libellus repudii tantum ſolverit Matrimonium quoad *Torum*, an inſuper quoad *Vinculum*, & conſequenter an repudiata poſſet ad ſecunda vota licite convolare, vel non? Tertio, de cauſis repudii?

Primam quæſtionem problematice tractat S. Th. in ſuppl. q. 67. A. 3. aitque ſuo tempore communiorem ſententiam fuiſſe, non licuiſſe Judæis dimittere uxorem: nihilominus reſponſione ad 4. principale ipſius fundamentum ex Matth. 19. ubi Chriſtus ait: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras*, ſolvit dicens: Quod quamvis duritia cordis non excuſaret a peccato, tamen permiſſio ex duritie facta excuſat, quæ ſententia nunc invaluit.

Secundam quæſtionem pariter problematice tractat idem S. Doctor L. cit. A. 4. Et negativæ ſententiæ princeps fundamentum deſumptum ex textu N. præced. allato, ubi talis uxor dicitur *polluta & abominabilis*, de pollutione legali, qualis erat v. g. contactus mortui, non de morali intelligi vult, quam ſententiam communiter nunc amplectuntur Interpretes.

Ob ſolam fornicationem dimitti potuiſſe uxorem Hebræam cenſet Lucas Burgenſis *Comment. in Matth.* 19. poſt Tertul. lib. 4. *contra Marcionem* c. 34. Alii poſt Origenem & S. Joannem Chryſoſt. ob alias etiam animi, corporiſque fœditates licitum fuiſſe repudium verius aſſerunt; in caſu enim adulterii vix locum habuiſſe repudium

dium

dium videtur; adultera enim criminis convicta lapidabatur, ſuſpecta aquis zelotypiæ prodebatur. Id certum eſt, quod ad hoc, ut maritus libellum repudii dare poſſet uxori, non ſuffecerit cauſam odii ejuſdem reperiſſe in ſe ipſo, quin verbi gratia ejus oculis illa non placeret, vel alia præplaceret; ſed illa cauſa debuerit ſe tenere ex parte uxoris, eaque gravis eſſe, nimirum lepra, ſterilitas, veneficium, ebrioſitas, rixandi conſuetudo, aliique id genus pravi mores cum indocilitate, & pertinacia conjuncti, & hinc Deus non dedit facultatem Judæis *via facti* uxores a ſe repellere ſine omni ſolemnitate, ſed libellum repudii ſcribi juſſit, quod fiebat per Scribas Judæorum in lege doctos, qui in eo expediendo non erant adeo faciles, ſed prius omnem lapidem movebant, ut amaricatos conjugum animos reconciliarent, ut habet S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum c. 26. conſentit S. Thomas loco citato A. 6. & 7. Vir autem uxorem repudiare poterat, non etiam, ut apud Romanos, uxor virum; quod primo contra legem, aut firmatam ſaltem Judæorum conſuetudinem fecerat Salome, ut narrat Joſephus. De divortii apud Hebræos cauſis, libelli repudii formula, effectis & adjunctis, plura dabit Seldenus in *Uxore Hebraica* lib. 3. a cap. 9. ad 25.

§. II.

De Matrimonio per Chriſtum reformato, atque œconomia Eccleſiæ circa Polygyniam, & divortia.

16. CHriſtus Polygamiam in veteri lege conceſſam abſtulit, atque Matrimonium ad Monogamiam primævam reduxit, illudque inſuper ad Sacramenti dignitatem in ſua Eccleſia evexit.

Monogamum poſthac debere eſſe Matrimonium declaravit ſæpius jam laudato c. 19. apud Matthæum v. 4. 5. 6. ubi ait: *Qui fecit hominem ab initio, Maſculum & Fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt* duo in carne una. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Et de hac Veritate non tantum perſuaſi ſunt omnes Catholici, ac Græci Schiſmatici, verum etiam ipſi Proteſtantes fere omnes, perculſi patula authoritate Evangelii a nobis adducta. Solus Lutherus in famoſa diſpenſatione facta Philippo Landgravio Haſſiæ ad ſuperinducendam ſecundam uxorem Margaritam de Saal, contrarium auſus eſt aſſerere in famoſa conſultatione hac ſuper re cum Melanchtone, Bucero, Corvino, Lenningo, Vinterte, Melanthro habita, in qua edicitur: *Nam quod circa Matrimonium in lege Moyſis fuit permiſſum, Evangelium non revocat, aut vetat.* Lutherum ſecuti ſunt Herzerus Anabaptiſta, David Georgius, & Bernardinus Ochinus, quem ex profeſſo refutat Helfricus Junius Calviniſta lib. 1. *variarum reſolutionum* tract. 3. q. 2. Inter alia argumenta adducit etiam illud ex Matth. 19. v. 9. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur:* ubi recte ſubdit: *jam itaque ſi is mœchatur, qui dimiſſa uxore ſua aliam duxerit, quanto magis mœchabitur ille, qui pluribus ſe uxoribus conjungit.* Hunc Lutheri errorem confixit Trid. Seſſ. 24. de Matr. c. 5. qui ita ſonat: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege eſſe prohibitum, anathema ſit.*

Secunda pars infra ſpeciali diſſertatione adſtruetur.

17. Polygynia ſeu ſimultanea pluralitas uxorum a Chriſto ſublata, non fuit tolerata initio Eccleſiæ in Polygamis recenter ad fidem converſis. Proteſtantes ſententiam Apoſtoli 1. *ad Timoth.* c. 3. qua vult Epiſcopum *unius uxoris eſſe virum*, de ſimultanea Polygynia male intelligentes, volunt Neo-converſos Polygamos ex Judaiſmo & Gentiliſmo, ob maximam difficultatem repudiandi uxores, toleratos fuiſſe primis Eccleſiæ ſæculis, ad normam fortaſſe cæterorum legalium, quæ eſto abrogata a Chriſto, aliquo tamen tempore innoxie tolerabantur, ut Synagoga honeſte ſepeliretur; & ſolum ab Apoſtolo cautum fuiſſe, ne tales ad Eccleſiaſticas dignitates promoverentur; ita quidem, ut Junius ſupra adductus L. cit. fidenter aſſerat: *Polygamiam olim non modo apud Ethnicos, ſed apud Chriſtianos etiam fuiſſe* uſitatiſſimam, *nemo eſt, qui non ex ſacris ſimul, & profanis ſcriptoribus didicerit.* Aſt toto cœlo homines iſti mihi videntur aberrare. Nam ſi per ſacros Scriptores intelligunt Apoſtolum, illius textus eſt intelligendus de Polygamia ſucceſſiva, ut inferius demonſtrabitur; Sanctum vero Patrem vel profanum Authorem nullum adducit Junius, & Fleiſcherus, quos ad manum habeo, nec noſtri Authores claſſici, quos inſpexi, de hac re ullam mentionem faciunt, at bene multa primorum ſæculorum Patrum teſtimonia adducunt, quæ repudiantem & repudiatam ob adulterium, ſi vivente conſorte ad alia vota convolent, de adulterio arguunt propter intervenientem in eo caſu Polygamiam. De quo latius infra, ubi agemus de divortiis. Accedit, quod Junius & alii Proteſtantes contra Lutherum, Ochinum &c. propugnent, Polygamiam Matth. 19. a Chriſto expreſſis verbis fuiſſe prohibitam; quo Jure ergo voluot eam ab Apoſtolis primis Eccleſiæ ſæculis in Neo-converſis fuiſſe toleratam? Nec toleratio legalium a Chriſto ſublatorum huc quidquam facit, eorum enim obſervantiam ſuaviter abrogare voluit Chriſtus Inſtitutione novarum Sanctionum, ac Sacramentorum, non lata *lege poſitiva* eorum obſervatores ex *tunc* peccati condemnante, quemadmodum condemnavit uxorem dimittentes, & aliam ducentes, & a fortiori bigamos ſimultaneos. Superandæ ergo erant a Neo-converſis potius difficultates, in dimittendis ſuperfluis uxoribus ſubeundæ, quam a Patribus adulteria Chriſti ore declarata connivanda. De Valentiniano Sæculi IV. Imperatore equidem lib. 4. *hiſt. Eccl.* c. 31. ſcribit Socrates, eum ſanxiſſe; *ut cuilibet duas uxores habere fas eſſet.* Verum cum ipſe Severæ ſuperinduxiſſet Juſtinam, legem hanc tulit ad avertendum a ſeipſo conjugii dedecus; ſi tulit tamen, inquit Bertus poſt alios; nam hujus legis nulla uſquam fit mentio, ne quidem apud Ammianum Marcellinum hominem Paganum, qui res a Valentiniano geſtas accurate deſcripſit. Videantur annotationes Valeſii in Socratem pag. 58. Addit Tournelius: ipſum ſilentium Epiſcoporum, Damaſi præſertim Summi Pontificis, rem illam totam commentitiam eſſe invicte demonſtrat. Difficultatem etiam movere poteſt c. 18. cauſæ 32. q. 7. quem Gratianus attribuit Gregorio III. revera autem attribuendum eſſe Gregorio II. Ep. 4. *ad Bonif.* evincit Sirmondus ex Nota Conſulari in eadem ep. conſignata, quæ inſinuat Annum 726. cum Gregorius III. ante An. 731. Pontifex non fuerit; in eo ſiquidem Pontifex uxorem permittit cuidam propter ægritudinem prioris, quam antea duxerat. Reſpondent equidem aliqui apud Tournelium, & cum ipſo, ſuppoſititium videri hocce S. Pontificis reſponſum, quia epiſtola, unde deſumitur, dubiæ fidei eſt. At non dubitant Conciliorum Editores de illa, cum nihil contra ipſam in notis ſuis moveant, ut apparet in ultima Conciliorum editione Veneta curante Colato Tom. 8. col. 179. & ipſi Correctores Romani ad hunc can. notant, Epiſtolam, unde deſum-

ſumptus eſt, manuſcripsam in Bibliothaca Monaſterii Dominicanorum Romæ aſſervari; noda alii dicunt, in caſu Bonifaciano prius matrimonium fuiſſe nullum ob perpetuam impotentiam, qua laborabas illa mulier. Sed expendenti præfatum canonem videbitur ille de nudn infirmitate mulieris loqui, quæ nunc non ſufficit ad dirimendum Matrimonium, non de illa diſpoſitione corporis muliebris, quæ illud dirimit. Reſpondent ergo alii cum Gloſſa, Pontificem non concedere aliud conjugium, tanquam juſtum & legitimum, ſed tanquam minus malum, reſpectu ſcilicet fornicationis cum pluribus, quæ viro illi, habita ratione ipſius intemperantiæ, metuenda erat.

18. Idem Salvator repudiationem uxorum quoad vinculum Matrimonii, ob duritiam cordis Judæorum in veteri lege pariter conceſſam, abſtulit, atque Matrimonium primævæ indiſſolubilitati reſtituit.

Propoſitio paret ex eodem loco *c.* 19. *v.* 4. 5. 6. S. Matthæi N. 16. allato, ubi ſacer Textus ſubjungit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

19. In Lege tamen Evangelica duplicem rationem conſignatam habemus, ob quam inter Conjuges poſſit fieri divortium, unamque ex traditione.

Unam inſinuat S. Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 15. eſtque in caſu, quo conſors infidelis ad fidem convertitur, altero in infidelitate remanente, ac Creatorem injuriante; alteram Christus apud Matth. c. 19. v. 9. exprimiturque in caſu adulterii ab altero conſorte commiſſi. Tertia eſt in caſu Profeſſionis, emiſſa a conſorte ante Matrimonii conſummationem, id quod ut fidei dogma ex traditione tenet Cathol. Eccleſia.

20. Si alter Conjugum infidelium ad fidem convertatur, altero in infidelitate remanente, ſi infidelis a fideli ſponte diſcedat, nec ſine injuria Creatoris eidem cohabitare nolit, certum eſt diſſolvi poſſe Matrimonium non tantum quoad torum, ſed etiam quoad vinculum.

Hoc enim Paulus aperte teſtatur 1. ad Corinth. 7. v. 15. *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Sed dubitant Doctores Catholici, an cum alter infidelis convertitur, teneatur habitare cum fideli, qui renuit quidem converti, ſed conſentit habitare pacifice, & ſine contumelia Creatoris? Occaſionem dubitandi iiſdem ſuppeditavit v. 12. laudatæ Ep. S. Pauli ad Cor. ubi ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Hunc enim locum Apoſtoli tunc temporis fuiſſe *præceptivum* putant Patroni affirmativæ ſententiæ; e contra nudum eo contineri *Conſilium* exiſtimant negantes; quia expreſſe ait Apoſtolus, *ego dico, non Dominus*; ex quo concludunt, liberum plane fuiſſe viro fideli recedere ab uxore infideli, vel non recedere. Alii loco citato non quidem divinum, ſed Apoſtolicum præceptum de non diſſolvendo Matrimonio in caſu agnoſcunt. Quidquid autem ſit, certum eſt, tempore S. Auguſtini licitum adhuc fuiſſe Conjugi fideli habitare cum infideli, imo adhuc tempore Innocen. III. uti colligitur ex c. *Gaudemus* de divortiis. Quamvis nonnullis in Regionibus Sæculo VII. jam cautum fuerit, ne ex Judæis converſi ad nos remanerent cum infideli uxore, ob probabile & quaſi certum ſubverſionis periculum, quemadmodum ſancitum fuit in Conc. Tolet. IV. circa A. 650. celebrato can. 62. quæ tamen Sanctio Judæos præcipue tangit, quod magis ſint in errore pertinaces, & ad ſubverſionem magis proclives. Atque hinc nata inter Theologos controverſia, an ſcilicet *Eccleſiaſtica lege* jam teneatur infidelis converſus recedere ab uxore in infidelitate permanente, licet conſentiat habitare pacifice, & ſine injuria Creatoris? Fatentur fere omnes, nullam extare ſcriptam legem, quæ prohibeat hanc cohabitationem, uſu tamen & conſuetudine jam eſſe illicitam, niſi forte ſit in caſibus, in quibus ſpes affulgere poſſit futuræ converſionis, de quibus judicare prudentis eſt Sacerdotis.

21. Circa divortium a Chriſto Matth. 19. v. 9. ac alibi permiſſum ingens eſt controverſia non tantum inter Eccleſiam Latinam & Græcam, verum etiam inter Priorem, & modernos Proteſtantes.

Græci enim volunt eo loco non tantum concedi divortium quoad torum, ſed etiam quoad vinculum ipſum Matrimonii; & non ſolum ob ſolam fornicationem, verum etiam ob alias graviores cauſas, quas prætendunt Chriſtum nomine adulterii comprehendere voluiſſe. Eorum ſentimenta non tantum amplectuntur moderni Proteſtantes, ſed inſuper ampliant. E contra Eccleſia Latina conſtanter ſuſtinet, eo caſu concedi ſolum divortium quoad torum, non autem quoad vinculum. Nec aliam cauſam diſſolutionis Matrimonii quoad vinculum agnoſcit, niſi Paulinam in Matrimonio conſummato, & Profeſſionem Religioſam in Matrimonio rato; ſalva nihilominus Poteſtate Romani Pontificis; non enim eſt de fide eum non poſſe diſpenſare in Matrimonio conſummato, cum quidam DD. Catholici innoxie contrarium ſentiant.

22. Si Evangelici textus ad literam expendantur, ſola Eccleſiæ Latinæ ſententia vera eſt; Chriſtum in illis non conceſſiſſe divortium inter Conjuges Chriſtianos quoad vinculum in caſu adulterii, & multo minus in aliis caſibus a Græcis, & Proteſtantibus allatis.

Propoſitionem adſtruo adſcendo novi Teſtamenti authoritates. Imprimis enim Marci 10. v. 11. dicitur, *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mœchatur.* Item Lucæ 16. v. 18. *Omnis, qui dimittit uxorem ſuam & alteram ducit, mœchatur, & qui dimiſſam a viro ducit, mœchatur.* Cum ergo duo hi Evangeliſtæ exceptionis, quæ habetur in Matthæo, mentionem non faciant, ſed univerſaliter loquantur, quod ille, qui dimiſſam uxorem duxerit, mœchetur, neceſſe eſt S. Matthæum per illos duos exponere, atque exceptionem fornicationis intelligere, non de libertate *ducendi aliam uxorem*, ſed tantum dimittendi adulteram, quam non ex quacunque levi cauſa, ut ſolebant Judæi, ſed ex gravi duntaxat, qualis eſt v. g. fornicatio, dimitti debere Chriſtus permittit. Sic intelligenda eſſe verba Chriſti apud S. Matthæum præterea aperte colligitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. v. 10. ubi ait: *Illis, qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Et v. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Et ad Rom. 7. v. 3. *Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro; ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Quæ verba ſimpliciter, & abſolute pronuntiant, *Sola morte* ſolvi vinculum Conjugii conſummati, nec debere uxorem a viro recedere, quamdiu ille vivit. Litera ergo novi Teſtamenti ſententiæ Eccleſiæ Latinæ manifeſte favet. Quod intendit 1. pars propoſitionis.

Altera pars inferius commodius enucleabitur. Et certe, ut obſervat hic appoſite Bellarminus c. 16. libri *de Mat.* Chriſti ſententia c. 5. S. Matth. *Qui dimiſſam duxerit, adulterat*, univerſaliter accipienda eſt, vel cum exceptione. Si univerſaliter, ergo qui dimiſſam etiam ob fornicationem duxerit, mœ-

mœchatur; ergo non fuerat dimiſſa quoad vinculum, ſed tantum quoad torum: non enim mœcharetur, qui illam duceret, niſi adhuc eſſet priori viro alligata. Si vero cum exceptione: ergo qui fornicariam a viro dimiſſam duxerit, non mœchatur; ergo melior eſt conditio fornicariæ, quam innocentis, & caſtæ; ſiquidem fornicaria juſte dimiſſa libera eſt, & alteri nubere poteſt; ſecus innocens; atqui abſurdum iſtud eſſet, ut lex Chriſti æquiſſima dimiſſam juſte meliori loco eſſe vellit, quam dimiſſam injuſte. Concordat Eſtius in 4. diſt. 35. §. 10. apud Tournelium.

23. Utriuſque Eccleſiæ textus Evangelici pugnans expoſitio non eſt orta ex Apoſtolica traditione, ſed ſola expoſitio Eccleſiæ Latinæ.

Priori propoſitionis parti adverſaneue quidam ex recentioribus, qui exiſtimant diverſam eſſe utriuſque Eccleſiæ circa rem præſentem traditionem, atque aliter Græcos, aliter Latinos verba Chriſti apud S. Matth. L. cit. interpretatos fuiſſe; Græcos nimirum de dimiſſione quoad vinculum, Latinos vero de ſola dimiſſione quoad torum & cohabitationem. Sed eorum opinionem merito refellit Tournelius hic inquiens: *Pugnat ergo ſecum Apoſtolica traditio, & aliud ad Latinos, aliud ad Græcos dogma tranſmiſit, quod certe fingere perabſurdum eſt, una quippe ac ſimplex eſt veritas*. Accedit, quod pro ſententia Eccleſiæ Latinæ veterum non tantum Latinorum, ſed etiam Græcorum ſtet authoritas, ut mox patebit, atque ex hoc probatum manet ſecundum propoſitionis membrum.

24. Græci jam diu verſantur in illa ſententia & praxi, ut diſſolvant vinculum conjugale propter adulterium.

Jam enim A. 1439. tempore nimirum Florentinæ Synodi in ea ſententia illos fuiſſe colligimus ex ſeſſ. 25. dictæ Synodi, ubi poſt editam fidei definitionem inter quæſtiones XI. quas Latini Græcis propoſuerunt, hæc decima legitur: *Quare Conjugia dirimitis, dicente Domino, quod Deus conjunxit, homo non ſeparet?* quas quæſtiones Mitylenenſis Antiſtes canonice, legitimeque diſſolvit, præterquam iſtam, ac alteram, *cur Patriarcham non velint in Concilio eligere?* mortuus enim erat Florentiæ Patriarcha Conſtantinopolitanus durante Concilio.

25. Nec junior videtur eſſe apud illos diſſolutio Matrimonii quoad vinculum ex aliis etiam cauſis.

Græcos enim modernos etiam ex aliis cauſis Matrimonii vinculum diſſolvere, colligimus ex Goario in notis ad ordinem ſervari ſolitum in ſponſalibus, in eorum Euchologio a ſe edito: ſic enim habet N. 10. *Condemnant Græcos verba hæc, repudium & conjugii diſſidium levi ex cauſa permittentes, & dimiſſos conjuges aliis nuptui facilius tradentes*. Verba autem, quæ Goarius ibi commentatur, extant in oratione a Græcis ſuper ſponſos dici ſolita, nimirum. *Deus æterne, qui diviſa a ſe invicem in unitatem cogis, &* inſolubilem eis *compoſitionis nexum imponis*. Ita nimirum in errores labi pronum eſt, dum regula fidei deſeritur. Ex infra vero N. 27. in fine dicendis conſtabit, ex Jure Juſtinianæo ad Græcos hanc licentiam migraſſe.

26. Incertum omnino eſt, quo primum tempore apud Græcos pervaſerit, & invaluerit praxis diſſolvendi Matrimonia propter adulteria.

Quamvis enim Græci recentiores eam in ſua Eccleſia contendant ab initio, perpetuamque extitiſſe, Arcudius nihilominus de Mat. c. 13. & 14 adductis in medium veterum SS. Patrum Eccleſiæ Græcæ teſtimoniis, concedit Recentiores a Doctrina Majorum ſuorum receſſiſſe, & capitibus 21. 22. &c. ſolvit, quæ ex S. Baſilio, Gregorio Naz. Chryſoſt. & Epiph. ſolent objici. Sed ſi Patrum Græcorum monumenta evolvamus, Eccleſiarumque particularium mores, primis ſtatim ſæculis obtinentes, inſpiciamus, lapſus duos doctiſſimorum virorum nobis cavendos cenſebimus; alterum nimirum Launoji, qui omnes veteres Græcos diſſolutioni Matrimonii adulterii cauſa faviſſe contendit; alterum Arcudii, qui ne unum quidem, qui ſit alicujus nominis, ſine aliqua benigna interpretatione dimitti permittit. Et hinc

27. Si cordate & ſine præjudiciis loqui velimus, tria fateri velut certiſſima debemus; nimirum ex genuina ſacri textus interpretatione facta ex aliis contextibus, & Apoſtoli ſententiis relatis ſupra N. 22. Patrumque præponderante authoritate, prædominanteque in Eccleſia Dei communi ſenſu ac conſuetudine certum eſſe, illum intelligendum tantum eſſe de facultate diſſolvendi Matrimonii quoad torum, non item quoad vinculum. Secundo. Non ſolum ex Græcis, verum etiam ex Latinis extitiſſe Patres, quos dubios ac ancipites circa hanc quæſtionem reddidit obſcura hæc apud S. Matth. c. 19. ſententia; imo quoſdam in contrariam ſententiam adduxiſſe. Tertio. Praxim contrariam apud non unam veterum Communitatum viguiſſe, legibuſque civilibus tum ſtabilitam, tum moderatam fuiſſe.

Et quoad primam partem attinet, Evangelica teſtimonia jam attulimus N. 22. Patrum, Conciliorumque authoritates adferunt Theologi; ſed præcipue eximius Tournelius contra temerarium Launojum convincentia Patrum non ſolum Latinorum, ſed etiam Græcorum attulit teſtimonia, quibus Latinæ Eccleſiæ traditio de non ſolvendo Matrimonio Chriſtianorum ob fornicationem conſortis inconcuſſe adſtruitur, eidemque omne effugium præcludit. Ea breviter hic delibabimus, ſicut inſtituti noſtri ratio exigit. Primo affert Authoritatem libri Paſtoris, authore Herma, qui fuit S. Pauli Apoſtoli Diſcipulus, uti teſtantur Euſebius, & Hieronymus apud Nat. Alex. non Pii I. frater. Hic mandato IV. cui titulus eſt, *de dimittenda Adultera*, ſic Dominum interrogat: *Si permanſerit in vitia mulier? & dixit: dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur*. Hic quæro ex Launojo, quid velint verba illa libri Paſtoris: *Si primanſerit in vitio mulier?* determinata per poſteriorem copulativam particulam, *& ipſe mœchatur*. Reſpondere debet, Hermam per *vitium* intelligere adulterium? infero ergo; igitur Pauli Diſcipulo, vel ſæculi I. authore judice, ſi vir propter tale vitium dimittat uxorem, & aliam ducat, mœchatur. Si Græci & Proteſtantes aliud quodpiam vitium intelligant, idem ex authoritate libri Paſtoris contra illos infertur. Nec ingerant librum iſtum ſæculo IV. & prioribus fuiſſe judicatum apocryphum, & hæreſi Novatianorum infectum; a canone enim Scripturæ ſolum excluſum, Eccleſiæ vero utiliſſimum, hæreſum immunem, ac Hermæ ſœtum, cum aliis Criticis invictis argumentis probat Nat. Alexander Hiſt. ſæc. 1. c. 12. A. 9. Nobis ergo ſufficit ejus authorem eſſe Hermam Pauli Diſcipulum, atque a multis Eccleſiis particularibus primi & ſecundi ſæculi pro canonico habitum. Sed iterum revertamur ad Tournelium. Hic ergo ſecundo loco adducit Juſtinum ſæculi II. authorem, qui Apologia 2. pro Chriſtianis edit. Col. de a. 1686. pag. 62. inter doctrinæ capita, quæ Chriſtus circa caſtitatem dedit, iſtud recenſet: *Qui repudiatam a viro altero duxerit, adulterium committit*. Nullam, inquit Tournelius, excipit cauſam S. Martyr, ne quidem adulterium alterius conjugis. Alium locum ex eadem Juſtini Apologia 1. ibi adducit, Launojique ſuppoſitum falſum

ſum vellicat. Sequitur Athenagoras alter Religionis noſtræ ſæculo II. Apologiſta, hæc de moribus & inſtitutis Chriſtianorum ad Imperatores diſſerens: *Ut natus eſt, unuſquiſque noſtrum manet, vel nuptiis copulatur unicis; ſecundæ enim decorum quoddam adulterium ſunt. Qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter: neque illam dimittere concedens, cujus delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere.* Non excipit Athenagoras cauſam fornicationis, ſed abſolute & indefinite loquitur; inquit Tournelius. Et certe quomodo permiſiſſet ille viro, dimiſſa uxore, quamquam adultera, ducere aliam, qui etiam ea mortua vix ſecundas approbat nuptias, eo quod communiter libidinem arguant in nubentibus? Hæc profecto male ſecum cohærent. Unde ad rem ſuam caute & prudenter Launojus in ſerie ſuæ prætenſæ traditionis omiſit Athenagoram. Loquuntur autem Juſtinus & Athenagoras his locis ut *Apologiſtæ*, & conſequenter ſenſum Eccleſiæ primitivæ Imperatoribus Ethnicis exponunt; quod argumento eſt, primos Chriſtianos in communi perſuaſos fuiſſe, textum Matthæi 19. intelligendum ſolum eſſe de dimiſſione adulteræ *quoad torum*, & ſucceſſive primum particulares Eccleſias, Epiſcopos, ac Imperatores ex ejus ambiguitate in contrariam opinionem lapſos fuiſſe, id quod patebit ex iis, quas conſequenter referemus, authoritatibus. Catholicæ veritati præterea aperte favet S. Clemens Alexandrinus, qui ſæculi III. initio floruit: hic enim in fine L. 2. *Stromatum* ſic loquitur: *Quod autem conſulit ſcriptura Uxorem ducere, nec a conjugio unquam permittit diſcedere, legem aperte conſtituit, non dimittes Uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat conjugi matrimonio, vivo altero ex ſeparatis.* At hæc poſtrema pars, ait Launojus apud Tournelium, debet intelligi cum exceptione memorata, nempe *niſi ob fornicationem*; alias, inquit, poſterior pars periodi primæ cum priore non bene conveniret; poneretur exceptio & ſtatim auferretur. Verum, ut bene advertit Tournelius, ſi quæ ſequuntur, legiſſet Launojus, intellexiſſet facile abſolutam eſſe poſteriorem partem periodi, atque in mente S. Clementis in muliere a viro dimiſſa propter adulterium ſupereſſe vinculum firmum conjugale, ſola dumtaxat facta ſeparatione tori & cohabitationis. Audiatur S. Doctor. *Qui autem dimiſſam accipit uxorem, mœchatur eam: hoc eſt cogit eam mœchari. Non ſolum autem qui dimiſit, eſt ejus cauſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens mulieri peccandi occaſionem: ſi enim non ſuſcipiat eam, revertetur ad virum.* Quærit Tournelius, quo jure redire illa poſſit ad virum ſuum, ſi omnino ſolutum ſupponatur per adulterium prius conjugium? igitur S. Clemens non exiſtimat diſſolvi tale conjugium, ſed potius firmum ſtare. Sed jam ad Patres Græcos & Latinos ſæculi IV. & V. greſſum faciamus. Ex quibus S. Chryſoſtomus ſua jam ætate, hoc eſt ſæculo IV. extitiſſe legem teſtatur hom. in illud Apoſt. 1. ad Cor. 7. *mulier alligata eſt legi*, qua cenſuit de cauſis licere repudiare uxorem, aliamque ducere; verum repugnaſſe Eccleſiaſticam legem aperte profitetur, oſtendens quippe ſola morte diſſolvi poſſe conjugium ſic loquitur: *Sane ſcimus, quod multis novum, & inexſpectatum videbitur, quod dicimus:* —— & poſtea: *ne mihi leges ab exteris conditas legas, præcipientes dari libellum repudii, & divelli. Neque enim juxta illas judicaturus eſt te Deus in illa die, ſed ſecundum eas, quas ipſe ſtatuit.* Itaque ætate Chryſoſtomi Græca Eccleſia non approbabat legem repudii ab Imperatoribus latam, ex traditione nimirum primitivæ Eccleſiæ, de qua ſupra teſtati ſunt Juſtinus, Athenagoras, & Clemens. Eodem ſæculo adverſus eandem legem invehitur S. Gregorius Nazianzenus in ſecundo carmine, ubi recenſens laudes virginitatis, & incommoda connubii, agnoſcit illius inſolubilitatem, dum illud vocat malum, quod aliquis ſibi parat ſine ulla ſpe repudii, fœminam vocans peſtem, *quam nulla liceat ratione fugare*. In Eccleſia vero Latina Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus aperte Catholicæ adſtipulantur ſententiæ. Ambroſius quidem c. 16. in Lucam: *Dimittis ergo uxorem quaſi jure, ſine crimine; & putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? qui hominibus obſequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obſequuntur etiam, qui leges ferunt; Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet.* S. vero Hieronymus Ep. *ad Oceanum* 84. alias 30. non alia ratione excuſat Fabiolam, quæ dimiſſo marito alteri nupſerat, quam quod ignoraret vigorem Evangelii, cujus tamen ſui peccati ream illa, & publicam ſuſtinuit pœnitentiam. S. denique Auguſtinus in duobus libris ad Pollentium *de adulterinis conjugiis* ex profeſſo Catholicam ſententiam demonſtrat, cui proinde non repugnare videtur adverſarius Launojus, qui alioquin S. Doctorem vellicat, quem aut contradictionis, aut non ita accurati ratiocinii reum tacite cuperet hac in parte traducere. Unicum locum ex lib. 1. c. 9. rel. 32. q. 7. adferam: *Quemadmodum, inquit, non recte dici poteſt; Si ergo neſcit homo, non peccat;* —— *ita non recte dici poteſt; Ergo ſi cauſa fornicationis dimiſerit uxorem, & aliam duxerit, non mœchatur; eſt enim mœchatio etiam earum, qui alias ducunt relictis prioribus propter fornicationem.* Accedit Authoritas Concilii Milevitani A. 416. celebrati, ex cujus can. 17. conſpicimus, quid Africana Eccleſia hoc in puncto ſenſerit; ſic autem ſonat: *Placuit, ut ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito alteri conjungatur; ſed ita maneant, aut ſibi reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legem imperialem petendam promulgari.* Miratur hic Launojus, cur Patres Milevitani imperialem legem poſtulent, *Cum,* inquit, *nondum eſſet annus centeſimus, quod Imperator Conſtantinus legem de hac materia tulerat.* Hoc equidem verum eſt, ac legem hanc civilem divinæ contrariam revocari, & aliam promulgari poſtulant Epiſcopi, atque temporalem, ut aſſolent, Principum opem implorant ad certiorem & firmiorem Decretorum Eccleſiæ executionem: in quo nihil novi occurrit, quod nos in admirationem trahere debeat. En ergo traditionem eandem in Africa, quæ fuit in Aſia circa ſenſum Evangelici textus. Quanta vero Eccleſiæ Africanæ cum Romana in dogmatibus ac diſciplina fuerit conſenſio, ſæpius a nobis in decurſu hujus operis indicatum eſt. Unde non mirum, quod Innocent. I. initio ſæculi V. ep. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum c. 6. ſcribat: *De his etiam requiſivit dilectio tua, qui intercedente repudio aliis ſe matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt* —— *Secundum illud, quod legimus in Evangelio; Qui dimiſerit uxorem ſuam & duxerit aliam, mœchatur.* Et Concilium Eliberitanum celebratum in Hiſpania A. 305. adeoque ante Concilium Nicænum cap. 9. *Fidelis Fœmina,* inquit, *quæ adulterum Maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat. Si autem duxerit, non prius accipiat communionem, quam is, quem reliquit, de ſæculo exierit; niſi neceſſitas infirmitatis dare compulerit.* Hinc Canon 48. Apoſtolorum indiſtincte ait: *Si quis Laicus, ſua ejecta uxore, vel aliam acceperit, vel ab alio ſolutam, ſegregetur.* Quos canones eſto lib. 1. tit. 2. c. 2. §. 1. ſuppoſititios probaveri-

mus, nihilominus ibi indicavimus, eos a Græcis a ſæculo V. ut genuinos habitos fuiſſe, atque normam præcipuam eorum diſciplinæ affeciſſe. Cum vero hic canon indiſtincte prohibeat viro, qui ſuam uxorem dimittit, aliam ducere, aperte Græcorum diſtinctioni, qui contendunt ibi agi de divortio ſine cauſa facto, adverſatur; non enim cogitant, ubi lex non diſtinguit, ibi nihil diſtingui debere. Atque hinc aperte produnt, ſe a diſciplina Patrum ſuorum, ad hujus tenorem canonis exacta, lenſim ſine ſenſu prolapſos fuiſſe, quod quomodo factum fuerit, infra enarrabimus. Cæterum ex iis, quas pro Catholica ſententia hic adduximus, authoritatibus agnoſcet cordatus Lector, quam injuſte Novatores Eccleſiæ Romanæ ſententiam de non diſſolvendo vinculo Matrimonii, cauſa adulterii, erroris inſimulaverint, quamque inſulſe Joannes Calvinus lib. 4. Inſtit. c. 14. §. ult. inter longam, ut ipſe ait, *errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum ſeriem, quam Romana Eccleſia attexuit matrimonio*, iſtam recenſeat legem, quam tyrannicam appellat, quod nempe viro, qui adulteram repudiaverit, alteram inducere non liceat. Si enim requiſita maturitate abſque præjudiciis cum aliis, quæ ad longum in Scholis noſtris ad eorum roborationem referuntur, expendantur, non ſolum tam levia non ſunt, ut ſententia ejuſdem Eccleſiæ iiſdem innixa erronea dici poſſit, verum etiam adeo gravia, ut quilibet cordatus in re a Chriſto aliquantulum obſcurius definita cenſere debeat, ſolam Eccleſiam Romano-Catholicam præ omnibus aliis intentionem ejuſdem acu tetigiſſe. Modeſtius certe ſe geſſit Concilium Tridentinum in quæſtione hac decidenda; eſto enim Patres canonem paratum habuerint cum anathemate in eos, qui dicerent, Matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi; eum nihilominus ad inſtantiam Legatorum Venetorum ita temperarunt, ut in ſolos eos, qui dicerent Eccleſiam Romanam hoc ſuo in dogmate *erraſſe*, anathema vibraverint; ex qua mutatione videntur non obſcure ſignificaſſe, ſe in animo non habuiſſe fidei dogma proponere ſub pœna anathematis credendum & obſervandum, aut damnare Græcos in contraria ſententia, & praxi verſantes; ſi enim id voluiſſent, procul dubio canonem non immutaſſent, nec temperaſſent auditis Oratoribus Venetis. Quam vero abſurda circa præſens caput lapſi ſint ipſi Novatores, infra exhibebitur. Nunc ad ea, quæ puncto ſecundo & tertio præſentis quæſtionis inſinuavimus, greſſum facimus, quæ fortaſſis ipſiſſima ſunt, quæ Patres Tridentinos permoverunt, ut certam cæteroquin Eccleſiæ Doctrinam, de non ſolvendo vinculo Matrimonii ob fornicationem, pro fidei dogmate non definiverint.

Et imprimis quod antiqui Patres tum Latini, tum Græci circa ſenſum verborum Chriſti L. c. hæſitaverint, inductione probari poteſt. Audiamus hac de re ex Latinis S. Auguſtinum, qui lib. *de fide & operibus* c. 19. ait: *Quiſquis etiam uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis, qui excepta cauſa adulterii dimittunt, & ducunt: & in ipſis divinis ſcripturis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut, quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Ex lib. *Retract.* c. 57. *Scripſi*, inquit, *duos libros de adulterinis conjugiis* (illos nimirum, quos mox contra Launojum adduximus), *quantum potui ſecundum ſcripturas, cupiens diſſolvere difficillimam Quæſtionem. Quod utrum enodatiſſime fecerim, neſcio: imo vero me non perveniſſe ad hujus perfectionem ſentio, quamvis multas ſinus ejus aperuerim, quod judicare poterit, quiſquis intelligenter legit.* Ita timide & modeſte de ſe ipſo ſentiebat S. Auguſtinus in præſenti enodanda quæſtione. Ex Græcis vero Origenes comment. in Matth. equidem ſcribit: *Contra ſcripturæ legem mulieri vivente viro nubere quidam Eccleſiæ Rectores permiſerunt, agentes contra id quod ſcriptum eſt: Mulier alligata eſt, quanto tempore vir ejus vivit; —— non omnino tamen ſine ratione: hac enim contra legem initio latam & ſcriptam ad vitanda pejora, alieno arbitrio morem gerentes, eos permiſiſſe veroſimile eſt.* Hæc vero ſi tantum ſcripſiſſet Origenes, plana & aperta forent; verum quæ citato in loco ſequuntur, dubiam & obſcuram nobis ejus efficiunt ſententiam. Et 1. quidem non explicat in verbis adductis, an Epiſcopi illi, de quibus loquitur, permiſerint mulieri vivente altero viro nubere propter adulterium aut ſuum, aut viri. 2. Objicienti Judæo, Chriſtum permiſiſſe dimittere uxorem adulterii cauſa, ſicut Moſes permiſerat ob fœditatem, quæ proprie eſt adulterium; reſpondet primo, Moſeo nomine fœditatis non intellexiſſe adulterium, ſed quodlibet aliud peccatum. Secundo, Chriſtum ob ſolum adulterium permiſiſſe ſolvi conjugium. Tertio, ſe valde dubium hærere, num propter alias graviſſimas cauſas liceat uxorem dimittere, v. g. propter veneficium. S. Chryſoſtomus eſto variis in locis aperte ſentiat, Matrimonium non poſſe ſolvi, niſi morte conjugis intercedente; nihilominus, an caſum fornicationis non exceperit, & hinc legem cæſaream ideo tantum fortaſſis ſuggillaverit, ex homilia 19. in c. 7. ep. 1. ad Corinth. dubium redditur, ubi ait: *Per fornicationem Nuptias eſſe diſſolutas, univerſam Nuptiarum munditiem avolaſſe atque diſceſſiſſe, Maritum poſt fornicationem non eſſe maritum*; quamvis non ſit operoſum S. Patrem interpretari, quod talem Maritum ſentiat non eſſe Maritum ſolum quoad jus tori, menſæ, lecti &c. a quibus ab innocente uxore excludi poteſt. Quæ vero S. Baſilii hac in re fixa & certa ſit ſententia, vix unquam definietur, inquit Tournelius. Nam hom. 7. *in Hexametron*, lib. *de Virg.* circa medium, & can. 48. Ep. *ad Amphil.* cum Eccleſia Latina aperte ſentire videtur. Lib. enim *de Virg.* pronuntiat mulierem, quæ vivente viro alteri nubit, mœchari, & poſtea, *Non audis*, inquit, *quod etiam qui dimiſſam ducit, mœchatur? etſi enim pro culpa dimiſſa eſt, attamen vivit vir ejus?* Quid clarius videtur? nihilominus quæ idem S. Doctor aſſerit can. 9. ejuſdem ep. mirum in modum incertam, dubiam, & obſcuram nobis reddunt ejus mentem, atque ſententiam. Poſtquam enim dixit, parem eſſe debere juxta Chriſti mandatum mulieris & viri conditionem in his, quæ pertinent ad conjugium, atque non licere viro uxorem, nec uxori virum dimittere, niſi ex cauſa fornicationis, fatetur conſuetudinem contrariam invaluiſſe, atque viris quidem licere dimittere uxores adulteras, non vero uxoribus dimittere viros adulteros, cujus rei diſcrimen adducere difficile judicat S. Baſilius can. 21. & non immerito quidem, cum ipſe agnoſcat parem eſſe debere ex lege Chriſti utriuſque Conjugis conditionem. Unde obſervat in hunc canonem Zonaras, conſuetudinem illam tam abſurdam ſublatam fuiſſe ab Imperatore Juſtiniano, qui mulieribus poteſtatem quoque fecit diſcedendi a viris ſuis, ubi juſtæ ſunt ac legitimæ cauſæ; poſtea in eo caſu, quo uxor virum dereliquiſſet contra receptam conſuetudinem, quærit S. Doctor, an mulier, quæ cohabitaret cum tali viro, foret adultera? rurſus an vir ſic relictus, qui ad aliam acceſſit, ſit quoque adulter, aut venia dignus? Ad primum reſpondet timide ac

cum

cum duhitatione, *Neſcio*, inquiens, *an poſſit adultera appellari*. Ad ſecundum vero magis affirmare & abſolute air: *Virum ſic relictum eſse venia dignum, & eam, quæ cum ipſa cohabitat, non ideo condemnari*. At ſi perſuaſum habuiſſet S. Doctor, viro etiam propter adulterium dimiſſo ſupereſſe ſemper firmum primum Conjugii Vinculum, quomodo dubitaſſet, an poſſet adultera nuncupari mulier, quæ cohabitaret cum viro a ſua uxore dimiſſo? Contrariam denique Eccleſiæ Romanæ ſentaoriam ſoviſſe S. Epiphanium, aperte prodere videtur locus hæreſ. 59. N. 3. conſignatus, ubi ait: *Sed cui mortua una non ſufficit, cum occaſione aliqua ſtupri, adulteriique, aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit; is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum literarum autharitas ab omni culpa illas abſolvit: neque ab Eccleſia, aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandas exiſtimat*. Hunc locum Petavius ad hæreſim Novatianorum pag. 254. depravatum eſſe putat, non tameo negat illum erraſſe in re nondum ab Eccleſia definita. Et quidem Epiphanius affirmat ſecundas nuptias permitti poſſe non ſolum occaſione ſtupri, adulterii, ſed etiam *cujuslibet flagitii* cauſa, quod nemo unus probare poteſt. Quamvis Nicolaus Le-Nourt ſentiat, Epiphanium agere de nuptiis poſt mortem conjugis contrahendis, cui opinioni faveot ea verba, *cui mortua una non ſufficit*. Mittimus Theodoretum & Aſterium Amaſeoom Epiſcopum, qui nullateous in benignam partem interpretari poſſunt, adeo clara & expreſſe oobis adverſantur. Ea bis ergo colligitur primo, primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos ea Apoſtolica traditione perſuaſos fuiſſe, non licere ea Evangelica authoritate ob adulterium dimittere uxorem, niſi quoad torum, ut reſtatur Athenagoras, & Juſtinus. Quoſdam deinde privatos Doctores, etiam jam ſæculo III. ut patet in Origene, ea obſcuro textu, & comparatione ejuſdem ad permiſſionem Moſis in hæſitationem adductos fuiſſe, unde ſucceſſive factum eſt, ut alii euodem explicarent non ſolum de dimiſſione quoad torum, ſed etiam quoad vinculum, quam diſſolutionem admittebant aliqui poſſe fieri ex parte viri, non mulieris, alii ea æquo ab alterutro Innocente, alii denique eandem nimis ampliantes matrimonium conſummatum aliis adhuc ex cauſis quoad vinculum diſſolvi poſſe autumabant. Et quod propter hæreſim alterius conjugis diſſolvi poſſit ſimile Matrimonium, ſæculo XII. adhuc perſuaſus videtur fuiſſe Clemens III. qui in Decretali *laudabilem* ex hac cauſa permiſit ſolvi Matrimonium, ut refert ejus coævus Robertus Corzoo in ſumma, & indicatur ab ipſo Innocentio III. c. 7. *de divortiis*, ubi contrarium definit, quem ſequitur Synodus Trid. ſeſſ. 24. c. 5. ubi Anathemate damnat eos, qui dicunt diſſolvi propter hæreſim vinculum Matrimonii. Secundo, quod tam Arcudius, quam Launojus oleum & operam perdiderint, dum primus omnes Patres in ſententiam Eccleſiæ Latinæ, alter in ſententiam Græcæ trahere per capillos voluere. Tertio, quomodo ſit obviandum argumentis ab authoritate deſumi ſolitis; non enim omnes Patres erunt explicandi, ſed quandoque fatendum, unum vel alterum erraſſe, quemadmodum contigit in materia de noo iterando baptiſmo ab hæreticis collato.

Ex hucuſque dictis tertium quoque punctum allatæ propoſitionis in apricum ponitur, praxim nimirum contrariam apud non unam veterum communitatum ſæculo IV. & ſeq. viguiſſe, legibuſque civilibus tum ſtabilitam, tum moderatam fuiſſe; omnes enim Patres enumerati de more diſſolvandi Matrimonium propter adulterium apertam mentionem faciunt, vel contra eundem invehuntur, aut de ejus juſtitia dubitant. Legis quoque Conſtantinianæ pro divortio perfecto in caſu latæ mentionem jam fecimus N. hoc; refertur illa in Codice Theodoſiano lib. 3. tit. 16. Nec ſolum adulterium requirit, ſed etiam alias cauſas admittit; ſic autem ſonat: *Placet mulieri non licere propter pravas ſuas cupiditates marito repudium mittere, exquiſita cauſa, veluti ebrioſo, aut aleatori, aut mulierculario; nec vero maritis per quaſcunque occaſiones uxores ſuas dimittere: ſed in repudio mittendo a fœmina hæc ſola crimina inquiri*, ſi homicidam, vel medicamentarium, vel ſepulcrorum diſſolutorem *maritum ſuum eſſe probaverit, ut ita demum laudata omnem ſuam dotem accipiat. Nam ſi præter hæc tria crimina repudium marito miſerit, oportet eam uſque ad aciculam capitis in domo mariti deponere. --- In maſculis etiam, ſi repudium mittant, hæc tria crimina inquiri convenit*, ſi mœcham, vel medicamentariam, vel conciliatricem *repudiare voluerit*. Lex iſta non permittit fœminam ſeparari a mœcho marito, bene vero mœchæ a marito repudium dari. Et hinc illam eſſe contrariam legi Chriſti aſſerit Chryſoſt. L. ſupra cit. Illam nihilominus confirmarunt Honorius, Theod. Jun. & Conſtant. ut conſtat ex L. 2. C. Theod. *de repud.* Illius vero reſtrictio ſublata eſt a Theod. & Valentiniano III. ſæculo V. & priſca repudiorum apud Romanos libertas rurſum introducta, ut monſtrant eorum novellæ titulo 17. Vide etiam L. 8. & 9. C. *de repudiis*, ubi conjugatis permittitur ſine omni cauſa ſolvere matrimonium ex mutuo conſenſu; quas leges Juſtinianus ſæc. VI. prioribus ſui regiminis annis non ſuſtulit, ſed divortia ea mutuo conſenſu facta approbavit Nov. 22. c. 4. poſtea tamen, Novel. videl. 117. arbitraria divortia ſuſtulit, viroque ac mulieri ſequentes tantum cauſas pro faciendo divortio admiſit, nimirum ea parte mariti, 1. Si contra Imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, aut etiam viro ſuo non indicet. 2. Si de adulterio maritus putaverit poſſe uxorem ſuam convinci. 3. Si quolibet modo mulier vitæ viri fuerit inſidiata. 4. Si cum viris extraneis nolente marito convivatur, aut cum eis lavatur. 5. Si nolente viro foris domum manſerit. 6. Si Amphitheatris interfuerit, ignorante, aut prohibente marito. Ex parte vero fœminæ ſequentes. 1. Si maritus contra imperium aut ipſe cogitaverit aliquid, aut cogitantibus conſcius non indicaverit Imperio. 2. Si quolibet modo vir inſidiatus fuerit vitæ mulieris. 3. Si maritus uxoris caſtitati inſidiatus, aliis etiam adulterandam tentaverit tradere. 4. Si vir de adulterio inſcripſerit uxorem, & adulterium non probaverit. 5. Si quis in ea domo, in qua cum ſua conjuge commanet, contemnens eam, cum alia inveniatur in ea domo manens: aut in eadem Civitate degens, in alia domo cum alia muliere frequenter manere convincitur. Quas leges utpote maxima ea parte Evangelicæ doctrinæ contrarias Eccleſia reprobavit. Illæ nihilominus plurimum contulerint firmandæ Græcorum conſuetudini, ſolvendi matrimonii vinculum non ſolum propter adulterium, ſed propter alias etiam cauſas. Videntur autem primi Imperatores Chriſtiani licentiam iſtam ſibi ſumpſiſſe, quia dominabantur non ſolum Chriſtianis, verum etiam Gentilibus, quorum licentiam in repudiandis uxoribus, priſcis Romanorum legibus introductam, aperte reſtringere voluit Conſtantinus M. ut patet ea ejus lege mox allata. Unde ejus Succeſſores authoritatem ſibi videntur ſumpſiſſe cauſas divortiorum vel ampliandi, vel reſtringendi.

28. Græcorum diſciplinam erroneam, ſolvendi matrimonii vinculum non tantum propter adulterium, ſed etiam ob alias cauſas, adoptarunt Sæ-

colo XVI. Eccleſiæ Pſeudo-Reformatores,

Ex ipſis Lutherus, referente Bellarmino lib. de Matr. c. 15. A. 1523. ſcripſit librum in cap. 7. Ep. 1. *ad Corinth.* in quo docet diſſolvi poſſe Matrimonium, & novum iniri his de cauſis. 1. Cum falſus Chriſtianus conjugem Chriſtianam deſerit. 2. Si conjux conjugem ad furtum, vel aliud peccatum inducere. 3. Si ob frequentes rixas moleſta eſt ac gravis cohabitatio. 4. Si unus conjux diu abſit. In lib. vero *de Capt. Babyl.* de Matr. ſcribit, errare Papam, cum divortium concedit extra cauſam fornicationis, quam ſolam Dominus excepit. Et in lib. quem de *cauſis matrimonialibus* edidit A. 1530. docet pauperem, qui cum divite Matrimonium inivit, & conſummavit, poſſe ad aliud ſe transferre, ſi non poteſt retinere conjugem divitem, eo quod affines, vel amici ejus impediant. Ita nimirum immemor ſui frequenter fuit in ſcripturitionibus ſuis Angelus ille (ſi ſuperis placet) Apocalypticus. Martinus Bucerus in cap. 19. Matthæi contendit, poſſe diſſolvi Matrimonium, & aliud contrahi, quoties uxor non ſe commodam viro, aut vir non ſe commodum uxori præbet. Philippus Melanchtun in locis Theologicis Titulo de Conjugio, in duobus duntaxat caſibus permittit aliud iniri matrimonium, etiam priore uxore adhuc vivente. Primus eſt: ſi alter conjugum fornicetur. Secundus eſt; ſi alterum conjugem injuſte deſerat; idque permittit non tantum parti innocenti (in ſuis annotationibus ad cap. 5. S. Matthæi) ſed etiam nocenti, quia, inquit, nulli eſt imponenda pœna, *quam ferre non poſſit*, pœnam intelligit cœlibatus. Sententiam Calvini ſupra retulimus. Calvino ſubſcribit Kemnitius in 2. parte Examinis Concilii Tridentini. Adverſus hos Novatorum errores Synodus Trid. duos Canones edidit Seſſ. 24. quintum videlicet & ſeptimum: quorum primus ita ſonat: *Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, aut affectatam abſentiam a conjuge, diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum, anathema ſit.* Secundus vero: *Si quis dixerit Eccleſiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera aliam duxerit; & eam, quæ dimiſſo adultero alii nupſerit; anathema ſit.*

29. Noviſſimi Proteſtantium Juriſconſulti Patrum ſuorum limites (ſi Bucerum effrenem excipias) excedentes, non ſolum dicunt matrimonium diſſolvi poſſe ob adulterium alterius conjugis, aliaſque rationes ab ipſis ſtatuminatas; ſed generaliter ex quacunque gravi cauſa, a Principe territoriali dijudicanda.

Mira illorum ſentimenta, pugnanteſque opiniones recenſet Fleiſcherus *in ſua introductione in Jus Canonicum Proteſtantium* lib. 2. c. 10. ubi ait: *Primo igitur matrimonii vinculum diſſolvitur ob adulterium* ex Carpzovio, Brunem. Strikio, ubi addit, *Diſſolutionem hanc locum habere, eſto adulterium ſolum probabiliter oſtendi poſſit.* 2. *Per malitioſam deſertionem alterius conjugum; quo caſu pars innocens, præmiſſa trina legali invitatione, per Judicem a vinculo ſecundum præcitatos Authores abſolvi poteſt.* 3. *Per malitioſam & conſtantem denegationem debiti conjugalis* Judice Brucknero & Strikio. 4. *Propter inſidias vitæ alterius conjugis ab altero poſitas.* 5. *Si mulier virum exſecare tentaverit* teſte Strikio. 6. *Si abortum conſtanter procuret* definientibus Bruneman & Lynker. 7. *Si maritus ob crimen perpetratum infamiam incurrerit, atque in exilium miſſus fuerit;* decidente Brukneri, quem caſum in reformato ordine Brunſwicenſis Eccleſiæ pag. 123. expreſſum hic refert Fleiſcherus. 8. *Ob mores intolerabiles alterius conjugum, vel obverſantes inter illos irreconciliabiles inimicitias*, teſte Miltono, Puffendorfio. His ex ſua opinione addit Fleiſcherus 9. *Si alter conjugum periculoſa infirmitate laboret*, e. g. morbo gallico. 10. *Ob ſterilitatem uxoris*. Et ſi ſuperi alia adhuc excitaverint inter illos ingenia fœcunda, plures fortaſſe cauſas diſſolvendi vinculum matrimonii conſummati feliciter detegent. Addit Bucerus in c. 19. Matth. *Quoties uxor non ſe commodam viro, aut vir non ſe commodum uxori præbet.* Nonne etiam ex *bona gratia*, ut intentio Chriſti Matth. 19. v. 9. non tangatur futoris?

30. Tanta circa ſolubilitatem Matrimonii ſentiendi libertas apud modernos Proteſtantium Juriſconſultos ortum habuit ex erroneo principio, quod nulla in ſacris literis exſtet lex poſitiva ſolutionem *vinculi* Matrimonii inter Chriſtianos abſolute prohibens, vel etiam ad ſolum caſum adulterii reſtringens.

Et quod in dicto principio verſentur præter numero præcedenti allata, quæ ejuſdem principii genuini partus ſunt, & Corollaria, ipſe Fleiſcherus in relata ſua introductione perpetuus SS. Patrum calumniator teſtatur: §. enim 6. ſic habet: *Quemadmodum Eccleſiæ Patres veram moralem nequaquam intellexerunt, ita quidam ex ipſis eam opinionem adoptarunt: divortium matrimonii ex nulla alia cauſa permiſſum eſſe, niſi propter adulterium; & quidem ſolum quoad torum, nullatenus autem quoad vinculum.* Citatque pro hac opinione (& quidem vere) Clementem Alexandrinum, Hieronymum, & Auguſtinum; quorum ſententiam ait ſubſeque Concilia adoptaſſe, teſte Launojo de *Regia in Matrim. poteſt.* A. 1. c. 5. Pergit porro, *Nihilominus alii ſenſerunt, ex aliis quoque gravibus cauſis idem vinculum poſſe diſſolvi, e. g. Origenes, Tertullianus, quibus quædam quoque Concilia adhæſerunt, de quibus cit. Launojus* p. 2. A. 2. c. 2. 3. 4. 9. *His vero litigiis nequaquam opus fuiſſet, ſi res ad regulas ſanæ moralis exacta, atque regulæ juſti cum Regulis Decori & honeſti, aut regulæ juſtitiæ cum præceptis virtutis nequaquam confuſæ fuiſſent.* Addit §. 10. *Equidem ſperare licuiſſet, quod hæc omnia poſt Reformationem aliam faciem eſſent ſortitura, verum non ſolum in ſuo eſſe hæc permanſerunt, ſed in uno vel altero longe ultra proceſſum eſt.* Cauſam tantorum errorum duplicem §. 11. aſſignat, 1. *quod conſtanter creditum fuerit, divortium matrimonii quoad vinculum in legibus poſitivis univerſalibus ex nulla alia ratione admitti, præterquam ob adulterium*; & quod conſequenter 2. *Nullo ſuperiori humano aliqua poteſtas circa hanc diſſolutionem competat. Quod principium*, inquit, *cum ſuo Corollario falſiſſimum eſt, eo quod omnes Sacræ Scripturæ textus nil aliud velint, præterquam arctam unionem, neceſſitudinemque inter conjuges.*

Quod autem iſtud illorum principium ſit erroneum, ex dictis N. 22. & ſeq. clarum eſt; ibi enim ex c. 19. Matthæi monſtravimus, Chriſtum diſſolutionem Matrimonii ſolum *quoad torum* permiſiſſe ob fornicationem alterius conjugis. At contendit Fleiſcherus poſt Thomaſium, & alios, Chriſtum L. cit. nomine adulterii intellexiſſe non nudum adulterium, ſed quamcunque *gravem* cauſam; ita ut ſenſus Evangelici textus ſit, Quicunque dimiſerit uxorem ſuam *ſine gravi & urgente cauſa*, hujus matrimonium non eſt diremptum quoad vinculum, & conſequenter, ſi aliam ducat, mœchatur; idque probat ſequenti ratione nimirum, quod Chriſtus nullas novas leges dederit, ſed ſolum declarare voluerit, quemadmodum lex Moſaica ratione libelli repudii

intel-

Digitized by Google

intelligenda veniat; eo quod Judæi, qui ipſum interrogarunt, in duas ſectas diviſi fuerint, Hillelianam, & Samajanam, quarum prima legem Moſis Deut. 24. declarabat, quod *ex quacunque cauſa* uxor dimitti poſſit; de qua ſecta erant Phariſæi, qui legem dictam in hoc ſenſu populo declarabant, & hinc Chriſtum interrogabant, *ſi licet homini dimittere uxorem ſuam quacunque ex cauſa*; altera vero prætendebat, eam dimitti non poſſe, niſi *ex cauſa gravi*. Et conſequenter Chriſtus nil aliud contenderit, quam litem interrogantium Judæorum dirimere, & ſectæ Samajanæ ſuffragium ferre, quod nempe nonniſi ex gravi cauſa, quam nomine adulterii intellexit, liceat diſſolvere Matrimonium quoad vinculum. At gratis concedimus Proteſtantibus, Chriſtum nomine adulterii, non ſolum adulterium, ſed etiam *alias graves cauſas* intellexiſſe, ſed quæ non dirimerent Matrimonium quoad vinculum, ſed ſolum quoad torum: duo quippe involvebat Phariſæorum interrogatio, primum, an liceret quacunque ex cauſa dimittere Uxorem? ſecundum, an ea dimiſſa liceat aliam ducere? ad primum reſpondet non licere niſi ex graviſſima cauſa dimittere uxorem, quarum præcipua eſt fornicatio. Ad ſecundum vero, etiam dimiſſa propter fornicationem uxore non licere aliam ducere. Qua reſponſione voluit oſtendere, quod Matrimonium ex inſtitutione primæva omnino non ſit aliter ſolubile, niſi per mortem alterius conjugis, & quod Deus conſequenter ob ſolam duritiam cordis Patrum ſuorum per Moſen ipſis dari libellum repudii permiſerit; ſic enim ait: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fæminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quibus verbis apertiſſime indicat Matrimonium eſſe abſolute indiſſolubile, id quod Phariſæi ipſi ita intellexerunt; unde male contenti, quod Chriſtus negaverit id, in quo & Hilleliana & Samajana ſecta conveniret, nimirum *quod liceat dimittere & aliam ducere uxorem*, ab authoritate Moyſis eidem replicam fecerunt, dicentes: *quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* quam replicam convulſit, ac reſponſum ſuum generale ſtabilivit Chriſtus dicens: *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic.* Ecce Matrimonium ex primæva ſui inſtitutione abſolute indiſſolubile declaratum, ecce divortium a Deo Synagogæ ob duritiam Judæorum tantummodo permiſſum. Dum ergo infert, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit mœchatur*; longe abeſt, ut per adulterium quamcunque *gravem* cauſam intellexerit in ordine ad diſſolvendum vinculum matrimonii, & Samajanæ ſententiæ ſubſcripſerit, quin potius ſicut Polygyniam, ita & divortium Matrimonii quoad vinculum abſolute pro ſua Eccleſia caſſaverit, illudque ad primævam perfectionem reduxerit. Nam licet daremus Chriſtum nullam legem moralem de novo condidiſſe (falſa enim eſt propoſitio Fleiſcheri irreſtricte prolata, *Chriſtum nullas leges tuliſſe*, cum leges pragmaticas Eccleſiæ de Prædicatione Evangelii, de baptiſmo ſuſcipiendo &c. &c. ipſe tulerit), inde tamen non licet inferre, eum varia, quæ carnali populo tum ob duritiam cordis eorum, tum ob alias cauſas conceſſa fuerunt, ad primævum perfectionis ſtatum non revocaſſe; hoc enim manifeſte patet in ipſa ſublatione Polygyniæ, & ex ipſa vocatione Salvatoris, qui miſſus fuit, ut *infirma* legis Moſaicæ ad *perfectionem* ſtatus innocentiæ, quantum ferebat naturæ lapſæ conditio, revocaret. Unde magis a ſenſu ſcripturæ aberrant hi laxi interpretes, quam illi, qui ob ſolum adulterium hoc loco a Chriſto volunt indultam diſſolutionem vinculi matrimonii conſummati, eo vel maxime quod Marci 10. Chriſtus ad eandem interrogationem abſolute reſponderit: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; dumque illum Diſcipuli ejus in domo iterum hac ſuper re interrogarent, abſolute dixerit: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam.* Quod repetit Lucæ 16. v. 18. Huncque Reſponſionis Chriſti ſenſum eſſe, haud dubie intellexerunt ejus diſcipuli: ſtatim enim ejus difficultate permoti Chriſto objiciunt apud S. Matth. L. cit. v. 10. *Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere*; quibus hoc unum reſpondit Chriſtus: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* Gratis quoque idem Fleiſcherus objicit v. 15. ep. 1. *ad Corinth.* c. 8. ubi Paulus in caſu, quo vir infidelis malitioſe deſerit uxorem fidelem, eidem copiam facit ad alias nuptias convolandi; *Quod*, inquit, *fieri non poſſet, ſi Chriſtus ad hunc effectum nullam aliam cauſam præter adulterium admiſiſſet*, & multo minus, ſi juxta explicationem Romanæ Eccleſiæ nec adulterium ex mente Chriſti dirimeret Matrimonium conſummatum. Reſpondetur enim, Reſponſum Chriſti apud Matthæum probare duntaxat, vel Matrimonium Chriſtianorum conſummatum diſſolvi nullo caſu poſſe, vel quodcunque Matrimonium legitimum, etiam inter infideles in ſe quidem & intrinſeca natura non poſſe diſſolvi, ſed extrinſece tantum, divina ſcilicet voluntate, non privata humana auctoritate; & hinc in eadem ſcriptura non leges pugnantes, ſed lex inſolubilitatis Matrimonii, & ipſius exceptio in caſu adducto continentur.

31. Eccleſia igitur Romana juxta Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam Matrimonium a Chriſtianis legitime contractum, ac per carnalem copulam conſummatum propter adulterium a nulla humana poteſtate ex nulla dabili cauſa poſſe diſſolvi quoad vinculum recte docet.

Propoſitio ex dictis in aprico eſt, atque in Tridentina Synodo Seſſ. 24. *de Matrim.* can. 7. aſſerta, in quo canone, quanquam negari non poſſit, Græcos aperte non damnari, ſed lato anathemate percelli duntaxat Lutheranos, qui affirmabant *errare* Romanam Eccleſiam, cum docet, non poſſe diſſolvi Matrimonium propter adulterium; nihilominus tamen rem propius inſpicienti videbitur, doctrinam, quam proponit Synodus, fidei eſſe, etſi clare ac explicite id non exprimat; atque totam Canonis mutationem non doctrinæ ſubſtantiam, quæ ſemper immota ſubſiſtit & integra, attingere, ſed unam duntaxat pœnam anathematis, quam in gratiam Græcorum, ex œconomia quadam, revocavit & immutavit Synodus ad ſupplicationem Oratorum Reipublicæ Venetæ. Id ita ſe habere conſtat ex verbis Canonis, quibus declarat non errare Eccleſiam, cum docet, juxta *Evangelicam & Apoſtolicam Doctrinam* non poſſe diſſolvi Matrimonium propter adulterium. Si itaque non errat Eccleſia, cum ita docet, ergo doctrina ejus vera eſt, & conformis Evangelicæ & Apoſtolicæ; Doctrina porro Evangelica & Apoſtolica nonne fidei noſtræ caput eſt? inquit Tournelius. Unde Pallavicinus l. 22. c. 4. N. 30. quanquam Suavem Polanum reprehendat, quod ſcripſerit mutationem Canonis *arcam & utilitatis effectuſque vacuam eſſe*, nihilominus candide agnoſcit *ſubtilius eſſe diſcrimen inter utrumque canonem*; inquiens, *Non ſolum revera diſcrimen eſt*, *quamvis* ſubtilius; *ſed etiamſi non inēſſet, convenientius fuiſſet Reipublicæ ſatisfacere eam muta-*

 tio-

tionem petenti, ubi per eam merus ſonus, non autem ſignificatio variaretur. Modus certe, quo primum conceptus ac conditus eſt Canon, nempe cum anathemata adverſus eos, qui dicerent *diſſolvi conjugium adulterii cauſa;* modus, inquam, ille aperte prodit & manifeſtat, quo inclinaret Synodi mens atque ſententia.

32. Aliter ſentit eadem Romana Eccleſia de matrimonio ſolum rato non conſummato, cujus vinculum altera parte etiam invita per ſolemnem Religionis profeſſionem ſolvi, ut certum fidei dogma, proponit.

Tridentina enim Synodus Seſſ. 24. can. 6. definit. *Si quis dixerit Matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius Conjugum non dirimi; anathema ſit.* Quam definitionem impugnant Novatores; ſugillat ipſe Suavis apud Pallavicinum lib. 23. hiſt. Concilii Trid. c. 9. N. 7. & ex noſtris aliqui ſubleſto niti eam eſſe fundamento inſuſurrant. Anathemati hujus canonis repugnaſſe Cardinalem Lotharingium cum aliis pluribus narrat cit. cap. ipſe Pallavicinus. Impugnari ab hæreticis Canonem Tridentinum mirum videri non debet; quid enim aliud ſperemus ab infenſis Eccleſiæ hoſtibus? at Catholicis, apud quos firma & inconcuſſa eſſe debet Eccleſiæ in Synodo Tridentina convocatæ authoritas, *tenui & ſubleſto nixam videri fundamento* definitionem hanc, res eſt & orthodoxis inaudita, & hæreticis Concilii Tridentini obtrectatoribus perjucunda, quaſi potuerit Eccleſia novum aliquod invehere dogma, cujus certam non habuerit in Verbo Dei aut ſcripto, aut tradito probationem, inquit Tournelius lib. cit. qui & ibi pergit: Et quanquam deeſſet (quod falſum eſt) traditio ſcriptis conſignata, ſufficeret tum uſu *ipſo* continuo, tum vivæ vocis oraculo ad nos conſtanter perducta; neque enim Patribus Tridentinis nova affulſit revelatio. Cum igitur nec ſit diviſus, nec ſibi contrarius, qui Trident. Concilio præfuit, divinus Spiritus, in omnibus æqualiter firma eſt ac retinenda ejus auctoritas; & totam illam ſubvertit funditus, qui vel in uno Canone ad doctrinam ſpectante eam infirmare ac labefactare aggreditur.

33. In duobus potiſſimum deprehenditur traditio dogmatis Canone Tridentino definiti: Primo in Reſcriptis Summorum Pontificum: Secundo in veteribus & approbatis exemplis eorum, qui ante amplexus conjugales vitam religioſam & continentiam publice profeſſi conjugi in ſæculo remanenti facultatem reliquerunt transferendi ſe ad alias nuptias.

Et quod Romanos Pontifices attinet, Nicolaus I. apud Gratianum 27. q. 2. cap. 26. circa medium IX. Sæculi non obſcure hanc traditionem expreſſit, dum ait: *Nam licet ſcriptum ſit, quod Deus conjungit, homo non ſeparet, Deus tamen & non homo ſeparat, quando divini amoris intuitu ex conſenſu utriuſque conjugis Matrimonia diſſolvuntur.* Hic quidem non ſat clare exprimitur, num per Matrimonia, de quibus ait Pontifex, intelligantur *rata* tantum, vel generaliter *rata & conſummata?* Sed Eccleſia hos & ſimiles Canones ita intellexit, ut Profeſſio Religioſa Matrimonium *ratum* quoad vinculum diſſolvat, & quidem etiam altera parte invita, nequaquam autem Matrimonium *conſummatum*. Unde Alexander III. reſcribens Salernitano Epiſcopo in c. 2. de Conv. Conjugat. ait: *Verum poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum eſt alteri altero etiam repugnante eligere Monaſterium, dummodo carnalis commixtio non intervenit inter eos: & alteri remanenti (ſi commonitus continentiam ſervare noluerit) licitum eſt ad ſecunda vota tranſire.* Rationem ſubjungit: *Quia cum non fuiſſent una caro ſimul effecti, ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Aliam rationem aſſignat idem Pontifex, dum Brixienſi Epiſcopo reſpondet: *Sane quod Dominus in Evangelio dicit*, Non licet viro uxorem ſuam, niſi cauſa fornicationis, dimittere, *intelligendum eſt, ſecundum interpretationem ſacri eloquii, de his, quorum Matrimonium eſt carnali copula conſummatum.* Ejuſdem Pontificis veſtigiis inhæſerunt Innocentius III. c. *ex parte* de Conv. Conjugat. Joannes XXII. in extrav. *antiquæ* de voto, & noviſſime Tridentinum can. citato. Ex quorum conſtitutionibus habemus, ſolam profeſſionem religioſam, non vero ſuſceptionem ſacri Ordinis hunc effectum habere, atque in hunc finem Neo-nuptis ſpatium duorum menſium concedi, quo de ingreſſu Religionis deliberare, ac interim alteri parti debitum conjugale innocue denegare valeant. Objiciunt nihilominus hæretici adducta decreta recentiorum eſſe Summorum Pontificum, qui in gratiam Monachorum jus illud novum induxerunt, cujus nullum exſtat veſtigium in antiquis prioris antiquitatis monumentis. Quibus primo reponit Tournelius Gregorium M. ſæculi VI. Pontificem relatum 27. q. 2. can. 28. ubi ait: *Decreto legali deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino cenſuerunt damno mulctari.* Nec verendum, ne S. Gregorius de nuda ſponſa, non de uxore loquatur, quod ipſe Gratianus eum ita exponat, dum ex relatis ejus verbis infert: *Patet, quod inter ſponſum & ſponſam conjugium non eſt;* intelligendus quippe venit de conjugio *rato* per copulam carnalem, quod modo *conſummatum* vocamus, non de *initiato*, quod nunc *ratum* audit: ſic enim poſt relatas Patrum authoritates, quorum aliqui ſponſos conjuges appellant, alii negant, poſt Canonem 34. concludit: *Apparet ergo hanc non fuiſſe conjugem, cui vivente ſponſo, alteri nubendi licentia non negatur. Quomodo ergo ſecundum Ambroſium & reliquos Patres ſponſæ conjuges appellantur, & his omnibus conjuges non eſſe probantur? ſed ſciendum eſt, quod conjugium deſponſatione initiatur, commiſtione perficitur. Unde inter ſponſum & ſponſam conjugium eſt*, ſed initiatum; *inter copulatos* (copula nimirum carnali) *ratum*. Sed quamvis Canon 27. de cujus ſenſu litigamus, intelligi debeat de ſponſa, quæ vere Matrimonio juncta fuit, ſicut & exempla Macarii ac Alexii, de quibus ſtatim; Canon tamen 33. & 34. de nudis ſponſis, contra ac ſenſiſſe videtur Gratianus, accipiendi ſunt meo videri; ſi enim de veris uxoribus nondum cognitis interpretentur, cum ſimili ſponſæ in caſu raptus violenti ad alias nuptias convolandi dent facultatem, ſequitur, quod Concilia Rhemenſe, Troslejanum, Capitularia Francorum, legeſque Longobardicæ, ex quibus dicti Canones deſumpti ſunt, etiam extra caſum *converſionis Religioſæ* divortium vinculi matrimonii initi ſolvi permiſerint, & conſequenter in Apoſtolicam traditionem peccaverint, quemadmodum ex dictis patet. 2. Eidem objectioni reponit idem Tournelius, quod recentiores Pontifices jus illud non tanquam novum, & a ſe primum excogitatum, ſed a Prædeceſſoribus ad ſe continua traditione tranſmiſſum proponunt ac confirmant. 3. Quod illud colligant ex antiquis & approbatis Sanctorum exemplis, id quod vult ſecunda pars noſtræ propoſitionis.

Exempla refert Gratianus L. cit. poſt can. 26. ubi ait: *Ecce, quod conjugati* (nimirum matrimonio conſummato) *ſine licentia alterius continentiam profiteri non poſſunt. Sponſi vero* (hoc eſt de præſenti, ſeu Matrimonium, quod nunc vocamus ratum, habentes) *etiam inconſultis, quas ſibi deſponſaverunt, exemplis & authoritatibus*

Digitized by Google

tibus probantur continentiam poſſe ſervare: ut enim refert B. Hieronymus, Macarius præcipuus inter Chriſti Eremitas, celebrato nuptiarum convivio, cum veſpere thalamum eſſet ingreſſurus, ex urbe egrediens tranſmarinum petiit, & Eremi ſolitudinem ſibi elegit. Item B. Alexius Euphemiani Clariſſimi Filius, ſimiliter ex nuptiis divina gratia vocatus, ſponſam deſeruit, & nudus Chriſto ſemulari cœpit. Vetuſtiora exempla refert Tournelius, quorum antiquiſſimum eſt illud Theclæ S. Pauli diſcipulæ, de qua Ambroſius lib. 2. de Virg. c. 3. teſtatur: *Thecla copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit.* Cui adſtipulantur Methodius, & S. Epiphanius; quin tam illuſtre fuit, tamque omnibus compertum hoc exemplum, ut Fauſtus ipſe Manichæus illud profeſſus apud S. Auguſtinum lib. 30. contra ipſum c. 4. inquiens: *Paulus Theclam oppignoratam jam Thalamo in amorem ſermone ſuo perpetuæ Virginitatis incendit;* quod exemplum non negat S. Auguſtinus, ſed directe infert contra Manichæos, Virginitatem præferri nuptiis, tanquam majus bonum minori, non autem tanquam malo. Unde nequaquam ſuſpectam habere debent hiſtoriam Proteſtantes, quæ tam conſpirantibus teſtimoniis Patrum, *iſto quarti ſæculi*, fuit atteſtata. Aliæ ſimiles legi poſſunt in ſcholaſticis. Duo nihilominus adverſus hæc facta excipi poſſunt, inquit Tournelius. Primum, verum & ratum non fuiſſe per verba de præſenti matrimonium in exemplis modo prolatis, ſed obligatam dumtaxat fidem pro futuris nuptiis, quam fidem in gratiam profeſſionis Religioſæ irritam & caſſam fieri permittunt Canones. Secundum, etſi conſtaret verum & ratum fuiſſe matrimonium, ex iſtis nihilominus exemplis inferre non poſſumus, quod volumus, niſi conſtaret, quod certe non conſtat, conjugi in ſæculo derelicto liberum fuiſſe alteri nubere. At iſta, ait, facile diluuntur. Primum quidem, quia verum matrimonium omnino indicant loquendi rationes in narratione horum factorum adhibitæ: nimirum *pactæ, conſtitutæ nuptiæ*: *Thalamo oppignorata mulier*: Macarius —— *cum Thalamum veſpere eſſet ingreſſurus*: Alexius —— *primu nocte Nuptiarum relinquens intactam ſponſam*. Nec nos movere debet, quod Sancti illati *Sponſi* & *Sponſæ* nomine non raro appellantur, non autem ſemper conjuges, & quod apud illos ſtatim non fuerit conſummatum matrimonium. Namque 1. Conjuges ante conſummationem, quamquam vero conjuncti matrimonio ſponſi & ſponſæ nomine appellari ſolent in jure canonico cap. ex *publico*. cap. *Chariſſimus*. Cap. ex *parte tua* de converſione conjugatorum. Ita B. Virgo Sponſa dicitur Joſephi, etſi vere uxor, ſed ab ipſo nuſquam carnaliter cognita. 2. Etſi conjuges fœdere conjugali jam colligati eſſent, non autem ſtatim conveniebant; ſed recte obſervat S. Auguſtinus lib. 8. *Confeſſ.* cap. 3. inſtitutum olim fuiſſe, ut ſponſæ jam pactæ cito viris non tradantur, *ne*, inquit, *vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiravit ſponſus dilatam*. Alterum pariter non urget: quamquam enim in citatis exemplis non legamus derelictum conjugem ad alias convolaſſe nuptias, id tamen ipſi licitum fuiſſe certo colligimus, tum quia rupto vinculo liber eſt, qui in ſæculo remanet, tum quia Summi Pontifices antea citati iis ipſis innixi expreſſe declarant, relictum conjugem poſſe, ſi voluerit, alteras celebrare nuptias.

34. Quo jure diſſolvatur dictum matrimonium, an jure naturæ, an Eccleſiaſtico, an divino poſitivo, non adeo convenit inter Doctores Catholicos.

Qui Jure Naturæ exiſtimant dictum matrimonium diſſolvi, tribus rationibus moventur. 1. Quod licitum ſemper fuerit de ſtatu minus perfecto gradum facere ad perfectiorem, modo nulla cuiquam fiat injuria; in caſu autem dicunt non fieri injuriam proli, quæ nulla eſt, nec conjugi, quæ libera evadit. 2. Quod ſicut vinculum carnale, quod reperitur in conjugio, per mortem carnalem diſſolvitur, ita & ſpirituale animorum per mortem ſpiritualem, ſeu profeſſionem Religioſam. 3. Quod conjuges ante conſummationem, non ſint adhuc *una caro*: Chriſtus vero Matth. 19. omnimodam matrimonii indiſſolubilitatem repetat ex eo, quod conjuges ſint *una caro*. At merito candide fatetur Doctiſſimus Tournelius has rationes, *præciſa & ſecluſa Dei voluntate*, certam & firmam non efficere probationem, eſto ab ipſo Alexandro III. cap. N. præcedenti allato poſterior adhibeatur, ſed meras congruentias. Primæ enim opponit, quod ſtatus Religionis perfectior quoque eſt ſtatu conjugali, etiam poſt conſummationem, neque tamen dirimitur matrimonium conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem. Neque dicas diſcrimen eſſe, quod in hoc caſu fieret injuria vel proli, vel parti derelictæ: contingere quippe poſſet, ut revera nulli fieret injuria, ſi nempe & nulla eſſet proles ſuſcepta, & accederet mutuus conſenſus utriuſque conjugis. 2. Quia ex hoc ſequeretur, quod etiam ſuſceptio characteris Epiſcopalis dirimeret matrimonium ratum, cum perfectior ſit profeſſione religioſa. Quod eſt contra jus canonicum, extrav. *antiquæ* de Voto Joannis XXII. Secundæ vero opponit 1. quia in voto ſimplici caſtitatis & paupertatis etiam quædam mors ſpiritualis occurrit, non tamen tali voto dirimitur matrimonium ratum. 2. Quod mors illa ſpiritualis cohærere ſimul, ac conciliari poſſit cum vinculo conjugali, ut patet in iis, qui poſt ratum & conſummatum matrimonium ex communi conſenſu vitam religioſam profitentur; valet enim in eo caſu profeſſio, & remanet prius conjugale vinculum. 3. Quia mors illa ſpiritualis non eſt vera mors, ſed metaphorica duntaxat: quare igitur diſſolveret matrimonium, niſi id conceſſiſſet matrimonii Auctor & Parens Deus? Sicut enim voluit in gratiam fidei diſſolvi conjugium etiam conſummatum inter infideles (in caſu ſupra poſito), ita pariter in gratiam Profeſſionis Religioſæ voluit diſſolvere matrimonium ratum, ſed non conſummatum: neque hic alia quærenda ratio, quam Chriſti voluntas.

Non etiam diſſolvi dictum matrimonium ex ſolo jure Eccleſiaſtico, inde probat Tournelius: tum quia illius initium & origo conſignari non poteſt: tum quia Summi Pontifices, qui illud declarant, non tanquam ſuum, ſed continua traditione ad ſe tranſmiſſum agnoſcunt: tum denique, quia poteſt Eccleſia a jure pure Eccleſiaſtico diſpenſare; at non videtur eſſe in poteſtate Eccleſiæ efficere, ut non dirimatur matrimonium per ſolemnem Religionis profeſſionem; nonnulli autem id contendunt referente Pallavicino lib. 3. c. 9. tum denique quia nihil videtur poſſe Eccleſia in illud, quod jure divino eſt indiſſolubile, quale eſſe matrimonium jam dictum eſt.

Denique reſpondet, dictum Matrimonium diſſolvi per Profeſſionem Religioſam jure divino poſitivo, quod per continuam traditionem ab Apoſtolis ad nos uſque pervenit. 1. Quia juxta Regulam S. Auguſtini lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur.* Jam autem ex hactenus dictis in aperto eſt diſſolutionem matrimonii rati per Religioſam Profeſ-

ſionem

ſionem eſſe tale aliquid. Et confirmatur, quia ita innuere videntur Summi Pontifices: Alex. enim III. ex *interpretatione divini eloquii* privilegium illud deducit, atque ad exempla ſanctorum a Gratiano 27. q. 7. poſt can. 26. adducta provocat; Innocentius pariter III. recurrit ad revelationem; item Benedictus, & Gregorius, & Innocentius quidem III. Alexander III. partim 27. q. 7. can. *Lex*, & can. *ſunt*, partim *Extra.* de Converſ. Conjugat. cap. *verum*, & cap. *ad Apoſtolicam*, verba hæc ſcripturæ, *erunt duo in carne una*, in quibus fundatur indiſſolubilitas vinculi conjugalis, explicant de matrimonio *conſummata*. Supponunt igitur a Jure divino fluere, quod dirimatur matrimonium ratum & non conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem. Joannes vero XXII. in Extrav. *Antiquæ*, De voto, ait: *Votum ſolemnizatum per ſacri ſuſceptionem Ordinis non eſſe ſufficiens ad diſſolvendum matrimonium antea contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec jure divino, nec per ſacros Canones reperiamus ſtatutum*: additque, *niſi aliquam de Religionibus approbatis, quarum Profeſſio ad caſtitatis cuſtodiam, & abdicationem temporalium, & ſui Superioris obedientiam ſuos profeſſos adſtringat, ipſum canonice contigerit ingredi, & ejus regulam expreſſe, vel tacite profiteri*. In quo Joannis XXII. teſtimonio iſtud obſerva, inquit Tournelius, jure divino non diſſolvi per Ordines ſacros matrimonium; ergo cum ſubdit idem Summus Pontifex, illud diſſolvi per Religionis Profeſſionem, intelligit haud dubie Jure divino, & ſacris canonibus in illo fundatis diſſolvi tale conjugium. Et hinc ex hoc ſolo fundamento ſolvit tum authoritates ſcripturæ, tum Rationes ab Heterodoxis opponi ſolitas, conſtanter cum Tertulliano *traditionem* de hujus caſus exceptione iiſdem regerens; quam œconomiam & ego in hac intricata quæſtione præ cæteris omnibus approbo. Nihilominus in hoc me hærere ingenue profiteor: quomodo nimirum ſola Profeſſio Religioſa in aliqua de Religionibus approbatis, jure divino poſitivo per traditionem, quam ex Decretis ſummorum Pontificum, atque exemplis potiſſimum ſanctorum accepimus, nobis manifeſtato, matrimonium ratum diſſolvat, & non potius ipſa tria vota a quocunque ubicunque emiſſa. Ratio, quæ me hæſitare facit, eſt: quia ſtante hac hypotheſi Chriſtus videtur hoc privilegium potius ipſis tribus votis, quibus homo conſilia ejus Evangelica non ſemel inculcata amplectitur, mundo moritur, atque ad ducendam vitam prorſus cœleſtem adjuvatur, annexuiſſe, quam eorum *Solemnitati*, ſeu Profeſſioni Religioſæ in *Ordine approbato;* imo hoc certum eſt, tum quia approbatio Ordinum a ſede Apoſtolica non eſt coæva Monaſtico inſtituto, ſed ſæculo XII. poſterior, ut lib. 3. oſtendimus; tum quia alias ſuſceptio ſacri Ordinis dirimeret matrimonium ratum. Et irrefragabiliter videtur confirmari ab antiquorum ſanctorum exemplis N. præcedenti adductis, quorum nullus emiſerit tria vota ſolemnia in aliqua Religione approbata, cum hæc ſolemnitas nondum fuerit introducta; imo veriſimile ſit S. Theclam præter votum caſtitatis, alia duo non emiſiſſe, nec Macarium ſolitarium, alioſque ſui ſimiles obedientiam Cœnobiarchæ ſpopondiſſe. Patet enim ſanctos illos, cum communi fidelium ſenſu, perſuaſos fuiſſe, ex Evangelica doctrina, & Apoſtolica traditione licere uxores deſponſatas ante concubitum deſerere, & Chriſtum in caſtitate, & rerum temporalium abdicatione ſequi, quin caſtitas, & paupertas voveatur, aut his votis tertium votum obedientiæ in aliqua communitate adjungatur. Hancque perſuaſionem eos habuiſſe præter Oralem Traditionem ex ipſo Evangelio, ubi non uno in loco præmium promittitur iis, qui omnia hujus mundi, etiam uxores amore Chriſti reliquerint; nihilominus una perſuaſos fuiſſe, id tantum licere ante conſummationem matrimonii, cum nullus legatur poſt conſummatum matrimonium ab invita uxore receſſiſſe, & traditio Apoſtolica fuerit, matrimonii conſummati vinculum ex nulla dabili cauſa, atque a nulla humana poteſtate poſſe diſſolvi, ut ex antea dictis in aprico eſt; contrariumque ſentientes diſſolutionem non admiſerint, niſi adulterio, aut alia gravi cauſa ex *parte uxoris* data exiſtente. Patet præterea, & quidem ex mox dictis conſequitur, ſanctos illos cum fidelibus omnibus communiter perſuaſos fuiſſe, hanc licentiam dimittendi uxorem ante concubitum ipſa inſcia, ac ſæpe invita, ſibi competere potius jure divino, ad ſe continua traditione derivato, quam Eccleſiaſtico; quia alias unam vel alteram de tam gravi objecto diſpoſitionem in aliquo primorum vel mediorum ſæculorum Concilio invenire deberemus, (non enim eſt credibile Patres vigilantiſſimos hanc rem determinaturus non fuiſſe, ſi ejus diſpoſitionem ſibi commiſſam credidiſſent) quod tamen factum non eſt, ſed ſanctorum facta a Patribus abſolute laudata, quæ ſancti illi nunquam commiſiſſent, nec Patres laudaſſent, niſi perſuaſi fuiſſent, ex Chriſti diſpoſitione fidem conjugalem conſorti datam, nec copula carnali firmatam, in tantum ſolum valere, ſi nimirum conſilia ejus, cœleſtemque inde pendentem vitam amplecti non maluerint. Ex quibus equidem iterum conſequitur ſententiam illam, quæ hanc diſſolutionem refundit in ſolum jus poſitivum divinum, magnopere probabiliorem eſſe illis, quæ illam refundunt vel in ſolum jus Eccleſiaſticum, ut faciunt pleriſque recentiores, vel in naturale, ut vult S. Bonaventura, Paludanus cum aliis; interea tamen certum videtur Chriſtum non ſolum Profeſſioni Religioſæ ſolemni hanc vim tribuiſſe, ſed etiam votis ſimplicibus, aut caſtitati, & rerum fluxarum contemptus ſeriæ & conſtanti electioni, id enim manifeſtum videtur ex exemplis rationibuſque de facto adductis. Et ſi huic opinioni opponatur authoritas Joannis XXII. ſuperius allata, vel Canon 6. Concilii Tridentini Seſſ. 24. de Mat. conditus; reſpondeo neque Joannem XXII. neque Concilium Tridentinum definire, quod *Sola* ſolemnis Profeſſio Religioſa dirimat matrimonium ratum, ſed ſolemnem Profeſſionem Religioſam id præſtare, ſolum declaravit S. Synodus; ſicut nec, quo jure id dirimat, decidit, ſed id diſputationi Theologorum reliquit; quemadmodum ergo ipſi libere ſentiunt circa poſterius punctum, ita & nobis eadem facultas ineſt circa prius. Et ſi contendant ſenſum ſaltem Romanorum Pontificum, aut etiam ipſius Eccleſiæ poſt introductionem votorum ſolemnium fuiſſe ac eſſe, ut ſola illa dirimant matrimonium ratum, id quod elucere videtur in votis ſimplicibus Societatis Jeſu, quæ ex communi ſententia illud non dirimunt; reſpondemus quod ſicut Romani Pontifices ex plenitudine poteſtatis a Chriſto acceptæ juxta illos poſſunt diſpenſare in matrimonio rato ob graves cauſas, ut mox videbimus, cum de fide ſit non tantum matrimonium conſummatum, ſed etiam ratum *de ſe* a Chriſto eſſe declaratum indiſſolubile, & fere certum, ipſum Chriſtum caſum tantum infidelitatis ſupra deſcriptum in matrimonio conſummato, & profeſſionem Religioſam, vel vitam ei ſymbolam in matrimonio rato excepiſſe; ita majori jure dicere poſſum, eandem Chriſti diſpenſationem quantum ad matrimonium a Romanis Pontificibus ex eadem plenitudine poteſtatis, ad Eccleſiæ majus bonum, ad ſolam profeſſionem ſolem-

lemnem in Religione approbata reſtrictam fuiſſe, quemadmodum licentiam ejuſdem Salvatoris erigendi cœtum Monaſticum, atque in eo Conſilia Evangelica profitendi, ob hominum tum ſuperſtitionem, tum malitiam ſuæ approbationi reſervarunt, id quod olim non erat in uſu, ut lib. 3. vidimus. Aut etiam facultatem communicandi ſub utraque ſpecie a Chriſto fidelium arbitrio relictam, ad neceſſitatem communicandi ſub ſola ſpecie panis apud laicos reduxit ex graviſſimis motivis alias adferendis. Et hoc vel maxime, quod hac œconomia Heterodoxi argumento traditionis in hac ſpinoſa quæſtione efficaciter omnino premantur, cum per eam id demonſtretur, quod Canon Tridentinus, quem vellicant, definit, nimirum profeſſionem Religioſam ſolemnem dirimere matrimonium ratum eſſe *de fide*, præſcindendo *quo jure?* & *an tantum*. Quæ duo poſteriora ſi aggrediantur hæretici, alium jaciunt lapidem a nobis ad ſalvandi Concilii definitionem non removendum. Et hinc

35. An Summus Pontifex poſſit diſpenſare a vinculo matrimonii rati, quæſtio eſt ſcholaſtica, a Theologis, Canoniſtiſque in utramque partem agitata.

Affirmativam tenet Sanchez lib. 2. diſp. 14. Qui & probabile judicat valere diſpenſationem Summi Pontificis in matrimonio rato, etiam abſque juſta cauſa conceſſam. Negat nihilominus eundem Pontificem decreto aliquo ſolemni ſtatuere poſſe, ut matrimonium ratum per ſubſequens copula conſummatum dirimatur. Oppoſitum docet Baſilius Pontius lib. 9. c. 3. ubi duo docet: Primum, quantum ad praxim attinet, ſecuram eſſe opinionem, quæ affirmat S. Pontificem poſſe diſpenſare in Matrimonio rato non conſummato, quia de facto ſæpius diſpenſarunt, neque ab Eccleſia damnata hactenus fuit hæc opinio. Secundum, ſpeculative loquendo, non poſſe S. Pontificem in eo Matrimonio diſpenſare, unde conſequens eſt Pontium in ea mente fuiſſe, SS. Pontifices, qui de facto diſpenſarunt, exceſſiſſe limites legitimæ ſuæ poteſtatis. Ejus ſententiæ ſubſcribit Tournelius hic cum aliis, qui videri poſſunt; nobis enim non vacat inhærere quæſtionibus ſcholaſticis.

36. Probabilior igitur apud Catholicos ſententia eſt, excepta profeſſione Religionis, nullam dari cauſam, ex qua ſolvi poſſit matrimonium etiam ſolum ratum, *quoad vinculum;* hinc omnia divortia, jure Eccleſiaſtico permiſſa, ſunt ſolum *quoad torum*.

Propoſitio ex dictis in aprico eſt, atque voluntati Chriſti conformis, qui Matthæi 19. manifeſte videtur matrimonia ad primævam ſui inſtitutionem, ſeu omnimodam indiſſolubilitatem reduxiſſe, dum ait: *Olim non erat ſic*. Item *Deum ob duritiam cordis Judæorum iiſdem libellum repudii indulſiſſe*. Denique, ut *homo non ſeparet, quod Deus conjunxit*. Adulterium tamen a Chriſto ſpecifice expreſſum hanc præ aliis divortii cauſis prærogativam habet, ut etiam emendatum a toro nocentem excludat innocentis, niſi is ſponte illum recipere velit, adeoque de ſe ſit perpetuum; reliqua vero ſolum temporaria, ad quorum ablationem etiam divortium abſolute loquendo ceſſat. Hæc divortia a toro & cohabitatione ſi ſecundum jus canonicum conſiderentur, Fleiſcherus lib. cit. c. 10. traducit tanquam chimærica, & cum natura matrimonii pugnantia; *Quia*, inquit, *ita divulſi & conjuges manent, & tamen ſimul non cohabitant. Pro fine habent procreationem Prolium, & copulam conjugalem evitant; præſertim in eo caſu, quo divortium in perpetuum faciunt*. Temporaria vero divortia ad emendationem conſortis, vel præcavenda infortunia in conjugiis admitti poſſe etiam apud Proteſtantes cenſet. Sed erronea Fleiſcheri opinio ex dictis hactenus abunde rejecta manet; iis ſiquidem probatum eſt, matrimonium Chriſtianorum conſummatum non niſi morte alterius Conjugis diſſolvi poſſe, ut aperte docet Apoſtolus 1. ad Corinth. v. 7. Accedit, quod nec carnalis copula, neque cohabitatio faciat conjugium, ut falſe cum aliis perſuaſum habet Fleiſcherus: ſed neque conſenſus *explicitus* in copulam conjugalem, juſque *actuale* in illam ſunt de ſubſtantia matrimonii, ſive illud ſpectetur ut eſt officium naturæ, ſive ut eſt Sacramentum; ſed illa videtur reponenda in illo *nexu*, ſeu *vinculo perpetuo*, quod ex conſenſu interno, & pactione externa inter virum & mulierem reſultat. Hæc enim videtur eſſe mens Catechiſmi Concilii Tridentini p. 2. *de Sacram. matrimonii* N. 5. ubi ſic loquitur: *Quamvis hæc omnia in perfecto matrimonio inſint, conſenſus videlicet interior, pactio externa verbis expreſſa, obligatio, & vinculum, quod ex ea pactione efficitur, & conjugum copulatio, qua matrimonium conſummatur, nihil horum tamen matrimonii vim, & rationem proprie habet, niſi* obligatio illa & nexus, *qui conjunctionis* vocabulo ſignificatus eſt. Hanc ideam habent Doctores Catholici de *eſſentia ipſa* matrimonii, unde conſenſum in hunc indiſſolubilem nexum ajunt ſolum eſſe *cauſam effectricem* illius, non ipſam eſſentiam; mutuam corporum traditionem, vel obligationem mutuam ad reddendum debitum, vel jus mutuum ad *uſum* corporum, dicunt eſſe quid *conſequens* ipſum matrimonium formaliter jam conſtitutum per illum nexum & obligationem per mutuum conſenſum matrimonialem cauſatam, qui nexus formaliter includit conſenſum in carnalem copulam ſolum *implicite*, explicite vero ac eſſentialiter ſolam poteſtatem aut dominium ex parte conjugum in alterius corpus importat. Jam vero neque Fleiſcherus, nec alii Domini Proteſtantes negare poſſunt, Dominium *directum* ab *utili* poſſe ſeparari; hoc enim natura feudorum & Emphyteuſium clamat; & hinc concedant, neceſſe eſt, in matrimonio quoque poſſe mutuo conſenſu jus ad *uſum* corporum media copula carnali tolli per votum e. g. Continentiæ perpetuæ, manente jure directo, ſeu Dominio directo in ipſa corpora, & conſequenter matrimonii ſubſtantia ſalva tecta perſeverante. Hancque naturam matrimonii Doctores Scholaſtici non in aliqua ſubtiliori cellula cerebrina, ſed in ipſa Evangelii œconomia, atque authoritatibus Patrum, Sanctorumque exemplis invenerunt; certe enim cum Angelus ad Joſeph dixit, *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam*, cum idem Joſeph dicitur conceſſiſſe Bethlehem *cum Maria uxore ſua prægnante*, cum idem a Judæis & a B. ipſa Virgine vocetur *Pater Chriſti*, cum ipſe Evangeliſta Genealogiam Chriſti ab Abraham ad Joſeph deducat, hæc omnia monſtrant Joſephum cum Maria verum contraxiſſe matrimonium, & quidem publice Ritibus matrimonialibus apud Judæos conſuetis; ſi enim nudam habuiſſent matrimonii *de futuro* promiſſionem, B. Virgo nec fornicationis præviæ ſuſpicionem, nec Chriſtus illegitimitatis notam evaſiſſet, quæ tamen a Judæis nunquam objecta ſunt. Et ideo huic ſententiæ Patres ſubſcribunt, fundaturque in communi ac perpetuo ſenſu fidelium. Cum vero ab Eccleſia conſtanter creditum fuerit, B. Virginem ante-in-& poſt partum intemeratam Virginem permanſiſſe; quin ex ejus admiratione ad ſalutationem Angelicam, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* in aprico ſit, eam voto hanc ſuam Virginitatem Deo abſtrinxiſſe (quam enim aliam cauſam admirandi habuiſſet virguncula florens, & viro deſponſata, ad Nuntium

ſuorum ſæculorum, & quidem canon tertius Synodi Neo-cæſarienſis, *De bis*, inquit, *qui ſæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ, quod bis conſtitutum eſt, obſervabunt: ſed converſatio & fides eorum tempus abbreviabit*. Et canon 7. *Presbyterum*, inquit, *convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe non debere, maxime cum præcipiatur, ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere. Quis ergo erit Presbyter, qui propter convivium illis conſentiat nuptiis*. Ancyranus item 19. *Quicunque*, inquit, *virginitatem profitentes, profeſſionem ſuam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant*. Hoc eſt, iiſdem ſubjaceant pœnis, quibus bigami. Denique Laodicænus 1. *De bis*, ait, *qui ſecundum Eccleſiaſticam Regulam libere ac legitime ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut parvo tempore tranſacto, vacent orationibus & jejuniis; quibus etiam juxta indulgentiam communionem reddi decrevimus*. Hæc vero tria Concilia ante finem ſæculi IV. fuere celebrata. Pœnitentiæ vero tempus in iis non determinatum poſtea determinavit S. Baſilius, aut potius Eccleſia Græca, cujus diſciplinam expreſſit S. ille Doctor in ſua canonica ad Amphilochium ep. can. 4. ubi ſic loquitur: *Trigamorum & Polygamorum eundem canonem definimus, quem in digamis pro proportione. Annum enim in digamis, alii vero duos annos. Trigamos autem ſæpe tribus, & quatuor annis ſegregant. --- Conſuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii ſegregationem, non a canone, ſed ab eorum, qui præoccuparunt, conſequentia. Oportet autem non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus vel tribus annis; & poſtea permittit quidem conſiſtere, ſeu in fidelium eſſe congregatione, a boni tamen communione abſtinere; & ſic poſtquam pœnitentiæ fructum ullum oſtenderint, communionis loco reſtituere*. Severa certe diſciplina, qua bigami, trigamique in Orientali Eccleſia caſtigabantur. Sed nec mitior fuit in Occidente teſte Theodoro Cantuarienſi Archiepiſcopo in Capitulari N. 4. in Spicilegio tomo 9. Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo in excerptis ſuis can. 89. aliiſque. Et in Hiſpania ex decreto Concilii Toletani XIII. A. 683. ſecundæ nuptiæ non permittebantur Reginis Hiſpaniarum. Sic enim habet canon 5. *Nulli licebit ſuperſtitem Reginam ſibi in conjugio ducere, non ſordidis contactibus maculare. Non hoc ſecuturis Regibus licitum, non cuiquam homini licebit eſſe permiſſum. Deinde, qui ſecus fecerit, ab omni Chriſtianorum communione excluditur eodem canone*. Idem decretum A. 691. confirmavit Concilium Cæſar-Auguſtanum III. can. 5. atque ut faciliori negotio ad praxim reduceretur, ſtatuit, ut deinceps relicta Principis ſuperiorem ſententiam illibato animo pudice ſervans, ſtatim acceſſito ab hoc ſæculo Principe, veſtem ſæcularem deponat, & alacri curioſitate Religionis habitum aſſumat. *Confeſtim*, inquiunt Patres, *in cœnobio Virginum mancipandam eſſe cenſemus*. Dura profecto diſciplina, quæ temporum lapſu non ita religioſe fuit obſervata, quin in Eccleſia Occidentali prorſus evanuit, remanente pro bigamis ſola irregularitate, & denegatione benedictionis Sacerdotalis, dum ſecundæ nuptiæ ineuntur.

40. Pœnæ, quibus bigami, & a proportione trigami &c. juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam, in Oriente præſertim obtinentem, plectebantur, erant eorum ad brevius, longiuſque tempus ſeparatio quoad torum & cohabitationem, atque in ordine pœnitentium redactio, ubi jejuniis & orationibus vacare debebant. Præterea Bigami irregulares habebantur ad ſacros Ordines, privabanturque benedictione ſacerdotali, & corona, quin & eleemoſynis Eccleſiæ.

Prima pars conſtat ex epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium N. præcedenti relata. Nec tamen exiſtimet quiſpiam Eccleſiam veterem nuptiis ſecundis ulterioribuſve nude ac ſimpliciter ſpectatis enumeratas decreviſſe pœnitentias, hoc enim falſiſſimum eſt, cum has nunquam damnaverit, ut infra N. 41. late demonſtrabitur; ſed ſolam ita nubentium incontinentiam, intemperantiamque prudentiſſime præſumptam præ oculis habuit, ac caſtiſſimam intentionem fideles a tali incontinentia abſterrendi.

Secundam conſtanter obſervatam in Eccleſia teſtantur veteres. Tertullianus lib. 1. ad uxorem c. 7. *Quantum*, inquiens, *fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam allegi in ordinem niſi univiram non concedit*. Origenes hom. 17. in Lucam: *Nec Epiſcopus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami*. S. Hieronymus ep. 91. alias 11. ad Ageruchiam inquit, *Non ſolum enim ab officio Sacerdotii digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna Eccleſiæ: dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda conjugia devoluta eſt*. Hæc Eccleſiæ utriuſque conſtans, ac in præſentem diem perſeverans diſciplina ortum habet ex doctrina Apoſtoli 1. ad Timoth. 3. v. 2. ubi ait: *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum*, quod repetit ad Titum ſcribens cap. 1. v. 6. quam ſemper ita, ut jam dictum eſt, Catholica intellexit Eccleſia. Dicitur vero hæc irregularitas in Jure Canonico ex defectu Sacramenti, non quaſi ſecundæ nuptiæ non ſint verum Sacramentum, ſed quia non ſignificant tam perfecte unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ ſola unius cum una. Proteſtantes antiquiores locum Apoſtoli ita intellexerunt, ut Epiſcopus unam uxorem habere debeat, quemadmodum vidimus lib. 3. tit. 3. N. 28. Id quod etiam ſentire videtur Auguſtana Confeſſio, quæ Articulo 23. de Matrimonio Sacerdotum ex hoc Pauli loco probare conatur Sacerdotes, & Diaconos primo Sæculo uxoratos fuiſſe, & infra eundem textum Pauli vocat Dei Verbum & *mandatum*. Quem ſenſum a mente Apoſtoli alieniſſimum excluſimus L. cit. Recentiores vero præſertim a ſæculo famoſi Juriſconſulti, ut Eccleſiæ tum Græcæ, tum Latinæ erroris in attingendo ſenſu Apoſtoli labem nihilominus affricent, nec tamen in craſſum errorem ſuorum Prædeceſſorum, quaſi nimirum Apoſtolus L. cit. præceptum Clero dederit conjungendi ſtatum ſuum cum matrimoniali, impingant; dicunt S. Paulum L. cit. ſolum velle, ne bigamus *ſimultaneus* in Epiſcopatum aſſumatur, ſed ſi uxoratum aſſumere velit Timotheus ille, uni tantum uxori ſit copulatus, ſive deinde illa ſit prima, ſive ſecunda, ſive tertia. Et hanc mentem Pauli ex circumſtantiis temporis, quo vixit ille ac prædicavit, eruere volunt; ait enim Fleiſcherus in ſuo Jure ſæpe cit. c. 8. §. 25. ea tempeſtate non ſolum apud Judæos, verum etiam apud Gentiles Polygamiam ſimultaneam in uſu fuiſſe; quia vero facile contingere potuit, ſimiles Polygamos ad Eccleſiam accedere, hinc Paulus voluit, ut Epiſcopus unam ſolum uxorem haberet, atque hoc in paſſu aliis bono exemplo præiret; rationem vero, quare hoc Paulus voluerit, addit Fleiſcherus; quia multo melius, atque ad pacificam & conſolatoriam vitam conducibilius eſt, habere unam uxorem, quam plures. Qua ex ratione aliqui exiſtimant, Sacerdoti Magno apud Hebræos Polygamiam ſimultaneam interdictam fuiſſe, pergit idem, citatque Seldenum *de uxore Hebraica*, & Hildebrandum *de Nupt. vet. Chriſt.* Sed quam falſa nihilominus ſit hæc Recentiorum Proteſtantium opinio, quam vera e contra utriuſque Eccleſiæ o-

pri-

primis ſæculis ad noſtra uſque tempora ſota ſententia, Paulum nimirum L. cit. expreſſe præcipere ne aſſumatur in Epiſcopum niſi ille, qui vel *unam* tantum habuerit uxorem, aut *unam* eamque *primam ac Virginem* acceptam uxorem habeat, patet primo, ex ipſo Apoſtolo; hic enim cit. ep. ad Timotheum c. 5. v. 9. Viduam ad ſacrum miniſterium eligi vult non minus 60. annorum, quæ fuerit *unius viri uxor*, qui textus ut in ſententia Fleiſcheri cum priori cohæreat, inſerri oportet, quod tempore Pauli non ſolum Polygamia, ſeu uxorum pluralitas, verum etiam Polyandria, ſeu pluralitas virorum, & quidem non tantum apud cultas per leges Romanas Gentes, quales fuerunt Græci, ſed apud ipſos quoque Judæos in uſu, & quidem notorio fuerit, per viduas uniſviras, ſicut polygamia per Epiſcopos monogynos corrigenda; quod abſurdiſſimum eſt, ac uſque ad iſta ingenioſiorum hominum tempora in Eccleſia inauditum. Videantur dicta hoc lib. N. 2. & ſeq. Secundo, quia Apoſtolus ibi deſcribit Epiſcopum, qualis debeat eſſe non tantum pro cunabulis Eccleſiæ, in quibus Polygami actuales tam ex Judæis, quam ex Gentilibus ad Eccleſiam fortaſſe convertebantur, ſed pro perpetuis temporibus, ut maniſeſte patet aſpicienti loca Apoſtoli tum ad Timotheum, tum ad Titum; non igitur tantum excluſit ab Epiſcopatu illos, qui ante baptiſma plures tum habebant actu uxores, ſed etiam Polygamos ſucceſſivos, cum Polygamia actualis ſublata ſit per Chriſtum pro ſua tota Eccleſia, ut ſupra N. 16. vidimus, non vero ſucceſſiva. Tertio, quia Origenes, & Tertullianus, aliique Patres communiter textum Apoſtoli explicant de bigamia ſucceſſiva. Tertullianus quidem lib. 1. ad uxorem cap. 7. *Quantum*, inquit, *fidei detrahant, quantum obſtrepant ſanctitati Nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ, & Præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam allegi in ordinem, niſi univiram, non concedit*. Origenes item Hom. 17. in Lucam, *Nec Epiſcopus*, inquit, *nec Presbyter, nec Diaconus, nec vidua poſſunt eſſe digami*. S. denique Hieronymus ep. ad Ageruchiam 91. alias 11. *Non ſolum enim*, inquit, *ab officio Sacerdotii Digamus excluditur, ſed & ab eleemoſyna Eccleſiæ; dum indigna putatur ſtipe, quæ ad ſecunda conjugia devoluta eſt*. Jam quæro ex Fleiſchero, quis ſenſum Apoſtolici textus melius attigerit, ipſene tum aliis collegis ſuis noviſſimorum temporum hominibus, an primi & ſecundi æræ Chriſtianæ ſæculi Patres, ac Eccleſia ipſa, de cujus diſciplina Tertullianus ſæculi III. initio teſtatur? certe apparet licentioſorum horum hominum ſcripta, prima fronte ſpecioſa, contradictionibus atque abſurdis multis eſſe referta, ſi penitius inſpiciantur; id quod in præſenti iterum elucet. Si enim Paulus L. cit. illum ſolum vult fieri Epiſcopum, qui non habuerit, vel habeat duas ſimul uxores; ergo etiam intelligendus venit, quod non velit eligi Viduam vel Diaconiſſam, quæ ſimul habuit duos viros: quæ autem fœmina præſertim apud Judæos tempore Pauli unquam ſimultanee duobus viris copulata exſtitit? Et ſi ſecundo Paulus vult Epiſcopum eſſe monogynum, ut aliis exemplo præluceat; ergo in primitiva Eccleſia dabantur Chriſtiani, qui poſt Baptiſmum ab Apoſtolis, vel Apoſtolicis Viris permittebantur plures uxores retinere, ab Epiſcopis exemplari monogynia ad frugem revocandi, quod impium eſt ſentire, cum Chriſtus lege Evangelica Polygamiam poſitiva lege ſuſtulerit, nec contrarii moris ullum prorſus exſtet veſtigium, nec niſi blaſpheme aſſeri poſſit, Apoſtolus attentatum contra expreſſam legem Evangelicam permiſiſſe ac diſſimulaſſe.

Quantum ad tertiam partem ſciendum eſt, vetuſtiſſimum morem in Eccleſia Latina eſſe primo nubentibus a Sacerdote impendi benedictionem, apud Græcos vero coronam. Secundo igitur nubentes hac benedictione apud Latinos privatos fuiſſe, ſæculo V. teſtatur S. Cæſarius Arelatenſis ſerm. 289. in appendice novæ edit. operum S. Auguſtini, inquiens, *Qui uxorem accipere optat, ſicut illam virginem invenire deſiderat, ita ipſe uſque ad nuptias virgo ſit; quia ſi non fuerit, benedictionem accipere cum ſponſa non merebitur*. Item Ambroſiaſter ad caput 7. prioris ad Corinth. *Primæ nuptiæ*, inquit, *ſub benedictione Dei celebrantur ſolemniter, ſecundæ autem & in præſenti carent gloria, id eſt benedictione*. Idem quoque teſtatur Synodus Lateranenſis ſub Alexandro III. tit. *de ſecundis Nuptiis* c. 1. Apud Græcos vero corona non fuiſſe donatos bigamos conſtat ex Ep. Theodori Studitæ ad Naucratium, apud Allatium L. 3. *de perpet. Conſ. Eccl. Occid. & Orient.* c. 13. Ibi oſtendit coronam conjugibus imponi in ſignum victoriæ, quam ex voluptate & intemperantia reportarunt. *At ſecundæ Nuptiæ*, inquit, *tametſi permittuntur, pœna caſtigantur; quomodo enim coronatione dignæ ſunt, quæ non vincunt, ſed vincuntur*. Contrariam nihilominus praxim aliquando obtinuiſſe teſtatur Nicetas Metropolita Heracleenſis in reſponſis ad interrogata Conſtantini Epiſcopi apud Goarium pag. 401. adverſus quam corruptelam & abuſum ſummo zelo inſurrexit mox citatus Theodorus Studita. Deinde bigamos etiam eleemoſynis Eccleſiæ privatos fuiſſe teſtatur paulo ante citatus S. Hieronymus ep. *ad Ageruchiam*. Hanc utriuſque Eccleſiæ œconomiam cenſurat Fleiſcherus L. cit. §. 27. his formalibus: Hinc nullatenus comprobandum, dum in Romana Eccleſia illis, qui poſt ſitum conſortis ſecundo, aut tertio nubunt, Benedictio & *Matrimonium* interdicitur, *Die Benediction und Ehe verſaget wird. c. 3. de ſecundis nupt.* Parochuſque, qui hoc attentat, ab officio ſuſpenditur c. 1. eod. quoniam tota hujus œconomiæ ratio falſo principio innititur, matrimonium eſſe Sacramentum, hoc vero iterari non poſſe, *Dieſes* (Sacrament) *aber konne nicht wiederholet werden*: ſed quod benedictio, quam conſors in primo connubio ſortitus eſt, etiam in ſecundo vigorem ſuum retineat, & præterea figura Sacramenti non ſit adæquata, quia Chriſtus unicam ſponſam habuit, id quod repræſentat conjugium. Duæ propoſitiones Fleiſcheri in hac cenſura notandæ veniunt. Prima eſt, quod Romana Eccleſia ſecundo nubentibus non tantum benedictionem, verum etiam *matrimonium* interdicat. Secunda quod eadem Eccleſia judicet Sacramentum matrimonii iterari non poſſe, ſic enim ſonant ejus formalia Germanico charactere, quo ſuas inſtitutiones conſcripſit, a me expreſſa. In his ſiquidem, præterquam quod contradictoria aperte ſcribat, dum ſubdit; Eccleſiam ideo non dare benedictionem in ſecundo connubio, quod in primo accepta vigorem ſuum retineat; & conſequenter dicit Eccleſiam Romanam ſecunda connubia admittere, ſed abſque benedictione; averſum erga illam animum aperte prodit. Si enim circa primam propoſitionem non laboravit craſſa ignorantia, quod Eccleſia Romana damnantes ſecundas nuptias non ſemel anathematizaverit, ut jam monſtravimus, fraudulenter certe proceſſit; dum id, quod obſcurius de hac re expreſſerunt aliqui Patres, quos infra referemus, pro ſententia Romanæ Eccleſiæ, ſuis auditoribus, orbique literato obtrudere auſus eſt, quotidiana Eccleſiæ praxi contraria confuſus. Nec aliter videtur affectus fuiſſe ſcribendo ſecundam propoſitionem; videtur enim legiſſe gloſſam in cap. 3. *de ſec. Nupt.* a ſe citatum, quæ ad illa verba capituli, *eorum benedictio iterari non debet*,

ita habet: *Sacramenta enim iterari non debent.* Ex quo concluſit Eccleſiam Romanam docere *Matrimonium* iterari non poſſe. Quaſi vero gloſſæ ſententia ſint ipſi ſenſus Eccleſiæ, quamvis verba gloſſæ recte in margine explicentur vera eſſe de Sacramentis *imprimentibus characterem*: atque ad cap. 1. in eodem margine notetur, *Neque benedictio illa eſt Sacramentum, aut pars ſacramenti*; quod & teneot ii, qui Sacerdotem volunt eſſe Miniſtrum hujus ſacramenti, ac verba copulativa ſponſorum ab ipſo prolata ejuſdem formam; nam benedictio iſta, de qua agimus, eſt diſtincta ab illa prolatione formæ, *Ego vos conjungo* &c. quamvis cum Petro de Marca exiſtiment apud veterem Eccleſiam, in qua talibus nuptiis Sacerdos adeſſe prohibebatur, illas quidem fuiſſe ratas ac legitimas in ratione contractus, ſed veri ſacramenti rationem non induiſſe, cum privarentur præſentia Sacerdotis, tanquam hujus Sacramenti Miniſtri. Cæterum utraque Eccleſia hac œconomia utitur, ut oſtendat ſecundas nuptias ſibi non æque probati ac primas; alias congruentias hic adducere non eſt neceſſe.

41. Patres ſecundo, & præſertim pluries nubentibus non tantum pœnitentias injunxerunt, verum etiam acerrimo ac vehementiſſimo ſtylo eos inſectati ſunt. Eorum tamen mens, ſi penitius inſpiciatur, ac debita cum reverentia interpretetur, longe abeſt a Montaniſtis, aliiſque hæreticis ſecundas nuptias damnantibus.

Prima pars, quæ totidem quaſi objectiones Proteſtantium continet, probatur proferendo teſtimonia Patrum. Et 1. quidem Athenagoras legatione pro Chriſtianis ante finem ait: *Ut natus eſt unuſquiſque noſtrum, manet, vel unicis copulatus nuptiis; ſecundæ quippe decorum ſunt adulterium.* Et paulo poſt: *Qui ſeipſum priori uxore privat, licet mortua, adulter eſt, quamquam diſſimulanter transgrediens quidem manum ac opus Dei, quoniam a principio Deus virum unum & mulierem unam formavit.* 2. S. Irenæus lib. 3. adv. Hæreſes c. 17. alias 19. *Samaritanæ illi*, inquit, *prævaricatrici, quæ in uno Viro non manſit, ſed fornicata eſt in multis Nuptiis.* 3. S. Clemens Alex. Lib. 3. Stromat. *Si quis*, ait, *Matrimonium audet dicere fornicationem, rurſus legem & Dominum inſectans, maledictis impetit. Quemadmodum enim Avaritia, & plura habendi cupiditas dicitur fornicatio, ut quæ adverſatur ſufficientiæ, & ut Idololatria eſt ex uno in multos Dei attributio, ita fornicatio eſt ab uno matrimonio ad plura prolapſio.* 4. Origenes Hom. 17. in Lucam: *Nunc vero ſecundæ, & tertiæ, & quartæ nuptiæ, ne de pluribus taceam, reperiuntur, & non ignoramus, quod tale conjugium ejicit nos de regno Dei.* 5. S. Gregorius Naz. orat. 31. expendens illa verba Apoſtoli ad Eph. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia*, ſic ait: *Quod ſi ſecundam prohibeat* (uxorem Apoſtolus), *de tertia quid dicendum eſt? primum lex eſt, ſecundum venia & indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem hunc numerum excedit, porcinus plane eſt, utpote ne multa quidem vitii exempla habens.* 6. S. Baſilius Ep. canonica ad Amphil. Can. 4. *Id autem* (trigamorum conjugium), inquit, *non amplius conjugium, ſed polygamiam appellant* (majores noſtri) *vel potius caſtigatam fornicationem.* Confirmatque ſuam ſententiam, ſicut S. Irenæus, exemplo Samaritanæ, inquiens: *Et ideo Dominus Samaritanæ, quæ quinque maritos jam habuerat; Quem nunc*, inquit, *habes, non eſt maritus; nempe quod digni non ſint, qui a digamiæ menſura exciderunt, ut vel mariti, vel uxoris nomine appellentur.* Ubi notandum S. Patrem hoc loco non ſuam, ſed majorum ſuorum, ſeu Eccleſiæ Græcæ ſententiam promere. Idem S. Pater can. 50. tertias nuptias, lege Porphyrogenetæ & Conſtantini M. permiſſas, ait lege Eccleſiaſtica *non approbari, ſed ſoluta ac profuſa fornicatione* expeti. 7. Chryſoſtomus Hom. 32. operis imperfecti in Matth. *Apoſtoli*, inquit, *præceperunt quidem ſecundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. nam ſecundam quidem accipere ſecundum præceptum Apoſtoli eſt: ſecundum veritatis autem rationem vere fornicatio eſt: ſed dum permittente Deo publice & licenter committitur, fit honeſta fornicatio.* 8. Inter Latinos Patres S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum ſic loquitur: *Tolerabilius eſt* (fœminam per alterum, & tertium matrimonium) *uni homini proſtitutam eſſe, quam multis* (per ſcortationem vagam), *ſiquidem & illa in Evangelio Samaritana ſextum ſe maritum habere dicens arguitur a Domino, quod non ſit vir ejus, ubi enim numerus maritorum eſt, ibi vir, qui proprie unus eſt, eſſe deſiit.* Et in Ep. ad Ageruchiam narrata hiſtoria mulieris Romanæ, quæ vigeſimum ſecundum duxerat maritum, ei adaptat, quod Chriſtus Samaritanæ dixit: *Iſte non eſt tuus.* Pergitque ibidem: *Digama in quo erit numero? imo extra numerum. Certe in bona terra non oritur, ſed in vepribus, —— ut in ea ſe putet eſſe laudabilem, ſi ſcortis melior ſit, ſi publicarum libidinum victimas ſuperet, ſi uni ſit proſtituta, non pluribus.* 9. Denique eadem fuit Doctrina Herardi Archiepiſcopi Turonenſis, qui A. 858. inter capitula ex antiquis canonibus collecta iſtud inſeruit N. 115. *Nullus Laicorum plus quam duas uxores habeat; quod vero extra eſt, ad adulterium pertinet.* Hæc ſunt, quæ durius equidem veteres de ſecundis & tertiis nuptiis dixere, ſed emollienda & benigne exponenda, quod præſtabimus in probatione ſecundæ partis allatæ propoſitionis. Ad dicendis vero ibidem robur requiſitum conciliandum, generalia hic præmittemus ex Tournelio, quæ Sanctiſſimorum ac Doctiſſimorum horum Patrum expoſitioni favent; & ſumuntur 1. ex aliis eorundem Scriptorum verbis a nobis N. 37. relatis, quibus aperte favent dogmati Catholico, niſi velimus eos ſibi manifeſte contrarios fuiſſe, quod de tantis ſuſpicari nefas. 2. Ex publica & ab omnibus Orthodoxis recepta profeſſione Eccleſiæ, quæ ad ſecundas & ulteriores Nuptias ſuos admittebat, ut ſupra pariter vidimus, quos certe non admiſiſſet, ſi illas velut noxias & per ſe malas habuiſſet: at veriſimile non videtur, tot eximios Doctores in rebus Religionis tam verſatos aut ignoraſſe, aut impugnare voluiſſe publicam Eccleſiæ circa ſecundas & ulteriores Nuptias fidem ac Doctrinam. 3. Ex conſilio, ſeu ſcopo illorum, toti ſcilicet in eo ſunt, ut damnent incontinentiam & intemperantiam, ex qua ducuntur multi, ut ad ſecundas & ulteriores Nuptias convolent, in qua redarguenda tanto ardoris impetu abrepti ſunt aliquando, ut ipſaſmet in ſe ipſis Nuptias culpaſſe viſi ſint. *Vehemens quippe cum adverſariis contentio*, ait Theodoretus Dial. 3. qui inſcribitur impatibilis, *facit, ut modum excedant*; quod familiari ibidem comparatione illuſtrat loquens: *Hoc & evenire ſolet iis, qui arbores colunt. Cum enim incurvam plantam viderint, non ſolum ad rectam normam erigunt, ſed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum ſtatum perducatur. Ita evenit aliquando, ut dum Eccleſiaſtici Scriptores toti occupantur in aliquo errore refellendo, æſtu diſputationis longius abrepti, nonnihil proferant, quod in errorem oppoſitum duci videtur.* Sic dum S. Auguſtinus liberum Arbitrium defendit contra Manichæos, viſus eſt aliquando vim & efficaciam gratiæ elevaſſe cum Pelagianis; quamquam certiſſimum ſit, eum ab utroque extremo, & vitioſo errore fuiſſe alienum. Sicut igitur æquitas poſtulat, ut ea, ſi quæ

ipſi

Digitized by Google

ipſi exciderint paulo duriora verba, benignius interpretemur; itu in præſenti argumento pariter agendum, atque ad unam pluries nubentium incontinentiam, & intemperantiam referendum, quidquid veteres de ipſis nuptiis pluries repetitis durius dixiſſe viſi ſunt, quas & adulteria, & fornicationes, & ſordes appellant, non quidem propter ſe ipſas nude ac ſimpliciter ſpectatas, ſed propter effuſum nubentium incontinentiam, quæ in nuptiis toties repetitis ſeipſam prodit & manifeſtat. Patebit id maxime eu euplicatione allatorum teſtimoniorum. Quare

1. Ad authoritatem Athenagoræ dico, illum Apologiam pro Chriſtiunis apud Imperatorem diXiſſe, ut dilueret falſam illam Gentilium accuſationem, Chriſtianos ſcilicet in ſuis Synauibus nefandis voluptatibus operam dare, & conſequenter ſolum oſtendere voluiſſe, Chriſtianam inſtitutionem tam alienam eſſe ab omni turpitudine, ac immunditia, tamque temperantiæ & continentiæ amantem, ut etiam ſecundas Nuptias diſſuadeat, velut minus perfectas, & aliquam incontinentiæ ſpeciem præleferentes: unde & eas *ſpecioſum adulterium* appellat, dura profecto, & maxime impropria loquendi ratione, at ſuo accommodatu conſilio, quæ proinde ad apicem literæ hic urgeri non debet. Aliam ſubjungit Tournelius Athenagoræ euplicationem, quæ ibi videri poteſt. 2. Ad Irenæi teſtimonium reſpondeo, illud non eſſe ad rem noſtram; mulier quippe Samaritana, juxta multorum interpretationem, veros ac legitimos non habuit Maritos, ſed adulteros, aut concubinos; merito igitur Chriſtus Joan. 4. v. 18. ipſi dicebat: *Quinque Viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus Vir*. At verus eſt Maritus, ſive ſecundus ille ſit, ſive tertius &c. qui ſervatis Eccleſiæ legibus nubie cum Vidua. 3. Ad S. Clementem dicit Tournelius, illum eo ipſo ſenſu ſecundas & ulteriores Nuptias fornicationem appellaſſe, quo & avaritiam & idololatriam, videlicet Metaphorice propter communem ita nubentium incontinentiam. 4. Origenes vero, pergit idem, Hom. 17. in *Lucam* per Regnum Dei, a quo bigamos extludit, non intelligit ſimpliciter vitam æternam, quæ poſita eſt in Viſione Dei clura, & intuitiva, ſed ſublimiorem quemdam felicitatis gradum, quo privandos fore Bigamos euiſtimat, utpote qui minus perfecti ſunt. Pergit enim ibi, *Puto digamum non eſſe de Eccleſia, & de eo numero, qui non habet rugam aut maculam; ſed eſſe de ſecundo gradu, & de his, qui invocant nomen Domini, & qui ſalvantur quidem in nomine Jeſu Chriſti, nequaquam tamen* Coronantur *ab eo*. Salvantur ergo Bigami judice Origene, ſed non coronantur, corona nimirum accidentali. 5. Ad S. Gregorium dicit idem: S. Gregorius Naz. tertius, quartas, & ulteriores Nuptias acrius reprehendit, quam ſecundas, non preciſe ratione ſui (eadem enim eſt ratio illarum omnium, ſi ad intrinſecam & ſubſtantialem nuptiarum bonitatem & honeſtatem attendatur, ut patet eu ipſo S. Gregorio ſupra N. 37. allato), ſed ratione incontinentiæ, & intemperantiæ, quæ longe major eſt, ac Porcinam indolem, ut ait Naz. referre melius videtur in tertiis, quartis, & ulterioribus Nuptiis, quam in ſecundis: unde eas *iniquitatem* appellat, non quidem in ſe, ſed in cauſa, ex qua profluunt. 6. Eodem ſenſu euponit S. Baſilium Tournelius, quamvis fateatur non deeſſe, qui malint hunc ejus lapſum fateri, quam diſtortu euplicatione mollire. Arcudius nihilominus de Matrimonio L. 7. c. 28. probat, in mente S. Baſilii ſecundas Nuptias proprie non eſſe fornicationem, alias ſic conjunctos ſeparandos eſſe cenſuiſſet, quos tamen non ſeparat. Improprie igitur eas Nuptias *Sordes* appellat, & inquinamenta, nempe propter incontinentiam eorum, qui plures Nuptias appetunt. Quæ ſententia Arcudii confirmari poteſt eu eo, quod idem S. Pater N. 37. u nobis relatus alteras Nuptias in ſe abſolute uc indefinite probet. 7. Quæ opponuntur eu Homil. 32. *Operis imperfecti*, non ſunt S. Chryſoſtomi, ſed alicujus hæretici hominis, inquit Tournelius; pergitque: Vel ipſe locus, unde petitur objectio, ſufficeret euplodendo huic ſcriptori: contendit enim ſecundum Matrimonium *in rei veritate* fornicationem eſſe, permittente tamen Domino illud eſſe licitum; quaſi fornicatio, quæ per ſe intrinſece mala eſt, poſſit unquam a Deo permitti & licita fieri. Apage ineptias illas. Alias Notas indubitatas, quæ arguunt laudatum opus ab aliquo hæretico certiſſime ſaltem interpolatum, adſert Bellarminus *de Scriptoribus Eccl.* in Chryſ. quarum una eſt, quod Homil. 4. habeatur *Spiritum S. eſſe Miniſtrum Filii*: & Homil. 48. *Homouſiani numerentur inter Hæreticos*, quamvis cæteroquin librum doctum fateatur. 8. Sed nihil clarius juſtificat Præconſideranda ad intelligentiam optimorum Patrum in fine membri primi hujus propoſitionis eu Tournelio data, quam Authoritates S. Hieronymi ab Adverſariis allatæ, cum Præjudicia, zelo ſuo in libris contra Jovinianum laxato ſibi conciliata, ipſe in ſuis Apologiis N. 37. relatis manifeſte ad noſtrum intentum amoliatur. Et quæſo cordatos Proteſtantes, an non perſuaſum habeant actus Conjugales ob ſolam delectationem cupitos & attentatos eſſe ſemper malos? ſecundo an non oppido multi præſertim tertio, quarto, & in Hieronymi euemplo vigeſimo ſecundo Nuptias ineuntes, eu hoc limpido motivo Nuptias iterent? Quid igitur mirum, ſi Patres zelo Domus Dei devorati ſimilia Matrimonia *honeſtas fornicationes* vocent. Unde denuo immorigeriſſimum ſe ſe in illos geſſit ſæpe laudatus Fleiſcherus Berolinenſis Juris Conſultus, dum in ſua *Introductione in Jus Canonicum* Lib. 2. cap. 8. §. 26. circa præſentem materiam ſcribit: Quoniam vero Patres Eccleſiæ ſanam moralem haud intellexerunt, hinc ſuperos nequientes, Atheroura movebant, tantum ut ſuſtinere valerent, *ſecundas ac iteratas Nuptias repugnare ſacris literis ac ſanæ rationi*. Et multo magis peccavit, dum obſcuriorem hanc quorundam Patrum mentem, a Scholaſticis noſtris nihilominus ſolide explicatam, ſententiam effutiit *Eccleſiæ Romano-Catholicæ*, ſecundas Nuptias damnantem, ut ſupra N. 40. in fine indicavimus.

42. Tertias, imo & quartas Nuptias nulla Lex Imperialis rigoroſe prohibuerat apud Græcos ante Baſilium Macedonem IX. Sæculo; ſed ipſe primus omnium tertias illicitas fecit, & quartas plane nullas & irritas.

Dixi rigoroſe, nam ut admonet Zonaras in Canonem 50. Ep. S. Baſilii *ad Amphil.* ubi ait, *Trigamiæ Lex non eſt*, S. Pater intelligi debet de lege *Eccleſiaſtica* & ſpirituali; per Novellam enim Porphyrogenetæ & Imp. Conſtantini tertiæ Nuptiæ permiſſæ erant, quamquam non ſine aliqua nota & mulcta, ut obſervat idem Zonaras. Novella vero Baſilii extat lib. 2. Juris Orientalis, titulumque præfert: *Non licere ad quartas Nuptias tranſire*. In ea refert Imperator, priſcis ſcriptam Legem fuiſſe, imo a Juſtiniano confirmatam, per quam uſque ad quartas nuptias iis, qui volunt, matrimonia protenduntur: ſe vero, ne priſcis legibus acquieſcat, lege divina impediri: quapropter Matrimonium quartum ita vetare, ut etiam tertium ad Eccleſiaſticos Canones ableget. Tandem Novellam ita concludit: *Manifeſtum omnibus eſto, quod ſi quis auſus fuerit*

vis ad quartas Nuptias, non Nuptias accedere, non ſolum pro nullis habebuntur hæ Nuptiæ, nec liberi ex iis procreati pro legitimis agnoſcentur; verum etiam ipſe pœnis pollutorum ſcortationis ſordibus ſubjicietur, ejuſmodi videlicet Perſonis a ſe invicem ſeparatis. Fallitur haud dubie hac in Conſtitutione Imperator, dum innuit *lege divina* tertias & quartas Nuptias prohibitas eſſe, nec mentem Canonum, Sanctorumque Patrum, de quibus N. præcedenti, aſſecutus eſt; dum vero ait, Priſcis ſcriptam legem fuiſſe, per quam uſque ad quartas Nuptias iis, qui volunt, Matrimonia protenduntur; quartas Nuptias inuſitatas fuiſſe in Oriente, ac lege civili prohibitas innuit; unde & S. Baſilius, dum eit. ep. canonica *ad Amphilochium* canone 4. in trigamos invehitur, ex eadem ratione de quartis Nuptiis nullam mentionem facie.

43. Simulacrum quoddam ſpurium Matrimonii legitimi eſt Concubinatus.

Concubinatum, ut olim a Jure civili permiſſum, definiunt Juris Conſulti, *eſſe aſſumptionem Mulieris, cum qua matrimonium interdictum non eſt, a ſoluto ſolius concubitus, ac incontinentiæ vitandæ cauſa ita factam, quod illam unicam & ſolam ex hoc fine ſecum habere velit.* Ex qua definitione patet, inter uxoratum, & mulierem adſcititiam, item inter lege vetitos Matrimonia inſimul contrahere, & nihilominus conſuetudinem carnalem habentes, quamvis phyſicum, non tamen civilem exiſtere concubinatum.

44. Concubinatus ita definitus Jure civili ante-Juſtinianæo ut licitus permiſſus eſt.

Propoſitio patet ex toto tit. ff. & C. *de Concubinis*, quorum leges non tantum perpetuos, ſeu ad vitam conſortis durantes, ſed ipſos temporarios concubinatus juſtificant; ſic enim habet lex 1. ff. *de Concubinis: Quæ in concubinatu eſt, ab invito Patrono poterit diſcedere, & alteri ſe aut in Matrimonium, aut in concubinatum dare.* De quo vide notas Gothofredi ad hanc & alias ejuſdem tituli leges.

45. An leges iſtæ civiles, Concubinatum temporarium juſtificantes, per Novellas Juſtiniani, ac Leonis ſublatæ fuerint, dubitant aliqui; probabilius tamen eſt eas fuiſſe ablatas.

Ratio dubitandi illis inſidet, quia Juſtinianus Nov. *6.* c. 1. §. 3. *item 123.* c. 1. & 12. præterea Nov. 5. c. 7. Concubinas Epiſcopis & Clericis interdicit, nullam mentionem laicorum faciens, qua ſpecifica prohibitione Jus digeſtorum quantum ad concubinatum laicorum non videtur abrogatum. Accedit quod Nov. 12. c. 4. Nov. 18. c. 5. *item 117.* c. 2. & 3. concubinatum non obſcure permittant. Sed quidquid ſit de mente Juſtiniani, Leonem Sapientem Sæculo IX. illas leges ſuſtuliſſe patet ex ejus Conſtit. *91.* cujus titulus eſt, *ut concubinam habere non liceat.* Imprimis in hac conſtitutione dicit Leo, *quod ea lex, quæ probroſe cum concubinis immiſceri non erubeſcentibus id permittendum judicavit, honeſtatem ſuſque deque habuerit. Ne ergo*, ait, *hoc legislatoris erratum dedecore noſtram Rempublicam afficere ſinamus, itaque lex illa in æternum ſileto.* Rationem deinde ſubjicit: *Ab illa enim non ſolum Religionis, verum etiam naturæ injuria ſecundum divina Chriſtianis convenientia præcepta prohibemur.* Evidenter hic ſupponit Imperator concubinatum illum, quem lex civilis non puniebat, ſive tolerabat, eſſe vetitum jure divino, quod & intendere poterat Juſtinianus, dum eundem concubinatum Clericis interdixit, quo ſtante leges ejus ad laicos non expreſſos probabilius extenduntur, eo vel maxime quod aliæ ejus novellæ, in eorum favorem adductæ, nonniſi obſcure loquantur. Et gratis dicitur, Leoninam conſtitutionem per ſe juris authoritatem non habere, & conſequenter nec vim abrogandi conſtitutiones Juſtinianeas, cum eidem cum ex parte Authoris, cum ex parte promulgationis nihil deſit ad hunc effectum operandum.

45. Non eſt dubium, Patres & Eccleſiam non tantum concubinatum inter eas perſonas, inter quas ſecundum præſcriptum canonum Matrimonium ſubſiſtere nequit; verum etiam illum, quem Jus civile admiſit, ſeu temporarium conſtanter condemnaſſe.

Patrum teſtimonia refert Gratianus, & quidem S. Auguſtinus apud eundem diſt. 34. can. 6. ita habet: *Sufficiant vobis uxores: concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, ſi vos ſurdi eſtis: audiant Angeli ejus, ſi vos contemnitis, concubinas vobis habere non licet. Si audiant competentes, quod dico fidelibus, non habetis uxores, non licet habere concubinas, quas poſtea ducatis uxores: quanto magis damnatio vobis erit, ſi habere volueritis & concubinas, & uxores dimittatis.* Hunc locum a Gratiano mutilate relatum ex originali in ſuum ordinem ita reſtituerunt Correctores Romani, ut ibi notant. Alias in hanc rem authoritates vide in eod. diſt. 34. & apud Mendoz. l. 2. de conf. Conc. Eli. c. 8. quibus junge ſeveriſſimum in concub. decretum Conc. Trident. Seſſ. 24. c. 8.

47. An & qualis concubinatus ab Eccleſia olim ſit toleratus, gravis eſt controverſia non tantum inter Proteſtantes & Catholicos, ſed inter Catholicos ipſos.

Jure Canonico permiſſum eſſe concubinatum, ut oppoſitum Matrimonio, cenſet Helfricus Hunnius variorum reſolutionum Juris Civilis lib. 1. Tr. 3. q. 5. Si nimirum præter tres conditiones a Jure civili requiſitas; quarum prima eſt, *Ut conſiſtat inter ſolutum & ſolutam, ſive inter cælibes. 2. Ut illi non filiorum procreandorum, ſed pro incontinentia ſolius concubitus cauſa jungantur. 3. Ut ea fide media jungantur, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero idem faciat*; etiam quartam habeat, *ut nimirum concubina non ad tempus aſſumatur. Sed perſonæ modo in ſecunda conditione deſcripto uſque ad mortem alicujus eorum copulentur*; nec prolis generatio, eſto non intenta, quocunque modo impediatur. Concubinatum his quatuor conditionibus reſtrictum Jure Decreti permiſſum contendit Hunnius authoritate Can. ſolet 6. 30. q. 2. in quo refertur authoritas Auguſtini ex lib. de bono conjugali, qua talis concubitus honeſtatur. Quamvis mentem Auguſtini in quarta conditione non aſſequatur, cum ſupponat S. Doctorem mulierem ita ductam cenſere *Concubinam*, quod longe eſſe a mente S. Auguſtini infra demonſtrabitur. Accedit, quod eadem conditio in ejus libro male efferatur: ſic enim eſt impreſſa: *ut concubina non ad tempus duntaxat, ſed eo uſque aſſumatur, donec alia dignior accipiatur*; in quo errorem typi ipſe agnoſco, cum loco *Sed*, reſtituenda ſit particula copulativa *Et*, ut conditio hæc conformis ſit textui S. Auguſtini, & menti Hunnii, quam proinde meis verbis reddidi. Alii Heterodoxi, inter quos eſt Hermannus Hammelmannus apud Mendozam Lib. 2. *de Confirm. Concilii Eliberitani* c. 8. cenſent vetera Concilia Concubinatum inter ſolutos, nec nubere prohibitos, præſcindendo ab Auguſtiniana reſtrictione permiſiſſe. Fundant ſe iſti in Canone 17. Concilii Tolet. 1. rel. diſt. 34. c. 4. cujus integer tenor ita ſonat: *Si quis habens Uxorem fidelis concubinam habeat, non communicet. Cæterum is, qui non habet Uxorem, & pro Uxore concubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ (ut ei placuerit) ſit conjunctione contentus. Alias*

vivens

vivens abjiciatur, donec deſinat, & ad pœnitentiam revertatur. Concordat c. 5. ejuſdem diſt. 34. ex Iſidoro, qui lib. *de diſtantia novi & Vet. Teſt.* ait: *Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris (ſi Conjux deeſt) concubinam*. Ut has authoritates tot aliis concubinatum omnem aperte & conſtanter damnantibus Patrum, Conciliorum, Pontificumque Romanorum ſententiis primæ facie oppoſitas concilient Correctores RR. in Nota ad c. 4. diſt. 34. duplex concubinarum genus diſtinguunt; nimirum illud, quod non habet conditiones ab Auguſtino poſitas, & a nobis mox relatas, & illud quod eas habet. Primi generis concubinatum, ajunt, nec tempore Concilii Toletani I. ſeu initio ſæculi V. nec tempore Iſidori ſeu Sæculo VII. ab Eccleſia fuiſſe toleratum; bene vero concubinatum ſecundi generis, quem tamen volunt a parte rei ſeu jure naturæ fuiſſe verum Matrimonium; quamvis non jure civili aut canonico, ob defectum non interventorum inſtrumentorum dotalium, & aliorum a jure civili & canonico requiſitorum. Ob quam cauſam ajunt Auguſtinum ſic ductam libro *de bono Conj.* non audere appellare uxorem, Patreſque ſimiles appellaſſe concubinas in ſenſo a jure Romano protſus diſtincto, atque in eo concubinatum ſolum approbaſſe. Quam opinionem longe ante ipſos jam fovit Gratianus poſt can. 3. ejuſdem diſt. 34. Hanc vero ſuam diſtinctionem fundant primo in Nov. 18. Juſt. c. 5. in quæ volunt Imperatorem quaſdam concubinas comparare quodammodo uxoribus. Secundo in Epiſtola ſuppoſititia Evariſti Papæ rel. 30. q. 5. c. 1. quæ non vult eſſe *legitimum* Matrimonium, niſi certis ſolemnitatibus contrahatur. Hæc tamen canonum Conciliatio ſuas patitur difficultates, cum textus allati apertam videantur facere diſtinctionem inter uxorem & concubinam, dicentes uxorem aut concubinam. Et hinc Ferdinandus Mendoza *de confirmando Concilio Elliberitano ad Clementem VIII.* tomo primo Conciliorum editionis Coletanæ lib. 2. cap. 8. aliam horum canonum conciliandi, atque ab Hæreticorum cavillatione vindicandi rationem init: & primo duplex iſtud concubinatum genus ex eo rejicit, quod nec ab antiquis œcumenicis & provincialibus Conciliis, nec a Prædeceſſoribus Clementis VIII. Pontificibus Sanctiſſimis, nec a priſcis aliis Eccleſiæ Doctoribus, nec a veteribus juris prudentiæ conſultis, nec ab hiſtoricis receptum unquam fuiſſe memoria teneat. Quinimo concubinæ nomen ſemper in turpem partem ab omnibus accipi, excepta Republica Hebraica, perſuaſum habeat. Quam ſuam perſuaſionem roborat primo, tredecim loca ex jure civili adferendo, in quibus concubina uxori *qua tali* manifeſte opponitur, & ab ea diſtinguitur. Poſt quæ affert Conſtitutionem Leonis Sapientis a nobis ſupra relatam; atque ex ea concludit, concubinam nihil commune habuiſſe in juſtitia conjugii cum uxore: quod ſi habuiſſet, ab his Imperatoribus (nimirum Leone & Conſtantino Porphyrogeneta, qui ſimili conſtitutione Chriſtianis concubinas habere interdixit) nullo pacto prohibita fuiſſet. Subdens: Nec alicujus illud ſane momenti erit, ſi objiciatur, has concubinas eſſe ex eorum numero, quæ turpes & infames habebantur; non autem ex illarum, quæ & uxoris loco (de quibus nimirum eſt quæſtio), cum generaliter & diſtincte Juris Conſulti & Imperatores de concubinis loquantur, nec aliquod inter eas diſcrimen conſtituant: quod ſane facturi non eſſent, ſi ſuo tempore duplex concubinarum genus eſſet in uſu. Deinde ad teſtimonia Patrum, quibus concubinatus *indiſcriminatim* condemnatur, ſe convertit, ex quibus quædam N. 46. retulimus, atque concludit, illud ex omnibus priſcis Eccleſiæ Patribus manifeſtum fieri, concubinam nunquam uxoris nomine dignam habitam, concubitumque cum ea peccatum fuiſſe lethale. Quod in aprico erit luſtranti authoritates a Mendoza allatas, aliaſque ante Gratiani tempora ſeu Sæculi XII. medium exſtantes, ita ut fortaſſis Gratianus ad conciliandos ad ſpeciem pugnantes Patrum ſententias circa Concubinatum Chriſtianorum primus hanc diſtinctionem invenerit, a quo in Scholas fuit propagata. His argumentis in medium allatis, ſolvit rationes a Correctoribus Romanis ex S. Aug. lib. *de bono conjugali*, & Novella 18. adductas, atque a nobis ſuperius recenſitas; & ad priorem quidem dicit, Doctiſſimos Correctores Romanos Authoritatem Auguſtini ad concubinas non tam accommodare, quam trahere, cum Auguſtinus in eo libro nec de concubinis bis egerit, nec concubitum dixerit licitum eſſe, ſi concubina eo habeatur animo, ut donec vivat, non jungatur alteri. Sed cum ſuperioribus capitibus *de uno conjugii bono* ſermonem inſtituiſſet, de ſuſceptione videlicet filiorum, dixiſſetque ad id inſtitutum Matrimonium, ut diuturna & perpetua filiorum propagatione humanum genus conſervaretur: quorundam tunc propoſuit quæſtionem, *an ſi vir & fœmina, uterque lege conjugii ſolutus, jungantur non ad ſobolis procreationem, quod eſt magnum Matrimonii bonum, ſed ad coercendos efferveſcentis animi & libidinis motus, an proprie dici poſſet Matrimonium?* quam expediens quæſtionem reſpondit: *Et poteſt quidem fortaſſe non abſurde hoc appellari connubium*, ſi nimirum conditiones ſupra ex ipſo relatas habeat. Hoc autem ideo dixit Auguſtinus, pergit Mendoza, quia quæſtio non erat, *an liceret in concubinatu perpetuo vivere?* nam ſi temporarium conſtabat non licere, conſtabat ſane non licere perpetuum: ſed *an contracto connubio ſine principali bono Matrimonii, hoc eſt ſine fine ſuſcipiendi liberos, verum dici poſſit Matrimonium, ſi reliqua matrimonii adeſſent neceſſaria, hoc eſt mutuus conſenſus, & animus perpetuo ſimul habitandi, nec recuſandi in cetera liberorum ſuſceptionem?* Qua explicandi ratione Mendoza mentem Auguſtini acu tetigiſſe mihi equidem videtur. Qui & recte ad authoritatem Novellæ 18. c. 5. ſubdere videtur: Quod antea ex Juſtiniano refertur in novella apud Julianum antecceſſorem, minus dubium habet, cum concubinam non comparet uxori *in caſtitate conjugii*, de qua ſermo eſt, ſed ad hoc, *ut ſi Pater ab inteſtato moritur, & ſine prole legitima, quo caſu vel cognatio, vel fiſcus, cui in hoc ſe dicit parcere, deberent ſuccedere: his excluſis, filius ſuſceptus ex unica tantum concubina: habeat ſextam tantum bonorum Paternæ ſubſtantiæ, una cum matre partiendam.* —— Hoc autem non ideo decrevit Juſtinianus, ut concubinas juſtarum uxorum præmiis afficeret: longe enim hoc diſtat ab ejus animo & verbis, quibus concubinarum multitudinem, *multitudinem mulierum fornicantium* in eadem novella dixit; ſed id conſtituit, ut intercluderet aditum habendi plures concubinas. His vero ex fundamentis relicta magna cum reverentia Gratiani & Correctorum Romanorum canonis Concilii Toletani ſupra laudati interpretatione, pergit: Concilium ergo Toletanum non docet profecto, ut illi vulgo imponunt hæretici, qui concubinam habet, ſi corpus ſuſcipiat Domini, id digne facere poſſe; ſed permittit potius, ut is a communione non repellatur. Quam permiſſionem Hiſpanorum genio, & temporum illorum conditione, atque aliorum malorum in Eccleſia permiſſione ad evitanda majora mala fieri ſolita, juſtificat, nec ſine gravibus funda-

mentis; deinde ſuſpicatur verba illa canonis Toletani, *a communione non repellatur*, non de Sacroſancta corporis Chriſti communione, ſed de *Eccleſiaſtica* tantum & *Civili*, cujus interdictio *Excommunicatio* vocatur, intelligi poſſe, ac debere. Sanctum vero Iſidorum *unam concubinam* Chriſtiano permittentem, atque hinc ſenſu & ſententia a Concilio Toletano aliquanto diſſimilem, abſque ſubſidio diſtinctionis concubinarum a Correctoribus Romanis allatæ ita explicat; quod ſenſerit *in* populo Chriſtiano, poſtquam Catholica Chriſti fides publice coli cœpit, duas uxores aut concubinas habere niſi gravi pœna non licuiſſe, ſed unicam uxorem tantum, vel ſi uxor non eſſet, unicam ſolum concubinam, eamque *exterioris fori* permiſſu, non *interioris*. Hanc autem eſſe D. Iſidori genuinam interpretationem ex eo patet, quod fragmentum ejus in canone ſupra laudato relatum deſumptum ſit ex ejus libro *de differentia* ſeu *diſtantia novi & veteris teſtamenti*, in quo inter alias veteris & novæ legis differentias etiam hanc ponit, quod veteris legis hominibus etiam *Jure fori externi* licitum fuerit habere *plures* concubinas, in novo vero teſtamento licitum tantum eſſe *legibus imperialibus* habere *unam*, quod patet ex iiſdem legibus in favorem unius concubinæ ſuperius allatis. Utramque hanc canonum horum, cum ſevera Eccleſiæ circa concubinatum diſciplina ad ſpeciem pugnantiam, explicationem adferre volui, ut Lector, quam veriorem exiſtimaverit, eligere, atque Proteſtantium cavillis opponere valeat. Et ſane miror, cur quidam ex illis cum Hunnio L. c. ſuſtinere audeant, Jus Canonicum admittere concubinatum *qua talem*, ſi quatuor conditiones ab Auguſtino L. c. requiſitas habeat, cum fœdus carnale cum fœmina ſub his conditionibus initum ex natura ſua inimpedibiliter (ſi conſenſus irritationem a legitima poteſtate factam, veluti contigit circa matrimonia Clandeſtina in Triden. excipias) matrimonium ſit, eo quod ſupponatur initus inter perſonas ſolutas & habiles ad contrahendum, qui fidem tori, & perpetuum jus ad copulam ſibi promittunt, nec procreationem Prolis excludere intendunt; ad cujus procreationem & conſequenter ad ſubſtantiam matrimonii per accidens ſe habet, an ita conjuncti eandem copulam intendant exercere illius procreandæ vel libidinis ſedandæ gratia, cum utroque modo procreari poſſit. Id quod ſenſit Auguſtinus, dum *in* celebri loco ſupra explicato docuit, tale contubernium non abſurde poſſe dici matrimonium ad diſtinctionem concubinatuum temporariorum, in quibus ſubſtantialis conditio ad matrimonium deſideratur. Recte ergo juxta mentem Correctorum Romanorum ac Scholaſticorum Hunnio ingeritur, S. Auguſtinum cauſa 32. q. 2. c. 6. a ſe deſcriptum contubernium non reputaſſe, ut falſo opinatur Hunnius, concubinatum, ſed matrimonium; ait enim apertis verbis: *& poteſt quidem fortaſſe non abſurde hoc appellari connubium*; Hammelmanno vero ſimul ac Hunnio ad mentem Mendozæ, Eccleſias particulares ſubinde dura neceſſitate toleraſſe concubinatum formalem, nunquam tamen approbaſſe, multo minus Jus Canonicum; cum objecti duo canones a Gratiano eo ſenſu, quaſi loquantur de connubiis *minus ſolemnibus*, in ſuum Decretum illati, nec aliter olim intellecti fuerint; Eccleſia interim ſimilia clandeſtina matrimonia, & multo magis concubinatus conſtanter deteſtante, ac caſſante, ut ex dictis in aprico eſt.

§. IV.

De Solemnitatibus Matrimonii, præcipue de Sponſalibus.

48. CUm Matrimonium ſit contractus maximi momenti, utpote perpetuam ac individuam vitæ ſocietatem cum conſorte poſt ſe trahens, non uno, quemadmodum alii contractus communiter, ſed duobus diſtinctis gradibus perfici ſolet, nimirum per ſponſalia, & ipſas Nuptias.

Sponſalia canone 3. cauſa 30. q. 5. & a Canoniſtis communiter definiuntur, *futurarum Nuptiarum promiſſio*. In ff. *de ſponſalibus L. 1. mentio & repromiſſio futurarum Nuptiarum*. Præmittuntur ipſis nuptiis, ut intermedio illo tempore diſpici queat, num aliquid fortaſſe ſit, quod matrimonii conſummationem impediat, quod non ſtatim ab initio perſpici potuerit.

49. Hinc ſponſalia non tantum apud Judæos, verum etiam apud Romanos, & alias cultas gentes ab antiquiſſimis temporibus in uſu fuerunt.

Quod Judæos attinet, conſtat Jacobum ſibi deſpondiſſe Rachelem ſeptennali ſervitio apud Labanum, moremque apud illos fuiſſe, ut Sponſus Parentibus Sponſæ poſt promiſſam ſibi filiam munera offerret, quæ *Sponſalia* dicebantur, quemadmodum proditur libro 1. Regum c. 18. ubi Saul Davidem, paupertatem ſuam, qua obſtante ſibi non liceret fieri Generum Regis, prætexentem ſic per ſervos ſuos alloqui facit: *Non habet Rex ſponſalia neceſſe, niſi tantum centum præputia Philiſthinorum*, quæ cum ſtatuta die David annumeraſſet Regi, *dedit Saul ei Michol filiam ſuam uxorem*. Formulam benedictionis in deſponſationibus Judæorum adhiberi ſolitam refert Seldenus de uxore Hebraica. Primis Romani Populi moribus prius puella paciſcebatur, ac deinde ſtipulationes intervenire ſolebant, ac demum primo nuptiæ celebrabantur, ut mox videbimus.

50. Vigentibus priſcis moribus Romanorum, ad ſponſalia rigoroſa non ſufficiebat *nuda* puellæ *pactio*, qua futuri matrimonii conditiones mutuo pacto determinabantur, ſed inſuper ſtipulationes intervenire debebant.

Id teſtatur Gellius *in Noct. Att.* Lib. 4. c. 4. ajens: *Ir contractus ſtipulationum, ſponſionumque dicebatur ſponſalia*. Et hinc ex ea ſtipulatione, non ex præcedente pacto, quod nudum erat, obligatio naſcebatur, eodem teſte L. cit. ubi ait: *Si poſt eas ſtipulationes uxor non dabatur, qui ſtipulabatur, ex ſponſu agebat. Judex, quamobrem data, acceptaque non eſſet uxor, quærebat: ſi nihil juſtæ cauſæ videbatur, litem pecunia æſtimabat, quantique interfuerat, eam uxorem accipi aut dari, eum, qui ſpoponderat, aut qui ſtipulatus erat, condemnabat*. Unde recte notat Gothofredus in legem 3. ff. de ſponſal. *Non igitur olim fiebant Sponſalia nudo pacto, & inter abſentes, nam ſtipulatio non fit, niſi inter præſentes*. Et ipſa lex 2. eod. *Sponſalia dicta ſunt a ſpondendo, nam moris fuit veteribus ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras*. Quæ cum ita ſint, rem acu tetigiſſe non videntur, qui putant veteribus Romanis *pactiones præcedentes* dicta fuiſſe ſponſalia de futuro, *ſtipulationes* vero ſponſalia de præſenti, cum poſt ſtipulationes quandoque Sponſa non daretur Sponſo in uxorem, hincque actio ex *Sponſu* naſceretur.

51. Hæc tamen ſtipulationum ſolemnitas poſtea ſublata eſt, permiſſumque, ut ſolo conſenſu ſponſalia inirentur.

Id indicat Gellius cit. L. his verbis: *Hoc Jus ſponſalium obſervatum dicit Servius ad id tempus, quo civitas univerſo Latio lege Julia data eſt, ac permiſſum, ut ſimplici contraherentur conſenſu*, quem morem recentiorem unice referunt Juriſconſulti

Ul-

Ulpianus L. 4. Tit. citato, *Sufficit*, inquiens, *nudus conſenſus ad conſtituenda ſponſalia*. Et infert: *Denique conſtat & abſenti abſentem deſpondere poſſe, & hoc quotidie fieri*. Quod fieri non poterat, dum ſponſalia per ſtipulationem fierent, uti ex Gothofredo annotavimus. Vide etiam legem 7. & 11. Quam diſciplinam etiam adoptavit Eccleſia, ut conſtat ex Jure Canonico, & Eccleſiæ praxi.

52. Quamvis patens ſit diſcrimen inter ſponſalitium, & matrimonialem conſenſum, matrimoniique conſummationem per copulam carnalem, cum ſponſalitius conſenſus ſit de nuptiis in futurum contrahendis, matrimonialis ipſa actualis matrimonii contractio, quæ conjugium formaliter efficit, quod eſſentialiter jam conſtitutum per copulam carnalem deinde conſummatur; Gratianus nihilominus cauſa 27. q. 2. obſcurius rem iſtam pertractavit.

Veritas propoſitionis patebit citatam Quæſtionem inſpicienti, in qua & authoritates pleraſque vel mutilatas, vel Authoribus non ſuis adſcriptas adducit, ut ad ſingulos pene canones notarunt Correctores Romani, & Stephanus Baluzius. Ipſe autem tenor quæſtionis ab ipſo propoſitæ videtur eum in hanc obſcuritatem perduxiſſe: poſtquam enim quæſiviſſet: *an Puellæ alteri deſponſata poſſint renuntiare priori conditioni, & transferre ſua vota ad alium?* indagat primo: *an conjugium ſit inter eos?* 2. *an poſſint ab invicem diſcedere?* quæ duo quærere opus non habuiſſet, ſi ſponſalia in ſuo rigore, prout illa definiuntur a Nicolao I. ab ipſo relato cauſa 30. q. 5. can. 3. quod nempe ſint *futurarum nuptiarum promiſſa*, ſumpſiſſet; Chriſtus enim non promiſſionem de futuris nuptiis, ſed ipſas nuptias edixit *indiſſolubiles*. In latiori ergo ſenſu ſponſalia accipiens multa miſcet, quæ ſibi in ſpeciem contraria videntur, variaſque conciliandi rationes adducit, & imprimis ad probandum deſponſatos conjuges eſſe, adducit teſtimonia veterum, qui non coitum, ſed conſenſum nuptias facere dixerunt, qui tamen loquuntur de conſenſu *Matrimoniali*, non *Sponſalitio* eidem oppoſito, exemplo Scripturæ, quæ non uno in loco conjuges Sponſos appellat. Deinde ut monſtret inter illos non eſſe Conjugium, adducit authoritates illorum, qui matrimonium in tota ſua perfectione ſumpſerunt, prout nempe per carnalem copulam conſummatum repræſentat conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum. Qui proinde mulierem nolunt pertinere ad matrimonium, cum qua commiſtio ſexus non docetur fuiſſe. Deinde poſt canonem 34. Patres conciliat dicens: *Sciendum eſt, quod conjugium deſponſatione initiatur, commiſtione perficitur. Unde inter Sponſum & Sponſam conjugium eſt, ſed initiatum; inter copulatos* (*copula carnali*) *conjugium ratum*: ubi per deſponſationem non intelligit *promiſſionem matrimonii de futuro*, ſed ipſum matrimonii *contractum*. Sed hanc diſtinctionem inter ſponſalia de futuro & præſenti primo canone ultimo expreſſit ſub nomine Auguſtini, ubi ita habet: *Duobus modis dicitur fides, pactionis & conſenſus. Si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere. Si aliam duxerit, pœnitentiam debet agere de fide mentita, maneat tamen cum illa, quam duxit. Si autem fecerit fidem conſenſus, non licet aliam ducere. Si autem duxerit, dimittit eam, & adhærebit priori*. Ubi ſubdit: *Eſt autem fides pactionis, quando aliquis promittit fidem pactionis alicui, quod eam ducet* (ecce ſponſalia de futuro); *fides autem conſenſus eſt, quando etiamſi non ſtringat manum, corde tamen & ore conſentit ducere, & mutuo ſe concedunt unus alii, & mutuo ſe ſuſcipiunt*. (En ſponſalia de præſenti a Gratiano agnita.)

53. Ex hac Gratiani œconomia videtur a Decretalibus aſſumpta triplex illa diſtinctio apud Canoniſtas & Theologos pervulgata; Sponſalium nimirum de futuro, matrimonii rati, ſive ſponſalium de præſenti, & matrimonii conſummati.

Id patet ex toto titulo 4. libri quarti Decretalium *de Sponſa duorum*: cujus capitulum primum eſt ipſe canon ultimus quæſtionis 2. cauſæ 27. in quo aperta mentio fit ſponſalium *de futuro & de præſenti*. Notat vero Vaneſpen, quæ dicto canone finali falſo attribuuntur Auguſtino, hoc capitulo eidem denuo adſcribi, ac ipſa inſuper verba Gratiani in ipſum textum, tanquam eſſent Auguſtini, irrepſiſſe, ut patebit hæc duo capitula combinanti. Præterea capitulum 2. ponit pœnitentiam illius, qui alterius ſponſam *de præſenti* ſibi accepit in uxorem, nec unquam in uxorem eam habere poſſe decernit. Et tertium edicit ſponſalia *de præſenti* non ſolvi per ſequens matrimonium, etiam carnali copula conſummatum. Videantur concordantiæ. Ulterius inquit idem Vaneſpen: Quidni dicamus eadem auctoritate Gratiani fuiſſe receptum, per matrimonium *conſummatum* repræſentari unionem Chriſti cum Eccleſia: per *ratum* vero, ſive per conſenſum de præſenti duntaxat initiatum, repræſentari ſolam unionem Chriſti cum anima juſti per charitatem: atque hinc illud eſſe omnino indiſſolubile, hoc vero ſolvi poſſe ſaltem per profeſſionem continentiæ, uti notavit Gratianus ad calcem canonis 26. ad quam notam reſpexiſſe Alexandrum III. in cap. 2. *de Conv. Conjug.* indicat Clauſula Parentheſi incluſa, *ſicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt*, & obſervavit Franciſcus Florens in Commentario ad hanc q. pag. 126. In qua conjectura ſi Clariſſimus Canoniſta ſentit, quaſi ſola authoritate Gratiani hæc diſtinctio, ejuſque notabilis ſequela a Romanis Pontificibus recepta fuerit, oppido fallitur, cum hanc diſtinctionem, ſicut & exempla Sanctorum ipſe non invenerit, ſed retulerit tantum, & diſtinctionem quidem can. 17. ex Leonis Papæ ep. 90. *ad Ruſticum* c. 4. ubi ait. *Cum Societas nuptiarum ita a principio ſit inſtituta, ut præter commiſtionem ſexuum non habeant in ſe nuptiæ Conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ Sacramentum, non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe nuptiale miniſterium*. Unde Romani Pontifices dum decreverunt matrimonium ratum Profeſſione continentiæ poſſe diſſolvi, ad divinæ voluntatis diſpoſitionem per continuam Eccleſiæ traditionem & Sanctorum exempla nobis manifeſtatam recurrerunt, ut ſupra N. 33. demonſtravimus, eſto hanc diſtinctionem inter matrimonium ratum & conſummatum etiam adduxerint.

54. Diſtinctio Sponſalium de futuro, & præſenti non eſt inepte introducta poſt Gratianum in Jus Canonicum & Scholas, ut inſulſe calumniatus eſt Lutherus in ſuo libello de rebus Matrimonialibus.

Ipſius calumnia præcipue in hoc fundatur, quod velit verba, quæ latino ſermone ſignificant ſponſalia *de futuro*, in idiomate Germanico conſenſum *de præſenti* exprimere; & ideo ait ſe neſcire, quomodo famulus aut ancilla ſua hoc idiomate poſſint ſponſalia per verba de futuro contrahere. Sed erroris redarguitur Lutherus a Fleiſchero lib. 2. c. 7. in duobus præcipue. Primo, quod perſuaſus fuerit in Jure Canonico reſpectum fieri ad ſola verba; quod falſum aſſerit, cum potius attentio habita fuerit *declarationis voluntatis*, quæ habita contrahentium verba declarabantur. Secundo, quod cenſuerit verba de futuro ſponſalia *conditionata*, de præſenti vero ſponſalia *abſoluta* exprimere. Qua opinione nihil abſurdius excogitari poteſt. Quapropter

55. Pro-

55. Proteſtantium Juris Conſulti antiquiores omnes, ſequentes opinionem Lutheri circa ſponſalia de futuro, & de præſenti, œconomiam Eccleſiæ circa diſtinctionem ſponſaliorum de præſenti & futuro totam perturbarunt, ac confuderunt.

Id nunc declamant Recentiores eorum Juris Conſulti, Bohmerus, Fleiſcherus &c. Verba diſſertationis Præſide Bohmero a Piſtorio *de probatis repudiorum cauſis* in Regio Fridericiano A. 1718. habitæ in teſtem voco. Sic autem habet §. 13. *Quantas confuſiones inter Proteſtantes hæc diſtinctio pepererit, noto notius eſt. Retinuerunt eandem, ſed novos prorſus eidem ſignificatus tribuerunt, ut docuit Excell. Dominus Præſes* (Bohmerus) *diſſ. de incongrua praxi doctrinæ de ſponſ. de præſ. & fut. in foro Proteſtantium. Imo ne quidem Juriſconſulti Proteſtantes in definitionibus ipſis inter ſe concordant. Plerique huc dilabuntur, ut pura de præſenti, conditionata de futuro dicant, licet ſine ſolido fundamento. Certe de Jure Canonico ſponſalia de futuro ſunt tam pura, quam conditionata, nec conditionata promiſſio minus obligat, quam pura: hac metamorphoſi ſecuta, pura quidem fere indiſſolubilia conſtituerunt, ut non aliis ex cauſis diſſolvi poſſent, quam ex quibus matrimonium, ut docet Kitzel in ſynopſi Matr. c. 8. Theor. 11. in ſponſalibus autem de futuro* (hoc eſt conditionatis) *plures admiſerunt, levioreſque cauſas, ut idem lib. cit. innuit. Huic acceſſit Cottmannus Vol. 1. Reſp. 73. N. 11. ajens:* omnes Juris Interpretes ſponſalia de præſenti (hoc eſt puro) pro vero indiſſolubili & inſeparabili matrimonio habere, quod ſolus conſenſus matrimonium conſtituat. *Carpzovius lib. 2. Juriſpr. Conſiſt. def. 17. eandem cantilenam ſecutus eſt, & per publica ſponſalia de præſenti* (ſeu puram matrimonii promiſſionem) *ipſum matrimonium contrahi docet; conditionatis tamen puram vim haud ineſſe ſtatuit def. 22. ſeq. adeo ut pro lubitu ab iis recedere liceat, invita etiam altera parte.* Pergit idem: *Nimis longum foret, ſi per ſingulorum DD. tradita ire vellem, quæ ita ſunt comparata, ut connexione idonea deſtituantur.* Ea refert & explodit Fleiſcherus L. cit. & merito: mirum enim ſane videri poteſt, Proteſtantium Juriſconſultos in re a Jure Canonico tam clare expreſſo, qualis eſt differentia inter ſponſalia de præſenti, & futuro, quorum formulæ plane deſcribuntur in eodem Jure c. 9. & c. 31. *de ſponſ.* c. 3. *de ſponſa duorum*, adeo cæcutire potuiſſe, ut *abſolutam* promiſſionem *futuri* matrimonii, ſponſalia *de præſenti*, ſeu ipſum matrimonium ratum, *conditionatam* vero ſponſalia *de futuro* enunciarint.

56. Synodus Tridentina quamvis Seſſ. 24. *de reform. matr.* c. 1. Matrimonia Clandeſtina annullaverit, ſponſalia tamen de præſenti non abſtulit.

Contrarium falſo perſuaſum habent quidam Proteſtantium Juris Conſulti, inter quos Fleiſcherus cit. cap. 7. §. 9. Apparet, inquit, hanc ſponſaliorum differentiam parvæ utilitatis eſſe, cum in Trident. ordinatum fuerit, ut nullum ſit matrimonium, quod ſine Parocho & Teſtibus contractum eſt. Et quamvis juxta Jus Canonicum ſponſalia de futuro per copulam carnalem verum effecta ſint matrimonium, videtur nihilominus & hoc ob dictam rationem ceſſare. Ut ita hodie ſola ſponſalia de futuro, ſeu proprie dicta ſponſalia apud Catholicos locum habeant. Et in hoc bono conſilio uſa eſt Synodus Tridentina, cum tota quanta hæc diſtinctio a Patribus originem ducat, qui ſacram ſcripturam non recte intellexerunt. Cum enim viderent, ſponſo ſubinde in ſacris literis nomen Mariti, Sponſæque nomen Uxoris tribui, inde concluſerunt, ſponſalia ipſum eſſe matrimonium, nec poſſe diſſolvi cauſa 27. Sed cum hoc ipſum ob aliis in dubium traheretur, quæſivit Gratianus diſcordantes opiniones concordare, invenitque diſtinctionem inter conjugium initiatum, & ratum; ita ut inter ſponſum & ſponſam conjugium initiatum, inter copulatos vero eſſet conjugium ratum. Cum vero hac diſtinctione controverſiæ minime ſublatæ eſſent, ſed res ipſa obſcurior reddita, excogitarunt Canoniſtæ ſponſalia de futuro, & de præſenti; & ita canones illorum Patrum, qui ſponſalia nolebant eſſe matrimonia, explicarunt de ſponſalibus *de futuro*, illos vero, qui ea aſſerebant matrimonia, de ſponſalibus *de præſenti*. Hæc ille, ſuaviter ſane in Venerandos Patres ac Jus Canonicum; ſed erronee, nam falſam eſſe ejus primam propoſitionem, apud nos *ſola* ſponſalia de futuro adhuc locum habere, patet ex eo, quod illam ex falſo principio deduxerit; nam §. 8. putat Catholicos illa tantum ſponſalia habuiſſe & habere pro ſponſalibus de præſenti, *quibus de præſenti contractis adhuc deerat ſacerdotalis copulatio & matrimonialis conſummatio*, cum tamen ante Concilium Tridentinum ſponſalia de præſenti tam clanculo, quam coram Sacerdote in facie Eccleſiæ contracta, & poſt Concilium Tridentinum coram Sacerdote contracta fuerint, & ſint ſponſalia *de præſenti*; quod inde manifeſtum eſt, quia juxta Jus Canonicum, Tridentinum, & Doctores Catholicos omnes, ſponſalia de præſenti ſunt idem ac *matrimonium ratum*, ut proxime faſſus eſt ipſe Fleiſcherus, & patet ex praxi Eccleſiæ, quæ ſponſalia de præſenti non ſinit diſſolvi, niſi ob profeſſionem factam in Religione approbata. Plus ergo intulit bonus Fleiſcherus, quam debuit; namque inferre ſolum debuit per Tridentinum, *ſponſalia de præſenti ſeu matrimonium ratum mutuo conſenſu clandeſtine initum, aut, ſi poſt conſenſum clandeſtinum de futuro matrimonio acceſſiſſet copula, ſponſalia de præſenti præſumpta eſſe ſublata, non vero ipſa ſponſalia de præſenti.* Sed nec minus craſſe hallucinatus eſt, dum Gratiano impingit, eum inter ſponſos de futuro cenſuiſſe ad mentem Patrum intercedere matrimonium initiatum, inter copulatos vero a Parocho ratum. Hanc enim ejus mentem nequaquam fuiſſe, ſed conjugium initiatum judicaſſe id, quod verbis de præſenti, ſive clandeſtine, ſive in facie Eccleſiæ fuit contractum, ratum vero poſt copulationem non *Sacerdotis*, ſed *Carnis*, quod nunc *conſummatum* audit, apparet manifeſte, dum poſt allatos Patrum canones, in quibus juxta dicta N. 33. Patres alii ſponſos vocant conjuges, alii conjuges eſſe nolunt, niſi poſt interventum copulæ, poſt canonem 26. de ſua penu promit: *Ecce quod conjugati ſine licentia alterius continentiam profiteri non poſſunt. Sponſi vero etiam inconſultis, quas ſibi deſponſaverunt, exemplis, & auctoritatibus probantur continentiam ſervare poſſe. Ut enim refert B. Hieronymus, Macarius præcipuus inter Eremitas, celebrato nuptiarum convivio, cum veſpere thalamum eſſet ingreſſurus, ex urbe egrediens, transmarina petiit, & Eremi ſolitudinem ſibi elegit.* Iſte ergo Macarius in mente Gratiani fuit ſponſus, ſeu inter ipſum & ſponſam erat matrimonium initiatum, atque ipſiſſimus Macarius poſt celebratum nuptiarum convivium erat veſpere thalamum ingreſſurus; igitur in facie Eccleſiæ matrimonium per *Sacerdotalem copulationem* contraxit, & conſequenter Gratianus per matrimonium *initiatum* intellexit modernum noſtrum *ratum*, per *ratum* vero modernum *conſummatum*, id quod ſuis verbis ipſe poſt canonem 34. edicit, dum ait: *Sed ſciendum eſt, quod conjugium deſponſatione initiatur, commiſtione perficitur.* Anne, Domi-

ne

ne Juriſconſulte, commiſtio conjugum Sacerdotalis aſt copulatio, *die Trauung*? & conſequanter verba ſubſequa Gratiani, *unde inter ſponſum & ſponſam conjugium eſt, ſed initiatum, inter copulates eſt conjugium ratum*; ita recte Germanice redduntur: *Alſo, daſſ unter Brautigam, und Braut* (de futuro) *ein* conjugium initiatum, *unter getrauten Perſonen aber ein* conjugium ratum *mare*? Nunne dum idem Gratianus poſt canonem 28. negat inter ſponſum & ſponſam conjugium intercedere, de matrimonio in tota ſua perfectione loquitur, ſeu da conſummato, quud hic *ratum* vocat, non vero da rato, ſeu in ſenſu ſuo initiato? dum pergit: *Item cum ſecundum Augaſtinum illa mulier non pertineat ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe cammixtio ſexus, apparet, quod inter ſponſum & ſpanſam cajagium non eſt.* Accedit, quod poſt canonem oltimum ſponſalia de futuro a conjugio initiato aperte diſtinquat, dum ait: *Eſt autem fides pactionis, quando aliquis promittit fidem alicui, quod eam ducet, —— fides autem conſenſus eſt, quando etiamſi non ſtringat manum, corde tamen & ore canſeatit ducere, & mutuo ſe concedunt unus alii, & mutuo ſe ſuſcipiunt.* Unde iterum errat Fleiſcherus cum aliis, dum aſſeruot diſtinctionem ſponſallorum de futuro, & de præſenti a Canoniſtis poſt Gratianum eſſe inventam. Supinos ergo lapſus cavere potius debuiſſet Fleiſcherus, quam Patres pientiſſimos, & doctiores ſe, ſuiſque commilitonibus tam atrociter cavillare; omnes enim in ſano ſenſu locuti ſunt, & a Canoniſtis Catholicis recte, ut ipſe fatetur, expiicati, ſolique Proteſtantium ipſo Judice enormiter in hac materia lapſi.

57. Sicut apud priſcos Romanos inſolita erant divortia matrimoniorum, ita & ſponſalia ſtipulationa inita non facila rumpebantur.

Da matrimoniorum apud Romanos firmitate res eſt decantata, cum divortia A. V. C. 523. exemplo Sp. Caecilii demum invaluerint, cujus axempli meminit Tertullianus de Monog. c. 9. in fine inquiens: *Adeo autem repudium a primordio non fuit, ut apud Romanos poſt annum ſexcenteſimum V. C. id genus duritia commiſſum denotetur.* Cum vero matrimoniorum firmitas tam ſancte coleretur, mirum non aſt, ſpouſalia quoque ſine juſta cauſa diſſolvi non potuiſſe.

58. Solemnitate vero ſtipulationum ſublata, & ſponſalibus ſolo conſanſu iniri ſolitis, divortiis quoque matrimoniorum introductis, ſponſalia quoque paſſim, ac *ſine cauſa* apud Romanos ſolvi permittebantur.

Si enim a vinculo majori matrimonii reſilire licitum credebatur, multo magis a minori ſponſaliorum, cum tantum præjudicium in ſolutione poſterioris ac in illa prioris non deprehendatur. Præſertim cum *nudo conſenſu* inirentur, qui firmior non reputabatur, quam olim pactio ſponſæ ſtipulationam præcedens, qua ſola deſponſati non obligabantur.

59. Adeo autem hæc libertas recedendi a ſponſalibus poſtmodum firmata, & moribus ſtabilita fuit, ut ne quidem ſtipulatione pœnali, quæ in locum ejus, quod intereſt, ſuccedit, impediri potuerit.

Liquet idipſum ex L. 134. Princ. *de Verb. Obl.* ubi caſus iſte refertur: *Titia, qua ex alio filium babebat, in matrimonium coit Caje Sejo habenti filium. Tempore matrimonii conſenſerunt, ut filia Caji Titio deſponderetur, & interpoſitum eſt inſtrumentum, & adjecta pœna, ſi quia eorum nuptiis impedimento fuiſſet. Caje Sejo martuo, an Caji Seji baredes teneventur ex ſtipulatione?* Negatur hoc ex hac ratione, *eam ſtipulatio non ſecundum bonos mores interpoſita ſit.* Ubi provocat ad mores apud Romanos receptos, ſecundum quos repudia licita, & ita libera erant, ut nullo modo conſtringi poſſent. Additur in ſequentibus hæc ſpecialior catio, quæ ad quæcunque ſponſalia applicari poteſt: *Quia inhoneſtum viſum eſt, vinculo pœnæ matrimonia abſtringi ſive futura, ſive jam contracta.* Duravit hæc Praxis uſque ad tempora Diocletiani, qui in l. 1. C. *de ſponſ.* diſerte fatetur: *Deſponſatas renuntiare conditioni, & nubere aliis haud prohiberi.* Ubi conditionam pro matrimonio futuro, ſau ſponſalibus accipi patet ex L. 11. & 36. de R. N. idque ex ſolemni formula in repudiis uſitata: *Conditione tua non utor*, l. 2. §. 2. *de repud.* ubi hæc decidendi ratio ſubjungitur: *Cum poſſet filia nuntium remittere, etiamſi præſente illo conſilium mutare voluiſſet.*

60. Ad refrenandam horum repudiorum libertatem tandem pœnæ introductæ ſunt, ut ſi temere ſierent, ad minimum non eſſent impunita: ſin ex juſta cauſa, impune omnino admitterentur.

Quadrupli pœnam cum reſtitutione Arrharum jam ſub Imperatoribus Chriſtianis detrectantibus inire matrimonium impoſitam fuiſſe liquat ex l. 6. C. Theodoſ. *de ſponſ.* l. un. C. Theodoſ. *ſi nupt. ex reſcript. pet.* l. un. C. Theod. *ſi Provinciar. Rect.* Vocatur hæc pœna Juris, pœna ex *præcepto legum debita*. Inde Jac. Gothofridus ad cit. l. 6. concludit, pœnam hanc quadrupli lege Julia, & Papia jam inductam fuiſſe, quod hæ leges in jure ſæpe ſimpliciter leges vocentur. Id vero ab omni probabilitate alienum videtur Piſtorio ſupra laudato, ex quo hoc emutuamus: Cum repudia poſt legem Juliam & Papiam admodum libera, & nullis legum conſtricta vinculis fuiſſe ex antecedentibus liqueat, nec ullum in pandectis aut alibi veſtigium ſuperſit, repudiorum libertatem lege pœnali reſtrictam fuiſſe. Provocat Theodoſius in lege cit. *ad veterem conſtitutionem*, quæ ſine dubio eſt anteriorum Cæſarum quædam Sanctio. Hæ enim proprie conſtitutiones vocantur. Et quid ſi aſſeramus Conſtantinum ex doctrina Chriſtianorum forſan hanc pœnam introduxiſſe ad nimiam repudiorum licentiam domandam? ad minimum ante Chriſtianorum tempora haud deprehendimus, frenum huic licentiæ injectum fuiſſe. Equidem quoad divortium provocatur ad pœnam legis in L. 19. de *V. Obl.* qua intelligitur pœna legis Papiæ, & Poppeæ, ſed pœnam divortiis matrimoniorum inflictam, non repudiis ſponſalium intelligi vult laudatus Author. Temperavit poſtea Theodoſius in cit. L. 6. pœnam quadrupli, & quatuor caſus diſtinxit, ita ut quandoque puella impune a ſponſalibus recedere poſſet, ſi nondum eſſet legitimæ ætatis, quandoque vero pœnam ſolvere debeat, ſi jam legitimæ ætatis eſt. Suſtulerunt rurſus hanc pœnam A. 469. Leo & Anthemius Imp. l. 5. C. *de ſponſ.* conſtituentes, ut mulier Majorennis a ſponſalibus temere recedens duplicatas arrhas (arrhæ autem nomine veniebant tam res mobiles, quam immobiles in pignus conſtantiæ datæ), minorennis vero tantum id, quod accepit, reddere cogatur: ob juſtam vero cauſam impune recedere poſſet; id quod etiam ad ſponſum tractum eſt. Hoc modo a veteri Jure receſſum, in quo pœnæ conventionales in ſponſalibus repudiebantur.

61. Apud Chriſtianos ſicut in omnibus erat ſanctior fides præ Gentilibus, ita etiam ſponſalia ſanctius cuſtodiebantur. Patres tamen ſponſalia in rigore ſumpta non aſſerneeant indiſſolubilia.

Cauſæ erant præterea ſpeciales firmitatis ſponſaliorum apud Chriſtianos, tum quia communiter fiebant cum conſilio Presbyterorum & viduarum, teſte Tertulliano *de teſtimonio animæ*; tum quia ritus benedictionis apud Judæos conſuetus ad Chriſtianorum ſponſalia tranſiit.

Contra ſecundam partem laudatus Author diſſerta-

ſertationis *de probatis repudiorum cauſis* opponit quaſdam authoritates ex cauſ. 27. q. 2. Decreti Gratiani, quibus deſponſatæ aliis tradi abſolute vetantur, & quidem notantes canonem 13. & 27. ejuſdem quæſtionis. Sed ſupra N. 56. jam monſtratum eſt contra Fleiſcherum, Patres deſponſationem ibi ſumere non pro ſponſalibus rigoroſis, quæ ſunt futurarum Nuptiarum promiſſa, ſed pro matrimonio inito, necdum conſummato; conſtat enim Patres nuptias ſæpe ſumpſiſſe pro ipſo coitu, unde mulierem ad matrimonium ante coitum non pertinere edicebant. Vide N. 33. Accedit plura eſſe ſuppoſititia, quæ Gratianus laudata quæſtione 2. attulit, & a Correctoribus Romanis majori ex parte notantur. Et quidem canon 13. non eſt apud S. Hieronymum inventus. Canon vero 27. deſumptus eſt ex Ep. Euſebii Papæ ſuppoſititia, ut probavimus Tit. 2. c. 4. §. 5. Quæ res Deſcendentem Domini Bohmeri fugiſſe videtur.

62. Pœnas temporales Primorum Conciliorum Canones in violatores fœderum ſponſalitiorum non deprehenduntur ſtatuiſſe, ſed ſpirituales ſolummodo. Jure canonico pœna temporalis huic præciſe caſui etiam non decernitur; quin videtur, quod pœnæ pecuniariæ Juris civilis eodem Jure non approbentur. Jure tamen noviſſimo Tridentini poteſtas terminis generalibus data eſt Judicibus in cauſis matrimonialibus in violatores ſimiles pœnis temporalibus animadvertendi.

Pro prima parte allatæ propoſitionis adduci ſolet a quibuſdam Canon 54. Concilii Eliberitani Eliberis in Hiſpania A. 305. celebrati, in quo habetur: *Si qui Parentes fidem fregerint ſponſaliorum, triennii tempore abſtineantur; ſi tamen iidem ſponſus vel ſponſa in gravi crimine* (fractæ ſponſalitiæ fidei) *fuerint deprehenſi, excuſati erunt Parentes: Si in eiſdem fuerit vitium, & polluerint ſe, ſuperior ſententia ſervetur.* Sed doctiſſimus Alba-Spinæus illum explicat de violatoribus Matrimonii contracti, nam in nota ad verba *in gravi crimine &c.* ita habet: *Hac lectio mihi magis arridet, quia magis conſentanea rationi: rationem quippe continet, quamobrem Parentes omni culpa & crimine liberat; quia, cum qui matrimonium contraxerant ſponſi & ſponſa, fidem datam perfregerint, Parentes & Agnati omni culpa vacant.* Vide Conciliot. Collect. Colet. Tom. 1. col. 1026. Difficile proin eſt aliquid determinati circa pura ſponſalia ex Patribus edicere, cum uxores communiter ſponſas dixerint; interim tamen credendum, ſponſaliorum benedictorum violatores impune levitatem ſuam haud tuliſſe.

Secunda pars eruitur ex cap. 2. *de adult.* ubi non violator ſponſaliorum, ſed ſtuprator, aut quam ſtrupravit, uxorem habere, aut, ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigari, excommunicatuſque in Monaſterio, in quo agat pœnitentiam, detrudi mandatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia. Ex quo illative deducit Fagn. N. 10. quod monitione aut minis nihil proficiens Judex, violatorem ſponſaliorum carceribus, aliiſque pœnis ad fidem ſervandam adſtringere poſſit. Pœnam autem ſpiritualem his inibi ſtatutam ex eodem cap. eadem œconomia adſtrui poteſt, quæ inſuper expreſſa habetur cap. ex litteris 10. *de ſponſal.* ubi decernitur: *Quia igitur prædicto G periculoſum eſt contra ſuum juramentum venire, Frat. tuæ mandamus, quatenus, ſi hæc tibi conſtiterit, eum moneas, & ſi non acquieverit monitis, eccleſiaſticis cenſuris compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Quod tertiam partem attinet, per capitulum *Gemma* 29. h. tit. ſublatas eſſe pœnas Jure Civili in violatores ſtatutas ſponſaliorum, ſentiunt plurimi Canoniſtæ, quos h. t. N. 187. refert Reiffenſtuel. Sic autem habet: *Gemma mulier nobis expoſuit, quod, cum T. filia ejus cum C. contraxit matrimonium, B. de Alſeria ea occaſione, quod inter P. filium ſuum, & prædictam puellam intra ſeptennium conſtitutos ſponſalia contracta fuerunt, pœnam ſolvendam a parte, quæ contraveniret, in ſtipulatione appoſitam, ab ipſa nititur extorquere. Cum itaque libera matrimonia eſſe debeant, & ideo talis ſtipulatio propter pœnæ interpoſitionem ſit merito improbanda, mandamus, quatenus ſi ita eſt, eundem B. ut ab extorſione prædictæ pœnæ deſiſtat, Eccleſiaſtica cenſura compellas.* His Authoribus ſe opponit Reiffenſtuel, contendens hoc capitulo nequaquam prohiberi appoſitionem pœnæ ſponſalibus *in genere*, ſed tantum ſponſalibus *invalidis*, qualia erant in caſu, utpote infra ſeptennium contracta. Replicant Adverſarii, quod ratio a Pontifice adhibita ſit irreſtricta, conantur elidere, opponendo legem Evangelicam, vetantem ſub pœna ignis æterni ſine cauſa receſſum a ſponſalibus legitime contractis, cum talis receſſus ab omnibus judicetur mortaliter peccaminoſus; tum cap. 2. *de adulteriis* ſupra rel. ac Trid. infra referendum, quæ pœnas corporales, vel alias temporales ordinant ſimilibus violatoribus, quin judicent eas requiſitæ, ac ſufficienti libertati ad matrimonium officere. Sed tranſmiſſo, quod cap. 2. *de adult.* ſit intelligendum de caſu præſenti, cum de ſtupratore atrocis criminis ten diſponat, ut ſupra vidimus, & admiſſo jure novo Tridentini Judices in caſu poſſe procedere ad pœnas pecuniarias, aliaſque, imo debere, priuſquam excommunicationis pœnam decernant, hæc non videntur juvare cauſam P. Reiffenſtuel, ſed potius indicare diſpoſitionem capituli *Gemma* ſucceſſu temporis per latiorem interpretationem c. 2. de adult. ac demum per contrariam diſpoſitionem Tridentini eſſe ſublatam. Id quod ipſe doctiſſimus Canoniſta cum communiori forſan ſenſiſſet, ſi advertiſſet Capitulum *Gemma* eſſe Gregorii IX. qui Decretales curavit compilari per S. Raymundum, nullamque habere ſuperſcriptionem, Gregoriumque ex fine a ſe in Epiſtola confirmatoria decretalibus præfixa indicato, *ut nempe nonnulla ex ſuis decretalibus, quæ in prioribus erant dubia, declararentur*, ex Jure civili ultro, non aditum a Conſultoribus ullis vel Litigatoribus, pleraque ſumpſiſſe, & inſeruiſſe; quo fit, ut in ejus conſtitutionibus plerumque nemo inſcribatur, ad quem conſtitutiones dirigantur; hæc enim circumſtantia videtur aperte prodere, Gregorium non voluiſſe parabolico ſuo reſcripto inhibere appoſitionem pœnæ violatoribus ſponſaliorum invalidorum, ſed poſteriores leges civiles in hac materia tollere, & in temporalium pœnarum locum cenſuras cap. 10. *ex lit.* ſtatutas ſuccedere. Id quod inſpicienti rationem capituli apparebit.

Quarta pars propoſitionis ex ſeſſione 25. ejuſdem Concilii cap. 3. eruitur, ubi habetur: *In cauſis judicialibus mandatur omnibus Judicibus Eccleſiaſticis, cujuſcunque dignitatis exiſtant, ut quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria authoritate ab ipſis fieri poterit, abſtineant ſe tam in procedendo, quam definiendo a cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu interdicto, ſed liceat eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus* (hoc eſt civiliter intentatis) *ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoſcunque etiam Laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis piis ibi exiſtentibus eo ipſo, quod exactæ fuerint, aſſignentur, ſeu per captionem pignorum, Perſonarumque diſtrictionem per ſuas proprias, aut alienos executores faciendam, aliaque Juris remedia procedere, & cauſas definire &c.* In quem

locum

locum notant Cenoniſtæ, quod licet Jure Decretelium olim cenſurs excommunicationis fuerit remedium *Ordinarium*, quo pro executiune ſententiæ ſuæ uti debebes Judex Eccleſiaſticus arg. cap. dilect. *De Sent. Excom.* in 6. diſteictio vero Perſonalis, ac brachium ſæculare fuerit remedium *Extraordinarium*, ſeu ſubſidiarium, uipote tunc ſolummodo edhiberi ſolitum, quando cenſuris nihil efficiebetur, uti bene obſervat Fagn. cuens S. Congregationis Decretum; tameo bodie poſt Concilium Trid. res inverſo ordine ſe babeat, ite ut cenſura excommunicationis ſit remedium *extraordinatium*, ſecundarium, ec queſi ſubſidiarium, execuuo veru realis aut perſonalis ſit remedium ordinarium ac primarium; hoc ipſo, quod hodie Judex Eccleſiaſticus cenſures edbibere nequeat, quendo execatio eealis aut perſonalis fieri poteſt. Quæ prexis quotidie obtinet circa violatores ſponialium in tribunelibus Eccleſiaſticis.

63. Solemuitates præcipuæ ſponſaliorum fubInde fuerunt in Eccleſie, quod in facie Eccleſiæ celebrereuıur, atque e Sarardote benedicerentur.

Sponſelium benedictionem Bohmerus, ejuſque diſcipolus Piſtorius cit. differt. *de probatis eepudiorum cauſis* §. VIII. cum aliis Proteſteotium Jureconſultis ad prime Eccleſiæ Sæcula reducunt, Patrumque teſtimonia, quæ noſtri Theologi Matrimouio reto, hilce ſponſalibus de futuro epplicant. In hunc finem leudetus Piſtorius L. cit. 1. adducit Tertulltanum lib. *de teſt. animæ* c. 2. ſeſtantem, benedictionem ſuo ævo quibuſcunque eliis negotiis edhiberi ſolitem, & deſponſationem cum conſilio Presbyterorum & viduerum ſuſcipi conſueviſſe. Quod Tertullienum rurius confirmare eit *de Monog.* c. 10. ſubdens: Et quamvis ab initio hæc benedictio nun prærise pee Presbyteros fieret, puſtee temen receptum eſt, ut apud Eccleſiem publicareotur, nec occultæ conjunctiones tolerarentur, teſteeodem *de pudic.* c. 4. Pergit 2. Hoc more introducto benedictio quædam deſponſatis io Eccleſia facta eſt, oblationibus etiem adhibitis, que de cauſa Tertullienus lib. 2. *ad uxoe.* c. ult. ait: *Eccleſiam conciliare Mattimonium, oblationes confirmare, & benedictiouem abſignare.* Quod plerique, ioquit, quidem ad copulam ſacerdoialem trehunt, ſed ſine ſufficieotibus argumentis, ut nuper admodum oſteudit D. Præſes (Bubmetus) differt. *de Jure Princ. Proteſt. circa ſolemnia matr. Eccl.* §. 9. Non enim edvertunt mores antiquos Eccleſiarum ex facie rerum præſentium, quæ ente oculos noſtros verſantur, haud eſſe æſtimandos, cum conſtet vocabula antiqus ſæpius eſſe retente, rerum ſignificatum tamen ex moribus & inſtitutis novis eſſe immutetum. Obſigusbat ergo Benedictio ſponſelia; & hæc eis oovum eobur addere videbatur, ut quod per Eccleſiam epprobstum, & ejus benedictione obſignatum, reſcindi facile non poſſet. Poſt hæc 3. edducit teſtimonium Siricii Pepæ, qui ſedit ed finem Sæculi IV. apud Gret. 27. q. e. c. 50. ubi eum de ſponſaliorum nexu ita differere ait: *De conjugalium violatione eequiſiviſti, ſi deſponſatam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere? hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam Nuptura Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſarrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* De deſponſata puella tantum loquitur, non de jam ducta, gloſſatur Piſtorius; & pergit 4. Chryſoſtomus quoque homilia 48. io Geneſim idem confirmat, docetque advocendos eſſe Presbyteros, qui pet preces & benedictionem conjunctionem confirment, ut ſponſi amor & ſponſæ caſtitas iude augeretur. 5. Quod ipſum Tertull. *de monog.* c. 9. jam ante his confirmeverat verbis: *Et conjungrut vos in Eccleſia Virgine unius Chriſti unira Sponſa.* 6. Ambroſium Beato Auguſtino ſuaſiſſe refert Poſſidius in vite ejus c. 27. *Ne cuiquam uxarem poſceret, ne, dum inter ſe conjugati raſu jurgaeentur, cum maledicerent, per quem conjuncti eſſent, ſed ut plane ad hoc ſibi conſentientibus petitus intereſſe debeat Sacerdos, ut vel eorum jam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur.* Poſt hæc 7. concludit: Videtur bic mos per eliquot ſæcula in Oriente continuetus eſſe, adeo ut poſtea noo tantum ſponſelibus, ſed etiemſi ipſi matrimonio benedictio ſolemnis acceſſerit. In rujus rei confirmsrionem edſert auream Bullam Nirephori ao *bibl. antiq. Jur. Can.* edit. Juſtelli & Vocllii p. 1085. poſt cujus fragmenta in medium allate finaliter notet, ipſa ſolemnia hujus benedictionis referri in Eucbologio Græco (Goarii) pag. 380. ſeqq. Hæc ille.

Aotequam mentem meem eperiem circa ſenſa ipſe horum euthurum jam ellata, de intentione illorum, cur benedictionem Sacerdotelem aliquot ſæculis ſolis ſponſalibus, et deinde etiem nuptiis impertitam fuiſſe eſſerere conentur, ſuſpicari mihi liceat. Videotur eutem eam habere intentionem, ut bec œconomia argumentum noſtris Theologis ooo infimi ſubſellii eripiaut, quod petuut a benedictione Sacerdotali nuptiis Chriſtienorum conſtaoter in Eccleſia impertiti juſſa, ac impertita, ed probandum Eccleſiam continua traditione nuptiis novi teſtamenti habuiſſe pro re ſacra, ſeu Sacramento e Chriſto inſtituto. Quod autem falſa ſit hæc propoſitio, ſolvendo ergumeota adverſeriorum, & ratioues oſtenſivas ex eorum etiem penu ſubinde adſerendo oſtendam. Et 1. ad Teſtim. Tertulliani ex lib. *de teſtim. animæ c.* 2. dico, Tertullianum ibidem ite ſcribere: *Etiam quod penes Deum bonitatis & benignitatis omnis benedictia inter nos ſummum ſit diſciplinæ & converſationis Sacramentum, benedicat te Deus, tam facile pronuntias* (gentilis), *quam Chriſtiana neceſſe eſt.* Quo loco vulgerem ſolum benedictionem intelligere videtur Tertullieous, de qua Pſalmiſta loquitur, *Et non dixerunt, qui præteribant, benedictia Dei ſuper vos, benedisimus vobis in nomine Domini:* quæ res apud Chriſtianos facta eſt diſciplinæ & converſationis, atque obviis prorſus negotiis a caſu adveoientibus impertiebatur; non vero illam ſolemnem ec cæremonialem. Quod ſi adverſarius hanc per ſequelam ex textu elici prætendat, non ebnuo, ſed peto probari 1. an hæc quibuſcunque negottis adbiberi ſolits ſit ſæculo tertio? de que re ue verbum quidem hebet Tertullitauus. 2. Si vero majoris momeoti, ſanctitatiſque rebus, cur ſpooſalibus taotum, oon item matrimonio rato? At id fortaſſe docet Tertull. *de monog.* cep. 11. Verba illius edduco ex edit. Rigaltii pag. 531. *Qualis es* (alloquitur Bigamum) *id matrimonium poſtulans, quod eis, a quibus poſtulas, non licet babere; ab Epiſcopo Monogamo, a Presbyteris & diaconis ejuſdem Sacramenti, a viduis, quarum ſectam in te recuſaſti? & illi plane ſic dabunt viros & uxoees, quomodo buccellas. Hoc enim eſt apud illos, Omni petenti ne dabis, & conjungent vos in Eccleſia Virgine Unius Chriſti unica Sponſa.* In quo conjungentur, Doctoe Africene? in eo, quod petierunt. Quid petierunt? matrimonium. Ergo non contrabent ſponſalia ad mentem Tertulliani, Domine Piſtorie. Non tamen nego primis ſtatim ſæculis ſpouſelia de futuro in facie Eccleſiæ fuiſſe contracta, ac benedicta, ſed quod contendo, eſt, id ex allatis teſtimooiis clare non probari. Et binc ad L. ejuſd. Patris N. e. allatum ex parte ptobo reſponſionem ibi datam, cum non negem, oec ignorem vocabula eotiqua ſæpius eſſe retente, eorum vero ſignificationem uſu reeen-

ceotiori immutatam, id enim per decurſum operis hujus ipſe non ſemel annotavi. Sed quod Tertull. L. cit. per matrimonium intelligat ſponſalia de futuro, id mihi tota ſua authoritate non perſuadebit Bohmerus. Si enim primi Chriſtiani in nuda matrimonii promiſſione Eccleſiæ conciliationem, oblationem ad altare, & Sacerdotalem benedictionem adhibuerunt, cur non magis in ipſo ineundo matrimonio. Dixi ſuperius Patres uxores ſubinde ſponſas appellaſſe, aliquos etiam necdum cognitas ad matrimonium adhuc non pertinere edixiſſe, ſed non memini me legiſſe ipſum matrimonii vocabulum ad ſignificanda ſponſalia de futuro u quoquam uſurpatum fuiſſe. Et ſi in hoc fortaſſe erro, contendo, Tertullianum hic de matrimonio rato locutum. Eandem ſenteotiam circa mentem Siricii tertio L. allatam ſovro; quod vel ex duobus conſtat, primo, quod ibi loquatur *de conjugalium violatione*, a. quia ſponſalia ſentit *indiſſolubilia*. Unde Gratianus ad hunc canonem hanc ſponſam vocat in domum ſponſi jam ductam, & cum ſponſo ſuo velatam & benedictam, eamque comparat uxori viri frigidi, quæ authoritate Gregorii ab altero marito ad priorem redire cogitur, ſi hic aliam cognoviſſe deprehendatur. Hæc autem uxor illi ſponſæ comparata certe non fuit ſponſa de futuro, ſed de præſenti, ergo & altera reſte Gratiano. Siricius ergo vocavit illam ſponſam, ſicut alii Patres B. Virginem, vel alias uxores necdum cognitas. Eodem ſenſu intelligendus venit Chryſoſtomus 4. loco allatus. Sic enim habet L. cit. *Cur honeſta nuptiarum myſterio invulgas? oportebat omnia hæc depellere, & verecundam principio docere puellam, & Sacerdotes vocare, & precibus & benedictionibus concordiam conjugii conſtringere: ut amor ſponſi augeatur, & puellæ continentia creſcat; & omnia, quæ fiunt, ea ſpectent, ut virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturque e medio omnes diaboli inſidiæ, & ipſi Dei auxilio uniti jucunde vitam perficiant.* Ad Tertulliani authoritatem N. 5. recoctam jam reſpondimus N. a. quæ æque de conjunctione maritali intelligenda eſt ac illa S. Poſſidii N. 6. adducta, cum ibi uxoris, ac conjugatorum mentio aperta fiat, & conſequenter etiam de firmatione & benedictione pactorum matrimonialium intelligendus veniat. Ex his ergo falſa redditur propoſitio Piſtorii, *morem prioribus Eccleſiæ ſæculis fuiſſe ſola ſponſalia de futuro benedicendi, qui ſucceſſu temporis ad ipſas etiam nuptias extenſus ſit*. Cujus contrarium demonſtro ex ipſis fragmentis Aureæ Bullæ Nicephori ab adverſario inconſulte omnino pro ſe allatis. Sic autem habet primum: *Poſtquam vetus lex ſponſalia in ſola contrahentium voluntate conſtituit, nihilque amplius, quam de conſenſu, inſtrumentis, & ſponſalitiis arrhis elaborat: noſtris autem temporibus communis vitæ negotia ad longe ornatius, magiſque ſacrum divina gratia devenerunt incrementum, atque hinc non nuptiæ ſolum, verum etiam ſponſalia peragendam ſacram benedictionem ſibi conjunctam habent.* Quæſo, Domine Piſtori, qui dicit antiquam legem (quam ipſe §. 6. dicis ab aliquo Chriſtiano Impratore, & probabilius a Conſtantino editam) qui, inquam, dicit antiquam legem ſponſalia in ſola voluntate, inſtrumentis, arrhisque firmata conſtituere, ac deinde ad ornatius ſuum ævum provocans, non ſolum nuptias, verum etiam ſponſalia benedici aſſerit, anne a ſponſalium benedictione ad illam nuptiarum greſſum facit? minime hanc, ſed potius primis ſæculis ſponſalia, ut plerumque nunc, ſola civili ſolemnitate contracta fuiſſe contendit, reſervatis cæremoniis Eccleſiaſticis matrimoniali contractui, utpote a Chriſto in ſacramentum elevato, quæ ſubinde ad ipſa ſponſalia extenſæ ſint. Ad colophonem Piſtoriajo, in Euchologio Græco a Doctiſſimo Goario edito, & notis illuſtrato, duo extant officia nuptialia, quorum primum inſcribitur: *Ordo ſervari ſolitus in ſponſalibus celebrandis, videlicet in nuptiarum ſubarrhatione*: ſecundum vero: *Officium coronationis nuptiarum*, in editione Veneta de A. 1730. qua utor, pag. 310. & ſeqq. in quibus exhibentur ſolemnes tum ſponſaliorum, tum coronationis nuptiarum cæremoniæ, ac benedictiones, ex quibus tamen non evincitur Patres ab adverſariis jactatos loqui de benedictione ſponſalium de futuro; ſed id ſolum, quod in Eccleſia ſubinde non ſolum nuptiæ, verum etiam nuptiarum præambula ſolemni benedictione ſacrari conſuerverint. Id quod ſolum intendit propoſitio.

64. Ritus in ſponſalibus celebrandis ab Euchologio Græcorum præſcripti ſunt: quod Sacerdos recens Nuptorum tertio capita ſignet, cereos accenſos eiſdem tradat, preces deinde varias, ac benedictiones ſuper eos fundat, crucem ſuper eorum capita annulis faciat, eoſque digitis eorum immittat; quos dein commutat aſſiſtens Paranymphus.

Ad probandam propoſitionem Rubricas Euchologii pro ſponſalibus tranſcribo: ſic autem habent: *Poſt divinam Miſſam, ſtante in ſacrario Sacerdote, conjugio copulandi præ ſactis foribus conſiſtunt. Vir quidem a dextris: mulier autem a ſiniſtris. Sunt vero repoſiti in dextra S. menſæ parte duo ipſorum annuli, aureus, & argenteus. Ex iis argenteus dextrorſum reſpicit, aureus ſiniſtorſum, juxta ſe invicem; tum Sacerdos recens nuptorum tertio capita ſignat, traditque illis cereas accenſas, & in templum illos inducit. Et cruciformiter thus adolet: & dicitur a Diacono: Benedic Domine. Inclamatque Sacerdos &c.* Sequuntur plura reſponſoria, & duæ orationes ſuper ſponſos. *Acceptis deinde annulis* (pergit rubrica) *Sacerdos donat primum viro aureum, tum argenteum mulieri. Et dicit viro:* Subarrhatur Servus DEI N. propter ancillam DEI N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. —— *Deinde dicit mulieri:* Subarrhatur ancilla DEI N. propter ſervum DEI N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. —— *Cumque ter ad unumquemque hoc dixerit, crucem ſuper eorum capita facit annulis, & utrumque dexteris eorum digitis immittit. Deinde recens nuptorum annulos commutat aſſiſtens Paranymphus.* In his Rubricis nulla fit mentio conſenſus ſponſalitii ex parte ſponſorum; advertit autem Goarius ad illa verba Rubricæ, *Tum Sacerdos recens nuptorum tertio capita ſignat*, annotare hic antiqua edita (Euchologia), de quo alibi profundum ſilentium, Sacerdotem ſponſos de matrimonii contrahendi propoſito interrogare, & num libere conjugium ſuſcipiant: *Sacerdos autem* (verba antiquorum Euchologiorum addurit) *eos interrogat, num ex libertate conjungi velint? & cum interrogaverit, & ipſi annuerint, cruce ſignat capita eorum &c.* Quæ verba, ſi ad literam ſumantur, certe ſignificare videntur conſenſum matrimonialem, non ſponſalitium; cum velle conjungi, actualem conjunctionis maritalis voluntatem exprimat, in cujus expreſſione matrimonii rati contractus conſiſtit. Sed non ad literalem verborum ſenſum, verum ad intentionem proferentium eſſe attendendum (quemadmodum id facere neceſſe eſt in variis Latinorum Fidelium formulis, quibus ſponſalia celebrant) ſuadere poteſt ex iis, quod eodem Goario teſte in nota ad ritulum officii, Græci ſponſaliorum iſtorum violatoribus pœnam *Proſtimon* ſubeundam adjungunt. Quamvis vero apud ipſos matrimonium ex variis cauſis diſſolvi poſſit, non tamen ita, ut vir uxorem relinquere

quęat,

queat, ſi mulctam deſertioni taxatam ſolverit. Secundo, quia Græci ſponſalium, ratique matrimonii contractum a ſe invicem diſtinguunt, ut actus ex objecto diverſos, atque hinc diverſis temporibus utrumque celebrant, diſtinctumque officium utrique aſſignant, ut ex dictis patet, & clare habetur expreſſum in Alexii Comneni novella *de ſponſal.* Juris Orient. lib. 54. ubi legimus: *Imprimis ſponſalia decantatis Sacris precibus, illorumque ſolemnibus, arrha videlicet, grat que deſponſatis oſculo* (nunquam enim alias niſi cum integre famæ jactura conceſſum eſt oſculum) *ubſervatis perficiantur, atque deinde exiguo longiore tempore, prout contrahentibus viſum fuerit, intermiſſo citra recuſationem etiam legitima nuptia procedant*. Ad quorum intelligentiam notandum, ante Alexii Comneni, qui Orientali Imperio Sæculo XI. præfuit, tempora, ſponſalium ratique matrimonii ſolemnitatem uno temporis tractu celebratam fuiſſe, id quod ipſe in eadem Novella advertit, quem morem relato §. auferre voluit. Advertit tamen Goarius ad primam Rubricam officii coronationis, ejuſdem Imperatoris Novellam nil prohibuiſſe, quin veteri Jure ſervato, contractus, ſponſalia, & matrimonium, nullo tempore interjecto apud Græcos hodie celebrentur. Rubricæ verba ſunt: *Siquidem voluerint* (per præcedens officium ſolemniter deſponſati) *eodem temporis ſpatio coronari, ingrediuntur in templum ſponſi cum cereis accenſis*. Tertio id ſuadet tenor ipſarum precum, quæ in dicto officio verbo ſponſaliorum, & ſubarrhationis, ſeu oppignorationis conſtanter utuntur per τὸ *Neo-Nymphon*, quod recens deſponſos ſignificat, quamvis Goarius verbum illud per τὸ *recens nuptos* latine reddiderit; in Officio vero coronationis τὸ *Gamos*, quod nuptias proprie exprimit, occurrit. Quæ in Rubricas hujus officii ex Goario hic annotanda eſſent, commodius infra de Ritu nuptiarum expedientur. Omnes enim auctoritates ex Latinis Patribus & Conciliis ab ipſo allatæ ad nuptiarum, non ſponſaliorum Ritus pertinent. Et hinc eſt, quod de œconomia Eccleſiæ Latinæ circa ſponſalia nil dicere valeam. Id certum videtur, ea primitus non clanculo, ſed in facie Eccleſiæ, ac cum Religioſa ſolemnitate, quemadmodum in Eccleſia Græca celebrari conſueviſſe, ſed forte etiam eodem temporis tractu cum ipſis nuptiis.

65. Mos iſte veterum Chriſtianorum laudabilis contrahendi ſponſalia in facie Eccleſiæ non quidem amplius eſt univerſalis in Eccleſia Latina; in variis tamen Diœceſibus adhuc obſervatur mos contrahendi ſponſalia publice coram Parocho abſque tamen benedictione, aliiſque ſolemniis, Græcis conſuetis.

Non eſſe univerſalem, vel ex eo patet, quod de eo nihil habeat Rituale Romanum, neque Ritualia Diœceſium noſtrarum orarum.

Quantum ad ſecundam partem Manuale Cameracenſe decernit: *Sponſalia a nemine, præterquam a Parocho alterius deſponſandorum, vel ejus Vicario, ſeu alia de ipſius vel Ordinarii licentia eſſe celebranda*. Addit Vaneſpen: Idipſum paſſim omnia Ritualia inſinuant; Parochum ubique legitimum ac ordinarium ſponſalium Miniſtrum, eorum quo ſponſalia ineunda ſint, ſupponentia. Cameracenſe Manuale & locum determinat, ubi contrahenda ſunt; *Non aliter*, inquiens, *quam publice, aut alibi, quam in Eccleſia, vel ſacra capella, vel cœmeterio fiant*: Addit Mechlinienſe: *aut alia loco, publico ſeu honeſta, minime vero in cauponis*. Requirunt inſuper hæc Ritualia, ut adſint teſtes, formulaſque deſponſationis utrique parti præſcribant; quibus prolatis Sacerdos dicit: *Et ego tanquam Miniſter Eccleſiæ Dei, ejus nomine hanc veſtram mutuam promiſſionem accepto & approbo*. Ubi nulla benedictionis fit mentio, ſignum, quod in deſuetudinem abierit apud Latinos. Ex quo patet 3. propoſitionis pars. Reverendiſſimus, ac Celſiſſimus Princeps, Archiepiſcopus noſter, perſentiſcens, quanta incommoda naſci ſoleant ex clandeſtinis deſponſationibus, ſequentem in Vernalibus de A. 1746. N. 6. fecit diſpoſitionem. *Licet ſponſalia, quæ dicuntur de futuro, ſecreto etiam & abſque teſtium præſentia, ſeu inter ſolas contrahentes facta, ſint, & maneant valida (uti præclara illa Pragena Synodus loquitur), neque harum ſerie eorumdem valori, & obligationi derogare ullatenus intendatur, ſed taliter contrahentes ad implementum eorum in conſcientia omnino teneantur; nihilominus tamen juſtis ac urgentibus de cauſis, & ad præcavendas varias fraudes, dolos, non raro etiam perjuria, circumventiones, aliaque tam ipſarum partium ad depauperationem uſque litigantium, quam aliorum incommoda, ac optimorum Parentum ſæpiſſime triſtitiam, & tædia, quæ occaſione Clandeſtinarum ſponſaliarum nimis ſæpe eveniunt, & committuntur; ſua Reverendiſſima Celſitudo Dominus Dominus Joannes Mauritius Guſtavus Archiepiſcopus noſter Gratioſiſſimus, ſaluberrimo memoratæ Archidiœceſanæ Synodi Pragenſis ad A. 1605. celebratæ Decreto de Matrimonio, -- aliarum Diœceſum uſui, & graviſſimorum Auctorum Doctrinæ inſiſtens, præſentis conſtitutionis tenore decernit, & ſtatuit: ſi deinceps ſponſalia, quæ vocant de futuro, aliter quam coram duobus vel tribus teſtibus idoneis, & Jure non prohibitis (quibus exigente neceſſitate concludenter probari poſſint) aut per authenticum Inſtrumentum ſcriptum, ab utraque contrahentium parte propria ſubſcriptione roboratum, quod mutuam promiſſionem non obſcuris, ſed claris verbis contineat (qui poſterior attamen probandi modus de perſonis, quæ ſui juris ſunt, intelligendus eſt), contracta fuerint, & dein partes ex capite ſponſaliorum clam, id eſt, abſque teſtibus vel inſtrumento ſcripta, ut præmittitur, initorum in foro externo, ſeu in hacce Curia Archiepiſcopali actionem judicialem intentare vellent, non eſſe audiendas, ſed a limine judicii rejiciendas. Deinde vult Celſiſſimus, ut Parochi populum graviſſimis verbis adhortentur, ut impoſterum hujuſmodi ſponſalia de futuro -- ſemper in loco honeſto, tempore convenienti, ſobria & deliberata mente fiant, in iiſque (quod aliunde in pluribus hujus Archidiœceſis locis & civitatibus laudabiliter obſervatur) idonei teſtes adhibeantur*.

66. Ad ſolemnitatem matrimonii in Eccleſia Latina quoque pertinent Banni, ſeu proclamationes, quorum uſus antiquus admodum exiſtit.

Hæ proclamationes contrahendi matrimonii eo fine introductæ ſunt, ut ſi quis eidem quidpiam opponendum habeat, edicat, ſive opponat; quemadmodum manifeſte inſinuat Innocentius III. c. 27. *de ſponſalibus*, ſcribens Epiſcopo Balaucenſi, præſertim ſi legatur Decretalis, ut exſtat in veteri collectione apud Antonium Auguſtinum, inquit Van-Eſpen, ubi hæc leguntur: *Sane quia contingit interdum, quod aliquibus volentibus contrahere matrimonium, Bannis, ut tuis verbis utamur, in Eccleſiis ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ editis &c.* Ex quibus patet tempore Innocentii proclamationes matrimoniorum jam in uſu fuiſſe.

67. Mos tamen iſte tum necdum fuit univerſalis videturque ab Eccleſia Gallicana in alias tranſiſſe.

Prior pars evincitur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. celebrato, ubi dicitur: *Specialem quorundam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando ſtatuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in Eccleſia per Presbyte-*

ros proponantur competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat.

Secundam partem teſte Vaneſpen ex ultimis cap. 27. *de ſponſal.* N. præced. citatis verbis, quæ S. Raymundus omiſit, poſt Cujacium elicit Fileſacus lib. *de origine Parochiarum* cap. fin. cum ibi Pontifex conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ notanter laudet.

68. Proclamationes a Concilio Lateranenſi ad univerſam Eccleſiam extenſas Synodus Tridentina enucleatius præcepit faciendas.

Verba ejus ſunt cap. 1. ſeſſ. 24. de ref. Matr. *Idcirco Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcipit, ut impoſterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum.* Diſpenſari tamen poſſe in dictis proclamationibus ſacra Synodus cenſuit, dum ſubdit: *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho & duobus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur, deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant.* Ubi unam duntaxat cauſam diſpenſationis expreſſit Synodus, nimirum cum advertitur periculum, matrimonium malitioſe impediendum, ſi tanto tempore differendum ſit, quouſque tres denuntiationes præceſſerint. Addit nihilominus duplicem limitationem Synodus. Unam, ut tunc ſaltem una denuntiatio præcedat. Alteram, ut ſi periculum tale ſit, ut nec tantillo tempore differri queat, permittatur ſine prævia denuntiatione matrimonium ſolemnizari, ſed ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant: verba ſunt Eſpenii p. 2. tit. 12. c. 3. N. 18. qui & ſubdit, At poſterior cautio hic in Belgio non ſolet adhiberi teſte Zypæo *de ſponſal.* N. 50. Qui ibidem poſt allata varia mandata Synodalia de præmittendis proclamationibus N. 25. ita ſcribit: Si hæc toties iterata Eccleſiæ mandata, nec non mala, quæ ex omiſſione Proclamationum oriuntur, ſerio attendantur, apparebit, facilem illam, qui in quibuſdam diœceſibus inolevit, diſpenſationum uſum eſſe ſummum ac perniciosum abuſum, nolla conſuetudine, quæ potius corruptela dicenda eſt, juſtificandum; ipſiſque Epiſcopis omnino adlaborandum eſſe, ut tam nocivus abuſus tollatur, atque Regulæ Eccleſiæ toties iteratæ & inculcatæ ſerventur. Id certum eſt, Tridentinum hos Bannos efficax judicaſſe remedium ad obviandum matrimoniis clandeſtinis, quæ adeo deteſtabatur, ut ea annullaverit.

69. Cum nuptiæ ſint contractus ſummi momenti, utpote individuam vitæ ſocietatem inducentes, maximæque utilitatis in genere humano, in earundem celebratione cæremoniæ, certique Ritus ſolemnes omni tempore, atque ab omnibus gentibus adhibiti ſunt.

Omitto hic cum Berti tractatu de cæremoniis, quibus nuptias celebrarunt Gentiles, tacendo Virides Ramos, accenſos funales cereos, Epithalamia &c. quæ in opere de ritibus nuptiarum explicavit Caſalius. Mitto quoque Ritus, quibus in nuptiis utuntur Judæi, de quibus complura in Miſchna libro Kidduſchin de conjugiis, & apud Joan. Seldenum de uxore Hebraita. Silentio quoque cum eodem prætereo, quæ apud Indos Orientales ſervari ſuperſtitioſo ritu dicuntur, circulos ad avertenda maleficia, hordeique auſpicium ex confarreatione, id eſt, farreo libo Gentilium, aut e ſatione in Hebræorum nuptiis adhibita derivatum, nec non funiculum, quem Taly appellant, ſuperſtitioſum numerum ferculorum, lotea vaſa, arborem Areſciomaram, aliosque Sinenſium Ritus non ſemel ab Apoſtolica Sede damnatos; atque Ritus, quos Eccleſia tum Occidentalis, tum Orientalis in faciendo nuptiali fœdere olim adhibuit, & nunc adhibet, ſolum recenſebo, utpote ex quibus aperte proditur, utramque Eccleſiam matrimonium conſtanter habuiſſe pro vero Eccleſiæ Sacramento. His vero adnumerantur benedictio, coronatio, ſponſæ velatio, porrectio annuli, ac dexterarum conjunctio, de quibus jam.

70. A primis ſtatim Eccleſiæ Sæculis Nuptiæ Chriſtianorum in facie Eccleſiæ celebrabantur, atque a Sacerdote benedicebantur.

Eccleſiam Clandeſtina matrimonia conſtanter deteſtatam fuiſſe, infra ſuo loco oſtendetur. Nunc quod benedictionem attinet, Tertullianus Sæculo III. lib. 2. ad uxorem c. ult. ait: *Eccleſiam conciliare matrimonium, oblationes confirmare, & benedictionem obſignare.* Siricius Sæculo V. in Ep. ad Himerium c. 4. *Illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam Sacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Plura teſtimonia N. 63. attulimus, atque contra Bohmerum, aliosque Proteſtantium recentiores Jureconſultos nuptiis, non ſponſalibus de futuro applicanda oſtendimus. Infra vero tractaturi quæſtionem, an matrimonium ſit Sacramentum, diſcutiemus, an benedictio hæc, de qua primitivæ Eccleſiæ Patres frequenter mentionem faciunt, fuerit ſacerdotalis copulatio ad ſubſtantiam matrimonii, ut Sacramentum eſt, pertinens, an vero illa accidentalis, quam Jus Canonicum & Tridentinum Seſſ. 24. c. 1. *de reform. matrimonii* a copulatione Parochi diſtinguit, quæque denegatur ſecundo nubentibus t. t. & 2. *de ſecundis nuptiis*, ut ſupra N. 40. vidimus.

71. Ritus celebrandarum nuptiarum ab Euchologio Græcorum in officio coronationis nuptiarum præſcripti ſunt, quod Sacerdos acceptis coronis ſponſos coronet, commune dein poculum a ſe benedictum ipſis usque tertio diſtribuat, deinde verſus in circuli, ſeu choreæ formam ipſe aut populus ſacros verſus moduletur, ac demum coronas ſponſis impoſitas denuo tollat.

Id docent rubricæ Euchologii L. cit. quæ ita ſonant: *Siquidem* (deſponſari per præcedens officium) *voluerint eodem temporis ſpatio coronari, ingrediuntur in templum ſponſi cum cereis accenſis. Præcedente Sacerdote cum thuribulo, & canente Pſalmum modo ſequenti.* Sequitur prolixa Verſuum ac Orationum decantatio, *& poſt reſponſum, Amen, Sacerdos acceptis coronis, primo coronat ſponſum dicens*, Coronatur ſervus Dei N. propter Ancillam Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Deinde coronat ſponſam dicens*, Coronatur Ancilla Dei N. propter Servum Dei N. in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Tum benedicit eis ter, tribus nempe vicibus dicens: Domine Deus noſter gloria & honore corona illos.* Poſt interjectas varias preces pergit rubrica: *Deinde in medium profertur commune poculum, & benedicit illud Sacerdos; -- tunc accepto Sacerdos in manibus communi poculo diſtribuit ipſis uſque tertio. Viro primum, deinde uxori. Et confeſtim deducens eos Sacerdos, Paranympho retro ſuſtinente coronas, vertitur in circuli ſeu choreæ formam, & cantat Sacerdos, aut populus præſentes modulos; -- tum coronas tollit, & ſponſi coronam auferens ait:* Magnificare ſponſe ſicut Abraham, & ſicut Iſaac benedicaris, multipliceris ſicut Jacob, progreſſus in pace, & faciens in juſtitia præcepta Dei. *Et cum ſponſæ coronam detrahit*, Et tu ſponſa magnificare ſicut Sara, & lætare ſicut Rebecca, velut Rachel multiplicare, proprio viro condelectata, le-

gis

gis terminos obſervant; *ita enim Deo complacuit*. Sequuntur duæ orationes. *Ingrediuntur deinde Sacerdos, & ipſis bene precantur aſtantes, & poſtquam oſculis ſe mutuo exceperint, fit a Sacerdote perfecta dimiſſio*. Duo Barbarina MSſ. de coronatione ita habent: *Utrumque deinde coronat, & apprehenſis dextris eorum manibus, jungit ad invicem, & dicit Sacerdos: Pax omnibus*. De conſenſu pei nubentes exprimendo nulla in his altiſſive MSſ. fit mentio, quem tamen ipſæ cæremoniæ mox deſcriptæ exprimere videntur, præſertim dexterarum conjonctio & coronatio. Jam quod coronas nubentium attinet, Nuptiæ eas ſibi olim ita vindicaverunt, ut coronarum voce apud ſacros profanoſque authores notentur, ut exemplis probat Goarius hic. Sponſos quoque populi ſui coronatos proceſſiſſe ſcribunt Hebræi, uſque dum Veſpaſiani edicto ab hoc honoris & lætitiæ ſigno abſtinere ſunt coacti. Quin morem hunc ſolemnem fuiſſe gentibus, multis authoritatibus adductis oſtendit idem, pergens: Admiſit paritre in ſuis conjugiis ſacra Virorum Dei cultorum conſuetudo coronas. Hanc decantat Chriſti & Eccleſiæ a Spiritu S. Epithalamium editum, in quo ſponſus. divinus diademate, quo coronavit eum mater ſua, in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis illius, conſpicuus deſcribitur. Et quidem mos iſte jam viguit tempore Tertulliani, ut ex eodem de *Cor. Mil.* c. 13. conſtat, ubi ſcribit: *Coronant & nuptiæ ſponſos*. Quis autem coronarum in nuptiis ſumendarum ſioni fuerit, edocet Chryſoſt. hom. 9. in cap. 1. *ad Timoth.* inquiens: *Propterea coronæ ſponſorum capitibus imponuntur in victoriæ ſignum, quia libidini inſuperabiles redditi jam ad thalamum accedunt, quia voluptate devicti non ſunt*. Hinc bigami non coronabantur. Coronas has hodie Græci ex olivæ ramo, candida purpureaque ſeta (in caſtitatis ſymbolum, & poſteritatis ſanguine propagandæ ſpem) circumdato componunt, ut exinde Filii quaſi novellæ olivarum exurrecturi promittantur; quæ forſan ratio fuit, ut etiam antiqui Latini nuptos oleacea corona donarint, de quorum nonnullis Sæculo IV. cecinit Sidonius.

Tum diva comas viridantis olivæ
Pace ligat, nectit dexteras, & fœdera mandat.

Quod poculi communis diſtributionem attinet, Goarius L. cit. refellit Arcudium exiſtimantem, illud ſponſis a Sacerdote diſtribui, ut communioni accepta ablutioni deſervire poſſit; oſtenditque illud indiviſæ convictus ſocietati, & communi bonorum uſui & poſſeſſioni ex æquo habendæ & repræſentandæ deſervire, uti colligitur ex Simeone Theſſalonicenſi; qui etiam docet, ſponſos ante lumptionem communicaſi communione præſanctificatorum, hoc eſt Eucharistia alia die conſecrata, ac in calice conſervata, quam communionem ait denegari bigamis, non vero poculum ob relatam ejuſdem ſignificationem. Ex quibus patet, antiquos Chriſtianos ſub Miſſæ Sacrificio vel illo abſoluto copulari eſſe ſolitos, & in Græca Eccleſia quidem in Miſſa Præſanctificatorum, de qua egimus lib. 3. Tit. 41. N. 44. Porro poculi hujus uſus etiam apud Latinos in uſu fuit; teſtatus ſiquidem Polydorus Virgilius hunc morem ſuo tempore adhuc apud Anglos viguiſſe, lib. *1. de invent. rerum* cap. 4. Scyphus hic vitreus poſt ternam delibationem frangitur, ut tum corporum, tum animorum nubentium aliis quibuſcunque conſortium interdictum indicet. Judæi illum frangunt ad deſignandam gaudiorum terrenorum fragilitatem; putat nihilominus Goarius Græcos aliqua Religione ductos ſcyphum, quamvis communem, ex eo quod nuptiarum benedictioni inſervierit, confringendum potius, quam in profanos uſus revocandum exiſtimare.

Denique Choream in ipſo copulationis actu modeſto, compoſitoque greſſu in circulum acto ex alacris animi affectu, præeunte graviter Sacerdote, ducunt, aut ſimulant ſponſi, & quaſi choraula illo, ſacris Præpoſito præcinente, mentem a corpore terreniſque motibus elevantes, conjunctionem Verbi divini cum humanitate aſſumpta, ſuo conjugio repræſentatam contemplantur, audito Hymno, qui in Euchologio cantari præſcribitur, & cujus myſterium ex Simeone Theſſalonicenſi L. cit. exponit ſæpe laudatus Goarius. Qui etiam ibi N. 9. finem & myſterium officii Pronubi ſuſtentantis retro coronas ſponſorum ex eodem Simeone explicat; verba Simeonis ſunt: *Suſtentat coronas temperantiæ, concordiæque Suſceptor, retro ſtans, & conſenſus unanimis connubiique laudandi moderator & Præceptor factus. Spondet enim pro nuptorum continentia, & mutuis ſe ſe affectibus proſequi inſtruit, ſicut in Baptiſmo fidem ſuſceptor edocet, & pro ſuſcepti conſtantia ſe curam Eccleſiæ ſponſorem exhibet*. Hic porro Pronubus, Græce Synteknos, Paranymphorum quaſi Anteſignanus fuit; eo in noſtris oris adhuc utitur Vulgus in ſuis nuptiis, ſed plerumque ut inconditis, obſcœniſque ſalibus convivium nuptiale condiat. Cæterum plures Paranymphos a Græcis in ſolemnibus nuptiarum adhibitos fuiſſe tenor orationis in Euchologio, *Recordare Domine Deus noſter ſervorum tuorum Paranymphorum ad gaudium hoc convenientium*, prodit. Eos in Latina Eccleſia pariter adhibitos fuiſſe conſtabit ex illico dicendis; Paranymphi autem, teſte Salvatore, amici ſponſi, ejus audita loquela lætantes, & alacritatis ejus participes ſolemniores reddunt nuptias. Nunc ex diſpoſitione duo Paranymphi, ſeu teſtes de neceſſitate adeſſe debent copulationi ad hoc, ut matrimonium valeat.

72. Latina Eccleſia cum Græca majori ex parte conſpirabat in ſolemnitatibus nuptiarum; plura tamen apud ipſam in deſuetudinem abiverunt, ita ut nunc fere adhibeatur benedictio illa, ut vocant accidentalis, porrectio annuli, & dexterarum conjunctio.

Nonniſi poſt Miſſarum ſolemnia a Chriſtianis Nuptias generaliter contrahi conſueviſſe prioribus ſæculis, quin ita contrahi debuiſſe, claris teſtimoniis ad A. 57. annalium probat Baronius; ritus hujuſmodi renovationem adſcribit Evariſto Pamelius Tomo 1. *Liturgicon* teſte Goario; ſed male, cum (quod non advertit Goarius) locum a ſe relatum ſumpſerit ex Ep. 2. eidem Pontifici falſo adſcripta, atque ab Iſidoro Mercatore Sæculo VIII. conſarcinata, ut vidimus lib. 1. tit. 2. c. 4. §. 5. Tutius ergo teſtimonium pro Eccleſia Latina adducit idem Goarius ex Latino Patre Tertulliano, qui lib. 2. *ad uxorem* ait: *Unde ſufficiam ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio* (in Miſſæ Sacrificio), *& obſignatum Angeli* (Sacerdotes) *renuntiant, & Pater Cœleſtis ratum habet*. Coronarum, poculique communis uſum in nuptiis priſcorum Latinorum viguiſſe ex dictis N. præced. conſtat de benedictione Neonuptis impertiri ſolita, ejuſque adhuc virente uſu ſuperius late egimus. Conſuevit etiam ab antiquo in eadem Eccleſia nuptialis annulus propria Sacerdotis benedictione ſanctificari, inquit Goarius. Antiquam quidem & diverſam ab ea, quæ in manualibus antiquis reperitur, ex antiquis liturgiis exſcribit Navarrinus *de nuptialibus annis* cap. 42. Contactum tamen ad ſacram menſam ſufficere Græci exiſtimant, ideo benedicendis annulis nulla exſtat oratio. Annulorum commutatio in noſtris oris locum habet in ſponſalitio contractu, in copulatione a Ritualibus vix præſcribitur. Ferreum fuiſſe an-

nolum ſponſæ notat Goarius ex Cryptoſer. Beſſarionis Codice, ut quæ inito conjugio in viri poteſtatem tranſiret, & ſervitutis jugum ſubiret. Argenteum nihilominus notat rubrica euchologii, quam commentatur. Latinos faces quoque in nuptiis adhibuiſſe teſtatur Chryſologus ſerm. 22. inquiens: *Quia ſemper nuptiis amicæ ſunt faces, luminum teſtimonio celebretur caſtitas nuptiarum. Sicut enim fugit lucem, illicite qui præſumit: ſic multiplici coruſcat in lumine, licite qui quærit.* Præter amorem ergo inexſtinctum, & non dirimendum conjugii nexum, nuptorum caſtitati geſtatæ ab eis in Eccleſia faces teſtimonium reddunt. An thurificatio ſponſorum apud Latinos in uſu fuerit, non refert Goarius; veroſimile tamen eſt eos thuris ſuffitum in nuptiis adhibuiſſe, cum antiqui Romani boni ominis in nuptiis thus eſſe arbitrati ſint, ut eo non arceſſo infortunatas putarent fore; ſic enim Euclio in Plauti Aulularia.

Nunc Thuſculum emi, & haſce coronas floreas;
Hæc imponentur in foro noſtro Lari,
Ut fortunatas faciat natæ nuptias.

Quem ritum religioſiori animo ſuſcepiſſe Chriſtianos non tantum Græcos, ſed etiam Latinos ex eo fit veriſimile, quod thure circa ſponſos accenſo, nec non oratione utitur Eccleſia, Tobiæ devotam mentem, & actionem imitatura, cum Jecoris incenſi fumo, & oratione dæmonem conjugiis caſtis infenſum extricavit. Atque ut fidem de Paranymphis ſuperius datam exſolvamus, illius officium deſcribitur in Pſeodepigrapha Evariſti Epiſtola. Paranymphi, ſeu Paranymphorum inſtitutionem Sotero Sæculi II. Pontifici adſcribit Ciacconius in ejus vita, inquiens: *Inſtituit Soter, ne legitima uxor haberetur, niſi cui Sacerdos prius benedixiſſet, & quam Parentes ſolemni pompa more Chriſtiano Marito collocaſſent, quamque etiam de more Paranympha cuſtodiiſſent.* Quæ inſtitutio non habetur in duabus Epiſtolis ab Iſidoro Mercatore Sotero ſuppoſitis, nec in quatuor Decretis a Gratiano eidem adſcriptis, apud Coletum Tomo 1. Conciliorum pag. 590. ſeqq. Eam ergo videtur Ciacconius deſumpſiſſe ex libro Pontificali Damaſi, unde ejus metienda auctoritas. Unius Paranymphi mentionem habet Concilium Carthaginenſe IV. qui caſtitatis & pudicitiæ Conjugis utriuſque teſtis, & quaſi cuſtos *puros adhuc illos, & commercii carnalis expertes inter ſe jungit, vel potius conjunctioni in Eccleſia factæ aſſiſtit: & Dei Perſonam primi omnium conjugii Paranymphi & Pronubi in Eccleſia repræſentat.*

Ex dictis elucet ſecunda pars, nimirum apud nos obſoletis aliis nuptiarum ritibus a veteribus Chriſtianis pie uſurpatis, maxime adhuc obſervari Sacerdotalem benedictionem, ac dexterarum conjunctionem, & in variis diœceſibus annuli porrectionem. A Tridentino equidem nil aliud præſcribitur, quam Parochi, & teſtium, ſeu Paranymphorum Præſentia, mutuus ſponſorum conſenſus ſenſibiliter expreſſus, & formula copulationis a Parochis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum exprimenda. Ex hucuſque relatis vero in aprico eſt, quanto pietatis, atque ad excitandos ſponſos ad apprehenſionem genuini nuptiarum finis a Deo in earum inſtitutione intento proprio apparatu, Patres noſtri connubia conciliaverint, & quam procul prolapſi ſimus in pleriſque Provinciis a tam conſiderando diſciplinæ Chriſtianæ capite, dum in Urbibus celebrioribus veſpertinæ copulationes abſque Miſſæ Sacrificio identidem celebrantur, atque a nuptiali convivio eadem nocte ad Thalamum properatur, ſponſaque, quam antiqui non tantum Chriſtiani, ſed etiam Judæi, ac ipſi Ethnici flammeo, hoc eſt velo croceo, Virginei pudoris indicio, velabant, unde & nuptiæ dictæ ſunt N. 1. h. t., ad ciendam libidini orexim ornata procedit; indicia clara, quo ſine bene multa connubia ineantur.

§. V.

De Matrimonii Impedimentis in genere.

73. Cum teſte S. Thoma lib. 4. contra Gentiles c. 78. *Generatio humana* (quæ matrimonii contractu legitimatur) *ad multa* ordinetur, *ſcilicet ad perpetuitatem ſpeciei, & ad perpetuitatem alicujus boni politici, puta populi in aliqua civitate, ac etiam ad perpetuitatem Eccleſiæ; —— oportet, quod hujuſmodi Generatio a diverſis dirigatur.*

In quantum igitur ordinatur ad bonum Naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, & ſic dicitur eſſe naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum publicum, ſubjacet ordinationi legis civilis. In quantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico.

74. Cum igitur in contractu matrimonii varia intervenire poſſint, quæ bonis naturæ, civitatis, & Eccleſiæ a generatione humana obvenientibus adverſari poſſunt, lex tam naturæ, quam Poſitiva divina, ac humana, tum civilis, tum Eccleſiaſtica talia matrimonia impedire, ac irritare poſſunt.

Propoſitionem adſtruit S. D. L. cit. inquiens: *Conſiderandum eſt, quod quando aliquid ad diverſos fines ordinatur, indiget habere diverſa dirigentia in finem; quia finis eſt proportionatus agenti. Quodlibet autem agens propter finem, debet poſſe applicare efficacia media ad eum conſequendum.*

75. Hinc eſt, quod lex naturæ ad conſequendum bonum ſibi a generatione intentum, nempe perpetuitatem ſpeciei juxta Regulas honeſti & decori ſartam tectam ſervandam, ſtatuerit matrimonii impedimenta tum impedientia, tum dirimentia.

Inter impedimenta impedientia matrimonium Jure naturæ numerari poſſunt conjugia fratris cum ſorore, mariti cum ſecunda uxore vivente priore &c. in quibus diſpenſari poſſe divina authoritate comprobatur, qui diſpenſavit cum Cain & Seth ad effectum ducendi ſorores in uxores, eo quod aliæ mulieres propagationi generis humani prorſus neceſſariæ non fuerint; cum abſurdiſſimum, atque ab omnibus Theologis exploſum ſit commentum, extitiſſe Præadamitas; item cum Patriarchis veteris Teſtamenti quantum ad monogamiam, ut ſupra N. 12. vidimus. Nec huic diſpenſationi natura reclamat, quæ magis, quam ullæ aliæ leges, dum jura illius diverſa inter ſe colliduntur, utriſque vero potiri eſt impoſſibile, præferendum majus minori dictitat, ut patet in colliſione reverentiæ ſanguinis, & propagationis ſpeciei in Cain, & Seth, ſororibuſque eorum, in inæqualitate inter duos, treſve uxores reſpectu unius mariti, & dilatatione conſervationeque Eccleſiæ Veteris Teſtamenti carnali ſeminatione propagandæ inter ſe colliſis; & in jure ſive obligatione conſervandi brachii ac capitis, dum illud ictui opponimus, ut caput conſervemus &c. Inter impedimenta jure naturæ dirimentia matrimonium numerari poſſunt matrimonium filii cum matre, vel Patris cum filia, matrimonia item Polyandrica, hoc eſt mulieris cum pluribus ſimultaneis maritis &c. Polyandrica quidem, quia magis impediunt propagationem generis humani, quam promoveant, de quibus ſupra N. 3. egimus. Parentum vero cum liberis, quia ob immediatam horum *in eſſe* a Parentibus depen-

dependentiam requiſita inter conjuges æqualitas nullatenus conciliari poteſt, ut alibi cum S. Thoma ſuſtineo, nec hic adſtruere neceſſe eſt.

76. Deus quoque, qui Rempublicam Hebraicam individuis præceptis tum moralibus, tum politicis, tum cæremonialibus ordinavit, ut honeſtæ, & bono publico Reipublicæ a ſe fundatæ conducenti propagationi populi electi conſuleret, Levitici 18. varia matrimonii impedimenta per Moyſen promulgavit.

Impedimenta hæc verſantur circa gradus conſanguinitatis & affinitatis. Ac imprimis v. 6. generaliter prohibet Deus matrimonium inter proximos ſanguinis, dicens: *Omnis homo ad proximum ſanguinis non accedet, ut revelet turpitudinem ejus*. Deinde ſpeciatim gradus prohibitos enumerans v. 7. Matrimonium inter Parentes & liberos interdicit: v. 8. inter Privignum & Novercam, & vice verſa: v. 9. inter fratres & ſorores conſanguineas, vel uterinas: v. 10. inter Avum & Neptes tum ex filio, tum filia: v. 12. inter amitam & nepotem: v. 13. inter materteram & nepotem: v. 14. inter nepotem & patrui uxorem: v. 15. inter nurum & ſocerum: v. 16. inter affines in primo gradu lineæ tranſverſæ: v. 17. inter vitricum & privignam, ejuſque filiam ac neptem: v. 18. inter ſororem uxoris & maritum, adhuc illa vivente, quia mortua illa poterant Judæi accipere ſororem in conjugem. Circa hæc impedimenta obſervandum eſt primo, illa inter conſanguineos, & affines ſecundum gradum non excedere. Nam v. 7. parentes & liberi ſunt in gradu primo conſanguinitatis lineæ rectæ. v. 9. Fratres & ſorores in gradu primo lineæ tranſverſæ. v. 10. Avus & Neptis in gradu ſecundo lineæ rectæ. v. 12. Amita ſeu Patris ſoror cum ſuo nepote ſeu fratris filio in gradu primo mixto ſecundo lineæ tranſverſæ. Et idem dicendum de matertera ſeu ſorore matris reſpectu ſui nepotis ex ſorore, de qua agit v. 13. Et quod lineam affinitatis attinet, v. 14. Nepos & patrui uxor ſunt in primo gradu mixto ſecundo lineæ tranſverſæ. v. 15. Nurus & ſocer, ſeu mariti pater in gradu primo lineæ rectæ. v. 16. uxor fratris cum altero fratre in gradu primo lineæ tranſverſæ. v. 17. privigna & vitricus in gradu primo lineæ rectæ, neptes vero in ſecundo. Nam dum ibi dicitur: *Turpitudinem uxoris tuæ, & filiæ ejus* (nimirum ex alio marito genitæ) non *revelabis, filiam filii ejus, & filiam filiæ ejus non ſumes*, non fit appellatio ad filias filiarum filiæ uxoris, quæ cum marito eſſent in tertio grado, ſed ad Nepotes uxoris, ſeu filias ex ejus filio vel filia progenitas, quæ cum marito ſunt in gradu ſecundo. Impedimenta iſta his elegantibus verſibus exprimuntur:

Nata, Soror, Neptis, Matertera fratris & Uxor,
Et Patrui conjux, Mater, Privigna, Noverca,
Uxoriſque ſoror, Privigni nata, Nuruſque,
Atque Soror Patris, conjungi lege vetantur.

Obſervandum ſecundo, dubium eſſe poſſe, num dicti cap. 18. Levit. prohibitiones ſolum ſe extendant ad Perſonas ibidem expreſſas, ita ut aliæ perſonæ non expreſſæ, eſto in eodem ſanguinis vel affinitatis gradu conſtitutæ, iis omnino non comprehendantur. E. g. dum v. 12. inter nepotem & amitam maritalis conjunctio prohibetur, eadem non cenſeatur prohibita inter neptem & patruum, quod, eſto in eodem gradu ſanguinis ſint, nihilominus in lege non exprimantur. Vel utrum in iis argomentari liceat a perſonis ſpecificati gradus expreſſis ad alias ejuſdem gradus non expreſſas, quod idem eſt ac quærere, utrum divina prohibitio potius ſe extendat ad ipſos gradus, quam ad perſonas in gradibus ibi relatis expreſſas? Hebræi veteres, teſte Grotio lib. 2. c. 5. §. 13. de jure pacis & belli, & qui omnia eorum legit, ſummoque judicio digeſſit, Moſes Maimonides, cum ſentiant earum legum, quæ cap. 18. Lev. de matrimoniis ſunt proditæ, cauſas eſſe binas: primam nimirum naturalem quandam verecundiam, quæ non ſinat ortus auctores cum ſua ſobole, aut in ſe ipſis, aut etiam per perſonas ſanguine, aut nuptialis ſanguinis commixtione proxime cohærentes miſceri: alteram vero, ne quarundam perſonarum convictus nimis quotidianus atque inobſervatus ſtupris, & adulteriis occaſionem daret, ſi amores tales nuptiis poſſent conglutinari; ex perſonis inibi conjungi prohibitis per analogiam alios quoque gradus tum conſanguinitatis, tum affinitatis in linea recta comprehenſos volunt, ob apertam rationis paritatem. Iſtorum autem graduum hæc ſunt apud ipſos nomina. Mater matris ſuæ, mater patris matris ſuæ; Mater patris ſui, Mater patris patris ſui: Uxor patris patris ſui, Uxor patris matris ſuæ. Nurus filii ſui, Nurus filii filii ſui: Nurus filiæ ſuæ; filia filiæ filii ſui, filia filii filii ſui; filia filiæ filiæ ſuæ, filia filii filiæ ſuæ; filia filiæ filii uxoris ſuæ, filia filiæ filiæ uxoris ſuæ: Mater matris patris uxoris ſuæ, Mater patris matris uxoris ſuæ; id eſt more Romano, Aviæ & proaviæ omnes, pronovercæ, proneptes, proprivignæ, pronurus, proſocrus; quia ſcilicet & ſub agnationis nomine comprehendatur ſimilis cognatio, & ſub primo gradu ſecundus, & ſub ſecundo tertius, ultra quem vix eſt, ut oriri controverſia poſſit, cum alioquin, ſi poſſet, in infinitum eadem futura eſſet ratio; verba ſunt Grotii. Noſtrorum temporum novatores Lutherus, Bucerus, Melanchton, Kemnitius, Calvinus, Beza, eorumque ſequaces, cum ſentiant, omnia illa præcepta, quæ habentur in Levitico, de gradibus tum conſanguinitatis, tum affinitatis eſſe naturalia, ac indiſpenſabilia; etiam inferunt, non tam perſonas in gradibus dictis ſpecificatas, quam gradus ipſos eſſe objectum prohibitionis divinæ, unde Giſſenus in Haſſia Jureconſultus Hunnius lib. 1. *variar. Lect.* Tr. 3. q. 24. ad inſtantiam Bellarmini reſpondet: *In dicto capite non perſonas, qui nominatim apud Moyſen exprimuntur, ſed ipſos potius gradus prohiberi*. Et hinc infert v. 12. ſuperius relato, non ſolum inter amitam & nepotem ſpecificatos matrimonium irritari, verum etiam inter neptem & patruum ob ejuſdem gradus conjunctionem. E Catholicis vero Bellarminus cum aliis eſto concedat, aliquos gradus in dicto capite naturali jure eſſe prohibitos, quales omnes cenſent gradum primum conſanguinitatis lineæ rectæ, ſeu inter parentes & proles; plures etiam gradum primum lineæ rectæ affinitatis, ſeu inter privignum & Novercam, aut privignam & vitricum, & primum conſanguinitatis lineæ tranſverſalis, ſeu inter fratres & ſorores, de quo diſſerere hujus non eſt loci; nihilominus contendunt non omnes gradus inibi expreſſos eodem jure eſſe prohibitos, & hinc inferunt ſæpe laudato v. 12. non prohiberi conjugium inter amitam & nepotem, tanquam lege *Naturali*, ſed divina poſitiva *Judiciali*, & conſequenter illam prohibitionem ſe non extendere ad matrimonium patrui cum nepte, & ita de aliis. Cum vero ex hac controverſia tanquam ex principio pendeat alia magni momenti quæſtio, nimirum an impedimenta Lev. 18. ſint indiſpenſabilia, vel diſpenſabilia per legem humanam, adeoque an Eccleſia Catholica erret, dum judicat in quibuſdam diſpenſare poſſe Romanum Pontificem, v. g. in impedimento verſus 16. inter fratrem & fratris defuncti uxorem, in quo non ſemel Romani Pontifices diſpenſaſſe leguntur; hinc ſequenti propoſitione enucleatius diſcutiendam cenſui.

77. Præcepta Lev. 18. Matrimonium inter certas perſonas irritantia non omnia ſunt ita naturalia, ut ſint etiam indiſpenſabilia; ſed quædam per Eccleſiam diſpenſari poſſunt.

Hanc propoſitionem definivit Synodus Tridentina Seſſ. 24. de Sacr. Matr. c. 3. in quo habetur: *Si quis dixerit eos tantum conſanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum: nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant vel dirimant; anathema ſit*. Sed priuſquam eam ab hæreticorum calumniis vindicemus, quemadmodum noſtri œconomiam Eccleſiæ cum dictis Levitici legibus combinent, prius diſpiciendum; & quidem Eminentiſſimus Cardinalis Bellarminus *de Sacram. Matrim.* lib. 1. cap. 27. & poſt ipſum alii Polemici totam controverſiam nos inter & heterodoxos volunt in eo conſiſtere: an dicta præcepta Levitici omnia ſint naturalia, & conſequenter indiſpenſabilia? an aliqua etiam judicialia, & conſequenter diſpenſabilia? Et hinc ad elidenda hæreticorum tela negat omnia prorſus præcepta Levitici eſſe naturalia, ſed quædam etiam eſſe judicialia; concluſionem tamen ſuam ita limitat Eminentiſſimus, ut ſolum velit negare omnia præcepta Levitici eſſe naturalia primo & ſecundo modo, nam tertio modo ait poſſe cum antiquis Theologis concedi omnia eſſe naturalia, unde ſequentem ordinem inter ea, quæ lege naturæ ſunt prohibita, ibi ſtatuit: aliqua enim ſecundum ipſum ita ſunt lege naturæ prohibita, ut nulla circumſtantia cohoneſtari valeant, quale eſt v. g. blaſphemare Deum, quæ etiam a Theologis dicuntur intrinſece mala. Alia vero ita, ut ſint mala ſemper & apud omnes, extrema excepta neceſſitate, quale eſt tollere alienum invito Domino. Tertio denique ita, ut ſint quidem mala, ſi *nude & abſolute* ſumantur; ſi tamen mutentur circumſtantiæ, cohoneſtari poſſint, ac bona fieri. Sed ſi in rigore Metaphyſico velimus loqui, omnis lex naturæ de quibuſcunque objectis eſt proprie immutabilis & conſequenter indiſpenſabilis, unde tritum eſt apud Theologos, in lege naturæ proprie diſpenſari non poſſe, ſed tantum *improprie* per ſubtractionem aut immutationem materiæ. Unde omnia objecta legis naturæ prohibentis *qua talia*, poſſunt dici *intrinſece* mala, & indiſpenſabilia; nam ſicut Deus non poteſt facere ut licitum ac honeſtum ſit blaſphemare, ita non poteſt facere, ut licitum ac honeſtum ſit tollere alienum qua tale, vel accedere ad non *ſuam*; ſi autem transferat Dominium *non ſuæ* ad accedentem, ſicut fecit cum Propheta, jam non eſt *non ſua*, ſed *ſua*, & ſic de reliquis; unde Præcepta naturæ in prima claſſe a Bellarmino poſita nequaquam dici debent indiſpenſabilia, quia *in ſe* mala ſunt, ſed quia nulla poteſt occurrere circumſtantia, quæ objecta illorum *in eſſe morali* ſpectata cohoneſtare poſſet, ut patet in blaſphemia, nam in eſſe phyſico ſpectata nec illa mala ſunt, ut patet in narrante alterius blaſphemiam. Secundæ vero & tertiæ claſſis dicuntur diſpenſabilia, quia tales circumſtantiæ occurrere poſſunt, quæ illa cohoneſtent: ſic ducere ſororem ſecundum ſe eſt inhoneſtum, ſi autem occurrat neceſſitas propagandi generis humani, fit honeſtum. Et hoc eſt quod ſubinde minores Rationes ſufficiant, ſubinde majores, ut objecta ſecundum ſe indecentia cohoneſtari poſſint; quoniam quædam objecta nude ſpectata majorem indecentiam habent, quam alia, ut patet in concubitu cum ſorore, qui turpior eſt concubitu cum conſobrina, unde inter objecta ſecundi & tertii gradus non videtur aliud diſcrimen intercedere, quam quod poſteriora facilius, priora difficilius ex circumſtantiis cohoneſtari, & conſequenter in iis diſpenſari valeat. Quin hoc modo, rigoroſe loquendo, nullum ex præceptis Lev. eſt indiſpenſabile abſolute, cum Deus initio mundi inter fratres & ſorores diſpenſaverit in ordine ad contrahendum matrimonium, & in illorum ſententia, qui cum S. Th. 22. q. 154. a. 9. ad 3. docent ſolum primum gradum lineæ rectæ dirimere matrimonium jure naturæ, Deus adhuc diſpenſare poſſit v. g. cum matre & filio de abſoluta ſua poteſtate. His prælibatis, & ſuppoſita convenientia cum adverſariis, quod præcepta Levitici quatenus proprie Levitica, id eſt poſitiva & judicialia ſunt, non obligent Chriſtianos; ſed tantum quatenus naturalia; non videtur mihi neceſſarium ad juſtificandam definitionem Tridentini, adverſariis negare *omnia præcepta Levitici eſſe naturalia*; certiſſima enim talia ſunt ſaltem tertio modo, ut ipſe Bellarminus poſt S. Bonaventuram, Paludanum, & ipſam veritatem concedit, cum commixtionem cognatorum in primo & ſecundo grado conſanguinitatis & affinitatis prohibeant, ut ſupra N. 76. vidimus, inter quos naturalem verecundiam intercedere ipſi Judæi fatentur. Sed negandam eſſe conſequentiam, quam ex hoc principio deducunt, *Eccleſiam nimirum in quibuſdam ex his gradibus prohibitis diſpenſare non poſſe*. Decantatum enim in jure eſt, lege humana ob ſufficientes rationes poſſe fieri licita, quæ ſpectato jure naturæ, & nude ſumpta ſunt prohibita, ut patet in præſcriptione &c. non quidem ita ut refragante lege naturæ licita fiant, ſed ipſa conſpirante; nam licet jus naturæ vetet poſſidere rem alienam ſecundum ſe, non tamen vetat in caſu præſcriptionis, quia nimirum majus bonum communitati tunc provenit. Ita pariter, quamvis matrimonia in Levitico prohibita *ſecundum ſe & nude* ſpectata ſint inhoneſta, poſſunt tamen tales circumſtantiæ occurrere, quibus ea eſſe cohoneſtentur, ut ex dictis de Cain & ſorore ejus ſimul & uxore patet. Quamvis ergo fatendum ſit, Synagogam in illis diſpenſare non potuiſſe, exinde tamen inferre haud licet, hanc facultatem non competere Eccleſiæ circa quoſdam illorum. Grandis enim quoad hoc eſt differentia inter Synagogam, & Eccleſiam, ſiquidem Deus Synagogæ per Moyſen dedit præcepta atoma & individua, quæ voluit ad literam obſervari, & illis ex nulla ratione aliquid addi vel demi, ut patet ex pœnis c. 20. tranſgreſſoribus præceptorum Levit. 18. determinatis; Chriſtus vero Eccleſiæ ſuæ majori ex parte præcepta ſolum generalia, ac poteſtatem clavium irreſtrictam ad ædificationem, non ad deſtructionem contulit. Sunt ergo Præcepta iſta naturalia, & a Deo ut talia Judæis per Moyſen promulgata, ſed illorum *indiſpenſabilis* obſervatio videtur mihi ex præcepto judiciali profluere, nimirum illo generali, quo Deus voluit ſuas ordinationes circa præcipua diſciplinæ capita a Judæis inviolabiliter & ad literam obſervari. Quod præceptum cum non obliget Eccleſiam, in quibuſdam ex rationabili cauſa diſpenſare poteſt; manifeſtum enim eſt, poteſtatem humanam ex rationabili cauſa juſta poſſe reddere ea, quæ ſecundum ſe contra legem naturæ ſunt, ut ex dictis patet, niſi hoc lege divina poſitiva expreſſe prohibeatur, ut contigit in caſu apud Synagogam. Et hoc modo puto facilius & felicius ſalvari poſſe œconomiam Eccleſiæ circa diſpenſationem matrimoniorum in certis gradibus & a Levitico interdictis, ſimulque hæreticorum argumenta diſſlari, quam recurrendo ad illud principium, quod dicti gradus, in quibus Eccleſia cenſet ſe poſſe diſpenſare, pertineant ad præcepta judicialia Eccleſiam

jam

jam non obligentia; eſto enim hoc evinceretur, nihilominus adverſaciis coocedendum eſſee, ſicut revera concedere debemus, quod dicti gradus jure naturæ etiam ſint prohibiti, ut ſupra demonſtratum eſt. Conſtat enim lege naturali prohibita iterum prohiberi poſſe lege poſitiva, ut patet in furto, quod jure natureli, canonico, & civili prohibetur. Conſtet præterea leges poſitivas, ſeu jodicialec, qua talec, eſſe de objectis de ſe indifferentibuc, qualia non ſune matrimonia in dictis gradibus contracta, ſi nude ſpectentuc, unde redirec difficultas.

Quare ad principale Proteſtantium argumentum, Omnia præcepta Levitici ſunt naturalie, ergo Eccleſia in nullo diſpenſare poteſt; concedo Antecedens in ſenſu ſuperius jam explicato, & nego conſequentiam; ratio negationis ex dictis in aprico eſt. Ex qua ſponte ſua etiam ruunt reliquæ argumentationes eidem baſi ſuperſtructæ, omnes enim nihil aliud probane, quam præcepta Levitici 18. eſſe naturalia, quod non negamus. Primum enim apud Bellarminum nihil aliud probat, quam Chananæos peccaſſe, non quòd in aliquibus gradibus in Levitico prohibitis nuptias contraxerint; hoc enim fecit Jacob, Judac, Amram, & Abraham, conſobrinas, & duas ſorores ducendo, qui gradus ibi prohibentuc; ſed quia id non cum ratione, ut iſti, ſed temere & ſine delectu faciebant. Corinthii vero nuptiæ cum noverca, quas S. Paulus damnavit, obviam repugnantiam cum recta ratione involvunt, & inſuper temere fuerunt contractæ, & probabilius erant concubinatus cum noverca vivente marito. Herodes vero ducendo fratris uxorem peccavit contra legem poſitivam Levitici, ſive maritus ejus mortuus fuerit, ſive adhuc vixerit, nam non Joannes, ſed Chriſtus legem Moſaicem abrogavit.

Nec inferre licet, ſi matrimonia in omnibus his gradibus jure naturæ ſunt illicita, ergo Jacob, qui duas ſorores, Abraham, qui duxit neptem ex fratre &c. contra legem naturæ peccarunt. Reſpondeo enim Sanctos illos viros (quos nefas eſt ſuſpicari in perpetuo vixiſſe inceſtu, quemadmodum id aſſerunt impii Calvinus, Beza, & Melanchton) vel contraxiſſe dicta matrimonia, quemadmodum duxerunt plures uxores ex diſpenſatione inſpirata, vel ob tales circumſtantiac, quas prudens nunc judicaret ſufficientes ad diſpenſandum, ad effectum tale matrimonium contrahendi; & certe rationes, quæ viros iſtos apud Catholicos excuſant ab adulterio in Polygamia, etiam in dictis matrimoniis ab inceſtu excuſare debent. Hinc non video, cur Eminentiſs. Cardin. horum exemplis evincere velit omnia præc. Lev. 18. non eſſe naturalia, inquiens, *Si autem leges illæ ſemper obligaſſent, nunquam Sancti Viri, & amici Dei contra eas leges matrimonia contraxiſſent*. Cum tamen in obſervando tertio ſenſu, omnia iſta præcepta *poſſe concedi naturalia*, nimirum tertio modo, ut concedunt plerique Theologorum veterum. Et in reſponſione ad primum argumentum: *Omnia illa præcepta de gradibus cognationis naturalia ſunt aliquo modo, nimirum, ſi nude ac ſolitaria ſumantur gradus cognationis ſine circumſtantiis, quæ ſufficiant ad matrimonia in illis gradibus honeſtanda*, quod ex ipſo Levitico adſtruit, ubi iſti gradus vocantur *turpitudo*. Hæc autem ipſa noſtra eſt ſententia, & ratio, quare non recurramus ad probandum, aliqua ex hic præceptis eſſe ſolum poſitiva ſeu judicialia, & nihilominus Patriarcharum facta excuſemus. Quæ & ipſe ex hoc capite excuſat, dicens: *Qui in gradibus prohibitis conjugia contraxerunt, & tamen a Deo puniti non ſunt, quia videlicet non temere, ſed cum ratione id fecerunt*.

Parum autem intereſt, ſive aliquid ſit contra legem naturæ ſecundo, ſive tertio modo ſpectatæ, modo ſecundum ſe ſit inhoneſtum; nam duo iſti gradus non differunt niſi ſecundum majorem vel minorem indecentiam, & hinc requirunt graviora vel minus gravia motiva in ſui diſpenſatione. Unde iterum non video quomodo ad argumentum ex cap. *Gaudemus* de divortiis, ubi Innocentius III. matrimonia infidelium in 2. & 3. gradu cenſet licite contrahi, quod non obligentur canonibus Eccleſiæ, ex quo inferri poteſt ab adverſariis, conjugium cum uxore fratris mortui (quod in Levitico prohibetur, & in eo nihilominus ab Eccleſia diſpenſatur) & conſequenter gradum primum affinitatis eſſe prohibitum jure naturæ; reſpondeat: *Argumentum hoc non eſt contra concluſionem noſtram. Nos enim tantum contendimus, non omnes gradus in Levitico prohibitos, eſſe prohibitos jure naturæ, id quod Innocentius III. etiam docuit, dum ſecundum gradum non vult eſſe prohibitum jure naturæ*. Sed cum ſumma reverentia ſummorum virorum ſtandum mihi videtur ſententiæ veterum Theologorum ſupra citatorum, gradum primum & ſecundum Levit. eſſe prohibitum Jure naturæ, ſolum vero gradum primum in linea recta eodem jure irritare matrimonium. Id quod aperte videtur ſentire S. Th. 2a. q. 154. A. 9. in (-) ubi habet: *Dicendum, quod ſicut dictum eſt, ibi neceſſe eſt inveniri determinatam ſpeciem luxuriæ, ubi invenitur aliquid repugnans uſui debito venereorum: in uſu autem conſanguinearum vel affinium invenitur aliquid incongruum commixtioni veneceæ, triplici ratione: primo quidem, quia naturaliter homo debet quandam honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt &c.* Hujuſmodi autem iuor gradus in Levitico enumerati, utpote qui in linea conſanguinitatis ſunt primus & ſecundus, in linea vero affinitatis primus tantum, ut ſupra N. 76. vidimus. Ad quotum gradum in utraque linea ſe naturalis illa indecentia extendat, diſputant Theologi, nec tam facile definiri poteſt.

78. Principes Chriſtianos ſtatuiſſe impedimenta matrimonium dirimentia, res eſt facti, eaque certiſſima.

Sat eſt perlegere titulum II. libri 23. Pandectarum *de ritu nuptiarum*, ut de veritate propoſitionis aliquis convincatur. Obſervandum nihilominus, propoſitionem procedere de matrimonio, ut *Contractus Civilis*, non ut *Sacramentum* eſt; matrimonium enim poteſt conſiderari, ut officium naturæ, ut officium communitati proficuum, & ut Sacramentum, atque hoc poſteriori modo tanquam rem ſpiritualem ad Eccleſiam pertinentem Principes Chriſtiani conſtanter agnovecunt, & hinc illorum leges irritantes nunquam videntur reſpexiſſe matrimonia ſubditorum aliter, quam contractum civilem, quemadmodum illud reſpexerunt leges de dotibus, de ſucceſſionibus, & aliis temporalibus matrimonium comitantibus.

79. Veroſimilius etiam eſt, Principes Chriſtianos jus ſtatuendi impedimenta matrimonii uſurpatione ſibi non arrogaſſe, aut ab Eccleſia illud accepiſſe.

Contrarium aſſerunt Pontius lib. 6. c. 2. & Galeſius Epiſcopus in Italia in Opuſculo ea de re conſcripto. Sed felicius utramque ſimul conciliat Authoritatem Eccleſiaſticam & Civilem inſignis Theologus Petrus Soto lect. 4. *de matrimonio*, ubi docet, poſſe quidem Principes proprio jure ſtatuere de matrimoniis irritandis vel non; ſed ex ſua pietate, ac in Eccleſiam condeſcenſu, ab uſu & exercitio hujus ſuæ poteſtatis a multis jam ſæculis abſtinuiſſe, ut jam nul-

lum

lum cenſeatur matrimonium illegitimum, quod Eccleſia tale non indicat. Veram haud iſta ſententiam Pontii probat Tournelius, & primo, quod Principes Chriſtiani jus illud ſibi non uſurpaverint, ex eo, quia de hac prætenſa uſurpatione nuſquam Eccleſia conqueſta fuit; imo potius leges, ac conſtitutiones Principum circa matrimoniorum legitimitatem & poſtulavit, & commendavit ſæpiſſime. Id quod adſtruit 1. Authoritate Concilii Milevitani II. A. 416. ubi poſtquam ſtatuiſſet Maritum, qui dimiſerat uxorem ſuam, alteri non poſſe nubere, decrevit ſupplicandum eſſe Imperatori, ut lege ſua idem prohiberet. Et Concilium Lateranenſe I. can. 5. legem, qua prohibet matrimonia inter conſanguineos, confirmat authoritate legis civilis: *Quia*, inquit, *& divina* & ſæculi leges *prohibent*. Ita S. Ambroſius Ep. 66. *ad Paternum*, & S. Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. laudant Theodoſii legem, qua prohibuerat matrimonia inter conſobrinos. Ita SS. Pontifices, Siricius Ep. ad *Himerium*, S. Leo Ep. *ad Ruſticum Narbonenſem*, Nicolaus I. in reſp. *ad Bulgaros* c. 2. cum aliqua matrimonio impedimenta apponunt, legis quoque civilis, & Imperatorum nituntur præſidio. Et ipſe S. Thomas agnoſcit matrimonium aliqua ex parte ſubjacere legi civili, nempe quatenus civilis eſt contractus, ſicut ſubjacet Eccleſiaſticæ, quatenus Sacramentum eſt. *Matrimonium*, inquit lib. 4. ſent. diſt. 34. A. 1. in reſp. ad 4. *in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur Jure naturæ; in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur jure civili; in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur jure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum poteſt perſona effici ad matrimonium illegitima*. Neque valet dicere, Chriſtum a poteſtate, & Juriſdictione Civili Principum ſubduxiſſe matrimonium, ex quo illud ad dignitatem Sacramenti evexit. Nam præterquam quod hoc ſit contra apertam mentem S. Thomæ, Chriſtus nihil matrimonio detraxit, ſed ſervata ejus natura, qualis erat, dignitatem duntaxat, & efficaciam Sacramenti ei addidit, voluitque in lege evangelica, non minus quam antea, ſuam Principibus Chriſtianis integram, & illæſam ſervari authoritatem in matrimonia, neque enim lex Chriſti Principum authoritati contraria eſt, imo favet quam maxime. Sed ante Chriſtum Principes ſuam authoritatem exercebant in matrimonium, igitur & poſt Chriſtum. Verba ſunt Tournelii, qui etiam ſecundo probat, Principes ab Eccleſia jus dirimendi matrimonium non accepiſſe: aſſignari enim, inquit, non poteſt, neque tempus, quo primum jus illud Principibus conceſſum fuit, neque concilium, aut Summus Pontifex: aliunde vero Eccleſiaſtica conceſſione, & indulgentia non egent Principes in rebus ſuis temporalibus, & civilibus ex auctoritate ac ſupremo Jure ordinandis; civilem autem matrimonii contractum ad res Principum temporales, publicum regnorum, ac familiarum bonum, honorem ac tranquillitatem pertinere, nemo tam abſurdus, qui negaverit. Quanquam vero neceſſarium exiſtimemus concurſum Eccleſiaſticæ poteſtatis, ut matrimonium poſſit irritari quoad vinculum, fœdus, & Sacramentum, non idcirco privandi Principes jure, quod habent in contractum civilem, quem ſuis etiam legibus irritare poſſunt. Plura vide apud eundem.

80. Exercitio Juris hujus, ſtatuendi nimirum cumulative cum Eccleſia impedimenta dirimentia matrimonii vinculum, Principes Chriſtiani ſucceſſive renuntiarunt.

Id Sotus ſupra relatus tradit factum ex pietate erga Eccleſiam, utpote cujus ſubi eſt Matrimonium ſub digniſſimo reſpectu, nimirum ſub ratione Sacramenti conſideratum: creditque circa ſæculum VI. cœpiſſe cauſas matrimoniales, præſertim quæ vinculum matrimoniale ex ratione Sacramenti reſultans concernebant, ad Tribunal Eccleſiæ remitti (quamvis non careat difficultate, an dictæ cauſæ iſto adhuc ſæculo ad Eccleſiam devolutæ fuerint, cum vigens cum fuerit Jus Juſtinianæum plura circa matrimonii impedimenta, ac divortia ſtatuens, vel ab Imperatoribus præcedentibus tum Ethnicis, tum Chriſtianis ſtatuta complectens, ut ſupra N. 78. ex tit. 2. ff. vidimus), quod tempore Caroli M. & ſequentium Imperatorum frequentius factum eſt, qui in ſuis capitularibus, dum præſens tractant argumentum, conſtanter a Canonibus Eccleſiæ præſidium & authoritatem advocant, donec tandem ad modernam diſciplinam, quæ circa ſæculum XII. ſtabilita fuiſſe videtur, deventum fuit; ut ipſi Principes nihil amplius circa *vinculum* matrimonii ſua authoritate ſtatuerent, ſed integrum illius uſum Eccleſiæ permitterent; ipſique pro impedimento dirimente ſuſciperent, quod ipſa ut tale declaraſſet. Hanc eſſe modernam a ſæculis aliquot ſtabilitam diſciplinam non uno argumento evincit Sotus.

81. An vero hac œconomia Eccleſia ita privative ad Principes ſæculares obtinuerit poteſtatem ordinandi impedimenta dirimentia matrimonium, ut dicti Principes ab ea prorſus ſint excluſi, res anceps eſt, quam definire nolo.

Negativam ſententiam tuetur Soto L. cit. inquiens: *Non tamen propterea vel legi, vel conſuetudini Reipublicæ hoc auferendum eſt, ut illegitimos aliquos reddere, ſi velint poſſint; ſed potius, ſi opus foret, confirmandum eſſet ab Eccleſia*. Et Tournelius teſtatus Reges Galliæ Jus ſuum & authoritatem in matrimonium, quod Calviniſtæ in Regno ſuo contrahebant in gradibus prohibitis, non ita pridem exercuiſſe, cum ipſis nempe diſpenſando, ut in gradibus illis prohibitis contrahere poſſent abſque ulla moleſtia, ut habet edictum Nannetenſe art. 41. Affirmant vero Thomas Sanchez & alii apud Launojum, contendentes Eccleſiam Principes exercitio poteſtatis ſuæ privaſſe, illudque ſibi ſoli reſervaſſe. Porro ex hac Principum circa impedimenta dirimentia matrimonium, ut eſt contractus civilis, poteſtate, gravis ac intricata inter Theologos oritur difficultas, an cum Principes aliqua ſtatuunt, quæ dirimunt civilem matrimonii contractum quoad effectus civiles, politicos, & temporales, conſequenter (quanquam *per accidens* reſpectu Principum, qui ſpiritualia non attingunt) nullum & irritum ſit Sacramentum matrimonii, defectu ſcilicet materiæ ſufficientis? Quæ quæſtio ab alia pendet æque controverſa: an nempe contractus civilis tam neceſſaria ſit ſacramenti matrimonii materia, ut eo per leges Principum irritato nulla ſuperſit Sacramenti materia, & conſequenter nullum ſit Sacramentum: an vero irritato ac deficiente illo civili contractu, humanus ſeu naturalis ſufficiat, qui quamdiu nulla obſtat lex Eccleſiæ invalidans & irritans, ſit materia Sacramenti ſufficiens? Affirmat Launojus in Tr. *de Regia in Matr. poteſtate*. In quo ſi nihil tentaſſet, inquit Tournelius, quam ut ſuum, ſicut oportet, Regibus Jus in Matrimonium aſſereret ac vindicaret, nonniſi laudandus ac commendandus eſſet; verum cum Eccleſiam ſpirituali, quo fruitur in res Sacramentorum, jure ſpoliare nititur, cum Reges in materiam ipſam matrimonii, *quatenus Sacramentum eſt*, authoritatem ſuam exercere poſſe affirmat, haud dubie a vero recedit. Negat Sanchez cum aliis ex eo fundamento, quod Eccleſia exercitium poteſtatis ſtatuendi impedimenta Principibus abſtulerit; Pontius vero ex eo, quod evecto per

Chri-

Chriſtum Matrimonio in Sacramentum, Principes hi circa ejus impedimenta non ſolum non habeant exercitium poteſtatis, ſed nec ipſam poteſtatem. E contra ex illis, qui Soti mediam ſententiam tuentur, atque ſupponunt Principes Chriſtianos aliquando ſtatuiſſe legitima poteſtate impedimenta dirimentia matrimonium, & adhuc ſtatuere poſſe, ut inſinuat Van-eſpen, quidam id affirmant, ii nempe, qui perſuaſi ſunt ſolum contractum civilem eſſe materiam hujus Sacramenti; & abſurdum illis objectum, quod tali modo matrimonium quatenus Sacramentum ſubjaceret legibus Principum, & ab illis penderet, diluunt contendentes, per accidens eſſe ac præter intentionem ſæcularis authoritatis, quod nullum eo in caſu ſit Sacramentum, deficiente ſcilicet materia legitima: ſicut qui aquam baptiſmi omnem ex aliqua regione auferret, per accidens impediret baptiſmum, vel qui homini manum abſcinderet, impediret ejus ordinationem, quin dici poſſet talea exercere authoritatem in Sacramenta baptiſmi vel ordinis. E contra Tournelius contendit eo in caſu matrimonium adhuc futurum Sacramentum, ejuſque materiam futurum contractum *humanum*, ſeu *naturalem* (nam in caſu quo utraque poteſtas ad dirimendum concurreret, fatetur contractum civilem eſſe materiam hujus Sacramenti). Duplici autem movetur ratione, ut a priori ſententia recedat; prima eſt, quod conſtet ex una parte, Concilium Tridentinum matrimonia *facta* ſine Parentum conſenſu firma & rata habere, in ratione ſcilicet Sacramenti; neque enim de contractu civili, ut civilis eſt, ſtatuit Eccleſia: ex altera vero, matrimonia hujuſmodi irrita eſſe in Gallia quoad effectus civiles, adeoque & ipſum civilem contractum, qui illorum effectuum fundamentum eſt; ergo eo in caſu materia ſacramenti non poteſt eſſe contractus civilis; ergo neceſſe eſt, ut ſit naturalis. Secunda eſt; cum poſſit Princeps ſæcularis Jure proprio, ac natura ſuæ poteſtatis impedimentum aliquod ſtatuere dirimens civilem matrimonii contractum, demus caſum contingere, in quo revera Princeps impedimentum aliquod ſtatuiſſet, quod non ſtatuiſſet Eccleſia: tunc valeret matrimonium quatenus Sacramentum, non valeret quatenus contractus civilis; adeoque eo in caſu contractus civilis non eſſet materia Sacramenti matrimonii. His momentis tamen non vult abſolute evertere ratiocinium Patronorum prioris ſententiæ, ſed illud in rigore dialectico haud accuratum & abſolute verum eſſe, ſolum oſtendere. Lector eligat ſententiam quam vult. Vide infra N. 104.

82. Cum vinculum indiſſolubile matrimonii firmitatem ſuam magna ex parte inde accipiat, quod illud ſit novæ legis Sacramentum, atque diſpoſitio circa Sacramenta novæ legis ad ſolam Eccleſiaſticam poteſtatem pertineat, Eccleſia a primis ſæculis diſpoſitiones fecit non tantum circa divortia, verum etiam circa impedimenta impedientia, vel dirimentia matrimonium, & ſucceſſive etiam privative ad ipſos Principes ſæculares.

Prima propoſitionis pars §. ſequenti, ubi de impedimentis illis in particulari agemus, in apricum ponetur; illamque Gerbeſius antiquitatis rum teſtimoniis, tum exemplis per omnia ſæcula deductis demonſtrat in Tr. ſuo *de matrimonii imped.* p. 1. c. 4.

Secunda patet ex dictis N. præcedenti, juxta quæ etiam explicanda venit.

83. Hanc vero poteſtatem nullatenus accepit Eccleſia a Principibus Chriſtianis, ſed immediate a Chriſto.

Id patet, tum quia nullibi legitur a quo Principe Chriſtiano, vel quando illam acceperit; nec dici poteſt, eam ipſi ſtabilitam fuiſſe per conniventiam Principum; nemo enim ſive deferendo, ſive connivendo Jus, quod ipſe non habet, in alterum transferre poteſt. Conſtat vero Principes nullum Jus habere in matrimonium prout eſt Sacramentum, cum nullum Jus in ipſa Sacramenta habeant. Et hinc ſecundum ſuperius dicta Principes non conniverunt, ut Eccleſia poſſit ſtatuere matrimonii impedimenta, ſed ſolum ex pietate neceſſaria quodammodo, ut Eccleſiæ Paſtores providere queant, quo fideles matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum, & finem ejus ſpiritualem aſſequantur, ſuæ poteſtati vel ejus uſui in ſtatuendis matrimonii, ut contractus civilis eſt, impedimentis renuntiarunt, harumque œconomiam in *totum* Eccleſiaſticis Judicibus reliquerunt, de quo vide Gerbeſium Tr. cit. c. 2. Et hinc etiam eſt, quod ſola Eccleſia in his impedimentis privative ad Principes ſæculares diſpenſet, ut patet ex quotidiana praxi ipſorum etiam Principum Catholicorum. Quamvis Proteſtantes Juriſconſulti tam ordinationem impedimentorum, quam diſpenſationem in iis, Principibus territorialibus vindicare conentur, eo quod matrimonium exiſtiment nudum contractum civilem, qui ab Eccleſia cæremonialiter ſolum ſolemnizatur, quos infra vel hoc ipſo refellemus, quando probabimus matrimonium a Chriſto in Sacramentum evectum fuiſſe. Eos damnat Synodus Trid. Seſſ. 24. de matrim. c. 5. qui ita ſonat: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

§. VI.

De Matrimonii impedimentis in ſpecie, tam impedientibus, quam irritantibus.

84. MAtrimonii impedimenta alia ſunt impedientia, alia dirimentia.

Impedientia ſunt illa, quibus exiſtentibus Eccleſia matrimonium inter fideles contrahi prohibet, adeoque illicitum faciunt contractum matrimonii; ſi tamen cum illis matrimonium contrahatur, valet, unde & prohibentia vocantur. Dirimentia vero ſunt, quæ matrimonium illis exiſtentibus contractum ſolvunt, ſive dirimunt.

85. Impedimenta impedientia matrimonium contrahi bene multa extiterunt in Eccleſia. Ea a Canoniſtis ſequentibus Verſibus exprimuntur.

> Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum;
> Atque Catechiſmus, crimen, ſponſalia, votum,
> Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Cum vero olim varia crimina impediverint reos a contrahendis nuptiis, illa gloſſa in cap. 2. de *pœnitent. & remiſſ.* his Verſiculis enumerat.

> Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors muliebris.
> Suſceptus propriæ ſobolis, mors Presbyteralis,
> Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut monialem
> Accipiat: prohibent hæc conjugium ſociandum.

86. Per Eccleſiæ vetitum intelligitur interdictum Eccleſiæ vel Judicis, ne matrimonium contrahatur.

Iſtud impedimentum ſemper locum habuiſſe in Eccleſia per ſe patet. Quamvis autem matrimonia contra quæcunque impedimenta impedientia contracte dici poſſint contracta contra vetitum ſeu interdictum Eccleſiæ, cum Eccleſia illis exiſtentibus matrimonium contrahi interdicat, nihilominus hoc interdictum ſpeciale, atque ab aliis diſtinctum impedimentum conſtituit, eo quod fiat ab Eccleſia vel Judice perſonis, quæ nullo ex aliis impedimentis laborent, ſed ob alias cauſas. Potuerunt autem Judices Eccleſiaſtici omni tempora cauſas ſubinde habere, quare certis Perſonis

nullo

nullo etiam exiſtente impedimenro ex ſpecificatis matrimonium ad tempus inrerdixerint. Hoc impedimentum ſpecialem titulum conſtituit in hoc libro Decretaliom, nimirom XVI. inſcriptum *de matrimonia contractu contra interdictum Eccleſiæ*. In eo referuntur capitula ex reſcriprls Alexandri III. Sæculi XII. Pontificis.

87. Per tempus ſacratum ſeu feriatum intelligitur illud, quo ſolemnes nuptias com conviviis, choreis, muſica, aliiſque lætitiæ ſignis publicia celebrare ab Eccleſia eſt vetitum.

Tempus illod olim fuit vaeiom ac multiplex, prout patet ex cauſa 33. q. 4. Nam ibi can. 8. Concilium Laodicenſe Sæculo IV. can. 51. ponit Quadrageſimam. Quod coofirmat codex Martini Bracearenſis citatus c. 11. & Sæculo IX. Nicolaus Papa rel. ibi c. 11. Quod tempus Concilium Ilerdenſe extendit a Septuageſima uſque ad octavas Paſchæ, coi extenſioni addit tres hebdomadas ante feſtum S. Joannis Baptiſtæ, & tempus Adveotus Domini uſque ad Epiphaniam. Quæ poſterior diſpoſitio adhuc viguit Sæculi XI. fine, cum eam Clemens III. tum declaraverit, imo cum ſit illata in Decretales Gregorii IX. Sæculo XIII. Tit. de Feriis c. 4. patet, quod Jure communi uſque ad Tridentinum cum aliis perſeveraverit. Quod Concilium præfatum tempus ita eaſtrinxit Seſſ. 24. de ref. matr. c. 10. nimirum *ab adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti uſque in diem Epiphaniæ, & a Feria IV. cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſive*. Ratio autem prohibendi nuptiarum ſolemnitatem temporibus ſpecificatis præter ſanctitatem quorondam etiam fuit, quod pœnitentiæ eſſent deſtinata reliqua, nimirum jejunio; pridem enim Patribus viſum fuit, quod pœnitentibus nec actus conjugalis, nec celebratio nuptiarum conveniret. Eadem Trid. Synodus Hæreticos noſtri temporis hoc impedimentum ſuggillantes anathemate feriit Seſſ. 24. de matrim. c. 11. his verbis: *Si quis dixerit, prohibitionem ſolemnitatis nuptiarum certis anni temporibus ſuperſtitionem eſſe tyrannicam, ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam --- anathema ſit*. Cum vero, ut notat Van-eſpen, Trid. nullam novam prohibitionem faciat, ſed tantum antiquas nuptiarum prohibitiones reſtringat, de intellectu hujus Decreti ad antiquas nuptiarum prohibitiones eſt recurrendum. Conveniunt autem Theologi, teſte Fagnano ad cap. *Capellanum* de feriis, his temporibus prohibitam eſſe nuptiarum benedictionem ſolemnem, de qua ſupra egimus; & habetur cap. *Nullus* 30. q. 5. & in Concilio Trid. Seſſ. 24. de ref. matr. c. 1. *Benedictionem in templo ſuſcipiendam*. Simulque nuptialia convivia prohiberi ſatis conſtat ex can. *Nec uxorem* 33. q. 4. ibi, *nec convivia facere*, ſed & traductionem uxoris in domum viri iſſe interdictam ſatis conſtare ait ex eodem can. Nam verba illa *uxorem ducere*, communiter exponuntur, id eſt *traducere*. Contendit præterea per traductionem, non ſolum illam ſolemnem, ſed quamcunque, ſeu uno verbo ipſam matrimonii conſummationem his diebus eſſe vetitam, hancque ait unanimem eſſe Canoniſtarum ſententiam, eamque S. Congregationem probaſſe, quæ cenſuit poſſe contrahi matrimonium quocunque tempore, ſed temporibus comprehenſis in cap. 10. Seſſ. 24. de ref. matr. nuptiarum ſolemnitates, traductiones in domum, & carnalem copulam prohiberi. Sed an hoc ſervetur ibi, ubi nuptiæ ex ſtatutis Diœceſanis ſimpliciter non ſunt interdictæ, velut interdictæ ſunt in Belgio, teſte Van-eſpen L. cit. valde dubito.

88. Per Catechiſmum olim intelligebatur quædam cognatio ſpiritualis imperfecta, quæ olim contrahebatur per aſſiſtentiam in catechiſmo ſeu inſtructione ante baptiſmum, ſeu in caſu, quo fœmina filium futuri mariti aliunde genitum in præparatoriis cæremoniis ad baptiſmatis fontem tenuit, vel vice verſa, ut exemplificat Sæc. XII. Clemens III. c. 5. de *Cogn. ſpir.*

Verba capituli hujus obſcuriora verom impedimentum impediens inter præſtos continere declaravit Bonifacius VIII. cap. 2. eod. in 6. Hoc impedimentum ſublatum eſt a Trid. cit. Seſſ. 24. cap. 2.

89. Sponſalia de futuro, ſicut & votum caſtitatis, non tam Jure Eccleſiaſtico, quam naturali, ac divino poſitivo impediunt matrimonium, vel ſimpliciter, vel cum altera contrahendum.

De ſponſalibus late egimus hoc lib. §. 2. De voto vero caſtitatis notandum, quod per illud, in quantum eſt impedimentum impediens matrimonium, intelligatur votum *ſimplex*; tam vero de ſimplici, quam de ſolemni, quantum ad effectum impediendi, vel dirimendi ſubſequens matrimonium, late egimus libro III. Tit. 35. de regularibus. Videatur etiam Titul. 3. ejuſdem libri.

90. Per crimen, in quantum eſt impedimentum impediens, intelligitur, vel crimen atrox in individuo, cui annexa olim fuit privatio nuptiarum, vel in genere crimen tale, quod in veteri Eccleſia publica Pœnitentia plectebatur.

Imprimis ergo inceſtus cum ſua privigna ſive filia uxoris in alio matrimonio procreata reum ſpe conjugii privabat in antiqua Eccleſia; de hoc, atque de aliis eidem affinibus criminibus A. 847. ſtatuit Concilium Moguntinum 32. q. 7. c. 20. *Si quis viduam uxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu cum duabus ſororibus, aut ſi qua cum duobus fratribus, ſeu cum Patre & filio, ſi quis relictam fratris, ſi quis neptem aut novercam, aut nurum aut conſobrinam, aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam polluerit, eos disjungi, & ulterius nunquam in conjugio copulari præcipimus*. Similia habentur cap. 1. 2. & finali de eo, *qui cognovit conſang. uxoris ſuæ*. Eadem pœna c. 22. ad adulteram uxorem poſt mortem etiam mariti, non vero ad adulterum maritum poſt mortem uxoris extenditur. Quoad raptum Gratianus 27. q. 7. c. 34. refert canonem ex Concilio Toletano, ita ſonantem: *Statutum eſt a ſacro Conventu, ut ſi quis ſponſam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & ſine ſpe conjugii maneat*. Ad quem nihilominus notant Correctores Romani: *In nullo Concilio Toletano inventum eſt. Sed fere eadem leguntur in Concilio Rhemenſi, Troslejano, & lib. 1. capit. c. 105. & lib. 7. c. 183. In legibus Longob. lib. 1. Tit. de rapt. mul. L. 1ta.* Ex quibus paret, in Eccleſia Latina circa Sæculum IX. Raptum Sponſæ alterius Raptorem ſpe conjugii privaſſe.

Uxoricidas pariter fuiſſe privatos ſpe conjugii claret ex can. 8. cauſ. 33. q. 2. ubi Stephan. V. Haſtulpho uxoricidæ inter alia pœnitentiæ exercitia Sæculo IX. injungit: *Uxorem nunquam ducere*. Et can. 1. Nicolaus Papa uxoricidis extra cauſam adulterii, vel alterius hujuſmodi criminis eandem pœnitentiam injungit; attamen *exceptis adoleſcentibus, de quibus eſt B. Leonis Papa 25. Regula Decretalium, imo indulgentia obſervanda*. Verba ſunt canonis. Notant vero RR. Correctores, hanc Regulam 25. eodem numero haberi in codice canonum (ſeu Dionyſiano) inter Decreta, ſeu Regulas Leonis I. ex quo paret hanc diſciplinam Sæculo V. quo vixit Leo, jam viguiſſe.

91. Per ſuſceptionem propriæ ſobolis, in quantum eſt impedimentum impediens, veteres intellexerunt impedimentum, quo conjuges tenentes proprios filios, vel filiaſtros ſuper fontem baptiſmatis,

matia, aut ante Epiſcopum in Confirmatione, prohibebantur ab uſu conjugii ſecundum aliquos, ſecundum alios vero non.

Pro parte negativa Gratianus 30. q. 1. c. 1. refert fragmentum ep. ſub nomine Deusdedit, qui Sæculo VII. Romæ ſedit, quo dicitur in quodam Concilio ſtatutum eſſe, ut nullo modo ſa in conjugio reciperent mulieres, ac viri, quicunque aliqua ratione ſuſceperint natos proprios, ſed ſepararent ſe, ne ſuadante diabolo tale vitium inoleſcat. Verum, ut bene notat Van-eſpen in brevi commentario ad Decretum Gratiani, Concilii vel Conventus, cujus hic mentio fit, nulla extſtat memoria, multaque alia in hac ep. occurrunt, quæ eam ut ſpuriam rejiciendam eruditis perſuaſerunt, eamque uti ſuſpectam notat Labbæus Tom. 5. Concil. pag. 1648. cui addendus Papebrochius in conatu chronico-hiſt. ad catalogum Pontificum in hoc Pontifica. Accedit, quod an eadem ep. Deusdedit ſupponat, ob ſupervenieus impedimentum ſolo Jure humano inductum, matrimonium legitime contractum, & conſummatum diſſolvi *quoad vinculum:* ſic enim habet integra Decretalis apud Labbæum: *Mulieres vero cum ſeparatæ fuerint, pro hac illicita re a propriis viris tantam præcipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperunt, & poſt expletum annum recipiant alium virum, ſimiliter & vir uxorem.* Unde gratis ſe torſerunt olim Doctores in explicanda hac decretali, quia ex hoc ſolo capite tanquam fictitia rejicienda videtur, cum finaliter nihil aliud reſponderint eam recipientes, quam Deuſdedit erraſſe, & Romanos Pontifices ſimiles errores in ſuis Decretalibus committere poſſe. Nihil ergo Gratianus, vel nimis probat ex hac Decretali pro ſententia affirmativa adducta. Firmior vero eſt canon 2. quem ex Conc. apud Vermerias c. 3. adducit his verbis: *Si quis filiaſtrum, vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua, & nunquam aliam accipiat.* Hic tamen canon non habetur in Concilio Vermeriensi A. 752. inſerto Tom. 6. Concil. ſed in Concilio Compendienſi A. 757. c. 12. ute & in margine notatur. Hinc pro parte negativa extſtant authoritates Nicolai I. Joannis Papæ VIII. variorumque Conciliorum Provincialium, quas ſequentibus canonibus refert Gratianus, & illis innixus huic ſententiæ ſubſcribit. Quam Gratiani concluſionem in Decretalibus ſecuti ſunt Romani Pontifices, ac ſignanter Alexander III. in c. 2. *de Cognat. ſpirituali* reſpondit, quod ſive ex ignorantia, ſive ex malitia proprium filium ſuſceperint de ſacro fonte, non eſſe ab invicem ſeparandos, nec alter alteri debitum debere ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci. Præmittit autem, quod quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humanius ſentientes aliter ſtatuerunt. Ex quo nequaquam obſcurum eſt, inquit Van-eſpen, Alexandrum hic reflectere ad Apocryphum Decretum ſub nomine Deusdedit a Gratiano relatum, ipſumque preiſe ſecutum fuiſſe authoritatem Gratiani. Notanda vero ſunt in Decretali Alexandri verba: *Nec alter alteri debitum debere ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci.* Ex iis ſiquidem ſequi videtur, tales conjuges ſeparandos eſſe, ſi continentiam ſervare poſſint; & hujus rei gratia requiri Judicium Ordinarii, adeoque diſpenſationem ad effectum uſus conjugii, ſi conjuges moralem impotentiam continentiæ allegent; & conſequenter Alexandrum ea toto non recedere a diſpoſitione canonis 1. 30. q. 1. Unde etiam uſque hodie levatio filii legitimi conjuges privat uſu matrimonii, donec diſpenſentur; ratio eſt, quia adhuc hodie levans cum matre levati, & viciſſim, contrahit impedimentum dirimens matrimonium. Et conſequenter in caſu etiam contrahitur impedimentum impediens matrimonii contracti uſum. Excepto tamen caſu neceſſitatis baptiſmi a Patre conferendi, qui decernente Joanne VIII. eadem cauſa 30. q. 1. c. 7. Parentibus nihil obeſt, ſicut nec hodie. Sed de cognatione ſpirituali infra uberius.

92. Per mortem Presbyteralem intelligitur occiſor Presbyteri; per monialis vero acceptionem, conjugium ſacrilegum cum moniali.

De primo crimine ita ſtatuit Concilium Moguntinenſe rel. cap. 2. de pœnit. & remiſſ. *Qui Presbyterum occiderit, 12. annorum pœnitentia ei ſecundum canones imponatur; --- convictus uſque ad ultimum tempus vitæ ſuæ militiæ cingulo careat, & abſque ſpe conjugii maneat*, De ſecundo vero Concilium Tributtenſe apud Grat. 27. q. 1. c. 13. vel potius Paſchalis, ut habet Burchardus & Ivo: *Hi ergo, qui Sanctimonialibus ſcienter matrimonio ad injuriam Chriſti copulati ſunt, juxta cenſuram zeli Chriſtiani ſeparentur, & nunquam eis concedatur conjugali vinculo religari.* Quod Gl. intelligit; *Quod de cætera non poſſunt nubere, qui Sanctimonialibus copulantur; --- ſi tamen contrahant, tenent nuptiæ;* quo ſignificare vult nuptias cum moniali eſſe impedimentum impediens, non dirimens alterius deinde matrimonii.

93. Per tò *ſi quis pœniteat ſolemniter* Gloſſa intelligit illud tempus, quod erat antiquitus aſſignatum ab Eccleſia pro peragenda pœnitentia publica, ob certa crimina atrociora fidelibus imponi ſolita.

Hoc impedimentum pro eo ſaltem tempore durabat, quo dicta pœnitentia peragenda fuit; ut conſtat ex ep. 1. Siricii Papæ ad Himerium c. 5. rel. c. 12. 33. q. 2. cujus Summarium eſt, *Pœnitentes matrimonia contrahere prohibentur;* unde c. 5. ejuſdem q. Nicolaus I. ita argumentatur: *Interfectores ſuarum conjugum ſint judicio ——— quid aliud habendi ſunt, quam homicidæ, ac per hoc ad pœnitentiam redigendi? quibus penitus conjugium denegatur.* Ad hanc diſciplinam reflectens Mendoza de Confir. Concil. Eliberit. l. 2. c. 21. eamque confirmans authoritate Leonis M. & Concilii Tolet. VI. c. 8. ſubjicit: *Quod & hodie obſervatur in his, qui ob crimen violatæ Religionis ab inquiſitoribus hæreticæ pravitatis perpetua pœnitentia plectuntur.* Ex his vero patet hanc diſciplinam eſſe primorum ſæculorum; nihilominus pœnitentia publica in deſuetudinem abeunte, etiam impedimenta hæc matrimonii ſenſim abrogata ſunt; unde bene notat Juenin de ſacr. matr. q. 7. c. 13. A. 3. in Gallia, uti & in pleriſque orbis Chriſtiani Provinciis, impedimenta impedientia ea crimine provenientia pene nota non eſſe; neque in Belgio ullus eorum uſus noſcitur, teſte Eſpenio. Id quod noſtrarum omnium Canoniſtæ unanimiter teſtantur, quatuor tantum impedimenta impedientia matrimonium contrahendum admittentes, hoc verſu comprehenſa.

Sacratum tempus, vetitum, ſponſalia, votum.

Quorum duo priora Jure poſitivo Eccleſiaſtico, altera vero Jure naturæ matrimonia impediunt, atque ſuperius jam ſunt explicata.

94. Synodus Tridentina ſicut impedimenta impedientia matrimonium quantum ad ſubſtantiam reſtrinxit, ita impedimenta idem matrimonium dirimentia in ſe ſe auxit, quamvis quorundam extenſionem veterem brevioribus limitibus circumſcripſerit.

Prima pars in aprico eſt ex illico dictis.

Secunda pars ex eo patet, quod antiquis impedimentis dirimentibus matrimonium addiderit Raptum, & defectum Parochi, & duplicis teſtis, ut ex dicendis conſtabit.

Ter-

Tertia quoque ex iiſdem dicendis in apricum ponitur, in impedimentis conſanguinitatis, affinitatis, & cognationis ſpiritualis. Poteſtatem vero habuiſſe Eccleſiam Tridenti congregatam, ſicut & priora Concilia, vel Romanos Pontifices ejuſdem Eccleſiæ viſibilia capita ordinationes circa matrimonii impedimenta faciendi, ex dictis N. 83. ac præjudiciali veritate, Romanum Pontificem eſſe Vicarium Chriſti, conſtat.

95. Quatuordecim igitur poſt Concilium Tridentinum a noſtris Canoniſtis impedimenta dirimentia communiter enumerantur. Ea Germani noſtri his verſibus efferunt:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaque ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Per *Errorem* intelligitur error perſonæ, ut ſi quis intendas contrahere cum Berta, & in effectu contrahat cum Lia. Per *Conditionem* error conditionis ſervilis alterius contrahentium &c. Per *Votum* intelligitur ſolemne votum continentiæ in Religione approbata emiſſum. Per *Cognationem* triplex illa Cognatio, naturalis, quæ conſiſtit in conſanguinitate in certis gradibus, Legalis, quæ in adoptione, Spiritualis, quæ occaſione baptiſmi vel confirmationis oritur. Per *Crimen* intelligitur adulterium cum machinatione in necem alterius conjugis, aut fide futuri matrimonii præmiſſa. Per *Cultus diſparitatem*, contrahentium diſparitas in fide, quando nimirum unus ex illis eſt baptizatus, alter nequaquam. Per *Vim*, violentia, qua quis invitus cogitur ad matrimonium contrahendum. Per *Ordinem*, votum ſolemne caſtitatis ſacris Ordinibus annexum. Per *Ligamen*, Vinculum prioris matrimonii. Per *Honeſtatem*, propinquitas orta ex ſponſalibus, aut matrimonio rato, non conſummato, quam Sponſus contrahit cum conſanguineis ſponſæ, & viciſſim. Quid per *Affinitatem* intelligatur, ipſum vocabulum verſus prodit; ſicut & tò *Si forte coire nequibis*, impotentiam coeundi in ordine ad generandam prolem, ex utraque, vel alterutra parte ſignificat. Verſus *Si Parochi &c.* cum frequenti impedimenta Clandeſtinitatis, ac Raptus puellæ e domo Parentum eum in finem, ut ducatur in matrimonium, ſignificat a Tridentino conſtituta. His impedimentis Galli annumerant decimum quintum *amentiam*, unde Tournelius de ſacr. matr. q. 8. A. 1. ait: Quindecim vulgo numerantur impedimenta, quæ his verſibus exprimit:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,
Similiter ſi rapta, loco nec reddita tuto,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Amentiam vero matrimonium dirimere, & quidem Jure naturæ, adeoque apud omnes gentes, cum tollat aſſenſum, qui cauſa ejus efficiens eſt, omnibus in comperto eſt. Hoc vero impedimentum in noſtris vulgatis verſibus non exprimitur, nec ad unum ex ibi expreſſis impedimentis reduci poteſt, quemadmodum ætas imbecillior ad impedimentum impotentiæ, ut notat Reiffenſtuel; ad quod enim? cæterum, quamvis amentia ſit impedimentum Juris naturæ, non Eccleſiaſtici, recte tamen reliquis annumeratur, cum plura inter illa habeamus, quæ ſunt Juris naturæ, ut jam videbimus.

96. Ex his impedimentis dirimentibus nonnulla ſunt juris naturalis, nonnulla juris duntaxat Eccleſiaſtici. Prioris generis hoc verſu exprimuntur:

Mens ægra, & conjux, vis, error, ineptia, ſanguis.

Poſterioris vero ſequentibus:

Ordo ſacer, votum, nec non ſponſalia firma;
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, captus,
Si baptiſma deeſt, ætas, teſtes, Parochuſque.

Votum ſimplex & ſponſalia de futuro jure naturæ matrimonium impediunt ſecundum ſuperius dicta, cum voto caſtitatis ligatus in caſu contracti matrimonii fidem violet Deo, deſponſatus vero ſponſæ priori; votum vero ſolemne & ſponſalia de præſenti matrimonium jure eodem non dirimunt, ſed Eccleſiaſtico, vel divino; cum Polygamia, eſto ſit contra fines ſecundarios matrimonii, non tamen contra primarium, qui eſt prolis procreatio, a Chriſto lege poſitiva ſolummodo ſublata, votum vero ſolemne caſtitatis ex *natura ſua* non magis pugnat cum matrimonio, quam ſimplex, ſed aliunde, ut alibi vidimus. Nunc de ſingulis hiſtorice:

97. Error poteſt conſiderari vel circa perſonam, vel circa perſonæ qualitatem.

Error circa perſonam omnium gentium conſenſu irritat matrimonium, cum tollat conſenſum; circa qualitatem vero tum ſolum, cum ipſa qualitas redundat in perſonam, quando nimirum animus contrahentis ſic fertur in certam qualitatem, ut implicite nolit perſonam, ſi ipſi deſit qualitas, in qua errat. Quando vero error qualitatis redundet in perſonam, judicio prudentis committitur. Cæterum cum matrimonium ſic contractus ex natura ſua indiſſolubilis, & maximi momenti, Judices Eccleſiaſtici jam olim non præſumpſerunt, quod contrahentes voluerint ab aliqua qualitate accidentali v. g. divitiarum, pulchritudinis, conſenſum ſuum dependere, uti habetur cauſa 29. q. 1. neque hodie ob errorem ſaltum qualitatum matrimonia diſſolvi videmus. Cæterum quod ipſum contrahentem concernit, ſi ille ſuum conſenſum expreſſe a tali qualitate velit dependere, coram Deo & in foro conſcientiæ in caſu erroris revera non contrahit matrimonium, quamvis in foro externo contraxiſſe tam diu præſumatur, donec contrarium evidenter probet.

98. Præcipua perſonæ qualitas, quæ matrimonium Jure poſitivo dirimit, eſt conditio ſervilis.

Apud Romanos teſte Van-eſpen ſolemne fuit, ut ſervitus, ſeu conditio ſervilis contractum matrimonium dirimeret, atque hinc inter perſonas conditionis ſervilis non matrimonium, ſed contubernium eſſe cenſebatur L. 14. ff. *de Ritu nuptiarum*; maxime vero, ſi ignorantibus, aut invitis Dominis matrimonium contraheretur. Cum autem Eccleſia nata & adulta ſit in Imperio & Republica, non Reſpublica in Eccleſia, ut loquitur Optatus Milevitanus, ipſa, quantum fieri poterat, ſe legibus Reipublicæ conformabat: *ne ipſa Lex Evangelica Rempublicam turbare videretur*. Hinc primitus Eccleſia conjugia inter perſonas ſervilis conditionis pro nullis habuit, atque dirimi permiſit, ſi conſenſus Dominorum non interveniſſet; ut eſt apud Grat. 29. q. 2. c. 8. ubi ex Concilio Cabilonenſi II. A. 813. refertur: *Nobis viſum eſt, ut conjugia ſervorum non dirimantur, etiamſi diverſos Dominos habeant, ſed in uno conjugio permanentes Dominis ſerviant ſuis, & hoc in illis obſervandum eſt, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum*. Igitur irrita erant conjugia ſervorum non exquiſito prius conſenſu Dominorum celebrata. Id

Id quod apertius inſinuat S. Baſilius in ep. canonica ad Ampbil. can. 42. *Quæ ſine iis*, verba ſunt S. Patris, *qui babent poteſtatem, fiunt matrimonia, ſunt fornicationes. Vivente ergo Patre vel Domino, ii, qui conveniunt, non ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio Domini annuerint; tam enim firmitatem accipit conjugium*. Et can. 40. *Quæ*, inquit, *præter Domini ſententiam ſe viro tradit, fornicata eſt; quæ autem poſtea libero matrimonio uſa eſt, nupſit. Quare illud quidem fornicatio, boc vera matrimonium. Eorum enim qui ſunt in alterius poteſtate, pacta conventa firmi nihil babent*. Eadem diſciplina ſtatuta eſt apud Latinos jam ante Concilium Cabilonenſe II. nimirum in Concilio IV. Aurel. An. 541. c. 24. Compendienſi A. 757. quæ vide infra N. 103.

99. Videtur impedimentum iſtod duraſſe circiter uſque ad Sæculum XII. circa quæ tempora ſucceſſive cœpit abrogari.

Id conſtat, quod Magiſter Sententiarum, qui circa illa tempora floruit, lib. 4. diſt. 36. laudet authoritatem Concilii Cabilonenſis ſæc. IX. celebrati. Et quod plus eſt, in cap. 1. *de conjugio ſervorum* refertur conſultatio Archiepiſcopi Salisburgenſis ſuper matrimoniis ſervorum, quæ invitis ac contradicentibus Dominis contrahuntur, reſponſumque Adriani Papæ in hæc verba: *Sane juxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu neque liber, neque ſervus eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia debent allatenus probiberi; & ſi contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter boc diſſolvenda. Debita tamen & conſueta ſervitia non minus debent propriis Dominis exbiberi*. Notat vero Vaneſpen, quamvis in noſtra hodierna Decretalium collectione non notetur, quis fuerit bic Archiepiſcopus Saliſburgenſis, qui Papam conſuluit, in appendice tamen ad Concil. Later. ſub Alex. III. parte 45. c. 7. exprimitur Ebnardus, qui rexit dictam Eccleſiam A. 1145. uſque ad A. 1164. uti notavit Gonzales in notis ad hoc capitulum. Hinc patet eo tempore nondum ubique indubitatum fuiſſe, num inter perſonas ſervilis conditionis conſiſteret matrimonium *invitis* Dominis; una tamen conſtat illud impedimentum jam tum cœpiſſe abrogari, & bodie certum eſt, conjugia hujuſmodi valere cum moderatione illa, ut conſueta ſervitia nihilominus Dominis præſtentur. Et hoc quidem, ſi perſonæ conditionis ſervilis inter ſe contrahant, aut etiam una libera altera ſerva, modo libera non fuerit ignara conditionis ſervilis. Per quod patet ſecunda pars.

100. Jure ergo Canonico ſolus *error* conditionis, non ipſa conditio dirimit matrimonium.

Ita declaravit Innocentius III. in cap. final. *de conjugio ſervorum*. Hanc vero dirimendi vim huic errori jure mere poſitivo competere, una eſt Canoniſtarum, & Theologorum opinio: & veriſimiliter legum Romanarum, & antiquorum Canonum, quæ ſervorum conjugia ægre admiſerunt, reliquiæ ſunt hæ Decretalium diſpoſitiones. Quidquid ſit, hodie hoc impedimentum in hiſce ac vicinis Provinciis parum uſuvenit, inquit Vaneſpen, eo quod ſervos hic non agnoſcamus; imo ſervos in Gallia, & Belgio beneficio Regionis liberos fieri notat Zypæus in notitia Juris Belgici tit. *de ſervis* N. 4. Et quamvis in noſtra Bohemia habeamus ſervos adſcriptitios, & originarios, matrimonia tamen cum iis inita cum ignorantia conditionis ſervilis valent, quia Jus Canonicum in omnium ſententia loquitur de ſervis *proprie* dictis, qui quidquid acquirunt, non ſibi, ſed Dominis acquirunt. Licentiam tamen debent habere noſtri ſervi a Dominis, ut nuptias contrahere poſſint; & ſi ſint diverſorum Dominorum, ille, qui ad conſortis domicilium per nuptias migrat, petere debet a priore Domino manumiſſionem, ac in ſubditelam tranſire alterius. Erravit ergo Bohmerus, dum lib. 4. *Juris Eccl. Tit. 9. §. 6.* ſcripſit, in Pomerania, Weſtphalia, & Bohemia iſtorum connubia non aliter eſſe valida, quam ex Dominorum conſenſu; in Bohemia enim ſolum probiberi Parochos, ne hujuſmodi ſponſos copulent, ex Ordinationibus Archiepiſcopalibus in aprico eſt. Quarum prima emanavit A. 1664. ab Eminentiſſimo Cardinali ab Harrach, Archiepiſcopo Pragenſi, hac tamen exceptione adjecta: *Quando unius Dominii ſubditi difficultatem* (impragnationis) *non patiebantur*. Uti teſtantur patentes Vernales Archidiœceſeos Pragenſis pro A. 1755. N. 10. ubi etiam intimatur Parochis, *ut ſicubi Dominia ſtatuiſſent lapſis mulieribus conſenſum non impertiri*, negotium iſtud præmiſſa *bumili & iterata intercesſione* ad Conſiſtorium referant, procul dubio ejuſdem ordinatione copulandos, quod ſignum manifeſtum eſt, ſimilia matrimonia in Bohemia ſolum eſſe prohibita, invalida non item. Unde cenſura Sanctiſſimi, quam l. cit. N. 5. narrationi Bohmeri ſubjungit, invaliditatem horum conjugiorum aut eſſe accipiendam quoad effectus civiles, aut non admittendam a Catholicis, illis in Regionibus degentibus, qui ſanctioribus Eccleſiæ legibus utuntur, Bohemiam noſtram non ferit.

101. Cum vero apud veteres Romanos par eſſet Parentum in filios, ac in ſervos poteſtas, auctore Romulo, cujus ratione licebat Parentibus loris cædere filios, carcere coercere, in agros ad opera ruſtica vinctos amandare, venumdare, denique interficere, quod totidem verbis refert Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 2. pag. 46. imo liberorum conditio in quibuſdam durior extiterit illa ſervorum, teſte Lactantio & Servio *ad Virgil. Æneid.* 11. v. 143. non mirum eſt, ſi conjugia ſervorum invitis Dominis inita nulla erant ac irrita, eodem fato etiam involverentur nuptiæ filiorum familias.

Propoſitio ex terminis in aprico eſt.

102. Quamvis vero hæc Parentum in filios immoderata Jura, quæ certe barbariem ſapiebant, cultioribus Romanæ Reipublicæ ſub Imperatoribus Chriſtianis temporibus fuerint valde imminuta; nihilominus tamen adhuc Juſtiniani ætate tanta Parentibus in filios fuit poteſtas §. 2. de *Pat. pot.* recenſita, ut quemadmodum ſervorum, ita & filiorum nuptiæ abſque eorum conſenſu initæ fuerint irritæ.

Id probant textus in pr. Inſt. *de nuptiis*, & in L. *nuptiæ* 2. ff. *de ritu nuptiar.* in quorum primo habetur: *Si filii familiarum ſint, conſenſum babeant parentum, quorum ſunt in poteſtate; nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio ſuadet in tantum, ut juſſus parentum præcedere debeat*. Et infra: *Si adverſus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur*. Cujacius in lib. 35. Pauli *ad edict.* ad L. 2. & 10. de ritu nuptiar. & Dionyſius Gothofredus in L. *filius* ff. de ritu nupt. equidem contendunt per præfatas leges non irritas, ſed ſolum illicitas decerni nuptias, quas filiifamilias contrahunt invitis, aut inſciis, nec conſentientibus Parentibus, ſub quorum ſunt poteſtate. Hanc ſuam opinionem fulciunt authoritate Pauli Jurecconſulti, qui lib. 2. ſent. tit. 24. ſcripſit: *Eorum, qui in poteſtate Patris ſunt, ſine voluntate ejus, matrimonia Jure non contrabuntur, ſed contracta non ſolvuntur: contemplatio enim publicæ poteſtatis privatorum commodis præfertur*. Sed refelluntur a Sanctiſſimo lib. 7. c. 37. *de Synodo Diœc.*

N. 2. ex eo, quod alii eruditi ſuſpicentur locum illum ex Paulo Juriſconſulto allatum non eſſe Pauli, ſed Aniani cujuſdam, qui Theodoſianum Codicem, tempora Alarici Gothorum Regis, ſeu ſæculo VI. notis illuſtravit; & quidem hac ipſa de cauſa, quod aperte contradicat citatis legibus, quas certiſſimum eſt, Imperatorem Juſtinianum ex ejuſdem Pauli Juriſconſulti ſententia inſeruiſſe Corpori Juris a ſe promulgati.

103. Utraſque civiles leges, tam videlicet quæ ſervorum, quam quæ filiorumſamilias, ſolo contrahentium conſenſu inita matrimonia infringebant, quondam ratas habuit Eccleſia.

S. Baſilii hanc in rem teſtimonium ex canone 42. Ep. canonicæ ad Amphilochium retulimus ſupra N. 98. quod adeo clarum eſt, ut Eſtius maluerit negare hanc epiſtolam eſſe S. Baſilii, quam fateri eundem S. Doctorem in hac fuiſſe ſententia, cum nihilominus ſine omni dubio ſit genuinus S. Patris fœtus. Eandem ſententiam Sæculo VI. fovit Concilium Aurelianenſe IV. c. 22. decernens: *Ut nullus per imperium poteſtatis filiam competere audeat alienam, ut conjugium, quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur: ſed ſicut eſt prohibitum, non admittatur*. Quod autem hic canon haud unde prohibeat, ſed inſuper irritet ſimilia matrimonia, patet ex can. 24. ejuſdem Concilii, ubi dicitur: *De qua re decernimus, ut parentibus, aut propriis Dominis, prout ratio poſcit perſonarum, accepta fide excuſati, ſub ſeparationis promiſſione reddantur* (Proles & ſervi), *poſtmodum tamen parentibus, aut Dominis libertate conceſſa, ſi eos voluerint, propria voluntate conjugare*. Conſentit Concilium Cabilonenſe II. A. 813. rel. 29. q. 2. & alia, quæ quamvis de ſervis loquantur, ad filios nihilominus recte extenduntur, cum conſtet ex relatis authoritatibus, parem his ſæculis quoad hoc punctum judicatam fuiſſe conditionem ſervorum & filiorum.

104. Subſequis Sæculis, quemadmodum conjugia ſervorum invitis Dominis, ita & filiorum parentibus inconſultis ac renitentibus inita, abrogatis legibus civilibus, ratihabita ſunt ab Eccleſia.

Propoſitio patet ex cap. *cum locum* de ſponſal. & matr. ex cap. *licet*, & cap. *tua* de ſponſa duorum, in quibus nuptiarum validitas a contrahentium conſenſo pendere declaratur. Et Concilium Trid. Seſſ. 24. c. 1. de reform. matrimonii anathemate percellit eos, *qui falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe*. Quod Galliam concernit, matrimonia filiorumſamilias invitis parentibus inita inibi adhuc eſſe nulla, non ſolum quoad effectus civiles, ſed quoad ipſam ſubſtantiam, docuit Brodeus; ſed communior & vera eſt aliorum Gallicorum Doctorum ſententia, qui illa volunt ſolum irrita quoad *effectus civiles*. Illa ita irritavit Henricus III. in comitiis Bleſanſibus A. 1579. Art. 40. Cujus Sanctio renovata eſt a Ludovico XIII. Anno 1629. & 1639. Quod autem per illam invalidentur ſimilia matrimonia ſolum quoad *effectus civiles*, Clero Gallicano reſponderunt ejuſdem Ludovici nomine Regii Commiſſarii, uti habetur Tomo 3. rerum & decretorum Cleri Francici. Quæſtio, quæ occaſione hujus Regiæ irritationis inter Gallos orta eſt, an nimirum ſimilia matrimonia ſint Sacramentum, ventilata eſt a nobis ſupra N. 81.

105. Per Votum & Ordinem, ut eſt impedimentum dirimens, intelligitur votum ſolemnizatum per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut Religioſam profeſſionem.

De utroque voto abunde egimus lib. 3. De priore quidem titulo 3. *de Clericis conjugatis*; ubi œconomiam Eccleſiæ circa cælibatum Clericorum ab Apoſtolorum temporibus uſque ad moderna tempora exacte retulimus, & diſſertatione peculiari vindicavimus, De poſteriori vero eodem lib. tit. 31. *De Regularibus &c.* a N. 44. & ſeqq. ut hic nihil apponendum reliquum ſit. Subjicimus tamen canonem 9. Seſſ. 24. de ref. matr. a Concilio Trid. in rem noſtram editum. *Si quis dixerit*, inquiunt Patres conſcripti, *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto, --- anathema ſit*. Theologi non conveniunt, quo jure votum ſolemne Profeſſionis Religioſæ matrimonium dirimat, num jure naturali, ſive divino, num pure Eccleſiaſtico? Mihi præplacet eorum ſententia, qui illud jure ſolum Eccleſiaſtico dirimi exiſtimant. De quo videndus Titulus 31. libri 3. a me commentatus.

106. Quadruplex in Jure Canonico refertur cognatio, quæ dirimit matrimonium; conſanguinitatis, affinitatis, legalis, & ſpiritualis.

De omnibus his jam ordine agendum. Cum autem omnes hæ cognationes certos gradus habere debeant, ad effectum dirimendi matrimonium, præſertim illæ conſanguinitatis & affinitatis; aliqua de his gradibus eorumque diverſa computatione per jus civile & canonicum prælibabimus, ut ea, quæ deinceps dicturi ſumus, facilius intelligi poſſint. Gradus ergo conſanguinitatis & affinitatis duplex eſt, lineæ rectæ, & collateralis; linea recta dicitur, juxta quam plures perſonæ ita ab uno ſtipite mediate vel immediate carnali generatione deſcendunt, ut una ſit ab altera genita, veluti filius a Patre, nepos a filio &c. linea collateralis dicitur illa, ſecundum quam variæ perſonæ ab uno ſtipite mediate vel immediate proveniunt; ipſæ tamen perſonæ ab invicem non deſcendunt. Sic duo fratres ab uno quidem Patre proveniunt, ſed ab invicem non deſcendunt, ſicut v. g. Nepos ab Avo & Patre. Hæc linea collateralis duplex eſt: una æqualis, quæ eſt inter Perſonas æqualiter diſtantes ab uno ſtipite, v. g. inter duos fratres; alia inæqualis, quæ eſt inter Perſonas inæqualiter a communi ſtipite diſtantes, v. g. inter fratrem & fratris filiam. Pro his Lineis tres a Canoniſtis ſolent aſſignari regulæ, & pro linea recta quidem aſcendentium & deſcendentium hæc: *Quot ſunt perſonæ, de quibus quæritur, computatis intermediis, una dempta, tot ſunt gradus inter eos*. Sic Proavus & Pronepos diſtant tribus gradibus, quia quatuor perſonæ numerantur, nimirum, Proavus, Avus, Pater, Filius, qui Proavi eſt Pronepos. Circa lineam collateralem æqualem vero hæc: *Quoto gradu diſtant a communi ſtipite, tanto diſtant inter ſe, vel mutuo ſe contingunt*. Sic fratrueles duobus gradibus diſtant inter ſe, quia duobus gradibus diſtant ab Avo, a quo geniti ſunt illorum Patres. Denique pro linea inæquali iſta: *Collateralium in linea inæquali quoto gradu remotior diſtat a communi ſtipite, tanto diſtant inter ſe*. Sic quamvis Abnepos non poſſit Abneptem ducere, cum ſint in quarto gradu lineæ collateralis ab Abavo per duos Proavos deſcendentes, poteſt nihilominus ejus filiam matrimonio ſibi copulare, quæ cum ipſo eſt in gradu quarto mixto quinto lineæ collateralis, qui quartum ad ſe trahit, & quintus in jure reputatur. In declaratione autem Arboris ad calcem cauſæ 35. q. 5. notatur, regulas aſſignatas pro computandis gradibus in linea collaterali tantum procedere *ſecundum Canones*, non autem *ſecundum leges civiles*. Pro quo ex Eſpenio notandum, juxta leges civiles eandem regulam ſervari in linea colla-

tera-

terali, ſiva æquali, ſive inæquali, quæ juxta canones aſſignatur pro linea recta; ut ſcilicet tot ſint gradus, quot ſunt perſonæ, quouſque perveniatur ad communem Stipitem, qui communis Stipes ſubducitur: adeoque juxta hanc computationem civilem, etiam in linea collaterali unaquæque perſona facit unum gradum, cum tamen ſecundum canones duæ tantum perſonæ unum gradum faciant. Unde duo fratres ſecundum computationem civilem ſunt in ſecundo gradu; quia computato communi Stipite, ſcilicet Patre, ſunt tres perſonæ, & conſequenter una dempta, ſcilicet perſona Patris, tanquam communi Stipite, remanent duæ perſonæ; juxta computationem canonicam vero contingunt ſe in primo gradu, quia uterque uno duntaxat gradu diſtat a communi Stipite, ſcilicet Patre. His prælibatis

107. Impedimenta Conſanguinitatis in Levitico cap. 18. conſignata retenta ſemper ſunt in Eccleſia.

Propoſitio ſupra a N. 77. & ſeqq. in apricum poſita eſt; ubi ſiquidem vidimus, quod hæc impedimenta ſubinde in Eccleſia fuerint diſpenſatione ſublata, & ob eam rem Romanos Pontifices a Novatoribus, qui ea indiſpenſabilia exiſtimant, calumniam ſuſtinere.

108. Gradibus illis in Levitico expreſſis in Eccleſia ſubinde alii remotiores additi ſunt, ad effectum dirimendi matrimonium.

Et quidem impedimentum inter Conſobrinos, ſeu inter perſonas in ſecundo gradu lineæ collateralis a ſæculari poteſtate Sæculo IV. ortum habuiſſe, ſuadetur ex S. Ambroſio lib. 8. ep. 66. ubi ita habet: *Nam Theodoſius* (Senior) *Imperator etiam patrueles, fratres, & conſobrinos vetuit inter ſe conjugii convenire nomine, & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora.* Theodoſii legem Honorius ejus filius quoque memorat L. un. C. Theodoſ. *Si nuptiæ ex reſcripto petantur*; uti recte ibidem notat Jacobus Goth. una obſervans, legem 19. C. de nupt. quæ nuptias conſobrinorum permittit, non eſſe Honorii, ſed ſolius Arcadii, qui Theodoſio Patri in Orientis imperio ſucceſſerat, Honorio Occidentis Imperium moderante, quamvis dicta lex utriuique nomen præſeferat. Hæc autem lex tempore Auguſtini, ſeu Sæculo V. dum ſcripſit libros de Civitate Dei, videtur evulgata *primum* fuiſſe, ac robur obtinuiſſe. Sic enim habet lib. 15. c. 16. *Experti etiam ſumus in connubiis conſobrinorum etiam noſtris temporibus propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam rara per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia id nec divina lex prohibuit* (nimirum Lev. 18.) *& nondum prohibuerat lex humana* (videlicet Theodoſiana necdum evulgata); unde & ad eandem legem alludens ſubdit: *Verum quis dubitat honeſtius hoc tempore Conſobrinarum prohibita eſſe conjugia?* Itaque videtur Auguſtinus a legum prohibitione deſumpſiſſe prohibitionem conjugiorum inter conſanguineos Lineæ Lateralis, nec eam ultra legis prohibitionem extendiſſe. Hinc quiſque facile intelliget, quid cenſendum de epiſt. Decretalibus, quæ ſub nomine primorum Pontificum Fabiani, Calliſti, & Julii, ex ſpuriis Iſidori Mercatoris mercibus referuntur apud Grat. 35. q. 2. & 3. ubi impedimentum hoc etiam ultra conſobrinos extenditur, inquit Vaneſpen.

109. Quo tempore impedimentum conſanguinitatis ultra præfixum a legibus Imperatorum gradum extendi cœperit, incertum eſt; illud ſat certum, ſenſim ea impedimenta invaluiſſe, nec ubique eodem tempore recepta fuiſſe.

Epiſtola ſiquidem Julii Papæ I. qui ſedit A. 336. rel. a Grat. cit. cauſa 35. c. 7. in qua hoc impedimentum ad ſeptimum uſque conſanguinitatis gradum extenditur, eſt ſuppoſititia, uti lib. 9. cit. 2. ſpeciali diſſertatione evicimus. Reſponſio equidem Gregorii I. ad ſextam interrogationem Auguſtini Anglorum Apoſtoli non obſcure ſupponit, ætate Gregorii, hoc eſt, ad Sæculi VI. finem, & ſeptimi initium, impedimentum hoc ad ſeptimum gradum fuiſſe extenſum, quod & apertius indicat ep. 32. libri 12. ejuſdem Pontificis. Verum prædictam reſponſionem, ſi quis ad varietatem Lectionum, ad contextus inæqualitatem, ad doctrinæ morum prudentiæ attenderit, de Auctore forſan dubitabit, ait eruditus operum S. Gregorii reviſor, apud Vaneſpen in notis ad hanc reſponſionem, qui & de cit. ep. 22. hoc judicium ſubjicit: *Verum quam ſit corrupta & deformata, clarum eſt ex multis interpolationibus, & repetitionibus inutilibus, quas Lector ſtudioſus & prudens inter legendum obſervabis. Idea a quibuſdam reprobata eſt, tanquam Gregorio M. indigna.* Apud Coletum Tomo VI. Conciliorum col. 1302. hæc notantur in marg. *Hanc fictam fuiſſe multa ſuadent.* Quidquid ſit, inquit Eſpenius, hoc interim vel ex ſuppoſititiis epiſtolis primorum Pontificum a Pſeudo-Iſidoro circa Sæculum VIII. vel IX. confictis, & in Decretum Gratiani poſtmodum relatis intelligitur, circa tempus Pſeudo-Iſidori impedimenta conſanguinitatis ad ſeptimum gradum cœpiſſe extendi.

110. Veroſimilius tamen eſt tempore Iſidori, referente Gratiano, qui circa ſæculi XII. medium floruit, hanc ſeptem graduum computationem non fuiſſe factam juxta regulas Juris Canonici, ſed civilis ſupra deſcriptas; & conſequenter matrimonium tantum fuiſſe vetitum uſque ad quartum gradum inter inæquales.

Id enim aperte indicare videtur ſuppoſititia ep. Calliſti I. 35. q. 2. c. 2. Quæ, poſtquam dixit conjunctiones conſanguineorum vetitas, tandem ſubjungit: *Eos autem conſanguineos dicimus, quos Divinæ, & Imperatorum Romanorum, atque Græcorum leges conſanguineos appellant, & in hæreditatem ſuſcipiunt, nec repellere poſſunt.* Et Concilium Meldenſe ibidem c. 1. *De affinitate conſanguinitatis per gradus cognationis placuit uſque ad ſeptimam generationem obſervare. Nam & hæreditas rerum per legales inſtrumentorum diffinitiones ſancita uſque ad ſeptimum gradum protendit hæredum ſucceſſionem, non enim ſuccederent, niſi eis de propagine cognationis deberetur.* Quæ probatio deſumpta ex ſucceſſione legali in hæreditatem inefficax plane & a ſcopo aliena fuiſſet, niſi gradus conformiter ad legum præſcriptum computati fuiſſent. Accedit, Eccleſiam in ſimilibus ſolitam fuiſſe Regulas ſuas legibus Imperii conformare, ne videretur Jura imperii ſubvertere velle, ut obſervat Cujacius ad cap. penult. *de Conſang.*

111. Sæculo nihilominus XI. invaluit computatio canonica, & ſeptimus gradus, de quo in præcitatis epiſtolis, juxta eam computationem accipi cœpit; atque ita impedimentum conſanguinitatis in linea collaterali juxta eam computationem ad ſeptimum, & conſequenter juxta civilem ad decimum quartum extendi.

Hujus innovationis præcipuam cauſam tribuit Eſpenius authoritati ſupra citatæ reſponſionis & ep. S. Gregorii M. uti videre licet apud Petrum Damiani, qui hoc ſæculo vixit. Hinc Alexander II. ejuſdem Sæculi Pontifex apud Grat. 35. q. 5. c. 2. redarguit quoſdam, qui contendebant etiam juxta canones computationem graduum inſtituendam modo a legibus præſcripto; aſſeritque diſcuſſam *quæſtionem in Lateranenſi Conſiſtorio*, ibi Patres *diu ventilatis legibus & ſacris canonibus diſtincte inveniſſe ob aliam cauſam alteram legum fieri, alteram canonum computationem.* Id

certum eſt, Canonicam horum ſeptem graduum computationem tempore Alexandri III. ſeu Sæculo XII. pro jure receptam fuiſſe, non tantum quoad conſanguineos, ſed etiam affines, ut conſtat ex decretali hujus Pontificis in cap. 1. de conſang.

112. Hæc nihilominus diſciplina ejuſdem Sæculi fine adhuc ſublata eſt, atque ſancitum, ut prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis gradum de cætero non excedat.

Eam ſuſtulit Innocentius III. Motivum hujus ſublationis inſinuat c. 8. de Conſang. *Quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari*. Cujus conſtitutione adhuc hodie utimur. Indubitatum autem eſt quartum gradum in ea conſtitutione ſumi juxta computationem canonicam. Unde reſolvit Gregorius IX. in cap. fin. eod. *Vir qui a ſtipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio latere diſtat quinto, ſecundum regulam approbatam, qua dicitur: Quoto gradu remotior diſtat a Stipite, & a qualibet per aliam lineam deſcendentium ab eodem; licite poſſunt matrimonialiter copulari*. Hinc ſeptem gradibus juxta canonicam computationem jure novo tres detracti ſunt; juxta civilem vero, cujus uſus fuit ante Alexandrum II. gradus dimidius additus, & ex quarto gradu inæquali æqualis adhuc pro impedimento dirimente declaratus. Volunt autem aliqui conſanguinitatem in primo gradu lineæ lateralis non jure humano, ſed naturali illicitam eſſe. Ut fatetur ipſe Auguſtinus lib. 15. de Civ. Dei. Quibus lubens ſubſcribo, ſi de *illiceitate* loquantur ob verecundiam naturalem & horrorem, quem experiuntur fratres & ſorores in commixtione carnali. At ſi quæratur, num iſte gradus eodem jure matrimonia *irritet?* tunc cum S. Thoma aſſero, ſolum gradum primum lineæ rectæ id præſtare, ob impoſſibilem æqualitatem inter conjuges requiſitam, inter *immediatum* principium eſſendi, qualea ſunt Parentes reſpectu liberorum, & *principiatum*. In ulteriori gradu lineæ collateralis matrimonium hodie ſolo jure Eccleſiaſtico dirimi expeditum eſt, ſupponitque evidenter Innocentius III. in c. 8. *de divortiis*.

113. Altera cognationis ſpecies eſt Affinitas, quæ ſecundum canones eſt perſonarum proximitas ex copula carnali proveniens, & omni carens parentela.

Dicitur affinitas, quaſi duorum ad unum finem unitas, inquit Vaneſpen, quod duæ cognationes diverſæ per copulam copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit. Hæc autem affinitas juxta canones non tantum per copulam licitam, ſed etiam illicitam contrahitur cap. 8. & 9. *de eo qui cognovit conſang. uxoris ſuæ*.

114. Triplex olim erat genus affinitatis expoſitum a Gloſſa in cap. 8. de conſang.

Primum fuit: ſi Maria fratri Joannis fuit matrimonio juncta, fuit ipſi & ſorori ejus affinis in primo genere. Si autem fratre defuncto eadem Maria nupſit Petro, Petrus factus eſt Joanni & ſorori ejus affinis in ſecundo genere; ſi vero Maria defuncta, Petrus ducat Annam, illa facta eſt Joanni & ſorori ejus affinis in tertio genere.

115. Hæc tria genera affinitatis olim matrimonii impedimenta fuerunt.

Secundo & tertio generi occaſionem dediſſe videntur ſuppoſititia decreta, quæ ſub nomine Fabiani Papæ, & Paſchalis II. referuntur a Gratiano 35. q. 3. c. 3. & 22. utpote quæ ſola a Canoniſtis in hanc rem allegari ſolent.

116. Sæculo XIII. nihilominus poſteriora duo affinitatis genera ſublata ſunt per Innocentium III. in Concilio Lateran. IV.

Canon 50. ita habet: *Cum prohibitiones de conjugio in ſecundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo ---- & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: ut ceſſante prohibitione ceſſet effectus, Conſtitutiones ſuper hoc editas ſacri approbatione Concilii revocantes, præſenti conſtitutione decernimus, ut ſic contrahentes de cætero libere copulentur*.

117. Cum gradus affinitatis proprie nulli ſint, eo quod juxta generationes gradus proprie inſtitui ſoleant, jam olim affinitatis gradus ad effectum dirimendi matrimonia juxta gradus conſanguinitatis computari ſolebant.

Et hinc in gradu affinitatis lineæ rectæ ſemper prohibitum & nullum fuiſſe contractum matrimonium conſtat ex S. Paulo 1. ad Corinth. 5. ubi nefandum ſcelus arguit in eu, qui uxorem Patris ſui habebat. Concordant leges civiles, quarum una ſic habet: *Affinitatis enim veneratione Socrum & Novercam prohibitum eſt uxores ducere, quia loco matris ſunt*. Quia vero in linea laterali prohibitum olim fuit conjugium uſque ad ſeptimum gradum, iidem gradus etiam ſervabantur in affinitate ejuſdem lineæ; qui conſequenter etiam a Concilio Lateranenſi IV. ad quartum reſtricti ſunt, ut ſupra jam annotavimus.

118. Circa impedimentum conſanguinitatis aut affinitatis, ortæ ex copula conjugali, nihil innovavit Synodus Tridentina.

Adeoque ſecundum Juris communis diſpoſitionem manet impedimentum conſanguinitatis in linea recta in infinitum, quoad lineam collateralem uſque ad quartum gradum juxta computationem canonicam, & quoad affinitatem ex copula conjugali.

119. Impedimentum vero affinitatis, quod olim ex copula fornicaria inducebatur, & matrimonium eo modo, quo affinitas ex copula conjugali contracta, dirimebat; Synodus Trid. ad eos tantum, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtrinxit; in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium contractum non dirimere.

Propoſitionem edicit eadem Synodus Seſſ. 24. c. 4. inquiens: *Præterea S. Synodus, iiſdem & aliis graviſſimis de cauſis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribus vero gradibus ſtatuit, hujuſmodi affinitatem matrimonium poſtea contractum non dirimere*. Declaravit autem Pius V. prædictam affinitatem non tantum non *dirimere* (quo termino uſi ſunt Patres Tridentini), ſed nec *impedire* ſubſequens matrimonium, teſte Fagnano ad cap. *non debet* de conſang. N. 16.

120. Tertia cognationis ſpecies eſt cognatio legalis.

Oritur ex adoptione, qua quis liberos non habens naturales alienum ſibi in filium adoptat, qui proin ſola juris fictione filius reputatur.

121. Hæc civilis cognatio ipſis Romanis legibus ante omnem Eccleſiæ diſpoſitionem matrimonium inter adoptatum & certas perſonas civili cognatione eidem conjunctas dirimebat.

Propoſitio conſtabit per leges Juris civilis mox adferendas. Hic obſervandum, non omnes Perſonas adoptanti ſanguine vel aliunde junctas cum adoptata Perſona legalem cognationem contraxiſſe Jure civili, ſed ſolus *agnatos*, qui nimirum de familia erant adoptantis, ſeu *nomen* familiæ ſuæ portantes; quod nomen amittunt cognati,

ſeu

ſeu per fœminas deſcendentes: non enim per ſororem Galbæ ex Vitellio progenitus eſt Galba, ſed Vitellius, & conſequenter jam extra familiam Galbæ. Unde lex 12. ff. *de ritu nuptiarum* §. 4. dicit: *Adoptivæ ſororis filiam poſſum uxorem ducere: cognata enim mea non eſt filia ejus, quia avunculus nemo fit per adoptionem. Et eæ demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ eſſent, hoc eſt, quæ adgnatorum jus haberent.* Et lex 23. ff. de adopt. *Ideo ſi filium adoptaverim, uxor mea illi matris loco non eſt, neque enim adgnaſcitur ei, propter quod nec agnata ejus fit. Item nec Mater mea aviæ loco illi eſt: quoniam his, qui extra familiam meam ſunt, non adgnoſcitur; ſed filia mea ei, quem adoptavi, ſoror fit, quoniam in familia mea eſt filia.* Et hinc lex 17. ff. *de ritu nuptiar.* ait, amitam, & amitam magnam non poſſe duci a filio adoptivo, eo quod ſint de familia adoptantis, adeoque eidem conjunctæ per adoptionem, ſi nimirum ſine cum adoptante ea eodem patre genitæ, nam *ſororem patris mei adoptivi*, hoc eſt amitam, *poſſum ducere, ſi non fuit eodem Patre nata*, inquit citata lex 12.

122. Cognatio illa legalis, quantum ad effectum dirimendi matrimonium, in tres ſpecies partita fuit a legibus Romanis, nempe in cognationem Paternitatis, fraternitatis, & affinitatis.

Propoſitio hæc pariter ea ſupra citatis legibus jam adferendis in apricum ponetur.

123. Impedimentum conſurgens ex paternitatis legalis cognatione ſe habet permodum conſanguinitatis lineæ rectæ, eſtque eodem jure inter aſcendentes & deſcendentes uſque ad quartum gradum.

Hæc linea præ linea confraternitatis hoc ſpeciale habet, quod impedimentum in ea perſeveret etiam poſt filii adoptivi emancipationem. Unde lege 55. ff. de ritu nuptiar. *nefas exiſtimatur, eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem filiæ, neptiſve eſſe cœperit: in tantum, ut etſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem jus maneat.* Hic intelligitur neptis ex filio adoptivo, non ex filia adoptiva, cum enim mater hujus poſterioris neptis extra familiam nupſiſſe ſupponatur, filia a Patre extra familiam generata cognationem legalem cum avo adoptivo non contrahit juxta ſuperius dicta. Vide etiam §. 1. Inſtit. de Nuptiis.

124. Impedimentum conſurgens ex fraternitatis legalis cognatione ſe habet ad inſtar conſanguinitatis in linea transverſa, eſtque jure Romano ſpectato non ſolum inter liberos naturales & legitimos adoptantis, & inter liberos adoptivos, verum etiam inter eos, qui remotiori gradu cum adoptivis junguntur.

Per adoptionem quæſita fraternitas, teſte Cajo L. 17. ff. eodem, *Eouſque ſolum impedit nuptias, donec manet adoptio: ideoque eam, quam Pater meus adoptavit, & emancipavit, potero uxorem ducere, æque ſi me emancipato illam in poteſtate retinuerit, poterimus jungi matrimonio.* Hoc autem impedimentum ſe etiam ad magnam amitam, quæ ſecundum civilem computationem quarto gradu ab adoptato diſtat, extendiſſe, ea eadem lege conſtat, cujus verba ſupra retulimus.

125. Impedimentum ex affinitate legali conſurgens ſe habet ad inſtar affinitatis veræ in linea recta, eſtque inter adoptantem, & uxorem adoptati, & viciſſim inter adoptatum, & inter adoptantis uxorem.

Hoc impedimentum durat emancipatione etiam ſecuta, nam ut ait Paulus Jureconſultus L. 14. ff. eodem: *Adoptivus filius ſi emancipetur, eam, quæ Patris adoptivi uxor fuit, ducere non poteſt, quia novercæ locum habet. Item ſi quis filium adoptaverit, uxorem ejuſdem, quæ nurus loco eſt, ne quidem poſt emancipationem filii ducere poterit, quoniam aliquando nurus ei fuit.* Prohibetur hac lege filius adoptivus novercam legalem ducere, quamvis juxta L. 23. ff. *de adopt.* ſupra relatam, cognationem legalem non contrahat Noverca cum filio a Marito ſuo adoptato, quia in eadem lege ſubditur: *Nuptiis tamen eorum prohibitis.* Motivum autem hoc impedimentum introducendi Romanis fuit, quod tales filii haberentur pro naturalibus, adeoque inter illos & legales cognatos ſupponebatur reverentia quædam propinquitatis intercedere, cui repugnaret commercium conjugale: nam bene dicit S. Aug. L. ſupra cit. *Neſcio, quomodo ineſt humanæ verecundiæ quidquam naturale atque laudabile, ut cui debet cauſa propinquitatis reverendum honorem, ab ea contineat quamvis generatrice, tamen libidine, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam conjugalem.*

126. Hoc impedimentum a legum authoritate primum inductum Eccleſia quoque recepit.

Id ex eo conſtat, quod Gratianus 30. q. 3. c. 6. referat ipſam L. 17. ff. *de ritu Nuptiar.* N. 124. a nobis relatam. Ejus vero ſumma habetur in Decretalibus c. un. *de cognatione legali*, ubi Nicolaus ad conſulta Bulgarorum reſpondet: *Si qua per adoptationem mihi ſoror eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt.* Quamvis autem Eſpenius p. 2. tit. 13. c. 6. N. 6. affirmet nullibi legi, Eccleſiam circa hoc impedimentum aliquid mutaſſe; ſed illud prout legibus decretum erat recepiſſe, neque Synodum Tridentinam quidquam hic innovaſſe; Theologi tamen communiter docent, impedimentum confraternitatis legalis non excedere fratres & ſorores legales, cum tamen jure civili uſque ad magnam amitam extendatur, ut ſupra vidimus.

127. Quarta cognationis ſpecies eſt cognatio ſpiritualis, quæ contrahitur tum ex collatione baptiſmi, tum confirmationis, tum ex ſuſceptione eorum, qui hæc Sacramenta percipiunt.

Propoſitio patebit ex dicendis. Hic vero notandum, quod cognatio ſpiritualis, atque impedimentum ex ea profluens ad cognationis legalis imitationem & exemplum comparata ſit. Sicut enim adoptans adoptatum ſibi in locum filii aſſumit & habet, ita quoque Suſceptor, ſive Patrinus recipit baptizatum in filium ſuum ſpiritualem, id eſt, ut illi patris ſpiritualis loco ſit. Spiritualis vero hæc cognatio ex adminiſtratione baptiſmatis ac confirmationis Sacramenti in Eccleſia ortum traxit, quoniam baptizantibus, & levantibus incumbit baptizatum in fide inſtruere. Unde Nicolaus I. ad Conſulta Bulgar. c. 2. ait: *Diligere debet homo eum, qui ſe ſuſcepit ex ſacro fonte, ſicut Patrem. Quinimo quanto præſtantior eſt ſpiritus carne, quod illud ſpirituale eſt Patrocinium, & ſecundum Deum adoptio, tanto magis ſpiritualis Pater ſpirituali filio in omnibus eſt diligendus. --- Nulla vero inter eos & filios eſt conſanguinitas --- Sed potius habenda ſpiritualis proximitas. Unde inter eos non arbitramur eſſe quodlibet conjugale connubium, quandoquidem nec inter eos, qui natura, & eos, qui adoptione filii ſunt, veneranda Romanæ leges Matrimonium contrahi permittunt.* Deinde tamquam conſequens infert: *Si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto potius a carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cœleſte Sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit?* Ad imitationem ergo cognationis legalis, ejuſque impedimenti a legibus Romanis ſtatuti, Eccleſiam impedimentum cognationis ſpiritualis introduxiſſe Nicolaus I. Sæculo IX. teſtatur.

128. Hujus impedimenti Sæculo VI. meminit Juſtinianus.

Sic enim habet lex 26. C. de nuptiis: *Eu perſona omnimode ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam aliquis, ſive alumna ſit, ſive non, a ſacro ſuſcepit baptiſmate.* Ratio ſubjungitur: *cum nihil aliud ſic inducere poteſt paternam affectionem, & juſtam nuptiarum prohibitionem, quam hujuſmodi nexus, per quem Deo mediante animæ eorum copulatæ ſunt.* Intee ſolum levantem & levatum impedimentum cognationis legalis inſinuat lex Juſtinianæa.

129. Sæculo VII. in Eccleſia Græca hæc cognatio ſpiritualis, & exinde reſultans impedimentum matrimonii agnitum & extenſum fuit etiam ad parentes levati, & levantes.

Id clare docet canon 53. Synodi Trullanæ, ubi Patres dicunt: *In nonnullis autem locis cognovimus quoſdam, qui ex ſancto ac ſalutari baptiſmate infantes ſuſcipiunt, poſtea quoque cum matribus eorum viduis matrimonium contrahere: ſtatuimus ut impoſterum nihil fiat hujusmodi. Si qui autem poſt præſentem canonem hoc facere deprehenſi fuerint, ii quidem ab illicito matrimonio deſiſtunt: deinde & fornicatorum pœnis ſubjiciuntur.* Rationem ſui decreti præmiſeruoe: *quoniam ſpiritualis affinitas corporum conjunctione major eſt.*

130. Ex hac autem perſuaſione, quod ſpiritualis affinitas corporum conjuoctione major ſie, notiquitus impedimentom cognationis ſpiritualis ad normam cognationis carnalis, & legalis ex linea quaſi erecta Paternitatis ad lineam tam fraternitatis, quam affinitatis extenſum fuit. Unde triplex ab antiquis diſtincta cognatio, paternitatis, confraternitatis, & compaternitatis. Non fuit tamen circa hoc eadem ubique diſciplina.

Et quod a linea paternitatis extenſum fuerit ad lineam affinitatis ſeu compaternitatis ſpiritualis, exemplum habemus N. præcedenti. Quodque ulterius ad lineam confraternitatis tranſierit, conſtat ex cauſa 30. q. 3. ubi cap. 3. Zacharias & Deusdedit Romani Pontifices ajunt: *Non oportet filiam, quam de ſacro fonte ſuſceperit, aliquando filio ſuo in matrimonium tradere, quia in divina ſententia Germani inveniuntur.* Cujus canonis authoritate uſus Cæleſtinus III. c. 3. *de cognat. ſpirituali* reſpondit, hujuſmodi matrimonium eſſe dirimendum etiam poſt 30. annos; verum ut recte advertit Cujacius ibi, nuſpiam in lege divina reperitur tales eſſe *Germanos*, ſed in vetere quadam lege Longobardorum Lib. 2. Tit. 8. qua ſuſceptus non audet filiam ſuſceptoris ducere; *quia ſpirituales Germani eſſe noſcuntur.* Nec tantum filia ex fonte baptiſmatis levata prohibita fuit nubere levantis filio, verum etiam filiis ac filiabus compatrum & commatrum poſt compaternitatem natis nuptiæ interdictæ ſunt a Paſchali II. c. 5. eadem cauſa 30.

Quod vero in hac re non eadem fuerit Eccleſiæ diſciplina, patet ex canone quarto, ubi Urbanus Vitali Brixienſi Presbytero dubitanti reſpondet, filios vel filias ante vel poſt compaternitatem genitas legitime conjungi poſſe, *præter illam perſonam, per quam compatres ſunt effecti*, quo decreto reſtringitur reſcriptum Paſchalis II. ad ſolum levatum. Et hinc Alexander III. ad hanc diverſitatem reſpicit, dum c. 1. de cognat. ſpirit. ait: *Utrum autem filii aut filiæ ante vel poſt compaternitatem geniti poſſint ad invicem copulari, canones ſecundum diverſorum locorum conſuetudines contrarii reperiuntur. Et licet primus canon* (nimirum 5.) *exinde editus Natos poſt compaternitatem ad invicem copulari prohibeat, alter tamen* (canon 4.) *poſterius editus primum videtur corrigere*, - - - quem etiam obſervari vult Alexander, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur.

131. Jure Decretalium impedimentum cognationis ſpiritualis a levante ac levato, a baptizante ac baptizato ejuſque parente; a filiis compatrum ad baptizatum, ac filium baptizati, ad parentes baptizati cum levantibus, ac ad ipſos compatres, & commatres extenſum eſt.

Inter baptizatum ac filiam baptizantis oriri cognationem ſpiritualem impedientem, ac dirimentem matrimonium inter eos contrahendum ſancivit Gregorius IX. cap. finali eodem. Inter patrem baptizati & uxorem levantis prius ab eo cognitam, eſto illa filium una non levaverit, Clemens III. Inter patrem baptizati & levantem, ſeu compatres Innocentius III. Quæ omnia impedimenta confirmat, ac ex Sacramento confirmationis etiam, & quidem eodem modo contrahi declarat Bonifacius VIII. c. 1. eodem in 6.

132. Intee ipſos vero patrinum & matrinam baptizati nulla etiam jure veteri erat cognatio ſpiritualis.

Ita ſtatuerat Urbanus II. cel. c. autem 30. q. 4. *Quod autem uxor*, inquit, *cum marito in baptiſmate ſimul non debeat ſuſcipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibitum.* Extat quoque de hoc reſponſum Innocentii III. L. 2. ep. ad Raſanenſem Archiepiſc. *Quamvis etiam vir & uxor alienum puerum teneant in baptiſmo, nulla tamen inter eoſdem virum & uxorem contrahitur compaternitas.* Ex his vero omnibus patet, hanc omnem cognationem, atque exinde reſultans impedimentum eſſe ex jure mere poſitivo, alias enim tam varia in diverſis Eccleſiis nata circa hoc non fuiſſet diſciplina.

133. Tridentina Synodus, experientia edocta, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matcimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur, Seſſ. 24. c. 2. impedimentum hoc dirimens matrimonium voluit ſolum intercedere inter levantes, ac baptizatum, & illius Patrem ac Matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem ac Matrem.

Hoc decretum hodie ubique receptum eſt, ipſamque modernam Eccleſiæ diſciplinam circa cognationem ſpiritualem ex illo metiri debemus. Neque ultra perſonas in illo expreſſas hoc impedimentum extendendum eſt. *Statuit* præterea S. Synodus, *ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant.* Vultque, *quod ſi alii, ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, cognationem nullo pacto contrahant.* Hancque ſuam diſpoſitionem valere voluit æqualiter circa cognationem ſpiritualem, ſive ex Sacramento baptiſmi, ſive confirmationis contractam.

134. Cum enumeratis quatuor cognationibus, nimirum ſanguinis, affinitatis, legali, ac ſpirituali magnam affinitatem habet impedimentum, quod vocatur publicæ honeſtatis.

Hoc enim impedimentum, ſicut legalis cognatio introductum fuit, non quidem ob conjunctionem carnalem (quæ hic nulla intercedit), ſed ob quandam honeſtatem & reverentiam, quæ teſte Auguſtino debetur certis perſonis, ad ſe ſpecialem relationem habentibus; & hic, quemadmodum in linea cognationis legalis, locum habet. Nam ſicut ibi inhoneſtum videtur inter perſonas legaliter cognatos contrahere nuptias, eo quod ſibi parentum, & filiorum, fratrumque, conſanguineorum, ac affinium loco ſint; ita & hic. Nam ſponſus de futuro, & multo magis de præſenti, etſi matrimonio haud conſum-

ſummato, nihilominus ſictam aliquam cum fundamento, ſive moralem affinitatem contrahit cum conſanguineis ſponſæ.

135. Hoc impedimentum oritur ex ſponſalibus de futuro, & matrimonio rato, non conſummato.

Propoſitio patebit ex ſequentibus.

136. Quando hoc impedimentum ortum habuerit in Eccleſia, incertum eſt.

Equidem Gratianus cauſa 27. q. 2. cap. 15. adducit epiſtolam Julii I. qui ſedit A. 336. in qua dicitur: *Si quis deſponſaverit uxorem, vel ſubarrhaverit, & ſive præveniente die mortis, ſive irruentibus quibuſdam aliis cauſis minime eam cognoverit, neque ejus ſuperſtes frater, neque ullus de conſanguinitate ejus, eandem ſibi tollat in uxorem ulla unquam tempore.* Sed hanc epiſtolam aſſe apocrypham cum aliis primorum ſæculorum Pontificum Decretalibus probavimus lib. 1. tit. 2. §. 5. Adducit equidem idem Gratianus cap. 21. fratrem non poſſe ducere fratris deſponſatam, ſed ſub hoc tit. *in canonibus invenitur*, fortaſſe ab Iſidoro Mercatore relatis. Item c. 14. Decretalem Gregorii idem quod Julii Decretalis ad verbum fere ſancientem, at ſuperſcriptio ibi non notat, qualis ſit Gregorius, & bene notat Eſpenius, plurimas authoritates in hac cauſa 27. a Gratiano allatas eſſe vel male inſcriptas vel ſubleſtæ fidei. Ex allatis nihilominus in aptico eſt, relatam in illis diſciplinam quantum ad diremptionem matrimonii uſque ad ſeptimum gradum Sæculo VIII. quo infelix ille Iſidorus Mercator, aut potius in rem Canoniſticam peccator his epiſtolas conſarcinavit, uſque ad tempora Gratiani, ac poſt ipſum uſque ad Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio II. A. 1139. celebratum perſeveraſſe, ut ſtatim patebit.

137. Hoc impedimentum in quantum ex matrimonio rato, non conſummato oriebatur, olim jure Decreti Gratiani ſe extendit uſque ad ſeptimum gradum exemplo impedimenti affinitatis, ſed ante editionem Decretalium ſublatum eſt.

Prior propoſitionis pars ex eo patet, quod conſanguinitas illis temporibus ad effectum dirimendi matrimonium ſe extenderit uſque ad ſeptimum gradum, & quidem computatione canonica, ut vidimus ſupra N. 111. & ad eam exacta affinitas; in Decretalibus vero Julii, & Gregorii prohibeantur ſponſam de præſenti ducere conſanguinei *omnes* defuncti ſponſi.

Poſterior vero ex generali prohibitione Innocentii II. in Lateranenſi Concilio N. præcedenti citato, ne prohibitio copulæ conjugalis *quartum* conſanguinitatis gradum excedat, ut vidimus ſupra N. 112.

138. Idem impedimentum olim oriebatur ex ſponſalibus de futuro in ordine ad impedienda & dirimenda ſequentia ſponſalia, & matrimonia, modo eſſent *pura* & *certa*, id eſt cum certa & determinata perſona, licet quavis ratione invalida, & dummodo non eſſent nulla ex defectu *conſenſus*.

Hæc propoſitio eſt Cl. Vanespen, quam confirmat authoritate Bonifacii VIII. C. Un. de ſponſal. in 6. in hoc vero eidem non aſſentior, quod ibi addat, hoc impedimentum olim extenſum fuiſſe ad eundem gradum, quo extenſa fuit publica honeſtas orta ex matrimonio rato, ſecundum dicta N. præced. nimirum ad *ſeptimum*. Hoc enim impedimentum ex ſponſalibus *invalidis* a Bonifacio VIII. Sæculi XIII. fine vel XIV. initio videtur primum conſtitutum, cum nullus textus ſive ex Decreto Gratiani, ſive ex Decretalibus Gregorii IX. Bonifacii Prædeceſſorum de illo a Canoniſtis adducitur, adeoque ſe non extendit ad gradum ſeptimum, ſed ſolum ad quartum, quia reſtrictio Innocentii II. quod conſanguinitas ſolum uſque ad quartum gradum dirimat matrimonium, recepta fuit in Decretalibus Gregorii IX. c. 8. *de Conſang.* nec a Bonifacio in præſenti ſictitia affinitate ad ſeptimum gradum extenſa.

139. Concilium Tridentinum ſicut impedimenta orta ex conſanguinitate, affinitate, cognatione legali, & ſpirituali limitavit, ita & impedimentum Bonifacianum ortum ex ſponſalibus invalidis de futuro ſimpliciter ſuſtulit; ortum vero ex validis ad primum gradum conſanguinitatis reſtrinxit.

Decretum ejus habetur Seſſ. 24. de ref. matr. cap. 3. ubi edicitur: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, ſancta Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.* Quo capite & probatur ſecunda pars allatæ propoſitionis, & motivum hujus limitationis a Concilio factæ inſinuatur; ut vero oriatur hoc impedimentum etiam uſque ad primum gradum, requiritur, ut ſint ſponſalia *abſoluta* & *valida*, id eſt non conditionata, hæc enim non ſunt abſolute ſponſalia, ut notat Barboſa in Collectaneis Doctorum ad cit. cap. 3. Synod. Trid. N. 10. Nec hanc humanarum Conſtitutionum circa hucuſque enumerata impedimenta matrimonii variationem in Eccleſia Catholica factam reprehendant ſolito ſibi ſapientiores Domini Proteſtantes; illis enim regerere poſſumus id, quod jam laudatus Innocentius II. in Concilio Lateran. relat. cap. 8. *de conſang.* præoccupavit, nimirum: *Non debet reprehenſibile judicari, ſi ſecundum varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana, præſertim cum urgens neceſſitas, vel evidens utilitas id expoſcit: quoniam ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutavit in nova.* Et ſi tandem ipſis concedere deberemus, quod etiam Rectores Eccleſiarum indiſcreto zelo in puncto diſciplinæ ſubinde quidpiam oppido difficile ordinaverint, id nos non movebit; ſcimus enim Deum Sapientiſſimum Eccleſiam ſuam quoad *capita fidei*, & ſubſtantialia diſciplinæ *ſpeciali* providentia gubernare, cætera humanæ conditioni relinquere. At quomodo illi variationes Eccleſiarum ſuarum circa capita fidei, quæ ipſis ab incomparabili Epiſcopo Meldenſi Benigno de Boſſuet in præclaro opere *de Variatione Eccleſiarum Proteſtantium* per digitos numerantur, juſtificabunt? Sed iterum ad rem.

140. Synodus Tridentina citata Seſſ. 24. c. 3. loquitur de ſponſalibus de futuro, adeoque nihil circa impedimentum publicæ honeſtatis proveniens ex Matrimonio rato non conſummato innovavit, quod proinde ex priſtino jure hodie extenditur ad quartum gradum.

Mentem Synodi declaravit S. Pius V. conſtit. incipiente *ad Romanum* 62. in Bull. Rom. ubi ait: *Attendentes, quod Sponſaliorum appellatione, qua dictum Concilium utitur, non niſi improprie matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum continetur; quodque agit de correctione juris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum duntaxat procedendum eſt, præſertim cum longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per verba de præſenti contracto, quam de ſponſalibus de futuro vigere a nemine dubitetur.* Unde fluit illatum propoſitionis.

141. Quamvis olim multa crimina fuerint, quæ reos a conjugio impediebant, ut ſupra N. 90. oſtenſum eſt, aliqua nihilominus etiam erant; quæ illud prorſus dirimebant.

Inter illa ſpecialem locum habet adulterium

inter

inter adulterum & adulteram poſt mortem conjugis innocentis.

142. Adulterium, & quidem *ſolum* Legibus Romanis jam videtur diremiſſe ante Chriſtum inter adulterum & adulteram matrimonium.

Id aperte indicere videtur Lex 11. §. 11. & L. 40. ff. ad legem Juliam *de adult.* quorum poſterior ſic habet: *Quæſitum eſt, an ea, quam maritus adulterii crimine ſe accuſaturum minatus eſt, nec quidquam egit vel jure mariti vel jure publico, nubere poſſit ei, quem in ea reum adulterii deſtinavit? Paulus reſpondit nihil impedire, quo minus ei, quem ſuſpectum maritus habuit, ea, de qua quæritur, nubere poſſit.* Ubi bene notat Gothof. *Mulier nubere poteſt ei, cum quo adulterii tantum inſimulata eſt*, non *convicta*.

143. Solum adulterium primis Chriſtianis Sæculis ſine omni promiſſione matrimonii vel machinatione mortis videtur diremiſſe matrimonium inter adulterum & adulteram.

Hoc enim pro Sæculo IV. & V. aperte probare videtur Auguſtinus lib. 1. *de nuptiis & concupiſ.* c. 10. ubi ita loquitur: *Marito mortuo, cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium non poteſt, cum quo prius adulterium fuit.* Canoniſtæ ac Theologi & ipſe recentior Tournelius hunc textum citant ſine particula malignantis naturæ, nimirum ſine *non*, & ita contrarium ex illo deducunt. Sed non advertunt in decreto Gratiani cauſa 31. q. 1. c. 2. textum illum ſine particula illa *mendoſe* referri, ut poſt Correctores Romanos notavit Cujacius ad cap. 1. *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

144. Hæc diſciplina videtur uſque ad Sæculum XII. viguiſſe.

Illius enim apertam mentionem facit can. 40. Concilii Triburienſis A. 895. in quo generaliter definitur: *Non licet ergo, nec Chriſtianæ Religioni oportet, ut ullus ea utatur in Matrimonio, cum qua prius pollutus fuit* adulterio. Notat autem ad rem Eſpenius, in eo canone ſpecialem quidem caſum proponi & decidi; nimirum illum, quo adulteri ſibi inſuper *mutuam fidem* dederant, interpoſito juramento de ineundo matrimonio poſt mortem mariti alterius legitimæ partis; ſed poſt deciſionem caſus, prædictam generalem concluſionem Patres ſubjicere. Notat præterea, quod Gratianus, qui 31. q. 1. c. 4. fragmentum ſolum retulit, non adverterit ad hanc clauſulam generalem a Patribus Triburienſibus anathemati hujus ſpecificati matrimonii ſubjectam; & hinc canoni contra ejus ſenſum, ſi integre legatur, hanc ſuperſcriptionem præfixerit, *poſt mortem viri non poteſt adulteram in conjugium ducere, qui viro vivente juramentum ſibi futurarum nuptiarum præbuit.* Unde & Canonibus generaliter de adulterio loquentibus hanc reſtrictionem ſubdidit: *Si nihil in mortem viri machinatus fuerit, vel ſi vivente viro fidem adulteræ non dedit.* Quam reſtrictionem videre eſt poſt c. 3. ex Concilio apud Althæum, qui generalibus terminis de adulterio eſt conceptus. Quapropter videntur falli Canoniſtæ & Theologi illi, ac cum ipſis recentiſſimus Tournelius, qui putant Sæculo X. adulterium ad recenſitas duas conditiones fuiſſe reſtrictum ad effectum dirimendi ſubſequens matrimonium inter adulteros.

145. Cum autem circa Sæculum XII. & XIII. Authoritas decreti Gratiani ita invaluiſſet, ut vix aliunde, quam ex illo deſumerentur, quæ quæſtionibus diſciplinæ decidendis ſervire poſſent, tandem hæc reſtrictio Gratiani pro jure invaluit, ut notat Cujacius apud Vaneſpen.

Conjecturam Cujacii fulciunt juxta Vaneſpen, quod Alexander III. Sæculo XII. hanc reſtrictionem non obſcure admittat c. 1. *De eo, qui duxit in matrim. quam polluit per adult.* dicens: *Licet in canonibus habeatur, ne nullus copulet matrimonio, quam prius polluerat adulterio, & illam maxime, cui fidem dederat uxore ſua vivente, vel quæ machinata eſt in mortem uxoris &c.* Sed Alexandrum citato cap. ſentire, juxta canones antiquos ſolum adulterium dirimere matrimonium inter adulteros, & promiſſionem futuri matrimonii, vel machinationem in mortem conjugis junctam adulterio *multo magis* dirimere matrimonium, ex tenore verborum cap. cit. aperte patet. Apertius ergo ſubſequentes Pontifices has conditiones præter adulterium requiſiverunt: quin & definiverunt matrimonium *adulteri* cum *adultera* poſt mortem legitimæ uxoris, *niſi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente ſibi fidem dederint de matrimonio contrahendo*, uti reſpondit & definiit Innocentius III. in c. 6. eod. quæ definitio a Tridentino non correcta, & conſequenter pro jure hodie recepta eſt.

146. Itaque juxta modernam diſciplinam adulterium generaliter non dirimit matrimonium cum adultero initum, ſed in certis ſolum caſibus.

Quatuor vulgo cenſentur. Quorum primus eſt, ſi adulterio adjiciatur fides de ducenda adultera poſt mortem mariti cap. 6. eod. Debet vero hæc promiſſio eſſe acceptata ab adultera expreſſe vel tacite, ad quam poſteriorem tamen non ſufficeret adulteræ ſilentium, utpote in re nociva. Nihil autem refert, an illa promiſſio ſit vera, vel ficta, an præceſſerit, vel ſecuta fuerit adulterium, cum canones non diſtinxerint, ut docent Doctores apud Tournelium. Secundus, cum alter conjux efficaciter machinatus eſt mortem ſuæ compartis, eo animo, ut matrimonium cum adultero contrahat, cap. 3. eod. Diſputant Theologi, an ad incurrendum hoc impedimentum, præter machinationem mortis alterius conjugum, & adulterium, etiam requiratur intentio nubendi cum altero; ſed incurri hoc impedimentum ſine hac intentione bene reſolvit Tournelius ex cap. 3. eodem, & ex cap. *laudabilem* de convers. infidel. qui & ſubdit. *Si vero quis ſine prævio adulterio interficeret maritum alicujus mulieris, ea plane inſcia, ſed ea mente atque conſilio, ut iſtam viduam duceret in uxorem, an eſſet tunc impedimentum dirimens? affirmant aliqui, alii vero negant, tum quia non exſtat expreſſa ea de re Lex Eccleſiæ, tum quia non videtur juſtum, ut pars innocens diſpendium patiatur.* Addit nihilominus, quod optandum eſſet, ut Eccleſia eo etiam in caſu impedimentum ſtatueret. Tertius caſus eſt ciarus, cum etiam ſine adulterio unus conjux ſimul cum interfectore conſpirat in mortem alterius conjugis; occiſio quippe illa inducit dirimens impedimentum inter conjugem ſuperſtitem ac ſicarium c. 6. & 8. eodem. Quartus denique caſus eſt, ſi quis matrimonio jam legitime conjunctus, & adhuc ſua vivente uxore alteram ducat: non tantum eſt nullum illud conjugium, ſed nequidem poſt mortem prioris uxoris validum eſſe poteſt; ſi nempe illa ſecunda uxor cognovit prius matrimonium: ſi enim omnino ignoravit virum illum eſſe uxoratum, ac bona fide cum illo contraxit putant eum liberum eſſe, poteſt, ſi velit, cum illo contrahere poſt mortem prioris. Hæc ex cap. 4. 7. 8. ejuſdem tit. Tournelius. Nec caſus iſte incidit cum impedimento ligaminis, ſed eum ampliat. Impedimentum enim ligaminis, qua tale, dirimit ſolum matrimonium cum ſuperinducta contorali vivente. Si vero tale matrimonium invalidum inſuper conſummatur per adulterium, dirimit idem matrimonium etiam poſt mortem legitimi contoralis

con-

contractum. Hoc autem impedimentum non eſt juris naturalis, aut divini, ſed duntaxat Eccleſiaſtici, cum David duxerit Bethſabee, quam infami polluerat adulterio, & cujus virum interſecerat, non ſuo quidem, ſed gladio filiorum Ammon lib. 2. Reg. c. 12. v. 18.

147. Impedimentum diſparitatis cultus eſt ad mentem Eccleſiæ Romano-Catholicæ inter baptizatum, & non baptizatum.

Hinc in Religione Chriſtiana cultu diſpares non cenſentur hæretici & Catholici; ſed ſoli & omnes illi, quorum unus eſt valide baptizatus, & alter non eſt baptizatus; quamvis eandem religionem Catholicam ambo profiterentur, v. g. baptizatus & Catechumenus, ut exemplificat Vanſpen: hinc ſi uterque ſit baptizatus, quamvis diſparem in Religione Chriſtiana cultum profiteantur, inter ipſos juxta vulgarem & jam receptum uſum loquendi non eſt diſparitas cultus.

148. Quamvis vero S. Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 15. facultatem dederit ſolvendi matrimonium quoad vinculum in infidelitate contractum, ſi alter conjugum non velit cohabitare converſo ſine injuria Creatoris; hæc tamen ejus œconomia nihil facit ad præſens impedimentum ab Eccleſia conſtitutum.

Ratio eſt, quia Apoſtolus ibi diſponit de matrimonio ab infidelibus *contracto*, hic autem agitur de matrimonio fidelis cum infideli, ſeu potius non baptizati cum baptizato valide *contrahendo*; nec Apoſtolus ſola infidelitate conſortis fidelis matrimonium diſſolutum pronuntiat, ſed in caſu diſceſſionis infidelis cum fideli, de quo videantur, quæ diximus ſupra N. 20. quo fit, ut impedimentum cultus diſparitatis non ſit introductum authoritate Apoſtolica, vel divina, vel jure naturali abſolute, ſed ſola authoritate Eccleſiaſtica, cum certum ſit, Eccleſiam prioribus ſæculis toleraſſe matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus, ut N. cit. vidimus. Et patet exemplo Monicæ, quæ nupſit Patritio gentili, aliarumque ſanctiſſimarum mulierum, quamvis Eccleſiæ mens ſemper fuerit, ut non ſolum a matrimoniis gentilium, verum etiam hæreticorum abſtinerent Catholici, cum *ſuo modo* ob magna perverſionis intercurrentia pericula prohibita ſint tam jure naturali, quam divino poſitivo.

149. Hoc impedimentum non eſt primis Sæculis introductum, ſed ſucceſſu temporis conſuetudine potius, quam lege poſitiva ſtabilitum.

Et quod ætate S. Auguſtini necdum viguerit, ex eo conſtat, quod nullibi in ſuis ſcriptis matrem ſuam Monicam ob conjugium cum Patritio infideli initum reprehendat; ante tempora vero Auguſtini S. Cæcilia gentili Valeriano, & poſt illa S. Clotildis Clodovæo pagano ſine reprehenſione nupſiſſe leguntur; & ex harum mulierum ſanctitate celebrata conſpicuum ſit. Videtur tamen ab illa ætate increbreſcentibus prohibitionibus Epiſcoporum, & concurrentibus legibus Imperatorum fundamentum jactum, unde *cultus diſparitas* per conſuetudinem ad effectum dirimendi Matrimonium erecta eſt; Gratianus enim cauſa 28, nullam legem, vel canonem Eccleſiæ de hac diſciplina diſponentem refert, nec in decretalibus circa illam quidquam diſponitur. Ex hoc vero hoc fit notabile, *ſola conſuetudine* poſſe induci impedimenta dirimentia matrimonium, quod & exprimitur c. 1. *de cognat. ſpirit.* ubi reſpondet Alex. III. inter certas perſonas ibi expreſſas conjugium iniri poſſe, niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habeat.

150. Quamvis apud Græcos ipſa matrimonia Catholicorum cum hæreticis inita jam pridem non ſolum prohibita, ſed prorſus invalidata fuerint, Eccleſia tamen Latina ea de facto ſolum prohibuit.

Prior pars propoſitionis conſtat ex canone 72. Concilii Trullani Sæculo VII. celebrati, quo hæc conjugia invalida declarari notant Balſamon & Zonaras in notis ad hunc canonem.

Secunda vero ex eo, quia nullus Canon oſtendi poteſt, qui ea in Eccleſia Latina irritaſſet, bene multi vero, qui ea graviſſime prohibent. Unum adnumero, quem Gratianus cit. 28. q. 2. c. 15. ex S. Ambroſio, qui vixit Sæculo IV. refert, ubi ait: *Cave, Chriſtiane, Gentili aut Judæo filiam tuam tradere, cave, inquam, Gentilem aut Judæam, atque alienigenam, hoc eſt hæreticam, & omnem alienam a fide tua uxorem accerſas tibi.* Obſervat tamen Sylvius, quod ſi utilitas publica, vel ſpes convertendi hæreticum id exigant, Summus Pontifex diſpenſare poſſit, ut matrimonium fidelis cum hæretico vel hæretica ſit licitum.

151. Per vim, ſeu violentiam intelligitur impedimentum illud, quod intercedit inter conjuges, quorum unus vel ambo ex metu & quidem gravi in matrimonium conſentiunt.

Quamvis metus etiam graviſſimus non cauſet involuntarium, nec conſequenter contractus obvios, qui conſenſu perficiuntur, jura naturæ irritet, ſed irritandos per Judicem ſuadeat; nihilominus cum contractus matrimonialis ſit *conjunctio amoroſa, officioſa, & indiſſolubilis*, quæ ſubſiſtere ſine triſtibus eventibus non poteſt, ſi ab invitis ineatur, ille per metum gravem jure naturali irritatur. Et hinc Summi Pontifices dum in Decretalibus c. 15. & 28. *de ſponſal.* cap. 2. *de eo qui duxit in matr. quam polluit per adul.* illum irritant, irritatum jure naturæ declarant, ut patet ex rationibus ab iis adductis, quarum ſumma eſt, *quod libera debeant eſſe matrimonia, & coactiones difficiles frequenter ſoleant exitus habere.* De impedimento ordinis ſacri egimus ſupra N. 105. de ligamine N. 16. 17. ubi de Polygamia, de honeſtate N. 113. de affinitate N. 134.

152. Impotentia coeundi, atque adeo Jure naturæ dirimens matrimonium, vel antecedit matrimonium, vel ſequitur.

Dicitur impotentia antecedens matrimonium, non quaſi debeat eſſe experta a contrahentibus matrimonium ante ſacerdotalem copulationem, id enim nunquam licitum eſt, ſed quod exiſtat jam in alterutro conſorte ante matrimonium ratum, atque ejus conſummationem impediat; exemplum ejus dari poteſt in frigido a natura. Conſequens eſt, quæ conſequitur matrimonium non tantum conſummatum, ſed etiam ratum; ut ſi ſponſus per fornicationem antecedentem cum ſponſa expertus ſit ſe eſſe habilem ad matrimonium conſummandum, ac dein poſt copulationem maleficio reddatur perpetuo frigidus. Certum autem eſt ex dictis N. 20. & ſeqq. ob firmitatem & indiſſolubilitatem matrimonii impotentiam conſequentem non dirimere matrimonium. Aliter dicendum de impotentia antecedente.

153. Impotentia igitur antecedens vel eſt perpetua, quæ nullo remedio naturali licito ſanari poteſt; vel temporalis, quæ ita ſanari poteſt. Perpetua vel eſt abſoluta reſpectu cujuſcunque, vel reſpectiva reſpectu alicujus. Eaque oriri poteſt vel ex cauſa naturali, vel maleficio.

Matrimonium diſſolvi per impotentiam antecedentem perpetuam, tum abſolutam, tum reſpectivam, ſive ſit ex cauſa interna, ſive ex maleficio, patet ex toto titulo de frigidis, & ex cauſ. 33. q. 1. & 32. q. 7. c. 20. ubi hæc a Gregorio primo, vel ſecundo jam ſancita leguntur. *Quamvis iſta impotentia jure naturali matrimonium*

diri-

dirimat, *cum ea ſtante nec finis primarius ejuſdem*, qui eſt procreatio prolis, *nec ſecundarius*, ſeu remedium concupiſcentiæ, *obtineri poſſit*. Et hinc *e* contrario recte inſertur illud non ſolvi per impotentiam temporalem.

154. Dum alter conjugum queritur de impotentia conſortis, jure canonico trium annorum ſpatium conceſſum eſt ad eam probandam; quo tempore ſi alter adhuc in querimonia de impotentia alterius exiſtat, atque quibus poteſt licitis & honeſtis mediis ſit explorata impotentia, tunc diſſolvi poteſt matrimonium.

Hæc œconomia definita eſt Sæculo XII. a Cæleſtino III. cujus decretalis refertur cap. *laudabilem* de frigidis. Notat tamen bene Tournelius, ante triennium elapſum diſſolvi poſſe matrimonium, ſi impotentia tam certa ſit, ut negari non poſſit; quia Pontifex triennium probationis ſolum concedit, *Si frigiditas prius probari non poſſit*. Et hinc partibus ita ſolutis, etiam licet non impotenti ad alias tranſire nuptias per idem cap. & utrique, ſi impotentia ſit reſpectiva; debet autem hæc impotentia eſſe vera, & non ficta; unde ſi talis impotens judicatus alias nuptias contrahat, & prolem generet, ad priorem uxorem reſciſſo matrimonio poſteriori redire cogitur eodem cap. *Laudabilem*. Obſervat tamen Fervetius lib. 5. c. 4. N. 13. hanc diſpoſitionem in Eccleſia Gallicana non obſervari ex eo fundamento, quod poſſit eſſe in aliquo viro impotentia perpetua reſpective ad talem mulierem, quæ non ſit reſpective ad aliam.

155. Tam jure Decreti, quam Decretalium in caſu controverſiæ vel aſſertionis impedimenti impotentiæ, ea diſquirenda & decidenda eſt per probationem canonicam.

Hæc probatio præſcripta eſt vel Sæculi VI. fine aut VII. initio a Gregorio I. vel Sæculo VIII. a Gregorio II. cum controvertatur cujus decretalis illa ſit, quæ refertur 33. q. 1. c. 1. & 2. Hæc autem probatio ibi c. 2. debet fieri per corporalem explorationem conjugum *a* ſeptem propinquis faciendam, vel a duobus, ſi ſeptem haberi non poſſent, in caſu quo alter conjux non eſſet virgo, v. g. *in* ſecundis nuptiis; quia ſi eſſet virgo, tunc per c. 1. hujus quæſt. ſufficit tale judicium fieri per obſtetrices, ut habet Gl. in c. 2. V. *Septima manu*. Huic corporali explorationi, & atteſtationi de impotentia ab exploratoribus facta, juramentum accedere debuit conjugum, quod nunquam carnaliter commixti fuerint. Hæc decreti diſpoſitio recepta & confirmata eſt Jure Decretalium c. 5. *de frigidis*, nec a Tridentino quidquam immutatum. Gratis autem a quibuidam Proteſtantibus JC. cavillatur tanquam minus honeſta. Si enim ad avertendum grave periculum corporis licitum eſt chirurgis, quin & honeſtum mulierum corpora contrectare, cur ad avertenda perpetua adulteria conjugum male ſecum contentorum, & hinc facile impedimentum impotentiæ mentientium, ac etiam pejerantium, uti experientias referunt Canones, non potuit adhiberi medium omnium ſecuriſſimum pro veritate eruenda? Quæcunque ergo hi homines ignorant, blaſphemant.

156. Raptus eſt abductio puellæ e domo Parentum eum in finem, ut ducatur in matrimonium, vel alia libido impleatur, ſive per vim abducatur, ſive rapienti ob ſeductionem illa conſentiat, Parentibus aut Tutoribus non conſentientibus; tunc enim quoquo modo adſit violentia, ſalvatur ratio raptus.

Propoſitio eſt S. Th. 22. q. 154. Ex illa infertur duplicem eſſe raptum, unum violentiæ, alterum ſeductionis. Prior eſt, cum puella invita & reluctans a raptore abducitur a paterna domo: poſterior cum blanditiis, & voluptatis illecebra, aut quocunque alio motivo ſeducta conſentiens raptorem ſequitur. Patet autem per ſe raptum violentiæ, quamdiu liberum impedit conſenſum, reddere matrimonium nullum jure naturæ ſecundum dicta N. 151. de metu. Solum igitur adferendum, quid circa raptum, ut jure naturæ matrimonium non dirimit, dum videlicet rapta ſpontanee ſe abduci patitur, vel tandem in poteſtate raptoris violenti exiſtens matrimonio libere conſenſit, jura diſpoſuerint. Triplicem autem conſpicere licet Eccleſiæ œconomiam circa raptum, quam jam dabimus.

157. Jam quarto ſæculo civilibus & Eccleſiaſticis legibus nuſquam licebat raptori in uxorem ducere, quam rapuerat, etſi Parentibus eam reſtituiſſet, imo etſi ipſa conſenſiſſet.

Quod leges civiles attinet, ita juſſit Conſtantinus M. A. 320. cujus conſtitutio exſtat lib. 9. C. Theod. tit. 24. *de raptu virginum & viduarum*. Ei ſimilem A. 528. tulit Juſtinianus eodem lib. tit. 23. ubi ait: *Nec ſit facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri, raptorem ſuum maritum ſibi expoſcere; ſed cui Parentes voluerint* (excepto raptore) *eam legitimo copulent matrimonio*. Imo Parentum conſenſum nec poſſe validare tale matrimonium ſæculo IX. edixit Carolus M. L. 6. capitul. c. 96. *Si quis*, inquiens, *alterius ſponſam virginem & viduam needum deſponſatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit, ut ſive eam poſtea ſponſaverit, ſive dotaverit, ſeu non, ſive cum Parentum ejus voluntate, quocunque commento ipſam accipere, vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat*. Conſentiunt Canones, qui apud Gratianum 36. q. 2. videri poſſunt; & quidem canon 4. hoc impedimentum ad Concilium Chalcedonenſe reducit, concluditque *ut juxta canonicam authoritatem ad conjugia legitima* (raptores) *raptas ſibi jure vendicare nullatenus poſſint*. Concordant Concilia Rhemenſe, Troſiejanum c. 8. & in Synodo Regiaticina A. 850. c. 10. decernitur, quod puellæ *ipſis, a quibus raptæ ſunt, legitimæ demum uxores nullatenus eſſe poſſunt*. Pœnæ graviſſimæ raptui olim adjectæ videantur apud Grat. cit. cauſa. Et quamvis ex his aliqui exiſtiment raptum fuiſſe tantum impedimentum dirimens in quibuſdam Eccleſiis, univerſale tamen fuiſſe hoc impedimentum, ex legibus Imperatorum, quas ceu juſtiſſimas probaſſe videtur Eccleſia primorum IX. Sæculorum, probabilius eſt.

158. Sæculis nihilominus ſequentibus impedimentum hoc relaxatum fuit totaliter, atque matrimonium inter raptorem & raptam validum reputatum, modo conſenſus raptæ interveniſſet.

Sic enim reſpondit Innocentius III. in cap. 7. *de Raptoribus*, & ante hunc Sæculo adhuc XII. Lucius III. c. 6. eodem. Verba Innocentii ſunt. *Rapta puella legitime contrahet cum Raptore, ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere*. Per hanc autem diſpoſitionem videntur Jura a Gratiano relata correcta. Patet ergo, quod impedimentum ſucceſſive ablatum fuerit in variis Eccleſiis, uſque ad poſitivam Decretalium diſpoſitionem.

159. Hæc nihilominus Decretalium diſpoſitio Sæculo XVI. per Tridentinum ſublata eſt, atque impedimentum raptus poſtliminio revocatum cum limitatione tamen reſpective ad antiquos canones.

Utraque propoſitio patet ex decreto Trid. Seſſ. 24. c. 6. *de Ref. matr.* quod ſic ſonat. *Decernit S. Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu*

ipſa

ipſa in poteſtate taptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtete matrimonium. Quod ſi tapta a raptore ſeparata, & in loco tuto & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Intec taptorem argo & raptam, quamdiu illa eſt in poteſtate taptoris, Synodus matrimonium ditimit, quod validum erat Jure Decretalium; illud vero valide conteahi poſſe, ſi tapta in libertate conſtituta conſentite velit, dacernit, id quod vetuece leges canoneſque antiqui. Hoc impedimentum vero intelligendum eſt de teptu tam violantiæ, quam abductionis, ut fuſe peobat Tournelius.

160. Clandeſtina matrimonia Eccleſia n ſuis incunabulis conſtanter prohibuit ae deteſtata eſt. Jam Sæculo II. S. ignat. epiſt. ad Polycarpum ait: *Decet vero, ut ſponſi & ſponſæ de ſententia Epiſcopi conjugium faciant, quo nuptiæ ſint ſecundum Dominum & non ſecundum cupiditatem; omnia ad honorem Dei fiant.* Sæculo III. Tertul. lib. de pud. ait: *Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mœchiam, & fornicationem judicari periclitantur:* ad quem locum Rigaltius in Notis pag. 114. animadvartit, iis verbis a Tertull. prolatis, *non prius apud Eccleſiam profeſſæ*, indicari conjugia, in quibus non fuerat ſervata conſuetudo, qua ſolebant fideles conjugandi per Presbyteros Eccleſiæ offerri, ut communibus votis conjugia benedicerentur. Quam quidem conſuetudinem Sæculo IV. firmavit Concilium Carth. IV. relarum 30. q. 5. c. 5. dum Canone 13. præcipit: *Sponſus & ſponſa cum benedicendi ſunt a Sacerdotibus, a parentibus ſuis & paranymphis offerantur.* Ad eundem vero morem alluſit Syneſius Cyrenenſis, qui floruit initio Sæculi V. epiſt. 105. ad *Evaptium*, ubi ſcribit: *Mihi & Deus ipſe, & lex, & ſacra Theophili* (Patriarchæ Alexandrini) *manus uxorem dedit.* Ut enim opportune obſervavit Chriſtianus Lupus tom. 2. p. 1421. hæc S. Syneſii verba oſtendunt, fideiiom nuptias palam in Eccleſia fuiſſe ſempee ab Epiſcopo, aut Presbytero benedictas & ſanctificatas. Quod confirmari poteſt authoritatibus tum Patrum, tum Euchologiorum præſertim Eccleſiæ Græcæ, quas ſupra n. 70. & ſeqq. retulimus. Hic adhue placet adducere cap. 179. ex lib. 7. capitularium Regum Francorum, ex quo eandem diſciplinam in Occidentali Eccleſia Sæculo VIII. & IX. viguiſſe perſpicuum fit. *Prius conveniendus eſt*, inquit, *Sacerdos, in cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Eccleſia coram populo, & ibi inquirere una cum populo ipſe Sacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit, an non, aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adultera, & ſi licita & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium, & benedictionem Sacerdotis, & conſulta aliorum bonorum hominum, eam ſponſare, & legitime dotare debet.*

161. Quamquam vero ex relatis, aliiſque teſtimoniis, a viris eruditis congeſtis, perſpicuum ſit, Eccleſiam Clandeſtina matrimonia conſtanter prohibuiſſe; non tamen æque certum eſt, num eadem matrimonia ante Tridentinum fuetint inſuper ullo unquam tempore etiam irrita. De hac enim quæſtione ſecum contenderunt ipſi Patres Tridentini, uti videre eſt apud Pallavicinum in *hiſt. Conc. Trid.* libro 22. c. 4. occaſione decreti ea irritantis editi c. 1. Seſſ. 24. *de reform. matr.* Plerique enim, qui perſuaſi erant, dicta matrimonia omnibus retro ſæculis *prohibita* ſolum fuiſſe, eidem conſentire nolebant, eo quod abſonum judicarent, hanc novitatem poſtremis Eccleſiæ ſæculis primo introduci; quibus contradixerunt alii, qui nullis authoritatibus judicarunt Sacerdotalem benedictionem non ſolum ad *honeſtatem*, verum ad ipſam *ſubſtantiam* matrimonii requiſi. Idque adhuc clarius colligi ajebant ex decreto Evariſto Papæ adſcripto, & relato 30. q. 5. c. aliter, ubi habetur: *Aliter legitimum non fit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominationem habere videntur --- . Uxor petatur --- & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus a Sacerdote benedicatur --. Ita peracta legitima ſciatote eſſe connubia: aliter vero præſumpta non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes.* Aliud addere poterant, & fortaſſe addiderunt, inquit Sanctiſſimus noſter l. 7. *de Synodo diœc.* c. 27. N. 4. indubitatum teſtimonium Nicolai I. qui in cauſa divortii a Lothario Francorum Rege cum Teutberga facti, ut poſſet in uxorem ducere Waldradam, quam prætendit a ſe ductam ante Teutbergam, reſcripſit Judicibus, ut diligenter inveſtigarent, an revera Lotharius, priuſquam conjugali fœdere ſe devinciret Teutbergæ, matrimonium celebraſſet cum Waldrada coram teſtibus ſecundum legem, & ritum, quo nuptiæ celebrari ſolent. *Si vero* (ait can. Lotharius 31. qu. 2.) *minime probatum fuerit, Gualdradam fuiſſe uxorem legitimam, neque nuptiis ſecundum morem celebratis, per benedictionem ſcilicet Sacerdotis, filio noſtro Lothario extitiſſe conjunctam: ſuggerite illi, ut non moleſte ferat legitimam ſibi (ſi innocens ipſa apparuerit) reconciliari uxorem.* Hinc enim evidenter videtur inferri, medio Sæculo IX. quo Nicolaus primus univerſalem regebat Eccleſiam, ratas non fuiſſe Chriſtianorum nuptias, niſi eſſent ſecundum morem celebratæ per Sacerdotalem benedictionem.

Verum Theologi & Patres prioris ſententiæ dixerunt Patres canoneſque allatos commode intelligi poſſe de ſola neceſſitate præcepti, non de ſubſtantia ipſa matrimonii, prætendentes Siricium Papam ep. ad Himerium c. 4. & refertur c. 50. 27. q. 2. obſignari voluiſſe Sacerdotali benedictione, quamvis dictus Canon loquatur de ſponſalibus de futuro, an eo quod Pontifex utatur Verbo *Nupturæ* & non potius de præſenti, ex eo dubium reddatur, quod Patres olim per *Nuptias* ipſam copulam conjugalem intellexerint, unde mulierem nolebant pertinere ad matrimonium, cum qua non interceſſiſſet carnale commercium, & Mariam dixerunt Sponſam Joſephi fuiſſe (ſcilicet de præſenti), ſed ad ejus nuptias (hoc eſt copulam) non perveniſſe. De quibus vide dicta N. 53. Ad canonem vero Evariſti, de quo ſpecialis erat, & nunc quoque eſt difficultas teſte eodem Sanctiſſimo L. cit. *non quod genuinus credatur Evariſti fœtus*, verba ſunt ejuſdem, *ſed quia, uti alias diximus de ſimilibus epiſtolis decretalibus ab Iſidoro productis* (& nos l. 1. tit. 2. c. 4. §. 5.), *præſumitur fabricatus ad normam diſciplinæ, quæ in Eccleſia vigebat in fine VIII. aut IX. Sæculi*; ad hunc, inquam canonem reponebant, ſi ille accipiendus eſſet, ſicut verba ſonant, non ſola Sacerdotis benedictio, verum etiam alia quamplurima ibidem enumerata fuiſſent de formali conjugalis contractus, quod tamen nemo unus aſſeruit. Per verba ergo illa, *aliter non fit legitimum conjugium*, ſolum indicare voluit, aliter non fieri *licite*, illaque connubia adulteria &c. vocavit; quia ut ibi notavit Gl. matrimonia clandeſtina occaſionem & ſecuritatem præbent, alia poſtea in facie Eccleſiæ ineundi, & ita in perpetuo adulterio vivendi; quem ſenſum habuiſſe authorem canonis patet ex appoſita ei limitatione, videlicet, *niſi voluntas propria ſuffragaverit, & vota ſuccurrerint legitima.* Et hinc Gratianus, qui canonem hunc decreto ſuo inſeruit, in fine quæſt. 1. cauſa 27. hujuſmodi conjugium *ratum* haberi edicit. Facilius eſt, ait idem Sanctiſſimus, genuinum ſenſum epiſtolæ Nicolai I. aperire; cum enim videret, quam parum fidendum eſſet aſſertionibus

tam

tam pugnantibus parum ſibi cohærentis Lotharii, nullam quoad hoc ei fidem adhibendam reſcripſit, niſi probaret ſe legitime, omnibuſque adhibitis Juris ſolemnitatibus nupſiſſe Waldradæ, quam cæteroquin aliunde notum erat habuiſſe loco pellicis, uti teſtantur authores a Sanctiſſimo relati. Cæterum a Nicolao validum habitum matrimonium clandeſtinum liquet ex ejuſdem reſponſis ad conſulta Bulgarorum, quæ videri poſſunt apud eundem Sanctiſſimum L. cit. N. 6. Ex quo etiam patet probabiliorem eſſe ſententiam eorum, qui dicunt matrimonia clandeſtina ante Concilium Trid. non fuiſſe ab Eccleſia ullo unquam tempore annullata, ſed ſolum prohibita, id quod ſentiunt communiter Theologi & Juriſperiti.

162. Concilium Tridentinum præſcindens ab hac controverſia, ad ea efficaciter præcavenda graviſſima mala, quæ in animarum perniciem, ac totius Chriſtianæ Reipublicæ perturbationem ex matrimoniis clandeſtinis obveniebant, & quibus experientia docente haud ſatis occurrere poterat ſola eorundem prohibitio a Conc. Later. IV. ſub Innoc. III. in cap. *cum inhibitio* de clandeſt. deſp. renovata, illa nulla ac invalida impoſterum futura declaravit.

Decretum ejus extat Seſſ. 24. c. 1. *de reform. matr.* Præcipuum motivum ad illud edendum fuit, quod experientia docuerit, quod multi clandeſtine contrahentes, pœnitentia poſtea ducti, *priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt.* Quia nimirum clandeſtinum matrimonium eſt difficilis probationis, & jura matrimonio ſolemni favent. Hoc ipſum Decretum Synodus vult ſingulariter in omnibus diœceſibus populo per Ordinarios publicari & explicari. *Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis, in eadem Parochia factæ, numerandos.* Colophon eſt decreti. Interim ſaluberrima hæc Sanctio non ubique, præſertim in Gallia, eſt recepta.

QUÆSTIO DOGMATICA

An Matrimonium a fidelibus baptizatis legitime contractum ſit verum novæ legis Sacramentum?

163. MAtrimonium eſſe novæ legis Sacramentum non tantum noſtrorum Sæculorum Novatores, ſed veteres quoque negarunt hæretici; hoc tamen cum diſcrimine, quod veteres, Simon nimirum Magus, Saturninus, Hydroparaſtatæ, Tatianus, Marcio, Manichæi, & Priſcillianiſtæ illud inſuper *opus diaboli, ſcortationem, & impudicitiæ negotium aſſerere auſi fuerint*; Lutherus vero in lib. *de captivit. Babylon.* Calvinus lib. 4. *Inſtitut.* c. 19. N. 34. Chemnitius 2. p. *Exam. Concil. Trid.* aliique, eſto honorabile in omnibus connubium, torumque immaculatum ultro fateantur, eidem nihilominus rationem Sacramenti ineſſe aperte negent, & quidem non ſolum in eo ſenſu, quod conferat *ex opere operato* gratiam tam ſanctificantem, quam ſacramentalem, verum etiam, quod ex mente Divi Pauli *ad Epheſ.* 5. v. 32. ſit ſignum ſpeculativum (ut loquuntur Theologi) ſeu typus unionis Chriſti cum Eccleſia, & Verbi Divini cum humanitate aſſumpta, ut infra ex Calvino, & Spalatenſi videbimus. Miſſa inſania veterum hæreticorum, quos ipſum naturæ lumen, propagationem humani generis, ac conſequenter nuptiarum honeſtatem ſeipſo inculcans, refellit, ſacramentalem matrimonii fidelium dignitatem a Chriſto acceptam contra recentiores ſuſtinebimus, tum ut liberemus fidem N. 16. hujus libri datam, tum ut axioma ſtabiliamus, ex quo bene multa pendent, quæ circa matrimonia Chriſtianorum Romana ſancit Eccleſia, atque ab hæreticorum cavillis liberantur, uti patebit evolventi notas hiſtoricas in eundem librum datas.

164. Porro fontes, e quibus Catholicum dogma a noſtris propugnatur, a Concilio Tridentino Seſſ. 24. de Sacram. Matrimonii aſſignantur *Scriptura, Patrum, Conciliorumque teſtimonia, ac univerſalis Eccleſiæ conſtans, ac perpetua traditio*, quæ in probatione ponendæ propoſitionis adferemus. Interim non diſſimulandum, ipſos Catholicos tum circa rationem, qua matrimonium dicitur, & eſt Sacramentum, tum circa authoritates Scripturæ, e quibus a noſtris Theologis communiter probatur eſſe verum novæ legis Sacramentum, ex aſſe non convenire.

165. Et quidem, quod primum attinet, ipſe Magiſter Sententiarum lib. 4. diſt. 2. litera A. matrimonium quidem recenſet inter Sacramenta novæ legis, at ipſi vim efficacem ad producendam gratiam detrahere videtur, ſic enim habet: *Quorum* (Sacramentorum) *alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjutricem conferunt, ut baptiſmus: alia in remedium tantum ſunt, ut conjugium: alia gratia & virtute nos fulciunt, ut Eucharistia & Ordo.* Et eodem lib. diſt. 26. conjugium Sacramentum eſſe, & rei alicujus ſacræ ſignum demonſtrat; an vero ex ſe gratiam ſanctificantem conferat, omnino ſilet. Durandus in eundem lib. diſt. 26. q. 2. docet duo duntaxat eſſe circa matrimonium, quæ ſine periculo erroris negari non poſſunt; primum eſt, matrimonium eſſe licitum, ſecundum, matrimonium eſſe Sacramentum eo modo quo, inquit, *ſacræ rei ſignum dicitur Sacramentum*, id eſt, *improprie ſeu æquivoce*, ut ait poſtea. *Præter autem ea duo prædicta*, pergit idem, *ſunt alia duo circa matrimonium, circa quæ ſine periculo hæreſis licitum eſt contraria opinari, quorum unum eſt Theologicum, ſcilicet utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, ſicut in aliis Sacramentis novæ legis? ſecundum eſt logicum, videlicet, utrum matrimonium habeat plenam univocationem cum aliis Sacramentis?* Utrumque negat in decurſu hujus quæſtionis Durandus, adducitque ſuæ opinionis conſortes aliquos Canoniſtas, ac præterea Gloſſam in can. *honorantur* 32. qu. 2. in hoc Sacramento non conferri gratiam Spiritus S. aperte edicentem. Fatetur nihilominus Durandus oppoſitam ſententiam longe communiorem fuiſſe inter ſui temporis Theologos. Cum Durando ſenſit Guillielmus Peraldus Durandi coætaneus in Summa vitiorum, & eo antiquior Jacobus Vitriacus *lib. Occid. hiſtoriæ* cap. 36. Eandem opinionem Magiſtro ac Præpoſito Antiſſiodorenſi tribuit Gerſon in compendio Theologiæ. Atque hinc eſt, quod S. Thomas, Bonaventura, Scotus, & alii, qui veram & Catholicam tuentur ſententiam, eam duntaxat *ut probabiliorem*, non ut ex *fide certam*, & omnibus tunc temporis credendam proponant, quia nempe, licet res ea in ſe ac materialiter eſſet de fide, nondum tamen diſtincte, ac clare definita fuerat ab Eccleſia, ſicut poſtea fuit, unde contrarium opinari error quidem erat, ſed non hæreſis. Nituntur equidem Proteſtantes Alphonſum a Caſtro, Petrum Soto, & alios nonnullos in ſuas partes trahere, ſed immerito, cum conceptis terminis doceant, matrimonium eſſe verum Sacramentum, quanquam velint illud eadem dignitate & efficacia fuiſſe exornatum in lege ſive naturæ, ſive ſcripta, in quo certe capite a cæteris Theologis recedunt, a quibus deſeruntur.

166. Quod ſecundum attinet, Vaſquez diſp. 2. de matrimon. c. 6. & 8. negat ex Scriptura poſſe efficaciter demonſtrari matrimonium eſſe verum,

ac

ac proprie dictum Sacramentum, cui ſit ex inſtitutione Chtiſti annexo gratiæ promiſſio, & ad ſolam traditionem, ut id evincat, confugit. Quod idem ſentiunt Eſtina in 4. diſt. 26. §. 7. Pontius lib. 1. *de Matrim.* c. 5. Iuenin & olii recentiores. Aliis o contra nonnulla Scripturæ teſtimonia ad id probandum idonea & efficacia videntue. Et quidem in ſpecie recentiſſimi Touenelius & Bertut, eſto odmitant vulgarem illum verſum 32. capitis 5. ad Ephes. *Sacramentum boc magnum cſt, cga autem dica in Chriſta & in Eccleſia*, ſe ſolo ſumptum non probare efficociter mattimonium eſſe ſignum procticum gratiæ ſanctificantis, ſed ſolum ſpeculativum unionis Chriſti cum Eccleſia, id tamen negant, ſi ſumatur cum antecedentibus determinativis. Sane Concilium Tridentinum cit. Seſſ. 24. *de matrim.* cap. un. conte ſno moce eundem textum adhibuit in præſenti moteria, dum ait: *Gratiam vero, qua naturalem illum* (conjugum) *amorem perficerit, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus, venerabilium Sacramentorum inſtitutoe, atque perfictor, ſua nobis paſſione pramernit. Quod Paulus Apoſtolus innnit dicens: Viri diligitc uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea; mox ſubjungens, Sacramentum boc magnum cſt; cga autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quamvis enim hac loquendi methodo clare definiat matrimonium eſſe verum, ac proprie dictum Sacramentum; nullotenus tamen eationem ſuæ definitionis deeernit eſſe efficacem, ac multo minus de fide tenendam, dum ait: *quod Paulus Apoſtolus innuit*: ac paulo inferius ad traditionem provocat pergens: *Cum igitur matrimonium in lege Evangelica veteribus connubiis pee Chriſtum gratia praſtet, mceito inter nova legis Sacramenta annumerandum, ſancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ traditia ſempir docuerunt.* Et binc in canone primo ſolum anathematizat illos, qui negant matrimonium eſſe vere ac proprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis, non vero illos, qui inficiantor id pee textum o ſe in doctrina de hoc Sacramento traditom odductum efficaciter probari. Alia ſono œconomia utitue circa textum Epiſtolæ Jacobi 5. v. 14. quem & ad roborandam ſuam doctrinom de Sacramento extremæ Unctionis Seſſ. 14. c. 9. traditom odducit, & in anathemate eorum, qui exteemam unctionem Sacramentum eſſe inficiontue, od illum provocat innuent, ſe non tantum velle definire extremam unctionem eſſe verum Sacromentum, ſed id etiam efficacitee, ac cerritudine fidei ex allatis S. Jacobi verbia probori. Jam ad rem.

PROPOSITIO.

Matrimonium a fidelibus baptizatis legitime contractum eſt verum ac propric dictum nova legis Saceamentum.

167. Concluſio hæc definita eſt taoquom de fide tenenda a Martino V. in Concilio Conſtontienſi A. 1414. celebrato. Item ob Eugenio IV. in Decreto unionis Armenorum in Concilio Florentino A. 1438. ediro, cujus tenorem retulimus lib. 1. c. 1. §. 8. N. 307. oc noviſſime io Teidentino Seſſ. 24. *de Saceam. matr.* c. 1. qui ita ſonot: *Si quis dixerit, matrimonium non eſſe vere, & peoprie unum ex ſeptem legis Evangelicæ Sacramentis a Chriſta Domina inſtitutum, ſed ab baminibus in Eccleſia inventum, neque gratiam conferri; anathema ſit.* Quo loquendi tenore non ſolum onothemotizantue ii, qui matrimonium negant eſſe novæ legis Sacramentum, verum etiom illi, qui nunc cum Durando illud quidem Sactamentum eſſe admittetent, ſed *gratiam* conferre inficiarentue. Antequam vero propoſitionem probemus, obſervandum I. trio ad rationem veri Saceamenti ex conſpirante Catholicotum placito requiri, nimirum, ut primo cooſiſtar in aliquo ritu, ſeu cæremonia exteriori; ſecundo, ut iſte ritus hobeat moodotum Dei, ſeu ordinatus ſit ex mondato Dei; tertio, ut babeat annexam promiſſionem gratiæ, id quod etiam ipſi Proteſtaotes non inficiantur; ſic enim profitentur in Apologio Auguſtonæ confeſſionis: *Si Saceamenta vocamus eitus, qui habent Dei mandatum, & quibus addita eſt peomiſſio gratia, facile eſt judicare, quæ ſint proprie Sacramenta.* II. In Sacramentis duplicem diſtingui poſſe ſignificationem, unam *meec ſpeculativam*, ſeu objectivam, alteram vero *practicam*. Sic v. g. Euchariſtia duo ſignificat, mortem Chriſti, & gratiam nutrientem. Prior ſignificatio pure ſpeculativa eſt, neque enim Euchariſtia efficit mortem Chriſti: poſterior vero efficox eſt ac practica, producit enim, ſeu efficit gratiam, quam repræſentat. Et ita in matrimonio pariter duplex diſtingui poteſt ſignificatio, una ſimpliciter ſpeculativa, & objectiva, qua duntaxat eepræſentatur unio Chriſti cum Eccleſia, ſive per incarnationem, ſive per charitatem & gratiæ influxum; altera practica, qua producitur gratia Sacramenti unicos conjuges ad effectus, ſeu fines proprios matrimonii. His animadveeſis

168. Probatur concluſio ex tribus conditionibus ad Sacramentum vere ac propeie tale requiſitis. Et primo certum eſt, quod in mutuo conjugum conſenſu, ſeu contractu exteeno habeamus ſignum, ſeu ritum ſenſibilem, Ao vero hic contractus ſit ſignum rei ſacræ, & hoc ſuppoſito an ſit nude ſpeculativum, vel etiam practicum, & conſequenter an habeat mondotum Dei, & annexam promiſſionem gratiæ; in hunc finem I. expenditur textus Apoſtolicus ad Eph. 5. v. 31. & 32. quantum ex eo præſidii colligi poſſit in rem Catholicam. Sic autem habet: *Propter bar relinquet boma Patrem & Mateem ſuam; & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum boc magnum eſt, ega autem dica in Chriſto & in Eccleſia.* Hoc textu innuere velle Apoſtolum, matrimonium repræſentare unionem Chriſti cum Eccleſia, & conſequenter eſſe ſignum rei Sacræ ſaltem ſpeculativum ſentit S. Chryſoſt. hom. 50. *in Geneſ.* inquiens: *An non audis Paulum dicentem, Sacramentum eſſe nuptias, & imaginem dilectionis Cheiſti, quam erga Eccleſiam exhibuit?* Similia habet homil. 20. in c. 3. *Ep. ad Epheſ.* Adſtipulantur Chryſoſtomo S. Hieron. in cit. locum Apoſtoli, Gregor. Naz. Orat. 31. & alii.

169. Duo nihilominus teponunt Novatotes. Primum eſt, Saceamentum in textu Apoſtoli non referri od matrimonium Adami & Evæ, ſed ad unionem Chriſti cum Eccleſia pee incarnationem. Ita Calvin. l. 4. *Inſt.* c. 19. §. 35. & Spalatenſ. l. 5. *de Republ. Chriſt.* c. 21. N. 27. *Non ſubjective*, inquit, *ſed objective Sacramenti vocem uſurpat bic Apoſtolus, boc eſt*, eodem inteepret, *S. Paulus non ab humana conjugio, veluti a ſigno procedit ad Chriſti conjugium cum Eccleſia, tanquam ad eem ſignatam; ſed e contrario a conjugio umanis hypoſtatica Verbi cum carne noſtra, & ab unione Sponſi Cheiſti cum Eccleſia Sponſa, & capitis cum membris deducit documentum, cur, & quomodo debeant & mulieres viris ſuis ſubjici -- & viri fideles diligere uxores ſuas.* II. ex citato loco Apoſtoli colligi ad ſummum poſſe, matrimonium primorum parentum (de quo uno loquitur Apoſtolus) ſignum fuiſſe unionis Chriſti cum Eccleſia, non autem quodcunque hominum matrimonium. Verum, ut advertit Tournelius,

nelius, hæc poſterior reſponſio priorem evertit, eo quod ſupponat vocem *Sacramenti* referri ad unionem conjugalem Adami & Evæ, tanquam ad ſignum unionis Chriſti cum Eccleſia, quod prior negat. Loqui porro Apoſtolum de omni humano conjugio demonſtrant hæc verba: *Propter hoc relinquet homo Patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ*, quæ certe univerſalia ſunt, & magis ad poſteros Adami, quam ad Adamum ipſum pertinent: qui parentes, quos relinqueret amore uxoris ſuæ, non habuit, ipſe primus omnium Parens. Et inſuper Chriſtus Matthæi 19. ad omne legitimum conjugium refert verba mox cit. ad cujus ſententiam etiam reſpexit Paulus, dum ea epiſtolæ ſuæ inſeruit.

170. Quantum autem ad primam reſponſionem patet manifeſte ex ſerie contextus Apoſtoli, verba iſta, *Sacramentum hoc magnum eſt*, referri ad matrimonium Adami & Evæ, tanquam ad ſignum. Refertur enim ad id, quod antecedit, & deſignatur per pronomen demonſtrativum *hoc*: at verbis antecedentibus loquitur Apoſtolus de matrimonio Adami & Evæ per verba, *propter hoc relinquet homo Patrem &c.* ergo dum proſequitur, *Sacramentum hoc magnum eſt*, per τὸ *hoc* intelligit unionem conjugalem Adami & Evæ. Sed quid multa? ipſe textus originalis, ſeu Græcus, quem ſæpe ſæpius jactant hæretici, illorum erroneam opinionem jugulat, & Catholicum dogma firmat; in illo ſiquidem legimus: *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & Eccleſiam*. Manet ergo invicte probatum contra Novatores, matrimonium tum Adami & Evæ, tum eorundem poſterorum eſſe ſignum ſpeculativum rei ſacræ, hoc eſt unionis verbi cum humanitate, & Chriſti cum Eccleſia. Nunc videndum contra eoſdem, ac etiam Durandum &c. an quoque ſit ſignum practicum gratiæ? & quid in hunc finem laudatum Apoſtoli oraculum ſubſidii adſerat?

171. Tournelius, Bertus, & Liberius a Jeſu, famoſi inter Recentiores Theologi, etſi Vaſqueſio, Eſtio, Juenino ſponte admittant, neque ex verſu 32. capitis 5. laudatæ ad Epheſios epiſt. neque ex præcedenti 25. ubi idem Apoſtolus ait: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*, ſi ſolitarie ſumantur, pro Catholicis inexpugnabile argumentum ſumi poſſe; cum Sacramenti vocabulum, quod in Græco textu exprimitur per τὸ *Myſterion*, ſignificationem habeat ampliſſimam, & ſymbolum myſtici conjugii, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam, adinveniatur quoque in matrimoniis infidelium, effectu ſpiritualis gratiæ carentibus: quia hi quoque vi connubiorum ad dilectionem mutuam tenentur: cum nihilominus Chriſtus primo non tantum uniatur cum Eccleſia Catholica per *humanæ naturæ conſortium*, quæ unitio non eſt peculiaris Eccleſiæ, ſed communis univerſo humano generi; verum etiam *per charitatem & gratiam*, quod ſingulari titulo Eccleſiæ convenit, non autem generi humano univerſo; ſecundo S. Paulus verſibus relatis innuat uxores diligendas a viris non ſolum propter *procreationem filiorum*, ſed ulterius ob *ſempiternæ vitæ conſecutionem*; ait enim, *viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus Eccleſiam*; his attentis, hac aut ſimili ratiocinatione demonſtrari matrimonium eſſe verum, ac proprium Sacramentum exiſtimat Bertus: Matrimonium per Apoſtolum ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, conjunctio autem Chriſti cum Eccleſia non eſt ſolum ſecundum carnem, ſed etiam ſecundum charitatem & gratiam: igitur matrimonium non tantum unit contrahentes carnali vinculo, ſed etiam illos unit in gratia & charitate. Rurſus debent conjugati ſe invicem diligere, ut Chriſtus dilexit Eccleſiam, atque id maxime in votis habere debent, qui chriſtiano ritu conjugium ineunt; at Chriſtus dilexit Eccleſiam, non ut illam ſibi copularet tantummodo carnis aſſumptione, ſed inſuper ut illam ſibi exhiberet immaculatam & glorioſam; igitur qui ritu Chriſtiano matrimonio junguntur, uniri debent tali nexu, ut invicem ſanctificentur, & Deus illos conjungens gratiam, qua naturalis amor hac ratione perficiatur, iiſdem contrahentibus impertitur. Confirmat mox allatum argumentum Tournelius 1. ex 1. *ad Cor.* 7. v. 14. ubi dicitur, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*; quem locum ex Maldonato de matrimonio ita explicat, ut Apoſtoli mens ſit, matrimonium inter hos non eſſe illegitimum & immundum, ſed ſanctum; quia quamvis conjux ſit immunda, tamen a meliore parte (videlicet a marito Chriſtiano) totum matrimonium ſanctum eſſe (quia Sacramentum), & propterea filios ex eo genitos ſanctos. 2. ex verſu 39. ibidem, *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt, cui vult nubat, tantum in Domino*. Ubi idem Maldonatus vult ſenſum eſſe Apoſtoli, ut mulier nubat propter Sacramentum. 3. ex c. 3. *ep. ad Coloſſ.* v. 18. ubi legimus: *Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet in Domino*; quem textum in Græca phraſi hunc ſenſum præſeferre contendit Maldonatus: *Sicut decet eas mulieres, quæ contraxerunt matrimonium, non ut gentiles, ſed in Domino, id eſt ſancte, rite, ſacramentaliter*. Qui Theologus verba illa Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. v. 15. *Mulier ſalvabitur per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*; apud eundem Tournelium in eundem ſenſum adducit; quaſi velit ſignificare, mulierem per ipſum matrimonium ſalvam eſſe, accedente ſcilicet gratia ſanctificante propria hujus Sacramenti.

172. Sed his confirmationibus robur vix ullum ineſſe, vel ex hoc ſolo patet, quod textus in iis allati tum a Patribus, tum ab aliis ſcripturæ Interpretibus, alio longe ſenſu, eoque literæ conformiori explicentur, ac explicati ſunt a Maldonato, uti videre eſt apud Calmetum, qui primum ex Chryſ. Theodoreto, Eſtio, Grotio, Menochio, Hieronymo, Tertulliano, Tirino ita exponit, quod vir infidelis per mulierem fidelem ſanctificetur; quia illa per ſanctæ converſationis exemplum eundem ad converſionem diſponit; pariter filii ſancti ſint; hoc eſt, quaſi deſignati ſanctitatis, ac per hoc etiam ſalutis, ut loquitur Tertullianus; quia Mater fidelis ipſos ab idololatria avertit, quam ſi non haberent Patri contoralem, *immundi eſſent*, hoc eſt ad idololatriam proni currerent. De ſecundo vero teſtimonio ipſe Tournelius Patrum adfert teſtimonia, quæ illud *in Domino* non exponunt, uti Maldonatus, id eſt *ſacramentaliter*; inter illos S. Auguſtinus lib. *de adult. conjug.* c. 25. loquitur *Illud in Domino duobus modis accipi poteſt, aut chriſtiana permanens, aut chriſtiano nubens*. In tertio vero literalem ſenſum eſſe, mulieres debere ſubditas eſſe viris ſuis in Domino, hoc eſt ſicut Dominus præcepit, non autem in iis, quæ voluntati, atque legibus Domini adverſantur, non tantum cum aliis interpretibus docet Calmetus, ſed ſe ipſo in aprico eſſe videtur. Nec verum eſt, Maldonati mentem ex Græco textu juvari, in illo ſiquidem habetur, *hos aniken en Kyrio*, quod Arius Montanus ad literam reddit, *ſicut convenit in Domino*, quod idem eſſe cum vulgatæ verſione, *ſicut oportet in Domino*, nemo non videt. Quod denique ultimum locum ex 1. *ad Timoth.* 2. v. 15.

atti-

Digitized by Google

attinet, quem Liberius a Jeſu ſat prolixa contra Jovinianum urget, compertum eſt eruditis, originalem textum Græcum, in quo a vulgata tò *permanſerit* in ſingulari enuntiatur, idem verbum in plurali efferri per tò *meinoſin*; & ita conſequens eſſe, id quod de fide, dilectione, ac ſanctificatione ſubjungitur, referri non ad *mulierem*, ſed *ad filios*, quorum generatione, ſeu pie educatione, mulier æternam ſalutem promeretur, etſi commercio conjugali implicata virginibus, & ſexu ſuo Prædicatoribus ſit inferior; uti juxta Calmetum pleríque Latini, Græci vero omnes ſentiunt Interpretes. Ad principales igitur locos Apoſtoli ad Eph. 5. reſidua eſt mentis noſtræ explicatio.

173. Ut vero candide fatear, qui callet, quantum ad rigoroſam demonſtrationem requiretur, difficulter aſſentietur iis, qui judicant laudatis authoritatibus, ſi cum circumſtantiis inſinuatis etiam ſumantur, demonſtrari poſſe, matrimonium Chriſtiano ritu contractum eſſe non tantum ſignum ſpeculativum unionis Chriſti cum Eccleſia, verum etiam practicum gratiæ ſanctificantis, ac ſacramentalis in ſponſis producendæ; propugnatores enim hujus ſententiæ, poſtquam ſuis adverſariis ultro admittunt, ex textibus illis ſigillatim ſumptis id evinci non poſſe, nullas alias circumſtantias adducunt, quæ indifferentiam textuum determinerent; præterquam quod, cum Paulus ibi velit, matrimonia Chriſtianorum *proprie* repræſentare unionem Chriſti cum ſponſa Eccleſia *per charitatem & gratiam*, inde inferant, viros chriſtianos debere diligere uxores ſuas, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam; hoc eſt amore non naturali, ad quem ratio & Philoſophia viam ſternit; ſed ſupernaturali, ſeu ex motivo ſupernaturali, quod neque ratio, neque Philoſophia, ſed ſola Chriſti gratia nobis ſuppeditat; ex quo inferunt, Apoſtolum Ll. cit. velle, matrimonium contrahentes non tantum unire carnaliter, ſed iis inſuper conferre gratiam huic dilectioni in opus redigendæ neceſſariam, & conſequenter ad mentem ejus eſſe Sacramentum. At quamvis diffitendum non ſit, ad dilectionem ſupernaturalem, qualem Paulus habere præcipit conjuges, requiri gratiam, ex hoc tamen præciſe inferri juxta regulas logicæ non licet, requiri gratiam *per Sacramentum* conferendam; alias etiam ex eo, quod ad virginitatem ſervandam ex motivo ſupernaturali requiratur gratia, inferre liceret, antiquam virginum conſecrationem, aut modernam Religioſam profeſſionem eſſe vera novæ legis Sacramenta; multo ergo minus ex iiſdem motivis *demonſtrative* infertur, Paulum Ll. cit. matrimonium fidelium edixiſſe ſignum practicum gratiæ, & conſequenter verum, ac proprium novæ legis Sacramentum. Hoc enim non perſuadetur tot eximiis Theologis Catholicis ſupra laudatis, quomodo ergo demonſtrabitur hetarodoxis? Aliter in hac materia ſe geſſit Tridentinum N. 166. relatum, nec opus eſt, ut pro ſingulis Sacramentis habeamus textum clarum & demonſtrativum in ſacris Literis, cum ipſi Proteſtantes negantes traditionem mere oralem, velint nolint, eam admittere debeant in ſummo fidei noſtræ puncto, nempe in ipſa authentia ſacræ Scripturæ, cum nullibi ſcriptum ſit hos libros præciſe, vel omnes eſſe a Spiritu Sancto dictatos. Quapropter hanc nos ſtabilimus propoſitionem, ex verbis S. Pauli cum his circumſtantiis allatis tam bene concludi poſſe, illum iiſdem cenſuiſſe, Chriſtum ad juvandam conjugum dilectionem ſupernaturalem matrimonium elevaſſe in Sacramentum, atque contrarium, ſi præciſe ſpectentur; ſi vero Eccleſiæ Traditio in ſubſidium explicationis mentis Paulinæ aſſumatur, ad quam Concilium Tridentinum tam ſerio provocat, tum demum patere, non ſolum Paulum, ſed alios quoque Apoſtolos perſuaſos fuiſſe, matrimonium eſſe verum ac proprium novæ legis Sacramentum, etſi hanc ſuam mentem gentium Doctor L. cit. fortaſſis non expreſſerit: & hinc Dominos Proteſtantes inaudita temeritate ab hac perpetua utriuſque Eccleſiæ traditione receſſiſſe, quam teſtimoniis Patrum, Conciliorum, atque utriuſque Eccleſiæ perpetuo conſenſu jam demonſtratum imus.

174. Et quod Patres attinet, ſuperius ex N. 64. & ſeq. eos ordine retulimus, qui teſtantur apud Chriſtianos Matrimonium ſemper locum habuiſſe inter *res Sacras Religionis*, certo Ritu a Miniſtris Eccleſiæ celebrandas; ac præcedenti N. 63. Bohmero, aliiſque Proteſtantibus perſpicue oſtendimus, hæc Patrum teſtimonia nullatenus Sponſalibus de futuro applicari poſſe; qui duo Numeri hic relegendi ſunt, ne nos huc transcribendo actum agamus. Hic igitur adnumeranda veniunt teſtimonia Patrum eorum, qui Matrimonium appellant *Sacramentum*, non lato, ſed ſtricto, ac proprio ſenſu. Inter hos Juſtinus Martyr, qui Sæc. II. floruit, in Dialogo cum Tryphone ait: *Connubia Jacobi rei per Chriſtum perficiendæ figuram fuiſſe. Nam*, inquit paulo ſuperius, *magnorum Sacramentorum Oeconomiæ & diſpenſationes in quolibet ejus generis facto ſunt celebratæ*, in veteri ſcilicet Teſtamento. S. Ambroſius L. 1. de Abraham c. 7. *Cognoſcimus*, inquit, *præſulem, cuſtodemque conjugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum torum pollui, & ſi qui fecerit, peccare eum in Deum, cujus legem violet*, gratiam *ſolvat. Et ideo quia in Deum peccat, Sacramenti cæleſtis amittit conſortium*. S. Auguſt. lib. *de bono conjugali* c. 24. *Bonum igitur Nuptiarum*, inquit, *per omnes gentes, atque homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in Sanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt, etiam repudio diſcedentem alteri nubere, dum Vir ejus vivit, nec ſaltem ipſa cauſa pariendi*. S. Auguſtinum hoc loco nomen Sacramenti in proprio ſenſu ſumere patet, quod matrimonium fidelium ex hoc capite præferat nuptiis gentilium, quæ nihilominus ſunt etiam Sacramentum improprie, ſeu ſignum ſpeculativum unionis Chriſti cum Eccleſia. Et lib. *de bono conjugali* c. 18. *In Chriſtianorum nuptiis plus valet Sanctitas Sacramenti, quam fæcunditas uteri*; quod etiam verum eſſet de gentilium connubiis, niſi S. Auguſtinus nomen Sacramenti proprie ſumeret. Denique lib. 1. *de nuptiis & concupiſ.* c. 10. *Sane*, inquit, *non tantum fœcunditas, cujus fructus in prole eſt, nec tantum pudicitia, cujus vinculum eſt fides, verum etiam quoddam Sacramentum nuptiarum commendatur fidelibus conjugatis*. Dicit *quoddam* Sacramentum, quia c. 21. ait: *Quod ergo eſt in Chriſto & in Eccleſia magnum, hoc in ſingulis quibuſque viris atque uxoribus minimum, ſed tamen conjunctionis inſeparabilis Sacramentum*; minimum dicit Sacramentum comparatione nimirum ad alia Sacramenta, ut aliqui putant, vel ob rebellionem carnis, ac membra, quæ poſt peccatum pudenda ſunt, quæ non erant ante peccatum, quibus medendis eſt inſtitutum, uti indicat ſeries contextus. Qua proinde loquendi methodo S. Auguſtinus vult matrimonium Chriſtianorum eſſe verum Sacramentum; eo vel maxime, quod infra illud comparet baptiſmo & lib. *de bono conjug.* c. 24. Sacramento Ordinis, quamvis cæteris inferius; quod ajunt veteribus ſcholaſticis occaſionem dediſſe exiſtimandi, gratiam ſanctificantem non conferri per matrimonium, ſed quod tantum ſit in remedium concupiſcentiæ. Unde

merito Tournelius ex aliis motivis reprehendit Vaſqueſium, qui diſput. 2. *de matr.* ait ſe A. 1588. perlectis & attente conſideratis hiſce S. Doctoris teſtimoniis manifeſte deprehendiſſe, ipſum non loqui de Sacramento propria & ſtricta, ſed latiori ſignificatione; non negans interim, Sacramenti nomen ab Auguſtino uſurpari interdum ſenſu improprio & latiori. Eandem vero cum S. Auguſtino doctrinam, & fidem propugnavere & Summi Pontifices, & Concilia. Conſtantienſe, Florentinum, & Tridon. ſupra N. 167. jam retulimus, quibus hic ſubnectimus authoritatem Lucii III. Sæculo XII. florentis, *ſciatam c. ad abolendam* de hæreticis: qua matrimonium Eccleſiæ Sacramentis accenſuit, dum ait: *Qui de Sacramento corporis & ſanguinis Domini JESU Chriſti, vel de baptiſmate, ſeu de peccatorum confeſſione, matrimonio, vel reliquis Eccleſiaſticis Sacramentis aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſervat, vinculo perpetui anathematis innodamus.* Nunc ad ea teſtimonia Patrum procedendum, quibus agnoſcunt matrimonio annexam eſſe *gratiæ* promiſſionem.

175. Inter hos S. Ambroſius, & cum ipſo Patres Concilii Mediolanenſis in Ep. ad Siricium Papam, *Non negamus*, inquiunt, *ſanctificatum eſſe a Chriſto conjugium, divina voce dicente: Erunt ambo in una carne, & in uno ſpiritu.* S. Cyrillus *Comment. in Jo Evang.* lib. 2. *Ipſe* (Chriſtus), inquit, *invitatus venit* (ad nuptias) *ut generationis humanæ principium ſanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipſam hominis renovaturus erat, .. non ſolum iis, qui jam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, ſed & iis, qui poſtea naſcituri eſſent, gratiam præſtrueret, & eorum ortum ſanctum efficeret --. Præſentia ſua nuptias cohoneſtavit, ipſe gaudium & lætitia cum ſit univerſorum, ut veterem partus triſtitiam depelleret.* Innocentius I. ep. 9. ad Probum: *Statuimus*, ait, *fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum: conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite --- nulla pacta poſſe eſſe legitimum.* Et Patres Epheſini ajunt: *Chriſtum diſpenſatorie ipſis tunc benedixiſſe nuptiis, cum in Cana Galilææ cum ſanctis vocatus Apoſtolis adeſſe dignatus eſt.* S. Cyrillus hæreſi 6. 7. *Venerabiles* ait *eſſe nuptias, ac DEI aſpirante gratia cæleſte regnum obtinere, quis vel ex eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus Salvator ipſe fuerit, ut iis benediceret.* Et S. Auguſt. tract 9. in *Joan.* Evangelicam de nuptiis exponens hiſtoriam docet ideo Chriſtum nuptiis intereſſe voluiſſe, *ut caſtitatem conjugalem firmaret.* Denique S. Maximus Hom. I. *de Epip. Domini* ſic loquitur: *Vadit ad nuptias Dei Filius, ut quas dudum poteſtate conſtituit* (ſcilicet in ratione humani contractus), *nunc præſentia ſua benedictione ſanctificet*; quatenus ſcil. humano contractui adjunxit dignitatem & efficaciam Sacramenti. Ex quibus teſtimoniis Theologi noſtri præterea probabilius inferunt, tunc a Chriſto fuiſſe inſtitutum Sacramentum matrimonii, cum ſua præſentia nuptias cohoneſtavit, eiſque benedixit. Poſteriorum ſæculorum authoritates vero præterea adferre ſupervacaneum eſſet, cum Proteſtantes ipſi non diffiteantur, ſub ipſis matrimonium ab humanis, ſcilicet ingeniis in Sacramentum fuiſſe evectum, ut infra videbimus. Ne vero iiſdem ſcrupulus, aut etiam effugium remaneat, allata primitivæ Eccleſiæ teſtimonia loqui de Sacramento in latiori ſenſu, ac de ſola honeſtate nuptiarum, eorum verum ſenſum, ac perpetuam Eccleſiæ traditionem, matrimonium eſſe verum, ac proprium novi fœderis Sacramentum invicto argumento, deſumpto ex Eccleſiæ tum Occidentalis, tum omnium Orientalium unanimi ac perpetuo conſenſu demonſtratum imus.

176. Notum eſt Jeremiam Patriarcham Conſtantinopolitanum accepta a VVittambergenſibus A. 1576. confeſſione Auguſtana graviſſimam cenſuram reſcripſiſſe, latinitate & luce donatam a Staniſlao Socoiovio: in qua c. 7. pag. 59. legitur ex Patrum traditione *unam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam totius Populi Chriſtiani Eccleſiam eſſe eorum hominum, qui ea omnia, quæ legibus antiquis perſcripta ſunt, a Sacriſque Canonibus definita, ab ipſo denique Spiritu DEI per Sanctos Patres ſancita, & firmata, pie & Sancte ſervant & tuentur.* En characterem Eccleſiæ Catholicæ a Jeremia agnitum! Pergit porro: *in ea item ipſa Catholica & Orthodoxa Eccleſia ſeptem Divina Sacramenta eſſe, Baptiſmum ſcilicet, Sacri unguenti Unctionem, Sacram Communionem, Ordinem, Matrimonium, Pœnitentiam, & extremæ Unctionis oleum.* Et pag. 65. *Hæc igitur ſunt Eccleſiæ DEI Sacramenta, totque numero, hocque modo, & ratione, quod dictum eſt, nobis tradita.* Conſtantinopolitano Patriarchæ concinit Gabriel Philadelphienſis Metropolita, qui in lib. *de Sac. Pœnit.* edito Venetiis A. 1600. tractans de iis, quæ Sacerdos exquirere debet a Pœnitente, ait: *Præterea interrogabit eum, num dubitet de Septem jam dictis Eccleſiæ Sacramentis?* Et in Concilio A. 1642. a Parthenio Conſtantinopolitano Archiepiſcopo celebrato, cujus acta exſtant apud Labbeum tom. 15. pag. 1714. num. 15. ita legitur: *in decima quinta negat* (Calvinus) *Eccleſiæ Sacramenta quinque, Sacerdotium, Sacram Unctionem, Sacrum Oleum, Confeſſionem cum Pœnitentia, & honorabiles Nuptias; quæ omnia ut Sacra, & Divinam gratiam conferentia, antiqua nobis traditio reliquit.* Hæc Græcorum Schiſmaticorum Sententia. Ad ſectas Orientis a Schiſmaticis ſegregatas greſſum faciamus.

177. Cophtos Jacobitas recipere Sacramenta ſeptem demonſtrat eruditus Solierius in appendice ad Patriarchas Alexandrinos ſect. III. pag. 140. ex Vanslebio, Cophtorumque ritualibus; aliique plures Authores apud Bertum lib. 35. c. 5. Æthiopes quoque eundem ſeptenarium Sacramentorum numerum (de ſola extrema Unctione dubium eſſe poteſt), etſi erroribus nefandis implicatos, agnoviſſe olim, & orthodoxos recepiſſe profeſſionem fidei ipſis ab Urbano VIII. præſcriptam, in qua continetur ſeptenarius Sacramentorum numerus expreſſus, ex eodem L. cit. convincimur. Kemnitium vero viriliter mentitum fuiſſe (juſto zelo parcant cordati Proteſtantes) dum ſecunda parte examinis Concilii Tridentini cap. *de numero Sacramentorum* ſcripſit, ſeptenarium numerum Sacramentorum a Florentina Synodo Armenis obtrudum fuiſſe, cum eum per mille & amplius annos ignoraſſent, aperte evincit Liberius a Jesu tr. 1. *de Sac. in genere* diſp. 6. controv. 7. ex Vartano Armeno, qui duobus fere ſæculis ante Florentinam Synodum ſcripſit, ac *in monitis ad Armenos c. 6.* ita habet: *Septem Eccleſiæ Sacramenta jugiter exercemus: Chriſtianiſmus enim in ſeptem Eccleſiæ Sacramentis nititur.* Verum ergo ſolum eſt, Armenos per quorundam Pſeudo-Magiſtrorum doctrinam, inter quos erant ipſe Vartanus, Joannes Epiſcopus Armanus, & Gregorius Datavienſis, fuiſſe corruptos circa materiam, formam, & Ritus Sacramentorum, a quibus eos liberavit Eugeniana in Synodo Florentina inſtructio, quam retulimus lib. 1. tit. 1. c. un. §. 8. N. 307. non autem circa ipſum numerum Sacramentorum. Et hinc eſt quod tam mira, omniumque mortalium memoriam fugiens, ac conſequenter conſtans ac perpetua Eccleſiarum (ſi noviſſimas

Pro-

Proteſtantium, illasque in aliquot Europæ angulis dominantes excipias) cœlo, moribus, doctrinia adeo diverſarum, in ſeptenarium Sacramentorum numerum, & quidem eundem, quem profitetur, aequa propugnat Sancta Romana Eccleſia, conſpiratio, ita quidem ut nec plura, nec pauciora, nec alia in his ſeptem numeret, cum puſillus Proteſtantium grex ducibus ſuis auſpicibus, & libris ſymbolicis eorundem teſtibus, qui omnium oculis ita expoſiti ſunt, ut eos hic adducere non ſit neceſſe, in paucis ſuis ad ſcandalum variet, inexpugnabile pro traditione Divino - Apoſtolica de ſeptenario Sacramentorum numero, & conſequanter etiam de matrimonio inter ea connumerando, præbeat argumentum; ita quidem, ut ſi eo decipiamur, neceſſe ſit credera (quod vel cogitare blasphamum judico) Deum erroribus tanta præſtitiſſe ſubſidia, ut homo cordatus prudens volens ex ipſis ſe axtricare omnino non poſſit; quod certe in præſenti caſu contingarat, ſi Catholicus contra conſpirationem a præjudiciis tam deſæcatam tamque mirabilem omnium Eccleſiarum in ſeptenarium Sacramentorum numerum, hominibus recentiſſimis jam binarium, jam ternarium, jam quaternarium numerum Sacramentorum profitentibus aſſentiri deberet. *Evangelia non crederem*, dicit Augustinus, *niſi me Eccleſiæ Catholicæ moveret authoritas*; & nos deberemus Luthero, Calvino, Zwinglio circa numerum Sacramentorum credere contra Eccleſiæ non tantum Catholicæ, ſed omnium aliarum ab ea diris ſchismatibus avulſarum, ac propterea minime ſuſpectarum, authoritatem? abſit. Vide deductionem hujus argumenti occaſiona Euchariſtiæ lib. 1. tit. 1. c. un. n. 249. & ſeqq. Item occaſione Miſſæ Sacrificii lib. 3. tit. 41. n. 11. & ſeq. Nunc ad diluenda adverſariorum argumenta, quæ hoc unico jam proſtrata jacent, accingimur.

Momenta adverſariorum expenduntur.

178. PRimo ergo in perniciem ſuarum plebium mentiuntur Proteſtantium Cathedratici poſt ſuos Magiſtros, matrimonium Sæculo XII. ingenio Scholaſticorum elavatum fuiſſe ad dignitatem Sacramenti. Aſt quomodo nova hæc ac cerebrina doctrina nemine reclamante penetravit ad Græcos tum dito Schiſmate ab Eccleſia Romana disjunctos? quomodo ad Jacobitas, ad Æthiopes hæreticos? nunquid Romana Eccleſia hac ſua novitata non meruiſſet cenſuram ſimilem ei, quam merita eſt noviſſima Auguſtana confeſſio ab Eccleſia Conſtantinopolitana, aliisque Orientalibus?

179. Secundo contendunt in græco S. Pauli ad Eph. 5. textu non legi Sacramentum, ſed myſterium; ſed quid Catholici de allato Apoſtoli textu ſentiant, jam late ſupra expoſitum eſt; nobis ad tuendam Catholicam veritatam ſufficit perpetua in Eccleſia de illa traditio, atque de hac Patrum conſtans teſtificatio, & omnium Eccleſiarum conſpiratio. Cæterum quis tam rudis eſt, ut ignoret, idem apud Græcos ſignificari per myſterium, quod apud Latinos per Sacramentum.

180. Tertio ex eo Spalatenſis matrimonium non vult eſſe Sacramentum, quia Sacramentum in nobis efficit, quod ſignificat; atqui matrimonium non efficit unionem Chriſti cum Eccleſia, inquit ille.

Reſpondemus nos, ergo non eſt ſignum practicum, ſeu verum Sacramentum, ſed mera ſpeculativum unionis Chriſti cum Eccleſia. Id quod N. 168. docuimus, alia quæſtio eſt; an ſit ſignum practicum gratiæ ſanctificantis & ſacramentalis producendæ in ſponſis? quam jam decidimus.

181. Ulterius cauſantur, nullam eſſe annexam gratiæ promiſſionem matrimonio. Item alia eſſe ſigna rei ſacræ habentia annexam promiſſionem, veluti Martyrium, vel caſtitatis profeſſionem, & tamen haud eſſe Sacramenta.

Reſpondeo ad primum, contrarium a nobis jam demonſtratum eſſe. Ad ſecundum, non ſolam rei dignitatem, aut gratiam ipſi annexam ſufficere, ut res ea Sacramentis Evangelicis accenſeatur; ſed præſertim neceſſariam eſſe Chriſti inſtitutionem; in his enim rebus tota ratio facti eſt voluntas facientis. Chriſtum vero non Martyrium, neque Virginitatis profeſſionem, conjugio multo nobiliorem, ſed ipſum conjugium ad dignitatem Sacramenti evexiſſe, jam demonſtratum eſt.

182. Inſtant, juxta Innocentium III. matrimonium etiam ab infidelibus ſuſcipi ut Sacramentum; ergo eo ipſo non eſt proprie Sacramentum.

Reſp. Matrimonium juxta Innocentium III. ab infidelibus ſuſcipi ut Sacramentum improprie, ſeu ut ſignum unionis Verbi cum humanitate; ſolutio paret ex dictis N. 170.

183. Inſtant ſecundo. Quod in Sacramentis habet rationem ſigni, debet eſſe a Chriſto primum inſtitutum; atqui mutuus contrahentium conſenſus verbis aut ſignis exterius manifeſtatus non eſt ſignum a Chriſto primum inſtitutum, erat enim ante Chriſtum talis contractus.

Reſp. Negando ſignum tale in Sacramentis debuiſſe a Chriſto ſimpliciter in ratione ſigni inſtitui; ſufficit enim, ſi ab eo inſtitutum ſit in ratione ſigni practici & efficacis. Nunquid non Iris erat ante diluvium, & tamen poſt diluvium in ſignum erecta eſt Gen. 9.

184. Inſtant tertio ex eo, quod in matrimonio non repetiatur Sacramentum tantum, res Sacramenti, & res ac Sacramentum ſimul; quæ tamen vulgo in omnibus Sacramentis reperiri debent.

Reſpondet Tournellus, actus contrahentium eſſe Sacramentum tantum, gratiam vero eſſe effectum ſeu rem Sacramenti, vinculum autem, quod reſultat ex mutua contrahentium pactione, atque perpetuum eſt, eſſe ſimul Sacramentum & rem Sacramenti.

185. Ulterius duo abſurda nobis ingerunt, quod nempe primo uſus conjugii in noſtra ſententia eſſet pars Sacramenti. Secundo, quod unum Sacramentum pugnaret cum alio, matrimonium nimirum cum ſacris Ordinibus.

Ad primum reſpondetur, uſum matrimonii eſſe quidem officium, ſed non partem aut eſſentialem, aut integralem Sacramenti; ad quem chriſtiano modo exercendum datur gratia in Sacramento. Ad ſecundum vero, cum ſacris Ordinibus initiati teneantur ex præcepto Eccleſiæ ſervare caſtitatem, cauſam incompatibilitatis horum duorum Sacramentorum non oriri ex aliqua pugna, quæ ſit inter Sacramentum matrimonii, & Ordinis, ſed ex ſtatu & conditione eorum, qui ſacris Ordinibus ſunt initiati.

186. Objiciunt præterea, in Sacramento matrimonii non poſſe aſſignari materiam, formam, & Miniſtrum.

Reſp. Quamquam diſcordes ſint inter ſe noſtri Theologi in iis aſſignandis, aſſignant tamen aliquid, quod in hoc Sacramento rationem habeat materiæ & formæ, aſſignant pariter Miniſtrum, ſive ſit ille Sacerdos, ſive contrahentes.

187. Objiciunt denique, ipſos Theologos Catholicos, Magiſtrum, Durandum &c. negaſſe matrimonio annexam eſſe gratiam ſanctificantem.

Reſpondeo Magiſtrum & ejus ſequaces ab aliquibus ex noſtris excuſari, & benigne interpretari; ab aliis ſine præjudicio fidei judicari deſe-

rendos eſſe. Videatur N. 165. Sed quid cum his argutiunculis in materia facti a voluntate Chriſti dependentis, de cujus exiſtentia teſtatur contra paucos univerſus Orbis?

QUÆSTIO SCHOLASTICA

Num Sacerdos, an ipſi contrahentes ſint Sacramenti Matrimonii Miniſter?

185. QUamvis Sæculo XII. quo poſt Petrum Lombardum, qui Magiſter ſententiarum dicitur, ſcholaſtica methodus in tradenda Theologia invaluit, communis Theologorum fuerit opinio, Sacramenti matrimonii Miniſtrum eſſe ipſus contrahentes; ſententia tamen illa, eundem Miniſtrum non eſſe contrahentes, ſed ipſum Sacerdotem, aliquos invenit Sectatores, ſiquidem eam circa Sæculi XIII. medium propugnavit Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis, cui adſtipulatus eſt Paludanus in 4. diſt. 26. q. a. A. 3. eamque ſententiam A. 1536. adeoque ante Concilium Tridentinum adoptavit integra Synodus Provincialis Colonienſis, cujus authoritatem infra referemus. At poſtquam a Concilio Tridentino præſentia Parochi ut neceſſaria declarata eſt ad vires tribuendas Chriſtianorum connubiis, formulaque ſuper Sponſos dicenda eidem præſcripta, plures Patronos, eoſque graviſſimos nacta eſt eadem ſententia, & quidem in ipſo concilio, cum controverſia orta eſſet inter Patres occaſione decreti invalidantis matrimonia Clandeſtina, an eadem matrimonia jam prius per canones fuerint declarata invalida, an ſolum illicita? Theologi Pariſienſes, duce Simone Vigorio, judicarunt ope opinionis Guillelmi Pariſienſis pugnantes ad ſpeciem Patrum ſententias poſſe ita conciliari, ut Canones & Patres validitatem illis attribuentes ſolum reſpexerint civilem contractum; quibus vero ea viſa ſunt minus rata, in illis rationem Sacramenti conſiderarint, quam ſine Sacerdotis benedictione minime aſſequi exiſtimarunt. Paucos quidem, ſi fides Pallavicino lib. 20. *hiſt. Conc. Trid.* c. 4. n. 1. hæc Pariſienſium doctrina habuit Sectatores, ſed paulo ante, quam Vigorius Guillelmi opinionem Tridentinis Patribus exponeret, A. nimirum 1562. publici juris factum fuerat, etſi fortaſſis nondum omnibus innotuiſſet, celeberrimum opus Melchioris Cani *de locis Theologicis*, ubi lib. 8. doctiſſimus Author Guillelmi ſententiam inſtaurat & validiſſimis ſuſtentat argumentis. Quæ etſi totis viribus convellere ſtuduerit Bellarminus lib. 1. c. 7. *de matrimonio*, non ideo tamen a Cani doctrina omnes retraxit; ſiquidem eandem ſunt poſtea ſecuti Sylvius in 3. p. D. Th. tom. 4. diſt. 42. a. 1. q. 1. Eſtius in 4. ſent. diſt. 26. §. 10. Juenin *de Sacr. diſſert.* 11. q. 3. Serry, du Hamel, Tournelius, L. Herminier, Piett, Gibertus, quos refert Sanctiſſimus noſter *de Synodo diœceſ.* lib. 7. c. 28. Fatendum tamen eſt, contrariam ſententiam eſſe communiorem; nec verum eſt, ut jactant aliqui, pugnantem pro contrahentibus ſententiam ultra Montes eſſe fere antiquatam, contrarium enim probat idem Sanctiſſimus L. rel. citando bene multos, eoſque graves Auctores, qui tuentur contrahentes eſſe Sacramenti matrimonii Miniſtros. Hoc tamen non obſtante eadem ſententia non evadit illico probabilior, probabilioritas enim alicujus ſententiæ non defendentium numero, ſed rationum pondere metienda eſt. Nam ut bene adverrit Canus L. cit. caſu quodam communis iſte conſenſio facta eſt: cum contra uſu quoque evenire potuerit, ut ſi primus aſſeruiſſet, non omne fidelium conjugium Sacramentum eſſe, ſed quod religioſe ſacrateque fuiſſet conſtitutum; ſecundus, tertius, ac deinceps reliqui, quoniam probabile etiam id eſſet, eandem ſententiam ſequerentur.

186. Tam gravibus autem innixa eſt hæc de Sacerdote Miniſtro Sacramenti matrimonii ſententia, ut non modo nullam cenſuram mereatur, ſed multorum doctiſſimorum Virorum judicio palmam contrariæ eripiat. Quin plures Synodi Provinciales in variis regionibus poſt Concilium Trid. celebratæ Sacerdotem appellarunt legitimum matrimonii Miniſtrum; quas loqui tantum de Miniſtro *Solemnitatis*, non vero *Subſtantiæ* Sacramenti matrimonii eſto perſuaſum habeat Sanctiſſimus c. 27. ſupponens prudentiam Patrum Synodalibus decretis uni ex controverſis in ſcholis ſententiis ſuffragium haud ferre voluiſſe, eo quod a Theologis ſimiles Sanctiones privatorum doctorum authoritati longe anteferantur; nihilominus opinatus ejuſmodi locutiones, adverſæ ſententiæ Patronis tantopere inviſas, a dictis Synodis inconſiderate fuiſſe uſurpatas. Ac demum caput 22. ita claudit. *Utriuſque opinionis ſolidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam, aut alteram amplectendam, ſed ut Epiſcopis ſit perſuaſum, utramque eſſe probabilem, ſuoſque habere magnæ authoritatis Patronos; atque inde non decere diſtans* (Synodi) *ut ipſæ Judicis partes aſſumant, quæſtionemque definiant, de qua Eccleſia nihil hactenus pronunciavit, ſed Theologorum diſputationi permiſit.* Ex quo Pontificis doctiſſimi ſententia apparet, parum præſidii utrique oppoſitæ ſententiæ accedere ex authoritate Conciliorum tum Generalium Florentini aut Tridentini, quia hæc quæſtionem ſcholaſticam ex profeſſo decidere noluerunt, tum particularium, quæ vel nomen Miniſtri ſtricte haud uſurparunt, aut opinione privata uſi ſunt, ex qua decretorie non concluditur in hac materia. Ut proinde oleum operamque perdant, qui ex eorum authoritatibus longa argumentorum ſerie unam vel alteram ſententiam in apricum deducere conantur. Non eſt vero ſere argumentum pro Miniſtro Sacerdote graviter militans, quod ingenium perſpicacitatemque eximii Melchioris Cani fugiſſet, adeo ut ſuæ ſententiæ ſequaces telis ipſius fere uſi ſint, quos imitando concludimus.

PROPOSITIO.

Miniſtrum Sacramenti Matrimonii eſſe Sacerdotem eſt probabilius.

187. QUamquam jam præmiſerimus ex Conciliorum tum Generalium, tum Particularium authoritate controverſiam hanc minime decidi poſſe ob rationem ibi datam, argumentum tamen more aliorum Theologorum ex illis depromam, quamquam non tam operoſa deductione, ut aliqui ex illis faciunt, quatenus appareat, illorum authoritates probabilitati noſtræ ſententiæ non officere, ſed potius patrocinari.

188. Itaque primo loco occurrit celebris locus ex Concilio Trid. ſeſſ. 24. de ref. matr. c. 1. ubi Patres decernunt: *Ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus Viro & Muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat; ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. vel aliis utatur verbis juxta præſcriptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum.* Ex quibus inferunt Patroni noſtræ ſententiæ; ſi data opera voluiſſet Synodus innuere Sacerdotem eſſe Miniſtrum Sacramenti matrimonii, & verba quibus contrahentes conjungit, eſſe formam, aut quaſi formam, non potuiſſet uti verbis ſignificantioribus.

189. Reſpondent equidem adverſarii, Verba illa Synodi, *ego vos conjungo*, ad mentem ejuſdem idem ſignificare debere, ac ego vos *declaro*

con-

Digitized by Google

conjunctos, quod inde elicere volunt, quia ſubdit, *vel aliis utatur verbis* &c. quo indicare Synodum contendunt, ſibi nequaquam conſtitutum fuiſſe determinandi formam Sacramenti matrimonii, conſequenter nec declarandi, Miniſtrum ejuſdem eſſe Sacerdotem, cum forma Sacramenti debeat eſſe conſtans & firma.

190. Sed contra opponi poteſt, quia huic formulæ *ego vos conjungo* hunc affingere ſenſum, ego vos *declaro* conjunctos, videtur manifeſtus verborum abuſus, tum quia verba ſumenda ſunt in propria ac nativa eorum ſignificatione, quando nihil eſt aut abſurdum, aut contra rationem, aut falſum contra fidem, aut perverſum contra mores; at nihil tale occurrit in præſenti negotio, ut ſatis per ſe notum eſt: tum quia peſſimi exempli eſt hæc explicatio Novatoribus, qui ea ducti verba illa *ego te abſolvo*, facile interpretabuntur idem ſignificare, ac ego te *declaro* abſolutum a Deo. Nec in contrarium adducta probatio urget; conſtans quippe ac firma debet eſſe Sacramenti forma quoad ſenſum & ſignificationem, licet quoad ſonum verborum & modum loquendi varia ſit; ſic enim nonnihil diſcrepat forma Baptiſmi & Confirmationis inter Latinos & Græcos, & nos libro 1. Tit. 11. n. 16. & ſeq. oſtendimus Sacramentum Ordinis in omnibus ſuis gradibus non tantum in Eccleſia Græca, ſed etiam in Latina olim habuiſſe alias materias a modernis, & conſequenter alias formas iiſdem materiis applicatas. Subſidium ergo validius huic ſententiæ fert Sanctiſſimus noſter L. cit. dum ex Martene de antiquis Eccl. Ritib. tom. 2. lib. 1. c. 9. A. 3. n. 6. narrat, neque ea verba, nec alia illis æquivalentia ſemper & ubique adhibita fuiſſe, neque eadem aut ſimilia inveniri in omnibus Ritualibus; & quidem ea deſiderari in duobus Ritualibus antiquis Mſ. aliiſque, quos poſtea ſe exhibiturum promittit, teſtatur L. cit. Martene; Simonettus vero, alicubi hæc tantum verba a Sacerdote fuiſſe pronunciata, *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;* quæ certe nihil commune habent cum illis; ego *vos conjungo. Tantam porro varietatem*, ſubdit indifferens Pontifex ex mente adverſariorum, *Eccleſia non toleraſſet, multoque minus cujuslibet Provinciæ arbitrio permiſiſſet, ſi exiſtimaſſet per verba a Sacerdote prolata confici Sacramentum matrimonii*. Qua reſponſione fit, ut argumentum ductum ex authoritate Trid. non concludat. Vide infra N. 216.

191. Secundum argumentum deſumitur ex Concilio Florentino, in quo edita ab Eugenio IV. inſtructio Armenorum docet: *omnia Sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & Perſona Miniſtri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. Quam authoritatem ita urget Canus, ex ſuppoſito adverſariorum, quod Sponſi etiam per nutus poſſint contrahere matrimonium in ratione Sacramenti; *Quod ſi ſemel admittimus formam Sacramenti eſſe poſſe aliquando nutus, verborum loco ſubſtitutos, nulla pacta effugere poterimus, quin & mutus Sacerdos a peccatis abſolveret, & mutus Epiſcopus Sacris initiare poſſit*. Nec vim hujus argumenti elidit Liberius a Jeſu, dum ait, non obſtante definitione Eugenii, quod materia Sacramentorum ſint res, in Sacramento pœnitentiæ, dum mutus accedit, ejuſdem nutus, quos proprie res non eſſe dicit, ſuccedere loco verborum; falſum enim eſt nutus muti non eſſe æque res, ac verba confitentis: ſecundo tò *res* ab Eugenio pro materia Sacramentorum aſſignatum latius patet, quam tò *verba* pro forma præſcriptum, adeoque bene applicatur etiam nutibus muti, quia nutus certe ſunt res, verba autem non ſunt nutus, imo nutibus oppoſita. Aliud abſurdum ex adverſariorum ſententia deducit idem Canus. Cum enim poſt Sponſalia de futuro Sponſus & Sponſa affectu maritali coeunt, omnes & Juris periti & Theologi ſui tempore, hoc eſt ante Concilii Trid. promulgationem faſſi ſunt, per illum coitum verum confici matrimonium, at carnis commixtionem novæ legis proprium Sacramentum dicere abſurdum eſt, Spiritus quippe Sanctus, & Sacramenti gratia non datur per coitum c. *Connubio* 32. q. 2.

192. Tertium argumentum deſumitur ex authoritate S. Auguſtini, qui ep. 23. *ad Bonifacium* tradit: *oportere res ipſas corporeas, quibus Sacramenta conſtant, imaginem & ſimilitudinem gerere ejus Sanctificationis, cujus ſigna & cauſæ dicuntur*; ut Baptiſmus lotione exterius adminiſtrata Spiritualis ablutionis, quam efficit, imaginem & figuram habet; eodemque omnino modo in cæteris Sacramentis externa quadam actione, & repræſentatione Sanctificatio interior delineatur; at matrimonium civile & profanum, nec Sanctificationis imaginem gerit, nec ad ſanctificandum ſub quadam exteriori Sanctitatis ſpecie (uti a Sponſis præciſe perficitur) exhibetur, ergo ita contractum non eſt Sacramentum, conſequenter nec Sponſi Miniſtri ejuſdem, ut Sacramentum eſt.

193. Confirmatur. Incredibile eſt niſi a forma Sacra Sacramentum perfici; ſicut enim forma humana hominem efficit, & Albedo facit album, ita prorſus neceſſe eſt a forma Sacra quodcunque Sacramentum exiſtere; atqui in matrimonio, quod civili more profaneque contrahitur, nulla verba Sacra ſunt, nulla igitur ibi eſt Sacramenti nec facies quidem, & conſequenter neque contrahentes ejus Miniſtri. Minor conſtat; quid enim Sacri in illis verbis, *ego te accipio in meam*, ego te *accipio in meum*, & his æquivalentibus eluceat, non video, cum omnes Ethnici ea in contrahendis matrimoniis adhibeant. Major vero etiam in aprico eſt, tum ex natura Sacramenti, tum inductione omnium aliorum Sacramentorum, in quibus eſto materia ſit aliqua res naturalis, forma nihilominus ſemper quid Sacrum exprimit: atque lata diſparitas, cur in concreto Sacro materia poſſit eſſe quid naturale, non vero forma, quoniam non materia, bene vero forma concreto dat ſpeciem. Accedit, quod forma Sacramenti ſignificat eum effectum Spiritualem, cujus cauſa Sacramentum eſſe dicitur; nam Sacramenta, ut in ſcholæ proverbio eſt, efficiunt, quod figurant; ſignificatio vero Sacramenti in forma maxime elucet; atqui illa verba, *ego te accipio in meam*, nullius effectus Spiritualis ſigna ſunt; bene vero illa Sacerdotis, *ego vos conjungo in Nomine Patris &c.* ergo iſta, non illa ſunt forma hujus Sacramenti, & conſequenter Sacerdos, non contrahentes illius Miniſter.

194. Quartum argumentum ex eadem Florentina Synodo, ſeu decreto Eugeniano promitur, in quo ad perficienda Sacramenta præter materiam & formam requiritur Miniſter. Intelligit autem, inquit Eſtius, Miniſtrum Eccleſiæ, quia addit: *cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*; nam quomodo facit Eccleſia, quod nunquam facit, nec facere poteſt ejus Miniſter? unde ita argumentatur: Omne Sacramentum inſtitutum eſt, ut illud facere debeat Eccleſia (per ſuos ſcilicet Miniſtros) niſi ob neceſſitatem, ut in baptiſmo, alius faciat ſupplens vicem Miniſtri Eccleſiæ, qui tamen etiam debet habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ergo etiam Sacramentum matrimonii ſic inſtitutum eſt, ut debeat fieri per Miniſtrum Eccleſiæ. Et quæſo cur cætera Sacramenta debent adminiſtrari per Miniſtrum Eccleſiæ ſeu Sacrum, & non Matrimonium inquantum eſt Sacramentum?

195.

195. Dicunt equidam, contrahentes ex ipſa Chriſti inſtitutiona ſupplara vices Miniſtri Eccleſiæ in Matrimonio, atque ſibi invicem miniſtrare Sacramentum iſtud.

196. At reponit Eſtius, in ſolo baptiſmo propter ſummam ejus neceſſitatem fieri, ut alius ſuppleat vices Miniſtri Eccleſiæ. Et ſi hic eſſet ſupplamentum, ſequeretur, quod multo magis Miniſtri Eccleſiæ, cujus vices contrahentes ſupplent, id facare poſſent, quia magis poreſt rem unamquamque primarius Miniſter, quam Vicarius. a. Vel quilibet contrahens ſibi, vel unus alteri viciſſim Sacramentum adminiltrat; primum implicat, quia eorum Sacramenrorum, quæ in actione conſiſtunt, Miniſter diſtinguirur a ſuſcipiente, nulius enim ſibi ipſi poteſt Sacramentum conſerra, v. g. ſa ipſum baptizare, abſoivera &c. altarum vero difficile conciliatur cum ipſa adverſariorum ſententia; com enim ambo contrahantes ſint Miniſtri, ſimul conſtituunt unum totalem Miniſtrum; ſiquidem naurer poteſt ſine altero illud adminiſtrare, ex mutuo enim amborum conſenſu reſulrat vinculum Marrimonii. Præteraa, ut bene advertit Canus, fideles non ſa exiſtimaot ſacrilegos, ſi non ſiot in gratia, quo tempore ſic proſane contrahunt; in animis ergo illorum inſcriptum eſt, ejuſmodi conrractum non eſſa Sacramentum, nec ſe illius Miniſtros.

197. Quintum argumentum ex eo deſumitur, quod adverſarii in lua ſentantia ſicut patiuntur difficultates circa aſſignationem Miniſtri ejuſdem, ita & quidem multo majores axperiri debeant circa aſſignationem materiæ & formæ; quod multiplices, eæque diverſiſſimæ eorum ſentantiæ aperte produnt. Et quidem a. Catharinus docet, verba & actus contraheotium eſſe materiam, formam vero eſſe Verbum Dei ſanctificans matrimonium, cum dixit Gen. 2. & Matth. 19. *Propter hæc relinquet homo Patrem &c.* unde etiam infert, Deum eſſe Miniſtrum hujus Sacramenti, qui Verbo ſuo illud ſemel ſanctificavit, & quotidie ſanctificat, tantum ut excludatur Miniſter Sacerdos. Verum hic Aurhor confundie inſtirutionem cum eſſentia matrimonii; deinde ejus ſententia pugnat com communi ſenſu non tantum Theologorum, ſad omnium fidelium, qui perſuaſi ſunt Miniſtrum Sacramentorum eſſe hominem.

198. Secunda opinio putat conſenſum internum contrahentium eſſe materiam, verba autem, ſive ſigna exteriora eſſe formam. Tribuitur Navarro, Capraolo &c. ſed hæc ſententia ex duplici capite rejicienda eſt; primo, quia tam materia, quam forma Sacramenti debet eſſe *ſenſibilis*; conſenſus antam interior talis non eſt. Secundo, quia forma in Sacramentis, ſicut in omnibus aliis, debet determinare materiam, quod verba exteriora in caſu non præſtant, cum nihil plus ſignificent, quam ipſemet conſenſus. Eademque ratione rejicitur ſententia Majoris ſeorientis verba eſſa materiam, conſenſum formam.

199. Tertio ceoſent alii cum Richardo, verba unius conjugis eſſa materiam, & verba alterius eſſe formam: nimirum verba, quæ prius pronunciantur, eſſe materiam, quia inchoant matrimonium: verba autem alterius conjugis, quæ poſtea accedunt, eſſe formam, quia perficiunt. At nec hæc ſolidieatis quidpiam habet opinio, tum quia contingere poteſt, ut contrahentes verba ſimol proſerant, & tunc nulla erit amplius diſtinctio matariæ & formæ; tum quia nulla ſufficiens ratio proſerri poteſt, cur potius verba unius ſint materia, quam verba alterius, ſiquidem tam poſteriora verba determinantur per priora, quam priora per poſteriora. Et hinc

200. Quarto Dominicus Soto, Suarez &c. purant verba contrahentium ſibi mutuo aſſa materiam & formam: in ipſis enim, ajunt, poteſt conſiderari ratio axpreſſionis tradentis conſenſum, & ratio expreſſionis acceptantis eundem. At in hoc maxime difficultatem patitur hæc opinio; tum quia ratione duntaxat, non re diſtinguit materiam & formam, quas in Sacramentis diſtinctas eſſa debere inſinuat Eugenius IV. mutua enim traditio includit mutuam acceptationem; tum quia falſo ſupponit traditionem detarminari per acceptationem: namque mutuo ſe determinant traditio & acceptatio, ſicut & in contractu venditionis rei oblatio non complet contractum, niſi accedante acceptatione, quæ duo ſimul perficiunt contractum.

201. Quinto putant alii contrahentes eſſe materiam, verba autem, quibus exprimunt ſuum mutuum conſenſum, eſſe formam. Verum hi confundunt ſubjectum Sacramenti cum materia, ex qua conſtat; contrahentes enim equidem recipiunt Sacramentum, at non ſunt ipſa materia, ex qua coalaſcit. Hinc

202. Sexto ex recentioribus quamplures cenſent traditionem & acceptationem mutuam corporum aſſe materiam: verba autem vel ſigna, quibus axprimitur mutuus conſenſus in traditione & acceptationa mutua corporum, eſſe formam. Sed hæc opinio ſupra N. 193. jam rejecta eſt; quia verba illa, *accipio te in meam*, nullatenus ſignificant effectum Sacramenti, ſed tantum conjugalem obligationem; conſtat vero inductione omnium Sacramentorum, verba formæ in illis ſignificare effectum Sacramenti, ſeu non eſſe tantum ſigna *rei ſacræ*, verum etiam *Sacra* ſigna. Accedit, quod in hac ſantentia ipſa copula carnalis poſſit aſſe forma Sacramenti matrimonii, quod tanquam abſurdum ibidem pariter rejectum eſt.

203. Ulrima eaque ſingularis opinio eſt Maldonati, qui ut ab hiſce difficultatibus, quas patiuntur adverſæ ſententiæ Patroni in aſſignaoda materia & forma hujus Sacramenti, ſe expediat, q. 1. *de matrimonio* in ſolutiona argumeotorum tertiæ claſſis ax hoc, quod Sacramentum ſit ſignum, prætendit in Sacramentis non eſſe ſubtiliter quærendam materiam & formam propriam, ſau ſanſibilem, ſad ſufficere, ſi pro materia conſtituatur res ſenſibilis; pro forma vero ſufficera ipſam ſignificationem, quæ ſenſibilis non eſt, ſed ſolo animo percipitur. Et pergit: *Si iſtas duas res requiras in matrimonio, facile eſt oſtendere. Nam tota illa externa conjunctio & ſocietas viri & uxoris, quæ ab omnibus percipitur, eſt ſignum quoddam externum Chriſti & Eccleſiæ, ac propterea appellari debet materia. Significatio autem ipſa, quæ ſolo animo percipitur, eſt forma.* Ita ille addens: *Nam ſi materiam & formam propriam requiramus, amittemus multa Sacramenta.*

204. Sed quam ſingularis, quamque multis incommodis ſubjecta ſit hæc opinio, patet primo, quod Eugenius quartus expreſſe aſſerat, Sacramenta conſtare *rebus* tanquam materia, *verbis* tanquam forma; ſignificatio vero neque res neque verbum, ſed purum ens rationis ſit. Secundo, quod ex perpetua Eccleſiæ perſuaſione materia æque ac forma Sacramenturum debeant eſſe quid ſenſibile. Addo Maldunatum in hoc inſuper hallucinari, quod materiam Sacramanti confundat cum ipſo Sacramanto, ſiquidem pro materia conſtituit rem illam axternam v. g. contractum matrimonii, pro forma vero ejus ſignificationam; conſtat vero inductiona omnium Sacramentorum, rem ſenſibilam, de ſe indifferentem, ex Chriſti mandato debere per aliquid ſuperadditum determinari ad hoc, ut menti talem ſignificationem ingerat, v. g. ablutionem per verba *ego te baptizo in nomine Patris &c.* ut menti fidelium

delium ideam ingerat Spiritualis ablutionis animæ; ergo ut conſtituatur in ratione ſigni, ſeu materiæ capacis ingerendi ſimilem ideam hominibus, jam debet habere rem ſenſibilem, ſenſibiliter in eum finem determinatam, quod utique non fit per ipſam rem ſenſibilem & ejus ſignificationem, ſed per aliam ſenſibilem determinationem, quæ cauſa eſt, ut res illa indifferens ex beneplacito inſtituentis hoc determinatum ſignificet. Eſt ergo non materia ſola Sacramenti, quæ antecedit natura ipſam ſignificationem Sacramenti, ſed materia per formam aliam determinata, qua materia illa indifferens conſtituitur in ratione *Signi Sacri*, ſeu *Sacramenti*. Sacramentum ergo cum materia Sacramenti confudit Maldonatus. Patet hoc exemplo baptiſmi. Chriſtus voluit externam ablutionem carnis in teſſeram præcipuam ablutionis animæ a peccato originali erigere; ut autem hunc Spiritualem Sacrumque effectum animis hominum congruenter inſinuaret, voluit iſtam ablutionem fieri ac determinari per baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; ex ablutione ergo & prolatione horum verborum prioritate naturæ ad ipſam ſignificationem habetur Sacramentum, ſeu hæc duo ſimul ſumpta ſignificant Spiritualem ablutionem; igitur Sacramenta non habent rem ſenſibilem pro materia, ſignificationem pro forma. Alias ſicut contractum matrimonialem, quem alii dicunt comprehendere materiam & formam Sacramenti matrimonii, ut mox vidimus, Maldonatus pronuntiat materiam hujus Sacramenti, ita & ablutionem cum prolatione verborum, ego te baptizo &c. dicamus materiam baptiſmi. Et eſto demus Maldonato, ſigna naturalia conſtari poſſe & ſolere ex ſola rei ſenſibilis exhibitione, ac indita ex arbitrio, eam in ratione ſigni ſtatuentis, ſignificatione, quin per aliam rem ſenſibilem determinetur, ut patet in hædera, quæ habet rationem ſigni venalis vini, quin ad hoc ſignificandum per appenſionem v. g. lagenæ vinalis determinetur; ex hoc tamen non licet determinare rem adeo gravis momenti, quia maximi in noſtra Eccleſia, qualia ſunt Sacramenta, quæ cum a Chriſto inſtituta ſint, non tantum ut ſint ſigna rei Sacræ, verum etiam ut ſigna *Sacra* ſint, ad hoc per rem ſenſibilem naturalem non ſatis nec ſat congrue determinantur, niſi aliud ſenſibile, quod *formam* appellamus, & congruentiſſime fit per verba, accedat, per quam ad Spiritualem ſignificatum res illa phyſica determinetur. Et hanc determinationem a Chriſto, a cujus voluntate pendet Sacramentorum inſtitutio, factam eſſe vel in ſolo baptiſmo conſpicimus, atque in omnibus Sacramentis deprehendimus. Ita ut panicus ſit timor Eximii Maldonati, non multa Sacramenta amiſſuros, ſi in omnibus materiam & formam ſenſibilem requiſituri ſumus. In ſex enim reliquis vel ipſi Catechiſmi nos nitendunt, in ſeptimo ſeu matrimonio nos pro materia ſtatuimus ſenſibilem contractum Sponſorum, pro forma ſenſibilia verba & quidem ſacra ſuper ſponſos a Sacerdote prolata. Ita ut mirum ſit, adverſarios in gratiam probabilis opinionis, cujus oppoſita ſi non probabilior, ſaltem æqualium numerorum eſt, in tam varias, ne dicam miras, ac antea inauditas ambages excurrere in materia ipſa Sacramentorum.

205. Quapropter ſe non continet Melchior Canus, quin ita abripiatur: *Quorſum autem attinet in re graviſſima tenuiter, ne dicam ridicule philoſophari! quorſum in re ad fidem & Religionem neceſſaria tanta varietas & inconſtantia? non enim, ut Hieronymus ait, poteſt unquam verum aſſeri, quod diverſum eſt. Et rurſum, Verum, inquit, non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur. Quid, quod materiam nos, & formam Sacramenti quærimus, hoc eſt, res quaſdam religione ſacras, hi vero de forma materiaque contractus profani naturaliſque reſpondent. Nam ſi apud Ethnicos de pacti illius, conventioniſque materia & forma controverſia eſſet, non aliter profecto illi ac noſtri Theologi loquerentur.* Perſtringit alibi variantes ſententias, quæ cum verba illa de ſe profana contrahentium velint eſſe materiam & formam Sacramenti, nec illis determinandis convenire quidem poſſunt, ac pergit: *Ita Lutherus more ſuo Theologos ſatis jocoſe luſit, quod religionis noſtræ Sacramentum ex his vel integrum vel perfectum conſtituiſſent, quæ penitus omnia in matrimoniis paganorum reperirentur.* Ex his vero monſtrat, magnam ineſſe noſtræ ſententiæ prærogativam præ altera ad defendendum contra Proteſtantes, matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum, utpote pro quo aſſignamus & materiam convenientiſſimam, contractum nimirum naturalem matrimonii, & formam ſacram, verba nimirum Sacerdotis conjungentis eos in nomine Patris &c. ac contractum illum naturalem in ratione Sacramenti conſtituentia, ac denique Miniſtrum ſacrum, ſicut in omnibus aliis Sacramentis, qui matrimonio celebrando ab ipſis incunabulis ad noſtra uſque tempora ſemper ab Eccleſia mandatus eſt adhiberi. Monet tamen bonos Lutheranos, ſi de matrimonio, prout ab adverſariis contra eos defenditur, diſceptare voluerint, noverint ſe in Scholæ diſceptationes incurriſſe, nec oportere Catholicum ad eorum argumenta reſpondere.

206. Sextum Argumentum ex eo deſumitur, quod juxta mox dicta Eccleſia tam Latina, quam Græca perpetuo voluerit matrimonia coram Sacerdote, ac ſub ejus benedictione celebrari, clancularia conjugia conſtanter deteſtando; ex quo aperte ſequi videtur, Chriſtianos olim cenſuiſſe, Sacerdotem eſſe Miniſtrum hujus Sacramenti. Antecedens ad longum probatum eſt ſupra de ſolemnitatibus matrimonii a N. 70. & ſeqq. ubi non ſolum teſtimonia Patrum, ſed ipſa Græcorum Euchologia in hanc rem facientia ad longum recenſuimus.

207. Reſpondent equidem Adverſarii, nil aliud ex Patrum teſtimoniis inferri, niſi nuptias in facie Eccleſiæ celebrandas eſſe, ut ſecernantur a nefariis contuberniis, & ſolemnitate atque benedictione ſacrorum miniſtrorum firmiorem nexum, honeſtatemque Chriſtianam acquirant. Quam eorum reſponſionem firmat Bertus I. dicens: *Docent Patres nuptias ſanctificari Sacerdotum precibus, & oblationibus, additque Ambroſius, Sacerdotali velamine.* Ergone velamen & oblatio pertinent ad Subſtantiam? II. Patres eadem ratione deteſtantur nuptias occulte a Sacerdote benedictas, ut conſtat ex cap. *nullus* 30. q. 5. ac Turonenſe Concilium ſub Nicolao V. c. 12. aliique canones eaſdem nuptias clam a Sacerdote benedictas prohibent ſub pœna excommunicationis, quamquam eo in caſu non deſit, ſententia recentiorum, verus Sacramenti Miniſter.

208. At contra hanc reſponſionem primo eſt, quod per illam Catholicis magni contra Proteſtantes momenti eripiatur argumentum; quo ex eo, quod ab antiquis ritualibus, ac Euchologiis tum Latinorum, tum Græcorum, atque ab ipſis Patribus matrimonium conſtanter præcipitur celebrandum ſub ritibus Sacris, Sacraque Sacerdotis benedictione, graviter contra eos infertur, Eccleſiam idem matrimonium conſtanter cenſuiſſe Sacramentum, ut ſupra N. 70. &c. vidimus. Quæ ratio nihilominus fiat elumbis neceſſe eſt, ſi juxta adverſariorum explicationem hæc ideo tantum ab antiquitate ſunt præſcripta, ut eadem matrimonia, per contractum illum de ſe profanum jam ſubſtantialiter in ratione Sacramenti perfecta,

ſecta, *firmiorem nexum, honeſtatemque Chriſtianam acquirant*. Hoc ipſum enim reſpondent hæretici, ac proinde matrimonio rationem Sacramenti potius ex aſſa denegant.

209. Contra eſt ſecundo, quod etiam admiſſa veritate reſponſionis adverſariorum, illa argumentum noſtrum nullatenus infirmet. Ex illa enim nullatenus ſequitur, quod antiquitas præter fines ab illis enumeratos, non etiam ex eo fine Nuptias coram Sacerdote atque ſub ejus benedictione celebrandas mandaverit, quia exiſtimaverit Sacerdotem eſſe legitimum Sacramenti matrimonii Miniſtrum. Hanc enim ideam de Sacerdote potius habuiſſe, quam non, ex eo ſolo, quod conſtanter crediderit, matrimonium eſſe Sacramentum, atque hinc, uti reliqua, requirere formam Sacram, Sacrumque Miniſtrum, cuilibet cordato facile perſuadebitur. Nec quidquam facit in contrarium prima objectio Berti, neque enim contendimus, omnes ſolemnitates olim in matrimonii celebratione præſcriptas, & obſervari ſolitas, pertinuiſſe ad *ſubſtantiam* Sacramenti; ad hanc enim ſufficit Sacerdotis benedictio, ſicut ad baptiſmum ſufficit prolatio formæ, etſi vetera Euchologia Patreſque bene multas alias cæremonias in baptiſmo ſolemni præſcripſerint, quarum multæ hodie adhuc apud nos ſervantur. Ad ſecundam reſpondeo, Patres, ac Nicolaum quintum prohibuiſſe Nuptias etiam benedici a Sacerdote, eſto in eo caſu fuerint verum Sacramentum, quemadmodum nunc a Trid. prohibentur fieri nuptiæ coram Parocho & teſtibus non præmiſſis denuntiationibus, eſto hæ nuptiæ juxta adverſarios ſint verum Sacramentum, quia nempe ex talibus nuptiis multa inconvenientia oriri ſolebant, eo quod hac œconomia impedimentorum denuntiatio communiter impediretur.

210. His ergo rationibus permotæ plures Synodi Provinciales ſententiæ noſtræ ſubſcripſerunt, quamquam a prudentiſſimo Papa noſtro Benedicto XIV. propterea inconſiderationis arguantur, non quidem quaſi minus probabili ſententiæ ſubſcripſerint, ſed quod ſynodalibus ſuis decretis pondus ſolito gravius noſtræ ſententiæ addiderint; quod impoſterum ipſis cavendum eſſe decernit ex dicta ratione. Ex his ergo Concilium Colonienſe A. 1536. parte 7. cap. 40. ita habet: *Quod Sacramentum* (matrimonii) *ſi quis, ſicut decet, acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum ſpiritus, quo vir diligat uxorem amore caſto, ſicut Chriſtus Eccleſiam*. Quo nihil clarius in rem noſtram dici potuiſſet. In Enchiridio vero, quod juſſu ejuſdem concilii editum eſt, cap. penult. *de matr.* dicitur: *Quanto magis putandum eſt, & in nova lege Sacerdotes, qui legatione pro eo funguntur, legitimos hujus Sacramenti Miniſtros eſſe*. Poſt Concilium vero Trid. confirmata fuit eadem ſententia in pluribus Conciliis Provincialibus. Et primo in Cameracenſi, quod refert Sylvius, A. 1567. c. 1. edicitur: *Cum conſtet in matrimonio habendam eſſe rationem non ſolum divinæ conſtitutionis, ſed etiam Sacramenti, & gratiæ, quam in illo conſequuntur fideles, admonendos duximus Parochos hujus Miniſtros &c.* Secundo in Rhemenſi A. 1583. legimus: *Nuptiis rite completis, ita ſe componant conjuges, ut putent ſe non a Sacerdote, ſed per eum a Chriſto conjugiorum Præſule conjunctos*. Tertio in Turonenſi A. 1583. eadem forma celebrandi matrimonii præſcribitur, quæ in Trid. quæ pariter præſcripta eſt in Aquenſi A. 1585. in Mexicano ejuſdem anni, in Rhotomagenſi A. 1581. Avenionenſi A. 1594. Mechlinienſi 1607. Plura corraſit Serri in præfatione ad locos Theologicos Cani, quæ ibi videri poſſunt.

211. His addenda Ritualia. Ex quibus Romanum vetus A. 1494. collectum per Albertum Caſtellanum Dominicanum ait: *Contrahentibus reſpondentibus ſe nec affines, nec conſanguineos &c. Sacerdos pronuntiet verba, quæ ſunt forma hujus Sacramenti*. Alterum Romanum juſſu Pauli V. editum, in præfatione inter Sacramenta, quorum adminiſtrationem ait pertinere ad Parochos, recenſet matrimonium. Et in omnibus editis ab A. 1589. Ritualibus Romanis hæc verba a Sacerdote notantur proferenda: *Ego vos conjungo &c.* qui Ritus in omnibus fere particularium Eccleſiarum ritualibus libris præſcriptus quoque legitur. Unde in Manuali Atrebatenſi ab A. 1600. dicitur: *Sponſus & Sponſa debent fieri conjuges dicendo: ego vos conjungo*. Manuale vero Iprenſe A. 1576. & Mechlinienſe A. 1589. jubet, ut Sacerdos tanquam Eccleſiæ Miniſter dicat: Vos in matrimonium conjungo. In Rituali Mediolanenſi, præſcribente S. Carolo Borromæo, actorum parte quarta dicitur: *Quinque duntaxat eſſe Sacramenta, quæ Parochus ex officio adminiſtrare poteſt, baptiſmum, Euchariſtiam, pœnitentiam, Matrimonium, & extremam unctionem*. Plura videri poſſunt in Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus tom. 2. p. 2. lib. 1. c. 9. ex quorum authoritate eſto non concludat noſtra ſententia, magnum tamen pondus acquirit. Sed jam ad ſolvenda præcipua adverſariorum argumenta procedamus.

Solvuntur Objectiones.

212. OBjiciunt I. Authoritatem Eugenii IV. qui in inſtructione Armenis data loquens de Sacramento matrimonii ait, *Cauſam ejus efficientem regulariter eſſe mutuum conſenſum per verba de præſenti*; cauſa vero efficiens & Miniſter hic unum & idem ſunt; atqui conſenſus ille a contrahentibus declaratur; ergo contrahentes ſunt cauſæ efficientes ſeu Miniſtri matrimonii, non tantum quatenus eſt humanus contractus, ſed quatenus eſt verum Sacramentum. De quo potiſſimum Armenos informat Pontifex, cum matrimonium recenſet inter ſeptem novæ legis Sacramenta.

Reſp. Certum & exploratum eſſe, noluiſſe hoc in Decreto S. Pontificem aſſignare, quæ ſit materia, quæ forma, quive Miniſter Sacramenti matrimonii. Cum enim aliorum Sacramentorum materiam, formam, & Miniſtrum diſtincte aſſignaſſet his verbis: *Materia hujus Sacramenti &c.* uti diſtincta & ad longum videri poteſt in cit. inſtructione, quam retulimus lib. 1. tit. 1. §. 8. N. 307. de matrimonio nihil tale dixit; quod nempe intelligeret, rem inter Theologos adeo controverſam in ſuſpenſo eſſe relinquendam. Cum igitur citatis verbis ait, cauſam efficientem matrimonii eſſe mutuum conſenſum, de ejuſdem vinculo verba facit, (abſtrahendo a ratione Sacramenti) quod omnino eſſe indiſſolubile affirmat, & cujus efficientem cauſam non immerito aſſignat mutuum conſenſum; ex illo enim, ut ſupra diximus, reſultat nexus ſeu vinculum, in quo conſiſtit eſſentia matrimonii, quatenus humanus contractus eſt. Et ita Eugenii verba interpretatur Catechiſmus Concilii Trid. p. 2. de matr. N. 6. Ad id, quod additur, dico: ſatis fuiſſe Eugenio Armenos docuiſſe matrimonium eſſe verum novæ legis Sacramentum; quæ vero addit de cauſa ejus efficiente, non ſpectant matrimonium, quatenus Sacramentum, ſed quatenus eſt contractus humanus; ex quo reſultat nexus & vinculum indiſſolubile. Id ita eſſe oſtendit mutata loquendi ratio, qua uti ſolet Eugenius in aliis Sacramentis; ſtatim enim ac dixit v. g. *primum omnium Sacramentorum eſt baptiſmus*, addit: *hujus Sacramenti materia &c.* at in præſenti argumento mutat conſuetam loquendi rationem, & ſimpliciter ait, *Cauſa efficiens matrimonii &c.* non ait, *hu-*

jus

jus Sacramenti; ne, ue dictum eſt, rem figrret in ſcholis inde agitatam.

213. Objiciunt II. Trid. Seſſ. 24. c. 1. *de rrform. matr.* docet matrimonia ciandeſtina rata & vera fuiſſe, quamdiu Eccleſia illa irrita non fecie; atqui hæc matrimonia ſine Parocho contrahrbantur; ergo verum ac ratum aſſentialiter eſt matrimonium ſine Sacerdote Miniſtro.

Reſp. D. M. Docet illa matrimonia vrra ac rata fuiſſe in ratione contractus humani C. quoad rationem Sacramenti N. M. & conceſſa mi. Diſt. ſimiliter C. & N. C. Quod vero Synodus citato loco vaiidıtatem ſeu firmitatem Matrimonii magis ſpectet, quam dignitatem Sacramenti, patet ex eo, quod drclaree valuiſſe pro præterito clandeſtina matrimonia, nec uſum eorum fuiſſe peccamioolum; quemadmodum ex eadem ratione uſus matrimonii apud Judæos non eſt peccaminoſus, eſto matrimonium illorum non ſit Sacramentum; impoſterum vero irrita & nulla fore, ſeu puros putos concubinatus.

214. Urgent primo. Nunquam Tridentini Patres matrimonia clandeſtina *vera* ac *rata* conjugia dixiſſent, & declaraſſent, niſi crediḍiſſent, ea eſſe vera Sacramenta; ſapientiſſimis enim Patribus notum erat e ſacris canonibus, quibus ſuum loquendi modum conformaſſe præſumendum eſt, ea tantum matrimonia dici *vera* ac *rata*, quæ non iolum ſunt contractus civiles, ſed eciam Sacramenta Rrligionis, quod potiſſimum diſcimus ab Innocenıio III. in cap. *quanto* de divortiis, ubi ait: *Etſi matrimoniam verum inter infideles exiſtat, non tamen eſt ratam; inter fideles autem verum & ratum exiſtit; quia Sacramentum fidei, quod ſemel eſt admiſſum, nunquam amittitur, ſed ratum efficit conjugii Sacramentum.*

Reſp. I. Dato, quod Patribus Tridentlnis notum fuiſſet, Sacros canones per conjugium ratum intrlligere Sacramentum, hoc ipſo tamen ſuum loquendi modum hoc in paſſu illis accommodare noluiſſe, quia alias definiendo matrimonia Clandeſtina fuiſſe vera ac rata, hoc eſt *Sacramenta*, per laeus eeiam definiviſtent, Miniſtros matrimonii in eatione Sacramenti eſſe ipſos contrahentes. Quod aiienum ſemper fuiſſe a mentibus Sapientiſſimorum Præſulum jam ſupra oſtenſum eſt.

Reſp. II. Ipſos potius Canoniſtas, ex non recto intellectu citati cap. *quanto*, quam ipſos canones per matrimonium verum ac ratum intelligere Sacramentum. Siquidem ipſum cap. *quanto*, quod maxime jactant, per verum ac ratum matrimonium nihil aliud intelligie, quam matrimonium Chriſtianorum eſſe *abſolute indiſſolubile*; ita quidrm, ut ſi conſummatum eſt, neque in caſu, quo alter Conjugum in hæreſim, vel infidelitatem labatur, & cum fideli ſine injuria Creatoris habitare noiit, fidelis ad aiteras Nuptias convolare poſſit; utpote quod ſolum liceat in caſu, quo matrimonium ab infidelibus ante ſuſceptionem baptiſmi (quem fidei Sacramentum hic appeliat Pontifex) contractum fuit, quia eſto eale matrimonium etiam ſit verum conjugium rrddens iicitam copulam carnalem, non eſt tamrn ratum, hoc eſt indiſſolubile, ſicut illud, quod poſt Sacramentum fidei, hoc eſt baptiſma ſuſcipitur, ſed Conjux fideiis ex Divina diſpenſatione, per Paulum promulgata, altero in infidelitate remanente, & ſine injuria Creatoris cohabitare nuleote, ad alia vota convolare poteſt. Hunc eſſe genuinum hujus capituli ſenſum, manifeſte patet ex ipſa quæſtione a Pontifice per illius tenorem ſoluta: Frrrarlenſis enim Epiſcopus, ad quem ſonat ſuperſcriptio, non interrogaverat Innocentium, an matrimonia fidrlium ſint *Sacramenta* & quæ? ſed an ſicut in caſu Paulino, mulier ad fidem converſa poteſt ab infideli diſcedere Marito, & alteri nubere; etiam *Vinculum conjugale diſſolvatur altero conjugum fideliam in hæreſim lapſo?* verba ſunt ſummarii, quod fieri non poſſe, ex dicta ratione docet ibi Innocentius. Cæterum ex dictis N. 52. conſtat Gratianum per matrimonium ratum, non aliud intelligere, quam quod nunc appellamus conſummatum.

215. Replicant. Hoc ipſo quod matrimonium a Chriſto ſit elevatum in lege gratiæ in Sacramentum, omne matrimnnium poſt Sacrum baptiſma ſuſceptum, & conſrquenter etiam clandeſtinum videtur eſſe Sacramentum, & conſeqnenter contrahentes ejuſdem, ut Sacramentum eſt, ſunt Miniſtri.

Sed matrimonium fidelium poſſe eſſe verum ac legitimum in ratione contractus, quin Sacramentum ſit, ſpeciali quæſtione defendunt Patroni noſtræ ſententiæ. Eſt ergo matrimonium fidelium baptizatorum in Sacramentum elevatum a Chriſto tranſitive, hoc eſt ita ut poſſit fieri Sacramentum, ſi forma a legitimo Miniſtro prolata ſuper contractum civilem, qui eſt materia, accedat C. intranſitive, ita ut ipſe contractus civilis ab hominibus profanis, ſub ſolis verbis profanis initus, ſe ipſo ſit Sacramentum N. Paritatem manifeſtam habemus in pœnitentia, quæ in nova lege pariter ad dignitatem Sacramenti a Chriſto evecta eſt, non intranſitive, quaſi ille, qui in cubili ſuo compungitur, adminiſtret ſibi Sacramentum pœnitentiæ; ſed tranſitive, quod nempe, ſi ſalutari confeſſioni accedat forma a Miniſtro Eccleſiæ ſuper eam tanquam materiam debita intentione prolata, fiat Sacramentum. Neque ex hoc, quod Tridentinum citato cap. primo irritet matrimonia in ratione contractus civilis, limites ſuæ potrſtatis excedit: merito enim canone 12. damnat eos, qui negant cauſas matrimoniales pertinere ad Judices Eccleſiaſticos, ſive reipſa matrimonium contractum fuerit verum Sacramentum, ſive non fuerit; quia nempe tenentur omnes Chriſtiani eo ritu celebrare nuptias, qui necrſſarius eſt, ut ipſis accedat dignitas Sacramenti, & conſequenter ad Eccleſiam pertinet judicare de iis, qui hoc ritu non utuntur.

216. Objiciunt III. Si Sacerdos eſſet miniſter hujus Sacramenti, verba ab eodem prolata, *ego vos conjungo &c.* eſſent ejuſdem Sacramenti forma; igitur illa deberent ſemper adhiberi in contractu matrimonii. Nec valet, ſi dicas, ſufficere, ſi his æquivalentia adhibeantur; nam contra eſt primo. Hoc ipſo, quod Trid. adhibitionem aliorum verborum juxta conſuetudinem cujuſque diœceſis permiſerit, tacite cenſere videtur, ea non pertinere ad ſubſtantiam, ſed ad nudam ſolemnitatem Sacramenti. Contra eſt ſecundo, quod teſte Simonetto ſupra N. 190. relato in quibuſdam ritualibus reperiantur hæc tantum verba a Sacerdote pronuntianda; *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, quæ certe nihil commune habent cum illis, *ego vos conjungo &c.* Tantam porro varietatem Eccleſia non toleraſſet, multoque minus cujuslibet Provinciæ arbitrio permiſiſſet, ſi exiſtimaſſet per verba a Sacerdote prolata confici Sacramentum Matrimonii. Sunt qui inſuper hoc idem argumentum confirmant exemplo ſecundarum nuptiarum, quæ quamquam valide & licite contrahantur, attamen prohibentur benedici, tam apud Latinos, quam apud Græcos; igitur Sacerdotis benedictio non eſt neceſſaria ad matrimonii Sacramentum.

Reſp. approbando reſponſionem ad argumentum datam. Ad primam replicam dico, ex ea ad ſummum inferri, Tridentinum ex hac limitatione ſuæ præſcriptæ formæ voluiſſe præſentem quæſtionem indeciſam relinquere, quod ultro fatemur; quamquam, ut ſupra N. 190. jam innuimus, ex varie-

varietate verborum in formis Sacramentorum a diverſis Eccleſiis adhibitis, atque ab univerſali Eccleſia permiſſis, modo in ſenſu conveniant, non recte arguatur, eas non eſſe Sacramentorum formas. Per quod patet ad ſecundam replicam, ad quam id ſolum fateor, majorem hanc verborum a Sacerdote proferendorum, dum ſponſi matrimonium coram illo ineunt, varietatem, atque generaliorem illam Tridentini permiſſionem, ut Sacerdos *vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum*, cauſam eſſe, quod etiam contraria ſententia ſit probabilis; interim tamen probabilioritas alterutrius non eſt deſumenda ex Synodis generalibus, utpote quas litem hanc ſcholaſticam nec definire, nec alterutri ſententiæ ſuffragium ferre voluiſſe in comperto eſt, ſed ex aliis rationibus a nobis in probatione concluſionis adductis.

Ad Confirmationem Reſp. cum Sanctiſſimo L. cit. hoc argumentum inane eſſe ac fallax; cum Eccleſia tam Latina, quam Græca ſecundo nubentibus non interdicat benedictionem eſſentialem ſeu copulationem, ſed illam accidentalem, quæ continetur in Miſſa pro Sponſo & ſponſa, de qua egimus ſupra.

217. Solidior ergo eſt objectio, quam quarto loco ex Sanctiſſimo proferimus. In locis, in quibus Tridentinum jam eſt promulgatum, non raro contingit virum & fœminam matrimonium inter ſe contracturos inopinantem Parochum adire, & coram eo, quamvis invito, & reluctante, ac duobus teſtibus, ibidem fortuito aſtantibus, mutuum in conjugium conſenſum exprimere, atque inde ſtatim ſe ſubducere, quin Parochus ullum, niſi fortaſſe objurgationis verbum protulerit; quod matrimonii genus vulgo Gallice dicitur *a la Gaulmine*, quod a viro hujus nominis celebratum ac fortaſſis primo attentatum ſit apud illos. Jam ejuſmodi matrimonium in ſententia Melchioris Cani eſt validum in ratione contractus, ſed ob defectum Sacerdotalis benedictionis non eſt Sacramentum; ne itaque ſic copulati perpetuo careant gratia, quæ ex Sacramento matrimonii in contrahentes derivatur, deberet Eccleſia illos compellere, aut ſaltem hortari, atque inducere ad ſuum contractum legitime, conſuetiſque adhibitis ſacris ritibus, iterum renovandum coram eodem Parocho, cujus verbis fiat Sacramentum. Atque ob eandem rationem coram Sacerdote, aut præciperet, aut ſaltem inſtaurari curaret clandeſtina conjugia in locis inita, ubi Tridentini decretum non eſt receptum. Cum autem in neutro caſu conjugii renovationem ab Eccleſia urgeri videamus, non temere inde conjicimus, utrumque contractum, quamquam Sacerdotis benedictione non obſignatum, jam ab Eccleſia haberi pro Sacramento. Confirmatur I. ex eo, quod illi, qui matrimonium contrahunt juxta præſcriptam a Tridentino formam, cum occulto tamen impedimento dirimente, eo per diſpenſationem ſublato, non teneantur rurſus contrahere Parocho benedicente, ac verba conſueta proferente; ſed ſufficit, ſi clam inter ſe contrahant, vel affectum maritalem ſigno aliquo exteriori ſibi mutuo teſtentur, quemadmodum declaravit S. Pius V. teſte Navarro cap. 22. Manualis N. 7. ergo idem quod prius. Confirmatur ſecundo ex eo, quod Alexander III. parte 6. Appendicis Concilii III. Later. c. 8. declaraverit, ratum eſſe matrimonium ſine benedictione, imo & ſine præſentia Parochi, modo adſit ejus Notarius, qui cum meri teſtis, non Miniſtri perſonam ſuſtinere poteſt. Denique Cardinales præpoſiti interpretationi Concilii Tridentini declaraverunt, *verum ac ratum eſſe matrimonium, etiamſi Parochus nulla proferat verba, imo etſi ipſe diſſentiat, & invitus præſens adſit, dum contrahentes mutuo ſibi dant, & accipiunt fidem*. Eas Cardinalium declarationes exhibet editio Concilii Trid. Lugduni facta pag. 427. & 428.

Reſpondeo concedendo in caſu poſito contrahi verum matrimonium in ratione contractus civilis, non autem in ratione Sacramenti. Ad argumentum in oppoſitum dico 1. ideo Eccleſiam nequaquam ſollicitam eſſe de prædictis conjugiis debito ritu inſtaurandis, quia contractus conjugii ſemel valide initus, niſi, cum initur, Sacramenti naturam induerit, nunquam deinde poterit Sacramentum fieri, quod docet Durandus, Vaſquez, aliique contra alios Theologos, & patet inductione aliorum Sacramentorum, in quibus materia & forma debent ſimul poni.

218. Sed dices. Eo ipſo quod contrarium multi ſentiant, in hac dubietate non negligeret Eccleſia fideles urgere, ut in prædictis rerum eventibus ſua connubia debito modo renovarent, ne fruſtrarentur ad minimum ſpe conſequendæ gratiæ, quæ ſaltem in multorum probabili & communiori ſententia ex contractus iteratione ipſis obveniret.

Reſpondeo ad hanc replicam, quam Sanctiſſimus noſter in rem adverſæ ſententiæ (nullius interea Patronus) profert, Eccleſiam, cujus ipſe caput viſibile, ac Moderator ſupremus exiſtit, ab hac œconomia ex eodem conſilio, quod ille ſuppeditat Synodis particularibus, abſtinere, ne nimirum hoc jubendo nimium quantum faveat noſtræ ſententiæ, anſamque nobis præbeat adverſariis objiciendi, ſententiam noſtram tacito ipſius conſenſu eſſe definitam. Si enim ſententias particularium Eccleſiarum in rem noſtram prolatas tantopere jactamus, ut a ſimilibus loquendi formulis abſtinendum illis impoſterum jubeat prudentiſſimus Pontifex, quid fieret, ſi dictam praxim tam aperte prodentem, Eccleſiam cenſere Parochum eſſe Sacramenti matrimonii Miniſtrum, illis ob oculos ponere valeremus? Per quod patet Reſponſio ad primam confirmationem, mavult enim Eccleſia ob dictam rationem, & alia magni ſane momenti incommoda, quæ ſequerentur, ſi tales putatitii conjuges deberent a Parocho copulari, atque a Moraliſtis enumerantur, mavult inquam ſimiles probabili periculo non conſequendi gratiam Sacramentalem exponere, quam cauſam certam enarratorum incommodorum præbere. Præſertim cum Deus per gratias auxiliantes gratiam Sacramentalem ſupplere poſſit, quod apparet manifeſte in voventibus caſtitatem, qui ad illam ſervandam nulla gratia Sacramentali fulciuntur, & tamen difficilius præ conjugatis certamen ineunt ac ſuſtinent. Quamquam totum hoc argumentum in rem noſtram potius verti poſſit, cum Epiſcopi florentiſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ pœna excommunicationis animadvertant in eos, qui ſic contrahunt, ac poſt impoſitam & impletam pœnitentiam compellunt, ut rurſum coram Sacerdote benedicente juxta ritum Eccleſiæ contrahant, & ipſi Judices ſæculares, poſtquam pronuntiarunt circa valorem & firmitatem contractus civilis, remittunt ejuſmodi conjuges ad Epiſcopos & Parochos, ut ab iis pœnis canonicis puniantur, & juxta leges Eccleſiaſticas in Matrimonium, quatenus Sacramentum eſt, rurſus conjungantur, facta Notariis, ſeu Scribis publicis prohibitione, ne admittant contractum conjugalem per verba de præſenti, eumque in tabulas publicas referant, Parocho benedictionem Eccleſiæ recuſante, teſte Tournelio, qui ſi vera dicit, noſtræ ſententiæ Gallicanæ Eccleſiæ concinit praxis. Quam cur non poſſint imitari aliarum Eccleſiarum Præſules?

Unde ad ſecundam Confirmationem Reſpondeo, objectionem falſo ſupponere, Notarios illius fuiſſe laicos, non enim erant laici, ſed Clerici, ſicut colli-

colligitur ex lib. Sacramentorum Gregorii pag. 70. editionis Menardi, cujus notas vide ibidem pag. 98. aliiſque antiquitatis monumentis, in hiſtoria Eccleſiaſtica verſaris apprime notis.

Ad declarationes Cardinalium, quæ juris publici factæ ſunt, ajo illas nullius ponderis & auctoritatis eſſe, neque fidem eis eſſe adhibendam, uti declaravit Urbanus VIII. A. 1631. die 2. Auguſti. Declararunt & ipſi Cardinales A. 1621. die 29. April. & 6. Junii. Imo in indicem libros. prohibit. ſunt relatæ. Nec valet replica Liberii a Jeſu, facile nimirum eſſe, ſimiles declarationes in forma authentica proferre ex ipſo Cardinalium Archivo. Reſpondebo enim citatam declarationem mihi exhibenti, illam loqui de matrimonio ut matrimonium eſt, præſcindendo a ratione Sacramenti, quo in ſenſu totam ultro admitto eſſe veram; quia in illo caſu revera ſubſiſtit matrimonium; eam autem ita intelligendam eſſe, ex eo evinco, quia cum ipſum Concilium circa præſentem litem ſcholaſticam non tantum nihil definiverit, ſed inſuper præmeditate nihil definire voluerit, multo minus Cardinales illius interpretes cenſendi ſunt rem in favorem adverſariorum declaraſſe; & ſi denique hoc fecerunt, mentem Concilii non attigerunt, conſequenter hoc in caſu a nobis deſerendi. Quoniam etſi lib. 1. Tit. 7. §. 1. declarationibus his authentice productis vim legis ineſſe ſuſtinuerimus, Cardinales tamen ipſos in attingendo ſenſu Concilii Tridentini infallibiles eſſe nullatenus propugnavimus. His itaque perpenſis probabilior multo videtur ſententia docens Miniſtrum Sacramenti matrimonii eſſe Sacerdotem, aliique quas privatus Doctor videtur ſubſcribere ipſe Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS Papa XIV. dum in ſua Conſtitutione data die 27. Novembris Anno 1741. quæ incipit, *Satis vobis compertum eſt*, §. 8. & 9. ita ſcribit *Quod attinet ad Miniſtrum ſecreti matrimonii volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia perſonarum, experientia, & diuturnus rerum uſus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effeciſſe præſumuntur. Si quæ tamen vobis occurrent circumſtantiæ, quæ alium Sacerdotem expoſcere videantur; gravi impellente cauſa is Sacerdos a vobis eligatur, qui probitate & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Miniſtro diſtricte præcipiatur, ne matrimonio interſit, niſi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, ſobolem procreandam regenerari quam primum oportere Sacro baptiſmatis lavacro.* Hæc veritatis ſolius inquirendæ gratia, non diſceptandi libidine ventilata ſunt; præſertim ut fideles reverentia debita ad hoc Sacramentum accedant juxta mentem Sacri Concilii Tridentini.

Finis Libri IV. Decretalium.

LIBER V.
DECRETALIUM.

AD finem Libri III. Decretalium rationem dedi, cur quoſdam ejuſdem Titulos ad præſentem Librum V. commentandos tranſtulerim; qui quomodo cum titulis hiſtorice commentabilibus, quoque ordine tractandi ſint, præfatio (1) huic Tomo præfixa cum recenſeat, hic repetere ſupervacaneum eſt.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

BInis Paragraphis præſentem Titulum abſolvemus. In primo agemus de ipſis Hæreſibus atque Hæreticis; in ſecundo vero de eorundem Judicibus horumque in eos authoritate.

§. I.

De Hæreſibus atque Hæreticis.

1. HÆreſis quemadmodum & Secta, nomina de ſe ſunt indifferentia.

Hæreſis enim Græce ab electione dicitur: quod ſcilicet eam ſibi unuſquiſque eligat diſciplinam, quam putat eſſe meliorem, teſte Hieronymo relato 24. q. 3. c. *hæreſis*. Similiter ſecta a ſectando nuncupatur, vel a ſequendo apud Iſidorum lib. 3. *Etymol.* c. 8. Poſſibile autem eſt, ut quidam eligant, ſeu ſequantur diſciplinam bonam, quidam malam; quemadmodum conſpicere licet in ſectis antiquorum Philoſophorum. Et ipſæ ſectæ Saducæorum, qui contra traditionem ſcripturæ negabant Reſurrectionem, atque Phariſæorum, qui orthodoxi, eſto ſcelerati fuerant, eamque cum aliis Synagogæ dogmatibus acerrime propugnabant, Actor. 5., v. 17. & 15. v. 5. vocantur hæreſes. Et ipſe Paulus Actor. 24. v. 14. fidem chriſtianam, quam profitebatur, vocat *ſectam*, teſtaturque eam a Judæis dici hæreſim.

2. Nihilominus in ipſis ſacris literis doctrinæ a communi credentium fide, juxta Apoſtolicam traditionem accepta, deviantes, antonomaſtice *hæreſes* dictæ ſunt, ac *ſectæ*, eorumque ſequaces hæretici, ſeu ſectarii ſimpliciter nuncupati; quem modum loquendi Apoſtolorum diſcipuli, eorumque ſucceſſores conſtanter uſurparunt.

Prima propoſitionis pars ex 1. *ad Corinthios* cap. 11. v. 19. eruitur; ubi Apoſtolus ait: *Nam oportet & hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis*. Et ex ep. *ad Titum* 3. v. 10. ubi eidem præcipit idem Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam correctionem devita*. Cum alias in ſcripturis hæretici vocentur Anti-Chriſti, falſi Prophetæ, Pſeudo-Apoſtoli, homines perverſi, ſeductores, quæ nomina in bonam partem interpretari nequeunt.

Secunda pars inſpicienti Patrum ſcripta patebit.

3. Quamvis, ſi hæreſis in latitudine, indifferentiaque mox explicata ſumatur, facile deſcribatur, cum obvie pateat, quod ſit *ſententia, diſciplinave ab uno vel pluribus propugnata, aut proprio Marte inventa electio*; nihilominus, ſi in eo ſenſu, quem ei poſt Apoſtolum indidit Eccleſia, accipiatur, difficilior ejus eſt definitio.

Quid ſit hæreſis, & quid aliquem hæreticum faciat, regulari aliqua definitione comprehendi, ſicut ego exiſtimo, aut omnino non poteſt, aut difficillime poteſt, ait S. Auguſt. lib. *de hæreſibus* in Præf. Hoc autem inde mihi evenire videtur, quia multa requiruntur ad hæreſim, plura ad hæreticum formalem. Et quamvis definitio hæreſeos, aut hæreticæ propoſitionis in genere, ſicut & hæretici formalis non adeo difficilis ſit, etiam in eo ſenſu, quo eam non tantum Catholici, ſed cæteri quoque chriſtiani nominis profeſſores ſumunt; omnes enim conſentiunt, & conſentire tenentur, *quod hæretica propoſitio ſit illa, quæ verbo Dei ſcripto, traditove directe, & immediate opponitur*, hæreticuſque formalis, qui ſimilem propoſitionem volens, pertinaxque tuetur: non enim negant Proteſtantes propoſitionem *tradito* Dei Verbo directe & immediate oppoſitam eſſe hæreſim, ejuſque ſcientes ac pertinaces defenſores eſſe hæreticos formales, cum perinde ſit opponi vel contradicere Chriſtianum alicui veritati a Deo revelatæ, ſive ea revelata fuerit ſcripto, ſive traditione; ſed quod negant, eſt, nullam revelationem ad fidem pertinentem eſſe nobis traditione pure orali, vel declarativa a Deo relictam, id tamen, quo dividimur non tantum ab antiquis hæreticis, verum etiam a modernis, & quod definitionem hæreſeos in ſpecie ſumptæ hæreticique formalis difficilem reddit, eſt, quod dicta ſpecifica definitio ſupponat I. Verbum Dei traditum, ſeu traditiones divinas exiſtere non tantum *inhæſivas*, ſeu illas, quæ tradunt illud ipſum, quod clare ſcriptum eſt, quas nemo negat; ſed etiam *declarativas*, ſeu illas, quæ diſertius explanant, quod S. Scriptura breviter, aut minus clare docet; ac *mere orales*, quæ tradunt, quod nullo modo, ne implicitis quidem terminis, ſcriptum eſt; quarum duarum exiſtentiam extra Dei Verbum ſcriptum pernegant Novatores. Quamvis exiſtentiam traditionum mere oralium innocue quoque negent quidam Catholici Theologi, prætendentes ſingula fidei noſtræ dogmata *implicite* ſaltem & *obſcure* in ſacris literis contineri. II. Quod eadem definitio ſupponat illud ſolum eſſe Verbum divinum nobis revelatum tam ſcripto, quam traditione, quod *ut tale* judicat Catholica Religio; hæc enim limitatio definitionis hæreſeos in genere, in ſenſu a Chriſtianis ſumptæ, dependet a duobus axiomatibus nos inter & Proteſtantes controverſis; quorum primum eſt, an Eccleſia ſit infallibilis, & conſequenter Judex Supremus controverſiarum? & ſi tandem eſt, quænam ſit illa, an quæ Romano Pontifici viſibiliter tanquam capiti adhæret, atque in dogmatibus Ritibuſque pragmaticis cum illo communicat, bonos maloſque homines, ut Sagena illa Evangelica

(1) *Vide Typographi Præfationem.*

gelica bonos & malos piſces, ager item Parabolicus triticum & zizania, horreumque Symbolicum triticum & paleam, complectitur; an vero inviſibilis quædam; per viſibile illud corpus diſperſa, ſoloque privati ſpiritus dictamine ac infallibili inſpiratione arcana Scripturæ, aliunde patula ac ſole meridiano clariora perdiſcens, vel ſolos juſtos in ſinu ſuo fovens? Accedit, quod cognitu difficile ſit, in quo gradu debeat eſſe hominis cognitio circa dogma, cujus oppoſitum ſentit, an a Deo revelatum ſit? & quanta circa veram Eccleſiam Chriſti, ejuſque circa idem dogma ſenſum, quantaque pertinacia in contradicendo, ut ejus propoſitio ſpecifice hæretica, illeque hæreticus formalis eſſe queat? Cui ſi jungamus multas eſſe propoſitiones, quæ prima fronte videntur pugnare cum veritatibus *immediatis*; quamvis ſolum repugnent *concluſioni*, ex verbo Dei per conſequentiam certam deductæ; adeoque ſunt tantum *hæreſi proximæ*; iterum alias, quæ videntur hæreſi patrocinari, licet abſolute cum veritate orthodoxa queant combinari, adeoque ſint ſolum *hæreſim ſapientes*; denique alias, quæ quidem repugnant veritati immediate revelatæ, ſed necdum ab Eccleſia definitæ; nec animi præparatione, eas etiam contra judicium univerſalis Eccleſiæ tuendi, defenduntur; apparet, multo difficilius eſſe in praxi judicare quænam ſit formalis hæretica propoſitio, quiſque formalis hæreticus, quam duo hæc monſtra in ſpecie definire.

4. Et hinc Eccleſia magna ſemper circumſpectione, maturaque deliberatione uſa eſt in declarandis propoſitionibus hæreticis, earumque Patronis, atque ex defectu hujus cautelæ non unus veterum recentiorumque lapſus eſt.

Prius propoſitionis membrum ex convocatione conciliorum tam provincialium, quam generalium in aprico eſt; quæ omnia fere ex eo principe fine coacta ſunt, ut dogmata contra communem traditionem orta diſcuterentur, an tanquam hæretica anathematizanda ſint? Et Arcadius Imperator ſub finem Sæculi IV. illos ſolum voluit Sanctionibus contra hæreticos latis ſuccumbere, *qui vel levi argumento* (hoc eſt levi fundamento, ut omnes explicant) *a Judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti* (hoc eſt convicti) *fuerint deviare*. L. 28. c. Theod. *de hæreticis*. Hinc Innocentius XII. æquiſſimam hanc juſtiſſimamque regulam ſecutus, in Brevi ad Belgii Epiſcopos die 6. Februarii A. 1694. dato, ipſis injungit, ne ulla ratione quemquam vaga illa accuſatione, & invidioſo nomine Janſeniſmi traduci aut nuncupari ſinant, niſi prius ſuſpectum eſſe *legitime* conſtiterit, aliquam ex his propoſitionibus docuiſſe; nec aliqua pœna Eccleſiaſtica puniant, niſi *juris ordine ſervato* eam meruiſſe probatus fuerit.

Ad ſecundi confirmationem exemplum nobis ſuppeditat S. Auguſtinus ep. 222. *ad Quodvultdeum*; ubi narrat, quod Philaſtrius quidam Brixienſis Epiſcopus ſcripſerit librum de hæreſibus, numeraveritque hæreſes, quæ in populo Judaico fuerint ante adventum Domini XXVIII. & exortas poſt Domini adventum CXXVII. Epiphanius autem Epiſcopus Cyprius ſcripſerit quoque librum de eadem materia, ſed ipſe utriuſque temporis hæreſes colligens LXXX. complexus eſt. Atque ſubjungit: *Quod utique non eveniſſet, niſi aliud uni eorum videretur eſſe hæreſis, & aliud alteri. Neque enim putandum eſt, aliquas ignoraſſe Epiphanium, quas noverat Philaſtrius, cum Epiphanium longe doctiorem Philaſtrio invenerimus. Sed procul dubio, in ea quæſtione, ubi diſceptatur, quid ſit hæreſis, non idem videbatur ambobus, & revera omnibus definire difficile eſt.* Et hinc habemus, non tantum viſum eſſe Auguſtino difficile eſſe definire, quid ſit hæreſis, vel quis ſit hæreticus dicendus? ſed etiam nonnunquam minus doctum & inſtructum hæreſes putare aut fingere, quas non eſſe hæreſes doctior novit; ut in Philaſtrio & Epiphanio contigiſſe hic monet Auguſtinus. Et ipſe Epiphanius una vel altera vice defectu hujus cautelæ lapſus eſt, uti produnt ejus acta. Unde S. Gregorius lib. 9. ep. 39. ſcribens Theoctiſtæ Patriciæ ait, *quod ſint multi fidelium, qui imperito zelo ſuccenduntur, & ſæpe dum quosdam quaſi hæreticos inſequuntur, hæreſes faciunt.*

5. Hæreſis ergo, ſeu hæretica propoſitio ſpecifice ſumpta, & prout in Eccleſia Dei exiſtit, conſpirantibus Theologis & Canoniſtis eſt illa, *quæ verbo Dei ſcripto, traditove, atque ab Eccleſia Catholica ut tali propoſito, directe & immediate opponitur*. Hæreticus vero formalis, qui ſimilem propoſitionem contra judicium ejuſdem Eccleſiæ Catholicæ pertinaciter defendit.

Primam propoſitionis partem, quæ dat definitionem hæreſeos in ſpecie, ſeu prout ſecundum modernam Dei providentiam in Eccleſia exiſtit: (potuiſſet enim Deus omnes veritates credendas ſola ſcriptura nobis conſignare, potuiſſet eandem ſcripturam adeo claram limpidamque reddere, ut nullo egeret interprete humano, qui ſenſum ejus infallibiliter attingeret; potuiſſet etiam in caſu ejuſdem obſcuritatis ipſe ſenſuum ſuorum interpretem ac inſpiratorem agere, quo caſu definitioni datæ nec particula *traditove*, nec verba illa, *atque ab Eccleſia Catholica ut tali propoſito* addenda forent; ſed propoſitio Verbo Dei ſcripto directe & immediate oppoſita eſſet hæreſis, quam N. 3. hæreſim *in genere* placuit appellare, ejuſque volens ac pertinax defenſor hæreticus formalis) hanc inquam propoſitionis partem hic interim tanquam certam ſumimus, paulo poſt demonſtrandam; atque hæreticam propoſitionem ex data hac ejus definitione diſtingui non tantum a propoſitione hæreſi proxima, hæreſim ſapiente, quas eodem N. 3. jam deſcripſimus, a ſchiſmatica item, erronea, blaſphema, impia, ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, male ſonante, ſimplicium ſeductiva, temeraria, periculoſa, quæ vel ſolo nomine ſe negant directe & immediate oppoſitas Verbo Dei ſcripto, traditoque, ut tali ab Eccleſia Catholica propoſito; verum etiam ab hæreſi in genere, quæ eſſet in caſu alterius Providentiæ Parentheſi incluſo, ex eo probamus, quod hæretica non cenſeatur in Eccleſia Catholica propoſitio, eſto ſit oppoſita immediate & directe Verbo Dei ſcripto, traditove *in ſe*, quamdiu ab Eccleſia definitum non eſt, oppoſitam propoſitionem eſſe Verbum Dei ſcriptum, traditumve; uti aperte proditur in propoſitione Cypriani, Aſiaticorumque Epiſcoporum contra Stephanum Romanum Pontificem defenſa; *quod baptiſmo hæreticorum ſit invalidum*; quæ certe propoſitio tunc jam erat oppoſita Verbo Dei ſcripto, traditove, cum id poſtea Eccleſia declaraverit, in qua non fiunt novæ revelationes, ſed ſolum jam factæ ut tales declarantur, & tamen non erat hæretica illa propoſitio, quæ nunc eſt hæretica; ex hac ſola ratione, quod tunc non eſſet oppoſita Verbo Dei ſcripto, traditove, *ut tali* ab Eccleſia propoſito, modo autem ſit. Unde author Principiorum Juris publici Eccleſiaſtici Catholicorum mancam dedit hæreſeos ſpecifice, ſeu in ſenſu Catholicorum ſumptæ definitionem, dum propoſitionem hæreticam definivit eſſe illam, *quæ Verbo Dei ſcripto, traditove directe & immediate opponitur*; omiſit enim quintam ejus eſſentiam, niſi *per traditionem* intelligat *Eccleſiæ propoſitionem*, quod tamen particula disjunctiva *traditove*

negat, aut ſi non, tunc in eadem definitione Verbum Dei traditum daſideratur; & hinc iterum hæreſis ſecundum modernam providentiam mance definitur.

Quod ſecundam partem allatæ propoſitionis attinet, illa ſatis indicat plus requiri ad hæreticum, quam ad hæreticam propoſitionem: hæretica enim propoſitio eſt, quæ Verbo Dei ſcripto &c. opponitur, quæ certa etiam hæretica eſſet in caſu, quo optima fide, & putatitio pro Eccleſia Catholica zelo propugnaretur, id quod poſſet contingere, ſi novellus Theologiæ Catholicæ Candidatus incideos in propoſitionem Cypriani, *Hæreticarum baptiſma eſt invalidum*, ſanctique Patris authoritata ac argumentia ſuccenſus, eam contra obvium conſcholatem tam diu tueretur, donac a Profeſſore audiset contrarium ab Eccleſia eſſe dudum definitum, quo audito vela contraheret; is enim certa daſaodarat propoſitiooem hæreticam, hæreticus eſſet oon item, quod eam cum *pertinacia* contra definitionem Eccleſiæ non defenderit. Et hanc pertinaciam io voluntate præter errorem in intellectu requiri, ot aliquis dicatur formalis hæreticus, agnoveruot cum Imperatores, tum Canones, tum Patres. Nam ſupra citatus Arcadius, L. 13. cap. *de paganis*, hæreticos eos vocat, qui a Catholicæ Religionis dogmate deviare *contendunt*. Et S. Auguſt. rel. 24. q. 3. c. 29. inquit: *Qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed a ſeductis, atque in errorum lapſis Parentibus acceperant, quærunt autem canta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint; nequaquam ſunt inter hæreticos computandi*. Et hinc Concilium Lateraoenſe ſub Innoc. III. in cap. 2. *de ſumma Trinitate*, damnatis opinionibus Abbatis Joachim, ipſum nihilominus hæreticum haud declaravit, *cum omnia ſua ſcripta nobis* (ait Pontifex) *aſſignari mandaverit Apoſtolicæ Sedis judicia approbanda, ſeu etiam corrigenda*. Hinc probatum Canoniſtis Axioma: *non error, ſed erroris pertinacia hæreticum facit*. Et hæc ad rite formandas claras & diſtinctas ideas de hæreſi, hæreticoque formali in ſenſu Eccleſiæ Catholicæ allata ſunt. Quod autem definitio data hæreſis naturam eſſentiamque, qualis in moderna providentia exiſtit, habeat, hiſtorico, eoque invicto argumento jam demonſtrandum.

6. Sola definitio Hæreſeos, prout in Eccleſia Dei exiſtit ſecundum providentiam atque œconomiam a Deo electam, quam aſſeruot unanimiter Doctores Catholici, bona, ſacræque Scripturæ conformis eſt.

Propoſitio in aprico erit, ſi axiomata N. 3. inſinuata, unde pendet datæ definitionis bonitas, probaverimus in ſavorem Catholicorum: ſunt autem ſequentia tria. Primum: *Quod ſacra Scriptura multis in locis ſit obſcura, intellectuque difficilis*. Secundum: *Quod Deus incommodis, ex hac obſcuritate, quam in verbo ſuo ob altiores fines ſervare voluit, controverſiis nempe ex naturali genio hominum, quorum tot ſolent eſſe ſententiæ, quot capita, circa genuinum ſenſum ejuſdem Scripturæ oritaris, non voluerit violenta illa, ac ingenio humano prorſus incongrua inſpiratione privata ſuccurrere*. Tertium: *Quod id præſtiterit naturali ac docibilitati hominum magis convenieute ratione, danda aſſiſtentiam ad ſenſum a ſe in littera ad nos directa infallibiliter attingendum vel ipſi etiam Capiti Eccleſiæ, vel Eccleſiæ cum eodem capite legitime congregatæ, aut tacite conſpiranti*; cujus judicio quod definitur, eo ipſo ejuſdem verbo ſcripto traditove conforme ſuppooitur, cui ſi quis pertinaciter reſiſtat, hoc ipſo a ſenſu per verbum ſuum ſcriptum traditumve aberret, & conſequenter hæreticus evadat, ſit neceſſe.

7. Jam vero ſcripturam plurimis in locis eſſe obſcuram duobus argumentis, uno ex ſcriptura, altero ex irrefragabili experientia deſumpto demonſtrari poteſt.

Quod ſcripturam attinet, primo Lucæ 18. v. 34. dicitur. *Et ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*. 2. Lucæ 24. v. 45. *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas*. 3. Actor. 8. v. 31. ait Eunuchus legens ſcripturam ad Philippum, *Et quomodo poſſum intelligere, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Hinc non ſemel diſcipuli Dominum rogaveruot, ut ediſſereret eis parabulas, quas ad turbas dixerat. Sed rem conficit teſtimooium Petri, qui ep. 2. v. 16. de epiſtolis Pauli ſermonem inſtituens ait: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*. Quibus ſcripturæ locis, eam obſcuram ſole meridiano clarius teſtantibus, in vanum opponunt Proteſtantes primo textum Joannis 5. v. 38. ubi Chriſtus Judæis, *Scrutamini*, inquit, *ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me*. Nil enim aliud voluit Chriſtus incredulis inculcare, quam ut Prophetarum oracula diligenter luſtrent, in ipſis inventuri, eum eſſe Meſſiam futurum, qui ea opera eſſet facturus, quæ ille in conſpectu omnium fecit, & ad quorum teſtimonium v. 36. provocat, quorum conſpiratione de ejus Miſſione convincendi ſint; quod certe non eſt declarare ſcripturam claram ubique & apertam eſſe. Nec majoris momenti eſt alter locus, quem adducere ſolent ex Act. 17. v. 11. ubi de nobilioribus Judæorum Theſſalonicenſium dicitur: *Qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*. Cum enim Paulus & Silas annuntiantes Chriſtum eſſe Meſſiam in lege promiſſum, ejus acta referre omnes notas, a Prophetis ad eum cognoſcendum prædictas, contenderent, Judæi in his circumſtantiis non tenebantur ipſis cæco modo credere; hoc enim impeudentiæ ſpecies extitiſſet, niſi tacta a Deo eorum corda fuiſſent, cum multi jam tunc extiterint Pſeudo-Apoſtoli; ſed ſcrutabantur ſcripturas, an ita ſe res haberent, prout a Paulo & Sila annuntiabantur. Nec Catholici negant ſcrutari poſſe ſcripturas, quin deberi in gratiam evangelicarum veritatum; ſed quod contendunt, eſt, ſolam ſcripturarum ſcrutationem ab Eccleſiæ membris ſingillatim factam non eſſe infallibilem, nec ſufficere ad conſervandam unitatem fidei, morumque in Eccleſia, ſeu generalem ejus œconomiam, id quod experientia docet, & probatio ſecundi axiomatis demonſtrabit.

Quod vero experientia doceat ſcripturas multis in locis eſſe obſcuras, conſtat ex hæreſibus omnium ſæculorum, præſertim vero modernarum; omnes enim Hæretici, quorum Catalogum infra texemus, ſe claris ſcripturæ textibus niti pertinaciter affirmabant, & quis Calviniſtarum modernorum non cenſet Verbum divinum aperte ſuæ ſectæ patrocinari? quis Lutheranorum e contra admittet non patrocinari ſuæ? & Anabaptiſtæ ſuæ? novi Sociniani ſuæ? Schwenkfeldiani, Puritani, Preſbyteriani, Antipreſbyteriani, Hernhuteriani, & reliquorum colluvies non item ſuæ? Unde ergo tam variæ, tam miræ diſſenſiones, ſi ſcripturæ ubique ſole ſunt clariores? unde tot rixæ, tot contentioſæ diſputationes, ſi eædem ſcripturæ controverſiarum ſimul ſunt teſtis & judex?

8. Deum quoque Controverſiarum Supremum

Judi-

Digitized by Google

Judicem non conſtituiſſe ſpiritum privatum, eadem ſcriptura, atque experientia docent.

Scriptura quidem, quia Matthæi 18. v. 20. dicitur: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*. Et v. 17. Si non audierit eos (teſtes frater in fide, vel moribus errans) dic Eccleſiæ, ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus. Experientia vero ex illico relatis hæreticorum præſertim noſtri temporis diſſenſionibus. Unde enim quæſo tam diſcordantes & irreconciliabiles in ſentiendo diſcipuli, ſi ſpiritus privatus eſt infallibilis Magiſter? Certe vel ex hoc ipſo Catholici merito ſubodorant ſpiritum illum privatum eſſe ſpiritum mendacii, quem poſuit Deus permiſſione ſua in oribus omnium horum Prophetarum. Per Spiritum ergo communem Deus Corpori Eccleſiæ in Concilio Generali congregato, œconomiæ ejus, ac conſervationi in fide providere debuit; quod evincet tertium Argumentum.

9. Deum ergo ſapientiſſimum, qui ſicut in omnibus a fine ad finem attingit fortiter, ſuaviterque cuncta diſponit, ita ſingulari providentia ob iteratas toties a Chriſto promiſſiones Eccleſiam gubernat in iis, quæ fidem concernunt, & mores; non voluiſſe, ut controverſiæ, a quarum terminatione toties pendere debebat ipſa Eccleſiæ in fide ac moribus unitas, decretorie deciderentur, vel ſola ſcripturæ authoritate, vel ſpiritu privato genuinum ejus ſenſum explicante; ſed hanc Provinciam toti corpori, legitime congregato, ac S. Spiritus aſſiſtentia fulto dediſſe; præter argumenta deſumpta ex ſacris litteris, atque ipſa experientia, ipſa regiminis, Deo reſpectu Eccleſiæ ſuæ convenientia, ratio, & ipſa perpetua Eccleſiæ perſuaſio ac praxis, quæ argutiunculas Proteſtantium effugiaque omnia præcludit, invicte demonſtrat.

Et quod primum argumentum attinet, in aprico eſſe videtur, ſi Deus ſcripturam ſolam, vel ſpiritum privatum ſupremum controverſiarum fidei conſtituiſſet judicem, regimen Eccleſiæ ab eo ordinatum omnium regiminum longe miſerrimum eſſet; Deum autem minus curium eſſe ſuæ ſponſæ, quam Principem morigerum ſubjecti populi quis credat? eſſet autem in caſu, cum enim ſcriptura ſit judex mutus, ſicut in Republica lex, quemadmodum malevoli Advocati dextre norunt leges in partem ſuam trahere, eiſque per alias leges apparentiam multam dare; ita etiam malevoli homines textus ſacræ ſcripturæ ad ſuam hæreſim confirmandam gnaviter applicare, eiſque ex aliis ſcripturæ locis colorem appingere noſſent; & ſicut iidem Advocati, ſi deciſivæ ſententiæ per Judicem latæ non deberent acquieſcere, lites in infinitum protraherent, eſto Petri cauſam hi privati homines veram dicerent, alii cauſam Pauli; ita in ſyſtemate ſpiritus privati, & in caſu ſchiſmatis, ſi Deus Providentiſſimus non ordinaſſet tribunal *authoritativum*, cujus ſententiæ definitivæ ultimo acquieſcendum eſſet, ſchiſmata in Eccleſia omnino eſſent perpetua, nunquam terminanda; cum enim in dicto ſyſtemate omnes eſſemus æquales, quilibet jactaret ſe habere æque ſpiritum privatum ac alter, habere ſcripturam clare ſibi faventem, ac alter, quod miſerrima experientia mox inſinuata, præſertim apud tot ſectas poſt Lutheri a Catholica fide defectionem non tam loquitur, quam clamat. Et quamvis etiam in Catholico ſyſtemate, in quo defendimus Eccleſiam cum ſuo capite legitime congregatam eſſe ſupremum ac infallibilem controverſiarum Judicem, non omnia ſchiſmata ſint compoſita, cum videamus in Oriente adhuc Superſtites Arianos, Neſtorianos, Eutychianos per Concilia generalia dudum anathematizatos, & Proteſtantes poſt Concilium Tridentinum in ſuis opinionibus heterodoxis perſeverent; grandis tamen noſtrum inter & illorum ſyſtema eſt diſparitas, quantum ad juſtificandam gubernationem Dei reſpectu Eccleſiæ; in noſtro enim aſſumpto diſordines iſti non refunduntur *in regimen a Deo inſtitutum*, utpota quod de ſe natum aptum eſt diſcordiis finem imponere, cum ipſum rationis lumen dictet, quemlibet privatum debere accommodare ſenſum ſuum ſenſui totius corporis, & hinc bene cenſeatur ordinata Reſpublica, quæ principio iſti Luminis naturalis innititur, eſto in illa vitio civium confuſiones nihilominus oriantur; ſed in malitiam hominum perverſorum, præſertim cum Deus toti Corpori Eccleſiæ contulerit infallibilitatis donum, quod non tantum infra ex perpetua Chriſtianorum perſuaſione demonſtrabitur, ſed hic etiam ex eo adſtrui poteſt, quod, cum Reſpublica Eccleſiæ non regatur regulis naturalibus, ſed revelatis, quarum ſenſum acumine rationis non licet attingere, Dei ter optimi maximi & ſapientiæ & in ſponſam ſuam amori tribuendum ſit, de medio eidem providiſſe efficaciſſimo, ad terminandas omnes fidei controverſias ſalva hominum libertate, quam gratiis ſuis nunquam lædere voluit, conſtituendo tribunal, ſeu Eccleſiam in unum congregatam, *ſummæ authoritatis*, ac ſimul *omnigenæ* circa ea, quæ ad fidem ac mores immediate pertinent, *infallibilitatis*. E contra in Proteſtantium aſſumpto diſordines dicti refunderentur *in ipſum regimen a Deo inſtitutum*, cum ſpiritus privatus nulla ad finiendas controverſias polleret authoritate, ut ex dictis manifeſtum eſt, nec conſequenter ejus infallibilitas pondus quodpiam iiſdem terminandis ex eadem ratione præberet, ut manifeſta docet experientia. Quemadmodum ſi Princeps optimis quidem legibus provideret Rempublicam, cuilibet tamen ex ſubditis liberum relinqueret eas interpretandi, ac juxta interpretationem eandem vitam ſuam inſtituendi, confuſiones in Republica ortæ in ipſius Principis gubernationem redundarent. Et hinc vel ex relatis argumentis perſpicere deberent cordati Proteſtantes, quam arenoſo nitatur fundamento eorum primipilorum de claritate ſcripturæ, de ſpiritu privato, de inviſibili Eccleſia ſententia, meritoque ſuſpicari, primos illos novatores, has opiniones, divinæ circa Eccleſiam providentiæ tam injurias, non alio fine adoptaſſe, coloratiſque argumentis propugnaſſe, quam ut earum patrocinio authoritatem Concilii Tridentini eluderent; ac tandem ſerio cogitare, quod in his tribus cardinibus controverſiarum veris vel falſis adſerendis vertatur cardo æternæ vel ſalutis vel damnationis.

At ut longe ponderoſius argumentum, quodque quemlibet ſalutis æternæ cupidum movere deberet, ſupereſt ad probandum Deum Eccleſiam ſuam legitime congregatam, vel tacite conſpirantem conſtituiſſe ſupremum ac infallibilem controverſiarum Judicem, hancque ad uſque iſtos Novatores totaliter ignoraſſe ſcripturarum omnigenam claritatem, ſpiritum privatum, ac Eccleſiam inviſibilem, & hinc illum conſtanter judicaſſe hæreticum, qui Verbo Dei *ut per illam* declarato aſſentiri renuit, idquod vult data a Catholicis hæreſeos hæreticique definitio, imterum conſtans ac perpetua ejuſdem Eccleſiæ praxis, ab omnibus Catholicis omnibus ſæculis, quin ab ipſis Proteſtantibus initio prætenſæ reformationis, dum ad futurum Concilium provocarunt, approbata, qua ſimiles controverſiæ a primo Concilio Apoſtolorum circa legalia celebrato adusque Concilium Tridentinum per viſibilem Eccleſiam conciliariter deciſæ ac terminatæ ſunt. Id quod in apricum ponetur, dum muneri noſtro ſatisfacientes hæreſes omnium ſæ-

culorum, earumque damnationes conciliares ordine chronologico adferemus; ex quarum relatione notas hæreſeos genuinas, atque characteres, ex quibus Romano-Catholica Eccleſia clare agnoſcitur in doctrina Apoſtolica conſtanter perſeveraſſe, benevolus Lector agnoſcet.

10. Aſcendente Domino in cœlum, miſſoque ſuper Apoſtolos Spiritu Sancto, hiſque prædicantibus congregata eſt primum Jeroſolymis Chriſti Eccleſia.

Actor. 2. v. 41. *Qui ergo receperunt ſermonem ejus* (Petri) *baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.*

11. Hæc Dei Eccleſia diligenter auſcultabat Evangelium Chriſti, quod non ſcripto, ſed ore eidem annuntiabant, ejuſque ſenſum explicabant Apoſtoli, atque in eorum doctrina perſeverabant.

Ibidem v. 42. *Erant autem perſeverantes* (Diſcipuli) *in Doctrina Apoſtolorum, & communione fractionis panis, & orationibus.* Quod autem Evangelium aliquot annis non ſcripto, ſed ore tradiderint Apoſtoli, inde patet, quod Matthæus, qui primus omnium ſcripſit Evangelium, illud litteris non conſignaverit ante annum Æræ Chriſtianæ 43. adeoque 10. poſt Chriſti mortem annis; tot ergo ſaltem annis Chriſti Eccleſia regebatur ſine Evangelio ſcripto, ſola traditione, pluribus ſine reliquis Evangeliis, Apoſtolorumque Epiſtolis.

12. In hac ipſa tamen Eccleſia ortæ jam ſunt controverſiæ circa fidem, & diſciplinam.

Quidam enim deſcendentes de Judæa docebant fratres (converſos nimirum Antiochiæ ex gentibus) *Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Actor. 15. v. 1. & v. 5. narratur: *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes; quia oportet circumcidi eos* (converſus ex gentibus), *præcipere quoque ſervare legem Moyſi.*

13. Has controverſias Deus oriri permiſit in Eccleſiæ primordio, ut fideles inſtrueret, quomodo impoſterum deberent dignoſcere hæreſim, & quomodo controverſias fidei dirimi vellet in ea.

Suſpectam de hæreſi doctrinam fidelibus eſſe debere illam indicavit, quæ communi fidelium ſenſui nova, oppoſitaque Patrum communi traditioni videretur. Nam cum Paulus & Barnabas Antiochenis prædicaſſent *fide in Chriſtum ſalvos futuros per baptiſma*, atque Neo-converſi in hac doctrina perſiſterent, quamprimum Judaizantes illi Apoſtoli de Judæa deſcendentes docere volebant fratres *circumciſione* ſuper opus eſſe ad ſalutem; ſubito *facta eſt ſeditio non minima Paulo & Barnabæ adverſus illos* v. 2. nova enim ipſis videbatur hæc doctrina, atque traditioni ſuorum Apoſtolorum oppoſita. Et hanc hæreſeos notam evidenter conſpicimus in ſubſequentium ſæculorum hæreſibus; fideles enim e. gr. ab Apoſtolis erant edocti, Deum eſſe unum in ſubſtantia, & trinum in Perſonis æqualibus omnimode, ſeu conſubſtantialibus inter ſe, atque in hoc ſenſu eſſe accipiendas Evangelicas Apoſtolicaſque authoritates ex Patrum traditione communiter perſuaſi erant Sæculo quarto, atque in quieta poſſeſſione hujus perſuaſionis Deo deſervierunt. Quamprimum ergo eodem Sæculo Arius dogmatizare contra Verbi æterni divinitatem, quamprimum Sabellius Perſonarum divinarum realem diſtinctionem impugnare, denique Eunomius Spiritum S. creaturam effutire cœperunt, communis fidelium ſenſus ſubito alterari, novumque aliquid ac Patrum traditioni, communique ac quietæ fidelium anteceſſorum perſuaſioni oppoſitum ſuſpicari, ac deteſtari cœpit, quæ nota emicuit mirabiliter in omnibus hæreſibus poſtliminio exortis uſque ad ipſam prætenſam Proteſtantium reformationem; dicebanturque illi, qui in communi & quieto fidelium ſenſu a Patribus accepto perſeverabant, *Catholici*, qui vero novum hominis perverſi doctrinam amplectebantur, hæretici, atque ab authoris nomine vel Ariani, vel Sabelliani, vel Eunomiani &c. Vide Præfationem in hunc tomum (1).

Quemadmodum vero controverſiæ in Eccleſia poſt hanc *de legalibus* orituræ dirimi deberent, in præſenti caſu oſtenderunt Apoſtoli, vel potius Spiritus S. per illos. Audita enim Pauli & Barnabæ narratione, & Phariſæorum de legalibus imponendis converſis ex gentilitate contentione, Concilium Jeruſalymis congregantes v. 6. cauſam delatam diligenter diſcutientes, ac denique hæreſim Phariſæorum condemnantes v. 24. & ſeqq. ſimulque Spiritus S. aſſiſtentiam non ſingulis privatis, ſed Eccleſiæ in unum congregatæ a Chriſto promiſſam aperte teſtantes his verbis v. 28. & 29. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria; ut abſtineatis vos ab ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & fornicatione, a quibus cuſtodientes vos bene agetis.* Quæ dirimendi controverſias fidei forma conſtanter obſervata fuit in Eccleſia uſque ad Concilium Trid. incluſive, & qui definitioni Conciliorum legitimorum acquieſcebant, *Catholici*, qui vero eidem refragabantur, *Hæretici* omnibus ſæculis dicebantur. Quæ concilia cum ſemper habita fuerint in Eccleſia Romano-Catholica, Præſide Romano Pontifice, patet apud illam ſolam Apoſtolicam Doctrinam, Fidemque orthodoxam perſeveraſſe, aperteque Dominos Proteſtantes ob ultimo Concilio œcumenico Tridentino anathematizatos ſortem antiquorum hæreticorum, hac judicii forma a Spiritu S. præſcripta, condemnatorum incurrere. Quod enumeratione hæreſum omnium ſæculorum, earumque condemnatione jam elucidandum. Quas ex Natalis Alexand. hiſtoria Eccleſiaſtica compendiabimus, errores præcipuos, eos præſertim, quos Proteſtantes noſtri ab ipſis vel ex parte, vel ex toto adoptarunt, adnotando, & poſteriores quidem in gratiam Lectorum diſtinctis characteribus. Anguſtia autem præſentis operis non patitur, ut ſcriptorum hos errores recenſentium teſtimonia, ſicut & Patrum, qui eos confutarunt, lucubrationes citemus. Quæ proinde citata & relata videri poterunt in cit. hiſt. Eccl. ejuſdem Natalis.

14. Sæculo I. ex Viris de gremio Eccleſiæ exſurrecturis, locuturiſque perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe, juxta vaticinium Apoſtoli Act. 20. v. 30. fuerunt Simon Magus, Menander, Saturninus, Baſilides, Cerinthus, Ebion, & Nicolaitæ.

Simon Magus Samaritanus erat, Gethis oriundus, inter XII. ejus errores, a Natal. Alexand. Sæc. 1. cap. 11. enumeratos, princeps fuit, quod docuerit ſemetipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi filius apparuerit; in Samaria autem quaſi Pater deſcenderit; in reliquis vero gentibus quaſi Spiritus Sanctus adventaverit, teſte S. Irenæo lib. 5. *adv. hæreſ.* c. 20. quod S. Aug. lib. *de hæreſ.* c. 1. paulo aliter refert. Proteſtantium vero dogma de bonis operibus errore 6. Simonis continetur, quo prætendit hæreticorum Patriarcha, *Secundum ipſius gratiam ſalvari homines, non ſecundum opera juſta.* Præluſit idem Simon per principem ſuum errorem Sabellianis, & per tertium, legem nimirum non a Deo eſſe, ſed a ſiniſtra quadam intelligentia latam, Marcionitis & Manichæis. Confutatus eſt Simon ac ex aere proſtratus Romæ per S. Petrum; ubi *ſtatua & inſcriptio-*

(1) *Vide Typographi Præfationem.*

ptione S. Dei donatum fuiſſe ob celebritatem nominis per artem magicam ſibi comparatam, ſcribit Tertullianus Apologetici c. 13.

Menander Simonis Magi diſcipulus, pariter Samaritanus circa A. 74. Veſpaſiani Imperatoris tertio Eccleſiam ſua hæreſi infeſtavit; Simonis errores, & præſtigia ſequendo, majorem ſe inſuper Præceptore ſuo jactitabat, atque Salvatorem mundi prædicabat, immunitatem a ſenio & morte atque ereptionem a Dominatione Angelorum, quos conditores hujus mundi aſſerebat, illis promittebat, qui ejus baptiſmate ſe curarent initiari. S. Juſtinus, Iren. Tertull. Euſebius, Epiph.

Saturninus genere Antiochenus Menandri Diſcipulus in Syria ſcholam erroris & impietatis conſtituit, teſtibus iiſdem Patribus. Ejus hæreſim referunt Annales ad A. 120. quamvis cum ipſa Menandri impietate ortam ex eo ſuſpicari liceat, quod Saturninus, ſicut & Baſilides ejuſdem diſcipuli fuerint. Ejus ſyſtema fuit, Angelos aliaſque poteſtates ab uno Patre prorſus ignoto provenire, ſeptem ex horum numero mundum condidiſſe, hominemque finxiſſe quoad corpus, cui divina virtus ſcintillam vitæ immiſerit; Judæorum Deum unum ex Angelis eſſe, Salvatorem vero de communi virtutum ſententia a Patre miſſum, ut & Judæorum Deum in ordinem redigeret, & iis, qui ſibi crederent, ſalutem afferret. Homines alios natura bonos, alios natura malos ab Angelis conditos aſtutiit; Marcionique, ac Manæti præluſit, Chriſtum ingenitum, incorporeum, & informem primus aſſerendo, ſpecieque potius, quam re ipſa apparuiſſe hominibus, omniaque ab ipſo ſpecietenus ſolum peracta. Nuptias & generationem hominum ex dæmonis doctrina profecta, primus inter hæreticos propugnavit.

Baſilides genere Alexandrinus Condiſcipulus Saturnini, Menandri auditor, in Ægypto eo tempore, quo Saturninus in Syria, hæreſeos ſuæ venena ſparſit. Syſtema Saturnini, a Menandro hauſtum, circa unum ingenitum Principium, a quo Angeli, & ab his mundus hic aſpectabilis cum hominibus prodiiſſet, determinatius explicabat, aſſerens ingenitum illud principium, quod barbaro vocabulo Abraſax nominabat, procreaſſe mentem, ab hac vero procreatum verbum, a verbo prudentiam, ab hac virtutem & ſapientiam prodiiſſe, ab utraque porro conditos fuiſſe Principatus, Poteſtates, & Angelos: ab his ſupremum cœlum conditum, & alios rurſus Angelos propagatos; ab illis alterum cœlum, & alios rurſus Angelos, atque ita deinceps, donec 365. cœli cum ſuis habitatoribus perfecti eſſent. Ultimi vero cœli habitatores hunc mundum condidiſſe. Sicut & illud de Chriſti phantaſtica apparentia, cujus loco Simonem Cyrenæum dixit crucifixum, errore inter viginti & unum undecimo præluſit Montaniſtis, aſſerens non omnia peccata dimitti a Deo, ſed ſola involuntaria; Priſcillianiſtis vero errore 16. quo diſcipulos ſuos docuit ejerata Deum, nec peccare contra illud ſcripturæ, Qui negaverit me &c. Baſilidis, Menandri, & Simonis diſcipulos negaſſe realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, adeoque Sacramentariorum Proto-Parentes eſſe colligitur ex Ep. S. Ignatii ad Smyrnenſes, ubi ait: *Euchariſtiar & oblationer non admittunt, quod non confiteantur Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſua benignitate ſuſcitavit.* Docuit præterea non eſſe alias peccatorum pœnas, niſi tranſmigrationem animarum poſt mortem corporis.

Cerinthus Philoſophiæ in Ægypto operam dedit: deinde Hieroſolymis, Cæſareæ, Antiochiæ frequenter Apoſtolis reſtitit. Hunc eſſe, qui ſub Apoſtolis quæſtionem illam movit de circumciſione, ac cæteris legis Moſaicæ adhibendis cæremoniis, ad quam diſceptandam Concilium Hieroſolymitanum ab Apoſtolis habitum eſt, ſcribunt Epiphanius hæreſi 28. & Philaſtrius lib. de hæreſ. in Cerintho. In Aſiam profectus virulentam doctrinam profudit. Syſtema Menandrinum circa conditores mundi a ſummo principio diſtinctos ſuſtinuit. Legem cum Evangelio neceſſario ſervandam eſſe ad conſequendam ſalutem docuit. Ebioni & Neſtorio præluſit, Jeſum merum hominem ex Maria & Joſeph procreatum aſſerendo, in quem jam adultum Chriſtus a Summo Deo dalapſus deſcenderit. Millenariis item prævivit affirmans, poſt reſurrectionem carnis humanæ regnum Chriſti terreſtre futurum, & Hieroſolymis homines carnis voluptatibus, & cupiditatum illecebris ſerrituros. De hujus Cerinthi cum Joanne Apoſtolo congreſſu memorabile quiddam narrat Euſebius ex S. Irenæo; Joannem ſcilicet cum lotum ad Balnea veniſſet, animadverſo, qui tum eodem acceſſerat, Cerintho, ſtatim ſe inde proripuiſſe, dicentem: *Fugiamus extemplo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hoſtis moratur, ſubito corruens nos opprimat.* In multis ergo diſcrepavit a ſuis prædeceſſoribus Cerinthus.

Errores Cerinthi majori ex parte adoptavir Ebion, eoſque in Aſia, nec non Romæ, in Syria, Nabathæa, & Moabitide diſſeminavit teſte S. Epiphanio, & hinc Chriſtum ſimplicem, vulgarem, & ſolum hominem cenſuit ex Joſephi cum Maria conſortio genitum. Ebionitæ tamen ſubinde admittebant ex Virgine & Spiritu S. natum, non tamen ſimul Deum. Moſaicos Ritus cum Chriſtiana Religione conjunxit. Luthero præluſit, *divortia matrimonii ad libitum fieri permittens*, ac novum inire matrimonium ad tertias & ſeptimas uſque nuptias.

An hæreſis Nicolaitarum auctor fuerit Nicolaus unus e ſeptem Diaconis, in dubium revocatur; nonnulli ex antiquis ipſum hæreſeos caput aſſerunt, alii hanc ab ipſo labem depellunt. Cæterum turpiſſima fuit Nicolaitarum ſecta; utpote qui promiſcuos mulierum ampiexus, & magis obſcœna tum peregere, tum docuere; quos poſterioribus ſæculis imitati ſunt hæretici Adamitæ, & nunc imitari dicuntur Quietiſtæ ac Hernhuteriani. Eorum etiam ſoboles exiſtimatur Gnoſticorum hæreſis ex S. Epiphanio &c. Quidam ex iis ſyſtema creationis mundi aliter explicabant, ac Menander, Saturninus, & Baſilides; namque ajebant, initio tenebras ac voraginem fuiſſe, & aquas, deinde a ſpiritu ſecretas: verum tenebras contra ſpiritum commotas, ſurſum excurriſſe, & cum eo congreſſas fuiſſe. Ex hoc conſortio prodiiſſe Matricem quandam, quæ rurſus eidem ſpiritui juncta quatuor Æones peperit. Hi quatuor alios procrearunt, dextram & ſiniſtram, lucem & tenebras. Ex his, inquiebant, natus eſt turpis Æon: ex cujus cum præfata Matrice conſortio, Dii, Angeli, homines, & ſeptem ſpiritus dæmoniorum ortum habuere. Hæc hæreſis damnatur Apoc. 2. cap. ubi Angelo Epheſi ſcribere jubetur S. Joannes: *Scio quia odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi.* Ex dictis vero conſtat, hæreticos hujus ſæculi principes Catholicæ fidei articulos, qui ſunt de Deo Uno & Trino, de mundi creatione, gubernatione, ac redemptione, aggreſſos fuiſſe, ac proinde ab ipſis Apoſtolis confutatos, ut produnt eorum epiſtolæ, præſertim a S. Joanne, qui, ut teſtatur Hieronymus de ſcript. Eccl. *Noviſſimus omnium ſcripſit Evangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, adverſus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: unde & compulſus eſt divinam ejus nativita-*

tem

Digitized by Google

tem edicere. Quemadmodum & id, quod *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt*, ut habet initio divini ſui Evangelii. Hujus vero & ſequentis ſæculi hæretici erant pene omnes magi & malefici, in omnem libidinem effuſi, ac fanatici.

55. Sæculi II. hæreſes fuerunt, Helceſeitarum, Carpocratis, Gnoſticorum, Cerdonis, Marcionitarum, Valentinianorum, Encratitarum, Montaniſtarum ſeu Cataphrygum, Bardeſanis, Theodoti Coriarii & Artemonis, Apellis, Adamitarum, Ophitarum & Sethianorum, Cainanorum, Hermogenis.

Helceſeitarum hæreſis Auctor fuit Elxai pſeudopropheta, qui ad Oſſenos (Judaicam hæreſim) Trajano imperante ſe adjunxit. Sampſæi quoque dicti ſunt Helceſeitæ. Inter alia errorum capita, Chriſtum in Creaturarum ordinem redigebant. Spiritum S. ſexu fœminam & Chriſti ſororem effutiebant. Et Luthero præludentes, *Virginitatem oderant, damnabant continentiam, nuptias imperabant*.

Carpocrates genere Alexandrinus circa creaturas corporeas ab Angelis creatas ſenſit cum Menandro, tranſmigrationem animarum admiſit cum Baſilide, omne genus libidinis licitum eſſe docuit cum Nicolaitis.

Carpocratis diſcipuli nefandarum in velamen obſcœnitatum ſibi ſpecioſum nomen *Gnoſticorum*, ſeu cognitione præditorum indiderunt; libidinum prorſus monſtra exercuerunt hæ beſtiæ rationales; ac inter cætera errorum capita ex Baſilidis errore 365. cœlos ab Angelis ordine genealogico conditos fingentis, principes 369. ceu minores Deos invehebant, cuique cœlo inſidentes, & Chriſtum in octavo collocabant cum Barbelone ſeu univerſorum parente. Chriſtum negabant de Maria natum cum Saturnino & Baſilide, neque carnem aliter quam ſpecie ipſa ſuſcepiſſe. Cum eodem Baſilide negabant carnis reſurrectionem. Proteſtantibus præluſerunt, *deridendo eos, qui Monaſticum vitæ genus amplexi eſſent, aut caſtitatem profiterentur, quod fruſtra id ſibi imponerent moleſtiæ & laboris*. *Jejunia* item *damnanda & execranda*. Denique ex fœtu informi, abortione projecto, nefarium ſacrificium & epulum offerebant, ac parabant Gnoſtici, quibus ſceleribus majora, quam ulla hæreſis, damna intulerunt Eccleſiæ Catholicæ; nam Ethnici, cum tot flagitia ſcirent a Gnoſticis perpetrari, qui de Chriſtiano nomine gloriabantur, illa etiam a Chriſtianis veris perpetrari ſibi perſuadebant, eas ipſis exprobrabant, & perverſa de Religione noſtra opinione decepti eam execrabantur ut ſectam flagitiis deditam, & impuris myſteriis deformem, teſtibus Irenæo, Euſebio, Epiphanio, aliiſque veteribus Authoribus Eccleſiaſticis; a quorum nefariis moribus ut purgarent, ac immunem teſtarentur Catholicorum cœtum, Apologias ſuas conſcripſerunt Juſtinus, Tertullianus, Minutius Felix &c. Gnoſticæ hæreſeos arcana Epiphanius ad Epiſcopos detulit, & illorum ignota hactenus nomina detexit. Ex quo factum eſt, ut 80. fere capita exulare juſſa urbem a lolio ſpiniſque repurgatam reliquerint.

Cerdo ſæpe excommunicatus, ſæpe ad Eccleſiam reverſus, atque acta pœnitentia reſtitutus circa Sæculi II. medium e Syria Romam profectus, hæreſim ſuam ſpargere cœpit. Hic Saturnini errorem de Judæorum Deo Angelo continuavit, & auxit, aſſerens Deum a lege & Prophetis prædicatum, non eſſe Patrem Domini noſtri J. C. Illum enim cognitum, hunc autem obſcurum & ignotum: illum juſtum & ſeverum, hunc bonum & benignum fuiſſe; & hinc oppoſite ad errorem Cerinthi vetus teſtamentum tanquam alienum a Deo rejecit; Chriſtumque a Patre ignoto ideo de cœlo miſſum fuiſſe, ut Dei Judæorum, ſeu mundi Conditoris imperium ac tyrannidem everteret; non tamen de B. V. natum, ſed carne ſolum phantaſtica circumdatum. Damnatus fuit hic Hæreſiarcha a S. Apollonio Corinthiorum Epiſcopo in Synodo Orientali.

Marcion patria Ponticus, Epiſcopi Catholici & pii filius, in Philoſophia Stoica enutritus, poſtea ob ſtuprum a Patre de Eccleſia ejectus, Romam fugiens ſub Aniceti Papatu circa A. 167. atque in communionem Romanæ Eccleſiæ ſubrepere fruſtra conatus, Cerdoni ſe adjunxit, illumque audivit impietatis Magiſtrum. Syſtema Saturnini, qui Deum Judæorum aſſerebat unum ex Angelis mundi conditoribus, quem Cerdo Deum juſtum & ſeverum prædicavit, perpolivit impius Marcion, atque duos Deos ex æquo admiſit, unum bonum, alterum malum, cui mundi hujus aſpectabilis creationem tribuit; & hinc duos Chriſtos pariter admiſit, quorum alter apparuit Tiberii tempore, videlicet noſter, alter vero a Creatore promittatur, ad reſtitutionem Judaici ſtatus, quandoque venturus, ſcilicet Anti-Chriſtus. Ex principio vero, Deum malum eſſe mundi aſpectabilis Fabricatorem, negabat Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe, item reſurrectionem corporum. Item ex alio, nimirum eundem eſſe veteris teſtamenti Authorem, dicebat ejuſdem violatores a Chriſto eſſe ſalvatos, obſervatores damnatos. Tranſmigrationem animarum in alia corpora etiam ſtatuit ex negata reſurrectione. Baptiſmum verbis Evangelicis non contulit, & tertium etiam ad peccata diluenda conceſſit. Creaturas omnes aſpectabiles execrabantur Marcionitæ tanquam a malo Deo conditas, & hinc virginitatem prædicabant, quod carnem a malo Deo exortam propagari ulterius non debere aſſererent, & ex eodem capite proni in martyria ruebant. Myſteria ſua in aqua celebrabant. Marcioni demum pœnitentiam flagitanti ea conditione ab Eccleſia promiſſa fuit, ut ad illam reduceret, quos abſtraxerat, ſed morte præventus eam implere non potuit.

Valentinum Epiſcopatus ambitio, cujus repulſam paſſus fuerat, ad hæreſim confingendam impulit, cujus doctrina ſicut teſte Irenæo omnium præcedentium hæreticorum recapitulatio fuit, ita inſanam Gnoſticorum de Æonibus fabulam ad ſcholæ artes in ſyſtema erexit, quod longum hic eſſet recenſere. Tria hominum genera præterea finxit, terrenum, animale, & ſpirituale, quorum ultimum ſe eſſe jactitabant Valentiniani, Catholicos animales, & *idcirco ipſos fide & operibus bonis ad conſequendam ſalutem indigere*, (teſtimonium efficax Chriſtianos Catholicos Sæculi II. bona opera ſalutis æternæ eſſe meritoria credidiſſe) *ſibi vero cognitionem ſufficere*, in ſpiritu Lutherani edixerunt. Contra Saturnini, Baſilidis, Cerdonis, & Marcionis opinionem de carne Chriſti phantaſtica, primus ſenſit Chriſtum Dominum corpus de cœlo attuliſſe, ac tanquam aquam per fiſtulam per Mariam Virginem tranſiiſſe, nec quidquam ex ejus utero ſumpſiſſe. Proteſtantibus præluſerunt Valentiniani *rejiciendo Traditiones* teſte S. Irenæo lib. 3. c. 2. Valentinus una cum Marcione ab Eccleſia ejectus eſt, præſidente in Romana Cathedra Eleuthero, teſte Tertull. lib. *de præſcrip.* c. 30. Porro fœcundiſſima hæreſum fuit ſchola Valentini, ex illa enim prodiverunt alii hæretici, qui ejus fabulas vel amplificarunt, vel alio modo expoſuerunt. Inter eos numerandi veniunt *Secundus*, a quo Secundiani, *Marcus* a quo Marcoſii, *Colobarſus* a quo Colobarſiani, qui ſummum univerſorum Parentem

tem ac primum principium hominem aſſerere auſi ſunt, & idcirco Salvatorem ſe filium hominis vocaſſe. Ex ipſa pariter prodiverunt *Heracleonitæ;* qui morientes ſuos novo quaſi modo redimebant, oleum vel balſamum aqua temperatum ipſorum capitibus infundentes. Quibus affinis fuit hæreſis *Archonticorum*, ab Eutacto quodam Conſtantis temporibus propagata, qui baptiſmum damnabant. Ex cœnoſo Valentini gurgite manavit inſuper *Barbeliotarum* ſeu *Borborianorum* hæreſis; atque ad ejus ſectam defecerunt Florinus & Blaſtus Romani Presbyteri, quorum primus ad hæreſim Valentini Calvino præcludens addidit *Deum auctorem eſſe malorum*, quam impietatem Marcion videtur exhorruiſſe in Deum bonum effutire, & hinc malum Deum finxiſſe. Alter vero Judaiſmum latenter inducere voluit. Cæterum Valentiniani hæreſi ſua majori ex parte conſequi ſtuduerunt, ut ſuperſtitioſis ſuis initiationibus infelices mulierculas libidini ſuæ facerent tributarias, eodem fere modum, quo poſterioribus his ſæculis id tentabat Molinæus.

Encratitarum ſeu continentium Hæreſis Authorem habuit Tatianum Syrum, prius inſignem Philoſophum, deinde in Chriſti ſchola S. Juſtini Martyris diſcipulum, ac demum faſtu ſcientiæ Hæreſeos Magiſtrum. A Valentino Æonum fabulam mutuatus eſt. Ad exemplum Marcionitarum ab animatorum eſu, & vini potu abſtinebant Tatiani Sectatores, ſed ex alio motivo; ab animatorum quidem eſu, ne damnationem incurrerent, a vino vero, quod improbos eo ſolum uti exiſtimarent; unde illud diabolicum vocabant, & hinc *Encratitæ*, ſeu *abſtinentes* dicti ſunt. Ex eodem principio meram aquam adhibebant in myſteriis Encratitæ, unde & *hydroparaſtatæ* vocati ſunt. Inſuper ad Tatiani Magiſtri ſui dogmata addiderunt, plura eſſe principia, inter quæ diabolum conſtituerunt. Ejuſdem Tatiani errorem Severus quidam amplexus eſt, qui a ſe ſeductos *Severianos* appellari voluit; adjecit vero hæreſi Encratitarum de ſua penu, mulierem Sathanæ opus eſſe, & in corpore humano id, quod infra Umbilicum eſt, a mala poteſtate conditum.

Montaniſtarum ſeu Cataphrygum hæreſis erupit Antonini temporibus, ſub M. Aurelii temporibus adolevit, & latius propagata eſt. Ejus Auctor fuit Montanus in Myſia Phrygiæ natus, quæ nuncupatur Ardabam, adjutricibus duabus meretricibus Priſcilla & Maximilla, quibus inſaniæ ſuæ Spiritum afflavit eaſque Propheteſſas haberi voluit. Præcipui Montaniſtarum errores fuerunt ſequentes. Montanum ceu Paracletum venerabantur. Nuptias ſecundas ceu ſcortationes damnabant. *Matrimonia ſolvebant* quemadmodum nunc Proteſtantes. Tres quadrageſimas ſtatuebant. Veniam omnibus pene delictis ab Eccleſia concedi poſſe negabant. Pepuziani inſuper, in quorum vico Montaniſtæ frequentiores conventus agere ſolebant, mulieres ad Presbyteratum & Epiſcoporum promovebant. Animam corpoream quædam ex eorum Prophetiſſis ex cœleſti prætenſa viſione edixit. Sanguinem vero infantis in ſacramentis ſuis adhibuiſſe, quamvis a quibuſdam perhibeantur, negabant conſtanter ſaltem puriores Montaniſtæ, nec veterum aliquis, qui in eos ſtylum acuerunt, hoc ipſis crimen improperavit. Extruſus fuit Montanus cum ſuis ſectatoribus, in quorum numerum infeliciter venit ipſe Tertullianus, per Epiſcopos ab Eccleſia, ejuſque naſcentem hæreſim Gallicana Eccleſia proſcripſit. Ipſum vero & Maxillam Prophetiſſam ſibi laqueo mortem conſciviſſe teſtatur Apollinaris Hierapolitanus apud Euſebium lib. 5. c. 55.

Bardeſanes Syrus Edeſſæ natus Vir ſub Marco Antonino fuit doctrina, pietate, Chriſtianæ fidei confeſſione, ac contra gentiles æque ac hæreticos infinitis ſcriptis longe celeberrimus; is in Valentini ſchola educatus, quamvis ejus errores & multiplices fabulas redargueret, Veteres illius erroris ſordes non eluit omnino; hinc etiam mortuorum reſurrectionem negavit Bardeſanes, lugendus omnino.

Nobile par fratrum eodem Sæculo II. exſtiterunt, Theodotus Byzantinus arte Coriarius, & Theodorus Trapezita, quorum primus, Chriſti nomine in perſecutione negato, ut ſe a fidelium juſtis exprobrationibus tueretur, Deum ſe non negaſſe, ſed hominem duntaxat affirmavit, ac Cerinthi hæreſim obliteratam recoquens, Chriſtum hominem merum ac nudum aſſeruit, S. Joannis Evangelium & Apocalypſim ut Cerinthi fœtus ſtulte repudians, cum a Joanne contra Cerinthum ſcriptum potiſſimum fuerit Evangelium. Hæreſis Alogorum vel Auctor fuit, vel propagator Theodotus, qui Verbum Divinum ſemper a Patre genitum, incarnatum negabant. Theodotus vero Trapezita, ut Chriſtum magis deprimeret, Coriarii errori addidit, ipſum inferiorem eſſe Melchiſedecho, eo Davidis verſu abuſus, *tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Illumque Melchiſedechum cœleſtem virtutem eſſe, ut qui ſit ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, propugnavit. Coriarii hæreſim propugnavit quoque certus Artemon, Chriſtum nudum hominem affirmans. Qui vafer homo vere fuit typus inſignis modernorum Proteſtantium; ut enim errori ſuo ſpeciem authoritatemque conciliaret, eundem ab Apoſtolis prædicatum, ſcripturarum ſenſum pervertens, impudenter affirmabat; ab iis autem, qui ipſos ſecuti ſunt, Divinitatem Chriſto tributam aſſerens, cum Deus non eſſet, loquelam Proteſtantibus circa defectionem Eccleſiæ præripuiſſe videtur Vir iſte obſcurus; ſed ut nihil deſideraretur diſcriminis inter Artemoniſtas & Proteſtantes quantum ad præſens caput, cui certe ut unicæ baſi ſuos errores figunt, diſcipuli Artemonis ſuum errorem traditione firmatum eſſe impudenter effutiebant, quæ primum a Zephyrino Papa interrupta fuiſſet, ut teſtatur auctor Anonymus libri contra hanc hæreſim editi apud Euſebium lib. 5. hiſt. Eccl. c. 27. qui auctor hanc hæreticorum illorum inſolentem jactationem, & putidam calumniam refellit; quem locum, eſto longiorem, huc non referre mihi temperare nequeo, cum apertiſſime demonſtret eandem œconomiam adhibitam eſſe ab Eccleſia Romano-Catholica Sæculo II. contra Præcurſores Lutheranorum, quæ poſtremis ſæculis ab eadem Eccleſia contra eoſdem adhibita eſt, quæ nota infallibilis eſt ejuſdem orthodoxiæ. Sic autem ſonat: *Aiunt iſti, omnes majores noſtros, & ipſos Apoſtolos ea, quæ ipſi jam affirmant, non modo a Domino accepiſſe, verum etiam alios eadem docuiſſe; & veram prædicationis rationem uſque ad Victoris tempora, qui XIII. a B. Petro Romæ Epiſcopus fuit, integre ſervatam illam quidem, ſed a Zephyrino illius Succeſſore penitus corruptam, & depravatam fuiſſe*. En ipſiſſimum prætextum pſeudo-reformatorum, ad ipſa uſque præciſe verba. *Atque profecto quod ab illis dicebatur, multum fortaſſe videri potuiſſet habere probabilitatis, niſi primum illis ſacræ ſcripturæ teſtimonia contradicerent: deinde fratrum quorundam ſcripta ſupereſſent Victoris temporibus multo antiquiora, quæ illi tam contra gentiles pro veritatis defenſione, tam contra hæreſes, quæ id temporis graſſabantur, ſcripſerunt. —— Quot item Pſalmi, quot Hymni a Fratribus fidelibus antiquitus præſcripti, qui Chriſtum Verbum Dei, verum Deum eſſe concentu quodam celebrant? Cum igitur ex tot annorum ſpatio Doctrina Eccleſiaſtica vere annuntiata fuerit, quomodo fieri poteſt, ut illi Po-*

tes,

tres, qui ad Victorem uſque vitam produxerunt, ſic, ut illi aſſerunt, prædicarint? aut quomodo non illos pudet hæc Victori tam falſa abjectare? præſertim cum explorate cognitum habeant Victorem Theodotum illum Coriarium (qui primus Chriſtum ſolum Hominem dicebat) Ducem, & quaſi Parentem hujus impiæ & execrandæ a fide defectionis, Chriſtum Deum pernegantis, Chriſtiana communione interdixiſſe. En modum procedendi Eccleſiæ Romano-Catholicæ, quo uſa eſt in excludendis erroribus Proteſtantium tertio Sæculo jam adumbratorum! dum quemadmodum Sæculo II. & III. cauſationes illorum hæreticorum de defectione Eccleſiæ, ex Sacra Scriptura, traditione Patrum, & Eccleſiarum conſpiratione, ſeu, ut ait Anonymus ille, *concentu* diſſlavit, ac demum per Eccleſiæ caput conciliariter pertinaces anathematizavit, ita iiſdem armis Sæculo XVI. eadem Eccleſia contra Proteſtantes uſa eſt. Quas traditiones circa capita controverſa Dei immenſo beneficio ad I. II. & III. Sæculum jam tam clare deduxerunt noſtri Polemici, ut vel legenti has exiguas notas hiſtoricas patebit, ut rubore ſuffuſi recentiores, quod eorum Patriarchæ eandem defectionis epocham poſt IV. quintumque Sæculum divinaverint, illam ad uſque Sæculum ſecundum in multis capitibus revocare cogantur, ut lib. III. non ſemel annotavi.

Apelles Marcionis diſcipulus, præter alios errores, quos cum ipſo communes habuit, a Virgine quadam Philumene, revelationes & miracula mentiente, deceptus ac depravatus, finxit Filium Dei Cœlo deſcendentem ſibi corpus ex quatuor elementis compegiſſe, quibus in Cœlum aſcendens reddidit, quæ ab illis mutuatus fuerat, ſolam in Cœlos animam inferens. Hanc Philumenen S. Auguſtinus ex memoriæ lapſu, Viris etiam maximis contingente, Severo, de quo ſupra, tribuit lib. de hæres. Emerſit Apellis hæreſis ſub imperio Antonini Pii & Pontificatu Teleſphori, circa A. C. 146.

Prodicus e Gnoſticorum ſchola infamem Adamitarum ſectam inſtituit. Hi ſuis in conventiculis, omni pudore depoſito, nudi ſuos Ritus obibant. Uxorum communio decretum erat ſectæ. Promiſcuus concubitus, myſtica initiatio; credebant nuptias futuras non fuiſſe, ſi nemo peccaſſet. Recruduit hæc peſtis in Bohemia ultimis his Sæculis.

Ophitæ, Valentinianorum Soboles, Euphratem quemdam ſuæ impietatis Auctorem habuerunt. Chriſtum in ſerpentis ſpeciem transformatum effutiebant; ſive hunc ipſum ſerpentem eſſe, qui Adamum & Evam deceperit. Serpentem propterea adorabant, & in menſam, ubi propoſiti panes erant, incantationibus quibuſdam e ſpelunca, in qua nutriebatur, advocatum, & circa panes illos gyrantem oſculabantur, atque ita ſuam confici Euchariſtiam dicebant. Ipſos Jeſum a Chriſto diſtinxiſſe, auctor eſt Theodoretus; & aſſeruiſſe Jeſum quidem ex Virgine natum, Chriſtum autem de cœlis in ipſum deſcendiſſe. Hinc Jeſum execrabantur. Ophitas eoſdem cum Sethianis fuiſſe exiſtimat Theodoretus. S. Epiphanius diverſos enumerat. Refertque illos Sethum Adami filium exiſtimaſſe Chriſtum eſſe: duo hominum admiſiſſa genera; quorum unum a Caino, alterum a Setho ducere originem, & multis libris apocryphis uſos eſſe.

Cainani e Valentini Caſtris prodierunt. Cainum a potentiori quadam virtute derivatum prædicabant, nec non & Eſau, Core, Dathan, Abiron, & Sodomitas: Abelum vero ab imbecilliore virtute prodiiſſe. Quapropter impios illos ac reprobos venerabantur. Judam Iſcariotem colebant nonnulli, quod prodidiſſet Chriſtum legis inſtituta violantem & antiquantem: alii, quod Chriſtum licet optimum Judæis tradendo, noſtræ ſaluti conſuluiſſet. Evangelium ſub nomine Judæ proditoris obtrudebant & ſequebantur. Ceterum cum Carpocrate ſentiebant, neminem ſalutem conſequi poſſe, niſi qui omnia flagitia impleviſſet, & hinc cum Gnoſticis omnium libidinum monſtra religioſe exercebant. Calvino denique, aliiſque Novatoribus facem præferentes *Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium eſſe* negabant Hæretici iſti.

Hermogenes cadente ſecundo Sæculo a Chriſtianis ad Stoicos Philoſophos defecit. Ejus error palmaris in eo fuit, quod aſſereret materiam eſſe ingenitam & infectam, Deoque coæternam. Aſſeruit præterea hic Hæreſiarcha, Chriſti corpus in ſole depoſitum eſſe; diabolum autem & dæmones in materiam refundendos. Hæ ſunt Hæreſes Sæculi II. in quas Patres hujus Sæculi ſtylum acuerunt, per Romanos Pontifices, alioſque Epiſcopos Synodaliter, quantum per perſecutiones licuit, atque per monumenta hujus Sæculi rariora nobis innotuit, condemnatæ, ut non ſemel adnotavimus. Apertiora Synodalium conventuum, in quibus fidei controverſiæ ventilatæ, atque deciſæ fuerunt, teſtimonia dabunt Hæreſes ac Schiſmata Sæculo III. exorta, ut jam videbimus.

16. Sæculo III. Hæreſeon auctores extiterunt Berillus, Privatus, Arabes cum Valeſiis, Schiſma Feliciſſimi, Novatus & Novatianus, qui hæreſim cum Schiſmate conjunxerunt. Dehinc Rebaptizantium error negotium Eccleſiæ faceſſivit. Poſtea Angelici & Apoſtolici, Noetiani, Sabelliani, Paulus Samoſatenus & Paulianiſtæ, Manes & Manichæi, Hieracithæ ſuarum Hæreſeon venena profuderunt. Nepos item & Coracion. Ad hoc Sæculum etiam revocanda Origeniſtarum hæreſis, quod illius auctor Origenes ab A. C. 204. ad 254. floruerit.

Berillus Boſtrorum in Arabia fuit Epiſcopus. Ipſius Principalis error fuit, Filium Dei non ante fuiſſe, quam in humanam carnem immigraret, neque propriam ex ſe habuiſſe divinitatem, ſed ſolam Patris in eo extitiſſe. Damnata fuit ejus hæreſis in Synodo Boſtræ celebrata A. C. 247. aut 249.

Privatus incertæ hæreſeos auctor, ſed Schiſmatis adverſus S. Cyprianum præcipuus incentor, varias in Africa turbas excitavit; atque in Romanæ Eccleſiæ communionem fraudulenter irrepere tentavit. Damnatus eſt in Concilio Lambeſitano, quæ Synodus a Fabiano Pontifice maximo confirmata fuit.

Arabes quidam animæ rationalis immortalitatem palam impugnarunt eodem Sæculo; eam una cum corpore extingui, & cum eodem reſurrecturam effutientes. Minus impii famoſo Lokio & modernis Materialiſtis. Condemnati ſunt in Concilio Arabico multorum Epiſcoporum. Eadem ferme tempeſtate Valeſii eruperunt, cujus ſectæ Auctor fuit quidam Arabs nomine Valens. Hi in eo ſolo errarunt, quod caſtrationem ſui ad ſalutem neceſſariam exiſtimarent. Damnati ſunt a Synodo Achajæ. Anathema in illos renovatum legimus Sæculo IV. in œcumenica Synodo Nicæna, & in canonibus Apoſtolorum poſt hoc Concilium fabricatis. (lib. 1. tit. 2. n. 25.)

Feliciſſimus, qui electioni S. Cypriani cum quinque aliis Presbyteris adverſatus fuerat, conjurationis animum contra Sanctiſſimum Epiſcopum nunquam depoſuit, atque excludendæ Novatianorum hæreſi ova poſuit; quorundam Martyrum ſeu Confeſſorum mentes, quos S. Cyprianus fraterne corripuerat ob nimiam eorum erga

lapſos

Digitized by Google

lapſos (hoc eſt in perſecutione abnegantes fidem) faellitatem per indulgentias ſuis tormentis iiſdem impetratas & per hoc Eccleſiaſticæ diſcipinæ everſionem cauſatam, corrumpendo, & lapſos contra Cyprianum commovendo, ut prætenderent *omnes abſque ſatisfactione mox recipiendos*. Nec ſatis: quos infeita Feliciſſimus a S. Cypriano abſtraxerat, & in dies abſtrahebat, in monte quodam collegit, Eccleſiam Schiſmaticam & profanum Altare ibi erigens. Ut vero Schiſma conſummatum eſſet, Fortnnatum e quinque Presbyteris perduellibus unum, Schiſmatici Epiſcopum conſtituerunt. Illos cum Feliciſſimo adulterii reo damnaverunt Epiſcopi Africani in Concilio hanc ob cauſam congregato. Hujus Schiſmatis (quod intra limites Schiſmatis permanſit) incentor fuit Novatus, qui Feliciſſimum inconſulto S. Cypriano Diaconum conſtituit, quo majorem ad res novas moliendas in Clero auctoritatem haberet.

Novatianorum hæreſim Novatus & Novatianus condiderunt. Hos confundunt, & in unum miſcent Euſebius, S. Epiphanius, & Theodoretus; aperte diſtinguunt S. Cornelius, S. Cyprianus, & S. Pacianus. Sed enim Novatus Presbyter Carthaginenſis fuit graviſſimorum criminum reus, ob quæ cum ſe propediem ab Epiſcopis damnandum, excommunicandumque previderet, Carthagine furtim diſceſſit, & Romam profectus, Novatiano conflandi Schiſmatis auctor fuit. Qui quondam energumenus, in lecto baptizatus urgente morbo, nec ex quo convaluit, cæremonias baptiſmatis in ſe ſuppleri curans, aut Sacramentum confirmationis, quod ex Eccleſiæ diſciplina ſtatim poſt baptiſma conferebatur, ſuſcipiens, eo rem perduxit, ut Cornelio Romæ jam ſedente, Novato imprimis opem ferente, miris ac deteſtandis artibus Romanam ſedem invaderet, & primus Antipapa conſtitueretur. Non purum Schiſma, ſed Schiſma hæreſi conjunctum conflavit Novatianus, quamvis ejus hæreſis, ut præcedentes, circa divinitatem ipſam verſata non fuerit, quo modo explicandus venit S. Baſilius ep. 1. canonica ad Amphil. can. 1. In eo autem poſitus fuit palmaris Novatiani error, quod negaret Eccleſiam lapſis in perſecutione, id eſt Sacrificatis, & libellaticis indulgere poſſe; deinde cæteris etiam criminibus poſt baptiſmum commiſſis nullam ab ea tribui poſſe veniam aſſereret; imo quælibet generatim delicta poſt baptiſmum commiſſa, Eccleſiæ authoritate remitti poſſe negavit Novatianus. Quam ferream ſententiam dein mitiores Novatiani ad ſola peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa mitigabant. Unicam ergo illam peccatorum indulgentiam in Eccleſiæ arbitrio verſari prætendebat Novatianus, quæ per baptiſmum obtinetur. Propterea tamen lapſos ſalutem a Deo ſperare poſſe, & debere non negabat, & ideo illos ad pœnitentiam adhortabatur, ut divinam Clementiam lacrymis promererentur ac laboribus; ſed hoc negabat unum crudelis Apoſtata, ad Eccleſiæ ac fidelium communionem eos recipi oportere, atque penes Eccleſiam ipſos reconciliandi jus ullum eſſe ac poteſtatem. Verbo non negavit pœnitentiam, ſed cum modernis Novatoribus contendentibus formam abſolutionis non eſſe *remiſſivam*, ſed *declarativam* ſolum remiſſionis peccatorum a Deo factæ, *Sacramentum pœnitentiæ*; qui conſequenter in ſuo Anteſignano ab Eccleſia Catholica Sæculo III. jam condemnati ſunt. Sicut autem veterinus Novatus, ut S. Cypriano negotium faceſſeret, ejus *ſeveritatem* ordinatam in lapſos in prætextum Schiſmatis Feliciſſimo videtur ſuggeſſiſſe, qui proinde lapſos *ſine pœnitentia* cenſuit recipiendos; ita teſte S. Paciano ep. 3. ad Sempronianum, Novatiano, ut Cornelio invidiam conflaret, eique gradum ad Papatum faciliaret, conſuluit, ut pro ſcuto manutentionis ſuæ *receptionem lapſorum* Cornelio objiceret; eoi muniendo, cum Novatianus infauſtum dogma procudiſſet Eccleſiam non poſſe dare indulgentiam lapſis, ea œconomia factum eſt, ut rigori Eccleſiaſtico, circa lapſos iis Sæculis neceſſario a Patribus adhibito, duplex error extreme opponeretur, quorum ultimus diu, atrociterque vexavit Eccleſiam. Novatiana hæreſis proſcripta eſt primo Romæ a Cornelio A. 253. item in Italia per aliod Concilium. Denique in Africa per Synodum 42. Epiſcoporum. Item in Aſia a Demetrio Antiochiæ Epiſcopo.

Baptiſmum ab hæreticis collatum primus omnium in Eccleſia Africana abdicavit Agrippinus S. Cypriani deceſſor, habito ea de re Concilio, quod ad A. C. 215. refert editio noviſſ. Conciliorum. Error ille in Orientem pervaſit, & Conciliis ibi firmatus eſt. Eidem errori magnas vires addidit S. Cyprianus, & tria ſub ipſo Carthagine celebrata Concilia. S. Stephanus vero Romanus Pontifex veritatem ſedulo defendit inviciſſimo traditionis clypeo. Quamvis vero S. Cyprianus graviter erraverit, notam tamen hæreſeos non incurrit, quia ita affectus erat, ut conſuetudini cederet (ſecundum quam tarus habebatur in Eccleſia Romana, aliiſque Eccleſiis hæreticorum baptiſmus) ſi vel plenarii Concilii auctoritate confirmata, vel graviori pondere rationum fuiſſet vindicata; id quod ad longum probat S. Aug. lib. 2. de baptiſ. contra Donatiſtas c. 4. 5. &c. unde hic error nec eum Schiſmaticum fecit.

Medio circiter Sæculo III. emerſit Angelicorum hæreſis Authore ignoto. Unde dicti ſint Angelici, pariter non convenit inter Authores. Apoſtolici præter Encratitarum, & Novatianorum, a quibus erant propagati, venenata dogmata, proprium errorem propugnarunt, non licere ſcilicet aliquid poſſidere. Quorum errorem ex parte adoptavit Wicleffus. Sanctorum Andreæ & Thomæ Apocryphis actis ad erroris ſui confirmationem utebantur. Præclara ſunt, quæ in iſtius hæreſeos confutatione ſcripſit S. Epiphanius de paupertate, & virginitate, aut continentia, quam ſua ætate Chriſtiani profitebantur, quibus noſtrates hæretici vota Monaſtica damnantes confunduntur.

In eandem hæreſim propugnandam ac propagandam, tertio Sæculo conſpirarunt Praxeas, Noetius, & Sabellius, quæ tres Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonas in unam confunderet, ac Patrem eſſe paſſum conſequenter aſſereret. Hujus primus Author fuit Praxeas, prius Montaniſta, dein Montani acerrimus hoſtis. Propagator Noetius Epheſius, ut Epiph. tradit, vel Smyrnæus, ut volt Theodoretus, circa A. 245.

Suo vero nomine ac patrocinio celebriorem fecit Sabellius circa An. C. 257. in Libya natus, ac ejuſdem hæreſis ibidem propagator. Praxeam damnatum recantaſſe palinodiam, occultaſſe hæreſim, ac eam poſtea excuſſa fronte iterum diſſeminaſſe teſtatur Tertullianus lib. contra Praxeam c. 1. Cæterum Hæreſis hæc Sæculo IV. in Concilio primo Oecumenico Nicæno, in quo Fides Catholica explicata eſt, cum Arii aliiſque hæreſibus eſt una damnata, Fideſque Catholica nitide explicata.

Paulus Samoſatenus hæreticis Paulianiſtis nomen dedit. A. C. circiter 262. Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum patrocinio propagavit hæreſim, quam condiderat, ut ipſam demereretur. Judæa enim erat, illique ut ſerviret Paulus, Judaicam impietatem in Eccleſiam invexit, divinarum Perſonarum Trinitatem, Chriſtique Divinitatem abnegans, alia tamen œconomia, quam Prædeceſſores

ejus

ejus Hæretici. Primum caput erroris Pauli Samoſateni fuit, quod Chriſtus ſemper non fuerit, nec ante Mariam Virginem, Verbum tamen & Sapientiam in eo inhabitare, ſed quæ tum primum hypoſtaſim habere cœperint ab æterno Patre diſtinctam, cum in utero Matris Chriſtus formatus eſt. Hac enim temporali miſſione, & externa prolatione Verbum eveſiſſe Filium. Cæterum licet recens eſſet, novelluſque Deus, prædeſtinatione nihilominus æternum fuiſſe. Alterum caput ex iſto conſequens fuit; duas eſſe in Chriſto Perſonas, & duos Filios Dei; unum natura, alterum adoptione. Ex quo pravo fonte derivavit alias aſſertiones erroneas, quas 10. quæſtionibus S. Dionyſio Alex. propoſitis, & ad eum tranſmiſſis complexus eſt Samoſatenus. Tertium caput hæreſeos Pauli Samoſateni, errori Sabellii erat affine. Trinitatem namque Divinarum Perſonarum e medio tollebat, Verbum non Perſonam eſſe a Patre diſtinctam, ſed efficientiam ſolum aſſerens, Deo quidem coæternam, ſed ſine hypoſtaſi, quæ ſe in Jeſum, ut in merum hominem inſinuaſſet. Damnatus eſt Paulus Samoſatenus cum ſuis erroribus in duobus Conciliis Antiochiæ habitis, quorum primum habitum eſt A. 264. Et cum in eo vafer hæreticus fuco hæreſim ſuam Patribus occultaſſet ſolum, non ejuraſſet, eamque poſtliminio divulgaret, in altera celeberrima Synodo Antiochiæ A. 270. coacte iterum damnatus eſt Hæreſiarcha.

Teterrimæ Manichæorum hæreſis primus parens fuit Scythianus Saracenus genere, in Arabia nutritus, Alexandriæ Græcas diſciplinas, et præſertim Philoſophiam edoctus, qua abuſus vir peſtilentiſſimi ingenii ad condendum dogma de duobus principiis bono & malo animum applicuit. Jeroſolymis lapſus e tecto, in quod præſtigiorum oſtentandorum cauſa aſcendit, Terebinthum auri, librorum, & hæreſeos ſuæ reliquit hæredem; quo divina ultione ex ædium ſummo, quod in Perſia eadem, qua Magiſter ſuus Scythianus Jeroſolymis conſcenderat, per dæmonem deturbato ac occiſo Anus, cujus inquilinus fuit, pecuniarum omnium, ac librorum compos facta ſervum Perſam emit Cubricum nomine, quem manumiſſum adoptavit, in Perſarum erudiendum curavit diſciplinis, ac librorum & pecuniarum ſcripſit hæredem. Qui ne ſervitutis nomen ei probroſum eſſet, *Manes* appellari deinde voluit, quæ vox Perſis *Homiliam*, id eſt, *allocutionem* ſignificat. Verum cum apud Græcos male ſonaret hoc nomen, ac a *Mania*, hoc eſt, ab inſania & furore videretur derivatum, *Manichæum*, quaſi Manna fundentem hunc nominavere poſtea Diſcipuli. Quemadmodum vero Manes errorum principem de bono & malo principio una cum ſuis Magiſtris a Marcione II. Sæculi Hæreſiarcha ſumpſit, ita & hæreticorum I. & II. Sæculi impia dogmata de carne Chriſti phantaſtica, de nuptiis, de corporum reſurrectione, de Deo Judæorum, de veteri lege ab hoc malo Deo condita, plurima adoptavit, quæ videri poſſunt apud Natalem Alex. Proteſtantibus præluſerunt Manichæi contendentes *in homine non eſſe liberum arbitrium*, alioquin peccatum in Deum refundendum eſſe. Quietiſtis, bellum illicitum penitus contendentes. Calviniſtis vero, *negando baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium*. Dum vero in odium carnis execrabantur reliquias Sanctorum, Catholicis noſtri Sæculi teſtatum reliquerunt, a deceſſoribus Sæculi III. reliquias Sanctorum fuiſſe cultas. Latiſſime diffuſa fuit hæc hæreſis in Eccleſia, diuque perduravit, recenterque a novis Manichæis ſuſcitata, ut infra videbimus. Contra eos, omnes ingenii vires applicuit S. Auguſtinus, uti videre licet in ejus ſcriptis.

Hieracitharum hæreſis Manichææ propago ab Hierace, quem & Hieracham nonnulli dicunt, in Ægypto ortum habuit. De Filii Dei generatione & divinitate peſſime ſenſit, Filium tamen a Patre revera genitum ipſum ſenſiſſe tradit Epiphanius: ſpiritalem ſolum reſurrectionem admiſit, carni neutiquam convenientem; nuptias in veteri teſtamento, non in novo licitas aſſerebat; Melchiſedechum Spiritum S. eſſe contendebat. Erat hæc hæreſis quaſi temperatus Manichæiſmus, ad quam ſolos Monachos, Virgines, continentes, aut Viduas admittebat, ab animatis & vino ſibi temperans, et ſeveram vitam ducens ac præferibens impoſtor, unde ejus diſcipuli dicti ſunt *abſtinentes*.

Nepos Ægyptiacus Epiſcopus fabulam de millenario in terris Chriſti regno, deliciis corporeis & voluptate felici affluente, ſanctiſque poſt reſurrectionem promiſſo reſtauravit circa A. 264. Schiſmatis tamen, quod poſt mortem ejus exortum ac propugnatum duce Coracione, Auctor non fuit, utpote nequaquam pertinax teſte Dionyſio Alexandrino.

Origeniſtæ ab Origene Adamantio nomen ſumpſerunt, patria Alexandrino, Leonidis Martyris filio, Orbi Chriſtiano ob vitæ ſeveritatem, ingenii acumen, Chriſtianæ Religionis zelum, librorum editorum multitudinem ac ſplendorem, ac demum erroribus contra fidem, horumque ac ſui defenſoribus per aliquot Sæcula virtute ac ſcientia præſtantibus nactis, notiſſimo. Ejus præcipui errores fuerunt, primo: Filium Dei non eſſe natum ſed factum, Patreque minorem, & Spiritum S. tertium dignitate poſt Patrem & Filium, quibus hæreſi Arianæ & Macedonianæ præluſit, priorique ſua authoritate magnum pondus adjecit. Secundo: animas hominum ante corpora creatas fuiſſe, cæleſteſque virtutes extitiſſe, quæ ob peccatum animæ evaſerint, & in corpora velut in carceres quoſdam ſupplicii cauſa miſſæ ſint. Tertio: tam Dæmonum, quam hominum impiorum ſuppliciis finem imponendum eſſe. Quarto: de Gratiæ Divinæ auxiliis peſſime ſentiendo, atque Pelagianæ hæreſi ova ponendo &c. Impugnatores defenſoreſque plures in Oriente & Occidente nactus eſt ſua authoritate, fama, ac ſubtilitate Origenes, quam moderna tempeſtate Janſenius, & Queſnellius unquam in Gallia & Belgio. Eundem ejuſque errores in Synodo Alexandrina An. 399. damnavit Theophilus Patriarcha Alexandrinus, eodem Sæculo in Concilio Cypriorum S. Epiphanius, nec non A. 400. efferveſcente contentione Anaſtaſius Romanus Pontifex, quibus damnationibus non obſtantibus caſtra Origenis necdum deſerebantur. Donec A. 553. coacta Conſtantinopoli quinta Synodo Generali præter trium Capitulorum, de damnatione Origenis actum fuit, proſcriptique ejus errores, ut hæreſes putidæ, & anathemate confixum nomen. Varii errores præterea imputati ſunt Origeni ab ejus impugnatoribus, a quibus de facto a Criticis purgatur. Et hæ ſunt Hæreſes III. Sæculi non e Generalibus, obſtantibus Gentilium perſecutionibus, ſed a Provincialibus plerumque Synodis confixæ.

17. Eccleſiam Sæculo IV. turbarunt Donatiſtæ, Meletiani, Ariani & Semi-Ariani, Coluthiani, Eunomiani, Photiniani, Audiani, Euſtathiani, Macedoniani, Luciferiani, Apollinariſtæ, Aeriani, Meſſaliani, Priſcillianiſtæ, Helvidiani, Joviniſtæ, Diſcalceati, Collyridiani, Bonoſiaci. Totum fere alphabetum Hæreticorum.

Donatiſtarum Schiſmati contra Cæcilianum prius Archidiaconum Carthaginenſis Eccleſiæ, poſtea electum Epiſcopum, contra quem Schiſmatici Majorinum in eandem Eccleſiam intruſerunt, fomenta præcipua dedit Lucilla Hiſpana præpotens, & factioſa mulier, a Cæciliano quondam reprehenſa,

henſa, & vindictæ erga ipſum cupida. Primus ejus auctor, ac inventor fuit Donatus a Caſis nigris Epiſcopus, a quo Majorinus ordinatus eſt. Ab altero tamen Donato, qui Majorino ſuffectus eſt, appellari poſtea maluere, & eo velut ſectæ ſuæ Principe gloriati ſunt. Damnati ſunt cum ſuo Principe Donato a Caſis nigris in Concilio Romano A. 313. Illorum ſchiſma in hæreſim evaſit. Cujus præcipui errores hi erant. 1. Baptiſmum extra Eccleſiam collatum nullum eſſe contendebant, & quia *Eccleſiam a toto terrarum orbe defeciſſe, & intra ſectam ſuam coarctari* comminiſcebantur Patroni noſtrorum Proteſtantium, Catholicos a ſe deceptos rebaptizabant. Secundo *Eccleſiam Catholicam meretricem vocabant* Præclari hi Proteſtantium Magiſtri. Denique cum Arianis communione jungebantur. Præter Concilium Romanum, Donatiſtas condemnavit Concilium Arelatenſe A. 314. aliique Africani Conventus. Quantas porro pertinaciſſimi hi homines non ſolum Eccleſiæ Præſulibus, ſed ipſis Chriſtianis Imperatoribus faceſſerint moleſtias, legeſis apud Natal. Alex. Sæc. IV. ita quidem, ut præter alias graviſſimas pœnas capitis ſententia in eos Imperatores animadverterint. Duravit autem Donatiſtarum ſchiſma & hæreſis uſque ad Gregorii M. tempora, ſeu ad Sæculi VII. initium.

Meletius Nicopolis in Ægypto Epiſcopus nefarii ſchiſmatis auctor fuit A. 306. vel A. C. 300. aut 301. ut aliis placet. Illud conflavit adverſus S. Petrum Alexandrinum Epiſcopum, ejus ordinationes occupando ex odio erga eundem concepto, propterea quod ab ipſo ob idololatriæ crimen, aliaque ſcelera, fuiſſet in Concilio Epiſcoporum depoſitus. Ario eum ſuis partiariis ſuppetias tulit Meletius, ejus tamen ſchiſma hæreſi non eſt deturpatum. In Synodo generali Nicæna compreſſus eſt Meletius, & damnati Meletiani. Aliter de hoc ſchiſmate ſcribit S. Epiphanius, monumentis ab aliquo Meletiano acceptis deceptus.

De Arianorum, & Semiarianorum perniciosiſſima hæreſi ad longum egimus lib. 1. Tit. 1. N. 63. & ſeq. quo proinde Lectorem remittimus.

Colluthianorum ſectæ auctor fuit Colluthus Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter Ario coævus. Ejus præcipuus error fuit, quod Deum non eſſe malorum naturæ & pœnæ auctorem aſſereret dimidius iſte Manichæus. A Concilio Alexandrino in ordinem redactus eſt Hæreſiarcha.

Aetii Eunomiique ſecta infelix Arianæ hæreſeos propago fuit, eamque acceſſione quadam adauxit impietatis. Fuit autem Eunomius Cyzicenus Epiſcopus quondam Aetii Antiocheni Diaconi, qui Atheus cognominatus eſt, diſcipulus & ſcriba. Ejus diſcipuli Eunomiani ab ipſo dicti ſunt, vel etiam Anomæi, quod Filium Patri Anomion, id eſt diſſimilem cum Aetio prædicarent. Præterea Eunomius Spiritum Sanctum creaturam Filii aſſerebat. Item Verbum Divinum animam non aſſumpſiſſe, ſed animæ vicem divinitatem ſuppleviſſe ſenſit. Ulterius ſe Deum perfecte comprehendere dicebat. Sententiam Proteſtantibus fabricavit, dum *Reliquias Martyrum contempſit, ac deriſit, ipſarumque detraxit miraculis*. Hæreſim ſuam diſſeminavit A. 360. Ipſo vivente ejus ſectam a Concilio Nicæno prædamnatam coercuit ſeveris legibus Theodoſius M. A. 381.

Photinus natione Galata Ancyranæ Eccleſiæ primum Diaconus, dein Sirmienſium Epiſcopus A. circiter 343. hæreſeos ſuæ virus effudit. Et primo Sabellii ſyſtema reſtauravit. Secundo cum veteribus hæreticis Chriſtum purum hominem blaſphemavit. Damnatus eſt Photinus in Concilio Mediolanenſi A. 347. deinde A. 351. in Sirmienſi.

Audianis nomen dedit Audæus e Meſopotamia oriundus, Ario coævus, qui tamen non receſſit a vera fide, nec Audiani ejus diſcipuli; ipſa tamen eorum ſeparatio & ſchiſma nefarium crimen erat, quod effecerit, ut inter hæreticos numerati ſint.

Euſtathiani ab Euſtathio Sebaſteno Arianorum partium Epiſcopo nomen erroreſque acceperunt. Nuptias damnabat Euſtathius, & continentiam ad ſuperſtitionem coli præcipiebat. Præterea præcipuos errores docuit, quos Proteſtantes noſtri Sæculi adoptarunt, atque in Concilio Gangrenſi non diu poſt Nicænum damnati ſunt. Et quidem hoc Concilium can. 4. *non ſolum ſcripturam, ſed traditiones etiam Apoſtolicas pro regula fidei ſuſcipiendas tradit*, quas iſti rejiciunt. Deinde can. 6. damnat eam vivendi conditionem, qua Euſtathiani cum Lutheranis & Calviniſtis *extra Eccleſiam ſeorſim conventus celebrabant, nec Presbyteros aut Epiſcopos* cum Calviniſtis *habebant*. Item Can. 19. in iiſdem Euſtathianis prædamnat Proteſtantes, *qui indicta ab Eccleſia jejunia ſolvunt, & aſpernantur*. Ac denique c. 20. Euſtathianos diris devovet, quod *memorias Martyrum, & ſacra miniſteria, quæ in ipſarum honorem fiebant*, execrarentur. Quod nunc faciunt Proteſtantes.

De Macedoniana Hæreſi ejuſque conciliari condemnatione egimus abunde lib. 1. Tit. 1. N. 98. & ſeqq.

De Luciferiano & Euſtathiano ſeu Antiocheno ſchiſmate vide Nat. Alex. Sæc. 4. cum nulli hæreſi commixta fuerint, ut ibi probat.

Apollinariſtarum ſecta ab utroque Apollinari nomen traxit patre & filio; quorum ille Laodicenæ Eccleſiæ Presbyter, hic Lector fuit. Palmaris Apollinaris error fuit, quod naturam hominis in Chriſto ſemiplenam putavit, hoc eſt anima carentem, cujus vicem ſuppleret corpori Verbum ipſum caro factum. Quem ex Platonicæ Philoſophiæ fontibus hauſit. Ejus diſcipuli vero Euticheti quamquam antithetice præludentes, corpus Chriſti Divinitati conſubſtantiale eſſe, & Divinam ipſam ſubſtantiam Verbi in carnem converſam effutiebant, quam Verbum ex cœlo attulerit. Circa divinitatem erravit Apollinaris, magnum vocans Spiritum S. majorem Filium, maximum Patrem. Damnata fuit hæreſis Apollinaris Alexandriæ A. 362. a S. Athanaſio, Romæ A. 373. & alibi.

Aerius, qui ſectæ Arianæ nomen dedit, ex Arianorum ſecta prodierat, Euſtathii Sebaſteni ſodalis, deinde æmulus. Errores habuit fere omnes cum Calviniſtis & Lutheranis communes. Nam 1. *Presbyteros Epiſcopis æquavit*. 2. *Orationes pro Defunctis, & bona pro illis ſuſcepta opera damnavit*. 3. *Stata item jejunia, & in Eccleſia ab omnibus Chriſtianis obſervari ſolita*. 4. Denique Celebritatem Paſchatis tollere nitebatur.

Meſſalianorum hæreſis Conſtantii Imperatoris temporibus emerſit. Erant homines otioſi, & plurimum orantes, unde Euchitæ dicebantur, illuſtrationes crebras raptuſque jactabant, unde Enthuſiaſtæ, quemadmodum & eorum imitatores noſtri Sæculi dicti ſunt.

Gnoſticorum lues ex Ægypto in Hiſpanias pervadens, Priſcillianum Virum nobilem inficit: is multos nobilium plebejoſque ſibi adjungens, nec non & mulierum ad ſe confluentium catervam, ſingularem ſectam inſtituit: quam Inſtantius & Salvianus Epiſcopi Hiſpani, non ſolum conſenſione, ſed etiam conjuratione quadam ſuſceperunt. Eorum hæreſis erat colluvies ex putidis lacunis Manetis, Sabellii, Arii, Samoſateni, & Origenis confuſa. Addebant corporis humani partes 12. ſignis cœli reſpondere, & ſecundum ipſa compoſitas eſſe. Inprimis vero Priſcillianus docuit

Nn lici-

licitum eſſe mendacium, etiam perjurio junctum, & hinc ad turpitudines ſuas occultandas familiare ipſis dogma fuit:

Jura, perjura, Secretum prodere noli.

Scripturas denique Apocryphas obtendebant, quibus commenta ſua confirmarent. Eorum hæreſim Adiginus Cordubenſis Epiſcopus ad Idacium emeritæ ætatis Epiſcopum detulit, qui ſuo rigore Priſcillianiſtas exaſperavit magis, quam compeſcuit. Damnati ſunt a Synodo Cæſaraugustæ congregata, dumque eorum coryphæi Inſtantius & Salvianus a Gratiano Imp. circumventoro eſſent in ſedes ſuas reſtituti, celeberrimis Hiſpaniæ Conciliis poſtliminio tota hæc colluvies anathematizata eſt; nimirum Toletana I. ante A. 400. Toletan. II. A. 400. Celebratæ ſunt inſuper contra Priſcillianiſtas Synodi duæ in Hiſp. tempore S. Leonis M. una ab Epiſcopis Gallæciæ, altera ab Epiſcopis 4. Provinciarum Tarraconenſis, Carthaginenſis, Luſitanæ, & Bæticæ: de quibus vide lib. 1. tit. 1. N. 133. Illos denique damnavit Braccarenſe II. A. 569.

Helwidius homo Rusticanus impiiſſimo libello *Deiparæ Virginitatem* negavit, effutiens ipſam, poſtquam Chriſtum ex Spiritu S. concepit, alios ex Joſepho filios procreaſſe, qui Fratres Chriſti in Evangelio vocarentur. Quem errorem quidam Proteſtantes ſcriptis recoquere non ſunt veriti. Præterea ejuſdem gloriæ, ad mentem item Proteſtantium, Virgines & Maritatas eſſe aſſerebat.

Proteſtantium proprius Antesignanus & prope alter Lutherus dici poteſt Jovinianus Monachus, qui ex Mediolanenſi monaſterio erumpens A. C. 382. mollem, voluptatiſque ſectatricem vitam cum Monachi nomine conjunxit: ea vero docere cœpit dogmata, ob quæ a S. Hieronymo *Chriſtianorum Epicurus* merito vocatus eſt. Et primo quidem *Virginitati nuptias quoad meritum exæquabat, illaſque multis Sanctimonialibus, Monachiſque perſuaſit*. 2. *Inter abſtinentiam ciborum, & cum gratiarum actione perceptionem eorum nullam eſſe diſtantiam effutiebat; ſive jejunia & a certis cibis abſtinentiam nihil prodeſſe*. 3. Hominem poſt baptiſmum non poſſe peccare. 4. Omnium, qui ſuum baptiſma ſervaverint, *unam eſſe in Regno Cælorum remunerationem*, ſeu æqualem gloriam. 5. *Omnia peccata paria eſſe*. 6. B. V. MARIAM in partu non fuiſſe Virginem. Multos hæreſi ſua Jovinianus infecit. Damnatus eſt a Siricio in Concilio Romæ A. 390. habito. Item in Mediolanenſi Synodo ſub S. Ambroſio a S. Hieronymo acerrime exagitatus eſt, qui propterea merito inviſus eſt Proteſtantibus.

Extitere IV. Sæculo Hæretici quidam, qui nudis pedibus ſemper ambulabant, ſicque Chriſtianis omnibus docebant incedendum; eo quod Dominus ad Moyſen vel Joſue dixerit: *Solve calceamentum de pedibus tuis*; & quod Propheta Iſaias *nudis pedibus* juſſus fuerit ambulare.

Anno 373. Collyridianorum exortam referunt hæreſim Annales Eccleſiaſtici. Qui hanc ſectabantur, Virginem Deiparam ut Deam colebant, & in ejus honorem Collyridem panis per mulieres offerebant. Huic enim Sexui ſecta illa Sacerdotii munia deferebat, imo ſolæ fere mulieres hanc ſectam conflabant. Eorum errorem Epiphanius cum aliis refutarunt, quorum doctrinæ ſumma ad mentem Eccleſiæ Catholicæ fuit: *Maria in honore ſit, Dominus adoretur*.

Bonoſiaci a Bonoſo Sardicenſi Epiſcopo nomen acceperunt. Hic ex Ebione & Photino viſus ſuæ hauſit hæreſeos, & Neſtorio præluſit, Chriſtum purum hominem aſſerens, duoſque in Salvatore filios agnoſcens, æternum unum, alterum temporalem. Aſſeruit præterea Deiparam Virginem a partu Chriſti alios ſuſcepiſſe liberos. Damnatus eſt a Synodo Capuana A. 389. item a Siricio: Prædamnatum a Damaſo Hæreſiarcham ſcribit Marius Mercator. Inter hæreticos Chriſti divinitatem hoc Sæculo negantes Baronius recenſet etiam Euphratam unum ex Concilii Sardicenſis Patribus, ſed eum Nat. Alexand. ab omni hæreſi vindicat, Synodumque Agrippinenſem, in qua fertur damnatus, ſuppoſititiam probat Sæc. 4. c. 3. §. 23.

18. Sæculo V. Eccleſiam Chriſti infeſtarunt Hæreſes Vigilantii, Pelagiana, Semipelagiana, Prædeſtinatiana, Neſtoriana, Eutichiana, Acephalorum, & Theopaſchitarum.

Vigilantius, quem ob imperitiam, & ingenii mendicitatem S. Hieronymus non ſemel *Dormitantium* appellat, Patria Calaguritanus, Eccleſiæ Barcinonenſis Presbyter, errores ſuos evomere, iiſque Galliam, quæ hucuſque monſtra non habuerat, afflare cœpit A. 404. Alter fuit Novatorum noſtri Sæculi Anteſignanus præcipuus, ejuſque palmaris error fuit adverſus *ſacrarum Reliquiarum cultum*, quas nullo proſequendas honore impius effutiit. Catholicos coram reliquiis *cereos accendentes* gentilitiæ ſuperſtitionis accuſabat, eoſque adorare martyres mentiebatur. 2. *Martyres pro nobis non orare aſſeruit, adeoque fruſtra invocari*. 3. Miracula, quæ ad ſepulcra Martyrum in dies fiebant, quibus velut tot argumentis invictiſſimis refellebatur ejus error, cum negare non poſſet, ſugillabat, quod incredulis ſolum, non credentibus prodeſſent. Quæ miracula a Confeſſoribus beatis fieri ſolita, eſto in rigoroſo proceſſu canonizationis probata, Vigilantio pejores Novatores facta perorgant, hominumque confidentiam ad athletas Chriſti votivis oblationibus teſtatam rident. 4. Joviniani ſuſcitans hæreſim, virginitatem & continentiam impugnabat, *ac Clericos cælibes averſabatur*. 5. *Monaſtici Ordinis, & propoſiti hoſtis erat*, a quo homines deterrebat. 6. Quartum Eſdræ librum eo conſilio tanquam Canonicum laudabat, quo conſilio Lutherus librum I. & II. Machabæorum & Epiſtolam S. Jacobi ex canone expunxit, quia nimirum teſtimonia ex ejus libri c. 7. petito utebatur ad probandum Sanctos in hac tantum mortali vita pro nobis orare. Hos Vigilantii errores acerrimo ſtylo profligavit Hieronymus, conſpirante univerſa Eccleſia, quæ Hieronymi ſcripta ſuſcepit, & probavit.

Pelagiana hæreſis viperina, quam Origenes, Theodorus Mopſueſtenus, & Ruffinus præformarunt, emerſit A. C. 404. vel 405. authore Pelagio, natione Britanno, profeſſione Monacho, non quidem clauſtrali, ſed ex eorum numero, qui religioſam vitam ſuis in ædibus agebant; & diſtincto a Pelagio Tarenti, & ab alio ejuſdem nominis Monacho, cujus defectionem a fide luget, pravoſque mores arguit Chryſoſt. ep. 4. *ad Olympiadem*. Cujus ſectæ prædicandæ, ac dilatandæ Cœleſtius, incerta Patria ortus, tantam navavit operam, ut ejuſdem hæreſeos homines Cœleſtiani ab ipſo etiam nuncuparentur. Ejuſdem præterea ſectæ defenſores præcipui erant Julianus Apulienſis, & Anianus Celedenſis. Errores Pelagianorum verſabantur circa peccatum originale, circa liberum arbitrium, & imprimis circa gratiam Chriſti. Circa peccatum originale capitale eorum dogma fuit, Peccatum Adami & Evæ nullatenus poſteris, ſed ipſis ſolis nocuiſſe. Ex quo putido fonte concupiſcentiam & libidinem non eſſe malam contendebant, ignorantiam & difficultatem, ſine quibus nullus naſcitur, *primordia* non ſupplicia dicebant, ſicut & mortem, & cæteras hujus vitæ miſerias conditioni naturæ humanæ adſcribebant. Parvulis denique ſine baptiſmo decedentibus vitam æternam promittebant, a Regno Cœlorum diſtinctam, quod non niſi

bapti-

baptizatis tribui fatebantur, victi Chriſti ſententia Joannis 3. Circa liberum arbitrium in hoc errabant Pelagiani, quod illud per peccatum Adami negarent ſauciatum; & hinc in hominis eſſe poteſtate cenſebant, ne paſſionum motus pateretur, nec eſſe cauſam, cur ad hoc peteretur Dei auxilium. Tertio negabant virtutes eſſe dona Dei, atque naturæ & voluntati humanæ, non gratiæ tribuebant. Propugnabat præterea Julianus infideles his virtutibus juſtos evadere, & hinc contendebat non obſtare Ethnicorum virtuti, quod animum gererent a Religione Catholica alienum; actus illos, quos ad Idoli cultum referunt, eſſe bonos cenſebat, ex ipſiſque bonam eorum evadere voluntatem. Ex quibus conſequens erat, Ethnicis non eſſe denegandam vitam æternam, quam Pelagiani infantibus ſine baptiſmo decedentibus concedebant; ſiquidem ejus ſenſu ipſis fidei privatio non nocebat, ſi recta opera exercerent. Quibus erroribus Pelagiana hæreſis præluſit modernis Indifferentiſtis, qui cenſent hominem juxta lumen rationis viventem in omni Religione unum Deum admittente ſalvari poſſe. Circa Gratiæ Chriſti influxum tot ſenſus impios fovit Angois ille Britannicus, quot habent aſpides Africani colores, certumque eſt, cum primum hæreſim ſuam promulgavit, nullam omnino gratiam admiſiſſe, ſed naturam ſolam, & ingenitas liberi arbitrii vires ad omne opus bonum ac meritorium ſufficere propugnaſſe. At preſſus poſtea, præter naturæ dona, quæ gratiam appellabat, quod ſine merito a Deo reciperentur, alteram deſiderabat, in lege ſcilicet ac doctrina poſitam, atque in exemplo Chriſti, quæ tamen ſolam mentis illuminationem, non motionem voluntatis complecteretur. Ac denique etiam remiſſionem peccatorum, non quaſi hanc remiſſionem nulla præcederent liberi arbitrii merita: ſed quod iſta ipſa merita, ſi deeſſet fides, quam naturalibus viribus propoſito ſibi Evangelio præbere hominem Pelagius cenſebat, illam aſſequi non poſſent. Cæterum gratiam habitualem divinitus infuſam agnoviſſe & propugnaſſe Pelagianos probat Nat. Alex. Sæc. V. ubi & ſequentia diſcrimina inter gratiam a Pelagianis admiſſam & noſtram ponit, quorum primum eſt, quod Pelagius gratiam voluntatis & actionis nunquam admiſerit, ſed ſolum intellectus & poſſibilitatis, quæ poſterior conſiſtit in donis naturæ a Deo etiam nolentibus nobis habitis. Secundum, quod tandem conceſſerit gratiam aliquam interiorem, ſed quæ ſolum detur ad *facilius* operandum. Tertium, quod Pelagii gratia humana merita ſequeretur. Pelagiana hæreſis damnata eſt in variis Conciliis Provincialibus, & 1. in Synodo Carthaginenſi A. 412. 2. in Hieroſolym. A. 415. 3. in Dinſpolitana A. 415. 4. in alia Synodo Carth. A. 416. 5. in Milevitana A. 416. 6. in Romana A. 417. variiſque aliis. Britaonum hunc anguem ejuſque hæreſim veritatis fulmine contrivit S. Auguſtinus.

Pelagianæ hæreſis ſurculus fuit hæreſis Semi-Pelagiana ita dicta, quod non omnes errores Pelagii defenderet; Semipelagiani enim de peccato Originali, & de neceſſitate gratiæ Chriſti ad illius remiſſionem recte ſentiebant; ſed capitalis eorum error in hoc conſiſtebat, initium aliquod ſalutis eſſe a nobis, nimirum fidem & voluntatem aliquam ſalutis obtinendæ, quæ tamen operis nomine cenſenda non eſſet, aut Juſtitiæ operibus annumeranda, ſicut nec deſiderium obtinendæ ſanitatis, quod in ægroto præcedit operam Medici, inter medicinæ opera numeratur. Et hinc inferebant, Deum æque velle omnes homines ſalvos fieri, ipſiſque mortem Chriſti applicare, ſi ipſi velint. Gratiam enim, cujus neceſſitatem ſive ad perfectionem, ſive ad inchoationem bonorum operum fatebantur, voluntati ſubdebant, ipſique præviam aſſerebant hominis obedientiam. Ex quo principio etiam inferebant, gratiam Chriſti ſuppetere omnibus, omneſque ad ſe invitare; ſed unumquemque proprio arbitrio vocanti parere, vel ſe ab ea retrahere. Et hinc nullam eſſe electorum vocationem ſecundum propoſitum contendebant, neque gratuitam prædeſtinationem; ſed eam fundari in præſcientia, quinam vocationi fidem & obſequium accommodaturi eſſent, & perſeveraturi NB. *ex viribus ſolius liberi arbitrii*, in quo ſolum erant hæretici. Unde denuo inferebant, non eſſe prædeſtinatorum certum numerum; ſed in hunc numerum in dies adlegi, nimirum obedientes, quoſdam, ſcilicet inobedientes, ex eo expungi. Item perſeverantiam non eſſe ſingulare Dei donum & gratiam. Hanc tempeſtatem excitarunt Galliarum Presbyteri & Antiſtites, maxime Maſſilienſes, qui libris S. Auguſtini contra Pelagianos ſcriptis liberum arbitrium tolli falſo ſibi perſuaſerunt. Qui viri inſignes non ſtatim habiti ſunt ut hæretici; nec eorum error ante Synodum Arauſicanam II. A. 529. celebratam hæreſeos nomine univerſim infamatus eſt. Eos confutavit S. Auguſtinus.

Prædeſtinatianorum hæreſis, quæ Pelagianæ e diametro opponitur, A. C. 417. emerſit, ſi S. Proſpero fides. Eorum errores ex Concilio Arelatenſi fuerunt ſequentes: 1. laborem humanæ obedientiæ divinæ gratiæ non eſſe jungendum. 2. *Hominis arbitrium liberum poſt lapſum Adami eſſe penitus exſtinctum*, quem errorem ſuſcitarunt Lutherus & Calvinus. 3. Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum, quem adoptavit Janſenius. 4. Dei voluntate perire, qui pereunt. 5. Poſt acceptum baptiſmum in Adam mori, quicunque deliquerit. 6. *Alios deputatos eſſe ad mortem, alios ad vitam eſſe prædeſtinatos*, quæ eſt doctrina Calvini. Aliter paulo eorum errores exponit Gennadius. Damnati ſunt in Conciliis Arelatenſi, & Lugdunenſi circa A. 575. Controverſia eſt inter Theologos, an unquam exſtiterint Prædeſtinatiani? & an potius S. Auguſtini diſcipuli hoc nomine traducti fuerint? Nat. Alex. Sæc. 5. affirmativam ſententiam ut probabiliorem tuetur.

Neſtorianæ hæreſis auctor fuit Neſtorius, Germanicia Syriæ oppidulo oriundus, primum Monachus, Antiochenæ deinde Eccleſiæ Presbyter, ac denique A. 427. a Theodoſio Imperatore Conſtantinopolis Patriarcha creatus. Magiſtrum habuit Theodorum Mopſueſtenum, a quo de incarnatione Verbi divini male ſentire didicit. Ipſo ſuæ ordinationis anno novam hæreſim moliri incepit: dunſque errores palmares propugnavit, quorum primus erat: Hominem in utero Virginis formatum alium eſſe ab unigenito Dei Verbo, & incarnationem eſſe meram inhabitationem Dei Verbi in homine, velut in ſuo templo; adeoque Deum non eſſe natum, paſſum, & mortuum: nec Chriſtum eſſe Deum, ſed Templum Dei. Alter vero, quod B. V. Maria *Theotocon*, hoc eſt, *Deiparam* eſſe negaret; & *Chriſtotocon*, ac *anthropotocon*, hoc eſt, *Chriſti-vel hominiſparam* dicendam potius aſſereret. Hunc hæreticum primus damnavit Cæleſtinus I. in Concilio Romæ A. 430. coacto. Ejus hæreſis præterea damnata eſt in Synodo Alexandrina A. 430. ac denique in Synodo Oecumenica Epheſina A. 431.

Neſtorii hæreſim zelo non ſecundum ſcientiam oppugnans Eutiches Presbyter & Archimandrita, hoc eſt Abbas celeberrimi Monaſterii Conſtantinopolitani, in alium errorem non minus pernicioſum impegit, novamque hæreſim fabricavit, Neſtorianæ extreme oppoſitam, qua utram-

que naturam in Chriſto miſcuit, coaliſamque in unam aſſeruit: ſive Chriſtum eſſe ex duabus naturis, ſed non in duabus, hoc eſt, duas fuiſſe ante unitionem naturas, unicam poſtea. Turbas, quas ejus hæreſis ac appellatio ad Romanum Pontificem excitavit, lege in Nat. Alexandro. Damnatus eſt cum Dioſcoro impiiſſimo ſuo defenſore in Concilio Generali Chalcedonenſi A. 451.

Acephalorum ita dictorum, quod Epiſcopis non ſubeſſent, Author fuit Severus, unde & *Severiani* dicti. Erant Semi-Eutichiani, unde etiam *hæſitantes* audierunt, & *Monophyſitæ*, quia cum Eutichianorum vulgo in eo conveniebant, quod ſingularem in Chriſto naturam ſtatuerent, duas negarent, eundem tamen errorem aliquatenus lenirent, dicendo, *Quoniam ſi & una prædicetur Filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundum aliquid naturæ Patris eſſe conſubſtantialis, & item ſecundum aliquid noſtræ; Hoc eſt autem dicere, nec Patris eam naturæ conſubſtantialem eſſe, nec noſtræ.* Ex hac ſecta emerſerunt hodierni Orientales Jacobitæ.

Theopaſchitæ e Petro Fullone, ita dicto, quod Monachus hanc artem exercuerit, orti divinitatem ipſam unigeniti Filii crucifixam, & in ſepulcro collocatam effutiebant ex generali Eutichianorum principio, humanitatem Chriſti ab ejus natura divina fuiſſe abſorptam. In cujus applicatione tamen non conveniebant, aliis dicentibus hanc abſorptionem eſſe factam in ipſa incarnatione, aliis e contra id factum primo aſſerentibus in cœli aſcenſu, de quo vide dicta lib. 1. Tit. 1. N. 184. & ſeqq.

19. Sæculo VI. ortæ ſunt Hæreſes Corrupticolarum & Phantaſiaſtarum, Agnoetarum, Tritheitarum, & Acœmetæ.

Corrupticolæ Authore Severo aſſeruerunt Corpus Chriſti fuiſſe corruptibile, Incorrupticolæ illud incorruptibile e contra cenſuerunt. Hæc autem quæſtio non ad mortalitatem vel immortalitatem, neque ad reſolutionem in elementa, vel contrariam ſubſtantiam pertinebat: nam & ipſi Eutichiani, de quorum grege hæ ſectæ prodierunt, profeſſi ſunt Chriſti Corpus hujuſmodi corruptioni non fuiſſe obnoxium. Id unum in controverſiam vocabatur, an Chriſti Corpus perinde ac noſtrum detrimenta pateretur, propter quæ reparanda eſuriret, ſitiret, fatigaretur, opuſque haberet cibo, & potu, & requie ad reficiendas vires, an vero ſpecietenus iſtas affectiones pateretur, ſolaque œconomia, quemadmodum poſt reſurrectionem? Primæ propoſitionis Patroni fuerunt Corrupticolæ, ſecundæ Incorrupticolæ, qui propterea Phantaſiaſtæ dicti ſunt.

Agnoetarum Author eſt Themiſtius Diaconus Alexandrinus, qui ignorantiam Chriſto adſcripſit. In eo tamen non erat poſita Agnoetarum hæreſis, quod ignorantiam Chriſto, ut homo eſt, tribuerent, ſed quod Chriſtum penitus ignoraſſe dicerent, quæ ejus neſciebat humanitas, quia unam tantum in Chriſto naturam compoſitam agnoſcebant.

Tritheitarum ſectæ Author fuit Joannes Grammaticus cognomento Philoponus ex Eutichianorum caſtris. Qui cum adverſus Catholicos contenderet, eo tandem vi & conſequentia diſputationis abreptus eſt, ut tres in divinitate naturas, ſicut tres hypoſtaſes ineſſe aſſereret. Idem negavit reſurrectionem mortuorum.

Acœmetarum Monachorum, id eſt inſomnium, quod in tres turmas diviſi, ac per vices ſuccedentes, diu noctuque divinas laudes in Eccleſia perſolverent, error in hoc conſiſtebat, quod negarent Unum de Trinitate incarnatum & carne paſſum, & Mariam vere, & proprie eſſe Dei Genitricem. Adeoque erant Neſtoriani. Eos nihilominus a Neſtorianis aliquo intervallo diſtare Facundus exiſtimabat. Præterea hoc Sæculo damnata ſunt famoſa tria capitula in Concilio Generali V. Conſtantinopolitano II. A. 553. de quo vide Natalem Alexandrum, & dicta N. 16.

20. Sæculo VII. Eccleſiam conturbarunt hæreſis Monothelitarum, falſa Mahometanorum Religio, & ſecta Paulicianorum.

Monothelitarum princeps fuit Sergius Patriarcha Conſtantinopolitanus, Patriarcha Cyrus Alexandrinus, Fautor & promotor Imperator Heraclius. Eorum error palmaris in eo poſitus fuit, quod unicam in Chriſto operationem, adeoque unicam voluntatem propugnarent. Contendebant namque naturam humanam ita eſſe unitam Verbo, ut licet mente, aliiſque facultatibus, quæ naturæ ſunt appendices, prædita eſſet, ipſa tamen propriam non exerceret actionem, ſed unica eſſet actio, profecta quidem a Verbo, ut a cauſa principe, ab humanitate vero, ut a cauſa inſtrumentaria. Maximas & periculoſiſſimas turbas in Eccleſia excitavit hæc de una Chriſti operatione hæreſis. Damnata tandem in ſexta Synodo œcumenica A. C. *668*. Conſtantinopoli celebrata, in qua & dictum anathema Honorio Romano Pontifici, tanquam hæretico Monothelitæ, vel eorum Fautori. Circa quam Concilii œconomiam, Honoriique reatum conſulendi ſunt Virorum doctiſſimorum criticæ diſſertationes, ex quibus Saniores Honorium & ab hæreſi Monothelitarum, & Concilium ab errore facti Dogmatici ſane graviſſimis rationibus abſolvunt, quamvis eundem Honorium diſſimulationis, & cunctationis in graviſſimo hoc negotio merito accuſent.

Sectæ Mahometanæ omnium, quas Orcus evomuit, Catholicæ Religioni infenſiſſimæ ac perniciosiſſimæ auctor extitit Muhamedes, ſeu Moamedus, aut Mahometus Cyrenæus, adjutore Sergio Monacho Neſtoriano, cujus beneficio Judaicarum & Chriſtianarum literarum nonnullam notitiam acceperat. Volumen, in quo nefariam legem a ſe confictam & promulgatam ſcripſit lingua Arabica, *Alcoran* vocavit, hoc eſt volumen præceptorum. Cujus hæc eſt ſumma. 1. Deum unum prædicat cum Judæis & Chriſtianis, univerſi Creatorem, remuneratorem bonorum, & vindicem malorum. 2. Deum habere Filium negat. 3. Chriſtum vocat Chriſtum, Prophetarumque excellentiſſimum, natum ex Maria Virgine (quam ſororem Moyſis fingit) & ex divina virtute profitetur. 4. Alium loco ejus crucifixum a Judæis, ipſum vero ad Deum migraſſe ex veterum hæreticorum fabulis ſomniat. 5. B. Virginem fatetur ab Angelo annunciatam, eamque cum Filio locum bonum & aquis amœnum inhabitandum a Deo accepiſſe. 6. De S. Joannis Baptiſtæ nativitate, prædicatione, & probitate cum Catholicis ſentit. 7. Teſtamenti utriuſque hiſtoriam interpolat & fabulis admiſcet. 8. Mortuorum reſurrectionem aſſerit. 9. Paradiſum voluptatibus corporis affluentem deſcribit, eumque bonis pollicetur, malos vero & incredulos igni perpetuo addicendos pronuntiat, claram ergo Dei viſionem ab hominibus aſſequendam negat. 10. Purgatorium quoddam admittit, ignem ſcilicet, quem omnes experiantur, & ex quo ſoli impii non ſint liberandi, & hinc pro mortuis orare jubet. 11. Omnium viventium originem ex una eſſe anima ſtatuit, homines ex umbra, dæmones ex igne creatos ait, ſed ſibi non conſtat. 12. Fato prædeſtinativo homines agi docet. 13. Deum ſeductionis humanæ auctorem facit. 14. Lapſus Adæ non ſemel meminit, cujus peccato & mortem & pudendam concupiſcentiam inve-

invectam fatetur. 15. Alcoranum ſuum & ſeipſum ubique commendat, ſe Dei legatum jactat, & Prophetam a Chriſto prænuntiatum, ſuumque Alcoranum ipſius præcepta confirmare. 16. Sectatoribus ſuis vetat probationem a ſe traditorum requirere, aut de Alcorano diſputare, callidus impoſtor. 17. Diſcrimen mortalis & venialis peccati agnoſcit. 18. Suos ſectatores paſſim ad bellum hortatur, utque ipſo mortuo armis religionem defendant, Paradiſum non patere aſſerens, niſi fortibus & magnanimis in bello. 19. Eos, qui vi & coactione a fide deficiunt, ſi fidem legemque in corde retineant, non damnandos aſſerit. 20. Prædeſtinationis & gratiæ aliquam umbram attingit. 21. Omnes Deum adorantes, & bene viventes, ſalvandos aſſerit. Id quod eſt principium noſtrorum Indifferentiſtarum generalium. 22. Circumciſionem ex Judaica Religione acceperunt Mahometani, quam tamen non octavo die, ſed anno 13. adminiſtrant. 23. Uxores plures ſimul ducere permittit Mahomet, modo quis pacem inter eas conſervare, eaſque honeſte alere poſſe confidat. 24. Commercium cum infidelibus, quo nomine Chriſtianos potiſſimum intelligit, & fidem illis adhibere vetat. 25. Porci, morticini, ſanguiniſque eſum prohibet, Vino interdicit non uvis genti ad ebrietatem proclivi, ludum etiam illiberalem vetat. 26. Jejunii diebus protracta ciborum ad veſperam uſque abſtinentia, totam noctem in crapula & libidine tranſigere concedit. Eorum ſolemne jejunium ſtatutum eſt menſe Romodan, quo Alcoranum cœlitus datum fingunt. 27. Frequentem commendat orationem, vultu ad Mecham converſo, præmiſſa lotione corporis, niſi aqua defuerit. 28. Eleemoſynarum ſtudium pariter commendat. 29. Uſuras prohibet ac damnat. 30. Solum juramentum ex animo factum reos coram Deo efficere docet, qui illud violaverint. 31. Cædis vindictam æqualem eſſe ſanxit, ut liber ſcilicet pro libero, captivus pro ſui ſimili, fœminaque pro fœmina mortem ſubeat; niſi quis pro pecunia condonare volens, ſecundum Dei præceptum ſævius homicidæ paciſcatur. 32. Terrenarum opum contemptum prædicat Evangelii ſimia. 33. Raptum & fucum mulieribus factum, nec non fornicationem execratur, & damnat; mulieres velari jubet. 34. Cuilibet ſalutanti ſalutationem reddi jubet, vel amicis ipſum verbis proſequi. 35. Peregrinationes ad Mechæ templum frequentes commendat, quod ab Abrahamo conditum fabulatur. 36. Maxima duo Divinæ legis mandata evertit Mahometana lex, de Dei dilectione & proximi. Deum ſcilicet ſolum diligi jubet æqualiter, aut plus quam Patrem, non ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Dilectionem vero inimicorum prohibet, & immane illud principium ſtatuit: *Vindicans ſe poſt injuriam illatam nequaquam reus exiſtit*. Quæ ſicut & alia Alcorani capita mox relata, cum aperte pugnent contra Lumen ſanæ rationis, legemque naturæ a Deo nobis inditam, aperte produnt, ipſum non e cœlo ſed orco allatum, ejuſque authorem eſſe teterrimum impoſtorem, cum revelatio divina nullatenus ne in minimo apice cum lumine naturæ a Deo indito pugnare poſſit. Quem characterem cum habeat vetus novumque teſtamentum, ita quidem, ut homines profani tam priorum, quam modernorum Sæculorum ne unam quidem legem exhibere poſſint, quæ hanc repugnantiam involvat, manifeſte apparet, utrumque eſſe a Deo revelatum, Moyſenque & Chriſtum ab eodem Deo fuiſſe miſſos; adeoque non niſi execrabili ac damnanda blaſphemia cum Mahomete inter impoſtores mundi connumerari, ut faciunt igne cremandi hujus ſæculi profani.

Anno Chriſti circiter 653. Paulicianorum ſecta orta eſt, ſeu potius Manichæorum hæreſis novam appellationem habuit, ac reformationem a Paulo quodam Samoſatis in Armenia errores ſuos ſpargente. Caput Manichææ hæreſeos ſervarunt, ſcilicet errorem de duobus principiis, cum modernis vero Proteſtantibus *panis & vini converſionem in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis Chriſti* negabant, & *omnem cultum vivificæ crucis ligno adhibendum*. Erant homines in omne libidinis & ſpurcitiæ genus effuſi.

21. Sæculo VIII. ex Inferis eruperunt Hæreſes Iconoclaſtarum, Alberti & Clementis, Felicis & Elipandi.

Gentiles, Judæi, Marcionitæ, Manichæi, Theopaſchitæ jam olim bellum Sacris Imaginibus indixere, ut teſtatur VII. Synodus act. 1. & 5. Illud primo a Judæis inſtauratum eſt A. C. 723. quo tempore Saranapechys dux Hebræorum Jezido Arabum Caliphæ perſuaſit, ut ex Chriſtianorum Templis, totiuſque Regni ſui finibus Chriſti & Sanctorum imagines deturbaret, cujus tamen filius Ulidus impoſtore occiſo in priſtinum ſtatum & cultum reſtituit Imagines. Non multo poſt Conſtantinus Nacoliæ in Phrygia ſalutari Epiſcopus Leonem Iſaurum Imperatorem in Sanctas Imagines accendit, eique perſuaſit, ut earum cultum quaſi Idololatriæ Reliquias aboleret. Qui proinde Author ac Coryphæus Iconoclaſtarum merito audit. Mirum lectu eſt, quo impio zelo, quaque atrocitate ab hoc Leone Iſauro, ejus filio Conſtantino Copronymo, ac hujus filio Leone propugnata ſit ac propagata hæreſis peſtifera, Epiſcopis Conſtantinopolitani Patriarchatus plurimis aſſentatione turpiſſima in eorum partes abeuntibus; quoque fidei avitæque traditionis retinendæ ardore atque conſtantia impiis horum Imperatorum conatibus reſtiterint S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ac ob hanc cauſam Martyr, Romani Pontifices Gregorius II. & III. Patriarchæ Antiochenus, Alexandrinus, Jeroſolymitanus, cum omnibus Orbis Monachis, communem Chriſtianorum ſenſum ac traditionem Apoſtolicam de venerandis S. Imaginibus ſcriptis, ac ſanguine propugnantibus. Præterea Iconoclaſtæ ſecundum edictum Conſtantini Copronymi cum modernis Proteſtantibus *Reliquias Sanctorum venerandas Cœlitibuſque ſupplicandum eſſe* negarunt, quamvis contrarium in ſua Pſeudo-Synodo, quam ſeptimam nominaverunt, & ad quam nec Romanus Pontifex, nec unus ex Patriarchis Orientalibus, ſed ſoli illi aulici adulatores convenerant, ſtatuerint, quod ſtatutum dein turpiter deleverunt, uti recenſet VII. Synodus Oecumenica, quæ eſt Nicæna II. recapitulando illius Pſeudo-Synodi anathematiſmos, dum ait: *Antiqua quippe revera eſt in Catholica Eccleſia traditio, & valde juſte in commemorationem nobis Principalium agnita: ſed impudenter hanc myſticam projicientes ſcientiam, Catholicam alloquuntur Eccleſiam: Vias tuas nolumus. Unde poſt hanc editionem ſuam, & interceſſionem Deo acceptabilem oblationem abjecerunt, delentes hanc ex hoc ſcripto ſuo, quod omnes noverunt*. Eadem Oecumenica Synodus A. C. 784. opera Irenes matris & Conſtantini Leonis Iconoclaſtæ filii congregata Præſidentibus nomine Adriani I. Apoſtolicæ Sedis Legatis, præſente Tharaſio Patriarcha Conſtantinopolitano, cui, utpote in arduis negotiis valde exercitato, & linguæ Græcæ peritiſſimo, Legati Apoſtolici directionem Synodi permiſerant, aſſidentibus Orientalium Patriarcharum Legatis, ac Epiſcopis univerſim 350. Iconoclaſtarum hæreſi anathema dixit. Synodum hanc Oecumenicam a Synodo Francofurtenſi 300. Epiſcoporum a Carolo M. a. 794. annuente Adriano I. contra Feli-

eam & Elipandum convocata errore facti, ex mala verſione profeſſionis fidei Conſtantini Conſtantiæ Epiſcopi orto, quod Græci hac in Synodo imagines *cultu Latriæ* ſoli Deo debito proſequendas definierint, itemque ex eo, quod eam ab Adriano nondum ſolemniter approbatam, particularem ſolum exiſtimaverit, decepta fuiſſe damnatam, Natalis Alex. Sæc. 8. contra Dallæum, aliosque Protaſtantes, cum aliis DD. Catholicis evincit. Et ipſarum rerum geſtarum ſeries contra hominum iſtorum argutiunculas demonſtrat, cum in aprico ſit, Francofordienſes cultum Religioſum ſacris imaginibus non denegaſſe, & Patres Nicænos cultum latriæ, ſeu adorationem ſoli Deo debitam iiſdem non tribuiſſe; id quod praxis utriusque Eccleſiæ poſt Sæculum VIII. usque ad Calvini tempora ſole clarius ob oculos ponit. Sunt ergo, & manent hæretici tam veteres, quam recentiores Iconomachi ex communi & perpetuo Eccleſiæ Catholicæ ſenſu. Id quod infra ſpecialius demonſtrabimus.

Albertus, ſeu Eldebertus, qui & Adelbertus, & Clemens, prior Gallus, alter Scotus circa A. 744. ſuis ſuperſtitionibus & erroribus S. Bonifacio Germanorum Apoſtolo in convertendis Alemannis, & reſtauranda in Galliis diſciplina negotium faceſſerunt. Errores Alberti fuerunt, quod ſe Apoſtolum cenſuerit, & capillos ac ungulas ſuas populis pro ſanctuario exhibuerit, & ſub obtentu Angelorum dæmones invocaverit. Clementis vero, quod Sanctorum Patrum ſcripta reſpuerit, Judaiſmum induxerit, docens fratris defuncti uxorem poſſe duci in matrimonium, inſuper & Dominum noſtrum J. C. deſcendentem ad inferos pios & impios ſimul inde abſtraxiſſe. Damnati ſunt Novatores iſti in Synodo Sueſſionenſi A. 745. quam eodem anno confirmavit Zacharias Papa. Item in altera Synodo, quæ habita eſt in Majoratu Carolomanni A. 746. Denique in Synodo Romana ſub eodem Summo Pontifice A. 746.

Chriſtum Filium Dei adoptivum ſecundum humanam naturam aſſeruit Felix natione Hiſpanus Urgellæ Epiſcopus, hancque ſuam ſententiam perſuaſit ſciſcitanti Elipando Toletano Archipræſuli, quam ſententiam variis Hiſpaniæ Eccleſiis poſtea invexerunt. Ex qua etiam inferebant, Chriſtum hominem eſſe ſervum conditionalem Patris æterni. An porro illi Epiſcopi Neſtoriani eſſent, inter eruditos diſceptatur, inquit Nat. Alexan. Sæc. 8. Et Sanctiſſimus noſter in libris de Canonizatione Servorum Dei, lib. 4. p. 2. c. 12. ait: inter noſtros Theologos adhuc diſputari, quinam fuerit verus ſenſus Felicis & Elipandi; nonnullis contendentibus, eos minime erraſſe contra veritatem myſterii incarnationis, ſed abuſos eſſe tantum nomine *adoptionis*, cujus naturam non bene noverant, eamque propterea credebant coaleſcere poſſe cum propria & naturali filiatione Chriſti, quam ſine diviſione hypoſtaſium nos cum filiatione adoptiva in Chriſto profitebantur; aliis contra putantibus, eos Neſtorio adhæſiſſe, & unitatem *Perſonalitatis* in Chriſto negaſſe; ita ut duos filios in Chriſto agnoſcerent, alterum naturalem ſecundum divinitatem, alterum præciſe adoptivum ſecundum humanitatem. De quo vide diſſert. ult. Nat. Alex. Sæc. 8. & alios. Damnata eſt ſententia Felicis & Elipandi tanquam hæretica in Synodo Forojulienſi non A. 791. ut inquit Nat. Alex. Anachroniſmum committens, cum ſuperius dicat, A. 792. hæreſim Elipandi ortam fuiſſe; ſed ut notat Pagius relatus tomo 9. Concil. collectionis Coletanæ, A. 796. celebrata. Item in Synodo Ratisbonenſi A. 792. in Synodo Romana A. 792. juxta eandem denique in ſupra laudata Francofordienſi A. 794. in qua cum Elipandus in ſuæ ſententiæ patrocinium allegaret S. Ildephonſum, Eugenium, & Julianum Sanctitate & literarum peritia apud Hiſpanos celeberrimos; Patres Concilii, quibus in prompto non erat illorum inſpicere libros, eos una cum Elipando damnarunt, non abſolute, ſed conditionate, ſi omnino ejuſdem cum Elipando fuerunt ſententiæ, uti probat Sanctiſſimus L. cit. Felicis converſionem, qui ejuratam Ratisbonæ hæreſim hortante Elipando recoxit, dubiam facit ſcheda poſt mortem ejus inventa; Elipandus vero pertinaciſſimus ſenex tandem ſe definitioni Eccleſiæ ſubjecit.

21. Sæculis IX. & X. Eccleſiam conturbarunt nova Manichæorum, ſeu Paulicianorum hæreſis, Errores Claudii, Gotaſcalchi, Schiſma Photii, reſuſcitati Theopaſchitæ, errores Joannis Scoti Erigenæ, Anthropomorphitæ, Walfredus.

Novorum Paulicianorum promotor in Oriente fuit Sergius quidam, qui ſe Pauli Apoſtoli diſcipulum Tychicum appellabat, a quo Sergiotæ dicti ſunt; a quo diſſidens Baanes, qui ſe Apophrodiri diſcipulum eſſe gloriabatur, plurimos ejuſdem ſectæ in partes ſuas pertraxit, qui ex ejus nomine Baanitæ nuncupati ſunt, cum alii Aſtati ſive Inſtabiles dicerentur.

Claudius Taurinenſis Epiſcopus Patria Hiſpanus, non Scotus, Felicis Urgellitani diſcipulus, non ſolum *imagines ipſas, ſed figuras omnes dominicæ Crucis* ex Eccleſiis disjecit; præterea Vigilantii hæreſim ſuſcitans, *Sacrarum Reliquiarum venerationem, & Sanctorum cultum atque invocationes, & peregrinationes Sacras ad Apoſtolorum Limina* impugnabat cum modernis Proteſtantibus.

Goteſcalchus Orbacenſis in diœceſi Sueſſionenſi Monachus gyrovagus & turbulentus, veterum Prædeſtinatianorum errores Sæculo IX. jam provecto excitavit. Ao. videlicet 847. aſſerens *Deum quoſdam ad vitam, alios ad mortem æternam prædeſtinaſſe* cum Calvino, & bene *Chriſtum pro electis ſolum, non vero pro reprobis mortem ſubiviſſe* cum Janſenio. Damnatus eſt in Synodis Moguntina A. C. 848. & in Cariſiacis A. 849. & 853. de Impugnatoribus, & Patronis Goteſcalchi perſonæ, non erroris, vide Nat. Alex. in diſſertatione 5. Sæculi 9.

Eccleſiam hoc labente Sæculo maxime turbavit Schiſma Photii hominis Laici & Curialis, qui ſedem Conſtantinopolitanam, pulſo Ignatio, legitimo & Sanctiſſimo Patriarcha, invaſit. A Nicolao I. excommunicatus vices ei rependit, excommunicatione reciproca in eum attentata: litteras encyclicas ſcripſit contra Romanam Eccleſiam vehementiſſimis criminationibus refertas; & doctrinam Catholicam de proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio ſcriptis impugnavit; præter quem errorem hominibus duas ineſſe animas aſſeruit. Græci etiam ab hoc tempore deſcendere cœperunt errores ſuos de non celebrando in azymis, de Romani Pontificis Primatu, aliosque. De his vide dicta lib. 1. tit. 1. n. 151. 164. & ſeqq. Schiſma tamen apertiſſime needum hoc Sæculo erupit. Depoſitus enim tandem eſt Photius A. C. 886. & in Monaſterium detruſus.

Circa initia Photiani Schiſmatis Theopaſchitarum hæreſis ſupra N. 28. relata fuit reſuſcitata. Eam damnavit Nicolaus I. in Romana Synodo A. 862.

Carolo Calvo in Galliis regnante Joannes Scotus Erigena varios errores docuit, præcipue circa prædeſtinationem & Euchariſtiam; quam *non eſſe verum Corpus & verum Sanguinem Chriſti* propugnavit, ſed tantum memoriam & figuram Corporis & Sanguinis ejus cum Calviniſtis modernis;

unde

unde ejus libro Berengarius Sacramentariorum Parens plurimum uſus eſt.

A. circiter *939.* Anthropomorphitarum Deo corpus affingentium hæreſis Italiam infeſtabat, quam Ratherius Veronenſis Epiſcopus verbo ſcriptiſque impugnavit.

Medio Sæculo X. Valfredus quidam hæreſim negantem immortalitatem animæ in Occitania publicavit; quem Durandus Caſtrenſis Abbas Ordinis Benedictini valide impugnavit & confutavit. Duæ ergo ſolum hæreſes nec magni progreſſus ortæ ſunt Sæculo X. ſingulari Dei pro Eccleſia ſua obſcuris illis temporibus providentia.

22. Fertiliora fuerunt hominis inimici zizania Sæculis XI. & XII. in illis enim exſurrexerunt novi Manichæi, Hæreſis Gandulphi, Berengariana, Schiſma Michaelis Cerularii, Secta Roſcelini, Bogomilorum, Tanchelini, Petrobuſianorum & Henricianorum, Arnaldiſtarum, Abælardi & Gilberti Porretani, Eudonis, Apoſtolicorum, & Waldenſium.

Novi Manichæi, ſeu potius Manichææ hæreſis propago, Matrem ſuam impietate longe ſuperans, regnante Roberto Rege in Gallia ab Itala muliere invecta, Aureliani grasſata eſt. Vetus & novum Teſtamentum rejiciebant ſcelerati velut figmenta carnalium hominum, ſolamque legem in cordibus ſcriptam ſe adſpirare gloriabantur. Et hinc rejiciebant Chriſti nativitatem, paſſionem, &c. Baptiſmum tollere peccata negabant. *In Eucbariſtia non eſſe Corpus Chriſti, Sanctos non eſſe invocandos, bona opera nil prodeſſe ad ſalutem* contendebant. Nocturnos agebant conventus, in quibus ſinguli lucernas tenentes nomina Dæmonum litaniæ inſtar recitabant, donec Dæmonem ſub forma cujuſdam beſtiolæ conſpicerent. Tum extinctis lucernis promiſcuam libidinem exercebant etiam cum Matribus. Natam prolem ex nefario concubitu 8. die cremabant, ejuſque cineres in uſum quemdam Sacramentalem velut Euchariſtiam ſtudioſe aſſervabant. Hæreſim prodidit Areſaſtus Vir nobilis; Hæretici a Rege Roberto & Synodo Aurelianenſi condemnati, vivi combuſti ſunt A. 1017.

A. 1025. in diœceſi Cameracenſi graſſata eſt hæreſis altera, quæ a Gandulpho quodam Italo habuit originem. Hujus ſectæ homines quandam juſtitiam præferentes, hac ſola homines purificari aſſerebant; nullumque in Eccleſia aliud eſſe Sacramentum, per quod ad ſalutem perveniri poſſit. Se a Gandulpho Evangelicis mandatis & Apoſtolicis informatos, nullamque præter hanc Scripturam recipere, ſed hanc verbo & opere tenere affirmabant. Præter errorem *de cultu Sanctorum, Imaginum, Altarium venerationem, purgatorium* negabant Proteſtantium Præcurſores, nihilque prodeſſe defunctis Chriſtianam ſepulturam effutiebant. Damnata eſt hæreſis in Synodo Atrebatenſi.

Hæreſis Berengariana contra opinionem Baronii ad A. 1035. ejus exordia referentem, probabilius prodiit A. 1047. ſedente Clemente II. Romano Pontifice. Ejus auctor Berengarius Andegavenſis Archidiaconus, homo rudis ingenii, ſed doctrinæ opinionem apud diſcipulos affectans, docuit Euchariſtiam *eſſe merum ſignum & figuram Corporis Chriſti*, non verum ſubſtantiale Corpus & Sanguinem, & conſequenter panis & vini ſubſtantiam in conſecratione non mutari, Sacramentariorum hodiernorum hoc ſuo dogmate Parens. Damnata eſt ejus hæreſis in Concilio Romano ſub Leone IX. A. 1050. Brionenſi, Vercellenſi, & Pariſienſi eodem anno. In Florentino ſub Victore II. A. 1055. ſub Nicolao II. A. 1059. in Rothomagenſi A. 1063. in Pictavienſi A. 1075. & in duobus Romanis ſub Gregorio VII. annis 1078. & 1079. Inconſtans Berengarius brevi pœnitens, brevi ad vomitum rediens, ultimo errorem ſerio retractavit, ac pœnitens obiit. De quo vide diſſertationes Nat. Alex. in Sæculum XI. & XII.

Schiſma Photianum, cujus Græci fere obliti erant, hoc Sæculo ſuſcitavit ac propagavit Michael Cerularius Patria Conſtantinopolitanus, & ejuſdem Urbis Patriarcha, homo genere nobilis, ingenio turbulentus. Virus diu occultatum effudit A. C. 1053. ſedente Romæ Leone IX. ac in Romanam, omnemque Latinam Eccleſiam cœpit debacchari, ſcripta ſuo & Leonis Acridiani Archiepiſcopi nomine ad Joannem Tranenſem in Apulia Epiſcopum epiſtola; alia quoque anno ſequenti ad Petrum Antiochenum Patriarcham, fœdis in Latinam Eccleſiam calumniis ſcatente, & quoſdam ipſius mores temere damnante. Hæc autem accuſationum ejus ſunt capita. 1. Quod Latini azyma conſecrantes cum Judæis communicent, nec aptam aſſumant Euchariſtiæ conficiendæ materiam. 2. Quod ſuffocata comedant. 3. Quod barbas radant. 4. Quod Sabbathis jejunent. 5. Quod immundorum animalium carnibus veſcantur. 6. Quod Monachi Latini carnes edant. 7. Quod Latini primam quadrageſimæ hebdomadam, nec non quinquageſimæ carnium eſu violent. 8. Quod Sacro Symbolo particulam *filioque* addiderint, & male de Spiritu S. ſentiant. 9. Quod in Sacra Liturgia hæc verba alta voce proferant: Unus Sanctus, Unus D. Jeſus Chriſtus in gloria Dei Patris per Spiritum S. 10. Quod apud Latinos duo Fratres duas Sorores ducant. 11. Quod in Miſſa tempore communionis Miniſtrorum alter alterum oſculetur. 12. Quod Latini Epiſcopi annulis ornentur ceu Eccleſiarum Sponſi. 13. Quod iidem ad Bellum proficiſcantur. 14. Quod merſionem unicam in baptiſmo uſurpent. 15. Quod ſalem in os baptizatorum immittant. 16. Quod nec Sanctorum Reliquias, nec Sacras Imagines venerentur, mendacium inſigne. 17. Quod *Alleluja* quadrageſimali tempeſtate non canant. Hanc Michaelis temerariam epiſtolam redarguit Leo IX. eamque prolixis litteris refutavit, ac Romanæ ſedis Primatum demonſtravit; ad pacem nihilominus turbulentum hominem invitavit, quam ille ſe initurum ſimulans, legatos nihilominus Leonis Conſtantinopolim miſſos poſtea vanis ac eludens, in magna Eccleſia Sanctæ Sophiæ probante Conſtantino Duca Imperatore, & conſentientibus Græcis excommunicatus eſt. Qua excommunicatione in rabiem actus ſchiſmaticus Patriarcha, Legatos Apoſtolicos viciſſim excommunicavit, nomenque Romani Pontificis e dypticbis deleri juſſit, ac datis mendaciorum ac calumniarum plenis litteris ad Petrum Antiochenum, alioſque Patriarchas, eos a Communione Romanæ Eccleſiæ divellere conatus eſt. Quid alii egerint incertum. Petrus Antiochenus reſcripſit, & multas ipſius objectiones tanquam leves ac futiles redarguit. Non ita tamen, ut in aliquibus etiam latinos non carperet. Nec totum corpus Eccleſiæ Orientalis hoc Sæculo poſt Cerularium abiit, Michaele Duca Orientis Imperatore communionem cum Romana Eccleſia ſervante & protegente, quin Sæculo XII. Græcorum pleroſque cum Latinis adhuc conjunctos, probant Sacrarum expeditionum hiſtoriæ. His tamen Sæculis diſputationes inter Græcos Latinoſque Doctores privatos, Legatoſque Pontificios præprimis circa Proceſſionem Spiritus S. & additionem particulæ *filioque* contentioſius efferbuerunt, Schiſmatiſque ac hæreſeos Græcorum venenum velut Cancer ſerpſit, donec totum Orientem infecit. Ad V. autem capita Græcorum ſchiſma & hæreſis ſe extendit, uti teſtatur definitio Concilii Florentini A. 1439. celebrati, & 1. negabant Spiritum S. a Patre & Filio procedere. 2. Prætendebant

par-

particulam *filioque* peſſimo conſilio a Latinis Symbolo Conſtantinopolitano additam. 3. Inficiabantur in azymo conſecrari poſſe. 4. Circa purgatorium ſuſpecte & minus Catholice ſentiebant. 5. Denique Romanum Pontificem non tenere Primatum in univerſum Orbem terrarum perſuaſum habebant. Ad unionem cum Romana Eccleſia circa dicta dogmata bis redierunt, prima vice in Concilio Lugdunenſi II. A. 1274. altera vice in Concilio Florentino A. 1439. ſed utraque vice cito defecerunt, atque ad vomitum relapſi ſunt, hac ſua inconſtantia defectionem ſuæ Eccleſiæ a vera fide apertiſſime teſtantes, & Romanæ Eccleſiæ teſtimonium irrefragabile ac conciliaribus ſubſcriptionibus firmatum dantes, apud ipſam *Solam* veram Catholicam & Apoſtolicam Fidem adusque noſtra tempora illæſam intemeratamque perſeveraſſe.

Roſcelinus Compendienſis Dialecticus, Petri Abælardi Præceptor, in hæreſim circa Myſterium SS. Trinitatis impegit, aſſerens in Deo tres Perſonas eſſe res ab invicem ſeparatas, ſicut ſunt tres Angeli: ita tamen, ut una ſit voluntas & poteſtas, & tres Deos vere poſſe dici, ſi uſus admitteret. Damnatus in Synodo Sueſſionenſi A. 1092. hæreſim abjuravit, ſed ad vomitum rediit.

Ex Paulicianorum novorum Manichæorum, & Meſſalianorum deliriis conflata Bogomilorum hæreſis ante A. 1118. erupit, Alexio Comneno imperante, cujus prudentia detecta eſt, ejuſque mandato nefariæ hæreſis princeps Baſilius Medicus, habitu Monachus, igne damnatus eſt. Nulla hæreſis magis ridicula docuit, quam iſta Bogomilorum, quæ ad 31. caput reducit Natal. Alex. quo lectorem curioſum remittimus. Præcipua fuerunt, quod cum Manichæis vetus teſtamentum rejecerint, præter Pſalterium & ſexdecim Prophetas, ex novo vero ſola quatuor Evangelia receperint. Cum Anthropomorphitis Deum corporeum aſſeruerunt, qui a multis ſæculis tres Perſonæ fuerat, ſed poſt 5500. annos rurſus unam factum perſonam. Item dæmonem etiam filium Dei efſutierunt. Denique cum modernis Proteſtantibus *Miſſæ Sacrificium* contempſerunt &c.

Tanchelinus homo flagitioſiſſimus, duos capitales errores docuit, quorum primus fuit, quod *miniſterium Epiſcoporum & Sacerdotum* cum modernis quibuſdam Proteſtantibus *inane, nec a Christo inſtitutum eſſe* dixerit. 2. Quod Sacroſancti Corporis & Sanguinis Chriſti perceptionem ad ſalutem perpetuam prodeſſe negaret. Antwerpiæ in Belgio hæreſim ſuam propagavit; eam vero contrivit Sanctiſſimus Pater Norbertus, Antwerpiam cum ſelectis fratribus ſacerrimi Ordinis, a ſe nuper inſtituti, eo ex fine accitus.

Petrus de Bruis ſectæ Petrobuſianorum nomen dedit ante A. 1119. exortæ. Errores ſuos in Provincia Arelatenſi, aliiſque finitimis diſſeminavit. Communes fere habuit cum modernis Proteſtantibus, quorum primus cum Anabaptiſtis negat *baptiſmum parvulis eſſe ad ſalutem proficuum*, eo quod non ſua, ſed aliena fide eundem recipiant. 2. *Templorum, Altariumque fabricas non debere fieri effutiit*. 3. *Cruces ſacras confringi* præcepit *& comburi*, quod Crux patibulum fuerit Innocentiæ Salvatoris. 4. *Veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia*, ſimulque *ſacrificatum Miſſæ Sacrificium* inficiatur. 5. *Sacrificia, Orationes, & Eleemoſynas defunctis prodeſſe* negat. 6. *Traditiones Auctoritateſque Patrum* rejicit. Præterea de Manichæiſmo ſuſpecti olim fuerant Petrobuſiani, quod tamen dubium eſt, & Petrum Bruiſium Manichæum non fuiſſe probat Nat. Alexander ex eo, quod carnes comederit. Qui in villa S. Ægidii in Diœceſi Nemauſenſi igni damnatus & combuſtus eſt, teſte Petro Cluniacenſi. Petrobuſiani etiam hæretici erant, de quibus Ivodii in Diœceſi Trevirenſi detectis a Brunone Archipræſule, quæſtionem habitam commemorat hiſtoria Trevirenſis. Sectam promovit Henricus Monachus Apoſtata circa A. 1140. Henricianam hæreſim expugnavit Albericus Epiſcopus Oſtienſis, Legatus Apoſtolicus ab Eugenio III. in Gallias miſſus cum S. Bernardo, qui concionibus, collationibus, & miraculis innumeros hæreticos ad fidem Catholicam convertit.

Arnaldiſtarum hæreſis A. circiter 1138. emerſit auctore Arnaldo Brixienſi, qui e Galliis reverſus Brixiæ & Romæ rem Chriſtianam turbavit aſſumpta larva ſanctitatis, Monaſtico ſcilicet habitu. De *Euchariſtia & Baptiſmo parvulorum* prave ſenſit. Epiſcopis regalia feudoſque, Clericis & Monachis bonorum quorumlibet proprietatem ac poſſeſſionem abrogabat Wikleffi & Huſſitarum præcurſor. Turbas Romæ maximi momenti cum cieret Arnaldus A. 1155. juſſu Friderici Imperat. captus, a Petro Urbis Præfecto ad rogum damnatus eſt, cineresque in Tiberim projecti.

Petrus Abælardus circa A. 1116. Pariſiis maxima cum celebritate nominis docebat. In plurimos lapſus eſt errores, damnatos in Synodo Sueſſionenſi A. 1140. Ante audientiam ad Innocentium II. appellavit. Ipſum, ejuſque errores damnavit Pontifex; illique ceu hæretico perpetuum ſilentium indixit. Catholicus & pœnitens obiit in Cœnobio Cluniacenſi A. 1142. Præcipui, de quibus accuſabatur, errores fuerunt. 1. Quod in Trinitate gradus, in Majeſtate modos, numeros in æternitate poſuerit. Conſtituit enim Deum Patrem plenam eſſe potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum S. nullam potentiam. 2. Spiritum S. quidem procedere ex Patre & Filio, ſed minime eſſe de Patris Filiive Subſtantia. 3. Negabat diabolum unquam jus aliquod in hominem habuiſſe, & Filium Dei carnem aſſumpſiſſe, ut hominem liberaret, ſed ut nobis eſſet Doctor & Exemplar morum. 4. Spiritum S. eſſe animam mundi aſſerebat. 5. Chriſtum Deum & hominem non eſſe tertiam perſonam in Trinitate. 6. Quod libero arbitrio ſine adjuvante gratia bene poſſumus & velle & agere. 7. In Sacramento Altaris remanere in aere formam prioris ſubſtantiæ. 8. Ab Adam non trahi originalis peccati culpam, ſed pœnam. 9. Nullum eſſe peccatum niſi in conſenſu & contemptu Dei. 10. Concupiſcentia, delectatione, & ignorantia nullum peccatum committi. 11. Suggeſtiones diaboli per phyſicam fieri in homine. 12. Fidem definiebat, æſtimationem rerum, quæ non videntur. Alios quoque errores ſibi objectos fuiſſe, ſcribit in epiſtola apologetica *univerſis Eccleſiæ S. Filiis* inſcripta, in qua contendit eos ſibi ex ignorantia vel malitia affictos fuiſſe. Pleroſque tamen in errores vere impegit Abælardus, quos ipſi S. Bernardus & Guilielmus S. Theodorici Abbas tribuunt: quamvis in quibuſdam capitibus potius in modo loquendi, quam re ipſa ab Eccleſiæ doctrina aberraſſe videatur. Propoſitio eſt Natal. Alex. Sæc. XI. & XII. diſſert. 7. A. 6. quæ diſſertatio legenda omnino eſt ad rite intelligendum ſenſum Abælardi in relatis propoſitionibus. Collega porro Abælardi in ingenii ſubtilitate, arte ſophiſtica, & erroribus fuit Gilbertus Porretanus, Pictavienſis Epiſcopus, vir cæteroquin integerrimæ vitæ, & Chriſtianæ gravitatis. Errores ſequentes docuit. 1. Divinam eſſentiam non eſſe Deum. 2. Proprietates Perſonales non eſſe ipſas Perſonas. 3. Theologicas Perſonas in nulla prædicari propoſitione. 4. Divinam naturam non eſſe incarnatam. 5. *Nullum mereri præter Chriſtum*, cum Proteſtantibus. 6. Nullum baptizari præter ſalvandos. Sed palmaris error ille fuit, quod divinitatem, Deique proprieta-

tes

tes tum abſolutas, tum relativas Deum non eſſe propugnabat, ſed divinitatem eſſe formam, qua Deus eſt; magnitudinem, que magnus, bonitatem, qua bonus, Paternitatem, qua Pater. Circa hunc ultimum errorem Natal. Alex. Sæc. XI. & XII. plura coævorum ſcriptorum, præſertim S. Bernardi, qui ardentiſſimo veritatis Catholicæ zelo in Porretanum invectus eſt, adducit teſtimonia, *ut omnibus innoteſcat*, inquiens, *ipſum exiſtimaſſe attributa divina neque a ſe invicem, neque ab eſſentia ipſa diſtingui*. Et poſtea Petavii & Gerſonis adducit ſententias, qui exiſtimant ſubtilis Doctoris opinionem circa formalem diſtinctionem inter divinam eſſentiam, & attributa parum vel nihil differre ab errore Gilberti. A que tamen cenſura ſtrenue ſe purgant Scotiſtæ. Ejuſdem cauſa acta eſt in Synodo Antiſſiodorenſi, dein in Concilio Pariſienſi A. 1147. Præſide Eugenio III. ac demum in Concilio Rhemenſi A. 1148. in quo Summus Pontifex decrevit: *Ne aliqua ratio in Theologia inter naturam & Perſonam divideret, neve Deus divina eſſentia diceretur ex ſenſu ablativi tantum, ſed etiam nominativi*. Gilbertus errores ſuos ejuravit, & ejus librum Romanus Pontifex prohibuit, donec emendatus eſſet.

Eudon de Stellis ex Britannis oriundus, præſtigiis dæmonum rudem plebeculam ſibi paſſim aggregans, per diverſa loca oberrabat, Eccleſiis maxime & Monaſteriis cum modernis Proteſtantibus infeſtus. In eam lapſus eſt ereoris amentiam, ut ſe, quod *Eon* vernacule vocaretur, judicem vivorum & mortuorum jactitaret, ac de ſe dici in exorciſmis Eccleſiæ, Per *Eum*, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Demens Hæreſiarcha ab Eugenio III. & Synodo Rhemenſi A. 1140. damnatus, & 1148. in carcerem miſſus, atque ibi mortuus eſt; ejus vero diſcipuli igne concremati.

Eadem pene tempeſtate emerſit nova hæreſis ruſticanorum & illiteratorum hominum, qui cum ſectæ Auctorem & Magiſtrum alium a diabolo non haberent, ſeipſos Apoſtolicos ambitioſe: appellaverunt. 1. Nuptias damnabant continentiæ voto ſe obſtringentes, & tamen fœminis cohabitantes. 2. *Baptiſmum parvulorum, invocationes Sanctorum, orationes pro defunctis* rejiciebant ac damnabant. 3. Suam duntaxat ſectam Eccleſiam eſſe aſſerebant; ac quemlibet baptizatum ex illis, quem electum vocabant, poteſtatem habere *conſecrandi Eucharistiam*. 4. Eccleſiaſticis Ordinibus & Prælatis derogabant, nulle ipſos in conficiendis & adminiſtrandis Sacramentis poteſtate præditos aſſerentes, ſi peccatores eſſent. Quem tamen errorem alteri ſectæ tribuit Evervinus Steinfeldenſis Præpoſitus. 5. A carnibus, a lacte, & omnibus ex coitu genitis abſtinebat hæc Manichæorum Soboles. 6. Cum Priſcillianiſtis ſectam ſuam etiam perjuriis occultabant, ab omni juramento alias abſtinentes. Circa Coloniam Agrippinam maxime viguit hæc hæreſis, quam S. Bernardus confutavit.

Ut modernorum Proteſtantium ſectæ, per hucuſque enumeratas hæreſes fruſtatim adumbratæ, uno velut ſchemate præformarentur, atque quid de illis ſanæ mentis homini ſentiendum ſit indicaretur, Deus in Eccleſia ſua oriri permiſit peſtiferam Waldenſium hæreſim, ut bifrons ejus facies, quarum una eſt Proteſtantium placitis ſimillima, altera vero ex aſſe oppoſita, horum in his Parentibus inanem confunderet gloriationem, quaſi in illis, eorumque occultis neſcio quibus anteceſſoribus puſillus Grex Chriſti, ſeu vere Chriſti Eccleſia fuerit conſervata, atque ad ipſos uſque propagata; cum enim dicti Waldenſes plures docuerint capita, quæ ipſi alte condemnant, & reliqui a nobis enumerati Hæretici atque Græci Schiſmatici adhuc in paucioribus cum illis conveniant, aliaque præter Eccleſiam Catholicam non poſſit oſtendi natio, quæ Chriſti Nomen per iſta Sæcula palam profiteretur, nec ad inviſibilem occultamque Eccleſiam confugere liceat, utpote quæ Chriſtum neceſſario negaſſet coram hominibus, cum omnes mortales Chriſti Nomen profitentes, vel doctrinam Eccleſiæ Romano-Catholicæ, ejuſque Ritus, vel doctrinam Rituſque Græcæ aut aliarum ſectarum profeſſos fuiſſe hiſtorica momenta omnium Sæculorum clamitent, & Eccleſiæ Sponſa Chriſti veritatem erroreſque docere ac credere ſimul non poſſit, inde conſequi neceſſe eſt, ut vel hi Proteſtantium Prædeceſſores a Communione Romanæ Eccleſiæ ſeparati ſinceram & non adulteratam Religionem non habuerint, vel moderni Proteſtantes in multis erroribus verſentur, vel denique Romano-Catholica Eccleſia erraverit, unde iſti omnes exiverunt, & a qua omnes conſtanter condemnati ſunt, & ſic ſincera Chriſti fides omnino toto Orbe exulaverit, & de facto exulet. Quod quam abſurdum ſit vel cogitare, quivis facile advertit. Jam ad rem. Auctor ſectæ Waldenſium fuit Petrus Waldo, qui eleemoſynarum profuſione multitudinem pauperum maximam ſibi conſociavit, quos voluntariam paupertatem & Chriſti ac Apoſtolorum exempla ſectari docuit, novi Teſtamenti textum vulgari lingua eos docendo. Prælatorum Eccleſiaſticorum vitam reprehendit, diſcipuliſque perſuaſit, Clerum, quod moribus eſſet depravatis, Sanctæ ipſorum vitæ & doctrinæ invidere. Qui cum anathemate a Romano Pontifice confixi eſſent, ipſum nihili fecerunt. Hæretici hi præterea Leoniſtæ, & Pauperes de Lugduno appellati ſunt ab Urbe Lugduno, vernacula Lion, ex qua eruperunt. Picardi, Albigenſes, Lombardi, Bohemi, Bulgari, quia in his regionibus graſſabantur. Arnaldiſtæ, Eſperoniſtæ, Joſephiſtæ, Lollardi, a variis ipſorum Ductoribus. Patareni, quod ſe perſecutionem pati gloriarentur. Cathari, quod ſe præ cæteris puros jactitarent. Boni homines, quod morum integritatem præſeferrent. Texerants, quia plerique infimæ ſortis artifices, textores &c. Poplicani quoque, Turlupini, Ribaldi, Piphles a Catholicis vocati ſunt in odium & execrationem ſectæ. Inſabbathati, quia in Calceo, quem Hiſpani Capato, vel Zapato appellant, ſignum ſpeciale ad modum ſcuti præferebant; vel quia Sabbatha ſeu feſtivos dies non celebrarent. Illorum errores recenſuit ac in tria præcipua capita diſtinxit circa A. C. 1254. Reinerius illorum olim Epiſcopus, ad fidem Catholicam deinde converſus, cui ſane fides adhibenda. Primum caput complectitur blaſphemias in Romanam Eccleſiam, & ſtatuta ipſius, ac Clerum. Secundum, errores circa Eccleſiaſtica Sacramenta, & Sanctos. Tertium denique execrationes, quibus honeſtas quaſvis & approbatas Eccleſiæ conſuetudines deteſtantur, & inceſſunt. In omnibus autem capitibus fere nil aliud docent, quam Wicleffus & moderni Proteſtantes. Nam quod primum attinet, *Eccleſiam Romanam ſub Sylveſtro defeciſſe*, ac Babyloniam meretricem eſſe effutiebant, cujus errorum caput & Author ſint *Romani Pontifices*. Prælatos enim Epiſcopis, atque Religioſis Ordinibus eſſe *Phariſaica inſtituta*, quibus non ſit parendum, ſed ſoli Deo. *In Eccleſia omnes eſſe æquales*, & hinc Eccleſiaſtica ſtatuta ob eorum multitudinem & gravitatem eſſe contemnenda. Circa Sacramenta, duo tantum ſe credere profitebantur, *baptiſmum & Eucharistiam*; *exorciſmos, benedictiones, & Catechiſmum* in priori rejicientes, atque infantibus nihil prodeſſe garrientes, utpote *ſine baptiſmo* ſalvandos. Quæ Sacra-

cra-

cramenta a Sacerdote in peccato mortali conſtituto confici poſſe negabant. Cantum Eccleſiæ clamorem infernalem eſſe clamabant, *horas canonicas* rejiciebant. Circa pœnitentiam ſentiebant, neminem ab improbo Sacerdote abſolvi poſſe, proboque Laico potius, quam malo Sacerdoti peccata confitenda eſſe; quam inſuper e *Sacramentorum numero* expunxerunt. Conjuges mortaliter peccare, ſi abſque ſpe prolis convenlant, aſſerebant. Eccleſiam erraſſe, cum *Cælibatum Clericis* indixit, continenteſque oſculis & amplexibus non peccare. Loco extremæ Unctionis manuum impoſitionem adhibebant, quam *conſolamentum* appellitabant; eoque conſolamento omnium peccatorum remiſſionem abſque ſatisfactione aliqua ſe conſequi credebant. Probum quemlibet laicum Sacerdotem eſſe & mulierculas prædicare poſſe ſibi perſuadebant. Solum Scripturæ Sacræ textum recipiebant; *traditiones*, *authoritates* Patrum, Decreta, & Decretales rejicientes, *cum cenſuris Eccleſiaſticis* a Catholicis Prælatis latis; nam ſuos excommunicare poſſe cenſebant. Denique circa dogmata & conſuetudines Eccleſiæ errando *Sanctorum invocationem* impugnabant. *Reliquias*, *translationes*, *canonizationes*, *vigilias*, *feſtivitates* Sanctorum contemnebant. *Miracula* ad ipſorum monumenta, vel *invocationem* facta negabant. *Imaginum Crucisque cultum*, *cum purgatorio* rejiciebant. *Eccleſias*, *Altaria*, eorum *conſecrationes*, *ornatum*, *&* *Sacram Supellectilem*, *Sacerdotalia indumenta*, *luminaria*, *thurificationes*, *aquam benedictam*, *Proceſſiones*, *ſepulturæ Ritus*, *confraternitates*, *exorciſmos*, *&* *Eccleſiaſtica jejunia*, *ut ſuperſtitiones & idololatriam* deridebant. Principes ac Judices univerſos æternum damnari aſſerebant, illis nihilominus reverentiam & obedientiam eſſe præſtandam. Atque hi erant Waldenſium in communi errores, in quorum multis ſane diſcrepabant a modernis Proteſtantium ſectis vel omnibus, vel aliquibus. Sed eorum ſectæ ſpeciales, in quas dividebantur, in turpiſſimos errores veterum Hæreticorum lapſæ ſunt. Ex quibus Runcarii infamem illum errorem tuebantur, quod a cingulo uſque deorſum nullum peccatum mortale committeretur. Cathari Manichæorum errores adoptabant, atque omnia ſacramenta diaboli inventa effutiebant. Contra quos Seiſcidenſes Euchariſtiam propugnabant, in cæteris ipſis conſentientes. Ortlibenſes Trinitatem cum Sabellio pernegarunt, Chriſtum purum hominem inſuper blaſphemantes. Cathari inſuper in tres ſectas diviſi, Albanenſem, Contorezenſem, Baglonenſem, blaſphema multa docuerunt per Lombardiam diffuſi. Quidam Albanenſes in duas factiones diviſi erant, quorum prima ſub Geiezinanza duo principia apertius ſtatuebat, æqualitatem Trinitatis negans cum Manichæis, Arianis, & Neſtorianis. Altera vero ſub Joanne de Lugduno, etſi in duobus principiis cum peiori conveniret, Manichæorum tamen conſequentias inde deductas non omnes admiſit. Contra quos alia ſecta Mediolani graſſata admiſit elementa a Deo creata fuiſſe, ſed a diabolo diviſa. Contorezenſes plerique circa Trinitatem errabant, Deum Angelos quidem & elementa creaſſe, ſed cætera omnia viſibilia a diabolo ex limo formata eſſe affirmantes. Baglonenſes cum Origene animas a Deo creatas ante mundi conſtitutionem aſſerebant, & tunc in peccatum prolapſas. Patareni Luciferum eſſe mundi creatorem contendebant, & nuptias adulterium dicebant. Paſſagini Moſaicam legem ad literam obſervandam eſſe dicebant. Waldenſium quoque Catharorum propago fuit ſecta Albigenſium, de qua N. ſeq. Monſtrat tamen Natal. Alex. hic, Waldenſes puros non ſecutos fuiſſe Manichæorum, & Arianorum errores, ſed ſymbolum Apoſtolorum in duodecim Articulos diſtinctum amplexos. Quin eorum Reliquias in Bohemiam extractas, atque Sæculo XVI. adhuc ſuperſtites, Waldenſium errores emolliviſſe, condiſſe, ac ipſorum doctrinam pexuiſſe, & fuco liniviſſe, ornaviſſeque, ut novis Pſeudo-Apoſtolis Luthero & Calvino placerent, maxime in articulo de Euchariſtia, ex eorum fidei Confeſſione Ferdinando Romanorum & Bohemiæ Regi A. 1535. oblata, atque a Luthero honorifica præfatione dignata, in comperto eſt. In Art. ſiquidem XIII. de cœna Domini docent, Panem Cœnæ Dominicæ *verum* Corpus Chriſti eſſe; *ſubſtantialiter* tamen Corpus Chriſti eſſe non cenſebant, ſed efficacia tantum & virtute, ut in eadem confeſſione ſe explicant. In quo dogmate & a Luthero, & a Calvino diſcrepant; quamquam vero Lutherus illorum confeſſionem in laudata Præfatione approbaverit, Calvinus nihilominus in ep. ad Miniſtros Poloniæ ſcribens, huic eorum dogmati graviter ſuccenſet. Ex quibus omnibus perſpiciant cordati Proteſtantes, quantum in his ſuis Parentibus jure gloriari poſſunt. Damnati ſunt primum ab Alexandro III. in Concilio Turonenſi A. 1163. ac poſt alias damnationes in Concilio Later. III. A. 1179. can. 27. denique in altero Lateranenſi Concilio Generali IV. ſub Innocentio III. A. 1215. &c. Condemnati præterea infamia, exilio, confiſcatione bonorum a Friderico II. Rom. Imp. & ante ipſum eadem pœna ab Alphonſo Arragoniæ Rege, qui eorum fautores reos eſſe voluit criminis Læſæ Majeſtatis. Eoſdem hæreticos publicis legibus inſectatus eſt, & convictos igni damnavit Philippus Auguſtus Galliæ Rex; quos etiam coercuit Ludovicus VIII. Rex Chriſtianiſſimus.

23. Sæculo XIII. & XIV. in Eccleſiam ſequentes hæreſes graſſatæ ſunt, Albigenſium, Amalrici & error Joachimi Abbatis, errores anonymi, Stadinghorum, Circomcellionum, Flagellantium, a Guillelmo Epiſcopo Pariſienſi damnati, Guillelmi de S. Amore & Joannis de Poliaco, errores a Stephano Pariſienſi Epiſcopo damnati, errores Petri Joannis Olivæ, Fraticellorum, Hermanni, Gerardi Sagarelli & Dulcini, Beguardorum & Beguinarum, Arnaldi de Villa Nova, Lolhardi, Cecci Aſculani, & Ekardi, Marſilii Patavini & Jandini, Palamitarum, Joannis de Mercuria, & Nicolai de Ultricuria, Magiſtri Simonis & Fratris Guidonis & Magiſtri Ludovici, Bertholdi de Rohrbach, Martini Conſalvi, Nicolai Calabri, Janovicii, & Berengarii, Magiſtri Joannis de Calore & Fratris Dionyſii Sotlechau, Joannis de Latone, & Arnaldi Montanerii, Turlupinorumque hæreſis, Raymondi Lullii, & Raymundi Neophyti, errores in Anglia diſſeminati, hæreſis Wicleffi, errores Joannis de Montſono.

Albigenſium hæreſis ſic dicta, quod Albigenſium præſertim, totaſque Toloſanas Provincias infecerit, propago eſt hæreſis Waldenſium. Habebant Albigenſes errores fere communes cum Waldenſibus Catharis Germaniæ. Bonum & malum principium ſtatuentes, & ſequelas Manichæorum ex hoc principio deductas amplectentes; Chriſtum viſibilem hominem ſceleratum, ejus Sanctiſſimam Matrem meretricem, Magdalenam illius concubinam impiiſſime blaſphemantes. Circa Eccleſiam Romanam, ejuſque dogmata ad unguem convenerunt cum Waldenſibus. In ſectam *perfectorum* & *credentium* dividebantur. Perfecti de caſtitate gloriabantur, & a lacticiniis & carnibus abſtinebant; Credentes omnibus ſceleribus operam navabant, atque ab omnibus liberos ſe futuros credebant, ſi in mortis articulo poſſent dicere *Pater noſter* & *conſolamentum* Waldenſium per manus impoſitionem recipere. Aliqui tamen

qui-

quibuſdam Albigenſibus tribuebantur errores, a quibus eos excuſat ipſe Innocentius III. Quod inde contigit, quia Albigenſium plures ſectæ fuerunt, nec omnibus communes errores, ex eorum tamen commixtione in Albigiſio, Provincia Cataloniæ, non facile diſcernibiles. In Dalmatiam uſque penetravit Albigenſium hæreſis, ubi Antipapam creare auſi ſunt Bartholomæum Carcaſſona oriundum. Spiritualibus ac temporalibus armis adverſus illos pugnatum eſt. Spiritualibus quidem ab Epiſcopis Hiſpaniæ & Viris Religioſiſſimis Sacerrimi Ordinis Ciſtercienſium, ſed præcipue a S. Patre Dominico, qui ad eos eradicandos Celebratiſſimum Ordinem Prædicatorum inſtituit, erigendique Sanctæ Inquiſitionis Officii Romano Pontifici auctor fuit. Temporalibus vero, dum in occiſores Miniſtrorum & vaſtatores Eccleſiarum ſacra militia Duce Simone Comite Montſortio ab Innocentio III. expedita fuit. Damnati ſunt Albigenſes in variis Conciliis particularibus, ac denique in Concilio Generali Lateranenſi IV. ab Innocentio III. A. 1215. celebrato. De quo vide lib. 1. tit. 1. N. 216. & ſeqq.

Amelaricus e territorio Carnotenſi, Benis oriundus docuit, quemlibet Chriſtianum teneri credere ſe eſſe membrum Chriſti, nec aliquem poſſe ſalvari, qui hoc non crederet; non minus, quam ſi non crederet Chriſtum eſſe natum, paſſum, vel alios fidei articulos. Damnatus a S. Facultate Pariſienſi, & ab Innocentio III. errorem ſuum ſpecietenus revocavit. Diſcipulos reliquit novis erroribus audaciam Magiſtri ſuperantes. Præcipui erant, quod dicerent Patris poteſtatem duraſſe uſque ad finem Legis Moſaicæ; Legem novam a Chriſto conditam ad ſua uſque tempora, id eſt ad Sæculi XIII. initium vim habuiſſe: ipſa deinceps cum omnibus ſuis Sacramentis antiquata, Spiritus S. Regnum in ſola interiori gratia, qua abſque externis operibus quilibet ſalvetur, ſucceſſiſſe, quam ita ampliabant, ut eam nullis flagitiis amitti poſſe contenderent homines flagitioſiſſimi ac in omnem libidinem effuſi, quorum errori affinis eſt error Calvini de juſtitia inamiſſibili. Impanatoribus Lutheranis præcinebant, *corpus Chriſti non aliter eſſe in pane altaris, quam in alio pane, & qualibet re* aſſerendo. Negabant cum modernis profanis reſurrectionem corporum, Paradiſum, & infernum, bonam conſcientiam Paradiſum, flagitii conſciam infernum delirantes. *De cultu Imaginum & Reliquiarum* cum modernis Proteſtantibus ſentiebant. Damnati ſunt in Concilio Pariſienſi A. 1209. Demum in Later. IV. De quo vide ut ſupra lib. 1. Tit. 1. N. 218. In eodem Concilio etiam damnatus fuit error Joachimi Abbatis, non vero ipſe Joachimus; de quo vide ibi.

Joachimi errorem defendit quidam Anonymus novitque erroribus auxit. Circa novi teſtamenti evacuationem futuram, favorem Judæorum, & Græci ſchiſmatis juſtificationem præcipue verſabantur. In quem finem anno circiter 1250. librum edidit, inſcriptum *Evangelium æternum*, in quo doctrinam Joachimi excellere doctrinam Chriſti etiam blaſphemat. Hujus Phantaſtici Evangelii defenſores damnati ſunt in Concilio Arelatenſi A. 1260. atque etiam a ſede Apoſtolica.

Stadinghorum diabolica hæreſis in Germania erupit. Dæmone Magiſtro ſub variis formis ipſis apparente utebantur, ac promiſcuam libidinem exercebant. In Luciferum credebant, quem injuſte a Domino de Cœlis deturbatum, rurſum illos occupaturum deturbato Domino, ſeque per ipſum ſalvandos blaſphemabant. Omnia, quæ Deo diſplicent, agenda aſſerebant; Euchariſtiam ſemel in Paſchate ſumptam in ore ſervatam in latrinam exſpuebant Tartarei homines. Clericos ac Religioſos immaniter trucidabant ruſticorum infamium illæ cohortes, in munitiſſimis locis ad confinia Friſiæ, Saxoniæ, & Bremæ confidentes. Qui proinde per Sacram expeditionem ab Henrico Brabantiæ Duce, & Florentio Hollandiæ Comite indicente Gregorio IX. ſuſceptam, juſto ac pertinaci prælio victi ac deleti ſunt.

A. 1248. Friderico Imp. adverſus Eccleſiam rebelli, & Conrado ejus filio faventibus, Circumcelliones Hæretici, ab antiquis illis e Donatiſtarum ſecta longe diverſi, prava ſua dogmata palam & impune in Suevia prædicare ſunt auſi. Papam, Epiſcopos, & Monachos Hæreticos appellabant, atque peccato mortali obſtrictos nullum Sacramentum poſſe conficere. *Indulgentias non a Papa*, ſed a ſolo Deo in ſua ſecta dari affirmabant. Hos ferventiſſimis concionibus debellabant Catholici Prædicatores, & nobilitas omnis Conradum Principem eorum fautorem deſeruit, Hæreticoſque inſectata eſt.

Flagellantium crudelis ſecta Peruſii primum, deinde Romæ A. circiter 1260. exorta, Germaniam, Ungariam, Poloniam, Sueciam, & Angliam penetravit. Hujus ſectæ homines per triginta tres dies ab umbilico ſurſum denudati, Viri quidem in publicis proceſſionibus, mulieres vero domi, in memoriam 33. annorum Chriſti flagellis ad ſanguinis effuſionem ſe cædebant. Pietas hæc exorbitans a ſede Romana non approbata brevi in hæreſim migravit. Neminem enim a peccatis abſolvi aſſerebant, qui ſectæ ſuæ nomen non dediſſet, & hinc mutuo ſe ſe abſolvebant, etſi Laici eſſent. Sectam damnavit Clemens VI. ejuſque aditum in Gallias prohibuit Philippus Valeſius Rex Chriſtianiſſimus.

A. C. 1240. Guillelmus Epiſcopus cum Pariſienſi Facultate damnavit 10. errores in ſcriptis Anonymi repertos, quorum præcipui ſunt: quod divina eſſentia in ſe nec ab Angelo, nec ab homine videatur, vel videbitur: quod Spiritus S. prout eſt nexus & amor, non procedat a Filio, ſed tantum a Patre. Quod diabolus nunquam habuit, unde poſſet ſtare, nec etiam Adam in ſtatu innocentiæ.

Guillelmus de S. Amore a natalis ſoli oppido in Sequanis nuncupatus Pariſienſis Doctor Theologus contra recentes FF. Prædicatorum Ordines graviſſimas turbas excitavit in Academia Pariſienſi, adjunctis ſibi quibuſdam Pariſienſibus Magiſtris. Ejus ac Sociorum calumniæ in Ordines mendicantes erroribus obnoxiæ ex S. Thoma a nobis ſpeciali diſſertatione convulſæ ſunt lib. 3. tit. 31. quo lectorem remittimus.

A. C. 1270. erronei articuli 13. a Stephano Tempier Pariſienſi Archiepiſcopo damnati ſunt. Quorum præcipui ſunt ſequentes. Intellectus omnium hominum eſt unus & idem numero. Voluntas hominis ex neceſſitate vult & eligit. Actus humani non reguntur a Divina Providentia. Deus non cognoſcit ſingularia.

Fr. Petrus Joannes Oliva Ordinis Fr. Minorum Profeſſor ex oppido Sirignano Diœceſeos Biterrenſis oriundus, primum eruditionis ac regularis obſervantiæ fama floruit, tum hæreſeos infamia laboravit. Eumque Fratricelli, Beguardi, & Beguinæ, ut Patriarcham ſuum venerati ſunt. Syſtema ejus in hoc conſiſtebat, quod ſex Eccleſiæ ſtatus finxerit; quorum ſextum incipientem a tempore S. Franciſci, & plenius a tempore condemnationis Babylonis Meretricis magnæ (quo nomine Romanam Eccleſiam ubique intelligit) & duraturum uſque ad tempora Antichriſti, prioribus maxime eminere prætendit, utpote in quo rejecta carnali Eccleſia, Chriſti lex & vita & crux ſint renovandæ, & gloria Eccleſiæ quinti ſtatus ob ejus malitiam in Eccleſiam ſexti ſtatus trans-

Digitized by Google

transferenda. Quod Papa cum ſuis Pſeudo-Prophetis ſit *beſtia Apocalyptica*, per Angelum Franciſcum & Ordinem Minorum expugnanda. Propheta fuiſſet Petrus Joannes, ſi dixiſſet Eccleſiam Romanam ab Ordine zeloſiſſimo S. Patris Franciſci contra ejus aſſeclam, Angelum, ſi ſuperis placet, Apocalypticum Lutherum, propugnandam. Cæteri ejus errores, in Concilio Vienneſi A. 1311. damnati videantur lib. 1. tit. 5. a N. 301. ubi etiam diſquiritur, an eorum reus haberi debeat vel non?

Fratricellorum ſectæ initium dedere Petrus de Macerata, & Petrus de Foro Sempronio Ordinis Minorum Apoſtatæ, quorum ſectam jam invaleſcentem erroreſque plurimos publicantem damnavit Bonifacius VIII. iis in Græciam fugientibus, ac ibidem errores ſuos diſſeminantibus. Duas cum Petro Oliva fingebant Eccleſias, unam carnalem, cui præſideret Romanus Pontifex, alteram Spiritualem, quæ nempe ſecum profiteretur regulam S. Franciſci ad literam, quam Evangelio exæquabant; in hac ſola juriſdictionem omnem Eccleſiaſticam conſiſtere ſomniabant, nulla in altera remanente, eo quod cuncta ejus membra peccato mortali eſſent maculata. Nullatenus eſſe jurandum. Profeſſos regulam S. Franciſci non eſſe obſtrictos ad obediendum Romano Pontifici. Damnati ſunt in Concilio Viennenſi, de quo ſupra.

Hermannus Pongilupus Patria Ferrarienſis veterum Gnoſticorum nocturna conventicula, & promiſcuam in iis libidinem renovavit. Et nemini Chriſtianorum licere aliquid proprii habere, atque animas ante diem judicii non frui Dei viſione aſſeruit. Fœtus in illa ſecta furtivis coitibus conceptus tam diu per manus in orbem ſtantium jactabatur, donec ſpiritum redderet, & in cujus manibus expirabat, is Pontifex eorum maximus creabatur. Alterum ſimilem infantem cremabant, illiuſque cineribus in Cadum conjectis, ac vino perfuſis ſuos Novitios initiabant.

Gerardus Sagarelli Parmenſis, Vir plebejus, illiteratus, & ſtultus, ſectæ Apoſtolorum Author fuit; ut Chriſti Imaginem referret, circumcidi voluit, faſciis etiam involutus in cunabulis jacere, ac mulierculæ cujuſdam ubera ſugere. Congregatis deinde vilibus homuncionibus, qui ſe Apoſtolos dicebant, Amalarici nugas de triplici ſucceſſivo Patris, Filii, & Spiritus S. regno innovavit, & hinc vigente Regno Spiritus S. ſtupra, fornicationeſque ex charitate factas peccata non eſſe affirmarunt Pſeudo-Apoſtoli. Quod fœdum dogma plurimis hominum millibus afflavit Dulcinus Novarienſis, Sagarelli diſcipulus. Petri Olivæ, Fratricellorumque errores circa defectionem Romanæ Eccleſiæ adoptarunt, atque auctoritatem Romanæ Sedi a Chriſto collatam ad ſuam ſectam translatam garriebant; omneſque Romanos Pontifices & Prælatos a tempore S. Sylveſtri defeciſſe, ac ſeductores fuiſſe, excepto Petro de Morone, ſeu Cæleſtino V. Matrimonia invito conſorte ſolvi poſſe effutiebant, ſicut & decimas non eſſe ſolvendas Sacerdoti, niſi perfectionem & paupertatem Apoſtolicam aſſecuto; denique *perfectius eſſe vivere ſine voto*, quam voti Religione obſtrictum. A Manfredo Inquiſitore Ordinis FF. Prædicatorum & Opizone de S. Vitali Parmenſi Epiſcopo captus, damnatus, ac ſæculari traditus Magiſtratui, flammis addictus, atque conſumptus eſt Sagarellus die 28. Julii A. 1300.

Beguardi & Begninæ unde appellati incertum. Commune nomen fuit cum Fratricellis, qui ex ſciſſione Franciſcani Ordinis prodiere, tum aliis hæreticis ex Sagarelli & Dulcini ſchola. Eorum errores damnati ſunt a Clemente V. in Concilio Viennenſi Oecumenico, & recenſentur cap. *ad noſtram* de hæreticis. Quorum primus erat, quod homo in vita præſenti tantum ac talem perfectionis gradum acquirere poſſit, ut reddatur omnino impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeat. Ex quo intulerunt, hominem perfectum non oportere jejunare, nec orare, ſed libere corpori concedere quidquid placet. 2. Talem perfectum poteſtati humanæ non ſubjici, quin beatitudine finali in hac vita, ſicut in altera frui, omnemque intellectualem creaturam abſque lumine gloriæ naturaliter eſſe beatam. 3. Quod ſe in actibus exercere virtutum ſit hominis imperfecti. 4. Mulieris oſculum eſſe peccatum mortale, cum ad hoc natura non inclinet; non vero carnalem copulam ex contraria ratione. 5. Non eſſe inſurgendum in elevatione corporis Chriſti, nec eidem reverentiam exhibendam, quod imperfectionis eſſe cenſerent, ſi a puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantum deſcenderent, quod myſteria Euchariſtiæ, & paſſionis Chriſti cogitatione ruminarent. Poſteriores tres errores cum illo de jejuniis &c. adoptarunt moderni Quietiſtæ.

Arnaldus de Villanova natione Catalanus, profeſſione Medicus, Jacobi Regis Arragoniæ, & Friderici Regis Siciliæ ad Clementem V. Orator, quindecim peſtiferos errores docuit: inter quos principes fuerunt, quod humanitatem Chriſti æqualem Divinitati fecerit, atque omniſcientem; totum præterea Eccleſiæ corpus una cum capite a Chriſto apoſtataſſe aſſeruit; opera item miſericordiæ eſſe Deo gratiora, quam Miſſæ Sacrificium. Miſſas pro defunctis, fundationes Capellarum, & Præbendarum eſſe opera ad vitam æternam promerendam inutilia. Deum non eſſe comminatum mortem æternam peccantibus, ſed malum exemplum præbentibus &c. Damnati ſunt errores per Inquiſitorem Tarraconenſem Ord. FF. Prædicatorum.

Lolhardus Waltherus fœdiſſimæ ſectæ Lolhardorum per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam author fuit. Hi *Miſſas* vanitatem eſſe dicebant, & nullius utilitatis, B. Virginem, ſi in partu Virgo permanſit, non hominem ſed Deum peperiſſe. Suos Apoſtolos ſingulis annis in paradiſo ab Henoc & Elia facultatem abſolvendi a peccatis impetrare, quam aliis communicarent; & hinc laicis ſua peccata, non Sacerdotibus confitebantur. *Baptiſmum & extremam unctionem* irridebant, Sacramentum Euchariſtiæ negabant, Sacramentum Matrimonii juratum meretricium appellabant. Deum nec ſcire nec punire mala, quæ ſub terra fierent; hinc in cavernis cum matribus & ſororibus concumbebant. *Jejunium* ſpernebant, & *intercesſiones Sanctorum &c.* Ex hac fæce, inquit Trithemius, Bohemia tunc infecta uſque in præſentem diem iiſdem erroribus, & turpitudinibus ſcatet. Mortuus eſt Trithemius A. 1514. igitur ſecta illa in Bohemia ad Lutheri tempora perſeveravit. Multi ex illa in Auſtria combuſti ſunt, pertinaciſſime & hilariter in errore perſeverantes.

Cecus Aſculanus, Caroli Ducis Calabriæ aſtronomus, Florentiæ ab Inquiſitore fidei de hæreſi, & pravo aſtrologiæ judiciariæ uſu damnatus eſt. In ſuperioribus Orbibus Sphæræ mundialis malignos Spiritus generari docuit, & ſtellarum influxibus abſolutam neceſſitatem tribuit, cui etiam Chriſti paupertatem & miſerias ſubjecit, Antichriſti pompam, divitias, & ſplendorem.

Ekardus Teutonicus Ordinis Prædicatorum Doctor Theologus pernicioſiſſimos errores in ſuis Concionibus ſcriptiſque evulgavit. Quorum XXVIII. Joannes XXII. Summus Pontifex recenſuit, ac damnavit. Mundum ab æterno a Deo conditum affirmavit. In opere etiam malo æqualiter relucere

cere gloriam Dei. Deum etiam blaſphemia laudari. Nos transformari in Deum, ſicus panis Euchariſticus in Corpus Chriſti. Deum noo præcipere actus exteriores. Bonum hominem eſſe unigenitum filium Dei, itemque hominem nobilem. Omnem diſtinctionem eſſe a Deo aiienam. Omnes creatnras eſſe purum nihilum; aliquid eſſe in anima, qnod eſt increatum, & increabile. Deum non aſſe bonum, nec meiiorem, nec oprimum. Hos errores partim ut hæreticos, pertim ut temerarios, ac de hæreſi ſuſpectos de ſeotentia Cardinaiium damnavit idem Pootiſex.

Marſilius de Menandrino Patavinus, & Joannes Jandinus Peruſinus Ariſtotelici magis, quam Catholici, venaies calamos Ludovico Bavaro ſchiſmatico Imp. adverſus Joannem XXII. & Eccleſiaſticam auctoritacem commodarunt. Eorum errores præcipui fnerunt ſequentes: Chiiſtum ex neceſſitate & obligatione tributum Cæſsri tribuiſſe. Eundem in terris *nullum ſui vicarium* conſtituiſſe. Ad Imperatorem ſpectare ſede vacante *Pontifices instituere, & deponere*. Imperatorem ſede vacanre Eccleſiam regere poſſe. *Sacerdotes amnes in Eccleſia eſſe æqualis autbaritatis*. Illam nullum poſſe punire coactive ſine licentia Imperatoris; non poſſe poſſidere bona temporalia; ſine eadem licentia nulli Epiſcopo vei Sacerdoti licere ſeotentiam excommunicationis in quemquam ſerre. Epiſcnpos in communi poſſe excommuoicare Papam; legitimare ad officia & beneficia Eccieſiaſtica eſſe ſolius Imperatoris. Penes eundem eſſe Judicium coactivum de capacitate promovendorum ad ſacros Ordioes, Religioſos Ordines approbare, *Concilia congregare*, & confirmare, jejunia & feciatos dies eundem poſſe indicere. His ſuis erroribus ſyſtema modernorum Proteſtantium graphice præformarunt Marſilius & Jandinus; quos erudite refellit, eorumque cerores ſententialitec damnavit Joannes XXII.

Græcanicæ Palamitetum hæreſis auctor fuit Simeon S. Mammantis in Xerocerco Abbas, quem tameo Combefiſius excuſare nititur; nomen vero dedit Gregocius Palamas Græcus Monachus, ac Theſſaiouceoſis poſtea Epiſcopus, eamque Monacbi Græci plerique profeſſi ſunr, qui ſe *Iſychaſtas* a quiete & animo imperturbato nuncupabant. *Omphaloſpſychi*, id eſt umbilicanimi dicti ſunr, quod ad umbilicum oppreſſo capite & contortis oculis, ſuppreſſoque ſpiritu, cum primum locum cordis meot reperiſtet, mirabilem ſe lucem intueri, & inexhauſta voluptate affici delirabanr, unde a Barlaamo, ferventiſſimo illorum impugnatore, *Euchytæ*, & *Meſſaliaai*, de quibus S. Epiphenius, appellati ſunt, quod illorum abſonum orationis & contemplationis genus imitarentur. Dei ſubſtantiam vel in hac vel in altera vira videri poſſe negabant; ejus vero operationes etiam in hac vita, & quidem oculis corporeis; nomine autem operationum non intelligebant operationes Dei ad extra virtualiter tranſeuntes, e. g. creationem &c. ſed ipſa attribnta Dei, uti ſapientiam, bonitatem &c. & præcipue lucem illam ac ſplendorem admirabilem, quæ reipſa diſtincta eſſe ab eſſentia & ſubſtantia Dei, eaque minora, iicet illi coæterna, contendebant; & hanc lucem increatam fuiſſe, quæ Apoſtolorum oculos perſtrinxit in monte Thabor. Damnsti ſunt in 4. Provincialibus Synodis a Patriarchis Conſt. celebratis.

A. 1347. Joannes de Mercucia Ciſtercienſ. Ord. Profeſſor Pariſiis plures articul. propoſuit, qnos Epiſcop. & S. Facultas Pariſienſis damnarunt. inter alios Quieriſtis prælufit, dum docnit, habentem uſum liberi arbitrii, ſi tam gravi tentatione pulſetur, ut iili reſiſtere non poſſit, adulterium non committere, ſi moveatur ad iliecebram cum alieoa uxore; idemque de aliis peccatis judicium eſſe ferendum. *Deum eſſe cauſam peccati*, qua peccatum & demeritorium eſt, cum Calvino ſenſit. Circa Chriſti impeccabiiitatem, & gratuitam prædeſtinationem errores quoqne ſparſit. Omnium fortaſſe primus docuit, probabile eſſe, ſi una ratio, ſecluſa fide, conſulatur, nulla eſſe accidentia, ſed res omnes exſtantes eſſe ſubſtantias, propterea a Facultate Theologica Pariſienſi cenſuratus. Ejus ſententiam ſuſcitavit Sæculo elapſo Carthesius, quam hodierno ævo non tantum Pariſiis, ſed etiam in aiiis univerſitatibus plurimi abſque cenſura deſendunt, cum fide eam conciliantes.

A. 1348. eadem Sacra Facultas Magiſtrum Nicolaum de Utricuria compulir ad pubiicam articulorum de rebus Philoſophicis & Theologicis a ſe propoſitorum revocationem. Quos ed 43. excurrentes videte licet apud Nat. Alex. Sæculo XIV.

Magiſter Simon docuit, nomen Jeſu accidentarie dici de Deo, ex quo abſurda varia intulit; poſſibilem nempe eſſe propoſitionem: Jeſus non eſt Deus. Aliquando fuiſſe Deum, quando Jeſus non erac. Filium Dei incœpiſſe eſſe &c. Palinodiam canete compulſus eſt Pariſiis A. 1355. Fratet Guido Ordinis Eremitarum S. Auguſtini plures errores docuit circa charitatem, meritum, liberum arbitrium; eos Pariſiis revocavit A. 1353. In varias propoſitiones piarum aurium offenſivas prolapſus eſt, eaſque revocavit Pariſiis A. 1362. quidam Magiſter Ludovicus, quas vide apud eundem Nat. Alex. L. cit.

Bertholdus de Rohrbach Germanus hæreticas & blaſphemas propoſitiones quaſdam Herbipoli primum docuit, ac ejurare coactus eſt; deinde Spiræ iterum publicavit, ubi tanquam relapſus Curiæ Sæculeri traditus & igne crematus eſt A. 1359. Calvino prælufit, Chriſtum in cruce ſic derelictum fuiſſe affirmans, ut de ſalute animæ ſuæ dubitaverit, maledixeritque B. V. nec non terræ, quæ ſanguinem ſuum ſuſcepit. Quietiſtis vero, hominem in hac vita eum perfectionis gradum aſſequi poſſe aſſerendo, ut illi nec jejunio, nec oratione ſit opus. Docuit præterea hominem pium in perceptione cibi communis tantam gratiam percipere poſſe, quantam in Euchariſtiæ perceptione.

Martinus Conſalvus Conchenſis circa idem tempus in Hiſpania multa fatua, hæretica, & impia aſſerens ab Archiepiſcopo Toletano damnatus eſt, & a Sæculari Magiſtratu igni traditus; docebat enim homo dementiſſimus, ſe germanum eſſe S. Michaelis, locum, ex quo cecidit Luciſer, ſibi a Deo pateri, ſe primam veritatem & Scalam Cœli eſſe, ſinguiis diebus Cœlum ſe ſcandere, & oſculari, ſe Antichriſtum ad ſingulare certamen provocaturum ac debellaturum.

Eadem tempeſtate Nicolaus Calaber amentia pari hos errores Barcinonæ prædicavit. Martinum Conſalvum æterni Patris filium in cœlis ab æterno genitum affirmavit. Spiritum S. futuris temporibus carnem aſſumpturum, & ad prædicationem Conſalvi mundum univerſum converſum iri. In extremo die Judicii omnes damnatos precibus Conſalvi vitam æternam conſecuturos. Deum Patrem in homine corpus, Filium animam, Spiritum S. ſpiritum formaſſe. Ab Eymerico Inquiſitore damnatus, ac Curiæ ſæculari traditus eſt igne concremandus.

Bartholomæus Ianovecius Majoricanus Urbano V. Pontifice Maximo libellum hæreſibus ſcatentem edidit; in quo aſſerebat, Antichriſtum die Pentecoſtes Anni 1360. venturum, ipſius tempore omnia Sacramenta & incruentum Sacrificium deſiturum. Chriſtianos adultos ab ipſo perverſos nunquam ad fidem redituros; bene vero

O o pueros,

Digitized by Google

pueros, ſicut & Judæos, Saracenos, & infideles ab eodem ſeductos. Errores ſuos revocavit Ienovexini coram Eymerico.

Anno circiter 1353. Berengarius de monte Falcone Ciſtercienſis errorem docuit, qui eo magis invaluit, quod Spiritualis vitæ perfectionem provehere videbatur; ſcilicet quæcunque bona facienda eſſe puro Dei amore, non ob aliam rationem, ideoque nec ſpe mercedis facienda, quem noviſſime ſuſcitarunt Spirituales Quietiſtæ. Damnatus eſt error a Nicolao Roſalli Inquiſitore & Sancio Tarraconenſi Archiepiſcopo.

A. 1363. Magiſter Joannes de Calore propoſitiones quaſdam in ſuo Veſperiarum actu aſſertas revocare juſſus eſt a Sacra Facultate Pariſienſi, quas in ſenſu a ſe intento Catholicas agnoverunt Doctores. Ibidem Dionyſius Sotlechen Ordinis Minorum damnatos a Joanne XXII. de paupertate Evangelica errores docere apud ſuos auſus eſt, quos poſt multas tergiverſationes tandem Pariſiis ejuravit.

Frater Joannes da Latone & Fr. Petrus de Bonageta Ord. Minorum, & alii quidam Religioſi Viri A. 1371. ſequentes circa Euchariſtiam errores a Sacro Suggeſtu in Provinciis Tarraconenſi & Cæſarauguſtana publicarunt. 1. Si hoſtia conſecrata cadat in locum turpem, a mure arrodatur, vel a bruto comedatur, ſub ila deſinere eſſe Corpus Chriſti & ſubſtantiam panis redire. 2. Dum ſpecies dentibus teruntur, Chriſtum ad Cœlum redire, nec in hominis ſtomachum trajici. A Gregorio XI. Viris illis ſilentium impoſitum eſt, prædicatioque ulterior de his erroribus prohibita.

Circa idem tempus Frater Arnaldus Montanerii Catalonienſis docebat Chriſtum nihil habuiſſe proprium vel commune; nullum poſſe damnari, qui deferat habitum S. Franciſci. S. Franciſcum quot annis ſemel in purgatorium deſcendere, & inde in Paradiſum extrahere quotquot Ordinem ſuum profeſſi ſunt. Ordinem S. Franciſci in perpetuum duraturum. Damnatus eſt ab Eymerico Inquiſitore, tanquam hæreticus.

Iiſdem temporibus infamis ſecta Turlupinorum de ridiculo ſcommate nuncupata, & ſodalitas paupertatis in Galliis & Allobrogibus graſſabatur, cujus Sectatores diris devovit Gregorius XI. Præter Beguardorum errores, quos ſectabantur, docebant, nihil pudere quemquam debere eorum, quæ a natura accepimus, unde nudi abſque verecundia incedebant, & palam canum more libidinem exercebant. Cum modernis Quietiſtis addebant voce non eſſe orandum, ſed ſolo corde, eoque Spiritu libertatis, quæ divinis legibus ſubjecta non ſit. Cum Pariſiis, tum alibi partim igne deleta, partim ſuæ turpitudinis horrore protinus exſtincta ſecta eſt.

Raymundus Lullus, ortu Majoricenſis, profeſſione Mercator, quem tertio Ordini S. Franciſci nomen dediſſe ſcribunt Authores Minoritæ, & in odium Chriſtiani nominis Burgiæ in Africa a Saracenis occiſum, apud Majoricenſes ut Martyrem coli, viginti libros edidit, vulgari idiomate Catalano; quorum doctrinam in monte quodam a Chriſto crucifixo ſe accepiſſe, ipſe gloriatur, creduntque ejus Fautores; eorum vero Antagoniſtæ perſuaſi ſunt, verius ab Angelo tenebrarum transformato in Angelum lucis Lullum edoctum fuiſſe, cum dicti libri plurimis erroribus ſcateant; quorum ad minimum 500. in iis contineri olim cenſuit Eymericus Inquiſitor Hiſpanus & prolixitati parcens 100. recenſet, quos exhibet Nat. Alex. Sæculo 13. & 14. ſuntque alii circa Deum & Sanctiſſimam Trinitatem, alii circa B. V. Mariam, alii circa peccata, alii circa gratiam & virtutes, ex quibus aliquos a modernis Quietiſtis dicit adoptatos. Alii circa Sacramenta. Alii circa fidei rationiſque cognitionem, & circa juſtam hæreticorum punitionem. Hos errores agnoſcunt Antilulliſtæ, qui contendunt eos a Gregorio XI. uti erroneos, & maxima ex parte hæreticos damnatos fuiſſe, omneſque ejus libros prohibitos 7. Kalend. Febr. An. 1376. utrumque negant Lulliſtæ, diploma Gregorii ſuppoſititium cenſentes. Nolim ego in hac cauſa agere Judicem, & Lectorem ad Nat. Alex. loc. cit. remitto, Hæreticum cum eodem non cenſens Lullum, cum libros ſuos Judicio Sedis Apoſtolicæ ſubjecerit.

Libri de invocatione Dæmonum, de ſecretis naturæ, de Alchimia non ſunt Raymundi Lulli Majoricenſis, ſed alterius cognomento de Tarraga, qui Raymundus Neophytus dictus eſt. Is ex Hebræorum Rabbino Chriſtianus factus Religioſo Ordini nomen dedit, mores tamen non mutavit homo nequiſſimus, execrandos enim errores & blaſphemias ſcriptis tradidit, a Gregorio XI. damnatus. Inter alios prava dogmata Almarici, Arii, Sabellii, & quorumvis Hæreticorum per ſe non eſſe hæretica, ſed ſola eligentium pertinacia, docuit. Creaturas licite adorari cultu latriæ, quatenus Deum repræſentant. Dæmonibus jure naturæ adorationem & Sacrificium deberi. Nullum præceptum legis hac in vita poſſe adimpleri, ſectam Mahometis eſſe æque Catholicam ac fidem Jeſu Chriſti. Perfectius eſſe Schiſmaticum eſſe, quam Chriſtianum &c.

Eodem Sæculo XIV. plurimi errores incertis Authoribus in Anglia eruperunt, ac in Provincia maxime Cantuarienſi graſſati ſunt. Eos Simon Langham Archiepiſcopus Cantuarienſis damnavit, ac in ſcholis tradi vetuit A. 1363. Capitalis, iſque antea inauditus fuit, quod quilibet adultus, quam non adultus, Saracenus, & Judæus, & Paganus etiam in utero matris defunctus habebit claram viſionem Dei ante mortem ſuam. Qua viſione manente habebit electionem liberam convertendi ſe ad Deum, vel divertendi ſe ab eo. Et ſi pro tunc ſe ſe elegerit convertere ad Deum, ſalvabitur, ſin autem, damnabitur. Ex hoc principio fluxit, quemlibet hominem in quacunque fide ſalvari poſſe, in viribus naturæ eſſe potentiam ad reparationem peccati & conſecutionem gloriæ. Præterea Anonymi iſti inæqualitatem in Trinitate poſuerunt. Beatos cum Chriſto eſſe mortales, imo ſi Chriſtum excipias, omnes peccabiles, & in infernum detruſibiles, ſicut & damnatos reparabiles aſſeruerunt; atque divinis attributis juſtitiæ & omnipotentiæ injurii fuere.

Anno Chriſti 1375. Eduardo III. in Anglia regnante, ex inferis erupit Wicleffiana hæreſis Authore Joanne Wicleffo natione Anglo, Doctore Theologo, Eccleſiæ de Lutthlewort Lincolnienſis Diœceſis Rectore, ingenii vehementis homine, ſuperbo, ambitioſoque. Primum illius in Eccleſiam & Romanum Pontificem odii ſeminarium fuit, quod Pontificis decreto a Præfectura Collegii Cantuarienſis Oxonii, præter jus faſque a ſe invaſi, cauſa cognita fuiſſet abdicatus; ſed faces illi ad incendium in Eccleſia excitandum ſubminiſtravit repulſa, quam paſſus deinde fuit Wigornienſis Epiſcopatus. Hæreſi peſtiferæ diſſeminandæ opportunam occaſionem ſubminiſtravit Angliæ ſtatus, cujus Proceres ad amplificandam Regis ac Sæcularium Magiſtratuum auctoritatem, ſubverſa poteſtate Eccleſiaſtica, collineabant, nec non funeſtum ſchiſma poſt Gregorii XII. obitum in Romana Sede exortum. Errores plures, præſertim eos, quibus Romanæ Sedis, ac Eccleſiæ dogmata, diſciplina, & authoritas impetitur, ea jam relatorum Hæreticorum, præſertim Jandini & Marſilii libris hauſit, iiſque jam agonizan-

tibus

Digitized by Google

tibus novam quaſi vitam afflavit, atque adeo vegetos reddidit hypocrita ille macilentus, pannoſus, ac nudipes, ut per illum ad Bohemos Huſſitas, atque ab his ad modernos Proteſtantes tranſierint, ut merito illorum Patriarcha dici poſſit. Errores, quos evomoit, & quotum 266. enumerat Joannes Luko Oxonienſis, alii 303. partim tendunt contra Deum & Chriſtum, partim contra Eccleſiam & varios ejus Ordines ac membra, partim contra Sacramenta; & quamvis quoad poſteriora capita omnes fere errores, circa Romanum Pontificem, quod nempe ſit Antichriſtus, circa Romanæ Eccleſiæ defectionem, circa Ordinem ejus Hierarchicam, circa Monaſtica inſtituta, circa numerum Septenarium Sacramentorum, denique circa liberum arbitrium, Proteſtantibus adamuſſim præformaverit, in multis tamen adeo ab eorum & Eccleſiæ Catholicæ articulis diſſenſit, ut niſi præjudiciis abrepti, ac excæcati, eundem Hæreticum deterrimum fateri ipſi debeant. Nam quod Deum & Chriſtum attinet, 1. docuit, Deum debere obedire Diabolo. 2. Illum nihil poſſe producere, niſi quod producit. 3. Illum mundum amplificare vel imminuere non poſſe, nec animas niſi ad certum & fixum numerum creare. 4. Illum aliquam creaturam non poſſe ad nihilum reducere. 5. Terminum a quo creationis non eſſe merum nihil. 6. Deum non dare aliquid niſi juſtis. En blaſphemias in Dei omnipotentiam! 7. Chriſtum eſſe ex tribus naturis, ſcilicet Deitate, anima, & corpore; & eſſe quælibet earum ſigillatim, & eæ omnes conjunctim. 8. Chriſtum in triduo mortis fuiſſe hominem. 9. Humanam Chriſti naturam, a Verbo præciſam, adoratione latriæ adorandam eſſe; imo ſi Verbum illam dimitteret, nihilominus adorandam futuram. En impiam pietatem in humanitatem Chriſti, blaſphemias in ejus divinitatem! In erroribus circa Primatum Papæ & Eccleſiam non convenit cum Proteſtantibus; Art. enim 6. ait, poſt Urbanum VI. non eſſe aliquem recipiendum in Papam, ſed vivendum eſſe more Græcorum ſub legibus propriis; ſedit autem Urbanus VI. tempore Wicleffi A. 1378. Proteſtantes vero cenſent nullum omnino fuiſſe recipiendum in Papam. Et art. 11. decretales epiſtolæ ſunt Apocryphæ, ſeducunt a Chriſti fide, & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis. Proteſtantes vero Jus Canonicum receperunt. Art. 12. Eccleſia eſt Prædeſtinatorum univerſitas, & credendum eſt quodlibet membrum illius eſſe prædeſtinatum ad gloriam. Quod maleſanum principium eſto Proteſtantibus ſolitum præbeat effugium ad evadenda tela Catholicorum, de Eccleſiæ viſibilis perpetua conſtantia in fide, utpote contra quam portæ inferi ex Domini promiſſione non prævalebunt, cum ipſis ſuppeditet fictitiam illam Eccleſiam inviſibilem, apud quam deficiente Romana viſibili fides permanſerit, non tamen ab omnibus æque adoptatur, cum perſuaſi ſint ex ſuis Eccleſiis alios poſſe ſalvari, alios damnari, hincque pro ſuggeſtu ſuæ Eccleſiæ membra dehortentur a peccatis, excitent ad fidem & ſtudium virtutum. Art. 27. docet juramenta Magiſtratibus facta eſſe illicita, quod erroneum cenſent pleræque Proteſtantium ſectæ. Art. 33. omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant ad orandum pro aliis, eis quoad temporalia ſubvenientibus. Art. 36. decimæ ſunt puræ eleemoſynæ. Art. 37. contra Scripturam Sacram eſt, quod Viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones; quas propoſitiones falſas verbo & facto pronunciant Proteſtantes. Art. 43. Auguſtinum dicit eſſe damnatum, niſi pœnituerit de hoc, quod habuerit poſſeſſiones, inſtituerit, & intraverit Religionem; Proteſtantes in ſua confeſſione Auguſtana laudant Monaſticum inſtitutum, quale fuit ſub Auguſtino; ut vidimus lib. 3. tit. 31. N. 63. Circa Sacramenta Art. 1. apud Nat. Alex. docet, non eſſe certum, quod Chriſtus aſſiſtat Miniſtro Sacramenta celebranti & conficienti, & cum eo concurrat. 2. Si Epiſcopus vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat. Nam ipſum Deus a ſuo officio & Miniſterio ſuſpendit. 3. Præſciti Sacramenta conficere non poſſunt. 4. Baptiſmus aquæ materialis non eſt abſolute neceſſarius, --- & ſine baptiſmo aquæ materialis infantes ipſi ſalvari poſſunt. 5. Baptiſmus peccata venialia non delet. Euchariſtiam dicit Corpus Chriſti in figura, panem in natura Art. 9. & Art. 18. omnia præſcitorum peccata eſſe mortalia, prædeſtinatorum univerſa venialia. Art. 20. Solum peccatum finalis impœnitentiæ, quod eſt peccatum in Spiritum S. proprie eſſe mortale. A. 23. Extremam Unctionem eſſe aliquibus unctis Sacramentum, ſi ſic ſuis precibus Presbyter mereatur. 24. Non eſſe vere matrimonium, quod abſque ſpe Prolis contrahitur. Quas omnes propoſitiones ut falſas & erroneas rejiciunt vel omnes Proteſtantes, vel plurimi eorum. Accedit, quod quamvis Wicleffus in erroribus contra Eccleſiam Art. 26. apud Nat. Alex. rejiciat Papæ & Epiſcoporum indulgentias, & in erroribus contra Sacramenta apud eundem Art. 13. aſſerat non eſſe fundatum in Evangelio Chriſtum ordinaſſe Sacrificium, de purgatorio tamen, de cultu Sanctorum, imaginum, reliquiarum, de jejunio, juſtificatione, bonis operibus, oratione pro defunctis, aliiſque nos inter & ipſos controverſis altum ſileat, ſignum quod in his cum Catholicis conſpiraverit. Anne igitur vir iſte, an ejus diſcipulus Hus, atque Huſſitæ, qui in pluribus adhuc cum Eccleſia Catholica conſpirarunt, ut infra videbimus, Spiritum Dei habuerunt, & Catholicam veritatem? Sed fortaſſis per Lutherum Catholica veritas a ſcoriis tandem purgata eſt? Sed quo jure ab hoc potius quam ab his, vel etiam a Calvino, aut non potius a Zwinglio, aut ab Anabaptiſtis, aut Schwenckfeldio? pape vero! cur non potius, manſit in Eccleſia Romano-Catholica, in qua non poteſt deſignari *hic homo*, qui hæc dogmata introduxerit, ſed ſenſus communis fidelium ea ex Majorum traditione accepta quiete credidit. Certe ut primum Honorius I. Sæculo VII. videbatur contra eundem communem ſenſum a Patribus acceptum negaſſe duplicem in Chriſto operationem, in Synodo Œcumenica Conſtant. III. damnatus fuit, eſto immerite. Et quamprimum Joannes XXII. contra eundem ſenſum videbatur animabus plene purgatis ante diem Judicii viſionem beatificam denegaſſe, motus contra ipſum excitati ſunt, eſto a parte rei hoc non negaverit. Cur ergo nullæ turbæ excitatæ ſunt vel apud ipſos Schiſmaticos Græcos, dum (ut volunt Proteſtantes) Romani Pontifices tranſſubſtantiationis dogma, & alia nos inter & ipſos controverſa capita in ruinam Evangelii *primum* invexerunt? Effugia omnino quærunt Proteſtantes & colores, ut hunc arietem eludant, ſed videant, ne iniquitas mentiatur ſibi. Errores Wicleffiſtarum, quos erroribus Magiſtri ſui addiderunt, nec in communi, ſed ſectatim defenderunt, ut omnibus hæreticis, qui ſemel ab unitate Eccleſiæ receſſerunt, ſolemne eſt; vide apud Nat. Alex. Sæc. 13. & 14. c. 3. A. 22. §. 5. Silentium indictum eſt Wicleffo a Simone Subdurieoſi Cantuarienſi Archiepiſcopo A. 1376. Poſt hoc damnatus eſt a Gregorio XI. poſt quod denuo in jus vocatus Lambetham Hypocrita fucum Patribus fecit, profeſſus ſi quid imprudenter contra Eccleſiæ fidem effutiiſſet, ſe revocare paratum. Sed poſtea acceſſione fauto-

rum in pertinacia pergens, in Synodo Loudin. A. 1382. damnatus eſt hæreſeos, quam tamen ſimulator egregius ad ſpeciem ſcripto ajuravit, Vir ſcilicet egregie Apoſtolicus. Obiit tandem Hæreſiarcha A. 1384. Non tamen hæreſis cum illo, de quo legatur Nat. Alex. L. cit. Errores ejus 45. poſt ejus mortem in Concilio Conſtanſienſi cum aliis 260. quorum aliqui cum illis 45. coincidebant, damnati ſunt, ilieque tanquam notorius ac pertinax hæreticus, ac ut talis mortuus declaratus, ac diris devotus; atque ejus oſſa, ſi ab aliis fidelium corporibus diſcerni poſſent, exhumati, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura projici juſſa.

Frater Joannes de Monteſono Hiſpanus, Ord. FF. Prædicatorum Profeſſor, Theologus Pariſienſis ad finem Sæculi XIV. aliquot propoſitionibus, quas a Pariſienſi Facultate partim ut ſcandaloſas, piarum aurium offenſivas, partim ut erroneas damnatas revocare noluit, graves turbas in Academia Pariſienſi excitavit, a qua ea tempeſtate Doctiſſimi Fratres Prædicatores per 25. annos excluſi ſunt, poſtea opera Gerſonii honorifice recepti. Inter propoſitiones cenſuratas præcipue ſunt, quod majorem dixerit unionem hypoſtaticam in Chriſto, quam trium Perſonarum in eſſentia. 2. Poſſibilem eſſe aliquam creaturam, quæ in puris naturalibus ita ſibi & homini poſſit mereri, ſicut anima Chriſti concurrente gratia habituali. 3. Quod aliqua creatura in puris naturalibus poſſit beatifice eſſentiam Dei videre. 4. Aſſerere aliquid verum, quod eſt contra ſacram Scripturam, eſſe expreſſiſſime contra fidem; quam propoſitionem, univerſaliter intellectam tanquam falſam, Sanctis & Doctoribus odioſam ideo damnavit ſacra Facultas, quia multæ ſunt propoſitiones contradictoriæ inter Sanctos & Doctores diſputatæ, quarum aliqua eſt contra Scripturam ſacram, nulla tamen expreſſa contra fidem, ſeu hæretica; quia nempe ut propoſitio ſit hæretica, ſeu *expreſſe* contra fidem, non ſufficit, ut ſit contra Scripturæ genuinum ſenſum, ſed inſuper ut ſit contra illum prout ab Eccleſia declaratum, quod vult noſtra hæreſeos definitio ſuperius data, quæ proin judicio Facultatis Pariſienſis approbata eſt. 5. In expoſitione ſacræ Scripturæ, non aliunde accipiendam eſſe ejus determinationem, quam ex ſacra Scriptura. In qua traditiones excludere viſus eſt S. Facultati Joannes de Monteſono. *6.* Non omnem hominem præter Chriſtum contraxiſſe ab Adam peccatum originale eſſe expreſſe contra fidem, quam propoſitionem dum in aliis ſpeciatim ad conceptionem B. V. applicavit, contendens eſſe de fide non fuiſſe immaculate conceptam, invidiam ſibi maximam conciliavit, ac tempeſtati prædictæ faces accendit.

24. Sæculo XV. & XVI. exortæ ſunt hæreſes Huſſitarum, Hominum intelligentiæ, Adamitarum, errores Joannis Parvi, Matthæi Grabon, Auguſtini de Roma, Virorum quorundam Religioſorum ex Mendicantium ſodalitiis, Petri Oxomenſis, Fuſſariorum, Hermanni Ruiſwich, Hæreſis Lutheri, Caroloſtadii, Zwinglii, Œcolampadii, Melanchtonis, Buceri, Schwenkfeldii, Joannis Agricolæ, Oſiandri, Bratii, Flacci Illyrici, & Stankari, Anabaptiſtarum, Calvini, Antitrinitariorum, & Socinianorum, errores Michaelis Baji, Guillelmi Poſtelli.

Peſtiferam Hæreſim Joannes Hus, a villa, ubi obſcuro loco natus erat, ita dictus, Academiæ Pragenſis Artium Magiſter, deinde Rector, ex damnatis Wicleffi libris a Viro quodam nobili Bohemo, atque a Petro Bagne Wicleffiſta ex Anglia allatis hauſit, eaque, favente Romanæ Sedis diro ac diuturno ſchiſmate, oſcitantia inſigni Wenceslai Regis Bohemiæ, cognomento Pigri, atque immani Academicorum Bohemorum in Germanos odio late diſſeminata, Celeberrimæ rum Pragenſium Univerſitati, totique Regno Bohemiæ tum florentiſſimo ruinam atque interitum conciliavit; vaſtatis immani Huſſitarum Marte, ac pene deletis urbibus, oppidis, pagiſque Bohemicis, Monaſteriis concrematis, Sacerdotibus, Monachiſque poſt Martyris ſui (uti jactarunt) Conſtantiæ A. 1414. die 6. Julii damnationem ac exuſtionem, quam ipſis imprimis in acceptis referebant, obvie vel mutilatis, vel immaniter trucidatis; donec per Mainardum Bohemicæ Nobilitatis Principem deleto ad Pleſſam Thaboritarum Orphanorumque hucuſque invicto exercitu res Catholicorum facta ſit ſuperior, ac diſſidia circa IV. Calixtinorum articulos per compactata Pragæ A. 1433. concepta, atque Iglaviæ A. 1436. conſummata, componerentur, atque non obſtante, quod conditiones in illis compactatis præſertim circa uſum calicis contemnerentur magis a Myſtis Bohemicis, quam non ſervarentur, ille tamen circa annum 1472. generaliter exoleverit, ſolis reliquiis Huſſitarum ſe ſe in Bohemia occultantibus, ac uſque in præſentem diem perſeverantibus. Triginta quinque errores Huſſus propugnavit, quos recenſet Concilium Conſtantienſe Seſſione V. quos pleroſque ex peſtiferis Wicleffi libris deſcripſit. Verſantur fere circa Eccleſiam & Papalem dignitatem, ejuſque ac Sacerdotum Juriſdictionem, bonorumque temporalium poſſeſſionem, atque ex eo veluti fonte imprimis fluunt, quod Eccleſiam cenſeret ex ſolis Prædeſtinatis conſtari. Et quamvis circa poteſtatem abſolvendi, & concedendi indulgentias male ſenſerit, contendens neutram a Sacerdotibus exerceri abſque ſpeciali revelatione poſſe; nihilominus in articulis de tranſubſtantiatione, de confeſſionis ſacramentalis neceſſitate, de extrema unctione, reliquiſque Eccleſiæ Sacramentis, de Miſſæ ſacrificio, de purgatorio, orationibus pro defunctis, de Sanctorum invocatione, de imaginum & reliquiarum cultu, deque Sacramentalibus cum Eccleſia Catholica ſenſit, uti ex ejus ſcriptis actiſque demonſtrant noſtri Polemici, & cum eo Huſſitæ Calixtini; uti conſtat ex Pragenſi Huſſitarum Synodo A. 1421. 7. Julii celebrata, atque ex 23. articulis aliis contra Thaboritas expoſitis, quæ omnia videri poſſunt apud Nat. Alex. Sæculo 15. & 16. In quibus Thaboritarum, quæ hominum abjectorum ac furioſorum colluvies Proteſtantium pleraque dogmata adoptavit, errores damnat Bohema Calixtinorum Nobilitas, & quatuor ſolum articulos propugnat. In quorum primo prætendit, Verbum Dei per Regnum Bohemiæ libere & ſine impedimento ordinate a Sacerdotibus Domini eſſe prædicandum. 2. Dominium ſæculare ſuper bona temporalia eſſe Clero auferendum, eumque ad Apoſtolicam vivendi normam reducendum. 3. Omnia peccata mortalia & ſpecialiter publica, aliaſque deordinationes in quolibet ſtatu rite & rationabiliter per eos, ad quos ſpectat, prohibenda & deſtruenda eſſe. 4. Denique Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie nullo peccato mortali indiſpoſitis libere miniſtrandum. Quos errores Bohemorum Legati in Concilio Baſileenſi A. 1431. celebrato acerrime propugnarunt, atque tribus prioribus per compactata Prageno-Iglavienſia ſupra relata ſublatis, de quarto ita a Concilio pronuntiatum eſt: *Calicem, quantum ad laicos pertinet, ex præcepto Chriſti non eſſe, moremque ſub ſpecie tantum panis miniſtrandi populo, a Sanctis Patribus inſtitutum; & ſane inſtitutum videri, & ſervandum ab omnibus fidelibus eſſe, nec licere cuiquam ſuo judicio hunc declinare.* Indulſerat equidem

Digitized by Google

dem pia Mater Eccleſia pır dicta compactata, ut Sacerdotes Bohemiæ & Moraviæ populis in annis diſcretionis conſtitutis calicem etiam miniſtraent: *Hoc tamen ſemper obſervata, quod Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicerent: ipſos firmiter credere debere, quod non ſub ſpecie panis caro tantum, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer & totus Chriſtus.* Sed hac indulgentia graviter abuſi ſunt myſtæ Huſſitici, pueris paſſim & dementibus calicem miniſtrantes; neque de panis & vini myſterio plebibus juxta condictum annuntiantes, quin invitos ad calicem cogentes, & abſtinentes ſepulturâ Eccleſiaſtica privantes, atque Decretum Baſileenſis Concilii, calicem, quantum ad laicos pertinet, *ex præcepto Chriſti non eſſe*, prætenſis compactatis ſuis uſque ad A. circiter 1472. palam eludentes, uti ſupra viſum eſt. Ex quo perſpicare poſſunt Domini Proteſtantes, cur iiſdem a Concilio Tridentino calix conſtanter denegatus fuerit; jure enim Huſſitarum exemplo edocta facta Synodus, vetita eſt hanc œconomiam iuira, ne fortaſſis ex his poſterioribus Calixtinis homines exurgerent, qui ex paris pietatis exemplo argumentum arriperent, atque prætenderent, Eccleſiam invitam tandem errorem ſuum agnoviſſe, atque in ſuum dogma de neceſſitate utriuſque ſpeciei conceſſiſſe. Hoc adhuc notandum, Huſſum errorem præfatum non inveniſſe, ſuggeſtus enim fuit in Parochia S. Michaelis, quam nunc in Monaſterium Servor. B. M. V. converſam inhabito, a Petro Dreſdenſi Scholæ S. Michaelis Ludimagiſtro, Jacobello ejuſdem Eccleſiæ Parocho, quem cum ille in animorum æſtu temere prædicaſſet, ab Huſſitis eo plauſu exceptus, propugnatus, ac religioſe obſervatus eſt, ut calicem paſſim in parietibus, vexillis, templis pingerent, de quibus proin non inſcitæ quidam ſcripſit:

> Tot pingit calices Bohemorum terra per urbes,
> Ut credas Bacchi Numina ſola coli.

Sectæ Hominum intelligentiæ Authores fuerunt Fr. Guillelmus de Hilderniſſen Carmelita & Ægidius Cantoris Laicus, uterque Belga. Aſſerebat Ægidius ſe eſſe Salvatorem hominum, qui per ipſum viſuri Chriſtum aſſent, ſicut per Chriſtum Patrem. Triplex regnum Patris, & Filii, & Spiritus S. cum ſupra laudatis Phantaſiaſtis fingebant, in cujus regno poſteriori abolita veteri lege Patris, & illa continentiæ, ac virtutum, mortificationiſque Chriſti, jam voluptatibus eſſet vacandum; hinc actus carnalis copulæ delicias Paradiſi aſſerebant ſpurciſſimi homines, omnemque carnis mortificationem execrabantur. Guillelmus præterea affirmavit, quid quid homo ageret, non cedere illi ad ſalutem vel damnationem, quod paſſio Chriſti ſatisfaceret pro omnibus; hominem exteriorem non maculare interiorem, quem errorem adoptarunt moderni Quietiſtæ. Deum eſſe ubique ita ſicut in Eucharistia: Reſurrectionem amplius ſperandam non eſſe, cum Chriſtus tanquam caput nobiſcum tanquam membris jam ſurrexerit. Errores ſuos revocavit Guillelmus die 12. Junii 1411. coram Inquiſitore, ac demum publice Cameraci, ac Bruxellis.

A. circiter 1420. nefariam Adamitarum hæreſim exſuſcitavit Picardus quidam nomine, qui ex Gallia Belgica, tranſmiſſo Rheno, per Germaniam in Bohemiam penetravit. Unde & Picardi dicti ſunt. Is præſtigiis quibuſdam fidem ſibi concilians, brevi tempore non parvam mulierum, virorumque plebem ad ſe traxit, quos nudos incedere jubens, Adamitas vocavit; & occupata Inſula quadam amne Luſicinio cincta, Filium Dei ſe dixit, & Adam appellavit. Connubia eis promiſcua fuere, nefas tamen ipſis injuſſu Adam ſeu Præpoſiti ſui mulierem cognoſcere. Qui tamen obviis licentiam conceſſit dicens: *creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Expugnati ac deleti ſunt a Ziska eorum ſcelus exhorrente. Revixit rurſus execranda hæreſis Sæculo XVI. Auctore Adamo Paſtoris, qui Chriſtum inſuper merum hominem cum Photino profeſſus eſt, ac matrimonium quaſi per ſe malum damnavit. Fuere & alii ſecta Anabaptiſtæ, qui quod nuditatem æmulari geſtirent, Adamitarum nomen mutuati ſunt. Inſaniverunt in Hollandia circa A. 1535.

Joannes Parvus, non Franciſcanus, neque Dominicanus, ut quidam perperam exiſtimant, ſed Sæcularis Theologus, ut parricidam Joannem Ducem Burgundiæ, qui Ducem Aurelianenſem Ludovicum, Caroli VI. Chriſtianiſſimi Regis Fratrem poſt ictam intra Sacræ Miſſarum Solemnia ac Sacræ Communionis perceptionem reconciliationem, per ſummum nefas occiderat, venali, atque ad omnem aſſentationem projecto ingenio purgaret, poſtquam fundamenti loco Ducem Aurelianenſem affectaſſe Caroli Fratris regnum mentitus fuerat, ſeptem propoſitionibus in ſuo libro, quem *juſtificationem Ducis Burgundiæ* inſcripſit, dogma hæreticum, ſcandaloſum, Legique Divinæ, naturali, ac humanæ contrarium, ſeditioſum, & Regum Dominationi injurioſum propugnavit: nimirum fas eſſe, ac meritorium cuilibet homini privato propria authoritate Tyrannum hujuſmodi opprimere: nec potuiſſe Burgundum abſque graviſſimo peccato id facinoris non perpetrare. Cui ceu corollarium addidit propoſitione octava: In caſu ſocietatis, juramenti, promiſſionis, ſeu confœderationis factorum ab uno milite ad alterum, ſi contingat, quod illud vertatur in præjudicium unius promittentium ad confœderationem, Sponſæ ſuæ, aut ſuorum liberorum, ipſa nullum teneatur obſervare. Damnati fuerunt ipſius errores a Facultate, Epiſcopo, & Inquiſitore Pariſienſi. Hanc damnationem irritam ac nullam declararunt tres Cardinales a Joanne XXIII. deputati, qua cenſura non obſtante res ad S. Synodum Conſtantienſem delata eſt, ubi cum quidam contenderent propoſitiones, ut ab Epiſcopo Pariſienſi damnatas, non eſſe a Joanne Parvo aſſertas, Duxque Burgundiæ Patres conteſtaretur per literas, ſe non eſſe Theologum, nec quidquam velle defendere, quod a fide alienum eſſet, ſuoque honori parceretur, Concilium œconomia uſum, propoſitiones allatas in genere, non ſpecificato nomine Joannis Parvi, condemnavit. Quæ tamen œconomia non placuit Gallis, qui proinde Joannem Parvum Authorem execrandi erroris in publicis monumentis adnotarunt. Hinc videant quidam Proteſtantes, qua ſinceritate dogma erroneum, *licet privatæ occidere Tyrannum*, Catholicis affingant.

Frater Matthæus Grabon Ordinis Prædicatorum in Saxonia Profeſſor, fratres vitæ communis, ita dictos, quod in Sæculo remanentes omnia haberent communia, impugnando, in varios errores lapſus eſt, a Concilio Conſtantienſi reprobatos; ſicut enim Wicleffus, & Huſſus proprietatem, ac Dominium Cleri tum Sæcularis, tum Regularis in communi reprobavit, ita Grabon in alterum extremum actus communionem bonorum in ſtatu Sæculari & Clericali extra religioſam profeſſionem damnavit, ac excommunicationi ſubjacere docuit: inſuper prætendens Religioſum non poſſe ſine peccato mortali abdicare voluntatem habendi communia, quando actu talia non habet. Sic nimirum homines ſenſum ſuum adorantes in abſurda extreme oppoſita labuntur.

Auguſtinus de Roma Nazarenus Archiepiſcopus, ex Ordine FF. Eremitarum S. Auguſtini

aſſumptus, variis erroribus ſcripta ſua conſperſit; eo tandunt, ut Eccleſiam aſſerant ex ſolis Prædeſtinatis conſtare, & errores Neſtorii ac Eutychetis temperantes, Humanam naturam in Chriſto vere eſſe Chriſtum, humanam naturam in Chriſto eſſe Perſonam Chriſti, eamque ex unione perſonali eſſe veraciter Deum naturalem & proprium affirmant; animamque Chriſti tam clare & intenſe videre Deum, ſicut Deus videt ſeipſum. Docuit præterea Auguſtinus de Roma Chriſtum quotidie peccare, quod tamen ita limitavit, nimirum *per membra ſua*. Cumque in aliquibus ſuis ſcriptis & alias doctrinam ſuam Eccleſiæ judicio ſubjeciſſet, errores quidem ejus in Concilio Baſileenſi damnati ſunt, non vero ipſe.

A. 1443. Quidam ex Ordinibus Mendicantium Religioſi homines Eccleſiaſticæ diſciplinæ prorſus ignari, in Taurinenſi præſertim & Aſtenſi Diœceſibus erroneas quaſdam, ſcandaloſas, & Hierarchiæ perturbatrices propoſitiones docebant, a Concilio Baſileanſi damnatas A. 1443. Verſabantur circa obligationem audiendi Miſſam diebus Dominicis in Eccleſia Parochiali, quam Synodalibus conſtitutionibus introduci poſſe negabant. Circa oblationem a fidelibus, dictis diebus fieri ſolitam, quam jure non poſſe prætendi dicebant a Parochia, ſicuti nec decimas, cum Laici ad eas obligati dare illas poſſint, cui velint, &c.

Petrus Oxomenſis Theologiæ in Urbe Salmanticenſi Profeſſor librum vulgavit A. 1479. in quo inter alios errores aſſerebat, non a Chriſto inſtitutam, ſed ab hominibus invectam *Confeſſionem Sacramentalem;* peccataque mortalia una cordis contritione, pravas cogitationes ſola diſplicentia deleri. Quæ propoſitio, non diu poſt a Luthero adoptata, juſſu Sixti IV. cum aliis paradoxis a Petro audacis Viri ingenio conſcriptis damnata eſt Compluti, ejuſque liber cum Cathedra in media ſchola igni traditus.

Turpiſſima Foſſariorum hæreſis incœpit circa A. 1501. Foſſarii nuncupabantur, quod in foſſis & ſpeluncis noctu convenirent, & promiſcua libidine more brutorum commiſcerentur. Videntur fuiſſe Lolhardiſtarum reliquiæ, de quibus vide Num. 23. In Bohemia præſertim graſſabatur hæc peſtis, in qua ad undeviginti millia creviſſe dicebantur; qui & Eccleſiam Dei, & ejus Miniſtros contemnebant, Sacramenta irridebant, infinitoſque alios errores profitebantur. Errores ſuos mira ſubtilitate defendebant, certis ſuperſtitionibus, & execrationibus ſpiritum erroris, quem ipſi quidem divinum appellabant, recipientes hauſtu grandis muſcæ, quæ in os eorum ingrediebatur, qui nefariæ ſectæ nomen darent. Ad hunc modum in hæreſi confirmabantur, adeo ut nec diſputationibus, nec ſuppliciis ad Catholicam fidem revocari poſſent.

Hermannus Ruiswich natione Batavus, cum in multos lapſus olim errores, palinodia cantata, perpetuo carcere damnatus eſſet, Anno 1499. inde evaſit, ac in priorem inſaniam relapſus pejores, quam antea blaſphemias evomuit, propter quas Hagæ captus A. 1512. per hæreticæ pravitatis Inquiſitores ſæculari Magiſtratui extraditus, vivuſque exuſtus eſt. Hi porro ejus errores fuere: 1. Angelos a Deo creatos non eſſe. Animam ſimul cum corpore interire. Nullum eſſe infernum. Materiam, ex qua elementa facta ſunt, non eſſe a Deo factam, ſed ipſi coæternam. Chriſtum fuiſſe ſtultum & ſimplicem, phantaſticum ac ſeductorem hominum; damnaſſe univerſum mundum, & neminem ſalvaſſe. Quæcunque Chriſtus geſſit, humano generi & rectæ rationi eſſe omnino contraria, proindeque ipſum omnipotentis Dei Filium non eſſe. Fidem noſtram fabuloſam eſſe, fatuam ſcripturam, ficta biblia, delirum Evangelium. Evangelium denique falſum eſſe, quod qui potuit creare mundum ſine incarnatione, eundem etiam ſalvare potuerit ſine incarnatione. Porro cum quodam Luthero coævus videtur fuiſſe blaſphemus iſte Batavus, utpote qui quinquennio ante excitatum ab ipſo in Eccleſia incendium vitam in Pyra finivit, extinctis cum Pyra per zelum Catholicorum ejus horrendis blaſphemiis. Nec ipſo enim cogitante, nec Luthero id intendente, libertas conſcientiarum per ipſum ac Pſeudo-conreformatores ad exceſſum uſque introducta, atque in Hollandia, exterminato inquiſitionis tribunali, ſingulariter vendicata, Benedicto Spinoſæ non tantum impunem facultatem tribuit maledictam ſuam moralem, qua Deum, ejuſque attributa, omnemque revelatam veritatem e medio tollit, in Hollandia concinnandi, ſed etiam Lokio idem impie audendi circa immortalitatem animæ, aliaſque veritates omnes revelatas libere impugnandi; quorum ſcripta in Hollandia, aliiſque Proteſtantium locis eodem libertatis privilegio excuſa atque per orbem ſparſa avidam novitatis juventutem, rigoriſque Evangelici impatientem, non tantum in curiis, exercitibus, ac Monopoliis Proteſtantium, ſed etiam Catholicorum inficiunt, ut ſpreta Patrum Religione, ac omni revelata veritate in profaniſmum paſſim prolabatur, plurima, quin fere omnia cum erroribus Hermanni communia habentem. Quæ ſi horum Heermann, ſeu Dux, beneficio libertatis conſcientiarum a Monacho in Germania tum vivente poſtridie prædicandæ futurus, prævidiſſet, duplici hilaritate rogum ſubiiſſet. Sed anne juſtior fuerit ſeveritas Catholicorum in ſimiles blaſphemos, quam indulgentia Dominorum Proteſtantium erga liberos noſtri ſæculi ſpiritus, *die Freygeiſter*, ex damnis, quæ toti Chriſtianitati ab ipſis hucuſque illata ſunt, atque impoſterum, ſi repreſſi non fuerint, inferentur, judicent cordati Proteſtantes. Certe ſapientiſſimus Rex Angliæ Georgius paucis ab hinc annis Londini, ut tulerunt novalia, inſtituit ſpecialem commiſſionem, quæ refrænandæ hominum horum procaciæ ac dicacitati intenderet. Ex hucuſque allatis hæreſum monſtris pariter colligant, quo inſaniæ delabi poſſint humana ingenia, quamque-quælibet illorum Patronos ſuorum errorum invenerint, & plures identidem inveniſſent, niſi authoritate competente refrænata fuiſſent.

Omnium ſectarum, quæ in hodiernum diem magnam Germaniæ ac Septemtrionis partem tum ab Eccleſia Romana, tum inter ſe ſciodunt, vel author, vel peſſimo ſuo exemplo incitator fuit Martinus Lutherus A. 1483. Islebii in Saxonia plebeis parentibus natus. Ordini Eremitarum S. Auguſtini A. ætatis 22. nomen dedit in Cœnobio Erfordianſi, unde Wittembergam A. 1508. translatus poſt actus Academicos lauream Doctoralem obtinuit, ac Theologiæ Profeſſor creatus eſt. Accidit, ut eo tempore Leo X. novarum indulgentiarum a ſe occaſione fabricæ S. Petri conceſſarum promulgationem Alberto Moguntino, & Magdeburgenſi Archiepiſcopo, S.R.E. Cardinali, Electori & Marchioni Brandeburgenſi committeret, quarum prædicandarum, & eleemoſynarum pro fabrica colligendarum provinciam cum Septemvir ille inſigni Theologo Joanni Tetzelio Ordinis Prædicatorum contuliſſet, rem ea Auguſtinianorum promovit invidiam, quibus Vicarii Generalis nomine præerat in Germania Staupitius, apud Saxoniæ Ducem Fridericum perquam gratioſus. Eo favente Lutherus contra indulgentias declamare cœpit, ac debacchari, ſcriptis primum

epi-

epiſtola ad Albertum Moguntinum Archiepiſcopum, qua conquerebatur de indulgentiis Pontificiis, ſub ejus nomine promulgatis, vel potius de earum abuſu, non quidem vitio Concionatorum, quos non audierat, ſed populi ſuperſtitioſi audaci fiducia ſerpente. Hujus epiſtolæ 1. Nov. A. 1517. ſcriptæ calci annexuit 97. Concluſiones, quas non expectato reſponſo, eodem die propoſuit in templo omnium Sanctorum Wittembergæ, eorundem futurus injuriator, typiſque vulgatas per omnem Germaniam diſpergi curavit. Adverſus Lutheri Theſes Tetzelius Francofurti alias expoſuit, quibus Novatoris fallacias detexit, & Romanum Pontificem, Concionatoreſque a calumnia vindicavit. Verum quod objiciebantur ab æmulo, pertinaciam Lutheri magis obfirmarunt. Cum enim ſuas theſes a Tetzelio tanquam hæreticas igni traditas inaudiſſet, pœnam talionis Concluſionibus Tetzelii Wittembergæ inferri procuravit, quam Studioſi in publico foro cum 800. exemplaribus ipſo, ac Magiſtratu inſciis, ac, ut ſcribit, invitis executi ſunt. Hæc turbulentæ contentionis exordia, quæ anno ſequenti in apertum exflagravit incendium, ligna ſubminiſtrantibus Sacerdotum ac Monachorum caſtitatis pertæſorum libidine, ſæculariumque Principum bonis Eccleſiaſticorum, Monaſteriorumque inhiantium avaritia; Electore Saxoniæ Lutheri perſonam protegente. Quæ circumſtantiæ ſoli erant ac genuina cauſa miraculoſæ propagationis (ut jactari ſolet) Lutheranorum Religionis, quæ neque imperialibus Comitiis, neque Concilii Tridentini authoritate comprimi potuit; ſed aliarum hæreſum fœcunda Mater infauſtas ſoboles per univerſam Germaniam, ac magnam ſeptemtrionis plagam in hodiernum diem propagavit. Obiit Lutherus, poſtquam Monialem Catharinam de Bore a ſe prius gravidatam ſacrilego matrimonio ſibi copulaſſet, atque ex ea tres filios genuiſſet, ventrique paſcendo egregiam operam diu navaſſet, improviſa morte A. 1546. 17. Februarii Islebii noctu, cum ſero præcedente opipare cœnaſſet, & facetiis pro more indulſiſſet, ac Wittembergam tranſlatus ibidem ſepultus eſt. Inſanam ejus, ſuperbamque ſententiam celebravit, ejuſque tumulo inſcribendam cenſuit Pomeranus, nimirum:

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa.

Prophetam hoc ſuo oraculo fuiſſe Lutherum, monſtrent Domorum Principum in Germaniæ ſucceſſivæ ad fidem Catholicam reverſiones, & Catholicarum Univerſitatum admirabilis profectus in ſeverioribus diſciplinis, quarum ope Proteſtantium errores velut ſtipula a vento difflati ſunt, & in dies difflantur, meteora certe infallibilia, rem Catholicam poſtridie collapſuram. Errorum Lutheri capita præcipua ex antitheſibus ſymboli Tridentini lib. 1. tit. 1. N. 342. a nobis relati cognoſci poſſunt. Suntque 1. Contra Miſſam. 2. Contra tranſſubſtantiationis dogma. 3. Contra communionem ſub una ſpecie. 4. Contra purgatorium, contra cultum ac invocationem Sanctorum, ac venerationem reliquiarum, ac imaginum. 5. Contra indulgentias. 6. Contra Romani Pontificis Primatum, ac hierarchicum in Eccleſia Ordinem. Alios quoque Lutheri errores damnavit eadem Synodus; nimirum circa originale peccatum, quod in ipſo fomite, ſeu concupiſcentia conſtituit, per baptiſmum non delendo, ſed tantummodo tegendo, ac non imputando. Circa juſtificationem, quam ſoli fidei, vel potius oſcitanti in merita Chriſti fiduciæ in acceptis referebat, excluſo omnino influxu bonorum operum per merita Chriſti vivificatorum. Quæ opera bona fructus eſſe juſtitiæ, non merita alibi agnoſcit; in bono tamen opere peccare hominem, & peccatum veniale non natura ſua, ſed Dei miſericordia ſolum eſſe tale, alibi propugnat. Liberum arbitrium titulum ſine re appellare auſus eſt, vota monaſtica contempſit, Polygamiam admiſit, jejunia, & abſtinentiam, & Sacramentalia Eccleſiæ irriſit &c. quos, alioſque errores nihilominus uno velut halitu non evomuit Lutherus, ſed ſucceſſione quadam, prout ipſi data fuit occaſio illos publicandi in diſputationibus, in concionibus, vel libris. Unde factum eſt, quod ſcripta ejus contradictionibus ſcateant, & quæ in libris prioribus ſuæ perverſionis annis editis affirmavit cum Catholicis, in poſterioribus neget, quod patet vel in ſolo dogmate de Euchariſtia, in qua primo tranſſubſtantiationem admiſit, poſtea tranſmiſſa, impanationem deinde aſſeruit, denique non niſi in uſu, ſeu ſumptione Chriſtum in Euchariſtia adeſſe realiter adfirmavit. Quam ſentiendi inconſtantiam, in ſcriptis Lutheri manifeſtam, œconomiam ejuſdem S. Spiritus eſſe prætendunt in Patriarcham ſuum obſequentiores Lutherani, ut qui gradibus quibuſdam viſum, ut ajunt, pretioſum in meridiem veritatum Evangelicarum provexerit; at noſtri hominem verſatilem, venereum, ſpurciloquum, in Romanæ Eccleſiæ Antiſtites, ſæculareſque poteſtates maledicum ex eadem œconomia actum potiori jure exiſtimant illo ſpiritu, quocum in tractatu *de Miſſa angulari* ſe non unum modium ſalis comediſſe ipſe fatetur. Non enim capiunt, quomodo Spiritus S. hac œconomia uſus fuerit in Eccleſiæ Reformatore, qui eam ceu ſe indignam repudiavit in ejuſdem Eccleſiæ Satoribus Apoſtolis, ac ſubſequis Conciliis œcumenicis. Accedit, quod vix non omnia dogmata Lutheri mutuata ſint ex ſæculorum præcedentium hæreſibus ab Eccleſia Catholica damnatis, quæ in earum hiſtorica relatione hoc titulo ad convincendum de hac veritate facti lectorem annotavi, & diſtincto charactere imprimi curavi, qui tamen hæretici a primo ad ultimum in aliis capitibus toto cœlo diſtant a Luthero, ſicut & ii, qui ipſo vivente, ac facem turbis præferente, vel poſt ipſum exſtiterunt, experientia manifeſta teſtimonium perhibente, ut mox videbimus. Hinc plerique noſtri ſæculi ita dicti Evangelici ex his motivis Lutherum palam aſpernantur, atque Evangelicæ veritati unde ſe inniti prætendunt; deplorandi ſane vel ex hoc ſolo, quod idem prætenderint omnes retro hæretici, omneſque horum ſæculorum ipſorum & Lutheri æmuli, ſoli vere Catholici idem Evangelium, reliquaſque ſcripturas amplectantur in ſenſu non e privata libidine, ſed e Conciliis Generalibus, ſeu ab Eccleſia Catholice interpretato, de qua ait Auguſtinus: *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ moveret auctoritas.*

Inter Lutheri partim Sequaces, partim Antagoniſtas agmen ducit Andreas Caroloſtadius, Archidiaconus Wittembergenſis, poſtea Agricola. Primus inter reformatos ejurato Sacerdotio uxorem duxit & Wittembergæ abſente Luthero Miſſam abrogavit, concitandæque plebis Auctor fuit, ut infeſta ſigna Eccleſiis Ariſque inferret, ac ex iis imagines ejiceret; ſepultam Sacramentariorum hæreſim excitavit, affirmans Chriſtum, cum dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*: iſtud pronomen *hoc* non in panem direxiſſe, ſed in ſeipſum, ut ſit ſenſus, *Accipite & comedite; nam ego hoc Corpus meum ſum traditurus.* Tyro in hac re propterea appellatus a Zwinglio. *Controverſiam de cœna Domini tantum odio Lutheri, non aliqua pietatis opinione movit*; Verba ſunt Melanchtonis in ep. ad Myconium.

Huldricus Zwinglius Helveta, Tigurinæ Parochiæ Adminiſtrator, cum Luthero cœlibatum Clericorum, Vota monaſtica, abſtinentiam, & jejunia Eccleſiaſtica impugnavit, ac in pleriſque capi-

capitibus eidem conſenſit, at contra eundem docuit, ſe non damnare orationes pro mortuis, etſi negaverit purgatorium; imagines evertendas curavit, Chriſtum non eſſe realiter ſubſtantialiter, ſed ſola fidei contemplatione in Euchariſtia docuit, edoctus ipſe in ſomnis a Spiritu, quem an ater fuerit, an candidus, ſe ignorare profitetur. Sacramenta omnia non tantum non conferre gratiam, ſed ne afferre quidem, aut diſpenſare, ſed nudas eſſe teſſeras gratiæ, vel unionis cum Eccleſia effutiit, & hinc originale peccatum vere eſſe peccatum negavit, ſed eſſe morbum vel conditionem, & neceſſitatem moriendi aſſeruit, adinſtar conditionis ſervilis ab infante ex ſervis nato contractæ. Peſtem ſuam Tigurinis A. 1519. afflare cœpit, unde in alios Cantones propagata eſt, aliis in avita fide remanentibus, quæ cauſa inter ipſos bellum accendit, in quo occiſus eſt Zwinglius die 11. Octobris A. 1531. annorum 48. ejuſque cadaver igne exuſtum.

Joannes Oecolampadius linguarum peritia clarus Ordinis S. Birgittæ Apoſtata, Zwinglii fidus Achates, ejus hæreſim Baſileæ prædicavit, quamvis in modo explicandi Sacramentum Euchariſtiæ ab eo differret: permittendo ſcilicet Verbum *eſt* pro Verbi ſubſtantivi natura in ſua genuina & propria ſignificatione manere, accipique ut Verbum veritatis & exiſtentiæ, metonymiam vero collocavit in Verbo *Corporis*, ut hic ſenſus reddatur: *hoc eſt Corpus meum*, id eſt *hoc eſt figura Corporis mei*. Exanimis in lecto repertus eſt Baſileæ A. 1531. a morbo, an a dæmone ſuffocatus, ignoratur.

Philippus Melanchton, patrio nomine Scwhattzerd humaniorum litterarum elegantia ſuperbus, A. circiter 1521. Luthero nomen dedit. Pleraque Lutheri dogmata mollivit, præſertim immanem illum contra libertatem arbitrii errorem; imo hac in controverſia diſceſſit tandem a ſententia Lutheri, negans Deum eſſe Authorem peccati. Auguſtanæ confeſſionis A. 1530. editæ Author fuit, unde illius Sectatores Confeſſioniſtæ nuncupati, & ob emollita Lutheri duriora quædam dogmata molles Lutherani: ob Ritus pleroſque Eccleſiaſticos admiſſos, & conſtitutiones legitimas Conciliorum & Eccleſiæ ita receptas & approbatas, ut liberum eſſet cuique iis uti abſque ſalutis diſcrimine, dicti ſunt *Adiaphoriſtæ*, ſeu *Indifferentes*, ad diſtinctionem Rigoriſtarum, qui Lutheri dogmata ad literam propugnant. In tradendis dogmatibus præſertim de Cœna Domini, & de juſtificatione varius ac anceps fuit, & quod primum attinet, Chriſtum in ſolo tantum uſu eſſe realiter præſentem, atque fidelibus cum ipſo pane exhiberi tandem determinavit. Quam ſententiam nunc unanimiter amplectuntur Lutherani. In articulo de Miſſa, non minus Lutheri doctrinam emollivit, ut conſtat ex Auguſtanæ Confeſſionis lectione, in qua negat Lutheranos Miſſam, vel ejus Ritus uſitatos omnimode abrogaſſe. Circa juſtificationem quatuordecim diverſas opiniones Melanchtoni, ejuſque diſcipulis inſediſſe, narrat Oſiander ejus æmulus. Illi tamen opinioni præſertim inſiſtere videtur Melanchton, quæ homines fide ſpeciali juſtificare aſſerit, cum credunt ſe in gratiam recipi, & peccata remitti propter Chriſtum, nec bona opera ad juſtificationem concurrere, quamvis fides juſtificans debeat fructus parere, & bona opera a Deo mandata facere oporteat, ut habet Auguſtana Confeſſio. Obiit Melanchton, poſtquam confeſſionem ſuam emendaſſet, reemendaſſet, auxiſſet, decurtaſſet, ac vitam in ſcribendis tædioſis apologiis conſumpſiſſet A. 1560. quem Tilemannus Heshuſius, aliique rigidiores Lutherani, & poſt mortem ſcriptis ſuis flagellarunt. Sic regnum ſathanæ diviſum eſt. Sinceriorem laudem ſane a Catholicis obtinuiſſet, ſi ingenium ſuum, laboris patientiam, literarum elegantiorum promotionem, animique moderationem, qua rem Lutheranam ab imperioſo, verſatilique Lutheri genio non ſemel diſcrimini expoſitam, cordatis hominibus, nec controverſiarum intima penetrantibus imponendo, maxime promovit, Eccleſiæ, in qua natus fuerat, locaſſet.

Martinus Bucerus Ordinis Dominicani Apoſtata, adſcitis in ſocietatem Paulo Fagio, & Petro Vermilio Florentino, Martyre nuncupato, Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſtini Apoſtata, hæreſim docuit, & Apoſtaticæ Reformationis diſciplinam in Anglia regnante Eduardo IV. Infelicis Henrici VIII. filio A. 1549. condidit; pertracto prius in hæreſim Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo, atque ad evertendam in Eccleſia diſciplinam incitato. Ejus error circa Euchariſtiam in eo poſitus erat, quod corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter in ea præſentia non eſſe *extra uſum Sacramenti* affirmaret, nec in ipſo uſu ore corporis manducari, ſed contemplatione fidei percipi, & hoc quidem minime ab impiis, qui fidem non habent. Præterea ſicut Lutherus Polygamiam inter Chriſtianos ratam habuit, ita Bucerus conjugibus ſua culpa repudiatis, vel legitimo divortio ſeparatis, aut a conſorte relictis, Viris item, quorum uxores in morbos immedicabiles inciderunt, & e contra, permittendum eſſe alterum conjugium docuit, quem errorem amplexi ſunt Proteſtantes, ut vidimus lib. 4. N. 28. & ſeqq. Lutheri ſententiam, venereos actus eſſe hominibus tam inevitabiles, ut comedere, ac bibere, ad quoſdam ſolum reſtrinxit, Deique Decreto repugnare, qui talibus connubia interdicit.

Gaſpar Schwenckfeldius nobilis Sileſius, Lutheranæ Synagogæ non minus, quam Eccleſiæ Romanæ hoſtis, docuit Scripturæ Sacræ non eſſe attendendum, ut quæ verbum Dei non eſſet, ſed mortua tantum litera; verum privatis potius contemplationibus, & viſionibus credendum. Spiritum S. enim e ſupernis delabi citra omne medium, non per externum auditum & vocalem prædicationem, ſeu ſcripturarum lectionem. Naturam humanam Chriſti in Gloria ita Deificatam docuit, ut Deus dici poſſit; item Dona Spiritus S. juſtitiam, ſapientiam, charitatem, pacem conſcientiæ, & ſimilia eſſe meram Dei eſſentiam, ac homines ipſis præditos, hac ipſa natura Divina Deos. Verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, etiam in ſenſu ſpirituali & allegorico intellexit. Sectam ſuam late propagavit, quam ſpecioſo nomine *Confeſſorum gloriæ Chriſti* adornabat. Schwenckfeldii reliquiæ ſunt Hernhutериani, ſeu Sinzendorfiani, quos Catholici Sileſii *Saml Bruder*, hoc eſt, ſub teſſera agni confœderatos vocant, eo quod ſalutationes ſuas, fauſtas precationes, benedictiones ſub ſpecioſo titulo *Agni ſanguine conſperſi* efforment, ut mihi ibidem exiſtenti narratum eſt. Ingens pagus *die Sange Buble* dictus, eorum Sedes, ac quaſi Seminarium eſt in Sileſia, ſicut & Hernhutium in Saxonia, unde originem ab Equite de Sinzendorff & nomen trahunt, quo exteri proles ſuas erudiendas tradunt, quas ſevera diſciplina, ſeparatis ſexibus, moribus honeſtis dicuntur imbuere, ipſique morigeram, obſequioſam, ac laboribus manualibus occupatam vitam ducunt, exhorrentes omnes blaſphemias, injurias, ac fraudes. Vitam collatis in commune gazophylacium lucris ducunt, unde cuivis neceſſaria a Præfectis tribuuntur. Inſimulantur, quod eorum dicti *perfecti* in ſuis divinis, clauſis ac cuſtoditis januis, promiſcue concumbant, quod in medio

dio

dio relinquo, utpote hac in re nullo authentico inſtrumento proviſus.

Joannes Agricola, Islebienſis Rector Lutheranus, & poſtea Miniſter Berolinenſis, aſſeruit legem Moyſi in Eccleſia non eſſe docendam; nam cum lege Evangelica e diametro pugnare; hinc *Antinomorum* ſecta, ſtirps Lutheranæ. Eoque veſaniæ progreſſi ſunt, ut legem aſſererent non eſſe dignam, ut vocetur Verbum Dei.

Andreas *Daſen-andrrle*, quod ridiculum nomen in Oſiandrum vertit, Brandeburgus, ibidem Schiſma in Lutherana ſecta fecit, docens hominem juſtificari non fide, ſed eadem eſſentiali juſtitia, qua Deus juſtus eſt, quæ eſt ipſe Deus, infunderurque hominibus; ita ut non ſit Chriſtianus gratia juſtus, ſed natura.

Joannes Bretius Suevus Lutheri placitis ſua quædam nova addidit, inter quæ præcipuum: Corpus Chriſti ex vi unionis hypoſtaticæ eſſe ubique, adeoque & in pane Euchariſtico ante conſecrationem; & hunc Bretium Patriarcham agnoſcunt Lutherani ubiquiſtæ.

Matthias Flaccus Illyricus Magdeburgenſis Miniſter, Rigidiorum Lutheranorum Anteſignanus, propter *adiaphora* Lipſiæ approbata & recepta, Melanchtonis & aliorum Confeſſioniſtarum profeſſus hoſtis. Peccatum originis ipſam hominis eſſe ſubſtantiam aſſeruit, unde ejus Sectatores *Subſtantialiſtæ*, & ab Authore *Flacciani* dicti ſunt. Contra Victorinum Strigalium Profeſſorem Jenenſem, qui originalem noxam extenuabat, & liberi arbitrii vires in hominis converſione efferebat, acriter pugnavit Flaccus. Sectatores Strigelii *Synergiſtæ* dicti. Centuriarum Magdeburgenſium præcipuus Compilator, editorque fuit Flaccus Illyricus. De variis Lutheranorum ſectis lege Lyndanum Ruremondenſem Epiſcopum, Dubitantii ſui dialogo 2.

Franciſcus Stankaros Mantuanus, in Academia Regiomontana in Boruſſia Profeſſor ſeu linguæ Hebraicæ, ſeu Theologiæ, dum ſe Oſiandri mox relati errori de juſtificatione oppoſuit, in contrarium lapſus eſt, affirmans Chriſtum non ratione divinæ, ſed humanæ tantummodo naturæ eſſe juſtitiam noſtram.

Deterrimæ Anabaptiſtarum ſectæ A. 1522. Auctor fuit Nicolaus Storkius ſive Belargus, Promotor Thomas Muntzerus, qui Germanicum Ruſticorum bellum incendit, in quo cæſa ſunt 130. millia infelicium hominum, ipſe captus, & ad Catholicam fidem rediens capite plexus eſt. Dogma ſectæ præcipuum fuit: parvulis uſu rationis carentibus nihil prodeſſe baptiſma, quod fidem pro ſe profiteri non poſſint, ſine cujus propria confeſſione inutilis eſſet baptiſmus, quin illicitus, hinc omnes in infantia baptizatos, & ſectæ ſuæ nomen dantes rebaptizabant. Realem Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia præterea negabant, ſolam Scripturam recipiebant, Magiſtratum abjecerunt, publicam prædicationem Verbi Dei & miniſterium reſpuerunt. Imagines execrati ſunt. Jurare, litigare, arma tractare, Magiſtratum gerere, Chriſtianis illicitum effutientes. *Enthuſiaſtæ* etiam appellati ſunt, ſeu Fanatici, ob extaſes & raptus, quibus ſecretas & divinas inſpirationes jactitabant. *Liberi* ſeu *libertini* quoque, vel quod Magiſtratum omnem & onera publica reſpuerent, ſive quod Polygamiam, ſeu promiſcuam libidinem profeſſi ſint. Quatuordecim Anabaptiſtarum ſectas ſeu Schiſmata enumerant aliqui. Celebriores refert Nat. Alex. ad Sæculum 16. quæ ibi videri poſſunt.

Dum Germania tot diverſis ſectis ſcinderetur, Joannes Calvinus Novioduni Veromanduorum ſexto Idus Julii A. 1509. in Gallia natus ſectam ſuam aliis ſubtiliorem, limatioremque meditatione multa fabricavit, eamque plurimis Patriotis ad florentiſſimi Regni perniciem afflavit. Genevæ poſtea Caliphatum gerens, eam longe lateque propagavit. Ibidem die 26. Maji 1564. mortuum, & quidem placidiſſime ſcribit Theodorus Beza, ejus mancipium, *Calvinolatra* propterea dictus; contra in vocibus execrationis & maledictione vitæ ſuæ, ſcriptorum, ſtudiorum ſuorum, dæmonumque invocatione miſeram animam efflaſſe moroſiſſimum, ſuperbiſſimumque hominem Bolſecus, & alii teſtantur. Errores Calvini ad 56. capita reducit Natalis Alexander, in quorum pleriſque Luthero conſentit. Præcipui ſunt. 1. De ſacris vocibus conſubſtantialis, hypoſtaſeos, Trinitatis non ſatis religioſe ſentit. 2. Chriſtum mediatorem aſſerit etiam ſecundum divinam naturam, & ab æterno. 3. Peccatum Deo imputandum eſſe, etſi alibi neget, ex principiis tamen ab eo conſtitutis ſequitur. 4. Chriſtum damnatorum pœnas in ſuo ad inferos deſcenſu paſſum blaſphemat. 5. Hominis lapſum a Deo prædeſtinatum. 6. Hominem lapſum libero arbitrio eſſe privatum. 7. Concupiſcentiam originalem etiam poſt baptiſmum eſſe peccatum. 8. Juſtificationem fieri per juſtitiæ Chriſti imputationem. 9. Hominem ſola fide juſtificari. 10. Fidem & juſtitiam propria eſſe electorum, nec poſſe amitti. 11. Omnia peccata de ſe eſſe mortalia, ſed non imputatione fieri venialia. 12. Legem Dei, quæ bona opera præcipit, eſſe impoſſibilem. 13. Doctrinam de bonorum operum meritis nugatoriam eſſe. 14. Confeſſionem peccatorum non eſſe jure divino inſtitutam. 15. Satisfactionem ad pœnitentiam non eſſe neceſſariam. 16. Indulgentias eſſe ſanguinis Chriſti profanationem. 17. Purgatorium eſſe exitiale ſathanæ commentum. 18. Sanctos pro nobis non intercedere. 19. Romanæ Sedi non competere primatum ex Chriſti inſtitutione. 20. Romanum Pontificem eſſe Antichriſtum. 21. Concilia Generalia in tradendis fidei dogmatibus, & S. Scripturæ interpretatione errare poſſe. 22. Imaginum uſum & cultum a ſathana manaſſe. 23. Sanctos non oportere coli. 24. Eccleſiam non poſſe leges ferre obligantes in conſcientia. 25. Quadrageſimale jejunium eſſe ſuperſtitioſam obſervationem. 26. Eccleſiæ legem de cælibatu eſſe tyrannicam. 27. Vota abſtinentiæ, jejunii, peregrinationum ad ſanctiora loca plena eſſe manifeſtæ impietatis. 28. Verbum, quo Sacramentum conficitur, eſſe mere concionatorium, non conſecratorium. 29. Nullam ineſſe Sacramentis vim & efficaciam conferendi gratiam ex opere operato, ſed ſolum excitare & alere fidem. 30. Characterem ſacramentalem eſſe figmentum. 31. Tria tantum eſſe Eccleſiæ Sacramenta, baptiſmum, cœnam, & ordinationem. 32. Baptiſmum non eſſe medium ad ſalutem neceſſarium. 33. Solam baptiſmi recordationem peccata poſt eum commiſſa expiare. 34. Exorciſmos, exſufflationem, chriſmationem, aliaſque cæremonias nugas eſſe. 35. Tranſubſtantiationem eſſe figmentum, verbaque Chriſti, *hoc eſt corpus meum*, figurate eſſe accipienda. 36. Miſſam non eſſe Sacrificium pro vivorum & mortuorum expiatione a Chriſto inſtitutum. 37. Fidem noſtram ſolis ſcripturis, non traditionibus niti. 38. Matrimonia marito deſerente, vel fornicatione ſuperveniente diſſolvi quoad vinculum. 39. Nullo ſcripturæ teſtimonio uſuras damnari. 40. Denique exemplo Lutheri ac præcedentium hæreticorum Eccleſiaſticum, Sapientiam Salomonis, Tobiam, Judith, & Machabæorum hiſtoriam e Canone Sacrarum Scripturarum expunxit. Varias in ſectas Calvini aſſeclæ exemplo Lutheranorum abierunt, quarum quatuor præcipuæ ſunt. Prima eorum omnium eſt, qui Calvinum adamuſſim ſequuntur, quales ſunt reformati in Gallia, in Palatinatu, Belgæ pleriquæ, & Helwetii,

wetii, *Puritani* in Anglia & Scotia. Altera eſt *Anglo-Calvinianorum*, qui a Puritanis cæteriſque Reformatis in eo maxime differunt, quod Ordinem Epiſcopalem admittunt a cæteris Ordinibus diſtinctum, iiſque jure divino ſuperiorem. Ad Puritanos proxime accedunt *Independentes*, & *Presbyteriani*; quorum primi unamquamque Eccleſiam ſui juris faciunt, nec alii ulli ſubjectam aut ſubordinatam eſſe ſtatuunt: nemini fidei rationem reddunt, niſi illi, cujus membra ſunt Eccleſiæ; cum ex adverſo Presbyteriani particulares Eccleſias claſſibus, claſſes Synodis provincialibus, has Synodo nationali ſubjiciant. Hæc independentium libertas cauſa eſt, quod Anglia colluvies facta ſit omnium ſectarum. Illius ſiquidem principia in illa olim Sanctorum Inſula ſtabiliverunt *Anabaptiſtas*, *Antinomos*, *Antiſcripturianos*, de quibus ſupra, *Quakeros*, qui ſe in hac vita perfectos, & a peccato mundos exiſtiment, & in extaſes frequenter incidere ſimulant; *Ranteros*, qui naturæ corruptæ incitamenta turpia non eſſe exiſtimant; *Levellerios*, qui naturalem omnium hominum æqualitatem urgent &c. Tertia eſt *Piſcatorianorum* a Joanne Piſcatore Argentinenſi ſic dicta, qui in materia juſtitiæ Chriſti & noſtra a reliquis Calvinianis diſſident, fractionemque panis in Euchariſtia cæremoniam eſſentialem affirmant. Quarta denique *Arminianorum*, qui ob emollita Calvini circa Prædeſtinationem & arbitrium hominis dogmata molles Calviniani dicuntur, authore Jacobo Arminio, quondam Amſtelodamenſi Miniſtro, quorum doctrinæ acerrime reſiſtunt *Gomeriſtæ*, Coryphæo Franciſco Gomaro Lugduni Batavorum Theologiæ Profeſſore, qui etiam in Hollandia contra Arminianos in Synodis palmam retulerunt, utpote ex quibus Barneſeldius ob pertinaciam neſcio qua inquiſitoria ſententia capite plexus, alii carceri mancipati ſunt. Calvini hæreſis non ſemel prædemnata, in Concilio Tridentino decretorie confixa eſt. Ex narratis vero Lutheranorum & Calviniſtarum diſcordiis ac factionibus in aprico eſt, quam conſtans ſibi concorſque ſit ſpiritus ille privatus. Quamque controverſias clare decidat ſola ſcriptura. Quilibet enim non tantum ex Lutheranis & Calviniſtis, verum etiam ſingularum factionum homines ſibi jurabunt, ſacras literas ſibi clare favere.

Quemadmodum Calvinus ex humanæ rationis fonte inductus eſt ad negandam realem Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam, eo quod ſibi perſuadere nequiverit, Corpus Chriſti poſſe eſſe in Cœlo, ac etiam toties replicatum in terra, quot dantur ſpecies conſecratæ in Aris; ita Michael Servetus ex eodem fonte in nefandum circa Sanctiſſimam Trinitatem errorem lapſus eſt, Sabellianamque hæreſim hoc Sæculo reſuſcitavit, quia ſibi perſuadere non potuit, unam naturam in tribus Perſonis ſubſiſtere poſſe, quin tres individuas ſubſtantias efficiat, & conſequenter tres ſolidos Deos. Et quamquam infelix hic medicus, Antitriniteriorum Dux ac Coryphæus, opera Calvini a Genevenſibus vivus concrematus ſit, & quidem jure merito, cauſæ tamen ſuæ zelo iſthoc minime conſuluit Calvinus, & Calviniſtæ. Cineres enim Serveti argumento ad hominem contra Calviniſtas vel ſe juſtificant, vel ſi non, eos una condemnent: ſi enim (objicere poteſt Servetus) vos, o Calviniſtæ, non obſtantibus tam apertis teſtimoniis S. Scripturæ, communique Patrum fide, quam Calvinus aperte fatetur, non admittitis realem præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia, eo quod eam judicatis impoſſibilem; cur me cremari curavit veſter Anteſignanus, qui ex eodem fonte negavi myſterium Trinitatis; aut ſi ego juſte crematus ſum hoc non obſtante, quia ſententiam Orbi conatus ſum invehere contra apertos Scripturæ textus, antiquitatiſque communem fidem, cur ſociati mihi in fatali pyra non meruit Calvinus, qui eadem temeritate uſus eſt circa diviniſſimam Euchariſtiam? Aut cur non potius Catholici eandem recte ſapiant, qui Patrum traditiones retinentes utrumque Myſterium a contradictione tum a me, tum a Calvino prætenſa liberant, eſto utrumque minime comprehendere poſſint, utpote qui plura Deum facere, quam hominum ingenioſe poſſe capere recte tenent. Sed a proſopopœja incidentali ad Serveti errores; quos numero 38. ex ejus ſcriptis excerpſere Miniſtri Genevenſes. Et quorum princeps fuit, omnes, qui Trinitatem ſtatuunt in eſſentia Dei, eſſe Tritheitas, veros Atheos, nec Deum habere, niſi tripartitum, & aggregativum. Et hinc Chriſtum eſſe Filium Dei aſſeruit, quatenus genitus eſt a Deo in utero Virginis Mariæ, adeoque animam Chriſti & carnem eſſe Deum, & quidem ab æterno in propria Dei ſubſtantia, verum NB. non intrinſece, ſed extrinſece tantum, in quantum in Idea divina ab æterno repræſentabatur. Spiritum S. denique ait umbram fuiſſe in creatione mundi, nullamque ante Chriſti adventum vilam fuiſſe Spiritus hypoſtaſim; totam conſequenter nunc Verbi & Spiritus gloriam hypoſtatice ſolum Chriſtum continere. Videatur Nat. Alex. L. cit. Cum Pyra Serveti non eſt extincta ejus hæreſis, ſed Poloniam, Tranſylvaniam, & Hungariam invaſit, propagatoribus præcipuis Valentino Gentili, Gregorio Blandrata, Alciato, Bernardino Ochino, Gribeldo, Liſmanno, & Franciſco Davide. Et quidem Gentilis non tantum Serveti blaſphemias ſuas fecit, ſed graviſſimos inſuper errores addidit, & ad Tritheitas proxime acceſſit, dicens: tria concurrere in Trinitate, eſſentiam, quæ dicitur Pater, Filium, Spiritum S. Patrem eſſe unicum illum Deum Iſrael, ſolum verum Deum eſſentiatorem; Filium eſſentiatum & precario Deum: Sophiſticum eſſe commentum tribuere Patri propriam perſonam in eſſentia Deitatis: qui id aſſerunt, quaternitatem, non Trinitatem agnoſcere. Nam, inquiebat, unica illa eſſentia abſque ulla conſideratione perſonarum eſt ex ſemetipſa verus Deus: & quælibet trium Perſonarum eſt itam eſſentialiter Deus: ſequitur ergo quaternitas, non Trinitas. Poſt iteratas ſimulato animo Genevæ alibique errorum ſuorum ejurationes, Bernæ in Helwetia tandem captus, ac pertinax capite plexus eſt. Ex reliquis Antitrinitariorum ſectæ propugnatoribus Blandrata Italus medicus miſerrime ab uno cognatorum ſuorum trucidatus eſt in Tranſylvania, Ochinus miſerabiliter obiit in Polonia teſte Beza. Catholicum vero ac pœnitentem obiiſſe, Capuccinorum (quorum Generalis aliquando fuit) annales produnt. Gribaldus peſte necatus eſt, Liſimanus in puteum præcipitem ſe dedit. Franciſcus Davidis ruente repente domo occiſus eſt teſte eodem Beza.

Celebrius apud Anti-Trinitarios fuit Lælii & Faulli Sociniorum nomen, a quibus ſecta etiamnum appellatur *Socinianorum*; uterque Senis oriundus. Quorum primus annum agens nonniſi 22. relicta A. 1542. Italia quadriennio toto Galliam, Britanniam, Belgium, Germaniam univerſam, ac Poloniam emenſus eſt. Calvinum Quæſtionibus de reſurrectione agitavit, ſed ſupplicio Serveti territus ejus venenum aperte apud Helvetos ſpargere non eſt auſus; præmatura deinde morte abreptus eſt Venetiis A. 1562. Ejus de obitu certior factus Fauſtus Socinus ipſius nepos, patrui ſui ſcripta ſibi vendicavit, afflatamque ab eo hæreſim propagare ſtuduit in Tranſylvania potiſſimum & Polonia, tum oretenus, tum ſcriptis virolentis,

tis, in quibus plurimos errores circa ſcripturam, circa Incarnationem, circa Sacramenta, circa legem, gratiam, & juſtificationem, circa hominem, animam, reſurrectionem, & Eccleſiam tum ab antiquis, tum recentioribus hæreticis combibitos evomit. Quos ad 41. capita reducit Natal. Alexander hic. Primipilus vero fuit, in eſſentia divina unicam tantum eſſe Perſonam, contradictionem quippe implicare Deum eſſe unum, & plures in eo eſſe Perſonas; & diſtinctionem iſtam, unus eſſentia, trinus Perſonis, nec uſquam extare in ſacris litteris, & cum certiſſima ratione ac veritate manifeſte pugnare, cum certiſſimum ſit, non pauciores eſſe individuas eſſentias, quam Perſonas. Ita nempe ad decempedam creaturarum immenſam illam Creatoris eſſentiam menſus eſt infauſtus Fauſtus Socinus, qui infelicem animam Luclaviciis in Polonia An. 1604. efflavit. De quo illius aſſeclæ canere ſolent:

Tota licet Babylon deſtruxit tecta Lutherus,
Muros Calvinus, ſed fundamenta Socinus.

Michael Bajus Lovanienſis Academiæ Doctor & Profeſſor, tandemque Decanus, vir doctrina & probitate conſpicuus, novas quaſdam opiniones de libero arbitrio, de operibus, ac de aliis articulis excitavit. Ex quibus non tantum diſſidiorum tumultus in Belgio orti, verum etiam turbæ Galliam in hodiernum diem vexantes, inde originem ſuam merito trahere dicendæ ſunt, eo quod præcipuas Baji propoſitiones periculoſioreſque Sæculo XVII. propugnandas ſuſceperit, novoſque errores addiderit Cornelius Janſenius Iprenſis Epiſcopus, eoſque in opere inſcripto *Auguſtinus* Sanctiſſimo Doctori tribuerit. Baji dogmata in Concilio Tridentino, cui cum Janſenio interfuit, œconomia quadam non diſcuſſa, Pius V. Pontifex maximus diligenter examinari curavit, atque ex iis 79. Articulos damnavit diplomate edito, quod incipit: *Ex omnibus &c.* & quidem abſque declaratione, quænam cuique cenſura conveniret; Bajique nomini pepercit, ac aliquas ex proſcriptis propoſitionibus, nullis certis in hac exceptione adnotatis, quodammodo ſuſtineri poſſe declaravit. Et quidem diploma ſuum ſolum voluit communicari Lovanienſi Academiæ mitiſſimus Pontifex, quod & factum eſt, at eo mortuo hoc ipſum diploma a Gregorio XIII. ob perdurantes factiones Bajaniſtarum confirmatum, ac ſolemniter promulgatum eſt. Poſt quem idem præſtitit Urbanus VIII. A. 1642. Et Bajus quidem vir pius ac eruditus Judicio Franciſci Toleti tunc Pontificii Concionatoris, poſtea S. R. E. Cardinalis acquieſcens, dogmata ſua revocavit, privata retractatione ſibi indulta. At cum in Bulla Piana hæc legerentur: *Quas quidem ſententias, quanquam nonnullo aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento, —— damnamus;* eorum occaſione novæ lites in Academia Lovanienſi exortæ ſunt, quibuſdam palam conteſtantibus, diploma adulteratum eſſe ab iis, qui virgulam ſeu commà ponerent poſt illa verba, *ſuſtineri poſſent*, ut reliqua, quæ ſequuntur, *in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento ad damnationem* referrentur, quaſi in ſenſu ab auctore intento damnarentur. Quod autographo ipſo hoc comma non habente, & idem ſenſum contrarium præferente, probarunt; ſed hanc virgulæ omiſſionem in Bulla S. Pii non interveniſſe ex mente hujus Pontificis, ſed ex oſcitantia ſcribæ probant autographa Bullæ tum Gregorii, tum Urbani, quæ dictum comma exhibent. Tantum nimirum ponderis ſubinde eſt in uno commate, ut olim Manichæi uno commate confirmarent ſuam blaſphemam ſententiam non omnia per Verbum facta, ſed ſolum illa, quæ a bono Deo facta ſunt, Verſum illum Joann. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, commate non dividentes a verbis ſequentibus, *quod factum eſt*, quæ tamen verius commate a prioribus divelli debent, & poſterioribus, *in ipſo vita erat*, conjungi, quamvis utraque ſcriptio ſenſum Catholicum non excludat, de quo videantur Commentariſtæ. Præcipui Baji errores ſunt: 1. Quod omnia opera peccatorum, & infidelium cenſuerit eſſe peccata. 2. Quod liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio nonniſi ad peccandum valeat. 3. Quod voluntarie fit, etiamſi neceſſitate fiat, libere fit. 4. Charitatem illam, quæ eſt plenitudo legis, non eſſe ſemper conjunctam cum remiſſione peccatorum. 5. Concupiſcentiam in renatis relapſis, in quibus jam dominatur, peccatum eſſe, ſicut & alios pravos habitus. 6. Falſam eſſe Doctorum ſententiam, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia naturali.

Guillelmus Poſtellus Normannus, Philoſophiæ & exoticarum linguarum peritia celebris, multa ſcripſit deliriis & erroribus paſſim inſperſa, nimirum de trinitate mundi, corporis, & animarum, de Chriſto intoxicato, de matrice mundi, de ſalvandis univerſis omnis generis hominum ſectis: de clave abſconditorum a ſæculo, quæ nec Apoſtoli, nec ipſa Eccleſia portare potuiſſet; de myſteriis ſibi per Angelum Raziel revelatis; de nativitate Mediatoris futura &c. Reprehenſus propterea non ſemel a Theologis Pariſienſibus, & a Magiſtratibus increpatus, ad frugem converſus pie obiit A. 1581. Et hucuſque in recenſendis hæreſibus pervenit Natalis Alexander, ex quo hæc deſumpſimus.

25. Sæculo XVII. & XVIII. quod agimus, Eccleſiam perturbarunt errores Cornelii Janſenii, Michaelis de Molinos, Iſaaci Pereyri, Marci Antonii de Dominis, Edmundi Richerii, Anonymi, Franciſci Borri, Franciſci de Salignac Fenelon, Paſchaſii Queſnellii, Lucilii Vanini, impii Benedicti Spinoſæ, Fataliſtarum, Deiſtarum, Naturaliſtarum, Materialiſtarum, Idealiſtarum, & Egoiſtarum.

Cornelius Janſenius natione Belga, ex Doctore Lovanienſi Epiſcopus Iprenſis volumen magnæ molis de divina gratia a ſe lucubratum in publicam lucem edere non potuerat morte præventus An. 1638. ſuo in teſtamento proteſtatus, ſe omnia ſcripta Judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubjicere. Eo vita functo ſequenti anno Libertus Fremondus eundem librum typis mandavit ſub titulo *Auguſtinus Cornelii Janſenii*, quaſi in illo opere exponeretur genuina, ac pura putaque S. Auguſtini doctrina, a recentioribus Theologis non ſatis hactenus intellecta, qua molitione pomum veluti diſcordiæ jecit non ſolum inter Theologos, ſed plebem ipſam Galliæ & Belgii, de quo in hodiernum diem acerrime diſceptatur. Eo enim opere, ut primum in lucem prodiit, graviter offenſi ſunt Catholici, gravibus erroribus refertum cenſentes, quos Theologi S. Facultatis Pariſienſis poſt maturum, ac diuturnum examen in quinque propoſitiones collegerunt, deinde Epiſcopi Gallicani Judicio Innocentii XII. ſubmiſerunt A. 1651. qui eas propoſitiones tanquam hæreticas conſtitutione pridie Kal. Junii An. 1653. edita condemnavit. Quæ Summi Pontificis conſtitutio ſumma veneratione excepta eſt a Galliæ Epiſcopis, executionique nullo perſonarum habito reſpectu mandanda Pontifici promiſſum. Error tamen hoc tam juſto telo minime ſublatus fuit, Janſeniſtis variis artibus Pontificiam Bullam eludere conantibus; & primo quidem vociferari cœperunt, per Janſenii latus in dicta Bulla peti Auguſtinum, & divinam ejus doctrinam tot Conciliorum Decretis &c. conſecratam explodi, ſugillari, ac proſcribi; ſed confuſis eorum dicteriis a ſubſequis

Ro-

Romanis Pontificibus, qui demonſtrarunt has quinque propoſitiones non ſolum toto cœlo, ſed etiam totis ædibus a doctrina Auguſtini aberrare, in quæſtione facti latibula quæſivere, negantes has quinque propoſitiones fideliter excerptas eſſe ex libro Janſenii; hæreſimque Janſenianam chimæricam, & imaginariam appellarunt, librum Janſenii abſque ullo prævio examine damnatum eſſe, nec auditis ejus defenſores, & cenſuram per vim extortam fuiſſe effutientes; quod eorum mendacium repreſſit Alexander VII. contrarium definiens conſtitutione edita A. 1656. cujus judicium comprobatum fuit per Galliæ aliarumque nationum Antiſtites, Univerſitates, & Doctores; & hinc Janſeniſtæ ab eorum petitione, ut iterum audiantur, excluſi; atque Regis auctoritate coacti ſunt Alexandri VII. formulario ſubſcribere, ac ſolemni Juramento affirmare, ſe damnare quinque famoſas propoſitiones in ſenſu libri Janſenii, quam ictum mortalem ut declinarent, novam fraudem excogitarunt. Inſtruxerunt ſiquidem ſuos, hæc omnia ab ipſis præſtari poſſe, modo circa quæſtionem facti ſe continerent intra limites externæ duntaxat obedientiæ, & religioſi ſilentii, licet animo contradicerent, ac contrarium tenerent. Quam fraudem detectam Clemens XI. A. 1705. damnavit, definiens ad ſubſcriptionem formularii requiri non ſolum externam, ſed etiam internam obedientiam, ſimplicemque & abſolutam cordis adhæſionem. Dictæ quinque propoſitiones ita ſonant: 1. aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant. 2. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur. 3. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. 4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare. 5. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Hæ erroneæ propoſitiones fluxerunt ex erroneo Janſenii ſyſtemate circa ſtatum Innocentiæ, & naturæ lapſæ, in quorum primo ſolam admiſit gratiam ſufficientem e nutu liberi arbitrii pendentem; in ſecundo vero ob miſeram ejus conditionem ſolam gratiam efficacem, quæ voluntati tam potenti imperio dominetur, ut nulla ei renitendi facultate relicta, planeque abſorpta libertate, neceſſario victrici delectatione rapiatur. Et hinc infert, voluntatem Dei ſalvandi homines, eiſque præparandi gratias ſufficientes ad ſalutem pertinuiſſe duntaxat ad ſtatum innocentiæ; in ſtatu vero naturæ lapſæ habere duntaxat voluntatem conſequentem ſalvandi prædeſtinatos, dando eis auxilia per ſe efficacia; & ſi aliqua voluntas Dei antecedens pro hoc ſtatu admittenda ſit, illam conſiſtere in ſola præciſione mentis, adeoque nuda velleitate, nihil gratiæ cauſante. A Michaele Bajo plura hæreditaſſe Janſenium ſupra advertimus.

Epicuri Gentilis, Gnoſticorum, aliorumque his ſimilium Hæreticorum execrabiles libidinum ſpurcitias Sæculo 17. & quidem ſub myſticæ Theologiæ, altiſſimæque contemplationis, quietiſque velamine in Orbem induxit Michael de Molinos natione Hiſpanus, Cæſaraug. Diœceſis in Aragonia Presbyter, omnium, quos Orbis vidit, maximus Hypocrita. Ejus pernicioſiſſimas propoſitiones numero 68. damnavit Innocentius XI. die 20. Novembris A. 1687. Romæ, ubi etiam Palinodiam cecinit, atque ad perpetuos carceres damnatus, ſexagenarius, & ut fertur, ſerio pœnitens obiit. Non tamen ejus ſecta, quæ ſub Quietiſtarum nomine venit. Quorum hæreſeos ſumma in hoc volvitur, ut vellent & aſſererent, in vita Spirituali ſive myſtica hos ſolos eſſe cenſendos perfectos & vere myſticos, qui per unum actum & ſolum, modo non revocatum, Deo ſemel oblati, & ut ajebant, totaliter uniti, reſignati, atque relicti, reliquos omnes ut ſuperfluos ſuſpendunt actus, & velut exanimes permanendo, nihil prorſus operando, neque volendo, neque petendo, nec de acceptis beneficiis Deo gratias agendo, nec ad proprios defectus reflectendo, ſed ſilendo, & mere paſſive ſe habendo, in abſoluta permanent indifferentia de omnibus, etiam de pœna, vel præmio, de inferno, vel de Paradiſo, ſinendo, ut Deus operetur active, & ſuam divinam voluntatem impleat in illis. Et hinc recentes illi Pſeudo-myſtici, ut videre eſt in damnatis Michaelis Molinos propoſitionibus 41. 45. 46. 47. 48. nefanda libidinum monſtra licite reddebant, ac ſuas fœditates & abominationes non ſolum dæmoni vim inferenti, ſed & Deo non modo permittenti, ſed volenti tribuere non verebantur, eaſque peccata eſſe negabant, ſed his potius animam magis purgari, illuminari, roborari, candidiorem evadere, & perfectam acquirere libertatem dictitabant. Multiſque perſuaſerunt, ut in omnibus (proh! exquiſitam ad omne impudicitiæ genus libere exercendum induſtriam) cæcam ſuis Directoribus obedientiam exhiberent; & ut ſuas abominationes, quas violentias appellabant, in Sacramento pœnitentiæ non confiterentur, quoniam non eſſent peccata, ne quidem venialia; & ipſe Molinos dum deprehenderetur, per 22. jam annos non erat confeſſus; quotidie nihilominus celebravit.

Iſaacus Pereyrus Calviniſta natione Gallus A. 1655. auſus eſt aſſerere, Adamum fuiſſe duntaxat primum Parentem Judæorum, non vero Gentilium, ac ſubinde alios ante Adamum a Deo creatos fuiſſe homines, quos Præadamitas vocavit. Poſt varios caſus ac diſcrimina rerum facti pœnitens ſyſtema ſuum cum Calviniana hæreſi ejuravit Romæ A. 1657.

Marcus Antonius de Dominis olim Societatis Jeſu, deinde Archiepiſcopus Spalatenſis, Dalmatiæ & Croatiæ Primas, innata animi levitate a Catholica fide apoſtatavit, & in Angliam ſe recepit, ubi dum ingentia volumina contra fidem Catholicam, Pontificiam Authoritatem evulgavit, quæ inſcripſit *de Republica Chriſtiana*, in quibus totus eſt, ut Romano Pontifici Primatum eripiat, Eccleſiaſticamque Hierarchiam evertat. Et hinc nihil novi tentat. Hæreſis pertæſus Romam rediit A. 1622. erroreſque abjuravit. Sed A. 1624. leviſſimus homo ad vomitum rediit, atque in arcem S. Angeli incluſus obiit cum ſignis pœnitentiæ, & Sacramentis munitus.

Edmundus Richerius natione Gallus, Doctor Pariſienſis, librum quoque edidit de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, in quo Authoritatem Romani Pontificis & Eccleſiæ depreſſit, e contra politicam poteſtatem nimium extulit. Sed male natus liber ſtatim damnatus eſt a Synodo Pariſienſi A. 1612. ipſeque ab officio Syndici ejuſdem Facultatis Regia authoritate depoſitus eſt.

Anno quoque 1739. ſub nomine Anonymi prodiit liber ſub ſpecioſo titulo, *Jurium & libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, earumque probationum*, qui cum multa contineret libertati Eccleſiæ contraria & ad excitandum Schiſma tendentia, fuit ſtatim cenſura Cardinalium & Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtitum omnino proſcriptus & condemnatus.

Franciſcus Borri Mediolanenſis Medicus ridicula

cula inſania poſt medium Sæculi XVII. jactabat ſe eſſe Chriſtum, qui totum Orbem debebat ſuis ſubdere legibus, novam fidem, novos Ritus, novam Eccleſiam inſtituere; viſiones Angelorum, miracula, & neſcio quas prædictiones ineptiſſime obtrudebat, de myſterio SS. Trinitatis peſſime ſentiebat, & B. Mariam Virginem Deam eſſe effutiebat, aliaque perinde ridicula producebat dogmata, quæ otioſis hominibus perſuadens, ex iis duodecim Apoſtolos delegit, qui Mediolani capti, omnibuſque bonis privati cum Phrygibus ſapuerunt; eorum vero Chriſtus phantaſticus fuga elapſus, captuſque in Germania, ac ab Imperatore Leopoldo Clementi X. ſub conditione vitæ eidem condonandæ remiſſus, in arce S. Angeli vitam pœnitens finivit.

Franciſcus de Salignac Fenelon, Archiepiſcopus & Dux Cameracenſis, Præceptor Ducis Burgundiæ, Andegavenſis, & de Berry typis Pariſienſibus A. 1697. in lucem edidit librum gallico idiomate conſcriptum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieur.* Qui cum ceri cœpiſſet, ingentem de non ſana ejus doctrina in Gallia rumorem excitavit, quo ad Apoſtolicam Sedem delato, Innocentius Papa XII. poſt adhibitam diligentem diſcuſſionem, 23. ejuſdem propoſitiones vitam interiorem concernentes, ut temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi pernicioſas, ac etiam erroneas reſpective damnavit, librumque legi vel retineri prohibuit die 12. Martis A. 1699. Eo autem præprimis tendebant, ut amiſſis motivis timoris & ſpei, perfectionem in amore prorſus diſintereſſato collocarent.

Paſchaſius Queſnellius, ſeu Quenellius Pariſienſis, Congregationi Presbyterorum Oratorii per Cardinalem Beruliam inſtitutæ vertente A. 1657. nomen dedit. Ab eaque monita ac præcepta confratrum ſpernens diſcedens, Erro factus eſt. Opus pernicioſum ab ipſo Gallico idiomate lucubratum Pariſiis typis prodiit A. 1699. ſub titulo *Le nouveau teſtament en francois, avec des reflexions morales ſur chaque verſet &c.* in quo renovavit Baji, & Janſenii damnata dogmata, ampliavitque errores ad propoſitiones 101. a Clemente XI. in famoſa Bulla *Unigenitus* A. 1713. jure meritoque proſcriptas. Etenim nullam gratiam niſi efficacem Quenellum admittere, ac talem, quam nihil impedire poſſit & retardare, liquet a propoſitione 9. ad 24. abſque tali gratia impoſſibilia eſſe divina præcepta aſſeritur primis quatuor, nec non 38. & duabus ſequentibus. Gratiam primi hominis debitam ac naturalem tradit propoſitio 34. 35. 37. ante fidem & remiſſionem peccatorum nullam dari gratiam propoſitio 26. 27. 28. Opera ſine fide & charitate facta eſſe peccata propoſitio 38. & ſeqq. ut plura alia omittam ad Eccleſiam, ad ſacrarum ſcripturarum lectionem, aliaque dogmata pertinentia. Bullam *Unigenitus* ad inſtantiam Ludovici XIV. Regis Chriſtianiſſimi ſe edidiſſe in eadem teſtatur Clemens XI. Illaque ſuſcepta eſt ab Univerſitate Colonienſi A. 1715. & anno præcedenti a Duacenſi. Eam probarunt unanimiter Theologi Lovanienſes. Publicarunt ſervandam Clariſſimi Antiſtites Namurcenſis, Ruremondenſis, Gandavenſis, Antwerpienſis, Tornacenſis, Audomarenſis, aliique plurimi. Eam excepit ac amplexa eſt A. 1716. Univerſitas Salmanticenſis. In Italia, Germania, Hiſpania, & Luſitania, ut par erat, illi obtemperarunt omnes. A Gallicanis Epiſcopis prodierunt pro acceptatione hujus Bullæ mandata 130. relata in libro, cui Titulus, *Recueil des mandemens & inſtructions paſtorales des Meſſeigneurs les Archevêques, & Evêques de France pour l'acceptation de la Conſtitution de nôtre S. Pere Clement XI. du 8. Sept. 1713.* Obſtrepentibus, & dialecticis diſputationibus per Bullam *Unigenitus* doctrinam S. Auguſtini & D. Thomæ de divinæ gratiæ efficacia perſtrictam contendentibus Janſeniſtis, quorum audaciam coarguit & repreſſit Clemens XII. Brevi emanato 2. Octobris A. 1733. quod exſtat in Bullario FF. Prædicatorum Tom. 6. pag. 738. vetans docere propoſitiones, quæ interdictas Novatorum calumnias firmare, ac promovere poſſint. Janſeniſtis interim ſervando Religioſum ſilentium ad Concilium Generale appellantibus, ac in ſua pertinacia perſiſtentibus. Ad quos reprimendos, atque exſtirpandos, cum zelantiſſimi Galliæ Præſules (exemplo atque conſtantia præeunte digniſſimo Archiepiſcopo Pariſienſi S. R. Eccleſiæ Cardinali ac Duce de Noailles) conſiderantes, quod tota, qua late patet Romana Eccleſia, conſenſu unanimi Bullam *Unigenitus* approbaverit, & conſequenter Gallorum principium, quod a ſententia Romani Pontificis ad univerſale Concilium appellari liceat, obſtante hac tacita Eccleſiæ definitione locum non habeat, & hinc Janſeniſtæ ab hæreſi vix ac ne vix excuſari poſſint, quin merito incuſentur, efficax medium paucis ab hinc annis Curatis præſcripſiſſent, ne ulli extremo morbo laboranti Sacramenta porrigerent, niſi prius interrogatus profiteatur ſe Bullam *Unigenitus* recipere, juſtus illorum zelus turbas omnibus prioribus occaſione ejuſdem ortis multo periculoſiores excitavit, plurimis Janſeniſtis obire mortem ſine Sacramentis malentibus, quam præfatam Bullam recipere, quorum cauſam Parlamenta Regis ſuſcipientia uſque ad præſens Presbyteros Sacramenta negantes male tractant, incarcerant, ac in exilium mittunt, quæ poſterior ſors non tantum variis Epiſcopis, ſed ipſi Pariſienſi Archi-Præſuli obtigit, quemadmodum proxime elapſis annis 1753. 54. & currente 55. nil aliud fere nobis retulerunt novalia Francica, in quibus certe legere erat memorialia a Galliæ Paſtoribus Regiæ Majeſtati porrecta, quæ horum æterna memoria dignorum Præſulum doctrinam, pietatem, zelum, conſtantiam, primis Eccleſiæ Patribus vix inferiorem poſteritati reddent ſuſpiciendam. Comitia hoc anno Generalia doctiſſimus Galliarum Clerus ob hanc etiam cauſam celebravit, atque deciſivam ſententiam controverſiæ ipſum inter & Parlamentum, & ſi quæ alia ſunt, quæ nos adhuc latent, Summo ac Sapientiſſimo Pontifici Benedicto XIV. pro ſua in Sedem Romanam reverentia annuente Rege Chriſtianiſſimo Ludovico XIV. detulerunt; quæ quamvis necdum emanaverit, aut ſaltem ad noſtras oras non pervenerit, ab ea tamen juſtam cauſam triumphum reportaturam perſpecta hujus Pontificis prudentia, Regiſque Chriſtianiſsimi in Eccleſiam, cujus primogenitus Filius eſt, pietate, omnes cordati ſperant. Expenſis autem Quenellii propoſitionibus lector deprehendet illum a Janſenio, hunc a Michaele Bajo, iſtum vero a Luthero & Calvino odorem aliquem circa gratiam ac liberum arbitrium, aliaque capita traxiſſe; ex relatis vero omnium Chriſtianæ Æræ Sæculorum hæreſibus facile deprehendet, Lutheri Calviniique novitates nil aliud eſſe, quam centones ex veterum Hæreſum fragmentis conſarcinatos, quibus omnibus Eccleſia Catholica conſtanter oppoſuit Scripturas, Patrumque traditiones, opponetque ad finem uſque Sæculorum. Sed ad enarrandas profanas noſtri Sæculi doctrinas, quæ Religionem omnem revelatam a fundamentis petunt, atque ad placita antiquorum Philoſophorum circulo quodam vitioſo revertuntur, greſſum facia-

mas, quibus in apricum educeodis Sæculo præeedenti decimo ſeptimo ſœcunda ſemioa a maleferiatis Philoſophaſtris jacta ſuot.

Lucilius Vanini patria Neapolitanus, mediocri ingenio, projectæque libidinis Atheiſmum primus Orbi Chriſtiano invexit, ore primum, deio etiam ſparſis in Galliis quibuſdam libellia eotis ſupremi exiſtentiam, animæ immortalitatrm, infernum, Paradiſumque negando. A Senatu Toloſano captus ac in impietate ſua pertinax poſt præciſam ſaerilegam linguam vivus comburi juſſus eſt die 9. Feb. A. 1719. An dentur Athei Theoretici, hoc eſt in mente perſuaſi, quod non detur aliquod Ens ſupremum, quæſtio eſt controverſa; negat communis Doctorum ſeotentia, quidam vero id non eſſe impoſſibile affirmare videntur, ii nimirum, qui judieane poſsibile eſſe homini cuidam ad rationis uſum pervenienti nullam eſſe Dei notionem, ſaltem diſtinctam, & talem conſequenter poſſe ſimplieiter ignorare, quod detur Deus. Quam ſententiam tuetur Wolfius parta 2. Theol. naturalis §. 429. & 430. eamque exemplis confirmare nititur, quæ tamen non videntur intentum evincere, cum illa de integris gentibus Deum ignorantibus deprehenſis jure in dubium vocentur, & illud de ruſtien, ſurdo & muto nato, ac vigeſimo quarto anno auditum & loquelam recuperaote, qui Doctoribus Pariſienſibus faſſus ſit, ſe nullam ideam de Deo habuiſſe, eidem juxta propria peincipia non faveat; cum enim prædictus homo, teſte hiſtoria Academiæ Pariſienſis, nihil prorſus recordatus fuerit, quæ uſque ad 24. annum geſſetit, non videtur habuiſſe uſum rationis, quem non niſi exercitatione acquiri exemplo hominis inter urſos in Polonia capti probat idem Wolfius. Probabilius ergo eſt non dari Athaos niſi practicos, hoc eſt, qui mallent non dari Deum ſuorum ſcelerum ultorem; vel Spinoſiſtas, qui dum in ſuo ſyſtemate Deum ſtatuunt, ejus exiſtentiam tollunt. De quibus jam.

Spinoſiſmus nomen habet a Benedicto Spinoſa, patria Amſtel damenſi, Religione Judæo, poſtea Judaiſmi deſertore, ac ſyſtematis ſeu hypotheſeos impiiſſimæ auctore, quam in Ethica ſua poſthuma præcipue expolivit; atque A. 1677. Hagæ Comitum privatam vitam ducens miſeram animam afflavit. Eſt autem Spinoſiſmus hypotheſis, qua non admittitur niſi una ſubſtantia, infinitis attributis prædita, quorum duo ſunt cogitatio & extenſio infinita, & quorum unumquodque æternam & infinitam eſſentiam exprimit, entia vero finita oriri ſupponitur neceſſaria modificatione attributorum iſtius ſubſtantiæ, veluti animaa modificatione infinitæ cogitationis, & corpora modificatione extenſionis infinitæ. Cum impius hic Novator, naturas naturatas a natura naturante ſolum modaliter diſtinguat, conſequens eſt, quod naturam naturatam cum naturante realiter identificet, & ſic atheiſmum ſpecioſum introducat. Spinoſa & Spinoſiſtæ vi ſui ſyſtematis præterea ſunt Fataliſtæ univerſaliſtæ, de quibus infra, miracula in numerum impoſſibilium referunt, nullam religionem habent, nullam obligationem divinam ad honeſtas actiones committendas, malas vero omittendas agnoſcunt. Et hinc Spinoſiſmus ab Atheiſmo parum diſtat, & æque noxius eſt, imo certo reſpectu magis nocet quam Atheiſmus, & tamen Spinoſæ libri libere reimprimuntur, ac leguntur in Hollandia, aliiſque Proteſtantium terris. Hunc nimirum zelum habent pro Chriſtiana Religione illi, qui libertatem conſcientiarum tantopere jactant.

Fataliſtæ dicuntur, qui abſolutam rerum omnium in mundo neceſſitatem defendunt; quin ipſum Deum præſentem mundum ex neceſſitate produxiſſe, nec alium potuiſſe producere contendunt. Fataliſmus univerſalis eſt, qui abſolutam rerum omnium neceſſitatem ad ipſas actiones humanas extendit, negata libertate voluntatis humanæ. Fataliſmus vero particularis, qui neceſſitatem rerum omnium abſolutam ultra mundum materialem non extendit, conceſſa voluntatis humanæ libertate. Priorem præter Spinoſam defendit Hobbeſius. Stoicos nonnulli Fataliſtas arguunt, quos alii ab abſurdo errore vindicant, eoſque ſolum hypotheticam neceſſitatem a Decretis Dei immutabilibus pendentem admiſiſſe volunt.

Deiſtam Wolfius L. cit. §. 529. dicit, qui Deum exiſtere concedit, eum tamen res humanas curare negat, ſeu divinam providentiam. Et hinc merito Deiſtam ab Atheo, ac Naturaliſta diſtinguit. Sicut autem Fataliſtæ circa providentiam divinam errant neceſſitati eventus hujus univerſi tribueodo, ita oppoſito errore ab eadem recedendo, Deiſtæ omnia caſui adſcribuot. Utrique vero ſaltem Fataliſtæ univerſales cum Atheis omnem obligationem divinam e medio tollunt. Non una vero erroris Deiſtarum circa divinam providentiam eſt ratio, ſed tot exiſtunt numero, quot dari poſſunt errores, quibus divina providentia negatur. Deiſta vero proprie mundum ſtatuit ab æterno, nec Deo concedit, niſi nudam ejus cognitionem, & hinc mundum facit ens a ſe. Fataliſta vero ſtatuens Deum mundum hunc neceſſario condidiſſe, nec alium poſſe condere, vel præſentem gubernare, in hoc Deiſta eſt.

Naturaliſtæ dicuntur, qui Religionem naturalem ſolam agnoſcunt neceſſariam, revelatam autem vel rejiciunt tanquam falſam, vel ſaltem non neceſſariam agnoſcunt. Unde patet Naturaliſtas eſſe duplicis generis, *Philoſophicos* ſeu Anti-Scripturarios, qui omnem Religionem revelatam inter hominum figmenta referunt, & Scripturam Sacram cum Alcorano eodem loco habent; alios vero *Theologicos*, qui veritatem Chriſtianæ Religionis agnoſcunt, homini tamen ſufficere Religionem naturalem arbitrantur, ita ut huic deditos cum Chriſtianis eodem loco habeant, ubicunque gentium degant. Ipſimet vero vel Chriſtianam jactantur, quia mentem S. Scripturæ ſibi agnoſcere videntur; vel eam non ſequuntur, quia ignorant, cum Chriſtiani inter ſe diſſentiant de vero S. Scripturæ ſenſu, nec omnibus eadem placeant, penes quam partem ſtet veritas. Naturaliſtarum ſecta inter reliquas, quæ totum ſyſtema Religionis Chriſtianæ aggrediuntur, atque a nobis partim jam enumeratæ ſunt hoc numero, incipiendo a Vanini impietate, & adhuc enumerabuntur, plurimos in Orbe Chriſtiano tam Catholico, quam Acatholico nacta eſt Sectatores, atque actu in Aulis, in Caſtris, in nobilioribus Urbibus velut cancer ſerpit.

Noſtro infelici Sæculo, quo deſiderium excolendæ Philoſophiæ ardet, ſtudium vero affectionis erga Auctorem naturæ & gratiæ in plurimis friget, prodiverunt Philoſophi, qui unum tantum genus ſubſtantiæ in hoc univerſo ſpectabili admittunt, *Moniſtæ* propterea dicti. In duas extreme oppoſitas abiere ſententias, alii ſiquidem affirmant in rerum natura nulla alia entia exiſtere præter corpora, qui propterea *Materialiſtæ* dicuntur; alii e contra ſolas animas dari contendunt, in quibus nonniſi idealem corporum exiſtentiam concedunt; adeoque realem mundi, & corporum exiſtentiam negant, *Idealiſtæ* eapropter dicti. Materialiſta fuit Hobbeſius Philoſophus Anglus, qui plures ibidem Aſſeclas hodiedum habet. Eos inter eminent Tolandus, & Cowardus. Materialiſmum Scepticum introduxit Lockius, Anglus pariter Philoſophus, dum nos de immaterialitate animæ certos eſſe poſſe negavit, quem pro-

propagavit ibidem Clericus, & in Germania diſſeminavit Budæus. Hi ergo immaterialitatem animæ negant, & cogitationem per motum materiæ cujuſdam ſubtilis explicare conantur. Deum itaque pariter materialem ſtatuunt; non tamen neceſſario Anthropomorphitæ ſunt, quia qui Deum materialem dicit, non neceſſario ei corpus humanum affingit, poteſt enim in alio corpore fingi intelligere & velle. Facile tamen in Atheiſmum labuntur Materialiſtæ, cum enim in illorum hypotheſi non repugnet corpus eſſe ens a ſe, facile ſibi perſuadent ipſum mundum materialem eſſe ens a ſe. Et revera plures Materialiſtæ Atheiſtæ ſunt, quamvis alii, ſuppoſitis falſis axiomatibus illorum, Deo ſuo materiali tribuant, quæ ſpiritui perfectiſſimo conveniunt.

Inter Idealiſtas nomen ſuum recentius profeſſus eſt Georgius Berkeli Collegii Trinitatis, quod Dublini in Hybernia eſt, Socius, in tribus dialogis, qui idiomate Anglicano *de immaterialitate animæ, immediata providentia Numinis, & realitate & perfectione cognitionis humanæ* conſcripti Londini A. 1713. prodiere. Cui addendus eſt Arthurus Collier, qui eodem A. edidit librum, cujus titulus eſt, *Nova investigatio veritatis*; qua demonſtratur non exiſtentia, vel impoſſibilitas mundi externi. Scepticum Idealiſmum quoque aliqui defendunt, contendentes corpora certo demonſtrari aut cognoſci non poſſe, inter quos eſt Malebranchius &c. Idealiſtæ ideo corporum exiſtentiam negant, quia judicant illa eſſe impoſſibilia, non quod de omnipotentia Dei dubitent, ſed quia contradictionem in illorum ſenſu involvunt, ad quam ſe omnipotentis Dei extendere nequit. Videntur autem ipſis corpora impoſſibilia, quod agnoſcant, ſi entia compoſita dentur, dari etiam debere ſimplicia, unde originem ſuam deducunt; perpendentes itaque ex punctis Zenonicis, hoc eſt, entibus ſimplicibus, quæ præter carentiam partium nullam aliam determinationem intrinſecam admittunt, in extenſo uniformi extenſa oriri non poſſe, qualia ſunt corpora, eadem pro impoſſibilibus habent. Qui error profectus eſt ex ignorantia veræ elementorum Theoriæ. Unde patet, ex quo fonte impugnari debeant Idealiſtæ, ſimulque errare illos, qui judicant iiſdem exiſtentiam corporum ſolida fuſtigatione eſſe perſuadendam; etſi enim realem exiſtentiam corporum negent, admittunt nihilominus phænomena mundi materialis, eorundemque mutuam a ſe invicem dependentiam; ſeu negat Idealiſta corpus ſuum revera exiſtere, & ſe revera cibo ac potu idem alere; non tamen negat apparere ſibi, quod habeat corpus, ac quod cibo ac potu alatur, neque in dubium vocat, perceptionem corporis iſtius perdurare non poſſe, niſi conſervetur mediantibus perceptionibus cibi ac potus aſſumpti. Admittit ergo omnes res, earumque dependentias ab invicem in hoc mundo eodem modo *apparenter*, quemadmodum nos ipſas admittimus *realiter*, velut fieret in Camera obſcura, ſi abſque objectis extrinſecis intus remanerent eædem repræſentationes. Unde ſyſtema Idealiſtarum nihil turbat in Phyſica, Logica, Matheſi, Theologia naturali, Ethica, aliiſque Philoſophicis Facultatibus. Quin neque creationem Deo denegant, cum ſpiritus ex nihilo creatos fateantur, neque divinam providentiam, unde præciſe ex vi ſuæ hypotheſeos non ſunt Deiſtæ, multo minus Athei, quin neque neceſſario Naturaliſtæ Anti-ſcripturarii, cum quidam illorum S. Scripturæ loca, quæ corpora dari innuunt, ad ſuum ſenſum detorqueant; ſicut quidam Materialiſtæ illa, quæ ſpiritus dari docent; id quod ſolemne ſemper fuit aliis quoque hæreticis.

Idealiſtarum quædam ſpecies ſunt *Egoiſtæ*, qui nonniſi ſui, quatenus nempe animæ ſunt, exiſtentiam realem admittunt, adeoque entia cætera, de quibus cogitant, nonniſi pro Ideis ſuis habent. In eo conveniunt Egoiſtæ cum Idealiſtis, quod realem mundi exiſtentiam negent, nec corporibus niſi in Ideis ſuis exiſtentiam concedant; in hoc autem ab iiſdem differunt, quod hypotheſim Idealiſtarum ad corporum exiſtentiam reſtrictam, etiam ad animas extendunt, & entia immaterialia quæcunque alia. Fuit paucis abhinc annis, inquit Wolfius, aſſecla quidam Malebranchii Pariſiis, qui Egoiſmum profeſſus (quod mirum videri poterat) aſſeclas & ipſe nactus eſt. Malebranchius enim, cum in dialogis metaphyſicis ſermone patrio editis demonſtrationem exiſtentiæ realis corporum impoſſibilem judicaſſet, ipſis ab Idealiſmo non abhorruiſſe viſus eſt.

26. Habes ergo, amice Lector, veluti in tabella adumbratas non ſolum omnium Sæculorum Hæreſes, Hæreticoſque, tum illos, qui Chriſti nomen profitentes, ac S. Scripturæ auctoritatem jactantes ab Orthodoxa fide receſſerunt; ſed etiam illa errorum monſtra, horumque defenſores, qui Moyſen cum Chriſto, antiquum cum novo Teſtamento flocci facientes præcedenti ac moderno Sæculo novas, eaſque exoticas ac nefandas opiniones in ſui, aliorumque hominum perniciem ex proprio cerebro fabricarunt. Quanta præjudicata ex communi ſenſu fidelium, atque ex Romano-Catholicæ Eccleſiæ œconomia circa damnationem conſtantem erroneorum dogmatum habeant Hæretici, in decurſu hujus libri non ſemel monſtratum eſt. Quantis vero quamque gravioribus laborent noſtri profani Antiſcripturarii, ut taceamus, quod inter ſe tantopere diſſideant, quodque omnes ex ſola naturalis luminis vi demonſtrative refutari poſſint, quemadmodum id egregie præſtitit Illuſtriſs. Wolfius 2. parte theologiæ naturalis; vel inde liquet, quod non tantum facta hiſtorica veteris, verum etiam novi Teſtamenti, miracula item in diſſeminatione Evangelicarum veritatum ab Apoſtolis Sanctiſque Martyribus patrata, quæ olim neque Judæi, neque Gentiles negarunt, ſed Magicis artibus adſcripſerunt, quæque ab omnium nationum Scriptoribus non minus, quam acta Romanæ Reipublicæ poſteritati relicta ſunt, negare debeant. Mirabili ergo Dei œconomiæ, qua fines ſuos in creatione mundi, hominiſque ab æterno præconceptos nobis indicare voluit, prænuntiando, atque adumbrando Chriſtum in veteri Teſtamento, atque figuras in Jeſu Nazareno adimplendo, ejuſque doctrinam tum per intrinſecam omnigenam Sanctitatem, atque mirabilem cum lumine naturæ, atque intentionibus enti ſummo optimo ſimul ac juſtiſſimo maxime convenientibus nexum, tum per ſtupendam proceſſus propagationem ejuſdem, ſignis atque portentis nonniſi enti omnipotenti patrabilibus fultam *evidenter* credibilem reddendo, non aliud habens, quod opponant, niſi privatas ſuas opiniones, cerebrique corrupti portenta, in quibus cum inter ſe extreme diſſideant, quis eorum rem acu tetigerit, perpendant, ſed timeant, ne ſint ex eorum numero, de quibus Sapiens cap. 2. ait. *Dixerunt cogitantes apud ſe non recte: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit, reverſus ab inferis; quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris, & ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum; qua extincta cinis erit corpus noſtrum, & Spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur, quæ fugata eſt a radiis Solis, & a ca-*

lore illius aggravata. —— *Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter.* Et cap. 5. *Videntes* (Profani tam tempore Salomonis, quam noſtri Sæculi juſtos in die judicii contra ſe ſtare) *turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis; dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia Spiritus gementes* (ſed tarde); *Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii; nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter Filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ, non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini* (ſuavem) *ignoravimus.* Vias certe difficiles ambulant Profani Antiſcripturiſtæ, dum miſera eorum anima, cujus nativum lumen & inextinguibile deſiderium fruendi ſemel ſuo Creatore, præconceptis opinionibus, ſpeculationumque interminabilium quodam cumulo opprimere conantur; reſumptis ſæpe nativis viribus horrendum illud iiſdem occinit, Quid fiet tecum poſt mortem? quod teſtimonium animæ erat ille carnifex, qui olim gentiles Philoſophos, horum Profanorum Patriarchas, excruciabat, ad quorum exemplum quidam ex illis ad mortalitatem animæ, quidam ad ejus tranſmigrationem in alia corpora, quidam ad ſtatus ejuſdem in altera vita quamdam naturalem meliorationem &c. confugiunt; ut apposite de Ipſis cani queat, Ludimus ingeniis, geniis aſt ludimur ipſi. Tu, Lector benevole, eorum deliramenta cave, & potius diſce ex tam miſeris humanorum ingeniorum lapſibus imbecillitatem intellectus humani agnoſcere, eique diffidere, gratias agens Deo, cujus beneficio *habemus firmiorem propheticum ſermonem* (nimirum per *evidentiam* credibilitatis eorum, quæ Eccleſiæ Chriſti revelata ſunt) *cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat* (per viſionem claram myſteriorum fidei in Patria) *& Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* 2. Petri c. 1. v. 19.

§. II.

De Judicibus Hæreticorum, eorumque in illos Authoritate.

27. CUm ex dictis initio hujus tituli nulla hæreſis ſit, nullusque judicari poſſit Hæreticus, niſi a *judicio* Catholicæ Religionis, ſive dogmate Eccleſiæ cum pertinacia recedat, apud omnes Catholicos in confeſſo eſt, crimen hæreſeos eſſe crimen Eccleſiaſticum, atque ejus cognitionem ad Perſonas Eccleſiaſticas privative ad Perſonas Laicas pertinere.

Hinc Bonifacius VIII. in cap. 18. *de Hæreticis* in 6. recte prohibet *Poteſtatibus & Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorumdemque Officialibus, ne ipſi de hoc crimine* (*cum mere ſit Eccleſiaſticum*) *quoquo modo cognoſcant vel judicent;* atque recte docent omnes Canoniſtæ, Judices Eccleſiaſticos in crimine hæreſis non ſolum contra Clericos, ſed etiam contra Laicos privative ad Judicem ſæcularem procedere; *cum eorum ſit Miniſterii de dogmatibus judicare*, ait S. Ambroſius ep. 32. Concordant concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem tit. 9. art. 1. Et ordinatio Henrici II. Galliarum Regis edita 30. Aug. A. 1542. art. 1. in quibus agnoſcitur, quod cognitio de hæreſi, in quantum illa deviat a judicio & dogmate Religionis Catholicæ, ad ſolum Judicem Eccleſiaſticum pertineat. Non moror hic recentiores Proteſtantium Juriſconſultos, qui jus circa Sacra ſæculari poteſtati attribuunt; præterquam enim quod circa hoc in 5. ſententias abeant, quæ videri poſſunt apud Huberum, a nobis jam refutati ſunt lib. 1. tit. ultimo.

28. Cum vero ad efficaciam Judicii Eccleſiaſtici circa hæreſim requiratur poteſtas brachii ſæcularis; inſuper quia hæreſis fere conjunctum habet publicum ſcandalum, populorum commotionem, aliaque Rempublicam turbantia; inde fit, ut circa illud occupari etiam poſſit ac ſoleat judicium ſæculare.

Unde in concordatis Brabantiæ ſalvam vult Carolus V. Principi apprehenſionem, & detentionem Perſonarum de hæreſi ſuſpectarum, nec non annotationem & confiſcationem bonorum de hæreſi condemnatorum. Et Ordinatio Henrici injungit Judicibus & Magiſtratibus laicis, ut conjunctim vel diviſim cognoſcant de materiis concernentibus *factum* hæreſis; ſed duntaxat quantum ad *informationem & Decretum;* cum obligatione eoſdem tradendi Judici Eccleſiaſtico, ut hic de *errore & hæreſi* judicet. Si tamen hæreſi conjunctum eſſet ſcandalum publicum, commotio popularis &c. & conſequenter in caſum privilegiatum evaderet, tunc de crimine hoc habeat conjunctim per utrumque Judicem laicum & Eccleſiaſticum cognoſci. Eccleſia ergo de doctrina decernit, Principes vero eorumque Magiſtratus ſua authoritate hæreticos declaratos compeſcunt, ipſamque Reipublicæ quietem & tranquillitatem procurant, & veritatem religionis declaratæ tuentur. Et ex hoc fine emanarunt priſtinæ illæ Chriſtianorum & Catholicorum Principum Sanctiones, quæ tum in codice Theodoſiano, tum Juſtinianæo exſtant ſub titulis *de fide Catholica, de hæreticis*, aliiſque affinibus; quibus ea, quæ ab Eccleſia Catholica definita ſunt, proponunt, ſua auctoritate muniunt, ac executioni mandari præcipiunt.

29. Hoc judicium per 12. integra Sæcula fuit penes ſolos Epiſcopos tam ſingulares, quam conciliariter congregatos.

Propoſitio in aprico eſt ex dictis §. præcedenti, in quo hæreſes, earundemque condemnationes per Epiſcopos factas ordine enarravimus. Nec obſtant conſtitutiones Imperiales in mox laudatis Titulis relatæ, in quibus diverſæ hæreſes anathematizantur; illis enim ſolum voluiſſe robur addere zeloſiſſimos Imperatores Sanctionibus Epiſcoporum & Conciliorum vel eo paret, quod ad Concilia, in quibus hæreſes prædamnatæ ſunt, conſtanter provocent, vel cum Concilio ac approbatione Sacerdotum eaſdem ediderint.

30. Primus fuit Innocentius III. qui init io Sæculi XIII. contra hæreſim Albigenſium in Provinciam Toloſanam, eique adjacentes miſit Arnaldum Abbatem Ciſtercienſem, Petrum de Caſtro novo, & Radulphum Monachos Ciſtercienſes, cum plena auctoritate procedendi contra Hæreticos.

Propoſitio patet ex litteris hujus Pontificis 29. Maii A. 1204. ad ipſos datis, in quibus ait: *Ut autem injunctæ vobis non tam noſtræ, quam divinæ legationis imperia Officium poſſitis melius, & liberius exercere, plenam vobis in Aquenſi, Arelatenſi, & Narbonenſi Provinciis, & vicinis etiam diœceſibus, ſi quæ ſunt hæreticorum labe pollutæ, concedimus facultatem deſtruendi, diſperdendi, & evellendi, quæ deſtruenda, diſperdenda, & evellenda noveritis.* Epiſcopos vero, ſicut & ſæculares Magiſtratus his Legatis in cauſa fidei difficultates & oppoſitiones feciſſe, ut parum proficerent, quin tædio affecti dimiſſionem deſiderarent, videre licet non tantum ex ep. Petri de Caſtro novo ad Innocentium III. datis, ſed etiam in actis Sanctorum apud Bollandum ad diem 5. Martii, ubi quoque fit mentio litterarum Innocentii III. ad Ar-

chie-

Digitized by Google

chiepiſcopum Narbonenſem, quibus ipſum reprehendit, ob auxilium dictis Legatis negatum; quibus conſtantes aſtitit Innocentius, eorum authoritatem augendo, & in eorum ſubſidium A. 1206. Didacum Oxomenſem Epiſcopum cum S. Dominico, tunc ejuſdem Eccleſiæ Canonico, in Provinciam Toloſanam pari auctoritate deſtinando, qui apud moorem Piſſulaoum dictis Monachia ſe junxerunt, animoſque fortiter ac viriliter in hoc prædicationis munera pergendi ipſis addiderunt. Porro tranſacto biennio, cum Epiſcopus ad Eccleſiam ſuam coactus fuiſſet reverti, S. Dominicus, ut felicius & efficacius operi huic incumbere poſſet, aliquos ſibi Presbyteros ſæculares ſocios & coadjutores accivit, quibus tandem circa A. 1215. ab Epiſcopo Toloſano conceſſa fuit Eccleſia S. Romani in civitate Toloſana cum omnibus proventibus & juribus, ad quam Dominicus cum Sociis illis migravit, primaque ſui Ordinis fundamenta jecit, quem anno ſequenti Honorius III. confirmavit. Hi itaque fidei Inquiſitores quaquaverſum per Provincias diſcurrentes, tum prædicatione, tum exhortatione hæreticis ſe opponebant. Nihil tamen hactenus ſpeciale conſtitutum erat circa modum contra hæreticos procedendi, nullumque certum tribunal Inquiſitionis erectum.

31. Gregorius IX. ſummo contra hæreſim zelo animatus Romanum S. Angeli Diaconum Cardinalem Legatum ſuum ad Provincias illas Albigenſium hæreſi infectas miſit, qui An. 1229. celeberrimum concilium celebravit Toloſæ, in quo 16. decreta edita ſunt, quibus modus inquirendi ac puniendi hæreticos præſcribitur.

In hoc ergo Concilio præformatum fuit S. Inquiſitionis Tribunal ad eum modum, quo tunc exercetur. Auctoritas tamen inquirendi, & puniendi hæreticos Epiſcopis, tanquam naturalibus fidei Inquiſitoribus fuit attributa, ut patet ex capitulo I. in Coletana Concilior. Collectione Tomo 13. col. 1236. *Statuimus itaque, ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi in ſingulis Parochiis, tam in civitatibus, quam extra, Sacerdotem unum, & duos vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures, ſi opus fuerit, Sacramento conſtringant, qui diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in iiſdem Parochiis*. Id quod capitulo ſecundo etiam mandatur Abbatibus exemptis in locis ſuis, Ordinario non ſubjectis, & cap. 3. Dominis locorum, quorum nimirum ad *denunciationem* hæreticorum Epiſcopo.

32. Idem Gregorius IX. exiſtimans Epiſcopos flaccidius forſan, quam oporter, in hæreticos armari, A. 1231. hoc inquiſitionis Officium ſolis Fratribus Prædicatoribus, qui ad id officii obeundum præcipue erant inſtituti, commiſit.

Litteræ Pontificis ad Priorem, hoc eſt Provincialem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lombardia ſunt directæ; in his mandat, ut Fratres idoneos ad partes ſecundum ſuum Ordinem limitatas tranſmittat, quibus non ſolum dat facultatem generales Conciones coram Clero & populo faciendi, quod propriæ munus eſt Miſſionariorum; ſed etiam *adjunctis ſibi diſcretis aliquibus* in hæreticos vel hæreſi infamatos inquirendi, ac contra contumices ſecundum ſtatuta a ſe contra hæreticos edita procedendi, converſoſque a cenſuris Eccleſiaſticis abſolvendi; quin & in contradictores illorum negotii Eccleſiaſticam proferendi cenſuram. Ex his ergo omnibus patet, quomodo Romani Pontifices Auctore S. Dominico Tribunal S. Inquiſitionis inſtituerint, & quomodo exercitium hujus juriſdictionis cum Sacerrimo Ordine incœperit. Non quia vivente S. Dominico jam eam formam, quam nunc præſefert, nactum fuerit, aut dum in præfato Concilio Toloſano formaretur, ejuſdem provincia S. Ordini Prædicatorum fuerit illico demandata; contrarium enim evincunt, tum tenor capitulorum laudati Concilii Toloſani, tum poſterior Conceſſio Gregorii IX. facta Ordini Prædicatorum A. 1231. cum S. P. Dominicus ad cœlites tranſierit A. 1221. die 6. Auguſti. Sed quia idem S. Pater, qui poſt Monachos Ciſtercienſes pari cum illis inquiſitoria authoritate in hæreticos miſſus eſt, illis poſtea decedentibus, illorum exſtirpationi tum per ſe, tum per ſacerrimum Ordinem in hunc finem inſtitutum vacaverit, Romaniſque Pontificibus ita auctor fuerit, tum Sacram Militiam in eos expediendi, tum S. Inquiſitionis Tribunalia contra eos erigendi, illorumque adminiſtrationem ejuſdem Ordinis alumnis privative ad ipſos etiam Epiſcopos, qui Ordinarii fidei Inquiſitores ſunt, paulo poſt conferendi.

33. Hoc inquiſitionis Tribunal confirmatum, ſtabilitumque fuit eodem Sæculo XIII. ab Innocentio IV. Gregorii IX. Succeſſore, ejuſque adminiſtratio Fratribus Prædicatoribus præcipue confirmata.

Ille ſiquidem confirmavit ſeveriſſimas leges a Friderico II. Imperatore contra hæreticos eorumque fautores evulgatas in epiſtola ad Lombardiæ, Romaniolæ, & Marchiæ Tarviſinæ Rectores data, quæ eſt ordine 13. in Collectione Conciliorum cit. Tomo 14. col. 23. pluraque pro ſtabiliendo inquiſitionis Tribunali adjecit per epiſtolam ibidem columna 7. relatam, quæ ordine octava eſt, in qua per 38. capitula expreſſit, quæ a Magiſtratibus contra hæreticos, eorumque fautores obſervanda ſunt.

Quod vero non ſolis Prædicatoribus, verum etiam Fratribus Minoribus S. Inquiſitionis Tribunalis exornanda ſparta cum ipſis Epiſcopia tum obtigerit, ex conſtitutionibus ejuſdem Pontificis partim FF. Prædicatoribus, partim Minoribus fidei Inquiſitoribus inſcriptis in aprico eſt, quæ videri poſſunt Tomo 1. Bullarii Romani, Prædicatoribus interim primas tenentibus, uti ex dicendis conſtabit.

34. Ita inſtitutum S. Inquiſitionis Tribunal alibi ſucceſſu temporis receptum eſt, alibi deprecatum.

Et quidem ſuis incunabulis receptum fuit Toloſæ in Gallia, ex qua tamen urbe a Comite & populo, zeli rigoriſque Inquiſitorum Prædicatorum impatiente, non ſolum Inquiſitores, ſed tota Familia S. Dominici una cum Epiſcopo Toloſano ex eodem Ordine ejecta eſt; reſtituta nihilominus cum priſtina Inquiſitionis auctoritate Apoſtolica a Joanne Archiepiſcopo Vienneſi, adjuncto tamen Collega ex Ordine FF. Minorum, qui Toloſatibus FF. Prædicatorum juſta ſeveritate conterritis nonnihil indulgeret. Ante Sæculi XV. finem hoc inquiſitionis Tribunal non fuiſſe receptum niſi in Regno Arragoniæ allaborante S. Raymundo de Pennafort, exiſtimat Eſpenius p. 3. Juris Eccleſ. Tit. 4. cap. 2. N. 48. ex epiſtola Innocentii IV. data ad ipſum Raymundum A. 1249. Qui tamen ſibi contradicit p. 1. Tit. 22. cap. 3. ubi refert conſtitutionem Friderici II. A. 1244. datam, in qua fidei Inquiſitores ex Ordine Prædicatorum ſub ſua, ac Magiſtratuum protectione eſſe voluit Imperator, ipſaque Ep. Innocentii IV. Conſtitutionis Imperatoriæ confirmatoria, aliæque ejuſdem litteræ nominant Inquiſitores tum ex Prædicatoribus, tum ex Minoribus in Lombardia, Romaniola, & Marchia Tarviſina, nec ſibi contrarius eſt idem Pontifex in Ep. ad B. Raymundum; quia dum in illa eidem præcipit, ut Inquiſitores hæreticæ pravitatis ex ſuo Ordine per diſtrictum *tantum* Regni Arragoniæ ſua authoritate deputet, Inquiſitores alibi in Europa deputatos propoſitione affirmativa non negat. Habe-

 tur

tur hæc Ep. Tom. 14. cit. col. 7. Idem Tribunal ſub finem Sæculi XV. ad alia Regna, & Ditiones Hiſpaniæ extendi cœpit. Mortuo enim Henrico Arragoniæ Rege ſine liberis, Regnum illud devolutum eſt ad Iſabellam ejus ſororem, quæ juncta matrimonio Ferdinando Caſtellæ Regi poſtulavit auctoritate Sixti IV. Inquiſitionem in hoc Regno ſtabiliri & confirmari A. 1484. obtenta poſtmodum Bulla, qua toti adminiſtrationi tanquam Inquiſitor Generalis præfectus eſt Thomas de Turre cremata ex Ordine Prædicatorum. Narrat Mariana lib. 24. de rebus Hiſp. c. 17. Tribunal hoc Inquiſitionis Epiſcopis Provincialibus initio grave viſum fuiſſe, multaſque adverſus illud fuiſſe populi querelas. Quibus tamen non obſtantibus per omnia pene reliqua Hiſpaniæ Regna propagatum eſt; variiſque in locis Inquiſitores inſtituti, quibus omnibus hodie præeſt Inquiſitor Generalis, qui a Rege nominatur, & a Pontifice confirmatur, præſidetque ſupremo Inquiſitionis Concilio, quod curiam Regis ſemper ſequitur. Ab hoc Concilio reliqui inferiores Inquiſitores leges accipiunt, atque ab eorum ſententiis ad hoc appellatur. Inquiſitio Luſitanica ad normam inquiſitionis Hiſpanicæ erecta fuit a Paulo III. A. 1535. adpoſtulationem Joannis III. Luſitaniæ Regis.

Quod ſecundam partem attinet, diſparem longe fortunam nactum eſt tribunal Inquiſitionis in Belgio, Inquiſitores enim vix in aliquibus locis tota ſua authoritate inducere potuit Carolus V. Philippuſque II. ægre manutenere, nequaquam propagare, obſtrepentibus, quin contra ipſos conſpirantibus Belgis Proceribus Nobilibus, populoque, donec poſt multas altercationes ſub Gubernatrice Margarita Parmenſi res in hunc modum componeretur; *cum duplex ſit Inquiſitionis genus, alterum muneri Epiſcoporum adjunctum, alterum certis judicibus a Pontifice maximo impoſitum, Querelas atque odia populorum eſſe duntaxat in hoſce Pontificios Quæſitores quos licet Carolus Cæſar invexerit in Belgium, id tamen coactum feciſſe Paſtorum inopia negligentiaque. Qua ratio cum in præſentia ceſſet, ſimulque tantopere mortales abhorreant ab externo hujus Inquiſitionis nomine, non debere adverſantibus populis, tam violentum intempeſtivumque remedium obtrudi.* Quæ aliaque multa, quæ ſummam erga hoc tribunal averſionem Belgarum oſtendebant, dum ad Philippum II. iteratis literis ſcripſiſſet Gubernatrix Margarita, ipſe tandem ſignificavit ſe permittere, ut Inquiſitores Eccleſiaſtici removerentur, modo tamen Epiſcopi prius in ſuas ſedes eſſent inducti; quod cum factum eſſet, paulatim ipſum inquiſitionis tribunal per totum Belgium abolitum fuit, ut nihil hodie de eo ſuperſit, niſi innata quædam populi Belgici ab eo averſio, ita ut vel ſolum nomen inquiſitionis exhorreat & execretur. Videatur Strada de tumultibus Belgicis, & ex eo Vanrſpen p. 3. tit. 4. c. 2. Quoad Galliam & Germaniam inquiſitio in aliquibus civitatibus recepta fuit, quo primum orta eſt, ſed exiguo tempore ſubſtitit. Hodie nullum in iis regnis ſupereſt inquiſitionis tribunal, aut illius aliquod exercitium, inquit idem Vaneſpen, quod etiam in aliis Chriſtianis regnis poſtliminio exolevit.

35. Quamquam in Italia a Sæculo 13. plura inquiſitionis tribunalia fuiſſent erecta, eorumque adminiſtratio Inquiſitoribus ex Ordine FF. Prædicatorum præcipue commiſſa, in Urbe tamen & Curia Romana Inquiſitionis tribunal per ipſummet Pontificem cum iis miniſtris & adjutoribus, quos juxta opportunitates aſſumere in tempore videbatur, regebatur.

Vide Cardinalem de Luca in relatione Curiæ Romanæ diſcurſu 14. N. 3.

36. A. 1542. Paulus III. primus ſex Cardinales conſtituit, & deputavit ſuos & Apoſtolicæ Sedis in omnibus & ſingulis Reipublicæ Chriſtianæ civitatibus, oppidis, terris, & locis, tam citra, quam ultra montes, ubilibet, etiam in Italia conſiſtentibus, ac in Romana Curia ſuper negotio fidei Commiſſarios, & Inquiſitores generales, & Generaliſſimos.

Ejus conſtitutio incipit, *Licet ab initio*, eſtque ordine 34. in Bullario Romano. Hujus veſtigia premens Pius IV. octo Cardinales ad idem negotium deputavit conſtitutione, quæ incipit, *Cum nos* 79. in eodem Bullario, in qua declarat, quidquid per majorem ex iis partem deciſum fuerit, id firmum, ac pro non impugnabili habendum eſſe. Declarationem Pii IV. confirmans & renovans ejus Succeſſor Pius V. declaravit, geſta per majorem partem præſentium eſſe reputanda, ac ſi ab omnibus eſſent ordinata, tametſi tantum duo eſſent præſentes, Conſt. quæ incipit, *Cum felicis* 23. in eodem Bull. Denique Sixtus V. per Conſtitutionem, quæ incipit, *Immenſa æterna Dei* 22. in B. R. quindecim erigens Cardinalium Congregationes, primo loco Congregationem pro inquiſitione hæreticæ pravitatis, quæ & S. Officii dici conſuevit, inſtituit, ſeu inſtitutam confirmavit, atque in ea Cardinalium ad eam Congregationem pertinentium Officia & auctoritatem expreſſit. Præter quos ad illam quoque pertinent alii ordinarii & inferiores Officiales, quorum unus, qui Judicis ordinarii Officium ſubit, dicitur Commiſſarius S. Officii de Ordine S. Dominici ex Lombardia. Hic in Conſiliarium ſeu Aſſeſſorem habet Prælatum vel Clericum ſæcularem, qui vocatur Aſſeſſor S. Officii. Alii ſunt Miniſtri, v. g. Fiſcalis, Notarius. Ad eam quoque ſpectant Theologi & Canonum periti, qui Conſultores S. Officii vocantur. Quam ſpartam conſtanter exornat Magiſter Generalis, & S. Palatii Ord. Prædicatorum; ſingulari vero titulo Profeſſor Ordinis Minorum. Vide Eſpenium p. 1. Tit. 22. c. 3. Hoc Tribunal eminet ſuper omnia reliqua Chriſtiani Orbis Tribunalia Eccleſiaſtica ex Ordinatione Sixti V. exercetur que ſingulis feriis 4. in Conventu FF. Prædicatorum prope Eccleſiam B. Mariæ ſuper Minervam. Et feria 5. eadem Congregatio habetur coram Sanctiſſimo, qui auditis Cardinalium ſuffragiis definitivam fert ſententiam.

37. Pœnæ, quibus tum ab Eccleſiaſtica, tum a ſæculari poteſtate puniri ſunt, & adhuc puniuntur Hæretici, aliæ ſunt ſpirituales, aliæ temporales.

Spirituales in Jure Canonico enumerantur Excommunicatio latæ ſententiæ, privatio Juriſdictionis Eccleſiaſticæ, irregularitas ratione infamiæ &c. Temporales vero, infamia facti, & juris, amiſſio patriæ poteſtatis in liberos, privatio dignitatum & honorum, actuumque legitimorum, liberatio ſubditorum, vaſallorum, & ſervorum a fidelitate Dominis præſtanda, inteſtabilitas tam activa, quam paſſiva, confiſcatio omnium bonorum, exilium, carcer; ac denique ultimum ſupplicium, quas reperire licet decretas tum in ſacris canonibus, Pontificum Decretis, tum in Imperatorum ſanctionibus ſucceſſive editis, atque reſpective etiam ad receptores, fautores, ac defenſores Hæreticorum extenſis.

38. Sub Imperatoribus Ethnicis uſque ad Conſtantini M. tempora ſolis pœnis Spiritualibus in Hæreticos uſa eſt Eccleſia non ex defectu poteſtatis eoſdem pœnis temporalibus coercendi, ſed ſolius aſſiſtentiæ Brachii ſæcularis.

Veritatem facti deprehendes in enarratione hæreſum priorum trium Sæculorum hoc titulo N. 14.

14. 15. 16. enarratarum. Veritatem vero juris, ſeu poteſtatis excommunicandi Hæreticos & Apoſtatas a fide exhibet S. Paulus 1. ad Corint. 5. v. 11. ubi ait: *Nunc autem ſcripſi vobis, ſi is, qui frater nominatur, eſt —— idolis ſerviens; cum hujuſmodi nec cibum ſumere*. Et ad Titum 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. Quibus in locis cum fideles prohibeantur convivere fratribus in idololatriam, aut hæreſim lapſis, Eccleſiæ etiam poteſtas data eſt, eos ex cœtu fidelium ejiciendi, quæ ejectio eſt pœna temporalis.

Quod ſecundam partem attinet, ea ex dictis patet; non mirum vero ab hæreticis illis Sæculis nullam ſumptam fuiſſe pœnam corporalem, cum quantum ad temporalia ſubjecti fuerint Principibus Ethnicis, qui non tantum non adſtiterunt Eccleſiæ quoad coercendos Hæreticos, ſed Catholicos ipſos bonis temporalibus, ipſaque vita propter fidem immaniter privabant. Infra autem locus erit probandi priorem partem hujus membri ſecundi.

39. Reſpirante ab Ethnicorum Imperatorum perſecutionibus Eccleſia, & Protectorem in Principe Chriſtiano Conſtantino M. nanciſcente, in Hæreticos pœnæ tum ſpirituales, tum temporales decretæ ſunt; ſpirituales quidem a poteſtate Eccleſiaſtica, temporales vero a Laica.

Anathemate percuſſum fuiſſe ab Epiſcopis in Concilio Nicæno Arium cum omnibus ſuis fautoribus, res eſt decantata; eundem vero a Conſtantino in exilium cum ſuis diſcipulis amandatum, atque cum iiſdem ſempiterna notatum infamia, ejuſque impia Thaleja cum cæteris ejus libris igni comburi juſſa, pœna capitis in eos conſtituta, qui ipſos penes ſe retinerent, teſtes ſunt Socrates, Philoſtorgius, & S. Athanaſius. Videantur dicta lib. 1. tit. 2. §. 3.

40. Exemplum Conſtantini M. ſecuti ſunt ſequentes Imperatores Sæculi IV. aliique Reges uſque ad moderna tempora, pœnis enumeratis uſque ad capitale ſupplicium in Hæreticos animadvertentes.

Propoſitio uſque ad Sæculum VI. incluſive in apricum ponitur per leges cumulatas in codicibus Theodoſiano & Juſtinianæo, titulis *de fide Cath.* & *de Hæreticis &c.* Quoad reliqua ſæcula patet ex huc uſque dictis hoc Tit.

41. Jure Decretalium ſeu Sæculo XIII. & XIV. eædem pœnæ temporales a Romanis Pontificibus decretæ ſunt in hæreticos, & reſpective in eorum Fautores &c. poteſtateſque laicæ ſub cenſuris Eccleſiaſticis, atque ſub jurejurando ad eas exequendas adactæ.

Veritas propoſitionis patebit legenti Titulum præſentem hujus libri præſertim cap. 13. *Excommunicamus &c.* Item Titulum eundem in 6.

42. Temporalem in hæreticos a ſe reputatos animadverſionem uſque ad ipſum ſupplicium mortis initio pſeudo-reformationis amplexi ſunt ipſi Proteſtantes, ac ipſi Reformatores.

Calvini opera a Genevenſibus fuiſſe combuſtum Servetum Antitrinitarium late dictum eſt ſupra N. 24. Alia exempla vide ibi. Hanc vero combuſtionem Serveto, ultimumque ſupplicium jure deberi hæreticis cenſuiſſe tum Calviniſtas, & Lutheranos probat Nat. Alex. Sæc. 16. c. 2. Art. 13. inquiens: Vix calere deſierant Serveti cineres, cum de *pœnis hæreticorum* quæri cœpit, quibuſdam coercendos quidem, ſed ultimo ſupplicio non afficiendos aſſerentibus, aliis contendentibus, unius Dei eſſe judicio relinquendos. Iſtius auctores ſententiæ erant Sebaſtianus Caſtellio, & Lælius Socinus, ſuam ipſorum cauſam agentes (inquit Beza); quamobrem Calvinus Anno 1554. ineunte, comminiſtris omnibus ſubſcribentibus, refutationem errorum Michaelis Serveti edidit, atque hæreticos a Magiſtratu, legitima cognitione præeunte, *jure gladii* coercendos eſſe demonſtravit. Oppoſuit Caſtellio ſub Martini Bellii nomine latens farraginem quandam ſeu libellum, quo hæreticorum cauſam agit. Huic libello reſpondit Theodorus Beza, ut Calvinum ſcribendis in Geneſim commentariis intentum ea cura liberaret. In libello illo ſuo de hæreticis a Magiſtratu puniendis non ſolum Scripturæ ſacræ, & veteris Eccleſiæ auctoritate, ſed etiam Lutheri, Melanchtonis, Urbani Regii, Lutheranorum Saxonum in Confeſſione, quam Tridentino Concilio obtulerunt, Bretii, Buceri, Capitonis, Bullingeri, & Genevenſis (ut vocat) Eccleſiæ, id eſt, Calvinianæ Synagogæ teſtimoniis adverſarios opprimit. Lutheri verba in Poſtillis minoribus Dominica ab Epiphania quinta, zizaniorum parabolam explicantis expreſſa ſunt. *Cuſtodit* (inquit) *Magiſtratus non ſolum ſecundam, verum omnium maxime primam tabulam, idololatrias, blaſphemias, execrationes, perjuria ulciſcitur. Oblatos hæreticos, ut in verum Numen contumelioſos, atque alios eas blaſphemias docentes coercet; præfractiores atque in errore pertexendo contumaciores ut cum certiſſimo plurium exitio pro maleficiis puniendos ſuſcipit*. Qua in re contrarius ſibi eſt Lutherus, cum unus ex damnatis ipſius articulis ſit: *Occidere hæreticos eſt contra voluntatem ſpiritus*. Atque ut Caſtellionem & Lælium Socinum propriam cauſam egiſſe Beza obſervat, cum puniendos a Magiſtratu non eſſe hæreticos aſſeruerunt; ita Lutherus, Calvinus, Melanchton, Beza, Urbanus Regius, Saxonici miniſtri, Bretius, Bucerus, Bullingerus, Capito, Muſculus cauſam prodidere ſuam, & quos conſecrarunt ſectæ ſuæ martyres, ob hæreſim edictis Principum & Catholicorum Magiſtratuum extremo ſupplicio juſte punitos, laudatis ab ipſo Beza operibus exauctorarunt, & in maleficorum ordinem coegerunt. Neque enim ipſos juvat, quod Lutheranos & Calviniſtas hæreticos eſſe negent, cum etiam Servetus, Valentinus Gentilis, Blandrata, Socinus, eorumque diſcipuli ſe hæreticos eſſe inficiati ſint, vel inficientur, & Scripturam a ſe ſtare conclamarent, vel conclament; adeoque judicio ſtandum ſit Eccleſiæ, cujus fidem impugnant hæretici, & quam nefario ſchiſmate diſcindunt.

43. Quin exilio, aliiſque pœnis morte inferioribus puniri poſſe hæreticos ſuſtinuerunt uſque ad tempora modernorum famoſorum Juris Naturæ Conſultorum, atque Naturaliſtarum tum Univerſaliſtarum, tum Particulariſtarum, ſententqua adhuc illi Proteſtantes, qui nolunt eſſe de horum grege.

Propoſitionem probant horum hominum litigia, quæ videri poſſunt apud Thomaſium, Bohmerum, Pertſchium, Fleiſchetum, Huberum &c. Diſcipuli enim Thomaſii ſuggillant Carpſovium, alioſque Proteſtantes tum Theologos, tum Jure-Conſultos, quod dum ex una parte conatur deſtruere ædificium Papiſticum de ultimo ſupplicio afficiendis hæreticis, ex altera illud ædificent, ſtatuendo illos aliis pœnis mulctari poſſe, infinitiſque laudibus extollunt auream, ut ipſis videtur, ſententiam Thomaſii *hæreſim non eſſe crimen* aſſerentis. Qua de re plura inferius. Ex dictis interea patet, quibus gradibus Proteſtantes a vera Catholicorum ſententia, quam eorum Patres amplexi ſunt, totaliter defecerint.

44. Hæretici in Eccleſia non ſunt eodem modo omnes judicati, condemnatique.

Neque enim Concilia, neque Imperatores primorum

morum Sæculorum nova dogmata proferentes habuerunt illico pro hæreticis; ſed Imperatores, ut fidei normam & regulam ſubditis ſuis exponerent, eos vel ad fidem Illuſtrium Eccleſiarum, vel ad Conciliorum Generalium definitionem remiſerunt, & imprimis Theodoſius M. A. 380. reſcripto ſuo ſignificavit, ſe velle, ut omnes ſubditi ſui eam Religionem ſequerentur, quam Petrus Apoſtolorum Princeps Romanis ab initio tradidiſſet, & quam eo tempore Damaſus Romanæ Urbis Epiſcopus, & Petrus Alexandrinus ſervarent. Illuſtrium vero Eccleſiarum Epiſcopi, & ipſa Concilia Generalia celutas ad ſe controverſias diligenter examinarunt, ac legaliter deciderunt, ac tum demum pertinaciter reſiſtentes judicio Univerſalis Eccleſiæ anathematizarunt, atque ſi in Eccleſiaſticis eſſent dignitatibus, ne lupi fierent Paſtores gregis, eos exauctorarunt, atque in eos Imperatores pœnis pro merito culpæ, prout nempe erant vel hæreſiarchæ, vel hæretici enormiora dogmata tenentes, aut turbas in Eccleſia & Republica excitantes, mitioribus vel gravioribus animadverterunt; ut legenti leges ſupra citatas patebit, præſertim ſi legerit Paratitlon Gothofredi ad Tit. *de hæreticis* in C. Theodoſ. Unde Arcadius Imp. ad finem Sæculi IV. poſtquam jam variæ leges contra hæreticos latæ eſſent, declaravit ad noſtrum intentum, qui hæreticorum vocabulo cenſerentur, & latis adverſus eos Sanctionibus debeant ſuccumbere; nimirum *qui vel levi argumento* (hæc eſt levi fultos fundamento, uti demonſtrat Gothofred. in notis ad hanc legem; non *levi ſuſpicione*, ut in odium noſtræ Religionis fingunt Proteſtantes) *a Judicio Catholicæ Eccleſiæ detectus* (hoc eſt convictus) *fuerit deviare*. Nec Patres illorum Sæculorum homines cenſuerunt temere hæreſis nota inurendos, aut ſine diſcrimine mulctandos, ex quibus Auguſtini verba referre libet, qui ep. 43. ita ſcribit: *Qui ſententiam ſuam quamvis falſam atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia ſuæ præſumptionis pepererunt, ſed a ſeductis, atque in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*. Et hinc S. Epiphanius nimiæ credulitatis in hac momentoſa materia recte arguitur a ſcriptoribus. Et hanc Regulam ſecuti ſunt ipſi Romani Pontifices vel in ipſo S. Inquiſitionis Tribunali, quod adeo tyrannicum videtur Proteſtantibus, erigendo. Inquiſitores enim in ſuis edictis veniam, magnamque gratiam promittunt iis, qui ſponte ad fidem Catholicam reverſuri ſunt, & non niſi in pertinaces, ac relapſos ex præſcripto canonum ac Decretorum Pontificiorum procedunt. An vero unus vel alter Imperator, vel etiam Pontifex, zelo indiſcreto erga Hæreticos ſe ſubripi paſſus fuerit, hic juſtificare nolo; Summos enim etiam humana ſubinde pati experientia conſtat.

45. Quin non negandum, quibuſdam antiquorum Patrum fuiſſe ſententiam Hæreticos vi hæreſis ſolius, & præciſis inquietationibus Reipublicæ vel perſecutionis Eccleſiæ, pœnis corporalibus, vel eis æquivalentibus non eſſe plectendos; contraria tamen opinio communis fuit in Eccleſia.

Hæc eſt ſententia S. Th. 2. 2. q. 10. a. 8. ad 1. ubi ait, *Dicendum, quod per illam authoritatem quidam intellexerunt prohibitam, non quidem excommunicationem hæreticorum, ſed eorum occiſionem, ut patet per authoritatem Chryſoſtomi inductam* (ſic autem eam refert ex hom. 47. in Matth. circa parabolam de zizaniis, *Hæc dicit Dominus, prohibens occiſiones fieri; quia ſi eos occideritis, neceſſe eſt multos Sanctorum ſimul ſubverti*). Et Aug. ad Vincentium ep. 47. de ſe dicit: *Hæc primitus mea ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum*. Et hinc, dum adhuc in eadem ſententia perſiſteret, de Manichæis, in quorum craſſis ſordibus ſubinde hæſerat, ſcribit: *Illi ſæviant in vos, qui neſciunt, quo cum labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quam rarum & arduum ſit carnalia phantaſmata piæ mentis ſerenitate ſuperare. Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, quanta difficultate ſanetur oculus interioris hominis, ut poſſit intueri ſolem ſuum. —— Ego autem in vos ſævire omnino non poſſum, quos ſicut meipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiſcum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, cum in veſtro dogmate rabioſus & cæcus errarem*. Ejuſdem ſententiæ etiam fuit Salvianus, qui de Arianis ſcribit: *Hæretici ſunt, ſed non ſcientes; denique apud nos ſunt hæretici, apud ſe non ſunt; nam in tantum ſe Catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ pravitatis infament. —— Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt*. Hujus quoque ſententiæ refert Hugo Grotius fuiſſe Athanaſium, quem in ep. ad *Solitarios* graviter invehi dicit in Arianos, quod primi in contradicentes uſi ſint Judicum poteſtate. Refert quoque pro hac ſententia Hilarium &c. alii Tertullianum, & Cyprianum; & hinc S. Auguſtinus cum nonnullis Africæ Epiſcopis vulgatiſſimam legem Theodoſii, quam generaliter in omnes Hæreticos promulgavit, *ut quiſquis eorum Epiſcopus vel Clericus ubilibet eſſet inventus, decem libris auri mulctaretur* L. 11. c. Theod. *de Hæreticis*, cenſuit eſſe reſtringendam ad eos ſolum Hæreticos, ſeu Donatiſtas, in quorum regionibus *aliquas violentias* a Clericis, vel Circumcellionibus, vel populis eorum Eccleſia Catholica pateretur; eamque reſtrictionem ab Imperatoribus poſtulandam dixit, quod & a Concilio Epiſcoporum obtinuit.

Sed quod contraria opinio in Eccleſia prævaluerit, patet tum ex hoc, quod legati apud Imperatores nihil obtinuerint, ſed lex ipſa inſtantibus Epiſcopis contrariæ opinionis per Africam promulgata fuerit; tum ex hoc, quod acutiſſimus Doctor re, quæ prima fronte pugnare videtur cum Chriſtiana manſuetudine, maturius expenſa, & longa experientia edoctus, a ſententia priori ipſemet diſceſſerit. Sic enim pergit apud S. Th. L. cit. *Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperatur exemplis: legum enim terror ita profuit, ut multi dicant: Gratias Domino, qui vincula noſtra diſrupit*. Et hinc pariter de evulgatione legis Theodoſianæ teſtatur: *Jam vero cum ipſæ leges veniſſent in Africam, præcipue illi, qui quærebant occaſionem, aut ſævitiam furentium metuebant, aut ſuos verecundabantur offendere, ad Eccleſiam continuo tranſierunt; multi enim, qui ſola illic a Parentibus tradita conſuetudine tenebantur, qualem verbo cauſam ipſa hæreſis haberet, nunquam antea cognoverant, nunquam quærere & conſiderare voluerant, ubi cœperunt advertere, & nihil in ea dignum invenire, propter quod tanta damna paterentur, ſine ulla difficultate Catholici facti ſunt. Docuit enim eos ſollicitudo, quos negligentes ſecuritas fecerat. Iſtorum autem omnium præcedentium auctoritatem & perſuaſionem ſecuti ſunt multi, qui minus idonei erant per ſe ipſos intelligere, quid diſtaret inter Donatiſtarum errorem, & Catholicam veritatem*. Accedit, quod Concilium Chalcedonenſe actione 1. *Eutychetem non ſolum pœna, ſed igni dignum judicaverit*. Accedunt leges zeloſiſſimorum Imperatorum pœnis temporalibus & corporalibus reſpective Hæreticos plectentes, earumque executio; quas ſecuti ſunt Romani Pontifices, aliaque Concilia.

QUÆ.

Digitized by Google

QUÆSTIO DOGMATICA

An Judices tum Eccleſiaſtici, tum Laici in Eccleſia Catbolica Hæreticos pœnis temporalibus, ac ipſo etiam ultimo ſupplicio jure damnaverint, ac damnent?

46. QUæſtionem hanc generaliter tractabo, præſcindendo, an omnes tam Hæreſiarchæ, ac ab iis ſeducti, aut ab Hæreticis parentibus nati, pœnis digni ſint æqualibus? atque inſuper a ſectis particularibus quaeundam punitionum; hæc enim omnia exacta oratione pertractare, vetat operis hujus anguſtia, in quo præſens titulus ob argumenti vaſtitatem, reſpective ad alios, aliunde jam nimis excrevit. Argumenta tamen noviſſimorum Juriſconſultorum Proteſtantium, quibus a communi ſenſu ſuorum Prædeceſſorum diſcedunt, & quæ in ordinariis noſtris controverſiis non facile deprehendentur, ex eorum operibus, quæ ad manum habeo, lectori pandam. Eundem tamen prius revolvere velim ex dictis initio hujus Tituli notiones tum hæreſis, tum hæretici formalis ibidem datas, ac vindicatas; de hæreſi enim atque hæretico juxta illas notiones theologice determinato procedet præſens quæſtio, negligens definitionem hæreſis in ſenſu Juridico acceptæ, quam adſerunt recentiores Proteſtantium Juriſconſulti, utpote quæ ad ſummam rei nihil confert, & quidem procedet præciſo influxu in turbationem Reipublicæ, vel mores lumini naturæ adverſos; tunc enim ratione harum circumſtantiarum poſſe puniri hæreſim, aut potius ipſas circumſtantias, ac pro qualitate etiam ultimo ſupplicio reos affici, nemo eſt qui neget.

47. Quamvis vero tum Calvinus, tum Magiſtratus Genevenſis & Helvetici cum eodem Calvino factis & ſententiis cenſuerint Hæreticos pœnis corporalibus, ac ipſo etiam ultimo ſupplicio affici poſſe, ut vidimus N. 40. quibus Lutherus non obſtante, quod initio ſuæ perverſionis Art. 28. inter damnatos a Leone X. aſſeruerit, *Hæreticos comburi eſt contra voluntatem Spiritus*, cum diſcipulis ſuis aſſenſum præbuit; illius tamen ſequaces, quibus etiam adſtipulari videntur Calviniſtæ, circa hunc punctum graviter inter ſe diſſident. Aliis contendentibus, hæreſim non tantum puniri, verum etiam graviſſimis pœnis affici poſſe, id quod docet Carpſovius p. 1. Juris pract. crim. q. 44. n. 2. citans pro ſua ſententia Gerardum Affelmanum, Meiſnerum, & Weſenbecium. Aliis e contra propugnantibus, nullam pœnam proprie dictam hæreſi qua tali deberi; quam ſententiam primus omnium adoptavit Hugo Grotius *de jure belli & pacis* lib. 2. promoverunt, qui poſt ipſum jus naturæ, gentium, ac publicum inter Proteſtantes excoluerunt Thomaſius, Puffendorfius, Huberus, & alii, qui etiam Authores prioris ſententiæ Papiſmi publice arguunt, atque in Lutheraniſmo multas adhuc ſupereſſe reliquias Papatus conqueruntur; contra quorum novitates e contra ipſa Lutheranorum murmuravit Eccleſia, uti ipſorum querelæ teſtantur, quem conflictum jucundum eſt legere Catholico in Huberi tract. *de jure civitatis* ab Anonymo commentato lib. 1. ſect. 5. c. 3. Qui Huberum non ſemel, ſed ſæpius contradictionis arguit, quodque Papiſtis in præſenti materia faveat, cenſurat; quamvis genuina ejus intentio eo tendere videatur, hæreſim *qua talem* non poſſe pœna proprie dicta puniri, ut mox videbimus.

48. Jam vero contra hujus poſterioris ſententiæ Patronos Catholici habent graviſſimum Argumentum, quod in hac materia non ſolum ab Eccleſiæ Romanæ, verum etiam a Prædeceſſorum ſenſu eccelleſint, qui judicarunt Hæreticos *qua tales* pœna capitali plecti poſſe. Contra prioes vero contendunt ipſi poſterioris opinionis Patroni, quod ſi ſemel admittant Hæreticos *qua tales* poſſe coerceri pœnis temporalibus, etiam graviſſimis, ut vult Carpſovius, Catholicos ab ipſis ex his præjudicatis demonſtrative inferre poſſe, ipſos etiam coerceri poſſe *pœna capitali*, ut finis iſte coercitionis efficaciter obtineri valeat; & hinc Fleiſcherus rem acu tangit, dum in ſua introductione ad Jus Canonicum c. 29. §. 17. relata ac ſuggillata Carpſovii ſententia ſcribit: *quam eorum doctrinam Papiſtæ ambabus ulnis amplectuntur*.

49. Qui ergo novam, atque Eccleſiæ Romano-Catholicæ, Calvino, Luthero, eorumque diſcipulorum, ac poſteriorum Proteſtantium doctrinæ ex aſſe oppoſitam tenent ſenteotiam, ex variis eam principiis tuentur. Et quidem Hugo Grotius ex eo principio videtur docere hæreſim *qua talem* nulla pœna dignam eſſe, quia per illam nihil committitur in *ſocietatem humanam*. E contra ejus ſequaces, ut Huberus L. cit. Hæreticos non poſſe puniri, nec in Religione ſua impediri ex eo docet, quod confeſſio fidei, quam dicit ex Sacris Literis petendam, pertineat ad *jus internum*, cujus ratio non poteſtati circa Sacra (quam Imperio civili attribuit), ſed ſoli Deo reddenda ſit; unde c. 1. n. 43. inquit: *In univerſum igitur quidquid ad internum jus conſcientiæ pertinet, ſeu naturale, ſive revelatum, cum immediate ſubditum ſit Deo, ipſius duntaxat juſſus, prohibitioque in illis ſpectari debet; ideoque nulli Imperio civili vel Eccleſiaſtico quidquam juris eſt in illis vel prohibendis, vel augendis, vel mutandis*. Ad quæ interna N. 7. reducit etiam ea *externa*, quæ ejuſmodi ſunt, ut *interna* quoque Eccleſiæ jura involvant, aut impediant, quæ magis pro internis & immutabilibus haberi vult. Et inter hæc connumerat facultatem exercendi conventus fidelium, unde ſequatur jus clavium, vi cujus ob rationem animis, & metum contagionis Jure Eccleſiaſtico a cœtu fidelium homines improbi cujuslibet conditionis excludi poſſint, non tantum denunciando minas & promiſſiones Evangelicas, ſed etiam excludendo indignos a communione Sacrorum; non quaſi cœtus fidelium juris aliquid coactivi habeat a poteſtate Reipublicæ independentem, ſed quatenus ſe illis duntaxat, quos ſciunt eſſe pollutos, ſubducunt, ipſiſque ſeparationem illam inſinuant. Et hinc infert apud ſolos Principes reſidere jus prohibendi aliter ſentientibus, ne publicos ſolemneſque conventus habeant, ne majoris corporis unionem ſtabili regimine forment; ſed ne omnino conveniant, ne Doctores ullos habeant, ne libros legant, ne Deum ſuo more colant, id abſciſſe prohiberi poſſe negat; multo minus externis pœnis ob hæc noviſſima ſævire licere. Sed interdicere civitate Heterodoxos, ſalvis vita atque fortunis, Principem poſſe exiſtimat, rationem dans; *quoniam hoc præmunimenti adverſus propagationem* potius, quam ſupplicii rationem *habere poteſt*; addens: *etiam ut effectus aliqui juris publici illis præcludantur, decernere nihil vetat*, cum his rebus fides, & cultus Dei non prohibeantur.

50. Deinde pergit: *Excedunt hunc modum juris Romani ſanctiones, non in eo, quod Hæreticis adimunt privilegia Religioni conceſſa, nec quidem in hoc, quod nulla ipſis loca publica ad exercendos cultus permittunt, ſed ea Catholicis donent; verum quod omnes eorum conventus ſub graviſſimis mulctis prohibent; quod omni commercio illis inter vivos & mortis cauſa interdicunt; imo hæreſim faciunt crimen publicum, etiam mortis ſupplicio ſubjiciendum*. Alii denique, quorum agmen ducit Thomaſius,

Digitized by Google

maſibus, ex altiori fonte immunitatem hæreſi ſpondere nituntur, videlicet *quia non ſit crimen*; quam ſententiam ſpeciali diſſertatione defendiſſe ſe ait Commentator Huberi, qui & gaudet Authorem ſuum veritatem iſtam ſcilicet! tandem agnoviſſe. Fundamenta hujus ſententiæ, cum citatas diſſertationes ad manum non habeam, ex Fleiſchero L. cit. adferre cogor; quæ ad hæc reducit §. 3. quoniam ratio nec præceptis ſtringi, nec cogi omnino poteſt, ſed ad hoc requiruntur rationes ipſam ita convincentes, ut nihil habeat, quod opponat, & ita neceſſitate ducta credat. Hinc liquet crimina non eſſe actiones intellectus, ſed voluntatis; ſi ergo hæreſis ſolum conſiſtit in errore, impoſſibile eſt, ut *criminis* nomine veniat. Et quamquam objiceretur præjudicia intellectum noſtrum in agnitione veritatis impedire, quæ originem ſuam in voluntate habent, reſpondetur, errori quidem occaſionem dare, ipſum vero propterea non poſſe voluntati imputari. Prætarea contendit, non omne malum, quod a voluntate oritur, eſſe *crimen*, quamvis *peccatum* ſit; qua loquendi methodo inſinuare videtur, Patronos hujus ſententiæ hæreſim ſolum negare eſſe *crimen* in ſenſu juridico, quo nomine criminis venit id, quod pœnis publicis, ac ipſo mortis ſupplicio dignum eſt. Ex his ergo patet hos Proteſtantium Juriſconſultos ex allatis variis principiis in unum finem tendere, ut nimirum evincant, hæreſim *qua talem* jure non poſſe pœna temporali proprie dicta plecti; ſed communis Religio per ſubtractionem quorundam favorum publicorum ab eorum infectione defendi, ut ex Hubero vidimus.

51. Ut ergo omnium erronea principia detegantur, ſingula in probatione reſolutionis ſubjiciendæ ad examen vocanda ſunt; & quidem Carpzovii ejuſque ſequacium ſententia, ſi tamen in rigore differt a noſtra, ad hominem jam refutata eſt N. 49. reſtant igitur ſola placita Hugonis Grotii, Huberi, & Thomaſii rejicienda. Et Hugonem Grotium quidem ſolide refutabimus in ſolutione objectionum; Huberi vero Thomaſiique fallacias detegemus monſtrando primo, Poteſtatem legitimam in Eccleſia Catbolica juriſdictionem habere in Hæreticos, ſecundo & quidem etiam circa jus internum conſcientiæ, ſeu circa hæreſim, quam tertio non ſolum peccatum, verum etiam crimen eſſe una demonſtrabimus, & quidem quarto crimen læſæ Majeſtatis, quinto ſumme nocivum proximo.

PROPOSITIO.

Judices tum Eccleſiaſtici, tum Laici in Eccleſia Catholica Hæreticos pœnis temporalibus, ac ipſo etiam ultimo ſupplicio jure damnarunt, ac damnant.

52. RAtiones fundamentales inſinuat S. Thomas, & primam quidem cit. q. 10. a. 8. in (-) ubi ait: *Alii vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut hæretici, & quicunque Apoſtatæ: & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſemel ſuſceperunt.* Secundam vero eadem 22. q. 11. a. 3. in (-) dum ait: *Ex parte quidem ipſorum* (hæreticorum) *eſt peccatum, per quod meruerunt non ſolum ab Eccleſia per excommunicationem ſeparari, ſed etiam per mortem a mundo excludi; multo enim gravius eſt, corrumpere fidem, per quam eſt animæ vita, quam falſare pecuniam, per quam temporali vitæ ſubvenitur.* Quibus argumentis S. ac *Summus* Doctor, quemadmodum ipſum in a. p. Theologiæ nominat ipſe Wolfius, & cum eodem alii cordati Proteſtantes nominare tenentur, probat imprimis Juriſdictionem Eccleſiæ in hæreticos, ex cujus defectu illa non poteſt pœnis corporalibus ad fidem compellere infideles etiam Catholicis Principibus ſubjectos; ſecundo affert cauſam, quare ipſos non ſolum poſſit excommunicare, ſed etiam pœnis temporalibus, ac ipſo capitis ſupplicio plectere. Quæ omnia jam ſunt enucleanda.

53. Et quod ad juriſdictionem attinet, ita probatur. Proteſtantes tenentur admittere primo, quod ſemel exſtiterit Eccleſia vere Catholica & Apoſtolica, nimirum ab Apoſtolis fundata, cum profanis enim nunc non diſputamus. Admittere tenentur ſecundo, quod ſicut nunc, etiam pro tunc homines per ſuſceptionem baptiſmi ſive per ſe, ſive per alios fidem Catholicam amplecti, atque in ea perſeverare promiſerint; his autem admiſſis legitima conſequentia infertur, quod dum a fide, quam ſervandam Eccleſiæ promiſerunt, recedunt, eidem rationem reddere teneantur, quod eſt in ipſos Juriſdictionem habere Eccleſiam. Quod nec illi quidem negare poſſunt, qui omne jus, quo in Eccleſia utimur, derivandum exiſtimant a pactis & conventionibus haud ſecus, quam jura quævis collegialia ſocietatum civilium; cum etiam in falſa eorum hypotheſi pacta conventa obſervare teneantur ſingula membra, atque in eos, quantum ad horum obſervationem, vel totum Collegium, vel ejus Rector Juriſdictionem habeat. Jam vero certum eſt apud Proteſtantes communiter, Eccleſiam Catholicam ab Apoſtolis fundatam incœpiſſe ante hæreſes, atque in hodiernum diem in aliquo Chriſtiani nominis cœtu perſeverare; ex eaque hæreſes primum prodiviſſe, ſicut prædixit Apoſtolus Actor. 20. v. 30. *Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Et 1. ad Timoth. c. 4. v. 1. *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & Doctrinis dæmoniorum.* Certum eſt præterea, quod ſubſequæ hæreſes vel ex eadem Catbolica Eccleſia prodiverint, vel earum, quæ primum in Eccleſia ſchiſma fecerunt, ſurculi ſint, qui proinde omnes cum ſuis Proſelytis ad eas ſocietates pertinent, quæ fundatæ ſunt ab iis, qui contra fidem in baptiſmo datam ſe ab Eccleſia ſepararunt, in quos proinde tanquam fidefragos ac rebelles juriſdictionem exercere poteſt, non ſecus ac Princeps in rebelles, eorumque poſteros, quamdiu ſub ejus juriſdictione manent, quemadmodum manent ratione baptiſmatis hæretici.

Et hanc juriſdictionem agnoſcit ipſe Huberus Sect. 5. c. 3. n. 15. dum ait: *Ut per partes eamus, primo quod ad fidei confeſſionem attinet, ſi hæc imperantibus ad animum pertinet, jus habent ea, quæ vero cultui Numinis adverſantur, impediendi & puniendi*; adſeritque in hujus confirmationem exemplum Ezechiæ, qui ipſum etiam ſerpentem æneum a Moyſe factum, cui adolebant Judæi, comminuit 2. Reg. c. 18. & Joſiæ, qui excelſa idololatrica deſtruxit ibi c. 23. ſubditque n. 16. *Non tantum in Atheos, & idololatras animadvertere poſſunt, ſed & omnes, qui evidenter ſecus, quam fert publicus Eccleſiæ conſenſus, docere inſtituunt, cohibendi atque coercendi jus habere videntur.* Et quamvis ejus commentator eum contradictionis arguat, quod alibi docuerit, in *ſenſa hominum* nulli eſſe imperium; ego tamen jure cenſeo, invito Hubero hic veritatem excidiſſe, dum hic loquitur de hominibus, qui fidem veræ Eccleſiæ *ſemel ſuſceperunt*, alibi vero videatur loqui de ſenſis hominum *in ſtatu libertatis*. Probatum ergo eſt aſſentiente Hubero Eccleſiam habere jus in Hæreticos. Nunc probandum venit, eam quoque habere juriſdictionem circa eorum *jus internum*, ſeu *conſcientiæ*. Quod præſtabimus numero ſequenti, in quo hæreſim non ſolum peccatum, verum

verum etiem crimen publicum eſſe probabimos, ex.profeſſo vero N. 56.

54. Et qoidem defeodere hæreſim non eſſe peccatum tam eſt hæreticum, ut merito id cenſueriot ipſi Proteſtantes, qui propoſitionem illam paradoxam ac impiem, a Thomaſio excitatam, ac eb eliis ſciolis propugnatam commoni lenſu merito exhorruerunt; atque Thomaſium Atheiſmi inſimuleverunt, quemadmodum conqueritur ejus adorator Fleiſcherus io nove præſatione *ſua Introductianis* ed Jus Canonicum. Nam ſi hæreſis oon eſt peccatum, nec incredulitas Judæorum, que prædicationi Chiiſti, miraculis confirmetæ reſtiterunt, peccatum ſuerit eſt oeceſſe; quis autem Chriſtianorum ſalva fide id aſſerat, cum Dominus dicat io Evangelio Joann. 15. v. 22. *Si non venijſem, & locutus fuiſſem cis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſua;* nimirum incredulitatis, de qua alibi noo ſemel arguuntur Prototypa hæreticorum Ecclefiæ Judæi. Nec tamen evidentem Salvetoris cognitionem habuerunt infelices, cum Paulus dicat: *Si enim cognoviſſent, nanquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, 1. ad Corinth. c. 2. v. 8, quo textu Paulus indicet, quare hæreſis formalis ſit peccatum; ſicut enim Principes Judæorum ello non habuerint *evidentiam metaphyſicam* de Jeſu, quod ſit Meſſias in lege promiſſus, (quem Deus ipſis dare noluit, *ne* naturem revelationis, fidemque ipſam, qua nos in hoc ſæculo ad evidentiam futuram io patria perducere volt, deſtrueret) nihilominus, quie idem Jeſus ſanctitate doctrinæ, innocentia vitæ, & ſplendore miraculorum ſuem miſſionem *evidentia merali* ita probevit, ut oolle remanſerit ratio dubiteodi, niſi imprudens, atque a præjudiciis culpabilibus præventa, merito arguuntur Judæi de peccato, quod in eum non crediderint; ita quoque hæreticus formelis, eſto de ſua opinione perſuaſos ſit, ſi tameo videat judicium Eccleſiæ univerſalis in Concilio Generali contre ſe ſtare, & nihilominus in errore perſiſtat, peccatum temeritatis graviſſimæ admittat eſt neceſſe, utpote qui ſolus vult ſapere contra totum corpus, equo ſententiam maioriori longe conſilio, quam e ſe diſcuſſam prudenter eredere debet, quin imo qua Chriſtianus ioſuper perſueſus eſſe, quod Spiritus S. aſtiterit potius toti corpori Eccleſiæ ad iotelligenda eloquia ſcripturæ, quam ſibi.

55. Confirmatur hoc ex differentia immeoſa inter veritates revelatas, & natureles, qoæ in hoc conſiſtit, quod, cum priores *evidentia intrinſeca* demonſtrari poſſint, atque inde evidens eorom cognitio conſequi, quantum ad illas ſe babeat intellectus, ut potentia neceſſarie, atque in ſua ſphæra maneos, ita ut e nullo externo principio aſſeoſus ab ipſo prætendi poſſit; e contra vero cum veritates revelatæ ex natura ſoe *intrinſecam obſcuritatem* retineant, ab humaoo acumioe impenetrabilem, ite ut eſſenſus earum ultimato reſolvator in euthoritatem revelentis, intellectus ad aſſeoſum earum non poteſt manere in ſue ſphæra, ſed eget *determinatione voluntatis*, quæ com ſit *libera*, & conſequenter *obligata*, ut intellectum carentem principio proprio determinationis ſeu evidentia ſecuodum id, quod prudentius ſpectatis omnibus eſt eligendum, determinet, hinc eſt, quod dum præjudiciis propriis acta, quæ moraliter deberet deponere, judicium ſuum ſeqoitur, pertioeciæ, & inde hæreſeoi, ec peccati ree convincatur. Et hinc habemus, quare a Nicæna Synodo Arius, a Conſtantinopolitana Macedunius, eb Epheſine Neſtorius, a Chelcedonenſi Eutyches merito hæreſeos ac peccati fuerint condemnati, ut fateotur vi ſuæ religionis io Auguſtana Confeſſione adſertæ Proteſtantes; quamvis enim perſueſi ſuerint ſenteotiam ſuam niti euthoritate ſcripturæ, quie temen hoc ex ipſa natura myſteriorum fidei non poterant ſcire *evidenter*, & nihilomious ſeotentiæ contratiæ Conciliorum æque io ſecre ſcriptore traditionibuſque fundatæ reſragati ſunt, hec ſua œconomia imprudeoter egeruot, pertinaces, hæretici ſormeles, ac peccatores evaſeruot. Ex his ergo petet primo bonitas definitioois hæreſis hæreticique ſormalis ioitio hujus libri data, a qoa majori ex parte dependet præſeos controverſia contra principium Thomaſii. Patet 2. Quare hæreticos ſormalis, eſto ſibi perſuaſus de ſua opioiooe, oibilominus ſit culpabilis. Petet 3. Quere in erticulis fidei detur legitimus domioetus ſuper conſcienties. Patet 4. Quare in principio Proteſtantium, quo Judicem ſcripturerum ſtatuunt vel ipſam ſcripturam, vel ſpiritum privatum, dominetus legitimus admitti noo poſſit, cum io hoc ſyſtemete deficiat principiom *ſufficiens* alterum ed aſſenſum prudenter præbeodum determinandi, cum so eo ioter diverſa ſentieotes ſie æqualites, id quod ſupra N. 8. latius deduximus. Patet 5. Quam impie ſit ſenteotia Thomaſii, ejuſque ſequacium, qui hæreſim ſormelem noviſſimis his temporibus contre ſeoſum omnium retro Chriſtiani nominis hominum non eſſe peccatum aſſerere auſi ſunt, utpote qui non ſolum quatuor primis Conciliis Generalibus & Patribus, ſed ipſi inſuper Evangelio, quin ſanæ rationi erroris notem hec ſue cerebrina novitate inuroot. Stabilita eſt ergo prima pars, hæreſim eſſe peccetum. Si vero hæreſim ſolum negaruot eſſe crimen publicum corporalibus pœnis, ac ipſo ultimo ſupplicio dignum, contra eos jem procedimus.

56. Hæreſim in genere a Jure civili reputati ut crimen publicom conſtat ex lege 4. C. *de hæreticis*, ubi Theodoſius, Arcadius, & Honorius decernunt: *Manichæos ſeu Manichæas vel Donatiſtas meritiſſima ſeveritate perſequimur. Huic itaque hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune ſit cum cæteris. Ac primum quidem volumus eſſe publicum crimen; quia, quod in Religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam, quos bonorum etiam (omnium) publicatione perſequimur, —— in mortem quoque (id eſt poſt mortem) inquiſitio extendatur. Nam ſi in criminibus Majeſtatis licet memoriam accuſare defuncti, non immerito & hic debet ſubire* (tale) *Judicium*. Quæ lex eſto loquatur ſolum de Manichæis, ad omnem tamen hæreſim, in quantum eſt *crimen publicum*, & *læſæ Majeſtatis* divinæ, per rationem generalem extenditur. Hujus ergo legis ratio, quam etiam tangit S. Th. L. N. 52. citato, quamque cavillantur moderoi Proteſtantes, non ſolum ii, qui hæreſim negant eſſe crimen, verum etiam qoi illem crimen eſſe admittunt, jam eſt eoucleende, id qood ad ootmam moderoi ſæculi præſtabimus.

57. Atque ut paulisper ed jus neturæ tranſeamus, omnes Proteſtantes cum Grotio contra Fataliſtes, ec Deiſtas edmitteot, gentes, ſaltem cultas, debere agnoſcere Deum Conditorem univerſi, divinamque provideotiem ejuſdem Gubernatricem, atque vi horum ettributorum a creeturis cognitione præditis eidem deberi cultum; quo præſuppoſito etiam edmittere tenentor, quod dum gentes io civitatem coeunt, duo ſibi jura fundameotalia, ſeu pragmatica conſtituere debeant, nimirum *Majeſtaticum*, quo remenente penes commooitatem, vel translato in ooum vel plures, proſpiciatur civibus de ſecuritate a vi externa, ec da tranquillitete ioteroa; aliud *circa facra*, qoo cultus divinus reguletur e civibus Nomini exhibendus.

58. Scio

Digitized by Google

58. Scio non negare Proteſtantes Religionem *externam* ſecundum ſe etiam in ſtatu naturæ puræ conſtituere Jus publicum apud homines in civitatem coeuntibus, & irreligionarios committere crimen publicum; at, quod prætendunt, eſt, Religionem *internam*, ſeu cultum Dei internum; qui conſiſtit in dogmatibus, & cultum *externum*, qui neceſſaria conſequentia ex dogmatibus, ſeu ex interna perſuaſione de Numine fluit, nequaquam eſſe rem toti civitati communem, ſed cuilibet civi propriam, ita quidem ut in ſtatu naturæ homines in civitatem coeuntes communibus ſuffragiis de cultu Dei interno nihil decretorie decidere valeant, niſi ſolum *proviſionaliter*, nimirum quid publice doceri, aut fieri in cultu divino debeat, aut quid interea conſtituendum, donec pars una convicta cedat alteri, & concordia una ſit ſententiarum. Ita Wolfius p. 8. Juris Nat. c. 4. §. 947. & ſeqq.

59. Sed hic denique raditem erroris produnt Proteſtantes, qui hæreſim vel *crimen*, vel ſaltem crimen *publicum* eſſe inficiantur, aut denique imperio humano ſubjectam, cui proinde ſecuris apponenda. Summa ergo erroris eorum in hoc conſiſtit, quod, ut omnem compulſionem conſcientiarum injuſtam declament, a Religione naturali argumententur ad revelatam, & a ſtatu libero hominum in ſyſtemate naturæ puræ in Religionem coeuntium ad ſtatum Eccleſiæ, cujus Religioni profitendæ hæretici Sacramento Baptiſmatis ſe obſtrinxerunt. Quamvis ergo facile admittamus Religionem internam, ſeu ſentimenta circa dogmata in ſtatu *Religionis naturalis* eſſe rem privatam, atque ab omni compulſione liberam, ex hoc tamen non licet argumentari ad ſtatum Religionis Catholicæ, cujus diſpoſitio dependet *a revelatione*. Et hoc ideo, quia religionis naturalis dogmata pendent *a demonſtratione*, quæ ſuffragiis plurium non comparatur, ſed rerum ipſarum *nexu*, cujus perſpectio peculiaris eſt ſingulis; e contra dogmata Religionis Catholicæ dependent a revelatione, nec humano ingenio ſunt penetrabilia, ſed veritatem eorum denique aſſequitur is, qui *ſenſum* attingit revelantis, quem ſenſum, cum inter tot diſſidentes Eccleſias, conſentientibus ipſis Proteſtantibus, ſola illa aſſequatur, quæ eſt *vere Catholica & Apoſtolica*, apparet, quod in ſyſtemate Eccleſiæ Catholicæ cultus internus Dei, ſeu ſentimenta circa dogmata non ſint res cuilibet in Chriſtum credenti *propria*, ſed toti Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ *communis*, a cujus ſenſu ſi quis diſcedat, cum contra eum demonſtratione ex hypotheſi revelationis, quemadmodum in Religione naturali ſe tueri nequeat, ab attingantia ſenſus per revelantem intenti, etiam in ſententia Proteſtantium, recedit, cum admittant ſolam Eccleſiam *vere Catholicam & Apoſtolicam* ſenſum revelantis attingere, cui receſſui ſi pertinaciam jungat, culpabilem ſe reddit & peccatum committit ex dictis N. 54. & quia per hunc receſſum non hominum *particularium* ſentimenta ex lumine naturali pendentia, ut fit in Religione naturali, ſed fidem revelatam, quo ſolo vinculo fundamentali *communitatis* nomen ſortiti ſunt homines, qui in Eccleſiam vere Catholicam coivere, & quo ſolo ablato hæc *communitas* in auram & fumum abit, *tollere*, quantum eſt de ſe, *nitatur*, in rem quam maxime, imo ſolam vere *publicam* & *communem* delinquit, adeoque crimen publicum, illudque omnium atrociſſimum committit. Cumque idem hæreticus non habeat ſe ſicut *futurus* cives inter homines in civitatem coituros, cum ille pro illo ſtatu nullo pacto ſe determinatæ Religioni alligaverit, nec conſequenter cuiquam reſponſabilis ſit circa dogmata; hic vero in baptiſmate ſe obſtrinxerit eam fidem ſervare, quam tenet Eccleſia *vere Catholica & Apoſtolica*, id quod ſe ſpopondiſſe fatentur non tantum omnes Proteſtantes, ſed etiam omnes retro hæretici, dum deinde ab ejus fide pertinaciter diſſentit, eidem reſponſabilis redditur, & quia ſimul committit crimen publicum, etiam pœna corporali puniri poteſt.

60. Ex his ergo & antea dictis palpare licet, quam erronea ſint hæc tria Proteſtantium principia: *Hæreſis non eſt crimen*, *hæreſis non eſt crimen publicum*, *coactio conſcientiarum*, *der Gewiſſens-Zwang*, *eſt res illicita*, quæ judicant inexpugnabilia, quibuſque fulti œconomiam Eccleſiæ Romano-Catholicæ circa hæreticos infinitis calumniis proſcindunt. Nec quemquam influxum in datam his duobus numeris theoriam habet illa quæſtio, quænam ex tot cœtibus inter ſe diſſidentibus ſit *vere Eccleſia Catholica & Apoſtolica*; ſufficit demonſtraſſe illum eſſe hæreticum formalem, qui ab eadem Eccleſia pertinaciter diſſentit, eumque committere crimen, idque publicum, atque propterea etiam pœnis corporalibus, ac ultimo ſupplicio eſſe punibilem. Cæterum ſolam Romanam Eccleſiam eſſe vere Catholicam & Apoſtolicam probatum eſt luculenter initio hujus libri, quo lectorem remittimus, ubi etiam effugia ad S. Scripturam, & ſpiritum privatum, tanquam ad judices controverſiarum refutata ſunt.

61. Nunc evincendum hæreſim formalem eſſe crimen Læſæ Majeſtatis divinæ, ſicut blaſphemiam; adeoque ſicut hanc pœnis corporalibus, quin ipſa morte plectendam; non enim negabunt Proteſtantes blaſphemiam Creatoris eſſe morte dignam, qui blaſphemiam creaturæ, Regum nimirum terrenorum, eandem pœnam mereri profitentur. Sicut autem blaſphemus injuriat *Sanctitatem* Dei, ita Hæreticus injuriat *Veracitatem* Dei, dum negat verum eſſe quod revelavit; negat vero verum eſſe quod Deus revelavit, quia negat id quod credit vere Catholica & Apoſtolica Eccleſia, quod ipſum eſt per dicta N. præced. quod Deus revelavit; negat vero culpabiliter, quia contra promiſſionem in baptiſmate factam nulla *demonſtratione*, quæ tamen requireretur ad ejus legitimationem, ſed ſola *apparentia* de veritate fultus ſpreto judicio univerſalis Eccleſiæ, quod non niſi imprudenter facere poteſt, contrarium affirmat. Idem Hæreticus præterea crimen Læſæ Majeſtatis divinæ committit, quia corrumpit fidem, qua Deus voluit conſtare animarum ſuæ gloriæ ſemel aſſociandarum vitam; ſicut ergo, qui corrumpit pecuniam, per quam temporali vitæ ſubvenitur ex intentione Principis, crimen Læſæ Majeſtatis committit, ita multo magis, qui corrumpit fidem, incurrit crimen Læſæ Majeſtatis Divinæ. Per quod patet diſcrimen inter hæreſim & alia peccata in corpus proprium, v. g. fornicationem, & proximum, v. g. furtum &c. Quæ etſi lædant Majeſtatem Divinam, non tamen ſunt crimina *Læſæ Majeſtatis Divinæ*, quia nimirum verſantur circa rem privatam, non publicam, qualis eſt fides, qua Deus electos ſuos in unam ſocietatem coadunare voluit. Et per hæc vindicatæ manent rationes ſacratiſſimarum legum civilium, præſertim Theodoſianæ, ob quas permoti fuerunt Summi Principes pœnis corporalibus in Hæreticos animadvertendi; quorum authoritatem temere & irreverenter nimis cavillant Proteſtantes.

62. Sed hæreſi omnimodis, ſeu non ſolum excommunicatione, aut pœnis temporalibus, a pleriſque Proteſtantibus admiſſis, verum etiam corporalibus, ac ipſo ultimo ſupplicio jure obviari poſſe ab Eccleſia, ejuſque Protectoribus, confirmatur etiam ex eo, quod ſit læſiva boni proximi ſummi momenti, nimirum *fidei*, in qua eſt

vita

vita animæ, certe Apoſtolo, *Juſtus meus ex fide vivit*, & iterum *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; & Salvatore ipſo, *Qui non crediderit, condemnabitur*. Et hinc eſt, quod idem Salvator Matth. 18. v. 6. pronuntiet; *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*. Per puſillos, qui in ſe credunt, intelligit plebem ſimplicem fidelium, qui ab Hæreticis, præſertim Hæreſiarchis ſcandalizantur; quibus cum melius fuiſſet, ſi mola aſinaria in collum ſuſpenſa ſubmerſi fuiſſent, priuſquam & ſibi & tot Innocentibus mortem æternam conſciviſſent, cur pia Mater Eccleſia, ut animas a Sponſo ſuo cœleſti ſibi concreditas, ſuper quas jubente Apoſtolo invigilare tenetur, tanquam rationem ſtrictiſſimam Domino reddituras, a ſcandalo præſervet, dum monitiones, dum excommunicationes, dum leviores pœnæ non ſufficiunt, non poſſit pœnis corporalibus pie ſævire in putrida membra, ne totum tandem corpus inficiatur? Sane, qui hiſtoriam Hæreſum omnium Sæculorum attente pervolverit, clare deprehendet, quod ſolis diſputationibus vix una e medio ſublata fuiſſet, niſi ſeveritas pœnæ homines ſtolidos a profundo lethargo excitaſſet, ut poſtea gratias agerent, ſe ſaluti æternæ ſpem conſecutos Catholica ſeveritate, quam Proteſtantium humanitate in ſocordia manentes amiſiſſent. Quæ ratio magnum Auguſtinum, qui ſpecioſis Proteſtantium argumentis innixus diu contrarium ſenſerat, permovit, ut tandem victus veritati Catholicæ manus daret. Qui proinde illud, *Compelle intrare*, Lucæ 14. v. 23. quod Proteſtantes de *inſtantia* adhortationis explicant, cum Catholicis etiam ad *coactionem propriam* extendit ſerm. 33. *de Verbis Domini*, dum ait: *Venerunt de plateis & vicis gentes, veniunt de ſepibus Hæretici; nam ſepes, qui exſtruunt, diviſiones quærunt. Abſtrahantur a ſepibus, evelluntur a ſpinis. Sed cogi nolunt, voluntate, inquiunt, noſtra intremus*. En cauſationes noſtrorum Proteſtantium! quibus reſpondet Auguſtinus; *Non hoc Dominus imperavit: Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur neceſſitas, naſcitur inde voluntas*. Hoc eſt nullus credet *coacte*, quis enim hoc niſi ſtultus aſſerat? ſed coercitio pœnæ homines Hæreticos ſuis præjudiciis ebrios, & quaſi ſecuros, ac propterea veritati Catholicæ incurios, ipſos veritati, a qua neceſſario aberrant, alias non eſſent Hæretici juxta ſuperius dicta, faciet attentiores, & ejuſdem ſtudioſiores, ut inde naſcatur voluntas Eccleſiæ vere Catholicæ & Apoſtolicæ judicio ſe conformandi. Et quæſo cordatos Proteſtantes, ſi nulla alia coactio eſſet adhibenda reſiſtentiæ Hæreticorum, quam ſola inſtantia exhortationis, vel diſputationis, quam faciem a primis ſuis incunabulis uſque ad præſens tempus ſortita eſſet fides Catholica? nonquid non omnes ſectæ, quas ipſi damnant, & quorum memoria ſolum ſupereſt, non ſolum de facto vigerent, ſed etiam incrementa ſumerent, contradicendi libidine, & hominum ſtoliditate ſuppetias ferentibus. Si ergo ipſi, hoc argumento convicti, in pace Weſtphalica tres tantum Religiones judicarunt tolerandas, reliquarum ſectatores exilio damnantes, cur incuſent Eccleſiæ Romano-Catholicæ, cum fidem priſtinam cenſet, quanta eſt poſſibili efficacia, ſartam tectam tuendam? Sane nunquam dabunt diſparitatem ſolidam ad hoc argumentum ad hominem, nec refugere poſſunt ad Pſeudo-Principium, hæreſim non eſſe crimen, quod jam confutatum eſt.

63. Accedit, quod hæreſis a Principe Catholico puniri poſſit pœna corporali, ac ipſo extremo ſupplicio, eo quod *de ſe* nata ſit turbare pacem publicam, & quidem enormiter & injuſte; & quod enormiter turbet rempublicam, patet primo experientia, quam non negabit is, qui vel ſolam originem Huſſitarum ac Proteſtantium legerit, ut veterum hæreſum hiſtoriam prætereamus. 2. vero ex cauſa hujus turbationis, quæ eſt, quod quilibet hominum Religionem ſuam ut rem ſummam habeat, atque erga diſſidentes naturaliter averſionem quandam ac diffidentiam concipiat; quæ animi diſpoſitio etſi in quibuſdam ſopiri poſſit, nihilominus vulgo ſemper adhæret, ut proinde juris naturæ moderni Profeſſores Proteſtantes, etſi immunitatem Religionum, quæ nihil docent aut agunt legi naturæ diverſum, ſummopere commendent, ſecurius tamen & tranquillius longe regnum pronuntiant illud, in quo *una ſola Religio* colitur; quam tranquillitatem & ſecuritatem cum hæreſis *de ſe* turbet, & quidem *injuſte*, cum contradicat Eccleſiæ vere Catholicæ & Apoſtolicæ Judicio, eaque res ſit ſummi momenti, ſummarumque conſequentiarum non ſolum quoad æternam, ſed etiam temporalem Reipublicæ Catholicæ felicitatem, ut ex dictis patet; in illam Princeps Catholicus cum Eccleſia jure animadvertere poteſt pœnis corporalibus, ac ultimo etiam ſupplicio, quod erat demonſtrandum. Nunc ad ſolvenda argumenta Proteſtantium nos accingamus.

Solvuntur Objectiones.

64. QUi titubantem Proteſtantium ſententiam hæreticos quidem poſſe puniri pœnis temporalibus, modo fortunarum direptio, corporis caſtigatio, mutilatio, aut interfectio excipiatur, qua ipſa ſententia, Judicibus modernis eorum Juriſconſultis, Catholicorum dogma ſtabiliunt; qui, inquam, hanc Proteſtantium titubantem ſententiam e diſcrimine dicto eripere voluit, videtur Hugo fuiſſe Grotius, qui primus in celebri ſuo opere de *Jure belli & pacis*, Juris naturæ, gentium, Publicique eam normam effinxit, quæ modo tantam famam & æmulationem conſecuta eſt in ſcholis. In hujus ſiquidem operis lib. 2. ut ſectas ſub Chriſtiani nominis auſpiciis Deum colentes ſub hac præciſe *formalitate* ab omni externa coercitione pœnaque liberas pronuntiet, hac via procedit, & imprimis N. 46. poſtquam ſtatuiſſet, notiones illas, quod Deus ſit, & res humanas gubernet, omnibus gentibus, ita ut vix una excipi poſſit, ſemper fuiſſe perſpectas; infert illos, qui eas, vel unam ex illis tollunt, quales fuerunt Epicurei, qui ſuſtulerunt divinam providentiam, juſte coerceri poſſe nomine ſocietatis humanæ, quam ſine ratione probabili violant. Adducitque Himerium Sophiſtam *actione in Epicurum* dicentem: *Placita igitur pœnam exigis? neutiquam: ſed impietatis: placita tradere permittitur, non & pietatem oppugnare*. 2. N. 47. Cum cæteræ notiones, ut Deos plures uno non eſſe, nihil eorum, quæ videmus, Deum eſſe, non ſint æque evidentes; horum cognitionem temporum lapſu apud multos ait fuiſſe obliteratam, eoque facilius, quod legibus non curaretur, eo quod abſque ea *aliqua* ſaltem Religio conſiſtere poſſet; & hinc infert, quod quamvis lex divina falſorum Deorum cultus maxime deteſtetur, non tamen in ipſo populo Hebraico omnes ejus culpæ convictos morte puniat, ſed eos demum, quorum facta circumſtantiam habent ſingularem, ut eum, qui Princeps alios ſeduxerit Deut. 13. v. 6. civitatem, quæ incepit colere Deos ante ignotos, ibid. v. 23. eum, qui aſtra colit, ut legem totam, ac proinde Dei veri cultum deſerat, Deut. 17. v. 2. Quam rem etiam apud Eſaui poſteros aliquo tempore pœnis fuiſſe ſubditam colligit ex Jobi 31. v. 26. & 27. Denique eum, qui libe-

ros ſuos Molocho, id eſt Saturno dederit Levit. 20. Confirmat dicta ex eo, quod Deus nec in Chananæis, nec in aliis gentibus præciſam idololatriam puniverit. Quos gentiles bifariam diſtinguit, in *excuſabiles*, & ab hominibus certe non puniendos, eos nimirum, qui cum legem a Deo proditam nullam acceperint, aut aſtrorum, aut aliarum rerum naturalium virtutes, aut ſpiritus, ſive in imaginibus, ſive in animantibus, ſive in rebus aliis colunt &c. & in *impios* magis quam errantes, eos nimirum, qui cacodæmones, quos *tales* norunt, aut vitiorum nomina, aut homines flagitioſos divinis honoribus colere inſtituunt, aut qui Deos colunt hominum innocentum ſanguine, quos coercendos ait. 3. N. 48. Probat eos, qui Chriſtianam Religionem amplecti nolunt, armis ad hoc non eſſe cogendos, tum quia veritas Chriſtianæ Religionis, cum Religioni naturali ac primævæ non pauca ſuperaddat, argumentis naturalibus perſuaderi non poteſt, ſed nititur factis Evangelicis, & gratiæ divinæ auxilio; tum quia Chriſto novæ legis Auctori hoc placuit, ut ad legem ſuam *recipiendam* nemo hujus vitæ pœnis, aut earum metu pertraheretur, id quod probat ex ep. ad Rom. 8. v. 15. Joann. 6. v. 67. Lucæ 9. v. 54. Matth. 13. v. 24. Item ex Tertull. Ex Conſtit. vulgo Apoſtolicis. Ex Ath. Chryſoſtomo. 4. N. 49. inquit: *Qui vero Chriſtianiſmum docentes aut profitentes eam ob cauſam pœnis ſubdunt, haud dubie faciunt contra ipſam rationem*; & rationem ſubjungit: *quia nihil eſt in diſciplina Chriſtiana* (nimirum ſecundum ſe ſumpta, & quatenus ei aliquid inſincerum non admiſcetur) *quod humanæ ſocietati noceat; imo nihil, quod non proſit*. Quod res ipſa loquitur, inquit, & extranei coguntur agnoſcere. Et hinc infert: *Qui in tales ſæviunt, ipſi in ea cauſa ſunt, ut puniri juſte poſſint*. Ac demum 5. N. 50. ad intentum ſuum deſcendens ſtatuit: *eos, qui in homines Chriſti legem pro vera habentes, ſed in ea dubitantes aut errantes, etiamſi gravior ſit error, & qui apud æquos Judices facile poſſit ſacra authoritate, aut veterum conſenſu revinci, ſuppliciis graſſantur, perinique agere, quod oſtendunt*, inquit, *& ea quæ ante diximus* (& nos jam retulimus) *& Judæorum exemplum vetus. Nam hi cum legem haberent, quæ ſuppliciis hujus vitæ ſanciebatur, nunquam tamen pœnis ſubdiderunt Saducæos, qui rejiciebant dogma Reſurrectionis, veriſſimum quidem, ſed in ea lege non niſi obſcure, & ſub verborum aut rerum involucris traditum*. Deinde craſſius errantes excuſans pergit: *Cogitandum hic quoque, quanta ſit vis inolitæ opinionis, & quantum libertatem Judicii minuat in ſuam cujuſque ſectam ſtudium. Adde, quod quanta hæc ſit culpa, pendet ex modo illuminationis, & aliis animi diſpoſitionibus, quas hominibus pernoſcere non eſt datum. Hæreticus Auguſtino is demum, qui alicujus temporalis commodi, & maxime gloriæ principatuſque ſui gratia falſas ac novas opiniones vel gignit, vel ſequitur*. Cujus authoritate ſententiam ſuam denique confirmat, ſicut & Salviani, quas ſupra N. 45. retulimus. Item Athanaſii, aliorumque. Quæ argumenta Grotii adoptarunt recentiores Proteſtantium Juriſconſulti, atque ad ſtabiliendam ſententiam hæreſim non eſſe crimen, nec conſequenter ulla pœna dignum expoliverunt; nihil, quantum mihi conſtat, ſpeciali nota dignum addentes, quibus proinde jam ſatisfaciendum.

65. Et quidem ad primum ejus fundamentum nihil reponimus quantum ad hoc, quod homines irreligionarios, quales ſunt Athei, qui Deum, antiqui Epicurei, moderni Deiſtæ, ac Fataliſtæ, qui ejus providentiam negant, pœnis coercendos ſtatuat; aperte enim ex hoc Grotii principio ſequitur contra Huberi commentatorem, *ſenſa* hominum coerceri poſſe. At in hoc eidem ſuccenſemus, quod ideo puniendos cenſeat, *quia humanam ſocietatem violant*, & *quia pietatem*, hoc eſt *Religionem omnem tollunt*. Venenata enim, atque a Catholicis omnibus cavenda ſtatuere videtur principia, quorum primum eſt, non eſſe pœnis publicis coercenda niſi illa crimina, quibus violatur *humana ſocietas*. Secundum, quodque præcedentis corollarium eſt, quod non niſi irreligionarii ſint ita coercendi, quod eandem *ſocietatem* violent, quæ Juribus Majeſtaticis & *circa* ſacra in gentibus coaleſcit; & hinc puncto 4. injuſte agere, qui Chriſtianos plectunt, eo quod Chriſtiana Religio non noceat eidem *Societati*, quin proſit. Quod primum principium, quod tamen Hugo Grotius & eum ſequentes bene multi Profeſſores Juris naturæ e Proteſtantibus pro axiomate quaſi primo ac baſi Juris naturæ videntur aſſumere, quam falſum ſit, vel ex eo patet, quod in illo blaſphemia Creatoris & Gubernatoris univerſi, ſumpti etiam in illa idea generali, quam Hugo Grotius hoc Numero dicit inculpabiliter negari non poſſe, non eſſet pœnis publicis mulctanda, cum ille, qui ſemel aut ſæpius blaſphemat Deum, cæteroquin poſſit eſſe Religionarius, & bonus Civis, vel miles &c. Quod ſentimentum blaſphemum, quantum non ſolum a legibus poſitivis, ſed etiam a lege naturæ abhorreat, nemo eſt, qui non primo intuitu perſpiciat; & ipſe Hugo Grotius ſibi non conſtans in eodem libro agnoſcit, cum N. 50. ait: *Juſtius illi punientur, qui in eos, quos Deos putant, irreverentes atque irreligioſi ſunt*; & cum illo Huberus cit. ſect. 5. c. 3. N. 22. ejuſque commentator. Nec minus falſum eſt, ſolos irreligionarios eſſe pœna coercendos, utpote aperte pugnans cum ſacris literis. Et imprimis ipſe Hugo Grotius ea, quæ hic N. 46. de irreligionariis dicit, N. ſequenti ad eos Religionarios extendit, quorum facta circumſtantiam habent ſingularem, quos ait lege divina veteri fuiſſe punitos extremo ſupplicio. Et in novo teſtamento Chriſtianis cœtibus data eſt facultas fratrem Apoſtatam, ſeu a Chriſtiana Religione ad idololatriam relapſo, ex Eccleſia relegandi, atque ab omni commercio fidelium excludendi 1. ad Corinth. 5. v. 11. Et numquid ipſe Paulus ultore Deo excitate non percuſſit Pſeudo-Prophetam Barjeſu, quod quæreret Sergium Paulum Proconſulem avertere a fide, quam eidem ſuadebat? Actor. 13. v. 11. Et Petrus Simoni Mago oratione crura non confregit, dum populum Romanum falſis portentis vellet ſeducere, ut habent genuina ejus acta? Cur ergo id, quod naſcens Eccleſia fecit via extraordinaria, non poſſit adulta, ac ſæculari brachio fulta facere in ſeductores via ordinaria?

66. Ad ſecundum argumentum Reſpondeo, ex ipſo ſequi, quod idololatria, ſaltem ut habens circumſtantiam ſingularem, in lege divina habita fuerit pro crimine publico morte punibili; atque hinc etiam Hæreſiarchas, vel illorum diſcipulos, qui ſimul ſunt ſeductores, civitateſque hæreſim incipientes committere crimina publica, morte punibilia in Eccleſia, quæ leges judiciales veteris Teſtamenti adoptare nullibi prohibetur, nec in hoc ſingulari caſu eas adoptare vetita eſt a Chriſto, ut infra videbitur; nec hæreſis eſt minus crimen, ſi *excluſionem animarum a Regno Cœleſti* ſpectemus, quam idololatria, quæ inſuper in adverſariorum Principiis non magis adverſatur ſocietati civili, quam hæreſis, cum Romani fuerint idololatræ, & tamen boni cives. At, ut Grotius probaret intentum, deberet ex eodem veteri teſtamento legem poſitivam, Judæis

dæis

dæis in idololatriam lapſis pœnæ corporalis immunitatem præſtantem, adducere, quod non præſtitit, nec uſquam præſtabit. Cæterum ex allatis locis non evincit legem tantum illos Judæos ultimo ſupplicio plectere, quorum idololatria ſingularem habet circumſtantiam; nam certe Deut. 13. non infertur pœna mortis Pſeudo-Prophetis, quia populum ad idololatriam tantum voluerunt perducere, ſed etiam *ut omnis Iſrael audiens timeat, & nequaquam ultra faciat quippiam hujus rei ſimile*. Quæ ratio ad omnes idololatras extendi poteſt. Et certe in civitatibus, quas ob idololatriam percutere jubentur reliqui filii Iſrael ibi v. 15. non omnes erant *ſeductores*, verum plures *ſeducti*. Sed apertiſſime inſinuat locus a Grotio ex Deut. 17. adductus, Deum in Judæis voluiſſe idololatriam abſolute ſumptam morte punire, v. enim ſecundo generaliter dicitur: *Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, —— ut vadant & ſerviant Diis alienis, & adorent eos, Solem, & Lunam, & omnem militiam cæli, —— educes virum ac mulierem —— & lapidibus obruentur*. Sane hoc loco, quicunque repertus fuerit, & ubicunque Idola colens Judæus, lapidibus obrui jubetur; nec eſt, quod in Sole & Luna ſingularem facti circumſtantiam quærat Grotius, quia ſacer textus per Solem & Lunam ſolum exemplificat verba præcedentia de ſervitio Deorum alienorum, non reſtringit. Et eſto de Sole & Luna tantum loqueretur, cauſam Grotii non juvaret, nam etiam alia idola erant creaturæ, & ſi quid divinum ſuſpicabantur in ſtatuis Gentiles, Judæi illi idem ſtatuerunt in Stellis, & minus impie. Manet ergo vindicata Eccleſiæ praxis ex prototypo veteris Teſtamenti.

67. At dicit Puffendorfius, & poſt ipſum Commentator Huberi, argumentationem ex veteri Teſtamento ad Eccleſiam Chriſti non eſſe ad rem: cum a ſtatu Theocratico ad ſtatum reliquarum Rerumpublicarum non liceat facere conſequentiam: Religionis vero & Reipublicæ Judaicæ plane diverſa ſit ratio ab aliis Rebuspublicis, præſertim a Chriſtianis; ibi enim Religio immixta erat ſtatui, & idololatria erat crimen Læſæ Majeſtatis.

Reſpondeo I. Grotium ſentire, Deum pœnam mortis decreviſſe Judæis in idololatriam lapſis, non quia Religio Judaica erat immixta ſtatui, ſed ob adjunctas ſpeciales circumſtantias, ſcandali nimirum, vel adorationis creaturæ; Grotius ergo Puffendorfio eſt contrarius.

Reſpondeo II. ex relatis authoritatibus id ſaltem evinci, quod poſſit dari peccatum in intellectu; ſi enim credere unum vel plures Deos eſſet res indifferens, cur tantas pœnas ſancivit Lex Divina in Judæos idololatras? an forte quia idololatria turbavit Rempublicam? ſed cur non potius, quia abducebat a cultu veri Numinis? nunquid Deus Religionem Judaicam inſtituit propter Rempublicam, & non magis Rempublicam Judæorum elegit, fovit, protexit, ut in ea verus ſui cultus conſervaretur? ex peſſimo ergo principio Thomaſius negavit hæreſim eſſe crimen.

Reſpondeo III. vanum eſſe effugium ad eludendas veteris Teſtamenti authoritates, recurrere ad hoc, quod Religio veteris Teſtamenti immixta fuerit ſtatui. Ego enim quantum capio, quantum ſapio, non video aliud diſcrimen, quantum ad præſens caput, niſi quod Deus in veteri Teſtamento non ſolum jura credendorum, verum etiam Politicum atque præſcripſerit, Chriſtus vero leges regundæ Reipublicæ ipſum colentis non tradiderit. Non aliter ergo immixta fuit Religio Judaica ſtatui, quam quod ea per idololatriam deſerta Reſpublica Judæorum aliam faciem ſortita fuiſſet, quæ mutatio non aliter exoſa fuit Deo, teſte ſana ratione divinisque eloquiis, quam quia a *vero ſui cultu* abducebat. Cum ergo hæreſis non minus, quam idololatria veram & ſinceram Religionem tollat, cum eam abſolute tollat, & Reipublicæ Chriſtiano-Catholicæ faciem immutet, quæ mutatio non aliter exoſa eſſe poteſt Deo, niſi quia a *vero ſui cultu* abducit; cur ad eam cohibendam, atque oves Chriſti a lupis præſervandas Eccleſia non poſſit adhibere remedia in veteri Teſtamento ex eodem fine adhibita; præſertim cum Chriſtus & Apoſtoli eorum adhibitionem nunquam interdixerint, uti ex dictis liquet, & ex dicendis patebit.

68. Id quod de aliis gentibus adducit Grotius, non ferit nos; confitentur enim omnes Catholici, neminem eſſe ad fidem cogendum niſi eum, qui ſemel ſuſcepta fide Catholica in fonte baptiſmatis, eidem contraria dogmata amplectitur, ac pertinaciter defendit, ut late dictum eſt in argumentis pro concluſione firmanda adductis. Talis enim committit crimen publicum, Læſæ Majeſtatis Divinæ, & proximo de ſe ſumme nocivum, in eumque juriſdictionem Eccleſia ob ſuſceptionem baptiſmatis nacta eſt. Quæ ultima conditio deficit apud extraneos, dicente Apoſtolo, *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, judicare*.

69. Ad tertium fundamentum patet ex dictis, & quidem quod primam ejus rationem attinet, ultro fatemur, Religionem Chriſtianam in genere non poſſe rationibus naturalibus perſuaderi, ſed hanc perſuaſionem pendere ex authoritate Evangelii &c. ac ſimul divinæ gratiæ auxiliis. Nec inſuper diffitemur, Chriſtum noluiſſe quempiam ſive ex Judæis, ſive ex Gentilibus ad fidem Evangelii cogi, & in hoc ſenſu etiam admittimus loca novi teſtamenti ab ipſo allata, circa authoritatem Patrum infra reſponſuri. Sed quod negamus, eſt, hanc Chriſti voluntatem recte ad ipſos hæreticos trahi poſſe; cujus contrarium probatum eſt, & infra declarabitur.

70. Ad IV. fundamentum concedimus, quod Anti-Chriſtiani oppugnantes homines Chriſtianiſmum ut a Grotio limitatum docentes aut profitentes contra ipſam rationem agant, atque in cauſa ſint, ut ipſi puniri poſſint, ut recte etiam ſentit S. Th. a Grotio laudatus; ſed dicimus rationem ab illo allatam, quod nimirum nihil ſit in diſciplina Chriſtiana, quod *humanæ ſocietati noceat, imo nihil quod non proſit*, in hoc eſſe captioſam, & periculoſam, quod a Grotio ejuſque ſequacibus videatur aſſignari tanquam *unica*, ob quam Religionarii puniri vel non puniri poſſint; ex ea enim inferunt, quod nullus hominum ob ſola dogmata poſſit puniri rationabiliter, niſi ex illis actiones naſcantur *humanæ ſocietati* obnoxiæ, unde iterum deducunt, ſectas in Chriſtianiſmo non poſſe jure puniri, qua *tales* ſunt, ſed ſolum ratione adjuncti, ſi nempe aliquid admixtum habeant, unde actiones contra legem naturæ, atque ſocietatis humanæ tranquillitatem fluant. Quod quam falſum ſit univerſaliter loquendo, ex rationibus pro Concluſione allatis in aprico eſt, & ex ipſius Grotii principio hoc lib. N. 50. allato patet; ibi enim agnoſcit juſte puniri vel ipſos Idololatras, qui in eos, quos Deos putant, irreverentes ac irreligioſi ſunt; cur ergo ab Eccleſia Catholica non poſſint puniri hæretici, qui in eum, quem Chriſtum credunt, irreligioſi ſunt, & irreverentes, aliter de ipſo ſentiendo ac ipſe revelavit, atque cultum eum proſequendo, quem ipſe odit: neque excuſat eos conſcientia, quia ſupponitur culpabilis, alias hæretici formales non eſſent ex dictis N. 56. In variis ergo ſtatibus conſiderari debent Anti-Chriſtiani Chriſtianiſmum irrationabiliter oppugnantes, vel enim tuentur ſo-

lem Religionem naturalem, & hi ex ratione a Grotio aſſignata irrationabiliter Chriſtianos perſequuntur, cum nihil contra legem naturæ doceant, vel agant; vel ſunt Idololatræ, & hi contra rationem impugnant Religionem, quæ eos ab errore cum ſana ratione pugnante eripere conatur; vel ſunt Judæi aut Machometani, & hi nonniſi craſſis præjudiciis agunt contra Religionem, evidentiam credibilitatis, his depoſitis, facile perſpicibilem habentem. Quæ & alia his ſimilia non occurrunt in caſu, dum Eccleſia vere Catholica & Apoſtolica hæreticos punit, eſto cæteroquin non doceant, aut agant aliquid ſocietati humanæ obnoxium; tales enim ſupponuntur in ejus fidem ſe obſtrinxiſſe, & conſequenter ejus Juriſdictioni ſe ſubjeciſſe, nihil enim decantatius eſt in Evangelio, ac toto novo Teſtamento, quam fidei Catholicæ & Apoſtolicæ ſartæ tectæ ſervandæ vigilantia Paſtoribus Eccleſiæ inculcata; tales præterea ſupponuntur fidem Catholicam privatis erroribus labefactare, quin evertere velle quantum in ipſis eſt, optant enim omnes ſecum ſentire, & hoc quidem culpabiliter, cum in materia revelata nullique demonſtrationi ſubjacenti a judicio Eccleſiæ vere Catholicæ & Apoſtolicæ recedant, & conſequenter etiam a veritate Chriſtiana, quæ apud ſolam Eccleſiam vere Catholicam & Apoſtolicam tantum reperitur per demonſtrata N. 58. Et hinc fit, quod eadem Eccleſia, dum una & altera admonitio non proficit, eos coercere pœnis temporalibus etiam gravioribus poſſit, non ut *nolenter* credant, ſed ſicut dicit S. Auguſtinus, ut hac amariori medicina ſanati ex *nolentibus volentes* fiant, neque animas incantas, Chriſti ſanguine redemptas, Eccleſiæ curæ ſub graviſſimis interminationibus a Chriſto concreditas in errorem, atque interitum perducant. Unde recte inquit S. Hieronymus relatus 24. q. 3. *Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ovis a caulis repellenda; ne tota domus, maſſa, corpus, & pecora, ardeat, corrumpatur, putreſcat, intereant. Arius in Alexandria una ſcintilla fuit; ſed quoniam non ſtatim oppreſſus eſt, totum orbem ejus flamma populata eſt.*

71. Et ex his patet reſponſio ad intentum principale Hugonis Grotii, *non licere Hæreticos ſupplicíis afficere*. Demonſtratum ſiquidem abunde eſt, cur Eccleſia vere Catholica & Apoſtolica his etiam durioribus mediis, in Principibus Catholicis nactis, uti poſſit ad efficaciter conſervandam fidem Catholicam. Nec hic defendenda ſuſcipio acta ſingulorum Epiſcoporum, aut Inquiſitorum, ſi qui acti ſunt zelo non ſecundum ſcientiam, hæc enim cauſæ noſtræ in genere veræ non officiunt. Huic vero non obſtat exemplum Judæorum, nam iidem Judæi, qui Saducæos corporaliter non puniebant, Paulum alioſque Chriſtianos, quorum fides pro *pura ſecta in Judaiſmo* habebatur, ut Acta Apoſtolorum, & communis conſenſus ſcriptorum teſtatur, ad mortem uſque perſequebantur, eſto injuſte; quo ergo ſpiritu perſequebatur Judaicum Synedrion Chriſtianos, eodem ſpiritu fortaſſis non tantum non puniebat Saducæos, ſed etiam in civilibus ac ſacris cum ipſis communicabat; ex quo proin ſequeretur ab Eccleſia ne quidem juſte excommunicari & vitari Hæreticos, cum tamen Apoſtolus ad Titum c. 3. præcipiat: *Hæreticum hominem poſt primam & ſecundam correptionem devita, ſciens, quia ſubverſus eſt hujuſmodi*. Ex quo recte inferunt Catholici & Proteſtantes, Hæreticos poſſe ex communitate ejici, ut vitari poſſint, quæ certe pœna eſt temporalis.

70. Ad authoritates novi Teſtamenti a Grotio fundamento 3. allatas reſpondeo: & primo ad illud ex ep. ad Rom. 8. v. 15. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore*; dico Apoſtolum ibi nihil aliud velle, quam homines in lege gratiæ diſtinguere ab hominibus ſub lege Moyſis, quod hi ex charitate Deum colere debeant, ſicut illum Judæi colebant ex motivo timoris. Non tamen voluit coercitionem Hæreticorum excludere in Eccleſia, ut patet ex dictis N. præcedenti. Ad illud vero ex cap. 6. Joannis v. 68. *Dixit ergo Jeſus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?* Item Lucæ 9. v. 54. & 55. ubi Jeſus Jacobi & Joanni ignem de cœlo ſuper inhoſpitales Samaritanos urgentibus reſpondit, *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis*; reſpondeo, & quidem ad primum, Chriſtum omnino in diſpenſatione miſſionis ſuæ nullum voluiſſe vi externa ad ſuam fidem perducere, vel in ea conſervare, tum quia hoc non fuit conveniens ipſi, qua fidei Auctori, tum quia nullam juriſdictionem temporalem exercere voluit; ex hoc tamen non licet inferre, quod Eccleſia noluerit concedere remedium externæ coercitionis in fidei ſuæ corruptores; alias cum Chriſtus etiam adulteram abſolverit, inferat Grotius, adulterio apud Chriſtianos non poſſe morte puniri, aut cum nullam juriſdictionem exercuerit, eandem juriſdictionem apud Chriſtianos eſſe rem illicitam. Unde ad authoritatem ex Luca dico, Chriſtum ibidem ſolum prohibere vindictam privatam ſeu punitionem ex vindicta ortam, Eccleſiæ vero mens non eſt, dum Hæreticos pœnis etiam corporalibus punit, exercere in eos vindictam, ſed eorum emendationem, & Catholicorum præſervationem pia hac ſævitia quærit. Id quod eodem agnovit S. Auguſtinus, dum ad Bonifacium ſcribens ait: *Quoniam multi per illas* (pœnas) *correcti ſunt, & quotidie corriguntur, & ſe eſſe corrector, atque ab illa furioſa pernicie liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, moleſtaſque ſibi fuiſſe ſaluberrimas leges, quantum in inſania deteſtabantur, tantum recepta ſanitate gratulantur, & in reſiduos, cum quibus fuerant perituri, jam ſimili dilectione nobiſcum, ut pariter inſtemus, excitantur.* Hac cenſura magnus Auguſtinus ſententiam recentiorum Proteſtantium afficit, qui & punitionem Hæreticorum ad mentem Eccleſiæ factam, *dilectionem* nominat, & vere dilectio nominanda eſt, tum ob fines mox relatos, ob quos eoſdem punit, tum ex modo, quem in eadem punitione adhibet, dum nonniſi refractarios poſt inſtantiam monitionis ab Apoſtolo præceptam plectit. Ad parabolam de zizaniis ex Matth. 13. v. 24. objectam reſpondet S. Th. 2. 2. q. 11. a. 3. ad 3. *Quod ſicut habetur in decreto 24. q. 3. aliud eſt excommunicatio, & aliud eradicatio; excommunicatur enim ad hoc aliquis, ut ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. ut ſpiritus ejus ſalvus fiat in die Domini: ſi tamen totaliter eradicentur per mortem Hæretici, non eſt etiam contra mandatum Domini; quod eſt in eo caſu intelligendum, quando non poſſunt exſtirpari zizania ſine exſtirpatione tritici.* Quod explicatius tradit q. 10. a. 8. ad 1. inquiens: *Dicendum, quod per illam authoritatem quidam intellexerunt eſſe prohibitam, non quidem excommunicationem Hæreticorum, ſed eorum occiſionem, ut patet per authoritatem Chryſoſtomi* (& ſubinde etiam Auguſtini). —— *Quod ergo Dominus dicit: Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem; qualiter intelligendum ſit, apparet ex hoc, quod ſubditur: Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum.* Ubi etiam in reſponſione ad 3. rationem reddit, quare infideles non poſſint cogi ad fidem Catholicam ab Eccleſia, bene vero Hæretici, inquiens: *Quod ſicut vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis; ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis: & ideo Hæretici ſunt compellendi ut fidem teneant. Dicit enim Auguſt. ad Bonifacium ep. 56. Ubi eſt,*

quod

quod iſti clamare conſueverunt, liberum eſſe credere, vel non credere: cui vim Chriſtus intulit? (eo querelas Adverſariorum) *Agnoſcant in Paulo prius cogentem Chriſtum, & poſtea docentem*. Cogentem inquam, ut ſupra dixit idem S. Doctor, non ut *nolens* credat, ſed ex nolente tandem *volens* fiat, agnita tandem veritate. Et per hoc patet ad authoritates quorundam Patrum a Grotio allatas, vel enim loquuntur de non cogendis infidelibus, vel ſi de Hæreticis idem ſentiant, cum reverantia defendi ſunt, atque ſententia S. Auguſtini (cum quo retractante ſentire malo, quam primam ſententiam edente) totiuſque Eccleſiæ Romano Catholicæ ſequenda.

73. Et ex hactenus reſponſis, rationibuſque Concluſionis omnia recentiorum Juriſconſultorum Proteſtantium dicteria in auras abeunt. Præterire tamen non poſſum inſignem calumniam, quam generalis Patrum calumniator Fleiſcherus, ut ſæpe jam notavimus, cap. 29. S. Auguſtino impingit, dum N. 13. ait: Ipſe S. Auguſtinus libro qq. Evangelii ſecundum Matth. c. 11. damnavit omnem coactionem in Religione, & perſecutionem hæreticorum; ut primum vero nactus eſt favorem Cæſaris, e veſtigio mutavit ſententiam, factuſque ſummus hæreticorum omnium perſecutor, —— ita ut jure dici poſſit Pater omnium hæretificum, aller Rebermacher. Hanccene cenſuram meretur ille contemptor ſui undique maximus Auguſtinus, qui adeo humilis fuit, ut non ſolum, quæ ſubinde minus recte ſcripſiſſe ſibi viſus eſt, duobus libris retractaverit, verum etiam ſcelera olim commiſſa, edito publicæ confeſſionis libro, toti orbi palam fecerit? Ex quo videat cordatus lector, quæ fides homini impudenti adbibenda ſit, dum §. 54. & ſeqq. mentitur, Romanos Pontifices punitionem hæreticorum manutenuiſſe & auxiſſe ſubſequis ſæculis, ut hoc ſpecioſo ſub titulo eos e medio tollere poſſent, qui ſe illorum uſurpatæ tyrannidi opponerent, horumque Fautores. Qui etiam §. 50. ut defendat hæreſim non eſſe crimen, in eam impietatem delabitur, ut aſſerat: *Aber ich halte davor, daſſ ein vernuͤnfftiger Menſch nicht begreiffen kan, wie es muͤglich iſt, daſſ der Allmaͤchtige Gott von dem Menſchen, als einer elenden Creatur koͤnne beleidiget werden:* hoc eſt, Ego vero credo, hominem ratione præditum non poſſe capere, quemadmodum poſſibile ſit, quod Omnipotens Deus ab homine, tanquam miſera creatura, offendi poſſit. Ecce ut tueatur hæreſim non eſſe crimen, Chriſtianam fidem abnegat Juriſconſultus iſte, Chriſtumque cum tota S. Scriptura mendacem facit, qua peccatoribus prædicitur judicium, & ignis æternus offenſas divinas ulturus.

T I T U L U S VIII.

De Schiſmaticis.

1. Quamvis Titulo præcedente famoſiora Schiſmata in Eccleſia Dei orta retulerimus, præſens Tit. tamen occaſionem tribuit agendi de Schiſmatibus exortis in Sede Apoſtolica per Antipapas, quorum notitia eo eſt Catholico utilior, quod illa comparata hæreticorum calumnias in Sedem hanc ipſis exoſiſſimam non ſemel retundere poterit; ex ipſa pariter Proteſtantes agnoſcere debent ſingularem Chriſti Providentiam circa ſuos Vicarios, quos non tantum inter tot hæreſum turbines, verum etiam in periculoſis ſchiſmatum procellis ad modernum feliciter regnantem Benedictum XIV. ininterrupto ordine conſervare dignatus eſt, ita ut Luthero peſſime vaticinanti,

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa:

non illepide ſuccenſeri poſſit,

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua? papæ!

2. Primum ſchiſma in Sede Romana A. 251. conflavit Novatianus Romanus Presbyter adverſus Cornelium Papam.

A Novato Carthaginenſi Sacerdote ad hanc temeritatem inductus fuit Novatianus. Artes, quibus Romanum Epiſcopatum invaſit, deſcribit Cornelius in ep. ad Fabium: in viliſſimam nimirum Italiæ partem miſit quoſdam deploratæ ſalutis homines, atque inde tres Epiſcopos rudes plane ac ſimplices Romam accivit, a quibus incluſis ac inebriatis Epiſcopatum manuum impoſitione ſibi tradi vi extorſit. Hoc obtento ad firmandum ſchiſma a ſuis partitariis in ipſa Euchariſtiæ participatione execrandum juramentum extorſit de non revertendo uſquam ad Cornelium. Multos etiam Martyres in ſuum ſchiſma traxit Novatianus, quos deceptos ad Cornelii obedientiam retraxit Epiſtola ſua Cyprianus. Ad quem ſicut & ad Dionyſium Alexandrinum legationes ſplendidas miſit Novatianus, quæ tamen ingloriæ remiſſæ ſunt, S. Cypriano Eccleſiæ unitatem & Cornelii legitimam electionem imprimis tuente ac in litteris ſuis ſingulos Epiſcopos hortante, *ut Eccleſiæ Catholicæ Radicem & Matricem agnoſcerent & tenerent*. Notent hoc teſtimonium Cypriani Domini Proteſtantes, ſicut & deceptorum a Novatiano Martyrum, qui in reverſione ad Cornelium confeſſi ſunt, ſe ſemper credidiſſe, *unum Deum eſſe, unum Chriſtum Dominum, unum Spiritum S. unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia* eſſe debere. Ut Antipapatum ſuſtineret Novatianus, paulo poſt ſchiſmati hæreſim conjunxit, de qua egimus Tit. 7. Num. 16. in qua & obiit ſchiſmate cum ipſo exſpirante, & Lucio aliiſque Cornelio legitime ſuccedentibus.

3. Secundum ſchiſma contra Damaſum Papam A. 366. conflavit Urſicinus Romanus Diaconus.

Hic contra Damaſum legitimis electum ſuffragiis ordinatus eſt Epiſcopus, & multos ex Clero, populoque Romano in partes pertraxit. Ex quo tam atrox orta ſeditio eſt, ut in Baſilica Sicinini uno die 137. cadavera reperta ſint; & cum legitimam Damaſi electionem convellere non poſſent Schiſmatici, ad calumnias converſi, Sanctiſſimum Virum adulterii accuſarunt. Urſicinum Prætextatus ſub Valentiniano Urbis Præfectus Roma expulit, Ammiano teſte, una cum Schiſmaticis; in Galliis exulare juſſus eſt Valentiniani edicto, quo etiam vivente quieverunt Schiſmatici, ſed vita functo, & Valentiniano juniore ac Gratiano imperantibus Urſicinus Romanam Sedem iterum invadere molitus eſt; ſed eum & Schiſmaticos ad orthodoxorum Epiſcoporum preces compeſcuit Gratianus Auguſtus, & edicto dato ad Aquilinum Vicarium Urbis Eccleſiæ paci conſuluit. De hoc Schiſmate legendi Ruffinus lib. 2. c. 10. Socrates lib. 4. c. 24. & Sozomenus lib. 6. c. 22. qui etiam cum S. Hieronymo ep. 50. ad Pammachium innocentiam Damaſi vindicant. Nulla vero fides adhibenda Marcellino Presbytero Romano, ut nec libello, quem poſtea cum Fauſtino Diacono Theodoſio Imperatori obtulit, utpote Schiſmatico. Cum Urſicino exſtinctum eſt Schiſma Siricio Damaſo ſuccedente.

4. Tertium Schiſma Romæ A. 418. contra Bonifacium I. excitavit Eulalius.

Bonifacius Presbyter canonice a majori Clericorum parte electus erat; Eulalio favit impenſe Symmachus Urbis Præfectus, Honoriumque falſis relationibus decepit, ſed ſupplici Romani Cleri libello de Bonifacii legitima electione certior factus Honorius, utramque partem Ravennam ad ſe vocavit, Synodum indixit Epiſcoporum, qui neutri ſuffragati fuiſſent, quæ de electione judicaret. Interim vero dum Synodus pararetur, Eulalio pariter ac Bonifacio prohibitum eſt, ne urbem ingrederentur, ad vitandos tumultus. Regiis mandatis non paruit Eulalius; urbem namque ingreſſus ſeditioni faces ſubminiſtravit. Quam ob cauſam Honorii edicto Symmacho U. P. ſuggerente pulſus Eulalius, & Bonifacius revocatus eſt, ipſique confirmata Sedes Pontificia. De quibus legantur Bonifacii & Symmachi reſcripta. Occaſione hujus ſchiſmatis prima ordinatio circa electionem Romani Pontificis emanavit; Honorius enim ad preces Bonifacii edixit: *Si duo per ambitum electi fuiſſent, nullum ex his fore Pontificem, ſed illum ſolum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum judicium & univerſitatis conſenſus elegiſſet.* Bonifacio in Sede Apoſtolica ſucceſſit Cœleſtinus I.

5. Quartum ſchiſma in Sede Apoſtolica contra Symmachum Papam A. 498. conflavit Laurentius.

Cauſa radicalis ejuſdem fuit Feſtus quidam Romanus Senator, qui cum Conſtantinopolim ob quædam Reipublicæ negotia a Theodorico Rege miſſus, clam Imperatori Anaſtaſio pollicitus eſſet, effecturum ſe, ut Henotico Zenonis Romanus Pontifex Anaſtaſius ſubſcriberet, & Romam redux defunctum reperiret Pontificem, curas impendit omnes, ut is eligeretur, a quo edictum illud ſubſcribendum ſperari poſſet. Multis igitur pecunia corruptis Symmacho, legitimis ſuffragiis electo, Laurentium oppoſuit Antipapam. Quo ex ſchiſmate cædes in urbe, graſſationeſque factæ, Senatu, ac civibus varia in ſtudia diſtractis; quæ perturbatio ſolidos tres annos duravit. Et primo quidem per Theodoricum Italiæ Regem fuit compoſita, qui Symmachum prius ordinatum & pluribus electum ſuffragiis comperiens, ſecundum ipſum ſententiam tulit; atque ita incendium ſopivit quidem, ſed non exſtinxit, elapſo enim anno ſchiſmaticorum factio Symmachum denuo vexare cœpit, affictis ipſi criminibus. Viſitatorem, qui de iis cognoſceret, a Theodorico Rege petierant, obtinuerantque Petrum Altinenſem Epiſcopum. Is Romam profectus nulla Symmachum reverentia proſecutus eſt, quod tamen Rex, eſto Arianus, imprimis præceperat; nullam Eccleſiaſticæ pacis curam geſſit, ſed a ſchiſmaticis in partes tractus turbavit omnia, ut teſtatur Ennodius Ticinenſis in Apologetico pro Symmacho. Tumultus ut ſedaret Theodoricus, aſſentiente Symmacho Synodum convocavit; quæ favente Rege decrevit, ut Symmachi cauſa divino judicio ſervaretur, & ab æmulorum ſuorum accuſationibus liber puruſque declaratus ſacra miniſteria obiret, omnibuſque Pontificatus Maximi juribus in Urbe & extra frueretur. Adverſus hanc Synodum, quæ palmaris dicitur, cum ſchiſmatici Romæ calumnias ſpargerent libello, quem inſcripſerant *adverſus Synodum abſolutionis incongruæ;* quinta Synodus ab eodem Romæ congregata eſt A. 503. in qua libello Apologetico contra præfatum ſcriptum edito ſynodica authoritas collata fuit, ſchiſmaticique damnati. Idem Pontifex jam A. 499. Synodum Romæ coegit, in qua Decretum eſt primo, *ut omnes, qui vivente adhuc Papa alicui alteri votum promiſerint, aut vota ex ſiniſtra intentione in electione Papali dederint, loci ſui dignitate & communione priventur.* 2. *Ut Romanus Pontifex eſſet, qui conſenſu totius Ordinis Eccleſiaſtici, vel ſaltem ſuffragiis plurimorum electus fuiſſet.* Symmacho ſucceſſit Hormiſdas.

6. Quinto ſchiſmate in Bonifacium invectus eſt An. 530. Dioſcorus Antipapa.

Quæ fuerit ſchiſmatis occaſio, incertum. Paucis diebus ſuperfuit Dioſcorus, cum quo ſchiſma feliciter extinctum.

7. Sextum ſchiſma Romæ obortum eſt inter Petrum & Theodorum A. 686. quorum alterum Clerus, alterum exercitus Juſtiniani tutabatur.

Brevi exſtinctum eſt hoc ſchiſma, nam Clerus Romanus communi conſilio in tertium conſpiravit, *Cononemque* elegit, quem veneranda canities, ſimplex animus, quieti mores, religioſa vita, ſacra eruditio, hinc præſtabant loco digniſſimum. Ejus electionem Senatus, Exercitus, Exarchus gratiſſimam habuerant.

8. Eodem Anno poſt Cononis mortem ſchiſma ſeptimum Romæ exarſit inter Theodorum Archipresbyterum, & Paſchalem Archidiaconum.

Originem habuit ex populi Romani factione, cujus una pars fovit Theodorum, altera Paſchalem. Schiſma naſcens ut ſopirent Clerici, Magiſtratus, & Exercitus Duces, ſummo conſenſu tertium elegerunt, *Sergium* ſcilicet natione Syrum, cui ſponte ceſſit Theodorus; at Paſchalis in ſchiſmate pertinax coactus ipſum ſalutavit, ſed ſuæ factionis hominibus Ravennam miſſis Exarchum Romam advocavit ſpe pecuniæ, qui ipſi Pontificium nomen ac dignitatem aſſereret. Exarchus, cum Sergium legitimis ſuffragiis, & communi conſenſu vidiſſet in Sede Sancti Petri collocatum, Paſchali ſuffragari non voluit, ſed a Sergio exegit 100. auri libras, quas ei Paſchalis promiſerat, ac tandem inique extorſit. Paſchalis non multo poſt magiæ convictus, Pontificis ſententia ab Archidiaconatus Officio dejectus eſt, & in monaſterium detruſus, ubi poſt quinquennium impœnitens obiit.

9. A. 757. Theophylactus per menſes aliquot adverſus Paulum primum rebellavit; poſt hujus vero mortem Conſtantinus frater Totonis unius e Magnatibus Romanis, & Philippus Monachus ſchiſma octavum & nonum in Eccleſia Romana excitarunt.

Et quidem mortuo Paulo I. Toto Dux Nepeſinus Conſtantinum Fratrem ſuum hominem laicum armata manu in Sedem Pontificiam intruſit, Georgio Epiſcopo Prænestino per vim coacto, ut illum ordinaret. Conciliabulo vicinorum Epiſcoporum congregato, electionem ſuam probari fecit Conſtantinus; poſt annum vero & menſem unum cum Chriſtophori Primicerii & Sergii ejus filii ſtudio ac induſtria proxime dejiciendus eſſet, Philippus Presbyter Waldiperti Presbyteri factione in Sedem Apoſtolicam irruptus eſt. Sed Pſeudo-Pontifice utroque dejecto, ſummo omnium Ordinum conſenſu *Stephanus* ejus nominis IV. natione Siculus Pontifex renunciatus & inauguratus eſt. In Cellas novas deportatur Conſtantinus, indeque paulo poſt a Tuſcis & Campanis militibus eductus, erutis oculis in platea jacens relictus eſt. Dehinc Stephanus Synodo coacta ex Italiæ & Galliæ Epiſcopis, Conſtantinum in eam adduci curavit, ubi de invaſione Sedis Apoſtolicæ interrogatus vim ſibi a populo Romano factam dixit, ac in terram proſtratus veniam a Patribus precatus eſt; ſed mutato conſilio, ſequenti die propugnare voluit ſuam ordinationem; tum illum colaphis cædi juſſum, extra Eccleſiam ejecerunt; & acta Conciliabuli, quod in ſuæ intruſionis confirmationem collegerat, igni tradidere.

10. A. 824. Zinzinus Schiſmate decimo Eugenium II. vexavit.

Orta

Orta eſt diſſenſio ex diſſentientibus ſuffragiis, ſed Eugenii legitima electio nobilium patrocinio & favore vim ſortita eſt.

11. Undecimum Schiſma in Sede Romana contra Benedictum III. A. 855. conflatum eſt ab Anaſtaſio Presbytero, olim Cardinali, a Romana Synodo ſub Leone IV. depoſito.

Electus fuerat ſummo cum conſenſu Benedictus III. flens & renitens. Cujus Legati cum decreto electionis a Clero, Senatu, populoque Romano ad Auguſtos Lotharium & Ludovicum miſſi, ab Arſenio Eugubino Epiſcopo tracti in partes, fidem fefellerunt, & a Benedicti deficientes obedientia præfatum Anaſtaſium in Sedem S. Petri per ſummum nefas intruſerunt. Factioni primo favebant Imperatorum Legati ad confirmandam electionem miſſi, ſed Cleri populique conſtantia in tuenda Benedicti electione, & cauſæ æquitate victi Antipapam ejecere, & tum ipſi, tum cæteri, qui ſchiſmatico adhæſerant, veniam erroris deprecati, pedes ipſius oſculati ſunt.

12. Schiſma duodecimum Romæ factum eſt in electione Formoſi Papæ A. 891. a Sergio Romanæ Eccleſiæ Diacono.

Hic tumultuariam reddidit Formoſi electionem a factione ſua creatus contra ipſum Antipapa; ſed Formoſi pars ſuperior evaſit, ac Sergium expulit, ut Luitprandus teſtatur.

13. Poſt obitum Formoſi A. 897. Schiſma iterum in Romana Sede ſuſcitatum fuit a Sergio homine nefario, & bis gradu dejecto a Diaconatu primum, dein a Presbyteratu.

Hic Sedem Apoſtolicam invaſit, tenuitque dies 25. Hujus Antipapæ memoriam damnavit Romana Synodus ſub Joanne IX. Illum vero Stephanus hujus appellationis VII. expulit intruſum pariter intruſus, ſed accedente Eccleſiæ conſenſu legitimus poſtea Pontifex.

14. Sub eodem Stephano A. 897. Bonifacius Schiſma 14. conflare conatus eſt.

Erat hic Bonifacius Sacerdotii gradu motus, voluitque in locum Formoſi irrepere, ſed nec a Clero ſuſceptus a Stephano die 15. pulſus eſt.

15. A. 964. a Leone VIII. Joannis XII. æmulo Schiſma 15. Romæ excitatum eſt, quod promovit Benedictus dictus V.

Ipſe Joannes XII. vix annos 18. natus Sedem Apoſtolicam invaſit, & primus inter Pontifices nomen mutavit, cum antea vocaretur *Octavianus*. Accedente Eccleſiæ conſenſu legitimus Pontifex fuit. Accuſatus deinde gravium criminum coram Synodo Romana, cui interfuit Otho Imperator, depoſitus eſt illegitime, & in ejus locum Leo Romanæ Eccleſiæ Protoſcriniarius adhuc Laicus, ut Sigebertus ſcribit, in Antipapam electus ac conſecratus eſt. At poſt duos menſes pulſus eſt Leo a Romanis, Conciliumque in ejus electione habitum, a Joanne Papa coacta Synodo damnatum. Quo mortuo eidem ſubſtitutus eſt Benedictus, cujus audita creatione Otho Imperator ſe abſque mora Romam contulit, ut ultionem de Romanis ſumeret, qui Sacramentum violaverant, quo ſe ipſi obſtrinxerat, nullum ſe abſque illius & filii ejus Othonis II. conſenſu Pontificem creaturos. Qui tandem ſuſcipientes Imperatorem, Benedictum Pontificem illi tradidere, & Leonem Antipapam in Sedem S. Petri rurſus intrudi paſſi ſunt. Hic habita Synodo, Benedictum in Ordinem Diaconorum, ex quo aſſumptus fuerat, redegit, & in exilium mandavit. An Benedictus V. fuerit Antipapa, dubito; ipſum talem cenſet Petavius in Rationario temporum, Pontificem ſimpliciter vocat Natalis Alexander. Videantur dicta lib. 1. tit. 6. §. 2. N. 47. Qui §. huic titulo illuſtrando deſervit.

16. Schiſma decimum ſextum in Romana Sede A. 997. conflavit Joannes Epiſcopus Placentinus contra Gregorium V.

Hunc Creſcentius Tyrannus, qui molem Hadriani, tunc quoque dictam arcem Creſcentii, ac demum caſtrum S. Angeli occupabat, Romaniſque æmula Othonum poteſtate dominabatur, creavit Antipapam. Pontificis vero injuriam ulturus Otho Romam cum exercitu properavit, expugnataque Arce Creſcentium ultimo ſupplicio affecit. Antipapam vero erutis oculis, auribuſque, ac naribus mulctatum aſello impoſitum, faciæ ad caudam animalis verſa, per urbem ad ludibrium circumduci juſſit. De quibus Glaber Radulphus lib. 1. hiſt. c. 4. & B. Petrus Damiani ep. 15. ad Cadaloum Antipapam.

17. Gregorius Cardinalis decimum ſeptimum Schiſma contra Benedictum VIII. A. 1012. conflavit.

Hic poſt ejuſdem Benedicti canonicam electionem in Sedem Romanam intruſus legitimum Pontificem expulit. Qui ad Henricum Germaniæ Regem confugit. Religioſiſſimus Princeps collecto exercitu Romam properavit, præmiſſo ante ſe cum numeroſo & honorifico comitatu Pontifice. Imminente Regis adventu territus Antipapa ex urbe aufugit, & Benedictus in Sedem receptus eſt. Legatur Glaber L. cit.

18. Decimum octavum ſchiſma, idque funeſtum Romæ contra Benedictum IX. excitarunt Sylveſter & Joannes A. 1044.

Fuerat A. 1033. patris tyrannide intruſus in Pontificatum Benedictus IX. Alberici Toſculani Comitis filius decem annorum adoleſcens, quem paſſa eſt Eccleſia gemens & oppreſſa, ut majus malum, hoc eſt, ſchiſma evitaret. Annos 10. & amplius ſederat, cum Romani vitam ejus diſſolutam averſati, Ptolomæi favore Conſulis ipſum ejecerunt, ac Joannem Sabinenſem Epiſcopum in Cathedram Apoſtolicam intruſere, qui malis artibus & pecunia ſibi aditum ad ſummam dignitatem aperuit, ac nomen Sylveſtri III. aſſumpſit. Antipapam poſt tres menſes Benedictus IX. Tuſculanorum Comitum auxilio depulit. Interim Pontificatus inſignia tertius quidam uſurpavit Joannes Archipresbyter Romanus, ut ſcribit Leo Oſtienſis lib. 2. *Chronici Caſſin.* c. 80. Schiſma ſedavit Gratianus religioſus Presbyter; ceſſionem tribus Pontificatum gerentibus pacta pecunia perſuadens, quem deinde Romanus Clerus tanquam Eccleſiæ liberatorem in Summum Pontificem elegit, nomen Gregorii VI. aſſumentem; qui tamen Pontificiam dignitatem poſt duos annos, ac menſes octo pluribus contra ejus electionem velut ſimoniacam muſſitantibus, in Synodo Sutrii celebrata volens lubens depoſuit; cui ſucceſſit Clemens II. poſt cujus obitum Romanam Sedem rurſus invaſit Benedictus IX. jam dudum exauctoratus, eamque octo menſes occupavit, donec menſe Julio Anno 1048. pax Eccleſiæ reddita eſt electione Damaſi II.

19. Schiſmatis 19. contra Nicolaum II. Anno 1059. Author fuit Joannes Mincius Velitrenſis Epiſcopus, qui nomen Benedicti X. aſſumpſit.

Illum defuncto S. Stephano IX. Gregorius Laterenenſis & Tuſculanenſis, nec non Gerardus Galeſenſis cum aliquot Potentum Romanorum factione vi & armis in Sedem Apoſtolicam intruſerunt; Petro Damiani cum cæteris Cardinalibus fruſtra reclamante, & Antipapam diris devovente. Cardinales fugere coacti; miſſa eſt ab iis ad Agnetem Imperatricem legatio, ejuſque aſſenſu Gerardus Florentinus Epiſcopus Senis Pontifex electus eſt; qui ab Hildebrando Cardinali, qui poſtea factus eſt Pontifex ſub nomine Gregorii VII., & Godefrido Florentiæ Duce Romam ductus, a Clero Populoque Romano in Se-

de

de Apoſtolica conſtitutus eſt, aſſumpto nomine Nicolai II. moxque Mincium Antipapam anathemate confixit. Quem tamen haud multo poſt communioni reſtituit, Sacerdotali gradu dejectum. Porro Nicolaus eodem Anno Romæ Concilium coegit Epiſcoporum 113. ubi ad præcavenda imposterum ſchiſmata, quæ ſimoniaca labes non ſemel cauſaverat, Decretum eſt editum, in quo poteſtas Laicorum circa electionem Papæ jure imminuta eſt, utpote quorum avaritia & factionibus turbationes præcedentes plerumque in domo Dei factæ erant; Juſque eligendi præcipuum ad Cardinales Epiſcopos tanquam pro hoc actu quaſi Metropolitanos translatum eſt; aſſumendi tamen ad hoc negotium erant Religioſi Clerici, at etiam reſpective Laici, ſed non neceſſario omnes, verum in caſu factionum, etiam pauci, *ſalvo tamen honore debito & reverentia dilecti Filii noſtri Henrici VII. qui in præſentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & Succeſſoribus illius, qui ab hac Apoſtolica Sede Perſonaliter hoc Jus impetraverint*; verba ſunt Decreti apud Gratianum diſt. 23. c. 1. Pro quorum intellectu notanda ſunt ea, quæ tit. 6. lib. 1. N. 47. & ſeqq. de Jure Romanorum Imperatorum in confirmationem electionis Papalis habito diximus; quod Jus cum perſonale fuerit, & a Sede Apoſtolica deſcendens, ut innuunt verba Decreti Nicolai II. mox relata, jure iterum auferri potuit, ut late probavimus cit. Tit. in diſſert. de *Inveſtituris*. De hoc ſchiſmate legendi ſunt S. Petrus Damiani, & Leo Oſtienſis &c. Notandum vero occaſione hujus ſchiſmatis jactum eſſe primum fundamentum, & factum veluti primum paſſum, quo Eminentiſſimum Cardinalium Collegium ad Jus eligendi Summum Pontificem *privative* ad Clerum & Populum ſucceſſive pervenit cum magno Eccleſiæ bono, utpote quæ hujus Sacri Collegii œconomia variis Summorum Pontificum Decretis ad perfectionem perducta, jam ab An. 1440. nullum ſchiſma in Sede Apoſtolica experta eſt.

20. Periculoſum Schiſma, idque ordine 20. poſt mortem Nicolai ortum eſt in Eccleſia Romana A. 1061. ac toto quinquennio duravit, Cadaloo Alexandri II. electionem impugnante, & nomen Honorii II. aſſumente.

Ora ſchiſmati excoquendo poſuit Procerum Romanorum quorundam factio, Galeriani præcipue Comitis, & Longobardorum quorundam Epiſcoporum, Simoniæ & incontinentiæ vitiis infamium, favente Guiberto Corrigia Parmenſi, Aulæ Cæſareæ Cancellario. Hi ut ſchiſma conflare, ac nervoſius ſuſtinere valerent, accitis quibuſdam Germaniæ Epiſcopis, habito Baſileæ conciliabulo Nicolai II. acta, quibus electio Romani Pontificis Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Epiſcopis præcipue, deinde reſpective Clero populoque Romano delata fuit privative ad quoſcunque alios, ſalvo nihilominus Romani Imperatoris privilegio, ut ſupra diximus, omnia reſcindere & abrogare præſumpſerunt. Cujus facinoris inſolentia Cardinales movit, ut Eccleſiæ cito proſpicerent. Miſſa ergo ad Henricum IV. tum adhuc puerum ac ſub Agnetis matris tutela conſtitutum legatione, ſed Aulicorum corruptorum fraudibus exinanita, advertentes ſummum Eccleſiæ periculum, electionem maturarunt; elegerunt autem Anſelmum de Badagio tunc Lucenſem Epiſcopum, omnibus dotibus ad tantam dignitatem præditum, ac ipſo Henrico familiarem & gratiſſimum, qui hoc A. inauguratus & Alexander II. appellatus fuit. Electionis Pontificiæ nuntio ad Aulam Regiam perlato, Guibertus Cancellarius, aliique adulatores in Regis contemptum ac injuriam factam electionem conclamarunt, & Cadaloum Palavicinum Parmenſem Epiſcopum ab Epiſcopis Vercellenſi, & Placentino, hominibus nequiſſimis eligi curarunt Antipapam. Qui Pontificatus inſignia mox uſurpavit, ſibique Honorii II. nomen aſſumpſit. Pecunia & armis Romanos ſibi ſubjicere conatus eſt, urbem non ſemel aggreſſus, magnaque edita ſtrage. Prævaluere tandem Alexandrini, & repulſus eſt Pſeudo-Pontifex, Gotofredo Tuſcorum Duce ſuppetias ferente. Qui denique in Papienſi, Florentino, Osborienſi, & Mantuano Conciliis damnatus eſt. In Osborienſi Concilio Imperatrix Agnes, quæ Guiberti aliorumque artibus fortaſſe deluſa impenſe favit Antipapæ, authoritate Annonis Colonienſis Archiepiſcopi a tutela Henrici abſtracta eſt, qui & paulo poſt habitis Comitiis Regni adminiſtrationem ſuſcepit, deferentibus Ordinibus, Guiberto Cancellario privatam ad ſortem redacto. Cadaloi Aſſeclæ electionem vel potius inthronizationem Alexandri impugnarunt ex eo, quod facta fuerit inſcio, & inſalutato Rege. Quorum calumniam ut repelleret S. Petrus Damiani, ſcripta ad Cadaloum epiſtola ordinem hoc tempore in electione Romanorum Pontificum ſervandum recenſet inquiens: *Cum electio illa per Epiſcoporum Cardinalium fieri debeat principale judicium, ſecundo loco jure præbeat Clerus aſſenſum, tertio popularis favor attollat applauſum: ſicque ſuſpendenda eſt cauſa uſque dum Regiæ Celſitudinis conſulatur auctoritas*. Deinde opuſculo 4. quod continet diſceptationem in Synodo Osborienſi inter advocatum Regium, & Romanæ Eccleſiæ defenſorem, ait: Cardinales Privilegium ſuum Regi defendere, quin optare, ut conſervetur; ſed hac vice aſſenſum ejus in electionem non petiiſſe, tum quia noverint, Regem eſſe egregiæ indolis, attamen puerum eſſe, qui privilegio iſti *Perſonali*, concurrendi nimirum decretorie ad electionem Eccleſiæ Paſtoris, uti needum poſſit, cujus officium pro hoc actu ſupplevit Eccleſia ejuſdem tutrix ſpiritualis. Addit Romæ tum eas, vigentibus factionibus periculoſis, fuiſſe circumſtantias, quæ impediverint, *ut de tam longinquis terrarum ſpatiis nequaquam Regiæ Clementiæ præſtolari poſſemus adventum*. Verba ſunt Sanctiſſimi Cardinalis; ex quibus liquido cognoſcere poſſunt Proteſtantes de cauſa Alexandri II. & Cadaloi Antipapæ, utra eorum juſta fuerit. Numque Jus Regium in electione & inthronizatione Alexandri II. violatum fuerit? Ab hoc tamen æmulationis fomite inter Sedem Romanam & Aulam perverſiſſimam Henrici IV. excitatum eſt triſte incendium, quod ipſo adulto Eccleſiam Dei ſub Gregorio VII. Alexandri Succeſſore depavit, non obſtante quod ejuſdem electio ab Imperatore fuit confirmata, de quo lege quæſtionem dogmaticam de *Inveſtituris* lib. 1. Tit. 8. N. 54.

21. Vigeſimum primum ſchiſma contra Gregorium VII. excitavit Guibertus, quondam Ravennæ Archiepiſcopus.

Initium ſchiſmatis injuſtiſſimi ponit Petavius in Rationario temporum ad A. 1075. Sed depoſitionem iniquiſſimam Gregorii VII. intruſionemque Guiberti in Sedem Apoſtolicam factam eſſe in Conciliabulo Brixienſi A. 1080. cum Urſpergenſi teſtantur authores reliqui. Ad hoc nefandiſſimum exequendum perductus fuit Henricus IV. poſt excommunicationem ac exauctorationem ſui factam a Gregorio VII. in Concilio VII. a ſe Romæ celebrato Anno eodem 1080. teſte Natal. Alexand. diſſertat. 2. in Sæcul. XII. art. 8. Qui nit. 12. ſcribit: *Tantum abeſt, ut Gregorii VII. ſententia impium Regem ad pœnitentiam adduxerit, ut potius hoc* (id eſt anathematis & exauctorationis) *fulmine percuſſus in ſchiſma præcipitaverit, omnibuſque ſtudiis vicem Pontifici*

red-

reddere ſit canatus. Prævie vero ad ipſam ſuam axauctorationem, Pontificis reciprocam exauctorationem molitum fuiſſe, patet primo ex conciliabulo, quod ante A. 1080. Uitrajecti congregavit, in quo, teſte Hugone Flaviniacenſi in Chronico Vardunenſi, per ſummum ſcelus excommunicationi adjudicatus aſt Gregorius, quin inter Miſſarum ſolemnia axcommunicatus. Item ex altero, ſciiicat Moguntino, quod Sigebertus ad A. 1079. commemorat his verbis: *Henricus Imperatas in Pentecoſte Conventu babito Moguntiæ decsevit Hildebrandum a Papatu eſſe deponendum: & Langobardiam petens, Guibertum Ravennæ Epiſcopum pra Hildebrando deſignat.* Quod Conciłium ad commodiorem locum poſt ſui axauctorationem Brixiam Noricam tranſtuiit Henricus, in quo pluribus in Gregorium VII. atrociſſimis calumniis confictis, ſchiſmaticus Princeps cum Epiſcopis conjuratis ejus obedientiam ejuravit, & Guibertum Ravennatum Epiſcopum Romanum Pontificem coronati juſſit. A. 1080. a die 20. Junii ad diem uſque 6. Julii duravit ſchiſmaticus Conventus. Triginta Epiſcopi adfuere teſte Mariano Scoto, cum Moguntiæ ſolum 19. adfuerint; atque præfuit exauctoratus Cardinalis Hugo Candidus, teſte S. Anſelmi Lucenſis Pœnitentiario in ejus actis. Clemantis III. nomen aſſumpſit Guibertus. Cujus ſchiſma eo damnabilius fuit, quod non incœperit Sede vacante, vel alectione in diverſa ſtudia diſtracta, ſed Pontifice legitime electo, & per Imperatorem ipſum ſchiſmatis authorem confirmato, unde S. Anſelmus Lucenſis ad Guibertum ſcribens ipſum merito cum ſchiſmatum Romanæ Sedis Protoparente Novatiano comparat dicens: *Noli itaque dicere, quia univerſalis Eccleſiæ curam ſuſcepimus; quomodo enim tibi commiſſa eſt Eccleſia, quem conſtat non intraſſe per oſtium, quod Chriſtus eſt, ſed aliunde aſcendiſſe ut furem? Apoſtolica enim & Univerſalis Eccleſia ſuum babebat Paſtorem. Ut enim de B. Gregorio Patre noſtro dicam, quæ de Cornelio ſcripſit Cyprianus: factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium (& ut verius dicam) omnium omnino teſtimonio; —— qua occupata, & de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſu ordinata, quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foras fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem, qui Eccleſiæ non tenet unitatem. Quiſquis ille fuerit, licet multum de ſe jactans, & ſibi plurimum vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt: & cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſis, quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debet, factus eſt, non ſecundus ille, ſed nullus eſt.* Hæc, quæ lib. 1. S. Anſelmi contra Guibertum leguntur, refert Urſpergenſis Abbas ſchiſmaticus in chronico, ſubditque (ad tam illuſtris teſtimonii vim ac pondus demonſtrandum), *Hac priori ſententiæ* (Henricianorum ſcilicet) *valde contraria ſcripſit Anſelmus Epiſcopus, vir literis apprime eruditus, ingenio acutiſſimus, facundia præcipuus, & quod omnibus majus eſt, in Dei timore, & S. Converſatione Sanctiſſimus.* Quod teſtimonium ex S. Cypriano Sæculi III. Patre ac Martyre deſumptum in confirmationem quæſtionis dogmaticæ de inveſtituris Titulo 6. libri 1. adornatæ hic attulimus, ut Domini Proteſtantes videant, quales ſenſus primitiva Eccleſia circa Romanam Sedem, & circa jus electionum Eccleſiaſticarum habuerit, quæ quæſtio plenius intelligendo præſenti ſchiſmati deſerviet. Cæterum Guibertus Antipapa, cum res Henrici IV. poſt devictum eodem A. 1080. Rodulphum (ad quem Saxones defecerant, cuique Jura Regni Germanici collata fuerant) ſuperiores evaſiſſent, cum eodem A. 1083. Romam propetavit, ibique ab Epiſcopis Mutinenſi & Ariminenſi circa feſtum Pentecoſtes opera ejuſdem Henrici coronatus eſt. Quin poſt mortem Gregorii VII. ejus ſucceſſorem Victorem III. vexavit Guibertus, quem idem Pontifex A. 1087. cum Apuliæ & Calabriæ Epiſcopis Synodum celebrans, omni Sacerdotali Officio & honore privatum, & ab Eccleſiæ communione ſegregatum pronuntiavit. Victoris Succeſſor Urbanus II. A. 1088. anathematis ſententiam in Guibertum Antipapam & Henricum ſchiſmaticum a Deceſſoribus ſuis latam confirmavit, & promulgavit, ſimul & ordinationes ſchiſmaticorum reprobandas edixit. Nihilominus præter plurimos Germanos, Rex etiam Angliæ Wilhelmus Guiberto adhærebat, cui mira conſtantia reſtitit S. Anſelmus Cantuarienſis Epiſcopus. Mortuus eſt tandem cum ſæculo infelix Antipapa, ac Patrimonii B. Petri depopulator Guibertus, ſed cum eo ſchiſma extinctum non eſt. Henricus enim in locum Guiberti ſucceſſive inſtituit aut potius tantum incitavit Albertum, Theodoricum, & Magninulphum, quos debilis authoritatis, & obſcuri nominis fuiſſe ex eo colligo, quod ſcriptor recens & elegans vitarum Romanorum Pontificum Antonius Sandini in nota ad Paſchalis vitam ſcripſerit, ultimum aſſumpſiſſe nomen Sylveſtri IV. quod vero alii duo nomen aſſumpſerint, ſe non invenire. Et Natalis Alexander ſatis innuit omnes hos tres uno anno, videlicet A. 1100., quo obiit Guibertus, eſſe oppreſſos, dum ait: *Fauſtum Eccleſiæ Annum* 1100. *Guiberti Antipapæ obitus, & trium, qui ipſi in ſchiſmate ſucceſſere, exitus infelix, atque Godefridi Bullionii in Regem Hieroſolymorum inauguratio fecit.* Sic denique Deus Sedem Apoſtolicam adhærentemque ei Eccleſiam premi, non opprimi, procellarum fluctibus agitari, nunquam ſubmergi permittit. Id quod vel maxime apparuit in præſenti ſchiſmate, in quo potentiſſimus Imperator Roma occupata Romanum Pontificem in Arce S. Angeli opprimere, & tota ejus adhærentia Guibertum ejuſque Succeſſores in Antipapam manutenere nequivit, ſed cedere debuit una cum ſimoniæ, incontinentiæque illuvie, quæ pene totum Occidentis Clerum inundaverat, illi Petræ, de qua Chriſtus dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

22. Schiſma 22. vel potius 23. ſi Alberti & ſociorum ejus ſchiſma cum Guibertino connumeremus, contra Gelaſium II. Paſchalis ſucceſſorem excitavit Burdinus Gregorii VII. nomen aſſumens A. 1118.

Schiſmatis incentor & promotor fuit Henricus V. qui poſtquam Paſchalem ſecundum pro legitimo Pontifice agnoviſſet, poſtquam A. 1110. inveſtituris ſolemni tractatu renuntiaſſet, atque etiam juraſſet ſe nullas inſidias ſtructurum Pontifici, aut ejus obſidibus & fidelibus; Anno deinde 1111. poſt oſtenſa fictæ amicitiæ ſigna, quemadmodum ſui Epiſcopi in retinendis Regalibus, quæ Pontifex Henrico ſe reſtituturum promiſerat, ita ille in prætendendis inveſtituris noviter animum obfirmavit; nec ſatis, nihil mali ſuſpicantem Pontificem comprehendi & carceri mancipari juſſit, tantaque cæde in Romanos graſſatus eſt, ut Paſchalis ſuis malis immobilis, horum calamitate demum fractus, Decreta circa inveſtituras facta reſciderit. Nec adhuc ſatis, Gelaſium II. Paſchalis ſucceſſorem idem Imperator dire vexavit, atque præſens ſchiſma conflavit, Mauritium Burdinum patria Lemovicenſem, Archiepiſcopum Braccarenſem excommunicatum Antipapam creando. Ob cujus potentiam legitimus Pontifex Roma non abſque magnis periculis ac laboribus in Gallias recedere coactus eſt, quam Eccleſiam de Romanæ Eccleſiæ ſtatu commonuit, & contra Pſeudo-Pontificem excitavit. Celebrata dein Ca-

puæ

puæ Synodo Aotipapam & Imperatorem anathemate damnavit. Sed neque Gelaſii morte ſchiſma ceſſavit, electo ſiquidem unanimi Cardinalium conſenſo Calliſto II. e Regio ſanguine, & ipſius Henrici conſanguineo, & Imperator & Antipapa reſtiteruot; hic vero poſt ſui inaugurationem factam in Galliis, in Concilio Rhemenſi Henricum excommunicavit; tertio deinde Pontificatus Anno in Italiam veniens, Antipapam Burdinum juvantibus Normannis in civitate Sutrina obſedit, cœpit, ac in Cœnobii Cavenſis arce incluſit, qua expeditione feliciter terminata & controverſia de inveſtituris inter ipſum & Henricum A. 1121. in Concilio Lateranenſi I. ex animo compoſita, pax diu deſiderata Eccleſiæ rediit. De quibus præter collectiones Conciliorum videantur Authores coævi.

23. Abdicatis tandem prætenſionibus in Romanam Sedem ſub Henrico V. quarum occaſione 4. poſteriora ſchiſmata in Sede Petri nata ſunt, vigeſimum quartum ortum eſt occaſione electionis Theobaldi & Lamberti ſub nomine Cœleſtini II. & Honorii II. A. 1124.

Schiſma hoc occaſionatum eſt poſt mortem Calliſti II. Comitiis enim pro novo creando Pontifice congregatis, ac diviſis Cardinalium ſtudiis, duo electi fuerunt Pontifices. Pars Lambertum de Fagnano Oſtienſem Epiſcopum, pars Theobaldum titulo S. Anaſtaſiæ Presbyterum Cardinalem elegit; illumque Honorium II. hunc Cœleſtinum II. appellarunt. Sed ne diſſenſio iſta in ſchiſma erumperet, Dei providentia effecit: nam Theobaldus inſigni vir modeſtia dignitatem ſuſcipere noluit haud canonice delatam. Lambertus plura ſuffragia habens poſt dies 11. electionem ſuam pariter vitioſam eſſe intelligens, quod Frangipanum arte conciliata, non liberis ſuffragiis facta eſſet, inſignia depoſuit coram Cardinalibus, qui ejus humilitatem laudantes, ipſum ſummo conſenſu Pontificem venerati ſunt, ut Pandulphus Subdiaconus, & Wilhelmus Tyrius lib. 13. *de bello ſacro* referunt.

24. Schiſma 25. Romæ contra Innocentium II. Anno 1130. ſuſcitavit, ac pertinaciter ſovit Petrus Leonis Romani filius.

Electo ſiquidem in locum defuncti Honorii II. legitimis ſuffragiis Innocentio II. contra ipſum a factioſis intruſus eſt Antipapa Petrus Leonis Cardinalis, qui domus ſuæ præcipua authoritate, & muneribus Senatum populumque Romanum facile traxit in partes, & Anacleti II. nomen aſſumens legitimum Pontificem ut uſurpatorem eſt inſecutus. Qui in Galliam fugiens primum ibi, tum a Regibus Angliæ, Hiſpaniæ, Hieroſolymorum, & Lothario Imperatore ſuſceptus eſt, Rogerio Siciliæ, Wilhelmo Aquitaniæ Duce Anacleti partes tuentibus, quem tamen poſteriorem S. Bernardus miraculo a contumacia retraxit; qui etiam ad extinguendum ſchiſma præcipuam operam navavit. In Gallia a Ludovico Craſſo honorifice ſuſceptus Innocentius II. in Concilio Claromontano eodem Anno Antipapam anathemate confixit, quem ſequenti A. in Concilio Sandionyſiano & Leodienſi denuo damnavit. Illud denique in Synodo Piſana A. 1134. iteravit. Tandem Lotharii Imperatoris armis, & S. Bernardi adhortationibus ac miraculis fractæ Schiſmaticorum vires, Anacleto Antipapa inſuper mortuo, utpote qui poſt octo tyrannidis arreptæ annos impœnitens obiit A. 1138. Cum ſchiſma pene extinctum eſſet, ecce tibi Cardinales Schiſmatici, favente Rogerio Siciliæ Duce, Gregorium Cardinalem Presbyterum, Pontificiis ornatum inſignibus, & Victorem IV. appellatum, Innocentio II. opponunt, quod tamen non tam ex pertinacia ſchiſmatis fecere, quam ut aliqua temporis mora interpoſita pacem cum legitimo Pontifice commodius inirent. Hujus ſequeſter fuit S. Bernardus, qui Victorem Antipapam inſignibus exutum mox ad Innocentii pedes abjecit. Cardinales quoque ac Clerici Schiſmatici, nec non filii Leonis, Anacleti Antipapæ defuncti fratres, ipſi juraverunt obedientiam, ut Falco Beneventanus in chronico, & ipſe S. Bernardus epiſt. 320. teſtantur.

25. Schiſma 26. idque pertinax Anno 1159. contra Alexandrum III. conflavit Octavianus dictus Victor IV.

Occaſionem ſchiſmati dederunt ipſi Cardinales, poſt mortem Hadriani IV. pro electione novi Pontificis triginta numero in Baſilica Vaticanâ congregati; quorum pars potior ſteterat a partibus Guilielmi Siciliæ Regis, reliqua vero Imperatori Friderico Ænobarbo favebat. Quatuordecim ergo ex prioribus Rolandum Senenſem familia nobili Bandinella ortum, prius Canonicum Lateranenſem, poſtea Cardinalem prius elegerunt Friderico inviſum; novem deinde ex poſterioribus Octavianum Fridericianarum partium in Sacro Collegio Anteſignanum Pontificem deſignarunt. Rolandus Alexander III. Octavianus Victor IV. appellatus eſt. Quinque Cardinales reliqui hæſitantes primum, mox ad majorem partem ſe adjunxere, & ſuffragiorum numerum ad 19. auxere. Tum quinque ex iis, qui Victori fuerant ſuffragati, ad Alexandrum etiam acceſſere; atque ita 23. Cardinales ſuffragatores habuit Alexander, quinque tantum Octavianus. Qui tamen ſuperbia & audacia incredibili Pontificiis veſtimentis, quæ Alexandro in ipſa inaugurationis ſolemnitate e manibus per vim eripuerat, ornatus, faventibus Senatoribus & nobilibus Romanis Friderico Imp. addictis, Sedem Apoſtolicam invaſit. Alexander vim metuens cum ſuis Cardinalibus in molem Hadriani ſeceſſit, in qua ab adverſa factione concluſi diebus 9. detenti ſunt. Tandem populus veritate & æquitate electionis cognita, Pontificem & Cardinales in libertatem aſſeruit. Qui Nympham cum ſuis ſe conferens, ibi Dominica poſt feſtum S. Matthæi ab Oſtienſi Epiſcopo conſecratus eſt, ubi Octavianum ejuſque conſecratores anathemate confixit. Legationes & litteræ ab utraque parte miſſæ ad Principes. Fridericus Imperator Curiam in ſpeciem Conſilii Papiam convocavit, cui ſiſtere ſe cum renuiſſet Alexander III. quinquaginta Epiſcoporum, quos Imperatoris favor impellebat, ſententia damnatus eſt; & Octavianus legitimus Pontifex ſub Victoris IV. nomine declaratus; qui tamen a reliquo pene orbe Chriſtiano, etiam Græco tanquam Antipapa rejectus; atque ab Alexandro, qui conſtituto Vicario Romæ Julio Cardinali in Galliam ſe receperat, iteratis vicibus anathemate cum ſuis Sectatoribus percuſſus eſt. Obiit Octavianus Pſeudo-Pontifex An. 1164. ipſique ſubſtitutus eſt a ſchiſmatica factione duorum ipſius Cardinalium ſuperſtitum alter Guido Cremenſis ſub nomine Paſchalis III. quem Fridericus in Conciliabulo Herbipolenſi A. 1166. coacto confirmavit, qui propterea ab Alexandro III. A. 1168. habita Romæ Synodo ab Eccleſiæ communione ſolemniter amotus eſt, quin Imperio privare Fridericum aggreſſus eſt Alexander A. 1170. Mortuo Paſchali Pontifice, Fridericus Imp. cæterique Schiſmatici tertium Antipapam Alexandro oppoſuerunt, Joannem Abbatem Strumenſem. Tandem Fridericus ad frugem rediens, pacem ſinceram cum Alexandro iniit, Joanneſque Antipapa, Caliſtus III. nuncupatus, ſchiſma ejuravit A. 1178. quo extincto Alexander A. 1179. Concilium Generale indixit prohibendo impoſterum ſchiſmati, damnandis hæreſibus, & reſtaurandæ diſciplinæ, quod

quod Romæ in Baſilica Lateranenſi celebratum, ac Lateranenſe III. Oecumenicum XI. exiſtit. In quo, quantum ad primum caput, canone primo celebre decretum editum eſt, vitandis impoſterum ſchiſmatibus opportunum, in quo diſpoſitio Nicolai II. ſupra relata ſublata eſt, ac conſtitutum, ut nulla Romani Pontificis electio cenferetur, in quam *duæ partes* Cardinalium non conſpiraſſent; quam ſingularem diſpoſitionem circa Sedem Summam noluit Concilium ad inferiorum Prælatorum electiones extendere, ſed ibi Majoritatem Suffragiorum in antiquo valore permiſit per dictum canonem; quo etiam factum eſt, ut per duo fere ſæcula nullum ſchiſma Eccleſiam vexaverit. Notandum præterea, hac diſpoſitione authoritatem eligendi Romanum Pontificem Cardinalibus reſpective a Nicolao II. auctam, ex æquo privative ad omnes extraneos fuiſſe collatam, ut lib. 5. Tit. 6. N. 53. advertimus; quæ tamen in poſterioribus his electionibus poſt Urbanum II. ad ipſos in communi fere jam tranſierat, ut patet ex relatis electionibus.

26. Vigeſimum ſeptimum ſchiſma in Sede Romana ortum eſt Anno 1328. per Petrum Corbaro e S. Franciſci Familia, Nicolai V. nomen gerentem, adverſus Joannem XXII.

Simile eſt hoc ſchiſma ſchiſmati Novatiani & Guiberti, eo quod excitatum ſit legitimo Pontifice Thronum Apoſtolicum per legitimam electionem quiete jam poſſidente. Ad allud tandem deventum eſt per æmulationes inter Ludovicum Bavarum electum Regem Romanorum, ac Joannem Romanum Pontificem; unde etiam cruentæ factiones in Italia Gibellinos inter & Guelfos ortæ ſunt, quorum primi partes Cæſaris, alteri Pontificis tuebantur. Ludovicus enim cum ſua factione ſubinde prævalens A. 1328. cum 4000. equitum Romam ingreſſus, ut mortali quodammodo ictu peteret Pontificem in Galliis degentem, die 12. Maji Schiſmaticis & Apoſtatis Minoritis cum Abbate Fuldenſi Nicolao Fabrianenſi, aliiſque ſimilis farinæ viris cum promiſcua plebe congregatis, Petrum Raynalducii de Corbaria Ord. FF. Minorum Profeſſorem, inſignem Hypocritam, & muliercularium, Antipapam creavit, & Nicolaum V. appellavit, ab eoque iterum coronatus eſt, cum ipſi prius purpureum pileum impoſuiſſet. Scenicum hunc Pontificem, Cardinales creantem, Joannem XXII. verum ac legitimum Chriſti Vicarium, Catholicoſque omnes diris devoventem, Legatos inſuper in Orientem mittentem, Joannes XXII. anathemate cum omnibus ſuis ſchiſmaticis fautoribus confixit. Nec diuturna fuit umbratilis ejus gloria; nam rebus Ludovici in Italia profligatis, eoque in Germaniam reverſo, Corbarius Bonifacio Comiti ſe credidit, quo ſequeſtre veniam a Summo Pontifice obtinuit, inſignia depoſuit, ſchiſma & errores ejuravit Piſis primum, poſtea Avenione, ubi ſe laqueo collo injecto ad pedes Joannis XXII. abjecit. A quo & obtinuit, ut nulli, niſi Summo Pontifici eſſet ſubjectus, qui Pontifex eidem & tria millia aureorum ad vitam ſuſtentandam annue placitavit; eundem nihilominus ſub honeſta cuſtodia in Palatio retinuit, ut probaretur, an ambularet in tenebris vel in luce? ubi poſt triennium mortuus eſt. Videatur S. Antoninus 3. p. chronici, Alvarus Pelagius lib. 1. *de planctu Eccleſiæ*, Wadingus, & alii.

27. Omnium teterrimum ac diuturniſſimum ſchiſma fuit A. 1378. Ortum eſt in electione Urbani VI. cui in oppoſitum ſtetit Robertus Gebbenenſis Clemens VII. dictus.

Occaſionem funeſto ſchiſmati dedit populus Romanus, qui Gregorio natione Gallo defuncto, quem duo ex eadem natione jam præceſſerant, precibus primum ſuaſionibuſque importunis, clamoribus deinde & minis Papam petiit natione Romanum, aut certe Italum eligi, irruptione etiam iterata in conclave facta, adeo ut a tumultuante & furente populo nihil non metuendum eſſet Cardinalibus, niſi ejus voto morem gererent. In his circumſtantiis, quæ electionem tam parum liberam, adeoque facile oppugnabilem ut minus canonicam reddiderunt, pluribus ſuffragiis tandem electus eſt Bartholomæus Prignanus, patria Neapolitanus, Barenſis Archiepiſcopus; ubi Clero populoque electionem gratam habentibus, & Cardinalibus extra vim metumque poſitis a ſex adhuc aliis electus, ſolitiſque cæremoniis inthronizatus, aſſumpto nomine Urbani VI. periculum videbatur finitum; ſed cum Urbanus zelo rigoreque intempeſtivo inhumanius eos tractaret, ipſos ad ſchiſma præcipitare viſus eſt. Quare Anagniam ſeceſſere Cardinales XIII. natione Galli, uno dempto Petro de Luna Aragonio, ubi proteſtatione facta coram Petro de Croſo Archiepiſcopo Arelatenſi, monitoque primum per Oratores Urbano, ut dignitatem deponeret, quam legitima electione non eſſet conſecutus, diem ipſi dixerunt, ut jus ſuum tueretur, ac proceſſus contra eum habitos audiret, quibus juris formulis præmiſſis ſententiam in eum tulere, ac literas ad univerſos fideles ſcripſere, Bartholomæum Barenſem intruſum & Apoſtaticum Papam declarantes. Quibus peractis, Fundos in Regno Neapolitano ſe contulerunt, & tractis in partes ſuas tribus Cardinalibus Italis, ſolo Cardinali S. Petri cum Urbano remanente, Robertum Gebbenenſem Tituli SS. 12. Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem annos duntaxat 36. natum Pontificem elegerunt 21. Sept. ejuſdem A. 1378. Qui Clemens VII. appellatus eſt. Quod ſchiſma ipſo modo ſuæ originis præſagiebat eam, quam poſtea nactum eſt, pertinaciam ac diuturnitatem. Stabant enim ex una & altera parte rationes, nonniſi ex intimis conſcientiarum plicis eruendæ; & quidem pro Urbani legitima electione in foro externo efficaciter militabat, quod eſto ejus prior electio fuerit conjuncta cum vi & metu adeoque minus canonica, nihilominus ſecunda fuerit facta, & quidem unanimiter, a Cardinalibus extra metum omnino poſitis; at Gallici Cardinales inter alia coram Archiepiſcopo Croſo 2. Auguſti ejuſdem anni jurejurando teſtati ſunt, ſe nunquam in tuto poſitos fuiſſe, niſi votum ſuum in Urbanum dirigendo; quæ etiam iterata Conclavia perfractione perculſi ſimulato animo eidem dediſſent; atque eodem animo in ejus coronatione comparuiſſe, eique homagium præſtitiſſe, uti teſtantur eorum literæ encyclicæ. Exiſtente caſu tam intricato, Joanna Siciliæ Regina, & Otho Vir ejus in protectionem ſuſceperunt Antipapam, offenſi ab Urbano VI. Horum exemplum ſecutus eſt Rex Chriſtianiſſimus Carolus V. & ejus filius Carolus VI. inducti a Cardinalibus Gallis, Joannes Caſtellæ, & Petrus Aragoniæ Reges. E contra Wenceslaus Rex Romanorum, Italia & Germania pene tota, Anglia, Hungaria, Luſitania, ac ceteræ fere nationes & gentes in fide & obedientia Urbani permanſere. Nonnullis interdum variantibus, donec generali Concilio controverſia dirimeretur; unde nomen diverſarum *obedientiarum* in Eccleſia ortum eſt, quo ſe nomine in hoc ſchiſmate appellare maluerunt Chriſtiani, quam ſchiſmaticorum, cum ex dictis & dicendis omnes fere excuſabili ignorantia laboraverint, quis eſſet verus Pontifex, quod vel ex eo patet, quod in ſingulis obedientiis homines floruerint vitæ ſanctitate, quin miraculorum gloria illuſtres.

28. Mortuo Urbano VI. & Clemente VII.

Anti-

Antipapa ſchiſma perduravit, quod vigeſimum nunum in Eccleſia dicere placet.

Equidem per Cardinales obedientiæ Urbani in Petri Sedem canonica ſubſtitutus eſt Romæ Bonifacius IX. Sed Cardinales obedientiæ Clementis, eo Avenione A. 1394. mortuo, eidem ſubſtituernnt Cardinalem Petrum de Luna Benedictum XIII. nuncupatum. Pro exſtinctiona ſchiſmatis multum laboravit Univerſitas Pariſina, multiſqua ſuaſit Benedicto, ut Pontificatum deponeret, at imperſuaſibilis manſit Benedictus. Nec Boniſacius omnibus conatibus ſuis Principes ei adhærentes ab ejus obedientia retrahere valuit. Id quod neque perficere valuit ejus Succeſſor Innocentius VII. Poſt cujus obitum, cum Benedictus XIII. jurejurando promiſiſſet, ſe Pontificatu abdicaturum, ſi Neneligendus a Cardinalibus obedientiæ Innocentianæ idem a ſe ante electionem præſtandum promitteret, quæ erat unica, aaque exoptatiſſima ratio Eccleſiæ unionem redintegrandi. Cardinales ejuſdem obedientiæ hac conditione ſuſcepta A. 1406. elegerunt ſub hac conditione Angelum Corrarium, Tituli S. Marci Presbyterum Cardinalem, magis in Procuratorem Pontificium, quam Pontificem, quamvis uſque ad tempus requiſitum pro reſignatione verus fuerit Pontifex. Qui dum Savnnam, ubi ex condicto cum æmulo ſuo Benedicto de mutna ceſſinne agendum erat, ſe conferre negligeret, perſuaſus a Nepotibus & conſanguineis, quos nimium fovit, inſidias vitæ ejus ibidem ſtrui, tergiverſationis & colluſionis cum Petro da Lona (quamvis ipſum bis artibus vicerit Petrus) auctor evaſit. Schiſmatis prnin exſtinguendi ſtudio ab ipſo feceſſerunt Cardinales, & cum adverſæ obedientiæ Cardinalibus conjuncti Piſanum Concilium indixerunt, & celebrarunt; in quo ipſum cum æmulo exauctorarunt, & alterum Pontificem elegerunt, quo conſilio dum medicas manus innocanti animo inveterato Eccleſiæ malo admovera voluit Concilium, illud magis exulceravit; tres enim in Eccleſia poſt hanc Electionem comparuere Pontifices, Petrus de Luna, qui Benedicti XIII. Angelus Corrarius, qoi nomen Gregorii XII. aſſumpſit, & racens electus Alexander V. Angelus enim Corrarius Concilium Piſanum diſturbare conatus eſt, altero celebrato Auſtriæ in Aquilejenſi Provincia A. 1409. quod Univarſale dixit, quamvis pauciſſimi Prælati eidem interfuarint, in quo ejus & Anteceſſorum electio approbata, Roberto Gebbenanſi, Petru de Luna, Alexandro, eorumque adhærentibus diris devotis. Cardinalibus, qui a ſe deſecerant, diem dixit Gregorius, in eoſqua tulir exauctorationis ſententiam, jam verus Antipapa, cujus nulla ab Eccleſia babita eſt ratio; ſed Alexander V. legitimus Pontifex Decreta Piſani Concilii confirmavit. Quo mortuu a ſedecim Cardinalibus electus eſt Balthaſae Coſſa Neapolitanus, tituli S. Euſtachii Presbyter Cardinalis, vir bello, quam Eccleſiæ regendæ aptioe, Gregorio ac Beoedicto in ſuis obedientiis interim perſeverantibus, qui poſt celebratum a ſe Concilium Romanum, quod ob paucitatem Prælarorum in Generale evadere nequiit, Coocilium Œcumenicum Conſtaotienſe ad Kal. Nov. A. 1414. indixit, in quo Deo Optimo Maximo propitio oltima tandem manns ad exſtinguendum horribile ſchiſma admota aſt. In eo ſiquidem prioris colluſionis labem eluit Gregorius XII. libaerima ceſſiona facta in ejuſdem ſeſſione 14. Et quamquam Joannes XXIII. qui ceſſionem ob pacem Eccleſiæ promiſſam joramento firmaveeat, pœnitentia ductus diſſolutionem ejuſdem Concilii meditaretur, ejus tameo conatus in irrirum abiverunt, nam Scaphuſio, qoo aufugerat, reductus, atqoe exauctoratus ſaltam externe humiliter paruit, & quamquam mentem poſtea mutaeet, ac propterea cuſtodiæ traditus fueeit; quin ad Martinum V. qui ad indicibila gaudium Patrum ac omnium Ordinum Concilii unanimibus Cardinalium ſuffragiis in Chriſti Vicarium electus fuerar, adductus, fuga elapſus ſit; libee tamen, luiqua juris factus, meliori conſilio, ſuaque ſponte Florentiam venit, ubi ad pedes Martini V. procumbens eum legitimum Pontificem agnovit. Cum aodem Joanne & Petrus de Luna exauctoratus fuerar in aadem Synudo Conſtant. qui nihilominus Alphunſi Regis Aragoniæ protectione fretus, ad ultimum uſque halitum, deſertus a Cardinalibus uſqua ad duns, atque a aliquo toto oebe Chriſtiano, in pertinacia permanſit. Poſt cujus obitum idem Alphunſus a duobus Pſeudo-Cardinalibus eligi curavit in theatricum Papam Ægidium Munione, qoo demum cum Martino gratiam ineunte, infauſtum ſchiſma exſtinctum eſt.

29. Trigeſimum & oltimum ſchiſma ortum eſt in Sede Romana A. 1439. per Amadeum Sabaudiæ Ducem, qui nomeo Felicis V. aſſumpſit, & contra Eugenium IV. ſtetit.

Schiſma excitavit Concilium Baſileenſe, poſtquam poſt ſeſſionem 25. in Conciliabulum ſchiſmaticum degeneraſſet; prætextum ſoi auſus ſumpſit ex Decreto Eugenii, quo Concilium iſtud diſſulvit ac transferri præcepir; ob qoam attentationem, ut dicebant adverſarii, ſeſſione 31. A. 1438. celebrata, Pſeudo-Synodus Eugenium ſuſpendit ab omni Pontificatus adminiſtratione tam in Spiritualibus, quam in temporalibus; nec ſatis, ſeſſiona 34. A. 1439. ipſam depoſitionis ſententiam in euodem tanquam in notorium & manifeſtum contumacem, mandatis Eccleſiæ univerſalis inobedientem &c. vibrare anſom eſt idem Conciliabulum, cui tamen ſeſſioni non interfuerunt niſi 7. Epiſcopi teſte Auguſtino Patricio c. 114. aur ad ſummum 8. vel 9. authore Joanne Turrecremata, qnos & nominatim recenſet in reſponſione ad Baſileenſes; ac damum eodem A. ſeſſione 39. Kal. Decembris celebrata, Amadei Sabaudiæ Ducis in ſeceſſu Rippalenſi vitam raligioſiſſimam agentis, in ſummum Pootificem electio a Cardinali Arelatenſi & 32. deputatis facta, promulgata eſt, qui oomen Falicis V. aſſumpſit. Quem dum damnaſſet Eugenius, ejus ſententia ſeſſ. 41. reſciſſa aſt. Schiſma per aliam Synodum œcumenicam componendum judicarunt Fridericus Cæſar & Rex Chriſtianiſſimus, Germania interim Neutralitatem aligeote, qua ſtanra Fridericus nihilominus voluit, ut Legati ſui Eugenium ur Romanum Pontificem veoerarentor, nun vero Felicem, qoem etiam ſigno vel verbo talem profiteri ſedulo cavit ipſe Imperator in habito cum ipſo colloquio. Res itaqua hæc in ſuſpenſo manſit uſque ad murtem Euganii IV. quæ cootigit 7. Kal. Martias An. 1447. alecto enim io ejus locum Nicolau V. Fridericus Rex Romanorum in ſolemni Ordinum Conventu confirmata neutralitaris abrogatione, & omni cum Felica V. & Baſileenſibus Patribus communicatione vetita, obedientiam ab omnibus Imperio ſubditis ipſi exhiberi juſſit; & ipſa Amadeus A. 1449. Pontificatum lubens depoſuit, cujus ceſſionis tabulas exhibet Odoricus Rayoaldus. Baſileenſes Nicolaum V. in ſummum Pontificem alegerunt, ac Amædeum ceu concordiæ zelatorem, & Eccleſiaſticæ pacis authoram commendarunt, quæ deinceps uſque ad præſens tempus nullo ſchiſmate turbata eſt.

TITU-

Digitized by Google

T I T U L U S IX.

De Apoſtatis & Reiterantibus Baptiſma.

1. PRimam rubricæ hujus tituli partem prætereo; de Hæreticis enim, ad quos reducuntur præſertim quantum ad hiſtoricam commentationem Apoſtatæ, Titulo VII. hujus libri abunde egi, in quo etiam celebriora Eccleſiæ ſchiſmata retuli; inſuper Titulo VIII. ſchiſmata in Sede Petri facta enarravi. Occaſione ergo ſecundæ partis ejuſdem rubricæ fidem datam libro III. Titulo 41. exſolvo, atque de Baptiſmo, qui eſt Janua reliquorum Sacramentorum, commentationem hiſtoricam inſtituo, acturus de ejus inſtitutione, Ritu adminiſtrationis, Miniſtro, loco & tempore, quo ſubinde adminiſtratus eſt, de ſubjectis baptiſmi, de Patrinis, de Catechumenis, ac Neophytis.

2. Sacrum Baptiſma tanquam primum inter Eccleſiæ Sacramenta, atque ad ſalutem omnibus neceſſarium inſtituit Chriſtus Salvator noſter.

Per Sacrum baptiſma gentes in ſuam Eccleſiam Chriſtum voluiſſe congregare patet ex Marci ultimo v. 15. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni Creaturæ; qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex quo loco etiam ſequitur baptiſmum fluminis, aut in ejus defectu ſaltem baptiſmum dictum flaminis aut ſanguinis eſſe ad ſalutem neceſſarium abſolute. Quapropter Synodus Tridentina ſeſſ. 6. de bapt. can. 4. anathema dicit, *ſi quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, non neceſſarium ad ſalutem.* Quando Chriſtus baptiſma inſtituerit, non conveniunt Authores, aliis contendentibus illud fuiſſe inſtitutum a Chriſto ante paſſionem & quidem cum baptizaretur a Joanne, & hæc eſt communior Patrum opinio; aliis e contra volentibus, illud inſtitutum fuiſſe poſt paſſionem, dum Chriſtus Marci ult. ad Apoſtolos dixit: Euntes in mundum univerſum &c.

3. Quantum ad Ritum adhibendi aquam in baptiſmo nec olim fuit, nec hodie eadem diſciplina eſt in Eccleſia Græca & Latina.

Propoſitio patebit ex dicendis.

4. Immerſionem, & quidem trinam, primis Eccleſiæ Sæculis in utraque Eccleſia adhibitam fuiſſe, conſtat ex utriuſque Eccleſiæ Patribus.

Pro Eccleſia Orientali Sæculi tertii teſtem habemus Cyrillum Hieroſolymitanum, qui *Catecheſi Myſtag.* 2. ſic alloquitur recenter baptizatos: *Et confeſſi eſtis ſalutarem confeſſionem, & merſi ter in aqua rurſus emerſiſtis atque ita per hæc Symbola triduanam Chriſti ſignificaſtis ſepulturam.* In Eccleſia vero Latina Sæculo II. collatum fuiſſe baptiſmum per trinam immerſionem teſtis eſt Tertull. lib. *de corona militis* c. 3. ubi relatis nonnullis, quæ baptiſmum præcedunt, ait: *deinde ter mergitamur.* Imo adeo conſtans erat illis Sæculis hic baptizandi Ritus, ut quidam dubitaſſe videantur de valore baptiſmi per infuſionem collati, uti intelligere eſt ex quæſtione a Magno propoſita S. Cypriano, ſic enim ei reſcribit S. Cypr. ep. 75. *Quæſiſti etiam, fili chariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi.*

5. Hanc trinam immerſionem religioſe quidem obſervarunt Chriſtiani primorum Sæculorum, tanquam ab Apoſtolis uſurpatam, non tanquam ad eſſentiam baptiſmi ſpectantem.

Prima pars conſtat ex authoritatibus jam relatis, quarum plures refert Gratianus diſt. 4. de *Conſec.* c. 78. & ſeqq. ex quibus can. 50. Apoſtolorum, qui collecti ſunt circa Sæculum V. vult; *ut ſi quis Presbyter aut Epiſcopus non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat baptiſmate, deponatur.*

Secunda vero ex eo, quod S. Cyprianus in reſponſoriis ad Magnum ait: *Unde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar lavacri ſalutaris obtinere.* Quam reſolutionem tanquam ſuo tempore certiſſimam amplectitur, & probat S. Auguſtinus lib. 6. contra Donatiſtas c. 7. & Walfridus Strabo Sæculo IX. recte lib. de rebus Eccl. c. 26. ſcribit: *Notandum autem non ſolum mergendo, verum etiam deſuper fundendo, multos fuiſſe baptizatos, & adhuc poſſe ita baptizari, ſi neceſſitas ſit, ſicut in paſſione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum.* Ex allatis vero patet baptiſmum per infuſionem primis Eccleſiæ Sæculis non fuiſſe uſurpatum niſi neceſſitate exigente; quia Sæculo IX. ſolos adultos per infuſionem fuiſſe baptizatos teſtatur idem Strabo L. cit. inquiens: *Hoc ſolet evenire, cum provectiorum granditas corporum in minoribus vaſis hominem tingi non patitur.* Et infra magis elucidabitur.

6. Hanc trinam immerſionem Græci ex præſcripto ſuorum Euchologiorum in hodiernum diem obſervant, quamvis infuſione ſæpius utantur.

Teſtis eſt Goarius in notis ad baptiſmatis officium N. 24. inquiens: *Antiquus immerſionis mos hic continuatus; quamvis infuſione nunc ſæpius utantur Græci. Quoad enim licuit obſervare, puerum ſedentem in vaſe vel pelvi ad cubitum profunda, ter ſuperinfuſa non modicæ quantitatis aqua calida purificant. Vel certe ne aquæ copia obruatur, & forte nimiam epotet, pronum poſitum, & ſiniſtra in ventre ſuſtentatum, Sacerdos capite & toto corpore ſalutaribus aquis abluit & luſtrat.*

7. In Eccleſia Latina Sæculo VI. trina & una merſio in baptiſmate uſurpata eſt pro diverſitate conſuetudinum Eccleſiarum.

Id colligitur ex epiſtola S. Gregorii M. ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum lib. 1. epiſt. 41. & refertur a Gratiano cit. diſt. c. 80. in qua ſcribit: *De trina merſione baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quam quod ipſi ſenſiſtis; quia in una fide nihil officit S. Eccleſiæ conſuetudo diverſa: nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ ſepulturæ Sacramenta ſignamus. —— Quod ſi quis forte etiam pro ſumma Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque iſtud aliquid obſiſtit baptizandos ſemel in aquis mergere, quia dum in tribus Perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile nullatenus eſſe poteſt, infantem in baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere.* Circa idem tempus Patres Concilii Toletani II. intelligentes inter Sacerdotes ſummas eſſe de trina vel ſimpla merſione contentiones, atque Arianos ex trina merſione arguere Trinitatem eſſentiæ in Perſonis, authoritate S. Gregorii freti decreverunt can. 6. *ſimplam merſionem a Catholicis eſſe tenendam.*

8. Immerſionis Ritus adhuc Sæculo XIII. fuit communis in Eccleſia.

Teſtis locupletiſſimus eſt S. Thomas, qui 3. p. qu. 66. a. 7. ait: *Tutius eſſe baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communis uſus;* conſtat tamen ex eodem S. Doctore ibidem a. 8. quod eodem tempore ritum infuſionis ſeu aſperſionis nonnulli adhibere inciperent. Qui Ritus nunc in Eccleſia Latina obtinet.

9. Præter hos Ritus verſantes circa materiam

Digitized by Google

baptiſmi, forma ejuſdem Sacramenti vario Ritu etiam adhibita fuit in Eccleſia.

Et inprimis notum eſt, Græcam Eccleſiam cum Latina in forma baptiſmi non convenire verbotenus, quamvis conveniat in ſignificatione; Latini enim ab immemorabilibus temporibus formam dictam active pronuntiare per verba *Ego te baptizo*, Græci vero paſſive per τὸ *Baptizatur Servus Dei*, ut habet Euchologium Goarii ordinarium, vel ut habent Cryptoferratenſe, Beſſarionis, & Barbarinum S. Marci, *Baptizatur* N. in præſenti indicativo, non *baptizetur Servus Dei* in conjunctivo, ut in ſcholis invaluit. Quantum ad reliquam formæ baptiſmatis partem quamvis certum ſit, Chriſtum apud S. Marcum præcepiſſe, ut baptizent ad fidem ſuam accedentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ea tamen in actibus Apoſtolorum occurrunt teſtimonia, quæ ſuadeant Apoſtolos baptizaſſe etiam in ſolo nomine Jeſu, ut cap. 2. 8. 10. & 19. Quibus permotus S. Th. 3. p. q. 66. A. 6. Quæſtionem hypothetice reſolvit, inquiens, *Ex ſpeciali Chriſti revelatione, Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant* (ſi nimirum baptizabant); quam tamen diſpenſationem ultra tempora Apoſtolorum non extendit. Sed cum S. D. quæſtionem hanc hiſtorice, & conſequenter factum iſtud Apoſtolorum theoretice non examinaverit, Natalis Alex. cum aliis eruditis recte negant Apoſtolos baptizaſſe in nomine ſolius Jeſu; dicuntur autem in Actis Apoſtolorum in nomine Jeſu Chriſti baptizaſſe, quod Chriſti auctoritate, & virtute baptizarent, ſeu baptiſmo inſtituto a Chriſto. Quem ſenſum ex ipſis textibus allatis, atque authoritate Patrum in diſſert. 13. in Sæculum III. evincit; ubi etiam S. Stephanum Romanum Pontificem contra S. Cypriani imputationes vindicat, quod nunquam decreverit baptiſmum in ſolius Chriſti nomine collatum validum eſſe. Non item Nicolaum I. Sæculo IX. ſedentem, in reſponſis ad Conſulta Bulgarorum cap. 104. ubi dicit valere baptiſma, *Vel tantum in nomine Chriſti collatum*; id enim Nicolaum curſim, obiter, & ex opinione ſua ſingulari dixiſſe, non ut Pontificem, & Chriſtianorum omnium Doctorem ex eo cum Bellarmino & Eſtio probat, quod non fuerit conſtitutus circa formam baptiſmi, ſed an baptiſmus a certis Perſonis collatus validus cenſendus ſit, quorum authoritate etiam in ſcholio 2. Cenſorum ſuorum animadverſionem refellit.

10. Præter hos Ritus ab Eccleſia Græca & Latina in adminiſtratione materiæ & formæ baptiſmatis adhibitos, variæ etiam adhibitæ ſunt cæremoniæ ad ejus ſolemnitatem ſpectantes.

Diverſitatem utriuſque Eccleſiæ cæremoniarum perſpicere licebit ex relatione ipſarum.

11. Ritus ſolemnitatis baptiſmi in Eccleſia Latina ſunt trina inſufflatio Sacerdotis in faciem baptizandi in modum crucis; impreſſio crucis in fronte & pectore baptizandi, crucíſque crebra iteratio. Exorciſmi. Immiſſio ſalis in os catechumeni. Tactus auris catechumeni cum ſaliva Sacerdotis. Unctio catechumeni ſacro oleo in pectore & inter ſcapulas, & chriſmate in ſummitate capitis jam baptizati. Impoſitio linteoli albi capiti infantis baptizati. Et immiſſio cerei accenſi in manus baptizati.

De inſufflatione S. Aug. ſerm. 1. *de Symb. ad Catech.* c. 1. N. 2. *Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exſufflatur.* Item *de peccata Orig.* c. 40. *Etiam prius in eis exorcizatur, & exſufflatur contraria poteſtas.* Et lib. 2. *de Nuptiis & Concup.* c. 29. N. 50. *Neque enim ex quo eſſe cœpit Manichæi peſtilentioſa doctrina, ex illo cœperunt in Eccleſia Dei parvuli baptizandi exorcizari, & exſufflari.* Quo loco exſufflationem baptizandorum in immemorialem conſuetudinem Eccleſiæ refundit S. Aug. Et Sæculo IV. Cyrillus Jeroſolymitanus, *Exorciſmos ſtudioſe ſuſcipe, etiamſi inſpiratus jam & exorcizatus*, videlicet in baptiſmo. Et poſt S. Aug. id eſt Sæculo V. Cæleſtinus Papa in ep. *ad Epiſcopos Galliæ*: *Illud etiam, quod circa baptizandos in univerſo mundo S. Eccleſia uniformiter agit, non otioſo contemplamur intuitu, cum ſive parvuli, ſive juvenes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius vitæ fontem adeunt, quam exorciſmis & exſufflationibus Clericorum ſpiritus ab eis immundus abigatur.*

De crucis ſignatione Catechumenis olim fieri ſolita ait S. Auguſt. lib. 2. *de Baptiſm. parvulor.* c. 37. *Non uniuſmodi eſt ſanctificatio, nam Catechumenos ſecundum quemdam modum ſuum per ſignum Chriſti* (hoc eſt crucis) *& orationem ſub manus impoſitione puto ſanctificari*, quod idem repetit pluribus in locis. Et quidem lib. 1. *Confeſſ.* ubi ſuæ inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam ſigno crucis ejus.*

Quod exorciſmos in ſacro baptiſmate adhiberi ſolitos attinet, de illis jam Patrum teſtimonia, agendo de exſufflatione, retulimus.

De ſale S. Auguſtinus *Confeſſ.* lib. 1. cap. 11. N. 7. teſtatur: *Signabar jam ſigno crucis, & condiebar ejus ſale, jam inde ab utero matris meæ.* Idem aſſerit lib. *de Catech. Rudibus* c. 26. N. 50, & lib. 2. *de peccatorum meritis & remiſſ.* Adſtipulantur S. Aug. Concil. Carthag. III. A. 397. c. 5. ubi legimus: *Item placuit, ut etiam per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Catechumenis non detur, niſi ſolitum ſal.* Et S. Iſidorus Hiſpal. l. 2. *de officiis* c. 20. *Exorcizantur autem hi primum; deinde ſalem accipiunt, & unguntur.*

De ſalivæ cæremonia S. Ambroſius lib. *de Myſteriis* c. 1. N. 3. ita habet: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis ſignificavimus, cum apertionis celebrantes myſterium diceremus, Ephpheta, quod eſt, adaperire.* Et N. 4. *Hoc myſterium celebravit Chriſtus in Evangelio, ſicut legimus, cum mutum curaret & ſurdum.* Et lib. 1. *de Sac.* c. 1. N. 2. *Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad ſermonem, & ad alloquium Sacerdotis.*

De olei unctione ante Baptiſmum adhibita S. Cyrillus Hieroſol. *Catech.* 2. *Myſtag. Exuti exorcizato oleo a ſummis capillis ad infimos uſque pedes uncti eſtis.* S. Ambroſius lib. 1. *de Sacr.* c. 2. N. 4. *Venimus ad fontem, ingreſſus es, occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quaſi Athleta Chriſti.* Pro Chriſmatione vero poſt Baptiſmum ſuſceptum lib. 1. tit. 15. N. 31. retulimus teſtimonium Innocentii I. & Concilii Arauſicani Sæculo V. celebrati. His adjicio vetuſtiora Tertulliani *de Bapt.* c. 7. *Exinde egreſſi de lavacro perungimus benedicta unctione de priſtina diſciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium ſolebant.* S. Cypriani; *Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit.* Sed de hac Chriſmatione infra uberius, cum ritus Græcorum referemus. Eandem cæremoniam commemorat S. Ambroſius lib. de Myſt, c. 6. N. 29.

Linteolum album reliquia eſt veſtis albæ, qua induebantur Neo-baptizati, & quam depoſuerunt in Dominica prima poſt Paſcha, quæ uſque ad hodie dicitur Dominica in Albis. Et de hac cæremonia pleni ſunt Patrum ſermones.

De cereo S. Cyrillus Hieroſolym. *Catech.* 1. *init. Qui fidei lampades nuper accendiſtis, nunc non exſtinctas eaſdem manu tenendo cuſtodite.*

12. Græcam Eccleſiam cum Latina in allatis cæremoniis conſpiraſſe, patet ex teſtimoniis Græcorum Patrum, quæ cum Latinis mox adduximus.

Hic ordine reſeram actum baptiſmi a Græcis ſoli-

ſolemniter exerceri ſolitum, prout exhibetur ab eorum Euchologio apud Goarium. Itaque dum Sacerdos vocicad piſcinam baptiſmatis, inſufflans in aquam, cruce illam ſignat, & orationem adjicit. 2. Ter in vas olei inſufflat, illudque tertio cruce ſignat, quod tenet Diaconus, orationemque ſubjungit. 3. Cum populo ter Alleluja decantat, tres cruces oleo in aqua effuſo facit. 4. Poſt exclamationem a Sacerdote factam offertur baptizandus; & Sacerdos accepto oleo Sanctæ crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorſo, in auribus, io pedibus, in manibus. 5. Uncto vero toto corpore baptizat cum Sacerdos, erectum illum tenens, magnaque prolatione demergens, & deduceos eum ex aqua. 6. Peracta baptiſmi actione lavat ſe Sacerdos, baptizatumque ſub certa verborum fotma ſuis involucris induit, & poſt orationem & exclamationem baptizatum S. unguento ungit, crucis ſignum faciens in fronte, & in ocolis, & in naribus, & in utrasque aure, & in pedibus dicent: *Signaculum doni Spiritus S. amen*. Deiode cum ſuſceptore & puero in circuli modum procedit Sacerdos ſub cantu, deinde legitur ex ep. ad Romanos: *Fratres quicunque baptizati ſumus &c.* & Evangelium ſec. Matth. *In illa tempore undecim Diſcipuli abierunt in Galilaeam in montem &c.* Poſtea fit proteoſa precatio, & demiſſio. In bis cæremoniis baptiſmi Græcorum nihil occurrit de exſufflatione, crucis ſignatione, & exorciſmis Latinorum; ſed notandum, Græcos has cæremooias applicare in oratione *ad faciendum Catechumenum* ſive adultum, ſive parvolum, in qua habetur: *Ec in faciem ejus ter inſufflat, terque faciem, & pectus ejus cruce ſignat, & manu ejus capiti impoſita dicit, In nomine tuo Deus &c.* Poſt quam orationem ſequuntur exorciſmi; de ſaliva vero, ſale, ac cereo, cujus tamen mrminit Cyrillus P. Græcus, nihil babent Euchulogia Græca, ſicut & de iioteo albo, niſi velimus baoc veſtium veterum baptizatorum memoriam Græcos per involucra parvulorum ſupplere. In variantibus lectionibus apud Goarium legimus, quod Sacerdos puero poſt baptiſmum cucullam imponat. Ex his ergo per combinationem deprehendet lector, quemadmodum in cæremoniis ſolemnitatis baptiſmi Eccleſia Latina cum Græca de facto conveoiat, accidentaleſque differentias in applicatione earum cæremoniarum, in quibus conveoiuot, dignoſcet. Hic animadvertendum, Græcos ad ſingula baptiſmata fontem baptiſmalem benedicere, quod Latioi non faciunt. Secundo, Græcos per unctionem baptizatorum ipſis conſerre Sacramentum Confirmationis, Latioi vero per chriſmationem capitis nequaquam hoc intendunt. Græcos vero & cenſere, & intendere conſerre per illam unctionem Sacramentum Confirmationis, ad cujus applicationem dicunt: *Signaculum doni ſpiritus S. amen*; evincit Goarius in notis ad officium S. baptiſmatis N. 28. primo ex Romanæ Eccleſiæ ſenſu, quæ ita ſignatos pro confirmatis tenet; ſecundo ex totius Orientalis Eccleſiæ fide, quæ nobiſcum contra Novatores ſeptem Eccleſiæ Sacramenta conſtantiſſime defendit, ac inter ea Confirmationem, quam hac chriſmate ſe conſerre confitetur &c. Meritoque ſugillat quoſdam Theologos Catholicos, qui dicere auſi ſuot, Græcos quidem hoc Sacramentum non negare, ſed vel eo nunc ſemetipſos urbaſſe, vel illud ad Eccleſiæ mentem noo recte adminiſtrare, innixi ſcholaſtico illo argumento, quod ejuſdem materia fit *manuum impoſitio*, cum tamen omnia Græcorum ritualia tam antiqua, quam recentiora hujus manuum impoſitionis ne ſemel quidem meminerint, ſed conſtanter hujus chriſmationis. Cette can. 9. II. Œcumenicæ Synodi, in Euchologio Goarii pag. 273. relatus, Hæreticos non eite baptizatus vult rebaptizari, rite vero baptizatos ſolum hoc chriſmate ungi, id eſt *confirmari*. Unde recentiores non pauci Theologi ex defectu notitiæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non ſemel lapſi ſunt io ſuis ſcholaſticis altercationibus circa materias & formas Sacramentorum, quod videri licet in materiis & formis Ordinum lib. 1. tit. 11. N. 56. quaſi vero Chriſtus omnium Sacramentorum materias & formas atome determinaſſet. Hinc pro majori illuſtratione revolvatur tit. 25. ejuſdem libri §. 2. & 3. videantur etiam inferius dicenda de catechumenis.

13. Utriuſque Eccleſiæ cæremoniæ circa ſolemnitatem Baptiſmi ſunt antiquiſſimæ, & rationabiles, & conſequenter a Proteſtantibus irrationabiliter rejectæ.

Prima pars quantum ad earum antiquitatem patet ex dictis N. 55. cum Patres Sæculi II. III. IV. & V. earum mentionem faciant, tanquam per *Traditionem* acceptarum, qui Patres cum fuerint per Aſiam, Africam, & Europam diſperſi, ſignum eſt, pleraſque illas cæremooias ſub ipſis Apoſtolorum temporibus incœpiſſe. Rationabiles vero ſunt, tum quia effectum ſpiritualem habent, tum quia aptæ ſunt & baptizatorum & aſtantium mentes ad varios pietatis affectus excitare, tum quia ſunt ſigna eorum, quorum baptizati io executione propoſiti in baptiſmo ſuſcepti cum fructo ſpiritoali reminiſcuntur; uti teſtantur iidem Patres. Et quidem quod exſufflationem attinet, S. Aug. ſerm. 5. de Symb. ad Catech. c. 5. ait: *Sicut noſtie, & parvuli exſufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica, qua decepit hominem, ut poſſideret homines*. Quin non dubitat S. Pater ex hac Eccleſiæ cæremonia contra Pelagianos probare exiſtentiam peccati originalis. Et Chriſtum legimus exſufflaſſe io diſcipulos, dum eis daret Spiritum S. & exorcizaſſe energumenos. Crux vero io fronte baptizandi imprimitur, ut crucem Chriſti non erubeſcat, a in pectore, ut illam diligat, ſæpiuſque iteratur, ut ſignificetur, baptiſmum vim omnem habere a cruce Chriſti. Si autem quærant Proteſtantes, cur exorciſmi adhibeantur in iis, qui domi jam baptizati ſunt, iis reſpondetur, non ut ab eis expellatur diabolus, ſed ut arceatur, ne ad eos accedat, ne eis noceat. Sales autem in miniſterio catechumenis dandos Patres decrevere, *ut eorum guſtu condimentum ſapientiæ percipiant, neque diſſipentur a ſapore Chriſti, nec ſint fatui, & retro reſpiciant*, inquit S. Iſidorus lib. 2. *de Officiis Eccl.* c. 20. Unguntur vero Catechumeni, *ut fiant Athletæ Chriſti*, inquit S. Ambroſius ſupra relatus, ſeu ut ſignificetur gratia, quam dat Chriſtus ad ferendos labores, ad ſuſtinenda prælia vitæ Chriſtianæ, item ad tollendum ſuave jugum Chriſti, cui ſe ſobmittit Catechumenus. Nec turpitudinem in eo quærant Proteſtantes, quod Græci totum corpus inungant, hoc enim miniſterium ſubibant apud fœminas Diaconiſſæ, uti monſtravimus lib. 1. Tit. 11. N. 35. & quidem decentiſſime, quæ etiam mulierum corpora in ipſo baptiſmo caute & decenter nudabant. De veſte alba, in cujus locum ſucceſſit linteolum, inquit S. Ambroſius lib. de Myſt. cap. 7. N. 34. *Accepiſti poſt hac veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina*. Cereus vero datur baptizatis, ut reminiſcantur, ſe aliquando fuiſſe tenebras, nunc autem lucem in Domino, quibus incumbat ut filios lucis ambulare ad Epheſ. 8. Unde Cyrillus ſupra laudatus, *Qui fidei lampades nuper accendiſtis, nunc non extinctas eaſdem manu tenenda cuſtodite*. Nec obeſt, quod infantes nihil de bis cæremoniis advertant; ſufficit enim, ſi ſecum factas fuiſſe, dum veniunt ad uſum rationis, erudiantur.

tur . Tunc enim effectum cæremoniæ rationalis & utilis in ipſis producere poſſunt. Sufficit præterea, quod utilitatem ac reverentiam erga auguſtum regenerationis Sacramentum in adſtantibus de ſe natæ ſint producere.

Unde apparet, quod nonniſi temere & irrationabiliter a Proteſtantibus ſint rejectæ. Legant ea, quæ lib. 1. Tit. 8. N. 29. & ſeqq. ex ipſis minime ſuſpecto Barone Wolfio de neceſſitate ac utilitate cæremoniarum retulimus, & erubeſcant cæremonias Eccleſiæ cum ipſa natas cavillare; præſertim cum ipſe Chriſtus ſignis externis ſeu cæremoniis noſtram interiorem ſanctificationem alligare voluerit, dum Sacramenta inſtituit.

14. Quamvis neceſſitate urgente baptiſmus olim omni tempore conferri potuerit, communis tamen Eccleſiæ utriuſque uſus habuit, ut tam parvulis, quam adultis in diebus Paſchatis & Pentecoſtes conferretur.

Primam partem docet Tertullianus inquiens, *Cæterum omnis dies Domini eſt; omnis hora, omne tempus habile baptiſmo; ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert.*

Qui & ibi ſecundam partem tradit, *Diem*, ajens, *baptiſmo ſolemniorem paſcha præſtat*, —— *exinde Pentecoſte ordinandis lavacris latiſſimum ſpatium eſt*. Concordant pro Eccleſia Græca S. Baſilius, Gregorius Nyſſenus, Chryſoſtomus.

15. Hæc conſuetudo tanquam Apoſtolica inſtitutio tenacius manutenta eſt in Eccleſia Latina, & quidem uſque ad Sæculum XIII.

Id conſtat primo ex ep. Siricii Papæ, qui Sæculo IV. in ep. ad *Himerium* c. 11. uſum adminiſtrandi baptiſmi ſolemnis extra tempora Paſchatis & Pentecoſtes vocat improbabilem, & emendandam confuſionem, *cum hoc privilegium ſibi & apud nos, & apud omnes Eccleſias Dominicum ſpecialiter cum Pentecoſte ſua Paſcha defendat*. Secundo ex ep. 4. S. Leonis Papæ ad *Epiſcopos Siciliæ*, ubi ſcribit eos, quod in die Epiphaniæ ſolemnem baptiſmum conferrent, ab Apoſtolicæ inſtitutionis conſuetudine diſcrepare; ſolos Paſchatis & Pentecoſtes dies baptizandis in Eccleſia electis ſecundum Apoſtolicam regulam præſcriptos. Idem teſtantur Scriptores alii S. Leone poſteriores, variaque Concilia, inter quæ Matiſconenſe 2. A. 585. c. 3. *Infantes ipſos, extra legitimum baptiſmi diem, id eſt extra Paſcha, in Natalitiis Martyrum prohibet baptizari, niſi periculum immineat*. Quod idem ſtatuit Lundinenſe in Anglia A. 1237. &c.

16. In privatis tamen quibuſdam Eccleſiis baptiſmus etiam in Natali Domini, in Epiphania, & in Feſto S. Joannis Baptiſtæ conferebatur.

Et quidem baptiſmum in ſua Eccleſia in feſto Epiphaniæ conferri ſolitum teſtatur S. Gregorius Naz. oratione 39. *in Sancta Lumina*, & oratione 40. ubi ait; *Non tantum te demittes, quantum Chriſtus, cui hodie baptizaris*. Ex pro hoc omnium Eccleſiarum Orientalium uſu militat majoris aquæ benedictæ, ſolemniori ritu baptiſmo apud Orientalem Eccleſiam perficiendo deſtinatæ, benedictio & conſecratio die Epiphaniæ facta, de qua S. Chryſoſt. oratione de bapt. Chriſti & Euchologium a Goario editum. Africanam pariter Eccleſiam die Epiphaniæ baptiſmum ſolemnem adminiſtraſſe, conſtat ex facto S. Eugenii Epiſcopi Carth. qui baptiſmum ea in feſtivitate pro more adminiſtrans cæcum quemdam illuminavit teſte Victore Vitenſi lib. 11. *de perſecutione Wandalica*. Ex baptiſmo quoque Clodovei contra P. Nicolai evincit Nat. Alexander, Eccleſiam Gallicanam in Natali Domini olim adminiſtraſſe baptiſmum; quod, ſicut & de die Natalis S. Joannis Baptiſtæ teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 8. Hiſt. Francorum c. 9. D. Auglia quoad Natalem Domini Sæculo VI. teſtatur Gregorius M. lib. 7. ep. 30. Id ipſum in Hibernia ſub S. Patricio factitatum legimus in ejus Synodo c. 19. Ex quibus omnibus apparet uſque ad Sæculum XIII. certos fixoſque dies pro conferendo baptiſmate conſtitutos, Paſcha quidem & Pentecoſte communiori Eccleſiæ diſciplina, his Natalem Domini, Epiphaniam, & Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ a quibuſdam Eccleſiis adjunctos, qui mos ad uſque noſtra tempora ſucceſſive exolevit.

17. Circa ſubjecta Baptiſmatis ſeu homines baptizandos duæ in Eccleſia ſubinde ortæ ſunt controverſiæ, legitima Eccleſiæ definitione terminatæ.

Prior fuit circa rebaptizationem eorum, qui ab hæreticis baptizati fuerant, agitata inter Stephanum Romanum Pontificem & S. Cyprianum cum Africanis, ac Firmilianum cum Aliis Epiſcopis; qui prætendebant baptizatos ab Hæreticis eſſe rebaptizandos, quibus tanquam murum inexpugnabilem oppoſuit Stephanus immemorialem Eccleſiæ conſuetudinem de hæreticis non rebaptizandis, quem tamen in oppoſitum Cyprianeo errorem non eſſe lapſum, exiſtimando baptizatos ab hæreticis *univerſaliter* non eſſe rebaptizandos, hoc eſt etiam baptizatos ab iis hæreticis, qui non adhibuerunt debitam formam in baptiſmo, ut non ſolum quidam ex hæreticis, ſed etiam ex Catholicis temere exiſtimant, differt. 14. in Sæculum III. quo hæc controverſia orta eſt, evincit Nat. Alex. & vel ex hoc ſolo conſtat, quod Stephanus antiquam Eccleſiæ traditionem manutenuerit, quæ certe non docuit hæreticos univerſim non eſſe rebaptizandos. Cæterum nec S. Cyprianus hæreticus aut ſchiſmaticus ob dogma erroneum cenſendus eſt, cum illud ſolum ut dogma diſciplinæ defenderit. Vide Natal. Alexandr. Porro canon 7. ſecundæ Synodi Oecumenicæ ſeu Conſtant. I. A. 381. ſanxit, quomodo ex hæreſi converſos recipere oporteat, dum ait: *In duas namque ſeries cunctis diſtributis, hos quidem Chriſmate ungi, alios vero denuo baptizari. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabbatianos, & Novatianos, qui ſe ipſos Catharos & Ariſteros, hoc eſt mundos & ſiniſtros dicunt, & Teſſareſdecatitas, ſive Tetraditas, & Apollinariſtas, ſiquidem ex æquo nobiſcum divino perficiuntur baptiſmate, rurſus baptizandos non cenſet.* —— *Eunomianos, qui in unam immerſionem baptizantur, & Montaniſtas, qui dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem eſſe Patrem ac Filium opinantur, alioſque hos ſimiles* —— *ad Catholicam accedentes Eccleſiam ſancte præcipit baptizari*. Altera eſt circa pædo-baptiſmum ſeu baptiſmum parvulorum, quem parvulis ante rationis uſum conferri poſſe Sæculo XII. negabant Waldenſes, Petrobuſiani, Cathari, quorum errorem ſuſcitarunt ac propagarunt Sæculo XVI. Anabaptiſtæ, qui omnes conſtanti Eccleſiæ traditione refutantur.

18. Parvulorum baptiſma ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſtanter adhibitum fuit, tanquam res licita & congrua.

Propoſitio conſtat ex Teſtimoniis Patrum primorum Sæculorum, inter quos Auctor libri *de Eccl. Hierarchia*, qui probabilius eſt S. Dionyſius S. Pauli Diſcipulus, cap. ult. ait: *Divinæ ac Spiritalis generationis participes fieri etiam pueros, qui nondum divina myſteria percipiunt*. Irenæus Sæculi II. Author lib. 2. *adv. hæreſes* cap. 39. *Omnem ætatem Dominus ſanctificat;* —— *omnes, inquam, qui per ipſum renaſcuntur in Deum, infantes, parvulos & pueros & juvenes & ſeniores*. Similia habet Origenes in c. 6. *ad Rom.* & Homil. 8. *in Levit.* S. Cyprianus ep. 59. *ad Fidum*, Chryſoſt. hom. *ad Neophytos*, S. Ambroſius lib. 11.

11. *de Abraham* c. 11. & alii omnes ; ita ut S. Aug. ſerm. 11. *de verbis Apoſt.* merito dicat: *Hoc Eecleſia ſemper babuit, ſemper tennit: oc a majorum fide percepit: boe uſque in finem perſeveranter cuſtodit;* bicque traditioot exiſtentiam peccati originalis contra Pelagionos, qui illam nec negabant, nec negare poterant, invicte demonſtravit. Atque bac ipſa traditione Anabaptiſtarum bæreſis peremptorie petitur, quæ claro divini eloquii texio omoino rrfelli nequit, ita ut reliqui Proteſtantes velint nolint boc in capite traditionem Divino-Apoſtolicam admittere debeant, qua expiicentur iextus illi Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* & Actor. 15. v. 28. *Pœniteutiam agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peceatorum:* & Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* quos ſi ſpiritus privatus explicet de præreqniſita in baptizandis fide, pœnitentio, & catecbizatione, quorum omnium incapares ſunt parvuli, facile intelligrt. Admittere debeot prætcrea infallibilitatem Eccleſiæ viſibilis, qoæ bos textus intelligendos ait de adultia, non de parvuiis, quod ſane icriptura nullibi ciare edicit.

19. Quamquam vero conſtans Eccleſiæ fidea eſt, parvulos poſſe baptizari, & ſi periculum mortis inſtaret, etiam de neceſſitate ſaiotis eſſe baptizandos, per quinque tameo fert Sæcula multi differebant diu baptiſmum, & hoc ob vatias caoſas.

Hos inter fuit ipſe Conſtantinus M. qui Chriſtom agnoverot A. 312. & tamen, ſi Boronio credimus, primo baptizatus eſt Romæ A. 324. ſi vero Euſebio, aliiſque, prope vitæ ſuæ finem Nicomediæ A. 337. Patris exemplum ſecutus eſt Conſtantius. S. quoque Ambroſius paulo ante ordinationem baptiima ſuſcepit. Auguſtinus vero A. ætatis 33. ſimilitec S. Paulinus A. ætatis 42. &c.

Præcipuam cauſam diiationis baptiſmatia inſinuat Tertullianus de bapt. c. 18. inquiens: *Itaque pro cujuſque perſonæ conditiouc, ac diſpoſitione, etiam ætate cunctatio baptiſmi utilior eſt. Quid enim neceſſe eſt, ſi non tam neceſſe, Spouſores etiam periculo ingeri? qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſuut, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus, Nolite illos* (parvulos) *probibere ad me venire. Veniant ergo dum adoleſcunt, veniaut dum diſcuut, dum quo veniant docentur, fiant Chriſtiaui, cum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innorens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Qui locos non favet Anabaptiſtis, narrat enim aperte Tertullianus ſua ætate hoc eſt Sæculo II. & III. baptiſmum conferri ſolitum parvulis per fidem *Sponſorum*, ſed vult illum rationabiiius conferri fidem proprio ore confiteri vaientibos, niſi adſit *neceſſitas;* ſi autem per ultima verba intendat auferre exiſtentiam peccati originalis, deſerendus eſt, quam tameo alibi agnoſcit. Et hinc etiam Gregorius Naz. oratione 40. *triennium, ant aliquaudo brevius ant longius temporis ſpatium, quo tingendi audire aut reſpondere poſſint, & ſi minus plane & exacte intelligant, imbui tamen & informari*, requirit. Altera hujos dilationis cauſa fuit hæreſis Novatiana, qoæ ſalutem eos conſequi poſſe, qui poſt receptam baptiſmi gratiam mortaliter deliquiſſent, negabant. Tertia cauſa fuit volupruoſa quorundam vita, quam baptiſmi fræno ſtringere noiebant. Fuerunt & aliæ differendi baptiſmatis cauſæ, timor nimirum, ne in parvulis ſub Paganorum aut Hærrticorom tyraonide ab Eccleſia divulſis Sacramentum afficeretur injurio; ſuborta in Epiſcoporum exilio laxatio diſciplinæ, & adultorum iocordia, ipſorum drniqoe negligentia baptizandorum. Ex textu Tertulliani etiam conſtat, Patrinos in baptiſmo fuiſſe odhibitos, de quibus egimus lib. 4. N. 127. & ſeqq.

20. In baptrzandis iis, de quibus dubitabatur, an baptizati eſſent, ante Sæculum XIII. nulla fuit ex diſciplina Eccleſiæ adhibita cooditio.

Id teſtantor Patres Concilii Carth. A. 398. celebroti, qui occaſiooe infantium, quos Epiſcopi Mauritaniæ a Barbaris redimebant, ſtatuerant canone 6. *Ut cum baptizatos eſſe iufantes nullo teſtimouio conſtaret, neque ipſi per ætatem eſſent idonei, qui de traditis ſibi Sacramentis reſponderent, abſque hæſitatione & ſcrupulo baptizarentur.* Quam diſciplinam non Africana tantum, ſed & Romana Eccleſia ſecuta eſt, ut conſtat ex ep. 92. S. Leonis, & ex Sancto Gregorio Magno libro 12. ep. 31. ex Gregorio III. Epiſt. 14. Eandem viguiſſe diſciplinam in Eccleſia Gallicana ex Capitularium iib. 7. c. 302. compertum eſt. Pro Anglia vero id conſtat ex collectione Conciliorum Anglicaoorum inter excerpta Egberti c. 41. ex Concilio Eboracenſi A. 1194. & ex Londinenſi A. 1200. Alexandee ergo III. Pontifex maximus, qui ſedere cœpit A. 1159. primus hunc baptizandi *ſub conditione* morem invexit. Ejus decretum refertur cap. 2. *de baptiſ.* poſt quod nihilominus mos iile oon ubique obtinuit, ut conſtat ex ſcriptis Magiſtri ſententiarum, Petri Pictavienſis, & Petri Cantoris, propugnaotium nullam eſſe apponendam conditionem; quemadmodum ex eadem veterum praxi quidam nuoc propugnant non eſſe dandam abſolutionem Sacramentalem ſub conditione, qoæ ſententia videtur impugnari poſſe ex mutatione diſciplinæ circa collationem baptiſmi in Eccleſia.

21. Plures primitus fuerunt eotum, qui ad baptiſmo diſponebantor, claſſes ſive ordines, in quibus ſenſim ad Chriſtianiſmom & baptiſmum diſpooebantor, & gradatim quaſi aſcendebant.

Illi generali diviſione partiri poſſunt in codes oc catechumenos. *Rudes* illi dicebantur Pagani, qui, dum deſiderium monſtrarent ſe convertendi ad Chriſtum, primum *privatim* in domo circa vanitatem & ſuperſtitionem paganiſmi, nec non circa prima Chriſtianiſmi principia ac fundamenta inſtruibantur; quod munua Diacooi, aliique inferiores Clerici obibant. In quorum gratiam S. Auguſtinus elegantem illum tractatum *de catechizandis rudibus* conſcripſit. *Catechumeni* autem dicebantur iili, qui jam publice inſtituiabantur, & quidem ita dicebaotur ab *audiendo;* quia, ut ait S. Iſidorus lib. de origine vocum cap. 14. *catechumenus dictus pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptiſmum percepit.* Quapropter & a Latinis Patribus catechumenus paſſim *Auditor*, ſive *audieus* appellatur.

22. Catechumeni olim dividebantur in audientes, genuflectentes, & competentes.

Audientes illi dicebantur, qui poſt inſtroctionem privatam ad publicas inſtructiones, quæ in Eccleſia per Epiſcopum habebantur, accedere poterant.

Genuflectentes fiebant Catechumeni audientes, poſtquam in priore ordine aliquo tempore perſeveraſſent, & in excipiendis inſtructionibus diligentes fuiſſent, animumqoe ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam teſtati eſſent. In boc ordine participes fiebant conſorteſqoe orationum, & exorciſmorum, qui ſuper catechumenos fundebantur; quem infinem in genua in ipſa Eccleſia procumbebant, unde *orantes* vel *genuflectentes* dicti ſunt. Duplicis hujus ordinis Catechumenorum mentionem facit canon 5. Neocæſarienſis Concilii Sæculo IV. celebrati, qui ex verſione Gentiani Herweti ita habet: *Catechumenus ſi in Dominicum ingrediens in Catechumenorum ordine ſteterit, is autem pec-*

cat: ſi genu quidem flectens, audiat (hoc eſt in ordinem audientium iterum retrudatur); *ſin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur* (ab Eccleſia Catholica). In eundem ſenſum accipiendus eſt canon 14. Nicænus: *De Catechumenis, & qui lapſi, viſum eſt & S. magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis audientes, poſtea orent cum Catechumenis*. Inſuper hic obſervant Canonum Commentatores, Catechumenos audientes, ſive primi Ordinis tantum potuiſſe lectioni ſcripturarum intereſſe, ac ea finita mox exire debuiſſe; at vero genuflectentes manſiſſe quoadusque a Diacono diceretur, *Quicunque Catechumeni diſcedite*.

Dum Catechumeni convenienti tempore in hiſce gradibus eſſent exercitati, judicarenturque idonei, qui baptiſmum recipere poſſent a ſuis Catechiſtis, qui ipſos per hoc tempus inſtruebant, moribuſque eorum invigilabant, ad Epiſcopum ducebantur, qui teſtimonium de eorum ſcientia & vita reddentes, ac quodammodo ſpondentes (unde *ſponſores* & *fidejuſſores* dicti) illos ad baptiſmum præſentabant; quo tempore Catechumeni una nomina ſua dabant; ut nimirum annotarentur inter illos, qui jam proxime ad ſuſcipiendum baptiſmum erant deſtinati ſeu electi, poſt quam nominum dationem vocabantur *competentes*, ac etiam *electi*. De hac nominum datione frequens in priſtinis canonibus & Patribus mentio occurrit: *Baptizandi nomen ſuum dent, ac diu ſub abſtinentia vini & carnium ac manus crebra impoſitione examinati baptiſmum percipiant*, ait Synodus Carth. 4. c. 85. S. quoque Auguſtinus multis locis dationis nominum meminit, atque ſignanter libro *de fide & operibus*, ubi ait: *Quod autem fit per omne tempus, quod in Eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, ut ad nomen Chriſti accedentes Catechumenorum nomen accipiant: hoc fit multa diligentius & caſtius his diebus, quibus competentes vocantur; cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina jam dederunt*. Ad hanc vero ultimam claſſem per crucis ſignum & manus impoſitionem recipiebantur, teſte S. Auguſtino lib. *de catechizandis rudibus* c. 26. ubi ex profeſſo dicit, quod poſtquam catechizatus eſt inſtructus, an quæ audivit credat, atque obſervare deſideret; quod ſi reſponderit, *ſolemniter utique ſignandus eſt, & Eccleſiæ more tractandus*. His itaque Catechumenis non tantum prima Religionis fundamenta ſive elementa tradebantur, ſed abſtruſiora etiam myſteria, quæ paſſim infidelibus occultabantur. Atque imprimis fidei ſymbolum competentibus tradebatur, & exponebatur, quod memoriter diſcebant, & in ipſo baptiſmate reddebant. Porro ſicut Catechumeni per ſymboli recitationem *publice* profitebantur ſuam fidem, ita quoque vitæ ſuæ depurationem teſtabantur *renuntiando publice diabolo*. Hunc renuntiandi morem ex traditione ad nos manaſſe aſſerit S. Baſilius lib. de Spiritu S. c. 27. de ipſo quoque legendus eſt S. Ambroſius libro de initiandis c. 7. S. Hieronymus &c. Atque ex his omnibus videmus primo originem hodierni Catechiſmi, qui totet cæremonias baptiſmi reponitur; eumque fuiſſe primitus verum Catechiſmum ſeu inſtructionem Catechumenorum, vel baptizandorum. 2. Originem alterius ritus, quo in Rituali Romano præſcribitur, ut poſt factam exorcizationem & varias preces fuſas ſuper infantem, tandem prævie ad introductionem in Eccleſiam, Sacerdos ſignet infantem in fronte ſigno crucis, & manus imponat ſuper caput ejuſdem. 3. Quod hodie ad præſcriptum Ritualis Romani cum fuerint ingreſſi Sacerdos, infans, & Suſceptores, Sacerdos procedens ad fontem cum Suſceptoribus conjunctim clara voce dicat ſymbolum. Si autem adultus fuerit baptizandus, tunc is cum Sacerdote illud recitet. 4. Originem illius fidei profeſſionis, quam hodie immediate ante baptiſmum ad interrogationem Sacerdotis facit baptizandus per ſe, ſi ſit adultus, per Suſceptores vero, ſi fuerit infans. 5. Originem hodiernæ renuntiationis, quam Catechumenus vel per ſe, vel per Suſceptores ad *interrogationem* Sacerdotis pronuntiat.

23. Quo tempore & die nomina danda eſſent, varia fuit pro varietate temporum & Eccleſiarum diſciplina.

Initium quadrageſimæ primitus ad hoc ordinatum fuiſſe non obſcure innuit S. Auguſtinus Serm. 13. ad Neophytos. Sub idem tempus ad Epiſcopum Tarraconenſem ſcribit Siricius: *Generalia baptiſmatis tradi convenit Sacramenta his duntaxat electis, qui ante 40. dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianiſque orationibus atque jejuniis fuerint expiati*. In Ordine Romano, qui circa tempora Gregorii M. exaratus creditur, hoc tempus ad quartam feriam hebdomadæ quartæ quadrageſimæ contractum eſt; uti videre eſt ſub Titulo, de denuntiatione Scrutinii ad electos. De hac varietate conſule Notas ad ſermonem 212. Auguſtini in edit. noviſſ. Pariſienſi.

24. Ritus ſpeciales, quos Græci in faciendis catechumenis adhibent, recenſentur in eorum Euchologio.

Ibidem apud Goarium pag. 274. habetur. 1. Baptizandi zonam Sacerdos ſolvit, & exutum excalceatumque ad Orientem ſtatuit, diſcinctum, nudo capite, & abſque calceamentis, demiſſas manus habentem, & in faciem ejus ter inſufflat, terque faciem ejus & pectus cruce ſignat, & manu ejus capiti impoſita dicit. Sequitur oratio & exorciſmi; poſt hos inſufflat Sacerdos in os, in frontem, & in pectus pueri terna vice, dicens brevem oratiunculam; exclamat poſtea, & exutum diſcalceatumque baptizandum convertit ad Occidentem manus in altum protendentem, & ait ter, *Abrenuncias ſathanæ &c.* hocque ter, dicitur; reſpondente Catechumeno vel Suſceptore, *abrenuntio*. Et cum ter hoc dixerit interrogat rurſum Sacerdos baptizandum, *Abrenuntiaſti ſathanæ?* & reſponſo accepto, *abrenuntiavi*, per tres vices, ait Sacerdos: *Inſuffla igitur & exſpue in illum*. Et hoc illo faciente, vertit illum Sacerdos ad Orientem, demiſſas habentem manus, & dicit ei Sacerdos uſque tertio: *Conjungeris Chriſto?* & reſpondet Catechumenus vel Suſceptor, dicens etiam ter, *conjungor*. Deinde rurſum ei dicit Sacerdos, *conjunctus es Chriſto?* & reſpondet, *ſum conjunctus*. Et iterum ait: *& credis in eum?* & dicit, *credo in illum ut Deum & Regem meum*. Et dicit, *credo in unum Deum &c.* & cum ſacrum ſymbolum abſolverit, ter rurſum ei dicit, *conjunctus es Chriſto?* &c. reſpondente ad interrogata ſingula Catechumeno, aut Suſceptore, ut dictum eſt. Interrogato vero uſque tertio etiam ſacrum ſymbolum recitante, tertio tandem interrogat: *Chriſto conjunctus es?* & reſpondet, *conjunctus ſum*. Et dicit Sacerdos: *adora ergo illum*; & adorat dicens: *Veneror Patrem, & Filium, & S. Spiritum, conſubſtantialem & individuam Trinitatem*. Deinde dicit Sacerdos: *Benedictus Deus &c.* Has cæremonias egregie commentatur & explicat Goarius pag. 284. qui ait Græcos Ritus excalceationis, exuitionis &c. eo quo poſſunt modo, infantibus applicari; refellitque N. ta. Vicecomitem lib. 2. *de Bapt.* c. 18. ſcribentem, Catechumenos exorciſmis pronuntiatis dæmoni renuntiaturos, nudos penitus ſtetiſſe, atque ad hanc rem Nicetæ Choniatæ, & Zabulonis Æthiopis, quin Dionyſii *de Eccl. Hier.* teſtimonium trahentem, dicens: *Verum Ruperti Lincolnienſis authoritate, & utriuſque Eccleſiæ Latinæ ſimul & Græ-*

ca

ea moderans laudatuſque uſus in enm nas inclinat Sententiam, ut non omnino nudos, ſed retenta interula, veſtes duntaxat exteriores, ex quarum cultu ſuperbit homo, a ſe rejeciſſe in exarciſmis opinemur: nam Chriſtiann modeſtia id exigit tnm in adultis, tum maxime in mulieribus; -- unde & ut decore procederent mulieres, ſocias & adjutrices in baptiſmi officia Diaconiſſas habuiſſe, oſtenſum eſt ſupra, noique ſuperius indicavimus.

25. Baptizati n fonte baptiſmatis educti *Neophyti* vocabaoior, & veſtibus albis induebantur, quas per ſeptem dies retinebant; id eſt, in Sabbatho S. egredientes de foote baptiſmatis induebantur, & Sabbatho ſequenti deponebant.

Infinita ſuot penes omnns omnium Sæculorum tam Latinos, quam Giæcos Scriptores hujus rei teſtimonia, ex quibus colligimus veſtem hanc toium corpus baptizati texiſſe, ac propterea baptizaros enteriori habitu toros albos & candidos apparuiſſe; hinc enim a Patribus vocantur *albi*, *candidi*, *nivei*. Hinc etiam Chriſtiani illos ieptem dies *albos* dinerunt, teſte Rabaoo lib. de Inſtit. Cler. c. 39. eo quod Neophyti veſtem illam candidam iotegro illo rempore tanquam ordinariam & vulgarem non tantum io Ecelefia, ſed ubique portarent, teſte Vicecomite libro cit. cap. 14.

T I T U L U S XXXVIII.

De Pœnitentiis & Remiſſionibus.

1. PRæſentem Titulum ad Ruheicæ amuſſim io ſeptem Paragraphos diſpeſcemus. Io primo agemus de Pœnitentia, qui ſimul exhibebit diſſertationem dogmaticam, quod pœnitentia ſit verum novæ legis Sacramenrom. In ſecundo agemus de confeſſtone ſecundum ſe, qui ſimul exhibebit diſſertationem dogmaricam de ejus neceſſitate ad ſalutem conſequendam ex præcepro Chriſti. In tertio agemus de Confeſſione publica & privara. In quarto de Abſolutione. In quinto de Satiſfactione. In ſenro de Pœnitentiæ Miniſtro. In ſeptimo de Indulgentiis.

§. I.

De Pœnitentia, & an ſit verum novæ legis Sacramentum?

2. SAcramentum Pœnitentiæ varia ſuhinde nomina ſortitum eſt in Eccleſia.

Primo namque appellatum eſt Sacramentum *reconciliationis* ab effectu. 2. Sacramentum *Confeſſionis* a parte conſpicua. 3. Saceamentum abſolutionis ab actn Sacerdotis. 4. In Concilio Carth. IV. c. 76. *Mannum impoſitia* a cæremonia externa; atque ut ſubiode a confirmarione, quæ etiam per manus impoſitionem fiebat, ſecerneretur, etiam dictnm eſt *mannum impoſitia recanciliatoria*, ut babet Conc. Arauſ. I. can. 3. 5. *Communientio ſive communio & pax*. 6. *Secunda poſt naufragium Tabula*, Trident. Seſſ. 6. cap. 14. 7. *Laborioſus baptiſmus* idem Trident. Seſſione 14. c. 2. 8. Deoique & olim & hodie ſrequentius & uſitatius aptiſſimeque dicitur *Sarramentum pœnitentiæ*, & n Græcta Sacramentum *metanias*, hoc eſt, *reſipiſcentiæ*, n duabus nempe ejus partibus principalibus, conſilii nimirum ſive ſententiæ mutatione, & aoimi dolore propter factum aliqund. Et hinc Gratianus diſt. 3. *de Pœnit.* c. 4. definitionem Pœnitentiæ a Canoniſtis & Theologis communiter probatam elicir; *Pœnitentin itaque eſt vindicta ſemper puniens in ſe, quod dolet commiſiſſe*. Decantara io Scholis eſt diviſio pœnitentiæ in virtutem, & Sacramentum; prout virtus eſt, complectitue animi dolorem cum emendatioois propoſito, ac ſatisſactione, atque hane pœnitenriam omnibus in pecestum grave lapſia eſſe neceſſariam in ordine ad ceeonciliationem cum Supremo Numine agnoſcunt non ſolum omoes Chriſtiani, etiam Novatiaoi Tit. 7. N. 16. verum etiam omnes aliæ Religiones, ac ipſi ollm Ethnici ex præſcripto luminis natnræ agnoveruot. Hæc eadem vero virtus in lege gratiæ elevata eſt in Sacramentum, ſeu facta eſt mateeia Sacramenti, coi ſi accedar abſolutio Sacerdotis legitimi, ex his duobus tanquam ex materia & forma fir Sacramentum, quo ſolo vel in re vel in voto hahito concedirur in eadem lege gratiæ remiſſio peccatorum, ur docent Catholici. Longe vero aliter de omnibus his ſentiunt Novatores, contra quos jam procedendum.

3. Pœnitentia, quæ io vereri Teſtamento fuit ſola virrus, in novo per Chriſtum elevata eſt in verum Eccleſiæ Sacramentum.

Hanc Catholicæ Eccleſiæ veriratem non negavit Montanus & Montaniſtæ, neque Novatiani, utpote noo omnibus, ſed gravioribus tantum delictis pœnitentiam ab Eccleſia poſſe impertiri, inficiantes, ut vidimus Tit. 7. N. 15. & N. 16. Negavit ramen Novatus & Novatianus, qoi nulli delicto veniam ab Eccleſia dari poſſe affirmarunt, nec ereorem unquam retractarunt, ut perſpicue affirmant Patres, & videri poteſt loco mox citato, ut propterea hallucinetur & Jurnin, qui temere aſſerit Patres mentem Novatiani non attigiſſe, & multi eceeotiores Theologi, qui ſcribunt ante 16. Sæculum neminem Sacramentum Pœnitentiæ negaſſe. Nam eſto verum ſit Waldenſes, Wicleffitas, & Huſſitas non negaſſe Sacramentum Pœnitentiæ, ſed in eo ſolum verſatos fuiſſe errore, quod non poſſit adminiſtrari n Miniſtro in lethali noxa conſtituto, ut vidimus ſupra Tit. 7. N. 24. cetero illud nihilominus negavit Novatus, Novatianus, & ante emollitionem ſententiæ ipſi Novatiani; ut hos ſolos Præcurſores habeat Zwinglius, qui pœnitentiam negavir eſſe Sacramentum, & Calvious, qui noluit eſſe Sacramentum a baptiſmate diſtinctum, ſed ejus recordationem, qua peccata poſtliminio patrata per juſtitiam illam impuratiyam Chriſti tegerentur; Lutherus item & Melanchton, qui tamen finalitee pœnitentiam inter novæ legis Sacramenta connumerarunt. Lutherus enim, poſtquam in lib. de captivitate Babyl. Pœnirentiam, Baptiſmum, & panem vera eſſe Sacramenta edixiſſet, ſed ad calcem ejuſdem, no pœnitentia in rigore Sacramentum dici poſſet, hæſitaſſet, dubium tamen depoſuit poſtea, & pœnitentiam verum Eccleſiæ Sacramentum admiſit propoſitinne 35. adverſus Lovanienſes. Melanchtoo itidem, qui A. 1522. in locis commooibus docuit pœnitentiam noo eſſe Sacramentum, poſtea ſententiam revocavir io editione 1543. In Lutheri & Melanchtonis poſtremas ſententias conſpiravit Apologia confeſſionis Auguſtanæ communibus Lutheranorum ſuffragiis edita, & hac ætate Lutherani vulgo profitentue pœnitentiam eſſe verum Sacramentum. De quo videatur Boſſuet de variatione Eccleſiarum Proteſtantium. Contra Zwinglium ergo & Calvinum probaodum eſt, pœnitentiam eſſe novæ legis Sacramentum: ſecundo, eſſe Sarramentum n baptiſmate diſtinctum.

4. Pœ-

4. Pœnitentiam eſſe verum novæ legis Sacramentum perſpicue colligitur ex Sacris paginis.

Hæ ſiquidem omnia illa tribuunt pœnitentiæ, ex quibus coaleſcit etiam ex mente Apologiæ Auguſtanæ confeſſionis notio veri Sacramenti, nimirum *Chriſti mandatum*, *Ritum externum*, & *promiſſionem gratiæ* huic Ritui annexam; de quibus vide dicta lib. 4. N. 567. Et quidem hæc omnia exhibet v. 19. Matth. c. 16. ubi Chriſtus ait Petro: *Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis;* quæ poteſtas poſtea Jo. 20. v. 23. extenditur ad omnes Apoſtolos, dum Chriſtus in ipſos exſufflans ait: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ex quibus verbis colligunt Catholici Petrum reliquoſque Apoſtolos accepiſſe *mandatum* dimittendi peccata fidelibus lapſis, quæ remiſſio cum fiat per *juſtificationem*, & actum *remiſſivum* includat, etiam *Ritum externum*, & *promiſſionem gratiæ* explicat.

5. Pœnitentiam eſſe veri nominis Sacramentum teſtantur Patres primorum Sæculorum.

Conceptis verbis pœnitentiam Sacramentum, aut myſterium perinde ac baptiſma appellant 1. Ambroſius lib. 1. *de pænit.* c. 3. Ubi baptiſmo & pœnitentia memoratis, *Idem*, inquit, *in utroque myſterio eſt*. 2. Auguſtinus lib. 5. *de bapt.* c. 20. refellens Donatiſtas, qui ex Evangelio colligebant peccatores non audiri, etiam in Sacramentorum adminiſtratione. *Si ad hoc valet*, inquit, *quod dictum eſt in Evangelio, ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur.* Hic per manus impoſitionem pœnitentiam intelligere S. Patrem ut & forte ſaccam ordinationem, notius eſt, quam ut probetur, inquit Witaſſe, & conſtat ex N. 1. h. t. confert autem iterum pœnitentiam cum baptiſmo, eamque Sacramentum appellat in Pſalm. 146. N. 8. 3. Theodoretus in epitome *Decret. Divinorum* c. 28. agens de pœnitentia, peræque myſterium baptiſmi, & myſterium pœnitentiæ nominat. 4. Victor Cartenenſis lib. *de pænit.* c. 2. *Denique*, inquit, *Dominum audi in Evangelio, quibus jaculis feriat peccatorem, ut intelligas, quanti faciat Sacramentum pænitentiæ.* Pœnitentiam vero cum baptiſmo conferunt, quoad conferendæ gratiæ vim ac facultatem 1. Tertullianus Sæculo III. lib. *de Pænit.* c. 7. ubi verba faciens de iis, qui baptiſmi gratia amiſſa cœlorum fores ſibi peccatis ſuis clauſerunt, ait: *Hæc igitur venena ejus Prævidens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua & intinctionis ſero abſtructa, aliquid adhuc permiſit patere; --- collocavit in veſtibulo Pænitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat:* cap. autem 12. *Igitur cum ſcias adverſus gehennam poſt prima illa intinctionis Dominicæ munimenta eſſe adhuc in exomologeſi ſecunda ſubſidia, cur ſalutem tuam deſeris? --- Quid ergo adhuc de iſtis duabus humanæ ſalutis quaſi planeis &c.* 2. Ambroſius l. 1. *de Pænit.* c. 8. adverſus Novatianos, qui Sacerdotibus denegabant peccatorum remittendorum poteſtatem, *Cur*, inquit, *baptizatis, ſi per hominem peccata remitti non licet? in baptiſmo enim utique remiſſio peccatorum omnium eſt, nec intereſt, utrum per pænitentiam, an per lavacrum hoc jus ſibi datum Sacerdotes vindicent. Idem in utraque myſterio eſt.* 3. S. Hieronymus lib. 1. contra Pelag. *Redimatur*, inquit, *ſanguine Salvatoris, aut in dono baptiſmatis, aut in pænitentia, quæ imitatur baptiſmi gratiam:* 4. S. Leo ep. 8·. ad Theod. *Multiplex*, inquit, *miſericordia Dei ita lapſibus ſubvenit humanis, ut non ſolum per baptiſma gratiam, ſed etiam per pænitentiæ medicinam ſpes vitæ reparetur æternæ.*

In ſubſequis autem §§. demonſtrabitur Patres relatos, aliosque infra referendos, eam pœnitentiam Chriſtianorum vocare verum Eccleſiæ Sacramentum, in quo pœnitens peccata ſua confitetur, atque a Sacerdote abſolvitur. Ex quorum authoritatibus præſens dogma continuo magis roborabitur.

6. Præfatis Evangelii eloquiis collatam eſſe Sacerdotibus Novi Teſtamenti poteſtatem abſolvendi, & conſequenter illud eſſe verum Sacramentum teſtantur Patres omnium Sæculorum.

Pro hac propoſitione militabunt etiam teſtimonia Patrum per ſubſequens Numeros referenda; hinc ſolum aliqua hic referam. Et quidem Tertull. Sæculum II. attingens lib. *de Pænit.* c. 7. Sermonem inſtituens de peccatis poſt baptiſmum patratis ait: *Hæc igitur veneno Prævidens Deus collocavit in veſtibulo Pænitentiam ſecundam, quæ pulſantibus pateſaciat;* & proximo cap. 9. eandem Pœnitentiam deſcribens, ne quis forte putet loqui Tertullianum de ſola impiorum reſipiſcentia, ſubjicit: *Hujus Pænitentiæ ſecundæ, quanto in arcto negotium eſt* (propter duram ſcilicet recordationem Calviniani baptiſmi) *tanto operoſior probatio eſt; ut non ſola conſcientia præferatur, ſed etiam actu adminiſtretur.* Tranſit deinde ad exomologeſim, & delictorum manifeſtationem. S. Cyp. Sæculi III. Pater lib. *de lapſis* p. 383. commendat, & apud Deum gratam eſſe teſtatur *remiſſionem factam per Sacerdotes*. Item ep. 54. quæ Synodica eſt, hæc ad Cornelium Rom. Pontificem ſcribit: *Nec enim fas eſt —— dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo recedentes ſine communicatione & pace* (hoc eſt Sacramento Pœnitentiæ N. 1. h. Tit.) *ad Dominum dimittentur, quando permiſerit ille, qui legem dedit, ut ligata in terris etiam in Cœlis ligata eſſent, ſolvi autem poſſint illic, quæ prius in Eccleſia ſolverentur.* Idem habet ep. 67. pag. 247. & ep. 69. pag. 264. Habemus ergo ſenſum Cypriani & cum illo Eccleſiæ Africanæ & Romanæ, atque hinc totius Eccleſiæ Occidentalis Sæculo III. contra Novatum ac Novatianum, Calviniſtas, & quoſdam Lutheranos pro Eccleſia Romano-Catholica expreſſum; nunc ad Eccleſiam Orientalem greſſum faciamus. In ea Sæculo IV. occurrit celeberrimus Pater Græcorum Chryſoſt. qui lib. 4. de Sacerd. c. 5. demonſtrat maximam Sacerdotum dignitatem, *ex quo Deus ipſis tantum, non autem Angelis dixerit, Quidcunque alligaveritis &c.* Unde infert habere illos ampliorem, quam terreſtres Principes, poteſtatem; quoniam hi ſolvunt vincula duntaxat corporis; *id autem, quod ſolvunt Sacerdotes* (non fides ſola, vel baptiſmi recordatio), *ipſam animam contingat, atque ad cœlos uſque pervadat;* & capite proximo comparationem inter veteris ac novi Teſtamenti dignitatem inſtituens ait: *At vero noſtris Sacerdotibus, non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatos probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Similia docet in cap. 20. Joan. & poſt eum Cyrillus Alex. Theophylactus, aliique Græcorum. Catholicus Eccleſiæ ſenſus Sæculo IV. & V. præterea teſtimonium accipit a S. Ambroſio, qui lib. 1. *de Pænit.* c. 2. N. 6. arguit Novatianos, reſervantes ſoli Deo remittendorum criminum poteſtatem, & quidem ex præcit. loco Joan. 20. Concinit S. P. Auguſtinus *de Hæreſibus* N. 38. ubi de Catharis ſeu Novatianis ait: *Secundas nuptias non admittunt, pænitentiam negant*, nimirum ab Eccleſia concedendam, ut patet ex dictis. Et tract. 49. *in Joannem*, explicans illa capitis 11. v. 45. verba, *Solvite illum & ſinite abire*, N. 24. inquit, *Quando contemnis, mortuus jaces, quando confiteris, procedis. Quid eſt enim procedere, niſi ab occultis*

veluti

veluti exeunda manifeſtari? ſed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id eſt, magna gratia vocando. Idea cum proceſſiſſet mortuus adhuc ligatus confitens & adhuc reus, ut ſolverentur peccata ejus, Miniſtris hoc dixit Dominus, Salvite illum & ſinite abire. Quid eſt ſolvite, & ſinite abire? quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo. En magnum Auguſtinum uno in loco pœnitentium confeſſionem, abſolutionem Sacerdotis, & gratiæ conſecutionem, adeoque Sacramentum pœnitentiæ in ſenſu Catholicorum contra Calviniſtas aſſerentem; ſimilia habet ſerm. 352. N. 8. ac alibi. Hic vero advertant primo iam Calviniſtæ, quam Sacramentum negantes Lutherani, Patres dum de Sacramento Pœnitentiæ verba faciunt, non diſputative procedere, ſed traditionem Eccleſiæ a Patribus quieta poſſeſſione tranſmiſſam fidelibus in homiliis, epiſtolis, & tractatibus proponere; quo fit, ut eorum teſtimonia non debeant conſiderari tanquam privatæ opiniones hinc inde ventilatæ, ſed ut teſtificationes authenticæ & incorruptæ de continuo ſenſu Eccleſiæ & communi fide ſuarum Eccleſiarum; id quod confirmari poteſt ex eo, quod narrat Victor Vitenſis lib. 2. *de perſec. Wandalica* N. 11. ubi narrat turbas fidelium ad Martyres Sacerdotes in tormentis exiſtentes accurriſſe, atque his queſtubus eos interpellaſſe: *Qui nobis pœnitentiæ munus collaturi ſunt, & reconciliationis indulgentia obſtrictos peccatorum vinculis ſoluturi, quia vobis dictum eſt, Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Obſervent præterea, Patres præſertim Latinos Catholicæ Eccleſiæ ſenſum propugnaſſe contra Novatum & Novatianum, & ipſos Novatianos, qui non negabant poſſe poſt baptiſmum peccata remitti a Deo, vel etiam actu remitti reſipiſcentibus, id quod ipſiſſimum ſentiunt quoad ſubſtantiam Calviniſtæ; ſed quod cum modernis Proteſtantibus negabant, fuit, hanc remiſſionem poſſe fieri ab & in Eccleſia per exomologeſim; & conſequenter in ſilorum teſtimoniis illa nobis pœnitentia delineatur, quæ includit exomologeſim, & delictorum manifeſtationem; qua Sacerdotis miniſterio pœnitentibus & dolentibus Eccleſia pacem & remiſſionem largitur, & in qua Miniſtri Domini animarum maculas diſtinguunt, purgant, ſolvunt, remittunt. Quæ omnia ex dicendis luculentius demonſtrabuntur, ubi etiam, agendo de confeſſione, argutiunculas ex Patrum aliquot ſcriptis male intellectis depromptas ſolvemus.

7. Pœnitentiam eſſe verum novæ Legis Sacramentum non tantum perpetuus Eccleſiæ Catholicæ, verum etiam omnium aliarum Eccleſiarum demonſtrat conſenſus.

Prima propoſitionis pars ex dictis N. præced. in apricum poſita eſt, & per dicenda in decurſu magis roborabitur.

Quoad ſecundam vero, quantum ad Græcos attinet, res eadem debet eſſe extra controverſiæ aleam; ſeptem enim Sacramenta nobiſcum illi confitentur. De quo Simeon Theſſal. Jeremias Patriarcha CP. in reſp. ad Germanos; qui eum ſuper eo conſuluerant, Gabriel Philadelphienſis in opere de 7. Sacr. Allatius de Concordia utriuſque Eccleſiæ, Arcudius de Sacr. lib. 1. c. 2. Perpetuitas fidei Tom. 3. ad finem, ubi plurima hanc in rem Orientalium proferuntur teſtimonia. Hanc vero fidem in præſentem diem ibidem perſeveraſſe invicte teſtatur ſcriptorum poſteriorum turba, quam ſupervacaneum eſt hic referre, cum eorum teſtimonia ad longum recenſeat Leo Allatius confeſſionis Eccleſiarum lib. 3. c. 16. nobilioresqua moderni dogmatici. Accedunt Euchologia Græcorum, peccatorum confeſſionem formaſque abſolutionis exhibentia, de quibus infra. Cum Græcis ſentiunt Jacobitæ & Cophti, apud quos quamvis referat Chronicum Orientale abrogatam ſacramentalem Confeſſionem a Joanne Abulmagedo, perpetuo tamen obtinuiſſe in Eccleſiis Catholicis demonſtrant apud Sollerium in appendice ad Patriarchas Alexandr. N. 208. & ſeqq. Bernatus Vanslebius, & Maironus. Jam quæſo quemlibet cordatum Proteſtantem ut edicat, quis primus Sacramentum iſtud invexerit ſive apud Orientales, ſive Occidentales? quomodo factum ſit, ut hæc ſententia totius Orbis Eccleſias pervaſerit, nemine non dico reclamante, quin nec muſſitante, plus dico omnibus Catholicis Sæculo jam III. Novatum ac Novatianum ob impugnatam hanc veritatem palam damnantibus. Certe hæc univerſalis conſenſio Eccleſiarum Lutherum hærere fecit, quin permovit, ut in libro de captivitate Babyl. tria Sacramenta admitteret, baptiſmum, pœnitentiam, & panem, eamque ſententiam finaliter cum Melanchtone teneret, ut ſupra N. 3. vidimus. Permovit totum Corpus Lutheranicum, ut in Apologia confeſſionis Auguſtanæ diſerte ediceret: *Vere igitur ſunt Sacramentum, baptiſmus, Cœna Domini, abſolutio, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ.* Permovit item Henricum VIII. Angliæ Regem, ut Sacramentum hoc ſartum tectum ſervaret, teſte Boſſueto. Permovit, ut Lutheranorum plurimi in hanc ſententiam defecto conſpirent teſte eodem N. 3. citato. Si ergo conſenſus iſte circa hoc Sacramentum tantam impreſſionem fecit apud Proteſtantes, cur circa alia & circa realem Chriſti præſentiam in Eucharistia idem non præſtitit, vel non præſtat? cum tum ex Florentina Synodo, tum ex cenſuris Orientalium, quibus perſtrinxerunt Proteſtantes ob negationem 7. Sacramentorum, nec non dogma transſubſtantiationis, conſtet, omnes illas Eccleſias in his capitibus cum Romana conſpirare? De quo vide dicta lib. 1. tit. 1. N. 149. & ſeq. Item lib. 4. N. 176. Falſas igitur oportet eſſe Proteſtantium doctrinas, utpote quæ & a communi ſenſu omnium aliarum Eccleſiarum recedunt, & inter ſe non conveniunt; non igitur mirum, quod perſpecta hac varietate Sacramentorum multi Lutheranorum caſtra deſerant.

8. Sacramentum Pœnitentiæ aliud eſſe a Baptiſmate, tum ex Sacris litteris, tum ex teſtimoniis Patrum primorum ſæculorum aperte conſtat.

Quantum ad primam partem, Calvinus ipſe non diffitetur, Chriſtum lapſis poſt Baptiſma reliquiſſe remedium aliquod, quo gratiæ in Baptiſmo receptæ, & per peccatum amiſſæ reſtituerentur; fatetur etiam hanc reſtitutionem non poſſe fieri per iterationem Baptiſmatis. Chriſtus vero ex dictis N. 5. Apoſtolis facultatem dedit remittendorum ac ligandorum peccatorum, etiam poſt Baptiſma, ut infra agendo de abſolutione, & Miniſtro hujus Sacramenti evincemus; atque adeo voluit, ut aliquod ſignum uſurparent, tum ut remiſſio declararetur, tum ut ſoluti a ligatis ſecernerentur. Illud vero ſignum qualecunque ſit, non eſt Baptiſmi recordatio; cum hæc in animo, & quidem pœnitentis lateat. Non eſt etiam baptiſmus, qui ex Eccleſiæ fide & diſciplina non iteratur. Eſt igitur ſignum quoddam aliud a Baptiſmo diverſum. Signum porro iſtud eſt ſymbolum remiſſionis peccatorum ac gratiæ divinæ; & per conſequens eſt verum omnino, & aliud prorſus a Baptiſmo Sacramentum. Ita argumentatur Witaſſius. Ex authoritatibus vero SS. de confeſſione, & abſolutione referendis, patebit ſignum illud ex inſtitutione Chriſti conflari ex confeſſione contrita pœnitentis, & abſolutione Sacerdotis. Nunc

ex

ex eodem referemus ea Patrum teſtimonia, quibus pœnitentiam ut Sacramentum a baptiſmo diſtinctum agnoſcunt.

Et imprimis id teſtantur omnis teſtimonia N. 5. allata. Quibus jungo primo Epiphanium, qui hæreſi 59. definit, iis, qui poſt baptiſma peccant, ſubveniri non poſſe baptiſmate, ſed alio remedio, quod pœnitentia eſt. 2. Chryſoſt. qui lib. 3. de Sacerdotio, *Neque enim ſolum*, inquit, *cum nos regenerant, ſed etiam poſtea condonandorum nobis peccatorum poteſtatem obtinent*. 3. S. Auguſt. qui lib. 2. *De adulterinis conjugiis* c. 16. ait: *Si a Catechumeno factum eſt homicidium, baptiſmate abluitur, ſi a baptizato, Pœnitentia & reconciliatione ſanatur*. Accedit 1. quod iidem Patres Tertullian. Ambroſ. Hieronym. Clemens Alexand. Gregorius Nazianzenus &c. pœnitentiam vocent *alteram poſt naufragium tabulam*, item baptiſmum *laborioſum*, baptiſmum *lacrymarum*. Accedit 2. conſtans Eccleſiæ diſciplina & uſus, quo in criminia lapſi confiteri peccata ſua, & pœnitentiam agere debuerunt, de quo jam modo.

§. II.

De Confeſſione ſecundum ſe, ejuſque ad ſalutem conſequendam neceſſitate ex præcepto Chriſti.

9. HUjus Sacramenti partes eſſentiales voluit Chriſtus eſſe contritionem, confeſſionem, quæ Sacramenti ſunt materia, ac abſolutionem a Sacerdote legitimo factam, quæ eſt ejuſdem forma, ſatisfactionem denique, quæ integret idem Sacramentum.

Propoſitio conſtabit ex notis hiſtoricis in confeſſionem, abſolutionem, ſatisfactionem, ac Miniſtrum hujus Sacramenti jam dandis; contritio enim ſicut ampliſſimam materiam præbet prælectionibus ſcholaſticis, ita hiſtorice non venit commentanda. Et ut a confeſſione telam ordiamur,

10. Confeſſionis neceſſitatem ex divina lege deſcendentem nemo hæreticorum ante Sæculum XIV. inficias ivit, ſi Novatum & Novatianum, ipſoſque Novatianos, antequam in caſtra Montaniſtarum tranſirent, excipias.

Montaniſtas confeſſionem admiſiſſe, ut Sacerdos poſſit diſcernere, quænam ſint peccata remiſſibilia, quæ non, ex eorum dogmate, quo volebant quædam eſſe peccata remiſſibilia, quædam vero irremiſſibilia a Clavibus Eccleſiæ colligitur. Et ob eandem cauſam Novatiani quoque confeſſionis neceſſitatem admiſerunt, mitigati nimirum, de quibus Tit. 7. N. 16. Novatum enim & Novatianum & rigoroſos Novatianos Claves Eccleſiæ ſimpliciter abſtuliſſe, conſequenter & Confeſſionis neceſſitatem negaſſe ex ibidem dictis patet. Secundo Audianos ſola opera laborioſa pœnitentibus poſt confeſſionem imponi ſolita ſuppreſſiſſe probat Witaſſius ex Theodoreto lib. 4. *hæret. Fab.* c. 10. Tertio Waldenſes eandem nobiſcum fidem circa confeſſionis neceſſitatem habuiſſe adſtruit ex Reynero, qui adverſus hos ſcripſit A. 1250. & ex reſponſionibus cujuſdam Waldenſis ad interrogata Catholicorum circa hoc tempus, qualia ea exhibet Mſ. Codex Bibliothecæ Colbertinæ; imo reliquiæ Waldenſium, Bucero, & Oecolampadio Sæculo XVI. inſtantibus, ut ſuum de confeſſionis neceſſitate ex jure divino placitum ejurarent, acriter reſtiterunt, teſte *Ægidio in hiſt. Eccl. reform.* donec tandem A. 1536. agente Farello in Calvini caſtra conceſſerint. Vane ergo de ipſis gloriantur Calviniſtæ & Lutherani. Wicleffus ergo apud Thomam Waldenſem Tom. 3. c. 69. docuit, ſi homo fuerit contritus, Confeſſionem Sacramentalem eſſe inutilem. Et ibidem c. 71. Confeſſionem auricularem eſſe novitium inventum, & ab Innoc. III. eſſe inſtitutum. Quem errorem non aſſumpſit Joannes Hus, ejuſque aſſeclæ, ut ex propriis eorum monimentis probant fratres Wallenburgici Tom. 2. pag. 58.

11. Contrarium ergo de neceſſitate confeſſionis dogma ad finem Sæculi XIV. exortum, Sæculo XV. & XVI. propagatum eſt per Novatores.

Sub Sæculi XV. finem Petrus de Oſma damnatus eſt, quod diceret Confeſſionem non eſſe jure divino neceſſariam. Quod Lutherum & ejus ſequaces attinet, magna eſt apud ipſos in hoc puncto diſſenſio; nam teſte Witaſſe Lutherus in Catechiſmo minori vult a pœnitente omnia peccata, quorum conſcius eſt, Evangelii Miniſtro exponi. E contra Confeſſio Aug. art. 11. in terminis habet: *Quamquam non ſit neceſſe, omnia peccata in confeſſione narrare*. Vulgo vero affirmant, Confeſſionem non eſſe a Chriſto omnibus in crimina lapſis præceptam. 2. Eam eſſe non oportere omnium & ſingulorum peccatorum. 3. Nullam ei per ſe ineſſe vim ad juſtificationem peccatorum, utpote quæ ſola fide perficiatur. Calvinus vero, ejuſque ſectatores confeſſionem duplicem diſtinguunt, generalem, & particularem, ſeu diſtinctam criminum patratorum; generalem tum apud Deum, tum apud homines neceſſariam eſſe ſtatuunt; particularem vero apud ſolum Deum, & apud homines ſolum, dum peccatis homines læſi ſunt; ita ut ſi quis in fratrem peccaverit, neceſſe ſit, ut peccatum ſuum agnoſcat, antequam veniam mereatur; ſi autem peccavarit cum offenſione plurimorum, volunt præterea, ut coram Eccleſia ſe reum fateatur, quo divinam Gratiam reſarciat. Confeſſionem interim occultorum peccatorum utilem & laudandam admittunt, ſed neceſſariam eſſe negant cum Calvino lib. 3. *Inſt.* c. 4. & Dallæo in præf. ad ſuum lib. *de Confeſſ.* Contra quos probandum jam eſt, Confeſſionem diſtinctam peccatorum omnium, etiam occultorum eſſe ex divino præcepto neceſſariam ad ſalutem conſequendam.

12. Confeſſio diſtincta peccatorum omnium etiam occultorum a Chriſto inſtituta eſt, ut omnibus in peccata lethalia poſt baptiſmum lapſis neceſſarium ad ſalutem remedium.

Propoſitio hæc manifeſte ſequitur ex authoritatibus Matth. 16. v. 19. Joannis item 20. v. 21. N. 4. adductis. Monſtratum quippe jam eſt per dicta præcedentia Apoſtolos illis Chriſti Verbis accepiſſe poteſtatem abſolvendi fideles poſt baptiſmum lapſos, (de infidelibus enim ait S. Paulus, *Quid enim mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?*) cum vero ibidem accipiant poteſtatem non vagam quoſcunque obvios de peccatis in genere dolentes abſolvendi, ſed quorundam peccata *remittendi*, quorundam *retinendi*, quæ ex dictis ibidem de *Poteſtate baptizandi* intelligi non poteſt contra Calvini ſingularem ſententiam, aperte conſtat eos accepiſſe poteſtatem *Judiciariam*. Hoc autem poſito ſua ſponte conſequitur, neceſſariam omnino fidelibus eſſe diſtinctam etiam occultorum confeſſionem (ſi cauſam impotentiæ excipias), ut eorum remiſſionem recipiant, nec remitti illis peccata, quæ Sacerdotes non remittenda judicaverint, ſuppoſito nimirum, quod illa per perfectam contritionem junctam NB. cum propoſito vel explicito, vel implicito confeſſionis non eluerint, de quo agunt Theologi, eo vel maxime quod Chriſtus Joan. 20. ante collationem hujus poteſtatis declaret eodem modo ſe mittere Apoſtolos, quo ipſe a Patre miſſus fuerat ad ſalvandos fideles, dicens: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*; ac proinde quemadmodum nemo liberatur, niſi per Chriſtum, ſic nullus ſolvitur, niſi per Apoſtolos & eorum Succeſſores. Sed his rex-

tibus

Digitized by Google

tibus commendari neceſſitatem confeſſionis diſtinctæ peccatorum, & quidem non tantum eorum, quæ publice cum ſcandalo perpetrata ſunt, verum etiam occultiſſimorum, demonſtrabimus iterum ex teſtimoniis Patrum omnium Sæculorum, conſenſuque Eccleſiarum. Ex quibus primo mendacii arguentur Hæretici & imprimis Dallæus, affirmare audentes ante Innocentii tempora, qui ſedit Romæ Sæculo XIII. nullum Romanorum Pontificum Sacramentalem confeſſionem inculcaſſe, ſed hanc eſſe ejuſdem inventum. Secundo ejuſdem Dallæi, & ipſi adhærentium Calviniſtarum effugia præverteotur, quibus teſtimonia Patrum ad ſolam confeſſionem publicam & quidem criminum ſolum publicorum tantummodo extendunt.

13. Patres primorum III. Sæculorum confeſſionem commendarunt, volueruntque ad ignis æterni evaſionem, vitæque beatæ conſecutionem lege divina neceſſariam, non illam Deo factam, ſed ei, qui præeſt, nec ſolum in animo, ſed ore; hæcque his Sæculis inſtitui ſolita eſt, etiam de iis peccatis, quæ Eccleſiæ nullum ſcandalum præbuerunt, ſed in occulto, vel etiam interno conſenſu patrata ſunt.

Omnia hæc membra, quibus Proteſtantium effugia plene præoccupantur, ex afferendis Patrum teſtimoniis, Conciliorum Canonibus, Pontificum Decretis, Eccleſiæque ſenſu nitide probabuntur. Et quidem pro I. Sæculo quidam ex noſtris afferunt ep. Barnabæ, in qua N. 19. veria inter monita ſalutis commendat confeſſionis uſum, loquens, *Confitemini peccata veſtra.* Item Clementis ep. ad *Jacobum Fratrem Domini*, Apoſtolicaſque Conſtitutiones ſub ejus nomine editas; in qua ep. N. 15. loquitur de iis, qui vomunt, hoc eſt confitentur delicta, tanquam morbidam bilem, & a morbo alleviantur, recipientes ſalutarem ex ſedulitate ſanitatem. Quæ monumenta quamquam ſint apocrypha, duo tamen non levis momenti rei Catholicæ conferunt. Primum, quod ep. Barnabæ ante finem ſæculi ſecundi ſcripta ſit, cum citetur non ſemel a Clemente Alexandrino; Conſtitutiones vero Clementis ac epiſtolæ a Ruffino Sæculo IV. latinitate donatæ ſint. Secundum, quod fateantur Proteſtantes nullum tunc temporis quoad hoc caput in Eccleſia diſſidium extitiſſe, atque ideo nihil eſt ab uno probatum, quod ab aliis probari non potuerit. Pro Sæculo II. S. Irenæus lib. 1. c. 9. de Marco hæretico & præſtigiatore, ac pluribus mulierculis ab eo ſeductis differens: *Hæ*, inquit, *ſæpiſſime converſæ ad Eccleſiam Dei, confeſſæ ſunt, & ſecundum corpus exterminatas ſe ab eo, & velut cupidine inflammatas valde illum ſe dilexiſſe.* Tum addit de uxore cujuſdam Diaconi, quæ ſimile infortunium paſſa, *omne deinceps tempus in exomologeſi conſummavit, plangens, ac lamentans ob hanc, quam paſſa eſt ob hoc mago corruptelam.* Denique lib. 3. c. 4. de Cerdone modo latenter docente, modo vero exomologeſim faciente ſic habet: *Conſummavit modo quidem latenter docens, modo exomologeſim faciens.* Ex quo liquet confeſſionem criminum in Eccleſia primo & ſecundo Sæculo fuiſſe uſurpatam, nec eam de publicis tantum criminibus, ſed etiam de occultis animi libidinibus. Quod autem inſtituta ſit coram Sacerdotibus, patet ex diſſidio Montaniſtas inter & Catholicos exorto, quorum primi duos peccatorum ordines conſtituerunt, quorum alia irremiſſibilia, alia venialia eſſent, utriſque pœnitentiam indicabant, ſed poſt exantlatos pœnitentiæ labores veniam graviorum a ſolo Deo expectari volebant, aliorum vero *ab Epiſcopo* concedi, de quo vide tit. 7. N. 15. Catholici vero omnium criminum remiſſionem per *Sacerdotes* fieri poſſe ex traditione Patrum, utique Apoſtolicorum, ac Apoſtolorum ſuſtinebant. Ex hac autem controverſia manifeſtum eſt, inquit eximius Witaſſe, omnia peccata confeſſioni tunc obnoxia fuiſſe, 1. Quia omnibus etiam levioribus pœnitentia indicebatur; non poterat autem, niſi illa confeſſione innoteſcerent. 2. Quia graviora ab aliis erant ſecernenda. 3. Quia vel ipſis peccatis venialibus Epiſcopus veniam impertiebatur. In cujus confirmationem adducit ex Tertull. lib. *de Pœnit.* c. 9. & 10. inſignem locum, qui ita ſonat: *Hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius, quanto in arcto negotium eſt, tanto operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed etiam aliquo actu adminiſtretur. —— Pleroſque tamen hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis; velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt. -- Grande plane emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet, ſi quid humanæ notitiæ ſubduxerimus, proinde & Deum celabimus? adeone exiſtimatio hominum, & Dei conſcientia comparantur? an melius eſt damnatum latere, quam palam* (hoc eſt confeſſione ſe prodentem) *abſolvi?* En confeſſionem diſtinctam omnium delictorum Sacerdotibus factam Sæculo II. en eandem confeſſionem ab Eccleſia exiſtimatam abſolute neceſſariam ad conſequendam ſalutem. Sed ad Sæculum III. procedamus, in cujus initio occurrit Origenes, qui Homil. 2. in Pſ. 37. ad illud, *iniquitatem meam ego cognoſco: Vide*, inquit, *quod docet nos ſcriptura, quia oportet peccatum non celare intrinſecus. Fortaſſe enim ſicut ii, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, —— ſi vomuerint, relevantur; ita ii, qui peccaverunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum intrinſecus, urgentur, & propemodum ſuffocantur a phlegmate & humore peccati; ſi autem ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam: tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas peccatum confiteri, proba prius medicum, cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, —— ita ut demum ſi quid dixerit, - - ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex qua fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione & ſatis periti medici illius conſilio procurandum eſt.* En confeſſionis diſtinctæ etiam occultorum peccatorum, en ejuſdem neceſſitatis agnitionem, en uſum confeſſionis privatæ, ſeu noſtræ auricularis, ut per ſcomma dicunt Proteſtantes, publicæque in Eccleſia Sæculo III. ab Origene teſtatum. Sed dicit Dallæus, liber hic non eſt Origenis; at vero communi ſententia eſt Origenis, & quæ opponuntur contra, a Sammarthano diluuntur l. 2. *de confeſſ.* Sed non ſit Origenis, eſt certe veteris Eccleſiæ Authoris, de cujus ſenſu hic ſolum laboramus. Adde, inquit, Witaſſius, quod ſcribit Sozomenus lib. 7. c. 16. occaſione Novatianorum, adverſus Eccleſiam inſurgentium, factum eſſe, ut cum hactenus confeſſiones excepiſſent Epiſcopi, inſtitutus fuerit Presbyter Pœnitentiarius, quem omnes in crimina etiam *ſecreta* prolapſi adirent, ab eo pro delictorum modo & gravitate dignam & congruentem ſatisfactionem obeundam accepturi. Ex quo ſequitur eandem ferme tunc fuiſſe, quæ nunc viget, ea in re Eccleſiæ diſciplinam. Accedit S. Cyprianus, qui lib. *de lapſis* ait: *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen de*

hoc

Digitized by Google

hoc vel cogitaverunt , hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter conſpicientes exomologeſim conſcientiæ faciunt. Dic, Sodes ! Chriſtiani Sæculo III. Calviniſtæ, Lutherani, an Romano-Catholici in hoc puncto fuere?

14. In eandem ſententiam de Eccleſiæ ſenſu circa confeſſionem diſtinctam peccatorum, etiam occultorum, atque in aures Sacerdotum fieri ſolitam, ejuſque ad ſalutem abſolutam neceſſitatem conſpirarunt Patres Sæculi IV.

Primus occurrit Lactantius, qui hujus Sæculi initio Criſpi Cæſaris primum Præceptor, demum in ſumma paupertate mortuus eſt. Hic lib. 4. *inſtit.* c. 30. Catholicam Eccleſiam ab Hæreticis diſcernens ait: *Sed tamen quia ſinguli quique cœtus Hæreticorum, ſe potiſſimum eſſe Chriſtianos, & ſuam eſſe Catholicam Eccleſiam putant, ſciendum eſt illam eſſe veram, in qua eſt confeſſio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.* Quomodo autem confeſſio facienda ſit, exponit c. 17. ubi de circumciſione Judæorum diſſerens ait: *Ut hoc argumento nos admoneret* (Deus), *ne involutum pectus haberemus, id eſt ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit, ut ſi cor nudaverimus, id eſt ſi peccata confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur, quæ contumacibus, & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.* Loquitur hic Lactantius de confeſſione arcanorum, quæ extrinſecus prodeat, quæque ſit ineluctabilis neceſſitatis. Secundus pro eodem Sæculo teſtis eſt Ath. ſermone in illa verba, *Profecti in pagum -- invenietis pullum alligatum &c.* ubi N. 7. ait: *Si nondum ſoluta ſunt vincula tua, trade teipſum Diſcipulis Jeſu; adſunt enim, qui nos ſolvant accepta ea a Salvatore poteſtate, Quodcunque ligaveritis &c.* quem ſermonem immerito Athanaſio abnegat Dallæus, cum in omnibus Mſs. reperiatur. Tertius eſt S. Hilarius, qui in Matth. c. 18. de clavibus a Chriſto Eccleſiæ conceſſis ſic habet: *Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit, ut quos in terra ligaverint, id eſt peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſolverint, confeſſione videlicet veniæ receperint in ſalutem, hi Apoſtolicæ conditione ſententiæ in cœlis quoque aut ſoluti ſint, aut ligati.* Gratis autem Dallæus pro confeſſione putat legendum *conceſſione*, tum quia omnes ad unum codices Mſs. habent τὸ *confeſſione*, tum eſto legi debeat *conceſſione*, hoc Dallæi cauſam non juvaret, quia ex ipſa Hilarii periodo confeſſionis neceſſitas ultro conſequitur. Inter Patres Græcos S. Baſilius plura nobis ejuſdem confeſſionis monumenta reliquit, tres enim epiſtolas *ad Amphilochium canonicas* ſcripſit, quæ id unum ſpectant, ut certæ & propriæ ſingulis peccatis pœnæ luendæ attribuantur. Id autem peragi non poterat ſine confeſſione, ſeu exomologeſi, de quo infra uberius. Præterea idem S. P. in regulis brevioribus interrogatione 288. ſciſcitatur: *An qui peccata ſua confiteri vult, omnibus paſſim, & quibuſvis ea confiteri debeat, an certis quibuſdam?* atque ſic ſtatuit: *Quoniam igitur etiam converſionis modus accommodatus eſſe debet ei, qui peccat, & propterea opus eſt fructibus dignis pœnitentiæ, neceſſario iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.* Conſpirant in hanc rem S. Gregorius Nyſſenus, & Ambroſius, quorum primus oratione 10. contra Eunomium ait: *Si enim venerandorum & honorabilium nominum SS. Trinitatis confeſſio eſt inutilis, inutiles etiam ſunt Eccleſiæ Ritus: in his autem Ritibus eſt ſigillum, deprecatio, baptiſmo, peccatorum confeſſio.* Item in ſermone adverſus eos, qui alios acerbe judicant: *Afflictionis participem & ſocium ſume Sacerdotem, -- audacter oſtende illi, quæ ſunt recondita animi arcana, tanquam occulta vulnera medico detege.* Ne quis autem putet Conſilium hoc eſſe duntaxat, non præceptum, ſubdit: *Incertus eſt terminus vitæ; diſceſſum a vita diligentia prævertamus —— & ardorem excruciantis illius ignis.* Ambroſii ſententiæ adeo in rem noſtram claræ ſunt, ut ſupervacaneum ſit eas referre; facta proinde ejuſdem Patris iiſdem ſubſtituimus. Sic enim narrat Paulinus ejus Diaconus in ejus vita N. 39. commendans ſummam ejus in pœnitentes benignitatem. *Erat*, inquit, *gaudens cum gaudentibus, flens cum flentibus. Siquidem quotieſcunque aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret, videbatur enim ſibi cum jacente jacere: cauſas autem criminum, quæ illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem intercedebat, loquebatur.* En confeſſionem ſecretam in Eccleſia Mediolanenſi; et quod eſſet neceſſaria ad remiſſionem peccatorum, idem Paulinus peccatores alloquens ſubdit: *Ipſe* (peccator ejuſmodi) *ſui accuſator eſt, nec exſpectat accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, ne habeat quod adverſarius criminetur, —— dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris quam mortem.*

15. Ex facto Nectarii ad finem Sæculi IV. non poteſt colligi confeſſionem ſecretam peccatorum occultorum ab Eccleſia fuiſſe conſideratam ut rem adiaphoram, & lege divina minime præceptam.

Hiſtoriam famoſam refert Socrates lib. 5. c. 19. juxta Valeſii Verſionem. *Sub idem tempus*, inquit, *Presbyteros Eccleſiarum, qui pœnitentiæ præerant, placuit aboleri, idque ob ejuſmodi cauſam. Poſtquam Novatiani ſe ab Eccleſia ſejunxiſſent, eo quod cum illis, qui perſecutione Deciana lapſi fuerant, communicare noluiſſent; ex illo tempore Epiſcopi Pœnitentiarium Presbyterum albo Eccleſiaſtico adjecerunt, ut qui poſt Baptiſmum lapſi eſſent, coram Presbytero ad eam rem conſtituto delicta ſua confiterentur: & apud alias quidem ſectas hæc regula etiamnum perſeverat, ſoli vero Homouſiani, & qui cum illis in fide conſentiunt Novatiani Presbyterum pœnitentiæ prapoſitum rejecerunt. Nam Novatiani ne initio quidem ſupplementum hoc admiſerunt, Homouſiani vero, qui nunc Eccleſias obtinent, cum hoc inſtitutum diu retinuiſſent, tandem Nectarii Epiſcopi temporibus abrogarunt ob facinus quoddam, quod in Eccleſia commiſſum fuerat. Mulier quædam Nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens delicta poſt Baptiſmum a ſe perpetrata ſigillatim confeſſa erat: Presbyter vero præcepit mulieri, ut jejuniis & orationibus continuis vacaret; quo ſcilicet una cum delictorum confeſſione opus etiam pœnitentiæ conveniens oſtenderet.* (*Græce*, hi di gyai *probanuſa quod Chriſtophorſonus vertit: Mulier longius in confitendo progreſſa*) *aliud facinus confeſſa eſt, Eccleſiæ videlicet Diaconum cum ipſa ſtupri conſuetudinem habuiſſe. Id cum dixiſſet, Diaconus quidem Eccleſia ejectus eſt, populus vero graviter commoveri cœpit. Neque enim ſolum ob ſcelus quod patratum fuerat, indignabatur: verum etiam eo quod haud mediocris atque infamia hoc facto aſperſa videbatur Eccleſia. Cum igitur eam ob cauſam Eccleſiaſtici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Eccleſiæ Presbyter Alexandria oriundus Epiſcopo Nectario ſuaſit, ut Pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret, unum-*

quem-

quemque vero pro arbitrio & pro animi ſui conſcientio ad ſacramentorum Communionem ſineret accedere; neque enim aliter fieri poſse, ut Eccleſia ob omni probro libera eſset. Hæc ego cum ab ipſo Eudæmone accepérim, hiſtoria huic inſerere non dubitavi. —— *Et initio quidem Eudæmoni iſto dixi: Conſilium tuum, o Presbyter, utrum Eccleſiæ profuerit, an non, Deus viderit. Cæterum anſam ex eo ſingulis datam eſse video, ut delicta ſua invicem amplius non coarguant, nec obſervent præceptum illud Apoſtoli, quod ita ſe habet: Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, ſed potius redarguite. Verum de his ſatis.*

Sozomenus circa Sæculi V. medium cum Socrate Euſebianæ hiſtoriæ continuator eadem refert lib. 7. c. 16. *Per idem tempus*, inquit, *Nectarius Conſtantinopolitanus Epiſcopus Presbyterum illum, qui præpoſitus erat pœnitentibus, primus ex Eccleſia ſuſtulit: cujus exemplum omnes fere Epiſcopi poſtea ſunt ſecuti. Quid autem hoc ſit, & unde originem ſumpſerit, & quam ob cauſam ſublatum ſit, alii quidem aliter fortaſse narrant, ego vero ea dicam, quæ ſentio. Cum in nullo penitus peccare divinioris cujuſdam naturæ ſit & humanæ præſtantioris, pœnitentibus, vero etiamſi ſæpius deliquerint, veniam dare Deus præceperit, cumque in petenda venia peccatum neceſſario confiteri oporteat; grave & moleſtum ab initio jure & merito viſum eſt Sacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus eſset, & taciturnitate & prudentia polleret, huic officio præfecerunt; ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus ſuos confitebantur. Ille vero pro cujuſque delicto quid aut facere ſingulos aut luere oporteret pœna loro indicens, abſolvebat confitentes a ſe ipſis pœnas criminum exacturos. Verum Novatianis quidem, qui nullam rationem habent pœnitentiæ, nihil hac re opus fuit. Apud reliquas autem ſectas hic mos etiamnum perſeverat, & in Occidentalibus Eccleſiis, ac præcipue in Eccleſia Romana, ſtudioſe obſervatur. Illic enim in propatulo eſt pœnitentium locus, in quo ſtant mæſti ac veluti lugentes.* ——— *In Conſtantinopolitana autem Eccleſia certus Presbyter conſtitutus erat, qui pœnitentibus præeſſet, donec Matrona quædam nobilis ob peccata, quæ confeſſa fuerat, juſſa ab hoc Presbytero jejunare, ac Deum ſuppliciter orare, dum hujus rei cauſa in Eccleſia moratetur, a Diacono ſe ſtupratam eſſe prodidit: quo cognito plebs omnis vehementer ſuccenſuit,* —— *Nectarius vero eum, qui ſtuprum admiſerat, Diaconatu exuit. Cumque nonnulli conſilium ei dediſſent, ut unicuique, prout conſcius eſſet, ac fiduciam ſui haberet, ad ſacrorum myſteriorum communionem accedendi liberam faceret poteſtatem; Presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpoſitus erat, abolevit. Atque ex eo tempore id firmum ac ſtabile permanſit, vetuſtate, ejque adjuncta gravitate ac ſeveritate, jam tum ut opinor, in laxam ac diſſolutam vivendi rationem paulatim delapſo. Nam antea, ut equidem exiſtimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui ſua ipſi delicta annuntiabant, tum ob ſeveritatem Judicum, qui ad id erant conſtituti.* Hæc ſola hiſtoriæ in auras ſua ſponte abire exiſtimant Novatores, quidquid Catholici ex primorum quatuor ſæculorum monimentis corradunt ad probendum Confeſſionem diſtinctam peccatorum tum fuiſſe exiſtimatem ex præcepto divino neceſſariam ad conſequendam ſalutem. Et quidem Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 11. N. 7. cum non poſſet negare eam, quæ apud nos uſitetur, confeſſionem ante hæc tempora involuiſſe, id ultro concedit; ſed ex hoc Nectarii facto colligit eam *Juris divini* non fuiſſe, quippe quæ ab eo Præſule pleriſque aliis aſſentientibus abrogata ſit; tum procaciter Catholicis inſultans: *Hic, hic*, inquit, *aures aſini iſti erigant! ſi enim lex Dei erat auricularis confeſſio, qui auſus eſt Nectarius eam refigere & convellere?* Sed quam ægrum olfectum habuerit Arcadicus iſte Leo in ſubodorando ſenſu genuino ſcriptorum citatorum, vel ipſe devotiſſimus ejus diſcipulus Dallæus prodit, qui hac in parte Magiſtrum adoratum prorſus deſerit, dum Baronio, Bellarminoque ſubſcribens affirmat, ex narratione Socratis & Sozomeni nihil aliud colligi poſſe, quam a Nectario, aliiſque plurimis Epiſcopis *ſolum Pœnitentiarium publicum, ejuſque munus fuiſſe ſublatum*, de quo infra; qui tamen ex hactenus dictis, & ex ipſa hiſtoria aperte convincitur, quod vigilias ſuas, & lucubrationes contradictionis ſpiritui ſacraverit, dum illis non obſtantibus neget & pernegat ſecretam, ſeu auricularem confeſſionem ante Innocentium III. ſeu ante Sæculum XIII. unquam extitiſſe, quin nec exiſtentiam confeſſionis publicæ occultorum delictorum ex ullo horum Sæculorum genuino monimento poſſe probari, ſed ſolam *Pœnitentiam publicam* in crimine publico, ad tribunalia Epiſcoporum delata, adhibitam. Quod quantæ audaciæ ſit, cuilibet Proteſtantium cordato dijudicandum relinquo. Ex Catholicis ergo Latinus Latinius hanc Socratis & Sozomeni narrationem ut falſam rejicit, cum uterque Novatianis, reconciliationis Eccleſiaſticæ hoſtibus, faviſſe aperte convincatur, ſed refellitur communiter ex circumſtantiis hiſtoriæ, quæ tales ſunt, ut mentiri etſam volentes non potuerint. Secundo Valdenſis & Canus arbitrantur confeſſionem Sacramentalem reipſa a Nectario fuiſſe antiquatam, eumque graviter in hoc peccaſſe, ſed hæc ſententia convellitur ex viri hujus ſanctitate, & omiſſa reliquorum Epiſcoporum reprehenſione in re tanti momenti. Tertio Petavius exiſtimat ſublatam fuiſſe *Pœnitentiam* publicam; ſed hanc poſt mortem Nectarii tum Conſtantinopoli, tum alibi adhuc viguiſſe ex dicendis infra conſtabit, eam nihilominus recentiſſime tuetur Bertus. Quarto Baronius & Bellarminus exiſtimant Nectarium hoc decreto *Confeſſionem* publicam abrogaſſe una cum ſuis Miniſtris, quod multis ſuadent hiſtoriæ circumſtantiis; ſed Witaſſe conatur evincere eo decreto Conſtantinopoli alibique *ſolum Presbyterum Pœnitentiarium*, totumque ejus munus circa pœnitentiam publicam, nec quidquam amplius abrogatum fuiſſe, quod infra ſuo loco ſuſtinebimus. Ad noſtrum intentum hic ſufficit, ſtante eodem decreto confeſſionem omnium peccatorum, etiam vulgarium inviolatam permanſiſſe, quod multa evincunt. Primo enim cuncti, qui præceſſerant Patres, eam ad ſalutem eſſe neceſſariam ſtatuerant, ut patet ex dictis: id autem convellere nec voluit, nec potuit Nectarius. Secundo, hac ipſa in hiſtoria non levia ſunt ejuſdem rei veſtigia; 1. enim id potiſſimum a Presbytero poſtulabatur, ut *prudentia & taciturnitate* polleret; ergo ei etiam arcana prodebantur. 2. Mulier illa perhibetur ſua ei delicta poſt baptiſmum perpetrate *ſigillatim* detexiſſe. 3. Sozomenus id *neceſſario* factum eſſe animadvertit, quia videlicet ſine confeſſione venia peccatorum obtineri non poteſt, verba ſunt Witaſſii; quam confeſſionem Conſtantinopoli poſt fata Nectarii ſuperſtitem manſiſſe ex Chryſoſtomo, & Joanne Jejunatore, ejuſdem ſucceſſoribus, Synodoque Trullana mox demonſtrabimus.

16. Interim Dallæi non juvat, quod in citata hiſtoria legatur, Nectarium *liberam cuique feciſſe poteſtatem, ut ad arbitrium, & pro animi ſui conſcientia ad Sacramentorum communionem accederet;*

ciderer; ex quo infert, nulla ergo lex erat confeſſionis ante communionem Sacramentorum faciendæ.

Bene enim negat Witaſſe, Nectarium hanc poteſtatem unicuique feciſſe *abſolute*, ſed ſolum comparate ad tempora præcedentia; 1. quia olim magna & anxia in fidelium mores inquiſitio fiebat; quod refert Origenes lib. 3. contra Celſum inquiens: *Apud Chriſtianos quidam ſunt conſtituti ad inquirendum in vitam & mores eorum, qui ad Sacra ipſorum accedunt, ut eos, qui turpia perpetrarunt facinora, a publicis eorum conventibus arceant.* Cum hæc ergo cura Presbytero Pœnitentiario demandata eſſet, totus in eo erat, ut latitantes deprehenderet, reſtitantes premeret, cunctos obſervaret. Sic fiebat, ut e facinoroſis nemo fere effugeret. Aut enim pœnitentiam efflagitabant ob delicta occulta, aut ad eam cogebantur ob delicta publica. Id autem ſuſtulit Nectarius, ex quo libertas nata eſt pro arbitrio fere & animi ſui conſcientia ad tremenda myſteria accedendi. 2. Pœnitentiarius Presbyter olim non certum duntaxat pœnitentiæ tempus aſſignabat, ſed etiam an eam legitime, & prout par erat, obirent, explorabat; alioqui illos prohibebat a ſacris; poſt Nectarii autem Decretum, quiſque pro animi ſui conſcientia ea fungebatur, & poſtmodum ſine ullo examine ad communionem admittebatur. Atque hæc duo ſunt imprimis capita, de quibus Socrates ac Sozomenus conqueruntur. Hæc Witaſſius, qui tamen ſubdit: *Cave autem eorum verba ad vivum reſecet, ut omnino libertas conceſſa eſſe exiſtimetur: Hac enim interpretandi ratione omnem pœnitentiæ publicæ neceſſitatem everteret; & quidem multo felicius & plauſibilius, quam ſecretæ confeſſionis. Nam de Pœnitentia publica agunt illi Scriptores; narrant ei præfectum eſſe Presbyterum publicum; eum vero a Nectario abrogatum eſſe narrant, & unicuique factam eſſe poteſtatem, ut arbitrio ſuo ad ſacra myſteria adiret. Quis inde non inferret abolitam eſſe pœnitentiam publicam?* (id enimvero infert Petavius & Bertus) *atqui ea tamen abolita non fuit, idque fatetur Dallæus, ergo multo minus antiquata fuerit confeſſio. Si enim poſt ſublatum Presbyterum Pœnitentiarium illibata perſeveravit ut antea pœnitentiæ publicæ neceſſitas, longe potiori jure confeſſio: Socratis enim ac Sozomeni oratio magis impetit pœnitentiam, quam confeſſionem.* Pergit Witaſſe; *At inquies, ajunt hiſtorici nullam poſtmodum viguiſſe adverſus ſcelera objurgationem. Diſtinguo: objurgationem publicam C. privatam N. id patet ex hiſtoriæ contextu; loquuntur enim de more delationum ac confeſſionis publicæ quondam uſurpato, quem putant ſummæ fuiſſe ad coercenda flagitia utilitatis.* Sed de hoc infra uberius agendo de ſatisfactione.

17. Confeſſionis diſtinctæ peccatorum etiam occultorum neceſſitatem Sæculo V. agnoverunt Nectarii Succeſſores, aliique Patres.

Inter hos primo loco occurrit S. Joannes Chryſoſtomus, qui ſuis in ſcriptis nihil omiſit, quod ad Eccleſiæ doctrinam muniendam conduceret. Sive eam, qua pollent Sacerdotes in peccatis remittendis, auctoritatem; ſive eam, qua ſinguli adſtringuntur in iis Sacerdotum judicio ſubjiciendis, neceſſitatem; ſive horum in delictis enumerandis, aut illorum in explorandis diligentiam; ſive etiam tempus ad confeſſionem maxime opportunum ſpectes; loca plurima oris aurei profert Witaſſius; ex quibus unum celebriorem huc tranſcribimus, qui exſtat in homilia *de muliere Samaritana* Tom. 6. ubi ait: *Imitemur & nos hanc Mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus, ſed Deum timeamus. Jam vero contrarium fieri video; nam eum, qui nos judicaturus eſt, non reformidamus; eos vero, qui nullatenus nos lædunt, perhorreſcimus, & ignominiam ab ipſis inurendam reformidamus. Quapropter eo ipſo, quod timemus, pœnam ſuſtinemus; qui enim homini detegere peccata erubeſcit, Deo vere cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam agere; in die illa non coram una vel duobus, ſed univerſo terrarum orbe ſpectante traducetur.* Hem dic, ſodes, ſi veritas tibi cordi eſt, clarioribus ne terminis Chryſoſtomus ſuam Orientaliſque Eccleſiæ ſententiam de neceſſitate confeſſionis *ſecretæ ac diſtinctæ occultorum* etiam peccatorum exprimere potuiſſet? quam cum alibi, ac nominatim lib. 3. *de Sacerdotio* cap. 5. iiſdem terminis *Sacerdotibus* eſſe faciendam aſſerat, qua fronte audent Proteſtantes, ac inter illos Dallæus, hunc Patrem ſpectatiſſimum cum Eccleſia Orientali Sæculi V. in ſuas partes trahere? Sane Dallæus, qui Chryſoſtomum tanquam murum æneum Catholicæ de neceſſitate confeſſionis ſententiæ opponere ſibi videtur, non feliciori ſucceſſu farraginem teſtimoniorum, quæ ſibi favere videntur, ex ejus operibus corraſit, quam in controverſia de tranſubſtantiatione collegit teſtimonia Patrum, Euchariſtiam panem, typumque dicentium, de quo vide lib. 1. Tit. 1. N. 258. & ſeqq. Sicut enim ibi vidimus Patres pro exigentia variorum thematum in homiliis ac concionibus aſſumptorum allegorice ac varie de Euchariſtia locutos fuiſſe, qui tamen ſententiam ſuam de tranſubſtantiatione, dum agunt de dogmate, nitide exponunt, ex qua proinde obſcuriora eorum loca veniunt dilucidanda; ita in præſenti quoque materia ſe geſſit Chryſoſtomus, nam citato ac aliis in locis clare mentem ſuam explicat; dum vero hom. 21. ad populum Antioch. dicit: *Deum ſibi ſoli rationem* (peccatorum) *reddi jubere*, alloquitur Catechumenos, eoſque pœnitentiam baptiſmo præviam edocet: his vero utique non eſt neceſſaria confeſſio. Dum vero alibi dicit, non eſſe opus, ut peccata conſervis confiteamur, vult confeſſionem peccatorum hominibus obviis, qui nos *probro* afficiant, vel in publicum *proferant*, ut loquitur homil. 3. *de incomprehenſibili Dei natura*, non eſſe faciendam, aut non eſſe ad ſalutem neceſſarium peccata publice ac in *Theatro*, ut ibi etiam dicit, revelare. Quamvis vero, dum alicubi diſſerit confeſſionem *publicam* non eſſe neceſſariam, de neceſſitate confeſſionis *privatæ* taceat, eam propterea non negat, tacere enim non eſt negare, præſertim cum quis alibi aperte affirmat; nec Orator pro ſuggeſtu in omni themate omnia tractat. Dum vero idem S. Pater alibi remiſſionem peccatorum confeſſioni *Deo factæ* adſcribit, non negat confeſſionem homini fieri præterea neceſſario debere, ſed nobiſcum catholice ſentit, *effectum* confeſſionis poſſe ſine confeſſione oris ſola confeſſione cordis conſequi, non enim dicimus confeſſionem vere contrito peccata delere, ſed ipſam contritionem cum præparatione animi ad confeſſionem oralem ſociatam. Telas ergo araneæ texit Dallæus, quas in tract. de ſacram. pœnit. q. 4. art. 3. difflat Witaſſe & illuſtriores noſtri Polemici. Et ſua ſponte ruunt argutiunculæ hominis petulantis ingenii, ſi ipſis cum Chryſoſtomo Patrum, Eccleſiarumque omnium conſenſus opponatur. Inter hos eodem Sæculo V. Innocentius I. ep. *ad Decentium* c. 7. *De pœnitentibus vero*, inquit, *qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ex levioribus pœnitentiam gerunt, quinta feria ante Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis; ac tum jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem. Sane ſi quis in ægritudinem inciderit, atque uſque ad diſpe-*

deſperationem devenerit, ei eſt ante tempus Paſcha relaxandum, ne de ſæculo ſine communione diſcedat. Innocentio concinit Hieronymus lib. 3. Comment. in c. 16. Matthæi inquiens: *Quomodo ergo ibi* (in Levitico) *leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hic alligat vel ſolvit Epiſcopus & Presbyter; non eos, qui inſontes ſunt vel noxii, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quive ſolvendus.* Plura in hanc rem ex S. Auguſtino congeris Witaſſe & alii. Illuſtriorem locum referam ex ejus epiſt. 180. nunc 228. *Ad Honoratum*, in qua deterret paſtores, ne in perſecutione fugiant, inquiens: *An non cogitamus, cum ad iſtorum periculorum perveniunt extrema, —— quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu, & ab omni ætate concurſus: aliis baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem; —— ubi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequitur eos, qui de iſto Sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* en abſolutionis Sacerdotalis neceſſitatem.

18. Confeſſionis diſtinctæ peccatorum neceſſitas in Eccleſia agnita eſt Sæculo VI. uſque ad XII.

Pro *Sæculo* VI. inter alia teſtimonia numero plurima affert Witaſſius celebrem locum Joannis Abbatis Raithu in notis ad ſcalam Climaci, ubi ait: *Quod enim confiteri ſimpliciter peccata teneamur ex neceſſitate Divini mandati, patet ex Apoſtolicis traditionibus, ac regulis ab eis propoſitis Eccleſiæ Catholicæ per Spiritum S. quorum canones & inſtituta tenentes Dei Sacerdotibus, juxta eorum præceptum, peccata confitentes, indulgentiam & remiſſionem peccatorum accipere efficimur digni.* Quo loco confunditur impudens Dallæus, qui teſtimoniis Climaci preſſus ait, hanc diſciplinam fuiſſe Monachorum duntaxat, ad reliquos fideles non pertinentem. Sed ut fidem N. 15. datam liberemus, Joanni Abbati addimus Joannem Jejunatorem Chryſoſtomi in throno Conſt. hoc Sæculo ſucceſſorem, qui libellum pœnitentialem ſcripſit ad uſum Eccleſiæ Orientalis, cujus plurimi Authores Græci meminere; is autem eſt titulus: *Conſequentia & ordo erga eos, qui peccata confitentur, obſervandus, a S. Patre noſtro Joanne* (Chryſoſt.) *compoſitus & inſtitutus.* In hoc autem libello; *Qui peccata confeſſurus eſt, ſic orditur: Confiteor tibi Domine factor cœli & terræ omnia occulta cordis mei;* deinde Sacerdos eum interrogat ſuper ſingulis peccatorum generibus. Denique poſt exceptam accurate omnium ſigillatim delictorum confeſſionem, idem Sacerdos *pœnitentem abſolvit*, de qua abſolutione infra uberius. Quid ad hæc Arcadicus Leo Calvinus, qui omnes Catholicos ob factum Nectarii Aſini elogio exornavit? Nectariusne ſuo decreto confeſſionem diſtinctam peccatorum abſtulit? & ejus ſucceſſor Chryſoſtomus eidem faciendæ *libellum* Orientali Eccleſiæ præſcripſit? monſtret, ſi poteſt, in toto Chryſoſtomo locum, ubi hac ſua pœnitentiali conſtitutione Prædeceſſoris ſui decretum abrogavit, & ei applaudam; judicent præterea cordati Calviniſtæ, ego an Calvinus hic ſit calumniator? & ſanæ eorum cenſuræ ſubſcribam. Hanc vero perſuaſionem in utraque Eccleſia perſeveraſſe Sæculo VII. pro Latina Eccleſia decretorium teſtimonium ex S. Gregorio M. adnumero, qui homilia 40. ait: *Quid eſt peccatorum confeſſio, niſi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus ſalubriter aperitur in confeſſione, quod peſtifere latebat in mente. —— Confitendo peccata, quid aliud agimus, niſi malum, quod in nobis latebat, aperimus? Doctores Sancti, dum in confeſſione peccati noſtri nos inſtruunt, quaſi vulnus mentis per linguam tangunt; & quia nos loquendo a peccatis eripiunt, quaſi tangendo vulnera ad ſalutem reducunt.* Pro Eccleſia vero Græca ad liberandam itidem fidem N. 15. datam canonem 102. Synodi ſextæ Trullanæ ex pleriſque Orientalibus Eccleſiis congregatæ, ubi poſt præſcriptam Corporis Chriſti reverenter accipiendi rationem dicitur: *Oportet autem eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem a Deo acceperunt, peccati qualitatem conſiderare, & ejus, qui peccaverit, ad converſionem promptum ſtudium: & ſic morbo afferre convenientem medicinam, ne ſi in utroque immoderatione utatur, ab ejus, qui laborat, ſalute excidat. Non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis.* Teſtimonia pro Sæculo VIII. *uſque* ad XII. hic non adnumero, ne illa repetere cogar acturus de confeſſione publica, de ſatisfactione, & abſolutione, ubi locum invenient. Ipſi libri pœnitentiales, qui his Sæculis Parochis ab Epiſcopis copioſe præſcripti ſunt, fidem Eccleſiæ de neceſſitate confeſſionis abunde produnt.

19. Quæſtio, an ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſit diſtincta peccatorum etiam occultorum confeſſio, Sæculo XII. non ſolis inter viros ſapientes agitata ut dogma *mere ſcholaſticum*; & hinc nequaquam liberum fuit unicuique pro arbitrio peccata ſua confiteri.

Probatur I. teſtimonio Goffridi Abbatis Vindocinenſis, qui cum quidam Guillelmus neceſſitatem confeſſionis intra quatuor crimina circumſcriberet, nimirum hæreticæ pravitatis, ſuperſtitionis gentilis, Judaicæ perfidiæ, & ſchiſmatis fraterni, contra hanc ſententiam tanquam contra hæreticam novitatem inſurrexit lib. 3. ep. 16. ubi ait: *Igitur de propoſita quæſtione, quæ magna ex parte, imo prorſus ſecundum tuam intelligentiam, fidei Catholicæ obviare videtur, —— & juxta fidem Chriſtianam ſic intelligere* (ut tu Guillelme) *nec poſſumus, nec debemus. —— Certum eſt, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confeſſione indigere & pœnitentia.* Motus erat ad contrarium ſentiendum Guillelmus authoritate Ven. Bedæ lib. 5. in *Lucam* cap. 17. ubi propter hæc quatuor peccata neceſſe eſſe ait ad Eccleſiam venire, ac ſubdit: *Cætera vero vitia tanquam valetudinis & quaſi membrorum, atque ſenſuum, per ſeipſum interius in conſcientia & intellectu Dominus ſanat & corrigit.* Floruit autem Beda Sæculo IX. *Ex cujus authoritate liquet*, inquit Dallæus, *eam confeſſionem, qua gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandendam eſſe ſcribit, eam eſſe, qua publicam pœnitentiam peterent: cætera omnia delicta nihil tum ex ulla Eccleſiæ lege neceſſe fuiſſe apud Sacerdotes confiteri.* Sed ſi Calviniſta Bedæ locum ita intelligit, ſeipſum confodit, exiſtimat enim *omnia* crimina publicæ fuiſſe huic pœnitentiæ addicta, cum tamen Beda quatuor ſolum crimina & quidem extra Eccleſiam commiſſa enumeret. Intelligendus ergo eſt de confeſſione publica Sacerdotum collegio facienda ad recipiendum verum fidei aut Eccleſiæ unitatis cultorem, qui enim Gentilis eſt, aut Judæus, aut hæreticus, & ſchiſmaticus, ad Eccleſiam accedit, hancque lepram ſuam (de qua ibi in Lucam loquitur Beda) publice confitetur, *ut in ejus gremium recipiatur*; hoc autem locum non habet in reliquis peccatis, ut hic Bedam explicat Goffridus. Hanc autem eſſe Bedæ mentem, patet ex ejus commentario in cap. 5. ep. Jacobi, ubi ait: *Neque enim ſine confeſſione emendationis peccata queunt dimitti.* Quibus verbis procul abeſt, ut peccata publica intelligat, quin ſententiam ſuam in Lucam mox celatam declarat. Goffrido adſtipulatus Petrus Venerabilis in lib. de miraculis, ubi relata punitione & monitione divina quorundam, qui peccata ſua in confeſſione celarunt, ſubdit: *Nullatenus poterat ſalvari, niſi quod perniciose celaverat, ſalubriter ſtuderet confitendo manifeſtare.*

S. item Bernardus & dictis & factis eandem confeſſionis neceſſitatem declaravit, tum alibi, tum in exhortatione ad milites templi c. 12. ubi ait: *Quod ſi quiſpiam confiteri confunditur, —— talis pudor peccatum adducit*; qui etiam primo miraculo cuidam Josberto agonizanti loquelam reſtituit, ut confiteri peccata ſua poſſet, uti in ejus vita narrat Guillelmus S. Theodorici Abbas.

20. Veritati propoſitionis præcedentis non obſtat authoritas Gratiani diſt. 1. *de Pœnit.*

Hanc authoritatem Dallæus adverſus totius Eccleſiæ XII. Sæculo fidem, tot antiquorum Patrum teſtimoniis firmatam, velut murum æneum opponit: ſic autem ſe habet res. Gratianus cauſa 33. mulierem quandam inducens, quæ crimen a ſe admiſſum Deo tantum confeſſa fuiſſet, q. 3. ſeu diſt. 1. *de pœnit.* expendit: *An ſola confeſſione cordis crimen poſſit deleri?* Controverſiam proponit his verbis: *Utrum ſola cordis contritione & ſecreta ſatisfactione, abſque oris confeſſione quiſque Deo poſſit ſatisfacere?* Cum autem hac de re duæ tunc eſſent opiniones, ſic addit: *Sunt enim, qui dicunt, quemlibet criminis veniam ſine confeſſione facta Eccleſiæ, & ſacerdotali judicio poſſe promereri.* Atque allatis teſtimoniis Ambroſii, Auguſtini, aliorumque Patrum, ac juris civilis, pergit: *Luce clarius conſtat cordis contritione, non oris confeſſione peccata dimitti*; quod iterum probat variis authoritatibus. Quibus allatis, alteram ſententiam in hunc modum exponit: *Alii e contrario teſtantur dicentes, ſine confeſſione oris neminem a peccato poſſe mundari, ſi tempus ſatisfaciendi habuerit*: quam iterum authoritatibus munit. *Jam*, inquit Dallæus, *juxta Gratianum duæ erant inter viros ſapientes & Religioſos opiniones de confeſſionis neceſſitate; ergo libera tunc fuit, & uniuſcujuſque arbitrio relicta. Ergo lex de confeſſione omnibus neceſſario facienda, poſtmodum a Concilio Lateranenſi invecta, Innocentianum vere Tormentum eſt.*

Sed murum hunc luteum abſque palea diſſipat Witaſſius diſtinguendo Antec. Juxta Gratianum duæ tunc erant opiniones de confeſſionis neceſſitate, *quoad effectum*, hoc eſt, quoad veniam conſequendam, concedit; *quoad præceptum*, negat. Et pergit: Duplex quæſtio eſt de confeſſione; una Catholicos inter & hæreticos de neceſſitate confeſſionis *quoad præceptum*, an videlicet confeſſio omnibus in crimina lapſis a Chriſto præcepta, & in Eccleſia ſemper uſurpata ſit? altera inter Theologos de confeſſionis neceſſitate *quoad remiſſionem peccatorum*: an nempe prima gratia contritione ante confeſſionem & Sacramentum, an vero demum in Sacramento obtineatur extra caſum neceſſitatis? Primam de lege ac præcepto Chriſti circa confeſſionem hic non attingit Gratianus; ſed ſecundam, quæ eo tempore non mediocri animorum contentione in utramque partem agitabatur. Cum enim omnes in eo conſentirent, quod ad Sacramentum amor Dei, & charitas requirerentur; in eo diſſidebant, ſcilicet an amor ille, eaque charitas ſtatim divinam gratiam conciliarent, an vero ad eam impetrandam expectandum inſuper eſſet Sacramentum? ac ii quidem omnes, plerique ſaltem, quorum ſcripta ad nos pervenerunt, cenſuere peccata deleri contritione ante Sacramentum, ita ut abſolutio, quæ conſequitur, ipſa peccata tunc non ſolveret, ſed ſoluta oſtenderet; attamen multi erant, qui aliter ſentirent. Atque hæc eſt controverſia, quam expendit Gratianus; diſputat, inquam, *de effectu* confeſſionis, non *de præcepto*. Hanc ſuam ſententiam probat Witaſſius 1. ex ipſo titulo, qui ſic concipitur: *Si ſola confeſſione cordis crimen poſſit deleri.* Secundo ex iis, quibus primam opinionem exhibet, verbis. *Sunt enim*, inquit, *qui dicunt, quemlibet criminis veniam ſine confeſſione - - poſſe promereri.* Tertio, quia his locutionibus promiſcue utitur, *ſine confeſſione, ante confeſſionem, in contritione, non in confeſſione*, item *de venia, de juſtificatione, de remiſſione, de mundatione*. Sed ſi ipſa diſt. 1. *de pœnit.* juſtis ponderibus examinetur, nihil erit evidentius, Gratianum non de præcepto confeſſionis, ſed de eo tantum pugnaſſe, an fieret in ſignum *veniæ acceptæ*, an in *cauſam juſtificationis* accipiendæ. Quod confirmatur 1. quia Petrus Lombardus Gratiano æqualis in 4. ſent. diſt. 17. duplicem proponit quæſtionem; primam *de confeſſionis efficacia* iiſdem omnino verbis, quibus hanc ſuam Gratianus, quam inſuper iiſdem authoritatibus munit; alteram vero *de lege ac præcepto circa confeſſionem*. 2. Quia incredibile eſt, Gratianum in antiquitate verſatum, confeſſionis neceſſitatem in dubium revocare voluiſſe, quam veteres innumerabilibus teſtimoniis ubique paſſim adſtruunt. Et hæc ſententia eſt verior, atque ad obviandum telis Dallæi aptior. Quamvis non ſit diffitendum varias eſſe, ac olim fuiſſe de hoc Gratiani loco opiniones. Et quidem Antonius Aug. in dialogis exiſtimat totum hoc non eſſe Gratiani. 2. SS. Thomas, Bonaventura, & Antoninus id interpretati ſunt de ipſa *confeſſione*, cujus, etſi a Chriſto inſtitutæ, tunc temporis nullam fixam legem extitiſſe autumant. In horum ergo ſententia retorquetur argumentum in Dallæum: Sæculo III. dubitatum fuit a Cypriano cum Africanis, & Firmiliano cum Aſianis plurimis Epiſcopis, an baptiſma ab hæreticis collatum ſit validum? ergo dogma de valore baptiſmatis non eſt dogma fidei? negat conſequentiam Dallæus, negamus & nos ejus illationem, quod confeſſio ſit tormentum Innocentianum; eſſe enim præceptum Chriſti, vel non eſſe, nequaquam definiri debet ex quorundam hominum dubio ſubinde emerſo, ſed ex ſcriptura, atque perpetuo Eccleſiæ ſenſu, id quod jam præſtitimus, & ulterius præſtabimus. 3. Eſtius fatetur Gratianum nihil de confeſſione certi habuiſſe. 4. Gregorius vero de Valentia cenſet Gratianum turpiter eſſe hallucinatum, proponendo hanc quæſtionem, de confeſſione ſumptam, tanquam Sæculo XII. inter viros doctos controverſam, eo quod omnes hujus ſæculi Doctores in confeſſionis neceſſitatem conſpiraverint, quos refert pro ſuæ ſententiæ confirmatione Witaſſius, ſuntque præter jam relatos Bernardum & Goffridum, Theobaldus Stampenſis, Petrus Cellenſis, Robertus Pullus, Riccardus & Hugo Victorini, Petrus Bleſenſis, Lombardus, Petrus Pictavienſis, quorum teſtimonia ibidem ad longum adducit, quibus confeſſionis neceſſitatem aperte edicunt; quorum ſuffragio iterum probabilior evadit Witaſſii ſententia, quæ contra Valentiæ opinionem etiam ex hoc ſuſtinenda eſt, quod Gratianum a turpi hallucinatione liberet; qui ab aliis ex ſuppoſito, quod non de confeſſionis effectu, ſed de ipſa confeſſione verba faciat, adhuc ita excuſatur, quod non loquatur de Theologis ſuæ ætatis (qua in parte non potuiſſet falli), ſed de Theodoro Cantuarienſi, aliiſque veteribus, quorum mentem non ita bene cœperat, quam tamen refert, ac virorum ſapientum ac Religioſorum titulo exornat. Fruſtra autem contra Witaſſii ſententiam reponit Dallæus, Gratianum inducere mulierem, quæ adulterii crimen a ſe admiſſum *Deo* tantum corde confeſſa fuerat, non autem Sacerdoti, inferens, Ergo ibi agebat de confeſſione cordis, quæ Sacerdotis conſcientiam excluderet. Reſpondetur enim, adductam eſſe hanc mulierem in occaſionem inſtituendæ quæſtionis, non in exemplum. Cum ergo ſi-

ctitia

ſtiria illa mulier ſtatueretur ſoli Deo confeſſa eſſe flagitium ſuum, inde anſam arripuit Gratianus diſputandi, an confeſſio facta Deo ſatis huic mulieri eſſe potuerit ad impetrandam illico veniam, non admodum ſollicitus, an Sacerdoti deinceps ſcelus confeſſa fuerit, aut confiteri debuerit, quia ad præſens argumentum non faciebat. Aliunde non ſatis accuratus fuit Gratianus in proponendis, ordinandis, ac deducendis quæſtionibus, de quo vide lib. 1. Tit. 2. N. 239. & ſeq. Fruſtra item reponit 2. hoc ævo reipſa quoſdam extitiſſe, qui confeſſionis neceſſitatem inficiati ſunt. Hoc enim non negamus, ſed minime *Doctos* ac *Religioſos* fuiſſe affirmamus, verum aut *Hæreticos* aut *temerarios*. Priores quidem memorant Alcuinus & Goffridus, ſed hos *Hæreticos*, *ſectarios*, & *Catholicæ fidei everſores* appellant. Aliorum mentionem faciunt Robertus Pullus, & Hugo Victorinus: ſed hos vocat Pullus *nimis audaces*, ac *præſumptuoſos*, Hugo *perverſos*, qui ſcripturas perverterent, quo earum auctoritate malitiam ſuam defenderent. Videant ergo Calviniani, quos confeſſio adverſarios aliquando nacta ſit, & eos talis originis pudeat. Cum vero hi homines ſectam non fecerint, vera manent dicta N. 10. ante ſæculum XIV. nullam ſectam neceſſitatem confeſſionis negaſſe.

21. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. Sæculo XIII. celebratum per famoſum cap. 21. *Omnis utriuſque ſexus &c.* confeſſionis neceſſitatem nequaquam introduxit.

Propoſitio patet primo ex ipſius capituli tenore omnibus noto, quo manifeſte non ipſa confeſſio Sacerdoti ſecreto facienda præcipitur, ſed nudum tempus, quo facienda ſit, ſtatuminatur. Alias dicant iidem Hæretici, Euchariſtiam quoque ab hoc Concilio eſſe inſtitutam, eo quod communionem Paſchalem præſcribat. Patet ſecundo ex dictis, quibus invicte demonſtratum eſt, confeſſionem ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſtanter fuiſſe ut præceptum Chriſti conſideratam. Sed ut jugulum Calvino & Dallæo penitus præcidatur, adjungendus eſt dictis conſenſus omnium Eccleſiarum. Et Græcam quidem Eccleſiam nobiſcum uſque ad Sæculum IX. quo ſchiſmate a Latina ſejuncta eſt, ſenſiſſe jam eſt probatum. In eadem vero perſeveraſſe ſententia poſt ſchiſma uſque ad noſtra tempora ex eorum Ritualibus libris demonſtrat Bellarminus lib. 3. *de pœnit. c. 5. in append.* Leo Allatius lib. 3. *de perp. utriuſque Eccl. conſ.* ubi quorundam calumnias in Græcos, quaſi confeſſionis neceſſitatem non admitterent, fortiter retundit multis argumentis; Jacobus Goar. in Euchologio apud me col. 541. ubi confeſſionis apud Græcos uſitatæ ritum ipſum exhibet. Id quoque ſole clarius teſtantur ipſi Authores Græci poſt ſchiſma, Theophanes Cerameus, Balſamon, Nicolaus Cabaſilas, Simon Theſſalonicenſis, Jeremias Conſt. Patriarcha *ad quæſita Lutheranorum*. Adjice acta omnia tentatæ identidem ac redintegratæ Græcos inter & Latinos unionis; in quibus nihil reperies ea in parte Græcis objectum. Ab ipſis poſtulatum eſt quidem poſt Synodum Florentinam jam abſolutam, non *cur confeſſionem Græci a Chriſto inſtitutam, & neceſſariam non crederent*; ſed cur ita ſentientes, *confeſſionem tamen vulgo non uſurparent, antequam ſacris operarentur*; deprehenſi enim erant hoc in puncto oppido negligentiores. De Maronitis late loquitur tomus III. perpetuitatis fidei de Euchariſtia ad calcem. De Cophtis vero & Æthiopibus Vanſlebius *in hiſtoria Eccleſiæ Alexandrinæ*, Morinus *in præfat. ad Ritum Neſtorianum de Sacris ordinat.* Nat. Alex. & Schelſtratus. Adde conſenſum Waldenſium, & Huſſitarum, ex quibus cuilibet cordato perſpicuum eſſe poteſt, quo jure Calvinus & Dallæus conquerantur per Concilium Lateranenſe injectum eſſe fidelibus laqueum confeſſionis, invectamque eſſe ſervitutem immanem & inauditam, ac ne a ſæviſſimis quidem tyrannis unquam tentatam.

§. III.

De Confeſſione Publica & Privata.

22. CONfeſſio tam publica, quam privata primis Eccleſiæ Sæculis in uſu fuit.

Hanc veritatem Sæculi III. initio teſtatam facit Origenes & Irenæus, quorum teſtimonia retulimus hoc tit. N. 9. Hic annectimus ex Sæculo V. teſtimonium Sozomeni lib. 7. c. 16. ubi de Presbytero pœnitentiario narrat: *Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ac prudentia polleret, huic officio* (excipiendi ſcilicet ſecretas confeſſiones) *præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, ſuos actus confitebantur; ille vero pro cujuſque delicto, quid aut facere ſingulos, aut luere oporteret, pœna loco indicens, abſolvebat confitentes, a ſeipſis pœnas criminum exacturos.* Idem Presbyter, vel etiam Epiſcopus Sæculo II. & III. confitenti ſecreto injungebat, ut unum vel alterum peccatum ad Chriſtianorum ædificationem *publice* ediceret, ut patet ex loco Origenis N. 9. relato. In uſu ergo erat primis Eccleſiæ Sæculis publica & ſecreta confeſſio.

23. Confeſſio tamen publica nunquam lege aliqua ſive Divina, ſive Eccleſiaſtica præcepta fuit, ſed illa fiebat vel ex confitentium propria voluntate, vel ex particulari Sacerdotum mandato.

Prima propoſitionis pars luculentis Patrum teſtimoniis adſtrui poteſt. Et quidem Chryſoſt. pluribus in locis inculcat confeſſionem nulla lege publice eſſe faciendam; nam in Hom. 21. ad populum Antioch. ait: *Neque hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit; verum & quod ipſa non revelat, nec cogit in medium procedentes, quæ peccavimus, enuntiare, —— nec cogit præſentibus quibuſdam ipſa enuntiare.* Et homil. 3. quæ eſt Ord. 5. *Non enim te in theatrum conſervorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo.* Quibus & aliis locis Chryſoſtomi Dallæus abutitur ad inficiandam confeſſionis neceſſitatem, cum tamen revera nil aliud velit Chryſoſt. quam non eſſe ulla lege præceptum, peccata *publice* confiteri, ut ſupra N. 13. vidimus. S. Chryſoſt. adjungo efficax teſtimonium S. Leonis deſumptum ex epiſt. 80. A. 459. ſcripta, in qua de ſecreta confeſſione, adverſus nonnullos publicam requirentes, ita ſcribit: Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnovi a quibuſdam illicita uſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoveri (de pœnitentia videlicet, quæ a fidelibus poſtulatur), ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publice recitetur: cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicare confeſſione ſecreta. In eandem veritatem conſpirant & alii Patres. Unde Trid. Seſſ. 14. c. 5. poſtquam docuit publicam confeſſionem nullo divino præcepto mandatam eſſe, ſtatim ſubjicit; Nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.

Secunda pars patet ex dictis N. 13. ubi mulieres a Marco præſtigiatore corruptas refert Irenæus peccata publice confitentes, quod etiam fecit mulier a Diacono deinde oppreſſa, de qua Num. 15.

Quantum ad 3. p. Imprimis omnes Apoſtatæ, hæretici, ſchiſmatici in Eccleſiæ gremium non admittebantur, niſi prius perfidiam ſuam coram

 omni-

omnibus fuiſſent elocuti; de quo Euſebius hiſt. lib. 5. c. 18. lib. 6. c. 2. lib. 7. c. 6. Beda & Goffridus Vindocinenſis. Secundo eandem confeſſionem unius vel alterius criminis ex conſilio mandatove Confeſſarii ſubinde injunctam fuiſſe teſtatur Origenes l. cit. Tertio, Sæculo IV. & V. peculiare erat inſtitutum Monachorum culpas ſuas coram omnibus enuntiandi, de quo vide S. Baſilium, & Climacum. Multi præterea confeſſionem ſuam coram pluribus ſimul Sacerdotibus inſtituere ſolebant ex compunctione, quos refert Witſſius. Et humilis Auguſtinus peccata ſua toti orbi confeſſus eſt, & quotidie confitetur libro edito.

24. An uſus Confeſſionis publicæ ad Sæculi IV. finem ſit abrogatus in Eccleſia Conſtantinopolitana per Nectarium, diſputant eruditi, qui nihilominus Sæculo V. in utraque Eccleſia & diutius perſeveravit.

Circa primam partem videantur dicta N. 17. Quantum ad ſecundam partem pro Eccleſia Græca faciunt inſtituta Monachorum mox relata, & quod Laicos attinet, S. Chryſoſtomus non prohibet confiteri publice, ſed ſolum aſſerit id non eſſe neceſſe. Pro Latina vero Eccleſia militat teſtimonium S. Leonis ſupra relatum, quod uſum Confeſſionis publicæ in Eccleſia Occidentali aperte innuit, de quo etiam videtur loqui Socrates relatus ſupra N. 15. Quomodo autem fieri conſueverit confeſſio publica, vide ibidem.

25. Secreta ſeu Sacramentalis Confeſſio non traxit originem ex publica aliquorum pœnitentia, aut ex publica aliquorum peccatorum Confeſſione, ut fingunt Novatores: ſed e contra publica pœnitentia, & publica aliquorum delictorum accuſatio ex præmiſſa ſacramentali, & ea quidem ſecreta, derivata eſt.

Veritas hujus propoſitionis manifeſte patet ex loco Origenis ſæpe jam laudato, & N. 13. relato, in quo ex doctrina Eccleſiæ ex primo & ſecundo Sæculo ad tertium, in quo vixit, derivata docet peccatores peccata ſua Sacerdoti debere ſecreto confiteri, ad cujus ordinationem nonnum ſubinde debeant publice enuntiare. Patet præterea ex teſtim. Sozomeni N. 15. relato.

26. Confeſſio publica non ſemper comes fuit pœnitentiæ publicæ, nec ulla Eccleſiæ lege confeſſioni publicæ ſubdita fuere omnia ea peccata, quæ publica pœnitentia caſtigabantur.

Propoſitio imprimis patet ex N. 23. ubi probavimus Confeſſionem publicam generaliter non fuiſſe præceptam. Secundo, quia nullus canon adduci poteſt, qui talibus criminibus pœnitentiam publicam præſcriberet. Tertio, quia habemus canones, qui certa peccata publicare prohibebant, qualis eſt c. 34. S. Baſilii in Ep. can. ad Amphil. ubi ait: Adulterio pollutas mulieres & confitentes ob pietatem, vel quomodocunque convictas, publicare quidem Patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus: eas autem ſtare ſine communione juſſerunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ. Nec obſunt exempla publice confitentium ſupra relata, id enim fecerunt compuncti homines ex pietate, non vero ex lege aliqua poſitiva Eccleſiæ.

27. Antiquiſſimis temporibus conſuetum fuit facere generalem omnium anteactæ vitæ peccatorum confeſſionem.

Sæculo enim V. narrat Sozomenus ſupra relatus, mulierem illam ſigillatim enuntiaſſe delicta omnia a ſe poſt baptiſmum commiſſa. De S. Aredio Sæculo VI. teſtatur Gregorius Turon. confeſſum fuiſſe omnia adoleſcentiæ ſuæ acta coram Epiſcopo Nicetio. Alia exempla vide apud Bertum.

28. Confeſſio ſubinde in Eccleſia per litteras facta fuit.

Id variis exemplis probat Witaſſe. Primo mulieris, quæ auctore & probante Joanne Eleemoſynario ſcelus, quod non eſt auſa coram confiteri, ſcripto confeſſa eſt. Secundo cujuſdam Angli, cujus meminere Patres Concilii Cloveshovienſis c. 27. Tertio Roberti Cenomani, Potamii Braccarenſis Epiſcopi, & Epiſcopi Lincolnienſis, de quo Gregorius VII. lib. 1. epiſt. 34. Et ipſe Thomas Cantuarienſis in litteris confeſſus eſt Alexandro III. de quo Baronius ad An. 1164. Hos vero per litteras fuiſſe abſolutos ab Epiſcopis & Romanis Pontificibus ex hiſtoricis monimentis ibi probat idem Witaſſe. Tournelius tamen exiſtimat ex his exemplis tuto aſſeri non poſſe, confeſſionem vel abſolutionem per litteras factam unquam judicatam fuiſſe licitam, eaque de abſolutione a cenſuris, vel de confirmatione abſolutionis ore factæ explicare conatur. Quidquid ſit, hujuſmodi confeſſiones improbatæ ſunt olim a S. Th. Quodlib. 7. a. 1. a Synodo Nemauſenſi A. 1284. & apud Grat. diſt. 1. de pœnit. cap. quem pœnitet. Vetitæ vero ſunt, quin probabilius invalidatæ a Clemente VIII. in ſuo Decreto de An. 1602. quod antevertiſſe videtur Synodus Trid. Seſſ. 14. c. 2. ubi ait: Eos, qui ſe crimine aliquo poſt baptiſmum contaminaverint, ante hoc tribunal tanquam reos ſiſti voluit Chriſtus, ut per Sacerdotum ſententiam, quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari.

29. Quamvis olim ſicut nunc fideles quoties vellent confeſſionem facere poſſent, varia tamen tempora prioribus etiam Sæculis conſtituta fuerunt pro facienda exomologeſi.

Imprimis laudabilis olim vigebat conſuetudo, ut a capite Quadrageſimæ, præſertim vero Feria IV. præcedente primam Dominicam, fideles peccata confiterentur, ut habet vetus canon apud Burchardum lib. 19. N. 2. & alii plures, quos referunt Menardus & Martenius. Eam ob rem ea die fidelium capita cineribus aſpergunt, quoniam inibant poſt confeſſionem pœnitentiæ ſtudium, ut reconciliarentur feria V. aut VI. majoris hebdomadæ; de qua reconciliatione loquitur Innocentius I. cujus locum ſupra retulimus. Præterea nonnulli Epiſcopi plebem adſtringebant ſuam, ut confiterentur ter in anno, ut conſtat ex Concil. Tolet. An. 1228. c. 3. Vigornienſi A. 1240. c. 16. & Albienſi 1. 1254. c. 9. Nonnulli alii præter feſtum Paſchale, quinque aliis feſtivitatibus confeſſionem alligarunt, id eſt, Nativitatis, & Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. M. V. & omnium SS. ut in Synodo A. 1485. monuit Triſtandus Archiepiſcopus Senonenſis. Et de Nativitate Domini de Anglis jam ab A. 657. teſtatur Egbertus Epiſcopus Eboracenſis, ubi leguntur non ſolum Clerici, ſed etiam Clericorum familiæ ex conſuetudine præſcripta confeſſionem auricularem peregiſſe, quam utique non diu ante edocti ſunt ab Apoſtolo Auguſtino & S. Gregorio M. quod teſtimonium peremptorie petit Dallæum §. præcedenti refutatum. Monachi denique olim ante Novitiatus ingreſſum confitebantur peccata ſua vel ſecrete, vel etiam ad mandatum Abbatis publice, teſte Climaco. Tandem per Concilium Lateranenſe, famoſo c. Omnis utriuſque ſexus &c. confeſſionis neceſſitas ad tempus Paſchale annue ſtatuminata eſt, ut ſupra vidimus.

§. IV.

De Satisfactione.

30. QUemadmodum Calvinus, ut teſtimonia veterum Patrum de neceſſitate Confeſſionis diſtinctæ peccatorum etiam occul-

cultorum eluderet facilius, ex facto Nectarii Patriarchæ Conſtantinopolitani anſam arripuit eos interpretandi, quod de ſolo uſu, non de neceſſitate locuti fuerint; Dallæus vero ſervidus Calviniſta ad declinandam tot tantorumque teſtimoniorum vim, ea de confeſſione criminum publice commiſſorum interpretari auſus eſt; ita Proteſtantes in communi ad ſtabilienda erronea ſua dogmata circa ſatisfactionem pro peccatis, quorum primum eſt, remiſſa culpa nullam remanere pœnam deinceps luendam in illius ultionem; ſecundum, eandem eſſe peccati ante & poſt baptiſmum admiſſi rationem; tertium, Satisfactionem, quæ a Catholicis exigitur, officere Chriſti Satisfactioni; quibus cum tam aperte repugnet omnium ſæculorum œconomia ab Eccleſia in injungendis pœnitentiis tam publicis, quam privatis uſurpata, ut praxim adeo manifeſtam ſuæ conciliarent ſententiæ, dicere non verentur, pœnas a Miniſtris pœnitentibus inflictas, non fuiſſe exactas ad vindictam delictorum, ſed ad cautelam in futurum, ad morum emendationem, ad probationem veræ pœnitentiæ, ſeu potius reſipiſcentiæ, & exemplum aliorum. ita Lutherus ſermone de indulgentiis, Confeſſio Auguſtana de ſatisfactione, Calvinus lib. 3. Inſtit. c. 4. Dallæus in peculiari de hac re libro. Quorum error prius eliminandus eſt afferendis Patrum ſententiis de neceſſitate ſatisfactionis in vindictam delicti, antequam ulterius procedamus.

31. Eccleſia a ſuis incunabulis conſtanter ſenſit, & pœnam remiſſa culpa poſſe remanere peccatori ſubeundam, & hanc pœnam poſſe minui ac deleri laborioſis operibus vel a pœnitente aſſumptis, vel a Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ injunctis; & hinc pœnas conſtanter exegit a peccatoribus non tantum ad cautelam in futurum, morum emendationem, probationem veræ pœnitentiæ, & exemplum aliorum, verum etiam in vindictam peccati & compenſationem pœnæ a Deo taxatæ.

Primum hujus propoſitionis membrum hic ſumimus, infertur enim a poſteriori ex dogmate de purgatorio, de quo aliqua diximus lib. 3. tit. 41. N. 43. & tit. 30. & a noſtris invicte probatur plurimis Scripturæ exemplis Adami, Moyſis, Iſraelitarum in deſerto, Davidis &c. ubi legitur a Deo remiſſa culpa remanente pœna. Circa ſecundum vero, quod ex operis hujus inſtituto hic proprie diſquirendum venit, ſupponimus Deum remittere non tantum poſſe culpam ſine omni exactione pœnæ, quin actu illam ita remittere in baptiſmo adultis poſt patrata graviſſima ſcelera collato; at cum ex theſi de purgatorio a Catholicis ſumpta, & invicte probata hoc facere in omni remiſſione culpæ non teneatur, quin nec faciat, dum culpas poſt baptiſmum commiſſas remittit, jam diſquirendum eſt, an Eccleſia conſtanter cenſuerit pœnitentias tum publicas, tum privatas peccatoribus eſſe imponendas etiam ex hoc fine, ut pœnæ a Deo peccatis poſt remiſſam culpam taxatæ compenſentur? Id quod ex teſtimoniis Patrum tanquam authenticorum teſtium ſuccincte demonſtramus.

32. Eccleſiam pœnitentiam peccatoribus in vindictam criminum, & compenſationem pœnæ a Deo taxatæ imponendam cenſuiſſe, teſtantur Patres priorum V. Sæculorum.

Pro Sæculo II. id teſtatur S. Irenæus lib. 3. cap. 37. ubi loquens de pœnitentia Adami, Per ſuccinctorium, inquit, in facto oſtendit pœnitentiam ſuam, foliis ficulneis ſeipſum contegens, exiſtentibus aliis multis foliis, quæ minus corpus ejus affligere potuiſſent, condignum tamen inobedientiæ amictum fecit. Sed luculentius pro eodem & ſequenti Sæculo Tertull. lib. de pœnit. c. 7. Pœnitere non pigeat, inquit; —— offendiſti; ſed reconciliari adhuc potes: habes *cui ſatisfacias*, & quidem volentem: & c. 8. Satisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus *mitigatur*. Paulo autem ante c. 6. Quam porro ineptum eſt, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere; hoc eſt *pretium* non exhibere, ad mercem manum mittere; hoc enim *pretio* Dominus *veniam* addicere inſtituit; hac pœnitentiæ *compenſatione* redimendam proponit *impunitatem*. Quid clarius? Idem teſtatur pro eodem Sæculo Origenes homil. 6. in Exod. ubi de diverſis peccatoribus loquens, Pœnitendo, inquit, flendo, *ſatisfaciendo*, deleat quod admiſſum eſt. Et homil. 15. in Levit. poſtquam docuit peccata in hac vita redimi poſſe, ſic pergit: Si tamen invenerit manus tua *pretium*, quod reſtituat, quale pretium? *pœnitentiæ* ſine dubio lacrymis congregatum, & manibus, id eſt *labore boni operis*, inventum. Eodem Sæculo S. Cyprianus de lapſis, Dominus, inquit, orandus eſt, Dominus noſtra *ſatisfactione* placandus; —— qui ſic Deo *ſatisfecerit*, non ſolum Dei veniam merebitur, ſed coronam. Similia ſæpe alibi repetit. Pro Sæculo IV. Lactantius lib. 4. Inſtit. cap. 17. Deus pœnitentiam nobis -- propoſuit, ut ſi cor mundaverimus, id eſt ſi peccata noſtra confeſſi *ſatis Deo fecerimus*, veniam conſequamur. S. Ambroſius ad virginem lapſam, Grande ſcelus, inquit, grandem neceſſariam habet *ſatisfactionem*. Gregorius Naz. in S. Lumina poſt multa de pœnit. ſic ſubjungit: Æquale eſt malum & dimiſſio abſque caſtigatione, & caſtigatio abſque venia; quandoquidem illa totas relaxat habenas, hæc vero nimium ſtringit. Sed audiatur adhuc ſemel Ambroſius lib. de eleem. & jejunio cap. 20. inquiens; Habemus plura ſubſidia, quibus peccata noſtra redimamus. Pecuniam habes, redime peccatum tuum. Non venalis eſt Dominus, ſed tu ipſe venalis es: peccatis tuis venundatus es: *redime te operibus* tuis, redime te pecunia tua. Pro Sæculo denique V. Innocentius I. epiſt. ad Decentium c. 7. Cæterum, inquit, de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, -- cum viderit congruam *ſatisfactionem*. S. Hieronymus in c. 1. Joelis; Præteritas delicias, per quas offenderat Deum, vitæ auſteritate *compenſet*. S. Aug. in Pſ. 5. Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum, non impunitum erit, ſed ideo nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio. Et ſerm. 351. N. 12. Non ſufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, niſi etiam de his, quæ facta ſunt, *ſatisfiat* Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis. S. Chryſoſtom. hom. 41. ad populum Antioch. A nobis ultionem ſumamus, ita placabimus Judicem. Denique ut alia plura omittam veterum in hanc rem teſtimonia, S. Leo in ep. ad Ruſticum, Hujuſmodi lapſis (id eſt Sacerdotibus), inquit, ad promerendam Dei miſericordiam privata eſt petenda ſeceſſio, ut illis *ſatisfactio* ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. Ex his teſtimoniis invicte probatur Eccleſiam Romanam, Africanam, & Græcam, in quibus floruerunt relati Patres primis Sæculis, pœnitentiam neceſſariam judicaſſe ad compenſandam pœnam a Deo peccatis taxatam; apparet autem pleroſque inniti authoritatibus Sac. Scripturæ Catholicæ doctrinæ aperte faventibus, ut Prov. 15. v. 27. Per miſericordiam & fidem purgantur peccata. Et c. 16. v. 6. Miſericordia & veritate redimitur iniquitas. Daniel. 4. v. 24. Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum. Et hinc eſt, quod Illyricus,

ricus, Calvinus, & Kemnitius non diffitentur perpetuam ac venerabilem veterum in hoc capite conſenſionem, ſed eos reprehendere malunt, quam ſequi, egregii ſcilicet Patrum Pædagogi.

33. Pœnitentia apud Veteres dividebatur in publicam & privatam.

Propoſitio conſtabit ex dicendis.

34. Pœnitentia privata ſemper in Eccleſia viguit.

Propoſitio conſtat tum ex dictis ſupra, ubi ex S. Baſilio probavimus lapſos ob certas circumſtantias non fuiſſe rigori pœnitentiæ publicæ a Patribus ſubjectos. Secundo ex eo, quod poſt Sæculum IV. Clerici, ut ajunt, majores, cum a pœnitentia publice obeunda immunes eſſent, privatæ ad eluenda peccata ſubjecti fuerint, de quibus S. Leo N. præced. relatus. Vide etiam C. Presbyter diſt. 28. Tertio, quia Patres aliam a publica pœnitentia diſerte admittunt, ut Gregorius Nyſſenus in ep. can. ad Letojum c. *6.* & S. Auguſt. de fide & operibus c. ult. ubi triplicem ſecernit pœnitentiam poſt baptiſmum: aliam publicam pro gravioribus delictis, quæ excommunicatione plectenda ſint; aliam ſecretam pro minus gravibus, aliam quotidianam pro levibus & venialibus.

35. Publica Pœnitentia dicitur, quæ in facie Eccleſiæ palam & publice peragitur.

Per quale tempus, a quibus, pro quibus peccatis, & qua ſolemnitate peracta fuerit hæc pœnitentia, jam enucleandum. Notandum vero prius ex Morino, pœnitentiam hanc primis ſex Sæculis unice fere impoſitam fuiſſe, nullumque ante Sæculum VII ulum fuiſſe artem pœnitentiæ privatæ canonicæ; cum omnia crimina graviora pœnitentia publica punirentur, minus gravia Sacerdotis arbitrio & conſilio. Cui tamen ſententiæ obſtare videtur primo, quod Clerici in majoribus Ordinibus conſtituti Sæculo IV. exempti fuerint a pœnitentia publica, ac pro graviſsimis delictis pœnitentia privata canonica plexi. Secundo quod Sæculo IV. & V. multa peccata mortalia, & ſubinde etiam ea, quibus a canonibus indicta fuit pœnitentia publica, ob graves rationes punita fuerint pœnitentia duntaxat privata, ut ex dicendis conſtabit.

36. A naſcente Eccleſia ad Montani hæreſim, quæ circa medium II. Sæculi caput extulit, nullum certum tempus peragendæ pœnitentiæ legitime præfixum, & conjicere licet brevius illud fuiſſe.

Quantum ad 1. p. in lib. Paſtoris, qui tanto apud veteres in pretio fuit, frequens occurrit pœnitentiæ mentio; nullum legitime tempus expreſſum. 2. Euſebius L. *3.* c. ult. converſionem & Pœnitentiam Natalis Epiſcopi narrans, ejus ſubitam receptionem deſcribit. *3.* Tertullianus, etſi in lib. de pœnit. neceſsitatem pœnitentiæ pluribus commendet, nuſquam tamen præfixi alicujus temporis meminit. Neque veritati propoſitionis obeſt canon 23. Apoſtolorum a nobis relatus lib. 1. Tit. 2. N. 25. namque nemo tam rudis, inquit Tournelius, & ineruditus ignorat, canones illos Apoſtolorum non eſſe. De quo vide noſtram diſſert. ibi.

Secunda pars ſuadetur exemplo Apoſtoli, qui Corinthium inceſtuoſum Eccleſiæ reſtituit, anno nondum vel ad ſummum vix expleto. Item ex hiſtoria Juvenis illius, quem S. Joannes poſt latrocinia brevi tempore in communionem Eccleſiæ recepit. Hiſtoriam ex Clemente Alex. refert Euſebius lib. *3.* c. 23.

37. A Montano ad hæreſim Novatianam, hoc eſt, a Sæculi II. fine ad Sæculi III. medium, etſi in ſpecie nullum determinatum ſit a Patribus agendæ pœnitentiæ tempus, paulo tamen diuturnius hoc fuit, ſeveriuſque cum pœnitentibus tum agere cœpit Eccleſia.

Prior pars patet ex ſilentio tum Cornelii Rom. Pontificis, tum S. Cypriani in ſuo Carth. Concilio in cauſa lapſorum habito: nullum etenim his in conciliis præfinitum legitur tempus, quo neceſſum fuerit lapſos in laboribus pœnitentiæ detineri.

Secunda vero probatur ex cauſa lapſorum, qui libellis Martyrum muniti, vel nulla, vel leviſſima acta pœnitentia reconciliari poſtulabant, adverſus quos, ſicut & presbyteros in concedenda ipſis venia oppido liberaliores graviter invehitur S. Cyprianus. Eorum vero occaſione duplex emiſſum eſt decretum: prius proviſorium, quo nempe proviſum fuit, ut lapſis ejuſmodi pax & communio concederetur, ſi urgeret mortis periculum; alterum vero peremptorium, quo ſtatutum fuit, ut ſi nullum eſſet mortis periculum, lapſi *plenam* agerent pœnitentiam. Cujus Decreti meminit S. Cyprianus ep. 52. ad Antonianum, in qua dicit *decretum eſſe - - ut traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter Paterna Clementia.*

38. Poſt Novatum, ſeu Sæculo IV. ſeveriſsima fuit Eccleſiæ diſciplina circa pœnitentes, atque præfinitum ejus per plures annos, pro conditione criminum, peragendæ tempus.

Qui de veritate propoſitionis convinci vult, pervolvat canones Nicænos, Illiberitanos, Ancyranos, Neocæſarienſes &c. hoc Sæculo editos, quorum faciem conſpicere licebit lib. 1. Tit. 2. N. 75. ubi canones pœnitentiales ad longum retulimus, e quibus multi ex his Conciliis Sæculo IV. celebratis depumpti ſunt. Canonem 11. Concilii Nicæni de lapſis in idololatriam ſævitia perſecutionis Licinianæ adduco; ubi dum Patres decernunt in tales clementia & benignitate ſe uti velle, ſubdunt: *Quicunque ergo germane & vere pœnitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles, & ſeptem annis proſternentur ſupplices: duobus autem annis abſque oblatione erunt orationum cum populo participes.* Quid vero in his gradibus pœnitentiæ ſuſtinendum erat, mox videbimus.

39. Eodem Sæculo pœnitentia publica in quatuor quoque gradus ſolemnes diſtributa fuit, nempe in fletum, auditionem, ſubſtrationem, & conſiſtentiam.

Propoſitio conſtat ex SS. Gregorio Thaumaturgo, Baſilio, Gregorio Nyſſeno, & aliis bene multis veteribus monumentis. Illos etiam gradus ſparſim expreſſos reperiet benevolus Lector in canonibus pœnitentialibus L. cit. a nobis adductis. Poſt quos a N. 79. quo remittitur, gradus hos deſcriptos reperiet. Hos autem gradus non fuiſſe inſtitutos ante medium III. Sæculi, ſed circa tempus hæreſis Novatianæ ex ſilentio Authorum horum Sæculorum probat Tournelius, & ex eo, quod S. Gregorius Thaumat. qui A. 240. creatus eſt Neo-Cæſarienſis Epiſcopus, eos primus expreſſerit ep. can. canone 11. Et quamvis detur Morino hunc canonem huic epiſtolæ ſubinde fuiſſe aſſutum, quod negat Tournelius, eorum graduum in aliis canonibus meminit S. Gregorius, ſeptimo nimirum & octavo. Ut autem pateat quanto tempore Pœnitentes in unoquoque gradu hærerent, adducendus eſt can. 56. epiſtolæ Baſilii. *Qui ſua ſponte interfecit*, inquit, *& poſtea pœnitentia ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit; viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur: debet quatuor annis deflere, ſtans extra fores oratorii, & fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuntians. Poſt quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipſis egredietur. Septem autem annis cum iis, qui in ſubſtratione orant, egredietur. In quatuor an-*

tem

tem annis ſolum ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps: iis autem expletis erit Sacramentorum particeps.

O gravem & caſtam tunc Eccleſiæ diſciplinam! inquit Witaſſius: quam hæc digna Dei læſi Majeſtate, quam Religionis Chriſtianæ Sanctitati conſentanea! Quis criminum pondus non ſentiebat? quis ea non cavebat in futurum? Nunc ut peccare ludus eſt, ſic & pœnitere & confiteri; quotusquiſque enim eſt, qui ſi lacbrymulam fundat, præclare ſe graviſſima quæque ſcelera redemiſſe non exiſtimet? quis non conqueritur, ſi vel per aliquot dies, omnibus licet flagitiis coopertus, a tremendis myſteriis arceatur? adeo a majorum religione degeneravimus!

Obſervabis vero apud Latinos a quarto ſæculo vetitum eſſe pœnitentibus, 1. Ne conjugio uterentur: quod in cauſa fuit cur Concilium Arelatenſe ſecundum can. 22. & Agathenſe decernant pœnitentiam conjugatis nonniſi ex conſenſu dandam. 2. Ne Matrimonia deinceps inirent: Concilium Arelatenſe II. can. 21. *Pœnitentes, quæ defuncto viro alii nubere præſumpſerint, —— cum eodem ab Eccleſiæ limine arceantur.* Quamobrem eædem Synodi nolunt juvenibus paſſim ac temere pœnitentiam concedi. *Juvenibus*, inquit Agathenſe can. 15. *pœnitentia non facile committenda eſt, propter ætatis fragilitatem.* Aurelianenſe III. can. 24. *Ne quis pœnitentiæ benedictionem juvenibus Perſonis credere præſumat. Certe conjugatis niſi ex conſenſu partium ætate jam plena dare non audeat.* 3. Ne militarent. 4. Ne implicarent ſe negotiis ſæcularibus. 5. Ne epulis intereſſent aliorum. Idem Aurelianenſe III. can. 25. *Si quis pœnitentiæ benedictione ſuſcepta ad ſæcularem habitum militiamque reverti præſumpſerit, viatico conceſſo, uſque ad exitum excommunicatione plectatur.*

Dixi autem a IV. Sæculo & apud Latinos; 1. Quia nihil ejuſmodi apud Græcos Scriptores legitur; 2. Quia tribus prioribus Sæculis id non videtur apud Latinos invaluiſſe, ut ex Tertulliano, & S. Cypriano, qui prolixe de pœnitentia loquuntur, manifeſtum eſt. Hæc Witaſſius laudatus. Nunc ad Perſonas progrediendo, quæ pœnitentiæ publicæ ſubdebantur.

40. Laici cujuſcunque dignitatis, etiam Imperiales primis quatuor ſæculis pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur, cum id peccatorum commiſſorum exigebat ratio.

Propoſitio patet famoſis exemplis Imperatorum Philippi, de quo Euſebius lib. 6. hiſt. c. 34. & Theodoſii, de quo S. Ambroſius. Clericos pariter inferiores, ſicut & Monachos & Moniales Sæculo IV. & ſeqq. eandem ſubiiſſe ſortem oſtendit Morinus lib. 6. c. 13.

41. An tribus primis ſæculis majores Clerici pœnitentiæ publicæ ſubditi fuerint, controverſia eſt inter modernos Eruditos.

Affirmat Morinus lib. 4. c. 12. Witaſſe ſect. 3. de *ſubject. pænit. publ.* negat Albaſpinæus *obſervatione 6.* & 7. in Optatum, ubi depoſitionis pœnam, ac laicam communionem majoribus Clericis, graviorum peccatorum reis, impoſitam fuiſſe oſtendere conatur, cui ſubſcribit Tournelius de *Sac. pænit.* q. 8. A. 4. Qui ad præcavendam in hac controverſia æquivocationem prævie monet, per pœnitentiam publicam non aliam intelligi debere, quam luctuoſam illam & ſolemnem, quæ in tertio præſertim gradu, qui dicebatur *Subſtratio*, peragebatur, in quo pœnitentes cinere conſperſi, induti ſacco, ac plane lugubri habitu variis laboribus ac pœnis exercebantur in conſpectu totius Eccleſiæ, frequenti manuum impoſitioni Epiſcopi ſubſtrati; ſubditque: *Si quis aliam modum pœnitentiæ hinc fingeret, a ſcopo noſtræ quæſtionis aberraret.* Inutilem deinde illorum diſtinctionem rejicit, qui diſtinguunt inter pœnitentiam publicam, & manuum impoſitionem, quique Clericos publicæ pœnitentiæ ſubjiciunt, non manuum impoſitioni. His poſitis, qui affirmativam tenent, ſuam ſententiam firmare nituntur authoritate canonum Apoſtolorum 28. 29. & 61. qui legi poſſunt lib. 1. cit. 2. a N. 25. 2. Ex variis canonibus Conciliorum Illiberitani, Ancyrani, Neocæſarienſis &c. 3. Ex authoritatibus Tertulliani, Cypriani. Quæ omnia volunt eſſe teſtimonia Sæculi III. At reſpondent negantes ex nulla harum authoritatum extundi poſſe, eas loqui de pœnitentia publica in rigore ſumpta, dicuntque eas intelligendas eſſe de excommunicatione, & depoſitione, dumque in canone 76. Illiberit. leguntur Diaconi pœnitentiæ publicæ ſubjecti, reſpondent, a dictis Patribus Ordinem Diaconatus vel non fuiſſe connumeratum inter ordines majores, vel dictos Diaconos gradu excidiſſe. Ad exemplum vero Natalis Epiſcopi pœnitentiam publicam agentis, dicunt, certe id voluntarie ab ipſo factum, id quod ejus hiſtoria innuit apud Euſebium lib. 5. c. ult. Ad teſtimonia denique Proſperi, Concilii Arelatenſis, & Aurelianenſis ajunt, ea eſſe Sæculo III. poſteriora, & hinc ad rem non facere. Ex quibus omnibus pro ſtabilienda ſententia negante eliciunt primo argumentum negativum, ſeu ſilentii omnium monimentorum horum trium ſæculorum. Cui ſubnectunt teſtimonia poſitiva, & primum deſumunt ex Optato Milevit. lib. 2. contra Donatiſtas, ubi inter cætera eos graviter reprehendit, quod rem hactenus in Eccleſiis *inuſitatam*, ac *plane inſolentem* perfeciſſent, nempe quod Epiſcopos & Presbyteros, qui Idolis thura adoleverant, *publicæ pœnitentiæ* addixiſſent. Et l. c. N. 24. refert Melchiadis Summi Pontificis, & 18. Epiſcoporum ſententiam, qua proſcriptus eſt Donatus, eo quod confeſſus eſſet, *ſe rebaptizaſſe, & Epiſcopis lapſis manum impoſuiſſe, quod alienum eſt*, inquit, *ab Eccleſia.* Hanc porro manus impoſitionem non tantum ordinatoriam fuiſſe, ſed etiam in pœnitentiam, oſtendit Albaſpinæus obſervatione 6. in Optatum, & aperte conſtat ex priore ejus loco, ubi ait: *Multis notum eſt, & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia a confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit*, aut *ut genua figerent* (en pœnitentiam publicam) *imperavit. Et facitis vos hodie poſt unitatem, quod a nullo factum eſt poſt thurificationem?* Audis, inquit Tournelius, *a nullo* factum eſt? Teſte igitur Optato Scriptore IV. Sæculi *nullus* ad ſuam uſque ætatem Clericos majores ad pœnitentiam publicam adegerat. Ex his ſententia negans mihi videtur probabilior, quam etiam ſtabiliunt teſtimonia N. ſeq. referenda.

42. Certum eſt Sæculo IV. & deinceps Clericos in majoribus Ordinibus conſtitutos pœnitentiæ publicæ ſubjectos haud fuiſſe.

Id patet primo ex teſtimonio Optati Milevitani N. præcedenti relato, & confirmatur ex ep. 2. S. Leonis, alias 92. ubi ait: *Alienum eſt a conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, ii pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi, quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit. —— Hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Ejuſdem ſententiæ eſt S. Hieronymus ep. 93. alias 48. S. Auguſt. lib. 2. *de baptiſmo* c. 1. S. Proſper lib. 2. *de vita contempl.* c. 7. quamvis ibi fateatur eoſdem Clericos

ricos pœnitentiæ publicæ ſponte ſe ſubjeciſſe. Concilium denique Carthag. V. An. 398. can. 11. ſic habet: *Confirmatum eſt, ut ſi aliquando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos a miniſterio neceſſe fuerit removeri, non eis manus, tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus Laicis imponatur.* Plura in hanc rem etiam ſexti ſæculi Concilia adducit Tournelius. Nec contrarium ſancivit Felix III. Leonis Succeſſor ep. 7. Quamvis enim velit Clericos majorum criminum reos uſque ad mortem in pœnitentia jacere, non tamen publica, verum *ſub oculis probatiſſimi Sacerdotis* ſolummodo. Cauſæ autem, cur Eccleſia Clericos majores pœnitentiæ publicæ ſubtrahendos cenſuerit, obviæ ſunt; certe authoritas Paſtoralis, Magiſteriumque virtutis illis commiſſum magnum pondus contraria œconomia amiſiſſet.

43. Peccata primis Eccleſiæ Sæculis diſtinguebantur in publica & occulta; utraque vero dividebantur in dicta vulgo canonica, & non canonica, publica vero in publica juridice, & non juridice.

Publica erant, quæ committebantur publice coram multitudine, ut ſtatim explicabimus. *Occulta* vero, quæ committebantur ſecrete nullo, vel ſolis complicibus arbitris, e. gr. occulta fornicatio. *Canonica* dicebantur, quod canones nominatim certas ipſis pœnas imponerent, *non canonica*, quibus nullæ certæ pœnæ impoſitæ erant. *Publica juridice* dicebantur, cum ad Judicem Eccleſiaſticum delata eſſent, ac per idoneos teſtes probata, & tali modo peccata etiam occulta fieri poterant publica, v. gr. ſi aliquis adulterium commiſiſſet, atque a marito cum duobus teſtibus deprehenſus ad Judicem delatus fuiſſet. *Minus juridice publica* erant, cum multis quidem ſcandalo & offenſioni fuerunt, nihilominus *juridice* ad tribunal & forum externum Eccleſiæ delata non fuerant, nec probata; quam peccati publici diſtinctionem agnovit Auguſtinus ſerm. 351. alias homil. 50. inter 50. c. 4.

44. Certum eſt primis Eccleſiæ Sæculis peccata *publica* canonica, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium, eorumque ſpecies manifeſtas ſubditas fuiſſe pœnitentiæ publicæ, quibus ſucceſſu temporis nonnulla alia addita fuere.

Propoſitio apud omnes in aprico eſt, & vix indiget probatione. Lege canones pœnitentiales a nobis lib. 1. tit. 2. poſt N. 75. relatos, & convinceris.

45. An peccata *occulta* canonica publicæ pœnitentiæ fuerint ſubjecta ex neceſſitate & vi canonum primis ſex Sæculis, quæſtio eſt controverſa inter eruditos.

Affirmant Morinus lib. 5. *de adminiſt. Sac. pœnit.* Albaſpinæus, & alii; negat Tournelius cum aliis. Argumentum primum Morini eſt, quod pœnæ criminibus canonicis præſcriptæ fuerint publicæ; cum ergo nullam diſtinctionem faciant canones in iis ſanciendis inter peccata publica & occulta ſecretoque confeſſa, de utriſque intelligendos eſſe ait. At reſpondent Patroni contrariæ ſententiæ, cum canones fuerint a Patribus concepti, ut breves regulæ morum, non omnia in illis expreſſa fuiſſe, præſertim ubi uſus ipſe Eccleſiæ eos explicabat, ut contigit in caſu. Secundum argumentum ejuſdem Morini eſt, quia, inquit, ſequetur ex adverſa ſententia, antiquos Patres de publicis criminibus curam tantum geſſiſſe, de occultis vero nullam. At facile negatur ſequela, quia de occultis criminibus canonicis ſecreto ſe ſe accuſantes eandem laborioſam pœnitentiam ex impoſitione confeſſarii ſubire debebant, quam publice pœnitentes perſolvebant, dempta ſola verecundia; ut patet per demonſtrata in ipſis Clericis majoribus, qui pœnitentiæ publicæ non ſubjiciebantur. Tertium eſt, quia iidem canones mitioribus pœnis plectunt ſponte confeſſos crimina canonica, quam ſi accuſati & convicti fuiſſent; igitur crimina occulta pœnitentia publica abſolute mulctabantur. Sed negant conſequentiam adverſarii, & probare nituntur, canones illos loqui de ſpontanea confeſſione criminum *ſemi-publicorum*, hoc eſt, quæ in judicium quidem *delata*, probata tamen *authentice* minime fuerunt. Denique ad teſtimonia, & œconomiam veterum Patrum ajunt, ex illa ſolum extundi poſſe, eos Laicis *conſuluiſſe*, ut pro occultis criminibus ſecreto confeſſis pœnitentiam publicam ſuſciperent, id vero minime fuiſſe *præceptum* lege aliqua Eccleſiaſtica; quod monſtrant tum ex eo, quod aſſirmantes nullam talem legem adducere poſſint, ut patet ex ſolutionibus datis, tum etiam quod Patres & Concilia affirment publicam pœnitentiam publicis, ſecretam ſecretis peccatis eſſe infligendam; ut teſtatur S. Aug. ſerm. 82. alias 16. de Verbis Domini c. 7. inquiens: *Corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus; ipſa vero corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius.* Concilium Carthag. III. An. 397. c. 32. & alii Patres a Tournelio relati. Et hæc eſt controverſia de peccatis plane occultis, ſeu de peccatoribus, qui ita ſecreto peccant, ut nullum ſcandalum aliis præbeant. Nam alius peccantium ordo eſt, qui & publice cum ſcandalo aliorum peccant, quique vel deferuntur ad tribunal Eccleſiæ, vel ſponte *confitentur*, quos pœnis publicis coercendi jus & authoritatem ſemper habuit, & etiamnum habet Eccleſia, cujus uſum & exercitium prudentiæ Epiſcoporum reliquit Concilium Trid. ſeſſ. 24. *de ref.* c. 8. Alius denique ordo peccantium illorum eſt, qui cum ſcandalo multorum peccant quidem, ſed nec *deferuntur*, nec criminia patrati *convincuntur* apud Judicem Eccleſiaſticum, & hos aliquando publicam pœnitentiam ſubiiſſe ex conſilio, vel etiam præcepto Sacerdotis, aut ex pietate, patet ex Origene Hom. 2. in Pſalm. 37. ſupra N. 13. relato, qua œconomia ſubinde luſos fuiſſe confeſſarios circa peccatores plane occultos, ex eodem liquet.

46. Pariter controverſum eſt inter eruditos, an omnia peccata mortalia indiſcriminatim unquam fuerint pœnitentiæ publicæ ſubjecta.

Quæſtio procedit ſaltem de peccatis publice commiſſis, & de lege Eccleſiaſtica, nam pœnitentiam publicam pro peccatis etiam non canonicis prima VI. Eccleſiæ Sæcula a Sacerdotibus fuiſſe vel conſultam, vel ſponte ſuſceptam, non eſt, qui dubitet. Qui hoc negant, duobus motivis ducuntur; primo quia nec veteres Scriptores, qui tertio Sæculo floruerunt, Tertullianus, S. Cyprianus, S. Gregorius Thaumaturgus, neque Concilia, quæ initio IV. Sæculi celebrata ſunt, alia peccata præter tria graviſſima Idololatriam, Homicidium, & Adulterium, eorumque ſpecies manifeſtas publicæ pœnitentiæ addicunt; ut patet ex canonibus Conciliorum Illiberit. Ancyrani, & Neo-Cæſarienſis, & ex c. 2. Concilii Tolet. I. A. 442. Secundo, quia veteres aperte ſignificare videntur, ab iſta lege pœnitentiæ publicæ libera fuiſſe nonnulla mortalia peccata. Plura teſtimonia refert Tournelius L. cit. inter ea eſt canon 4. Neo-Cæſ. quo adulterium cogitatione perpetratum pœnitentiæ luctuoſæ ac publicæ ſubducitur; item can. 7 Laodicænus, quo Hæretici per ſolam fidei profeſſionem & chriſmationem, & can. 8. Nicænus, quo Cathari, ſeu Novatiani per ſolam manus impoſitionem recipiuntur. Et S. Auguſt. (ut Baſilium, & Greg. Nyſſ. tranſeamus) ep. 22. alias 64. teſtatur, ætate ſua in Eccleſia Carthaginenſi comeſſationes & ebrietates, quæ

etiam

etiam ad Martyrum ſepulcra ſalſæ pietatis animo a tudiore plebe committebantur, oullis publicit pœnis repreſſas & caſtigatat fuiſſe. Qui vero affirmant, præcipue utuntur authoritate Tertulliani, qui in lib. *de pænitentia* cap. 4. aic: *Omnibus ergo delictis ſeu rarne, ſeu ſpiritu; ſeu facto, ſeu voluntate commiſſis, qui pænam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pænitentiam ſpopondit.* Hanc vero pœnitentiam luctuoſam & publicam fuiſſe avincere conantur, quod in eodem libro cap. 9. &c. deicribit pœnitentiam publicam. Reſpondent orgativæ ſententiæ Patroni, Tertulliani librum da pœniteotia in duat veluti partes genrratim eſſe diſtribnendum, quarum prima incipit a cap. 1. ad 7. altera a 7. ad ultimum uſque perducatur; in psims ergo libri parte eum volunt verba facere de pœnitentia ſecundum ſe, cui omnia delicta mortiſera ſua ætate ſubjici debuerunt, tn ſecunda vero de pœnitentia publica. Lector, quam malit ſententiam, amplectatur. Hic adhuc obſervandum ex Mosino multiplicem fuiſſe inter pœnitentiam publicam impoſitam pro peccatis publicis, & eandem impoſitam pro peccatis occultis differentiam: pro peccatia publicis ac notoriis, quæ totam Eccleſiam commovebant, manus imponebantur ab Epiſcopo vel Presbytero publiee in medio Eccleſiæ anta abſidem, hoc eſt in gremio navis Ecrleſiæ, Abſis enim vel abſida eſt Sanctuarium Eccleſiæ. Eaque manus impoſitio eo ritu fiebat tam in pœnitentiæ impoſitione, quam pœnitentis abſolutione, ſeu reconciliatione.

Dum vero occulta erant crimina, neceſſe non arat publice in medio Eccleſiæ per manus impoſitionem pœnitentiam imponare, aut pœnitentem acta pœnitentia publice rrconciliare, ſed ſicut peccata illa ſecreto Sacerdoti apreiebantue, ita quoqua ſecreto pœnitentia imponebatur, & reconcliatio fiebat.

Hinc altera conſequebatur differentia; quod publice pœnitens ob crimen occulrum, acta pœnitentia, ſrcreto poſſet inconſulto Epiſcopo a Presbyreto reconciliari; ſecus vero pœnitens ob peccatum publicum. Hic anim eum non niſi publice rrconciliari poſſet, etiam ſine ſpeciali Epiſcopi licentia (niſi extrema neceſſitas licentiæ petendæ tempus intercluderet) a Presbytero reconciliationrm obtinese nequibat. Interdictum enim erat Presbyteris pœnitentem publica reconciliare.

Utrumque non obſcure indirat can. 32. Concilii Carthag. III. qui in duas partea diviſus refertur a Gratiano Cauſ. 26. q. 6. c. 14. & q. 7. can. 5. Verba canonis ſunt: *Ut pænitentibus ſecundum differentiam peccatorum Epiſcopi arbitrio pænitentiæ tempora decernantur, & ut Presbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pænitentem niſi abſentia Epiſcopi neceſſitate cogente, cujuſcunque autem pænitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſam Eccleſiam commoverit, ante abſidem manus ei imponantur.*

Altera diffesentia eaque notabilis erat. Cum publicum erat peccatum, ad agendam publice pœnitentiam peccatores excommunicatione & omnimoda ab Eccleſia expulſione cogi potrrant. At cum peccatum erat occultum, pœnitentiæ publicæ actio arat ſpontanea, hoc eſt ad eam cogi non poterant ulla excommunicatione aut Sacramentorum publica denegatione; peccatori equidem ejuſmodi ſecreto confitenti, niſi pœnitentiam canonicam agere vellet, reconciliationem ſecreto denegabat Sacerdos, ſed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.

47. Diſciplina imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, ſive in lege Eccleſiaſtica fundata, ſive arbitrio Sacerdotum relicta (N. 45.) in Eccleſia Latina perſeveravit uſque ad finem Sæculi VII. quo aboleri cœpit.

Propoſitionem multis probat Morinus lib. 7. c. 1. docetque ab eo tempore vulgari cœpiſſe commune atque hodie ab omnibus receptum axioma: *De peccatis publicis publice, de occultis occulte eſſe pænitendum.* Unde Concilium Rhemenſe II. A. 813. can. 31. ait: *Diſcretio ſervanda eſt inter pænitentes, qui publice & qui abſconſe pænitere debeant.* Notat vero idem Morinus, quod mutatio illa facta non ſit phyſico more in momento temporis, aut Concilii Generalis Decreto, ſed paulatim & tacito quodam Eccleſiarum conſenſu; atque hinc contigit, ut alibi ſerius, alibi citius hæc mutatio recepta fuerit. Quo non obſtante ex eodem Morino conſtat, magnum nihilominus Sæculis aliquot ſequentibus extitiſſe numerum pœnitentium publicorum, veſte, loco, victu, tutaque vitæ diæta a fidelibus in Eccleſia diviſum. Quin uſque ad Sæculum XII. in peccata canonica pœnitentia publicis quoad ſubſtantiam, omiſſa ſola ſolemnitate publicitatis, fuiſſe animadverſum oſtendit idem Morinus c. 21. 22. 23.

48. Inter Sæculum VII. & XII. mox inolevit loco pœnitentiæ publicæ in Eccleſia coram omnibus obeundæ, imponendi tum peregrinationes, tum Monachicam profeſſionem, item redimendi eandem pœnitentiam publicam.

De peregrinationibus teſtatur Theodorus in pœnit. Rom. Tit. 3. c. 24. *Si quis fornicatus fuerit, -- Si Epiſcopus, -- ex omni officio deponatur, -- peregrinando finiat dies vitæ ſuæ.* Monachicam vero profeſſionem occiſori Monachi aut Clerici imponit Capitularium liber 6. c. 6. & c. 90. Uxoricidæ vero Pœnitentiale Rom. Tit. 1. c. 11. Vide Morinum lib. 7. c. 15. qui etiam refert conſuetudinem imponendæ peregrinationis a multis fuiſſe improbatam. De quo vide Rabanum pœnitentialis cap. 11. & Capitularium lib. 1. c. 49.

Pœnitentiæ autem publicæ iis Sæculis redimebantur 1. precibus ad certum numerum dictis, certa pecuniæ ſumma, aliiſque id genus, ut habet Pœnitentiale Rom. Tit. 9. c. 25. Ex hac vero Pœnitentiæ redemptione orta eſt ratio pœnitentiæ plurimorum annorum intra pauciſſimos dies abſolvendæ, ita ut 6. dierum ſpatio Pœnitentia 100. annorum defungerentur, quemadmodum narrat Sæculo XI. Petrus Damiani in vita Dominici Loricati. Inde etiam conſuetudo profluxit pœnitentiam ad 100. & 1000. annos infligendi, unde indulgentiæ illæ multorum millium annorum profluxerunt. 2. Spontaneis flagellationibus. 3. Sacris expeditionibus. 4. Certa erogatione ſtipis ad ædificandas vel reparandas Eccleſias. De quo uberius infra N. 86. & 87.

49. Modi hi redimendi pœnitentiam publicam multum contulerunt, quod Sæculo XIII. ejuſdem vix ulla cura ſuperfuerit, quæ tamen penitus extincta non fuit.

Ejuſdem enim pœnitentiæ meminerunt Robertus de Flamesburg pœnitentiarius Pariſienſis & Petrus Pictavienſis Auctores hujus Sæculi, quorum primus pœnitentibus, qui eam tum facile redimere poterant, auctor eſt, ut eam peragant, Guillelmus vero Pariſienſis eas abolendas cenſet. Rariorem quoque ævo ſuo extitiſſe ſolemnem pœnitentiam teſtatur Durandus in 4. diſt. 14. q. 4. ad 3. qui pro mora in ſcholis invaleſcente ſolemnem pœnitentiam a publica diſtinguit. Solemnis fiebat amenſione quatuor illorum graduum ac ſtationum, quas ſupra recenſuimus, publica non ita. Quæ tamen diſtinctio primis ſex Sæculis incognita fuit, illaque in ſcholas poſt Gratianum inducta fuit ex non accurato intellectu veterum monumentorum, quæ Gratianus ſine ulla dele-

delectu attulit, ex quo defectu plures hallucinaeiones veteribus tum Theologis, tum Canoniſtis obrepſerunt, ot notant moderoi eruditi paſſim. Ex quo patte, quam utile, quio neceſſarium ſit ſtudium hiſtorico-criticom ad ſolidam eruditionem in ſeverioribua diſcipliols comparandam, quod proinde injuſte a quibuſdam ſperoitur. Interim Trid. Seſſ. 24. c. 8. Pœnitentiæ publicæ uium pro peccatis publicis retinuit, camque ecipſa multi ab hoc tempore uſurparunt, & etiamnum hodie oſurpant.

50. Mutata Sæculo VII. diſciplina circa pœniteotiam publicam peccatis canonicis occultis impooi ſolitam, ac poſtea ipſa pœnitentia publica deficiente, Confeſſarii horum Sæculorum noo poterant pœnitentiam ad arbitrium imponere, ſed juxta præſcriptionem librorum Pœnitentialium, quæ diſciplina immutata fuit per Concilium Tridentinum.

Propoſitio hæc quoad otramque partem explicata & probata eſt lib. 1. tit. 2. a N. 76. quo lectorem remittimus, ne dicta repetamus. Qui uberiorem hujus argumenti tractatiooem deſiderat, adeat Cl. Vaneſpen p. 2. tit. 6. c. 3.

51. Publica pœnitentia olim pro peccatis occultis impooi ſolita nequaquam frangebatur ſigillum confeſſionis, quin pœnitentia poblica erat utiliſſima tum toti Eccleſiæ, tum eam peragentibus, & uoicus quaſi nervus conſervandæ diſciplinæ.

Prima propoſitionis pars patet ex eo, quod primis Eccleſiæ Sæculis multi ſe pœnitentiæ publicæ ex fervore pietatis ſubjecerint, qui vel ſolis venialibus, vel nullo etiam peccato erant obſtricti, ut de Hiſpania præſertim teſtatur Morinus lib. 5. c. 7. & ex dictis patet. Tum quia hujus pœnitentiæ impoſitio fiebat a Sacerdote ſecreto; tum quia, ſi Patres præviderent ex impoſitione pœnitentiæ publicæ crimen occultum revelatum iri, tunc pœoiteotias publicas io privatas commutarunt, ut docet Morinus lib. cit. c. 5. & ex ſupra dictis pariter liquet.

Secuoda vero ex eo cooſtat, quod non videatur eſſe efficacius medium ad dolorem in peccatore, emendationiſque propoſitum efficaciter excitandum, atque ad remiſſionem peccatorum promerendam, item ad plebi Chriſtianæ ideam genuinam de gravitate offenſæ Divinæ Majeſtatis ingereodam, eamque a peccatis deterrendam, quam rigor pœnitentiæ publicæ a florentis Eccleſiæ Patribus uſurpatus. Sane ſtante illa felici diſciplina plurimi Chriſtiani abhorruerunt vel cogitare de illis peccatis, quæ modo a multis ſine difficili reſolutione committuntur, frequentantur, & confeſſionibus crebris etiam ſubjiciuntur, atque a multis Confeſſariis cum levi pœnitentia abſolvuntur contra mentem Tridentini N. præc. relati. Quamquam enim collapſis Chriſtianorum moribus & fervore pœniteotiæ pene exſtincto nec amplius poſſibile ſit, nec omnino expediat Confeſſarios ad amuſſim caoonum pœnitentialium pœnas criminibus imponere, *ſalutares* tamen, & *convenientes* ad mentem ejuſdem Tridentini injungere teneotur. Præterea io praxi valde otile eſſet, ut Confeſſarii notitiam exactam canonum pœnitentialium ſibi compararent, quos L. cit. ad longum ex hoc fine retulimus, ut ſaltem pœnitentibus explicare valerent, quales antiqui Chriſtiani pro ſimilibus peccatis pœnitentias ſubire debuerint.

52. Publica pœnitentia ſemel tantum olim concedebatur; qui vero poſt illam ſemel adimpletam io eadem, aut graviora crimina incidebant, noo omnino deſperati, & ab omni ſpe veniæ dejecti jacebant, ſed toto vitæ ſuæ tempore a ſacra menſa excluſi ſecreta pœnitentia caſtigabantur; & in fine tantum veoiam & abſolutionem obtinebant.

Prima pars propoſitionis multis veterum teſtimoniis demonſtratur a Morino. Inter quos Tertull. lib. *de pœnit.* c. 5. *Hoc dico*, inquit, *pœnitentiam, quæ per Dei gratiam oſtenſa & indicta nobis, in gratiam nos Domino revocat, ſemel cognitam atque ſuſceptam, nunquam poſt hac iteratione delicti reſignare oportere*. S. Ambroſius lib. 2. *de pœnit.* c. 10. *Merito*, inquit, *reprehenduntur, qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto*. Origenes Hom. 15. io c. 25. Lev. *In gravioribus criminibus ſemel tantum, vel raro pœnitentiæ locus conceditur*. Tò autem raro irrepſiſſe aliena manu in Origenem inde ſuſpicari licet, quod io MSS. 800. annorum non exſtet, quemadmodum neque apud Magiſtrum lib. 4. diſt. 14. S. Aug. ep. 153. alias 54. *In tantum hominum aliquando iniquitas progreditur, ut etiam poſt actam pœnitentiam —— vel ſimilia vel graviora committant, —— & quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliviſcitur*.

Circa ſecundum propoſitionis membrum, quod negat Morinus, antiqui Scholaſtici, primævæ Eccleſiæ praxim ex uſu temporis metientes, docuerunt ſimiles delinquentes poſt *publicam* pœnitentiam fuiſſe aote mortem reconciliatos, & abſolutos pœoiteotia *privata*, quam judicant fuiſſe duriorem ipſa pœnitentia publica, ne alias ex ioiquitate ſua lucrum reportaſſent relapſi, quos ſecuti ſunt multi recentiores. Sed diſciplinam veteris Eccleſiæ fuiſſe noſtræ propoſitioni conformem probatur 1. ex S. Aug. io mox cit. ep. in qua ex profeſſo refellit eos, qui ex denegata ulteriori pœnitentia, hoc eſt abſolutione, & admiſſione ad S. Communiooem aote finem vitæ inferebant, aut ipſis deſperandum eſſe, aut laxandam ad omne facinus licentiam, dicens, quod quamvis eis in Eccleſia locus humillimæ pœnitentiæ (poſt primam pœnitentiam) noo concedatur, Deum ſuper ejuſmodi homines patientiæ ſuæ non oblivisci, bonaque pœnitentiæ opera ipſis profutura; ad quam ſolutionem certe non confugiſſet, ſi uſum Eccleſiæ agnoviſſet, quo tales poſſent privata confeſſione & abſolutione ad communionem recipi, nec illi deſperatas has quæſtiones eidem formaſſent, ſi hac via expiari tum conceſſum fuiſſet. Probatur II. ex Siricio Papa ad finem Sæculi IV. ſedente, qui ep. 1. *ad Himerium*, a quo conſultus fuerat, qua ratione agendum foret cum iis, qui poſt actam pœnitentiam publicam tanquam canes & ſues ad vomitus priſtinos & ad volutabra redierunt, cap. 5. tria decernit in eeeminis obſervanda. 1. Ejuſmodi relapſis non amplius apertum eſſe pœnitendi publice ſuffragium, de hoc namque interrogatus fuerat. 2. Illos pro deſperatis habendos non eſſe, ſed debere eos in ſe ſua errata caſtigare, per privatam nempe pœoitentiam. 3. Concludit, *Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatica munere, cum ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam* (præmiſſa nimirum ſacerdotali reconciliatione per abſolutionem) *volumus ſubveniri*. Quæ tria noſtra edicit propoſitio. Plura de hac mat. vide infra.

§. V.

De Abſolutione.

53. SUpponimus in præſenti materia quæſtionem Juris, ſeu dogmaticam circa ipſam abſolutionem a legitimo Sacerdote factam, ao nimi-

Digitized by Google

nimirum ſit tantum *declaratoria* remiſſionis peccati, fide credentis ſe eſſe abſolutum jam remiſſi, ut volunt Proteſtantes a Trid. Seſſ. 14. can. 9. confixi, vel an ſit *remiſſoria*, ſeu actus Judicialis, ut definivit eadem Synodus canone cit. & nos probavimus h. t. N. 6. Sumimus præterea, ne quæſtionibus ſcholaſticis implicemur, Chriſtum ſicut in aliis quibuſdam Sacramentis, ita neque in hoc formam, quæ actum judicialem remiſſivum exprimat, atque determinaſſe, ſed Eccleſiæ ſuæ determinandam reliquiſſe. Id enim ipſa praxis Eccleſiæ infra referenda declarabit. Supponimus denique triplicem potiſſimum eſſe modum, quo enunciari & exprimi poteſt forma abſolutionis, nempe vel modo deprecativo v. g. *quæſumus Domine, abſolve*, vel modo imperativo, *abſolvatur*, qui modus, ubi de miniſtro Sacramentorum agitur, ad deprecativum deducitur, neque enim homo Deo imperat; vel denique modo indicativo, *abſolvo te*. Sed neque circa hos tres modos quæſtionem Juris inſtituemus ex profeſſo, quis eorum requiratur ad ſubſtantiam Sacramenti; hujus enim libri tam Titulus VII. *de Hæreticis*, quam præſens, pro ſui exacta tractatione ejuſdem moliſ tomum, (1) ac præſens eſt, ſi non majorem exigerent: verum ſolam quæſtionem facti circa abſolutionem tum deprecatoriam, tum indicativam in Eccleſia ſubinde uſurpatam, tum perpetua fide, quod abſolutio ſacramentalis ſit actus judicialis, pertractabimus, & præterea hiſtorice diſcutiemus, an abſolutio ſacramentalis quorumdam criminum reis ſubinde denegata fuerit, vel protracta &c. Ulterius, an data fuerit ante vel poſt peractam pœnitentiam.

54. Extra dubitationis aleam omnino poſitum eſt, a primo noſtræ Religionis ortu uſque ad XIII. Sæculum apud Latinos formam abſolutionis paſſim fuiſſe deprecatoriam.

Propoſitionem hanc teſtimoniis irrefragabilibus Patrum, Conciliorum, ac Scriptorum, nec non librorum pœnitentialium horum ſæculorum in apricum poſuit ſæpe laudatus Morinus in ſuo *de administratione pœnitentiæ* libro, ex quo ea excerpſerunt, qui poſt ipſum ſcripſerunt, Witaſſius, Tournelius, Vanelpen &c. Aliqua hic adteremus, & quidem pro ſæculo II. librum Tertull. *de Pudicitia*, in quo c. 2. generatim ait: *Ubi eſt poſtulationis copia, illic etiam remiſſionis; ubi nec poſtulationis, ibi neque remiſſionis*. Pro Sæculo III. S. Cyprianum, qui libro de lapſis eos exhortans ad pœnitentiam, qua acta abſolutionem reciperent, *Rogamus vos*, inquit, *ut pro vobis Deum rogare poſſimus; preces ipſas ad vos vertimus, quibus Deum pro vobis ut miſereatur oramus; agite pœnitentiam plenam*. Pro Sæculo IV. S. Ambroſium, qui lib. 3. de Sp. S. c. 18. ait: *Iſti* (Sacerdotes) *rogant, Divinitas donat: humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis*. Pro Sæculo V. S. Auguſtinum ſerm. 99. olim homil. 23. inter 50. qui adverſus Donatiſtas diſputans, qui ſibi confidenter arrogare videbantur remiſſionem peccatorum, eos refellit exemplo Chriſti, qui non dicebat mulieri, *Ego remitto*, ſed modeſtius, *Fides tua te ſalvam fecit*, dum ait: *Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto. —— O Hæretice, tu cum ſis homo, dicis, Veni mulier, ego te ſalvam faciam. Ego* (Chriſtus) *cum putarer homo, dixi, Vade mulier, fides tua te ſalvam fecit*. Cui textui ſubdit Witaſſe, ſi tunc temporis uſitata fuiſſet hæc formula, *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, totum corruiſſet Auguſtini argumentum. At mea quidem ſententia non corruiſſet, cum Auguſtinus cum Eccleſia Catholica ſuo ævo crediderit Miniſtros Eccleſiæ vere abſolvere pœnitentes, quamvis Miniſterialiter ſolum, ut patet ex dictis N. 6. &c. Et hinc ſolum arguiſſe Donatiſtas, quod id ſe facere principaliter docerent, & ex hoc fine formulam indicativam adhiberent, cum Eccleſia ad exprimendam miniſterialem Sacerdotum abſolvendi poteſtatem uteretur forma deprecativa. Id quod ex allato S. Auguſtini loco evincitur. Pro eodem Sæculo V. S. Leo ep. 136. ad Epiſcopos Campaniæ, *Sufficit*, inquit, *ea confeſſio, quæ primum Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit*. S. Leoni Sæculo VII. conſenſit Eligius, hæc ejus verba Homilia 4. aſciſcens. Et Sæculo VIII. Alcuinus lib. *de offic. div. c. de cœna Domini* deſcribens modum reconciliationis pœnitentium, dum verba, quibus abſolverentur, refert, nihil memorat præter varias orationes. Quas ſolas pro forma abſolutionis Sæculo IX. etiam referunt Capitularia Regum Francorum. Et Sæculo X. Burchardus lib. 19. Concordant his omnibus Sacramentaria Gelaſii, Gregorii M. Ordo Romanus, Rhemenſis, Rodradi &c. quos refert Morinus, qui etiam militant pro Sæculo XI. Pro Sæculo XII. S. Bernardus vel alius Author *de modo bene vivendi* c. 27. abſolutionis ritum refert, & in oratione collocat. Idem facit Petrus Cellenſis lib. *de panibus* c. 7. & Petrus Cantor in ſumma *de Sacramentis*. Sæculo denique XIII. ſeu circa A. 1230. Guillelmus Pariſienſis cap. 19. *de Sacr. pœnit.* de abſolutione diſſerens: *Non more Judicum Forinſecorum*, inquit, *pronunciat Confeſſor, Abſolvimus te, —— ſed magis orationem facit ſuper eum, ut Deus abſolutionem & remiſſionem, atque gratiam ſatisfactionis tribuat*. Ad hujus quoque Sæculi finem Theologus ille, quem oppugnat S. Th. opuſc. 22. de forma abſolutionis, deprecatoriam abſolutionem reſtitui voluit, objiciens S. Doctori vix 30. annos eſſe, quod omnes hac ſola forma, *abſolvo te*, uterentur; & ad id probandum adduxit Guillelmum ab Altiſſiodoro, Guillelmum Pariſienſem mox relatum, atque Dominum Hugonem, quondam Cardinalem.

55. A Sæculo tamen X. præter deprecatoriam abſolutionis formulam alia etiam indicans in uſu fuit.

Id conſtat ex libro Sacramentorum, quam exhibet Hugo Menardus ad Sacramentarium Gregorii, ex Codice ſcripto juſſu Ratholdi Corbejæ Abbatis, qui mortuus eſt A. 986. In eo inter alias formulas eſt etiam iſta: *Abſolvimus vos vice B. Petri, - - cui Deus ligandi atque ſolvendi poteſtatem dedit*. Concordant alii Codices, quos recenſet Morinus l. 8. c. 11. atque ille præſertim 700. circiter annorum, quem ex Bibliotheca Eccleſiæ Rhotomagenſis l. 9. c. 31. allegat; in illis enim abſolutio forma indicante etiam conceditur. Sic enim habet Codex Rhotomag. *Abſolvimus te vice B. Petri, —— cui Dominus poteſtatem ligandi atque ſolvendi dedit; & quantum ad te pertinet accuſatio, & ad nos remiſſio, ſit Deus omnipotens tibi vita & ſalus, & omnibus peccatis tuis indultor, per eum, qui vivit & regnat per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.*

56. Sæculo XIII. a multis ambæ hæ formulæ ſimul conjungebantur, ſed ita tamen, ut ſola indicans abſolutio eſſe cenſeretur.

Utrumque membrum adſtruit Alex. Alenſis 4. parte ſummæ q. 21. membro 1. inquiens: *In forma abſolutionis, præmittitur oratio per modum deprecativum, & ſubjungitur abſolutio per mo-*

Tt *dum*

(1) *Vide Typographi Præfationem.*

dum indicativum; & deprecatio gratiam impetrat, & abſolutio gratiam ſupponit: nunquam enim Sacerdos abſolveret quemquam, de quo non præſumeret, quod eſſet abſolutus a Deo. Iiſdem verbis utitur S. Bonaventura in 4. diſt. 18. p. 1. art. 2. q. 1.

57. Ad finem Sæculi XIII. ſola indicans abſolutionis forma reputata eſt legitima, atque apud Eccleſiam Latinam jam in iis ſoiis verbis conſiſtit; *ego te abſolvo &c.*

Prima pars adſtruitur 1. ex S. Th. opuſc. 22. *de abſolutione*. Cum enim quidam voluiſſet deprecantem formulam, ut olim erat, in uſum revocare, ei fortiter obſtitit S. Doctor, & cum diceret ille, utrumque Guillelmum, Altiſſiodorenſem & Pariſienſem pro ea ſtetiſſe, eidem reponit S. Thomas: *Nunquid etiamſi nunc viverent, præjudicare poſſent communi ſententiæ Magiſtrorum Pariſiis regentium, qui contrarium ſentiunt, decernentes abſque his verbis, Ego te abſolvo, abſolutionem non eſſe per ſolam deprecativam orationem.* Secundo ex Franciſco Mayronis, qui in 4. diſt. 14. q. 9. teſtatur ſuo, id eſt XIII Sæculo, improbatam fuiſſe & ab omnibus Eccleſiis eliminatam abſolutionis formulam deprecantem. In hoc autem plerique omnes exinde acquieverunt, quod iſta formula magis ad Chriſti in Evangelio verba accedere, & actum juridicum diſertius exprimere videretur, ut ait Witaſſe.

Et hinc Concilium Florentinum in inſtructione Armenis data, quam retulimus lib. 5. tit. 1. N. 307. definit: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit: Ego te abſolvo.* Cujus veſtigia preſſit Trid. ſeſſ. 14. c. 3. ubi legimus: *Docet S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue vis ipſius ſita eſt, in illis Miniſtri verbis ſitam eſſe; Ego te abſolvo &c. quibus quidem, de Eccleſiæ S. more, preces quædam laudabiliter adjunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ.* Ex quibus patet ſecunda propoſitionis pars.

58. Valuit, & etiamnum valet apud Græcos forma Sacramentalis abſolutionis verbis deprecativis expreſſa.

Propoſitionem probat Morinus lib. 8. c. 12. pluribus momentis. Ex quo Tournelius hæc pauca excerpit. 1. Quotquot exſtant Græcorum libri Rituales veteres, & recentiores, non aliam continent, quam deprecatoriam formam abſolutionis Sacramentalis, quæ incipit ab his verbis apud Goarium in ult. edit. pag. 536. *Domine Jeſu Chriſte Fili Dei vivi, relaxa, remitte, condona peccata &c.* Ac ſubdit: *Solis oculis opus eſt, ut hujuſce argumenti deprehendatur veritas. Lege Euchologium Græcorum, lege libros pœnitentiales, quos ad calcem operis de pœnitentia deſcribit Morinus: nec aliam, quam deprecatoriam formulam abſolutionis deprehendes. Goarius quidem duas refert formas indicativas, ſed eas a Latinis ad Græcos poſtremis temporibus miſſas eſſe non diſſimulat.* Verba Goarii adſcito, quæ prædictis formis ab eo pag. 540. col. 1. præmittit; ſic vero loquitur: *Ne tamen ignorantiæ & ruſticitati Græcorum Sacerdotum dilectos ſibi Orientales Eccleſia Romana —— relinquat, ſuam pœnitentiæ formam typis conſignatam a quibuſdam jam receptam ad eos tranſmittere, & diſtribuere curavit.* Dum ergo Græcorum formulæ indicativæ Romæ typis mandarentur, a paucis erant receptæ. Subdit deinde: *His Orationibus utuntur Calabri, Apuli, & Siculi Græci; Venetis namque ſubjecti, mentem & ſenſum Conſtantinop. Patriarchæ ſtudioſius ſequuntur* (in retinenda nimirum abſolutionis forma deprecativa); *acceptaverunt quoque illas Orientales nonnulli, & ut in uſum alias memini quondam mihi ab illis oſtenſas. Tranſcriptas vero, & quaſi laudatas & receptas a quibuſdam cum pleriſque ſui ritus orationibus recenter ad me miſit, multa mihi neceſſitudine conjunctus Georgius Coreſius Eccleſiæ Conſtant. Theologus.* Ex quo Goarii teſtimonio manifeſte evincitur præſens propoſitio, quam Witaſſius generalioribus terminis effert, nimirum, *abſolutio ſemper fuit, & etiamnum eſt apud Græcos deprecatoria;* cui cum videantur mox dicta ex Goario repugnare, ad ea reſpondet 1. Formulas relatas eſſe recentiores, & a paucis, & pro arbitrio uſurpatas, atque adeo non poſſe eſſe formam abſolutionis, quod tamen durum videtur aſſerere, cum has formulas Græci Catholici in Calabria, Apulia, & Sicilia, imo etiam Orientales utantur, teſte oculato Goario. 2. Eas dici poſt adminiſtrationem totius Sacramenti ad dimittendum pœnitentem, ſicut apud Latinos poſt abſolutionem quædam adhuc preces vel precationes adhibentur. Quod autem ille non vera ac genuina abſolutio ſit, multis ait evinci. 1. Quia non ab omnibus frequentatur. 2. Quia non eſt in Ritualibus libris, qui tamen ſine dubio omnia complectuntur, quæ neceſſaria ſunt. 3. Quia ſi verba ipſe ſpectes, abſolutionem jam datam ſonent. 4. Quia Leo Allatius in Ep. ad Morinum Tom. 1. Miſcel. affirmat eam dici poſt datam orationibus abſolutionem. Quæ an fidem Goarii elevent, prudens Lector dijudicet. Maximi ponderis contra Goarium videtur eſſe, quod Græci eas formas indicativas poſt ſuas deprecativas adhibeant, adeoque poſt abſolutionem. Et hinc Græcos hodie uti forma deprecativa ad ſignificandam abſolutionem aperte ſignificat Clemens VIII. in Inſtructione ſuper Ritibus Græcorum, quam edidit A. 1595. inquiens: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in Generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma hujuſmodi abſolutionis dicere tantum conſueverunt.* Ubi Clemens clare ſupponit Græcos uti forma deprecativa, eaque valide abſolvi Græcos pœnitentes. Non me latet hactenus dicta de uſu formæ deprecativæ uſque ad Sæculum XIII. incluſive in Eccleſia Latina, & in Eccleſia Græca uſque ad præſens ſæculum, quibus adeo vellicatur vulgatis olim & communis Scholaſticorum ſententia, propugnans eandem formam eſſe ineptam atque invalidam, quæque tam plauſibiliter ac feliciter defenduntur a Theologis clariſſimis Joanne Morino, Tournelio, Witaſſio citatis, & præterea a Cardinali Gotti, Martene, Venroy, Piette &c. a recentioribus quibuſdam, nimirum Fraſſenio, Hennone, & Boucato, quibus noviſſime ſubſcripſit Bertus, impugnari, qui viri doctiſſimi propterea adducta clariſſima teſtimonia ex tot Ritualibus libris explicare conantur *de pœnitentia Canonica*, non *de ſacramentali;* ille vero Patrum volunt intelligi de precibus abſolutioni *præmiſſis*, & adhuc præmitti ſolitis. Sed præterquam quod neque formulam vel *unicam* indicativam ante Sæculum X. ex ullo Rituali vel Patre Latino in ſui favorem adducere queant, cum formulæ illæ indicativæ a Berto adductæ, & a nobis N. 54. relatæ illi Sæculo vel coævæ, vel juniores ſint, timeo, ne ſicut alii in vindicandis Canonibus Apoſtolorum, Conſtitutionibus Clementis, Epiſtolis Romanorum Pontificum, ita ipſi in hac materia operam perdant, hactenus dictis manentibus inconcuſſis, formam nimirum indicativam Sæculo X. incœpiſſe, & ſucceſſive in augem ſumpſiſſe, uſque dum ab Eccleſia Latina tanquam

ſola

ſola valida declarata fuit, forma deprecativa apud Græcos in ſuo valore perſiſtente, uti equidem invicte probatur ex hactenus allatis teſtimoniis, præſertim Clementis VIII. contra quæ infirma oppido ſunt, quæ ex Arcudio corradit Bertus; non enim negamus cum eodem, formam indicativam a quibuſdam Græcis adhiberi, quin hoc actu faſſi ſumus; ſed advertere debuiſſet Bertus, Arcudium lib. 4. *de pœnit.* c. 3. fateri, formam illam *non extare in Euchologio*, quamvis frequens ſit, & in ore multorum Confeſſariorum, *recentiorum* tamen, uti mox diximus.

59. Stante etiam hypotheſi, formam deprecativam in Sacramento pœnitentiæ a Sacerdotibus ſubinde fuiſſe adhibitam in Eccleſia Latina, & de facto adhiberi in Eccleſia Græca, neutra unquam cenſuit, Sacerdotes ſolum *declarare* peccata pœnitentibus eſſe a Deo condonata, ſed conſpiranter docuit, Sacerdotes ut Miniſtros Chriſti illa judicialiter ejus nomine remittere.

Propoſitio hæc tanquam corollarium prono alveo fluit ex omnibus teſtimoniis hoc titulo allatis, quæ aperte demonſtrant, Eccleſiam conſtanter ſenſiſſe, Chriſtum illis verbis, *Quodcunque ſolveritis &c.* Apoſtolis eorumque Succeſſoribus poteſtatem judiciariam conceſſiſſe abſolvendi fideles pœnitentes a peccatis. Quæ omnia confirmari poſſunt ex œconomia Eccleſiæ Græcæ, quæ eſto formula deprecativa uteretur tempore Florentinæ Synodi, quo indicativa apud Latinos jam ſola obtinuit, nihilominus credidit Sacerdotes illa formula vere abſolvere, cum Græcis a Patribus Latinis circa hoc punctum tum nihil fuerit objectum. Quam fidem de facto profitentur Græci, ut patet tum ex dictis, tum ex actis Jeremiæ Patriarchæ cum Proteſtantibus &c. Nec Proteſtantium errori favet antiquorum quorundam Theologorum opinio, qui propugnabant neceſſitatem contritionis vi ſua peccatum delentis, priuſquam Sacerdos proferat abſolutionem. Hi enim minime negabant a Sacerdote judicialem actum exerceri, minime ajebant abſolutionem eſſe nudum pronuntiandi & declarandi officium, ſed vel affirmabant contritionem delere culpas vi ſubſequentis abſolutionis, ejuſque voto, ut ajebat Joannes Æmilianus; vel exiſtimabant abſolutione ipſa conferri gratiæ incrementum, remiſſionemque pœnarum, uti late docent noſtri Polemici. Dum vero quidam Veterum videntur inſinuare Sacerdotes non abſolvere, intelligendi ſunt non abſolvere *principaliter*, ſed *miniſterialiter*, uti explicavimus ſupra locum S. Auguſtini. Quæ cauſa etiam videtur fuiſſe, quod Eccleſia ab initio uſa fuerit forma *deprecativa*, quæ poſtea ad magis indicandum actum judicialem a Chriſto tam manifeſte Sacerdotibus conceſſum mutata fuit in *indicativam*. Nec in hoc ſcandalizentur Novatores, ſiquidem dudum a noſtris demonſtratum eſt, Eccleſiam poſſe determinare formas atomas, materiaſque Sacramentorum, quæ a Chriſto ita determinatæ non ſunt.

60. Sanis graviſſimorum criminum reis, pœnitentiam agentibus, aut ea perfunctis, nuſquam denegata eſt Sacramentalis abſolutio ab Eccleſiis Orientalibus, vel Occidentalibus illuſtrioribus.

Propoſitio patet ex dictis ſuperioribus, limitatur nihilominus ad Eccleſias illuſtriores, cum S. Cyprianus epiſt. 52. *ad Antonianum* referat: *Apud antecesſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſthic in provincia noſtra dandam pacem Mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteros clauſerunt.* Quod exemplum ſeveritatis profecto ſingulare fuit in his Africæ Epiſcopis, cujus veſtigium vix alibi reperias, inquit Tournelius. Hi tamen Epiſcopi nequaquam cum Novatianis aut Montaniſtis ſentiebant; Montaniſtæ ſiquidem negabant poteſtatem eſſe in Eccleſia graviora crimina remittendi, hi vero Epiſcopi hanc poteſtatem ſe habere credebant, ſed eam ſpecificatis peccatoribus impendere nolebant. Sicut Eccleſiæ non admittebant ſecundam pœnitentiam poſt ſemel peractam publicam, niſi in fine vitæ, de quo ſupra N. 52.

61. An vero iis, qui pœnitentiam ſani non poſtulaverant, venia ſeu abſolutio in ipſo mortis diſcrimine tribus primis Eccleſiæ Sæculis concederetur, controverſia eſt inter modernos eruditos.

Qui affirmant, ducuntur 1. authoritate S. Cypriani ep. 52. *ad Antonianum*, ubi ait: *Idcirco, Fratres chariſſimi, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum ſuorum toto corde, & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus a ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit moriturum.* Idem ſentit Concilium Arelat. A. 314. can. ult. & Innocentius I. ep. 3. *ad Exuperium*, qui ab ipſo quæſierat: *Quid de his obſervari oporteat, qui poſt baptiſmum omni tempore incontinentiæ & voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ fine pœnitentiam ſimul & reconciliationem communionis expoſcunt?* Duplici modo hanc quæſtionem ſolvit pro veteri nimirum ac nova Eccleſiæ diſciplina: ſic enim habet c. 2. *De his obſervatio prior durior: poſterior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit, ut concederetur ei pœnitentia, ſed communio negaretur; —— ſed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, jam depulſo terrore communionem dare obeuntibus placuit, & propter Domini miſericordiam quaſi viaticum profecturis, & ne Novatiani hæretici, negantis veniam, aſperitatem & duritiam ſubſequi videamur. Tribuitur ergo cum pœnitentia communio.* Reſpondent quidem negantes ad utrumque teſtimonium allatum, S. Cyprianum loqui de denegatione *Euchariſtiæ*, vel *canonicæ cum Eccleſia reconciliationis*, non vero de denegatione *veniæ*, vel Sacramentalis abſolutionis. Sed quod S. Cyprianum attinet, 1. ille tali vult eſſe denegandum *ſolatium*, atqui abſolutio ſacramentalis eſt maximum hac in re ſolatium. 2. Denegat prætetea eidem communionem, conſtat vero illis ſæculis abſolutionem non fuiſſe ſeparatam a participatione Euchariſtiæ. Sed Cyprianum aperte loqui de denegatione abſolutionis Sacramentalis patet ex motivo ab ipſo allato, quod nempe talis non petat reconciliationem ex delicti pœnitentia, ſeu vero dolore, ſed ex timore mortis; conſtat autem dolorem eſſe diſpoſitionem præcipuam ad ſacramentalem abſolutionem. Innocentium vero favere affirmantibus patet, 1. quia quæſtio propoſita fuit ab Exuperio *de reconciliatione*, & hinc 2. Per communionem intelligit *remiſſionem & veniam*, non *Euchariſtiæ* participationem. 3. Quia eo communionis nomine id intelligitur, quod negabant Novatiani, & inde duri & inhumani cenſebantur, atqui id erat abſolutio Sacramentalis. 4. Huic communioni tribuitur, quod homines ab æterno exitio liberet; id vero ſoli abſolutioni convenit. 5. Si hoc communionis nomine Euchariſtia intelligeretur, non fuiſſet contra effatum Innocentii prior obſervatio durior poſteriore, nam etiam poſtea quibuſdam denegata eſt Euchariſtia in mortis articulo. Nec te moveat, 1. quod Innocentius ibi ait: *Conceſſam talibus eſſe pœnitentiam*; hoc enim nomine non intelligit veniam, ſeu abſolutionem, ſed ritum il-

T t x lum,

lum, quo pœnitentiam cum certis precibus imponi mos erat, de quo vide Albaſp. lib. 2. obſerv. c. 3. Neque 2. quod S. Cyprianus in eadem Ep. ait: *Duriſſimum eſſe eum, qui pœnitentiam imponit, nec veniam concedit;* loquitur enim de veniæ denegatione *poſt pœnitentiam actam*, quod faciebant Novatiani, non de ejuſdem denegatione in caſu noſtro; & quamvis Cæleſtinus I. Sæculo V. in ep. 2. c. 2. hujuſmodi denegationem vocet *impietatem*, cjus ſententia non eſt ad œconomiam trium priorum ſæculorum extendenda: etenim, ut bene obſervat Innocentius I. cit. *Cum illis temporibus crebræ perſecutiones eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret a lapſu, negata merito communio eſt, conceſſa pœnitentia* (nimirum cæremonialis illa mox explicata), *ne totum penitus negaretur; & duriorem remiſſionem fecit temporis ratio*. Canon vero 13. Nicænus, quem N. ſeq. referemus, circa præſens cap. *ad antiquam regulam* provocans, intelligendus eſt de pace & communione danda iis, qui pœnitentiam *ſani* inchoaſſent, ut patet ex ejus ſcopo. Similiter Trident. Seſſ. 14. cap. 7. cum modernam Eccleſiæ praxim ait in Eccleſia *ſemper* eſſe cuſtoditam, in ſenſu accommodo ad Sæculum IV. accipiendum eſt, quo mos iſte invaluit, ut jam videbimus.

62. Sæculo IV. remiſit illa ſeveritas, tumque nulli etiam in extremo morbo pœnitentiam flagitanti abſolutio denegata eſt.

Id pro hoc & ſequenti ſæculo teſtantur Innoc. jam relatus, S. Cæleſtinus I. cit. S. Leo Ep. 91. *ad Theodorum*. Hic ſolum notandum eos, qui venia donati erant ante peractam pœnitentiam, ſi convaleſcerent, compulſos exinde eſſe, quod ſibi deerat legitimæ pœnitentiæ explere, ſive in gradu *conſiſtentium* manendo, ſive ad eam ſtationem redeundo, in qua eos occupaverat morbus; teſte citato Nicæno Canone, quo etiam *primum* ſeveritas antiqua relaxata eſt, quoniam pace Eccleſiæ reddita ejus ceſſavit motivum, nimirum periculum permanentiæ in Apoſtaſia ob metum perſecutionum. Verba canonis adnumero: *De his, qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque ſervabitur; ita ut ſi quis egreditur e corpore, ultimo & maxime neceſſario viatico minime privetur. Quod ſi deſperatus, & conſecutus communionem, oblationiſque particeps factus, iterum convaluerit, ſit inter eos, qui communionem orationis tantummodo conſequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi communionis gratiam tribui, Epiſcopus probabiliter*, ſeu, ut alii vertunt, *poſtquam probaverit, dare debebit*.

63. Ad VII. uſque Sæculum non videtur fuiſſe conceſſa abſolutio extra caſum neceſſitatis, niſi poſt expletam omnem pœnitentiam.

Hanc propoſitionem tuentur tam Sæculorum ſuperiorum, quam moderni Theologi præſtantiſſimi, Author Enchirid. Colonienſis A. 1536. Oſius, Marianus Victorius, Bellarminus, Maldonatus, Eſtius, Hugo Menardus, Albaſpinæus, Morinus, Caſtorienſis relati a Witaſſio, quos ſequitur ipſe, Tournelius, aliique, & quidem fere indubitata redditur copioſis horum Sæculorum monimentis. Et quidem pro Sæculo II. ex controverſia Catholicos inter & Montaniſtas; nam Montaniſtæ in hoc cum Catholicis conveniebant, quod poſt confeſſionem pœnitentiam imponerent, in eo vero diſſidebant, quod pœnitentiæ labores veniam non impertirentur; id quod faciebant Catholici, qui proinde Montaniſtis apud Tertull. *de pud. c. 3.* ingerebant, *fruſtra agi pœnitentiam, ſi caret venia*. Pro Sæculo vero III. ex controverſia inter Cyprianum & lapſos, in iis ſiquidem ferre non poterat, quod ante pœnitentiam pacem repoſcerent. Item ex controverſia Eccleſiam inter & Novatianos, in quibus idem Cyprianus hoc velut intolerabile notat, quod pœnitentiam injungerent, & abſolutionem non darent, quam ep. 52. *Fructum pœnitentiæ* eſſe dicit. Sed Patres ipſos adducamus, & quidem pro Sæculo II. S. Zephyrinus Papa vel aliquis alius apud Tertull. lib. *de pudic. Ego*, inquit, *& Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto*. Pro Sæc. III. Tertull. lib. *de pœnit.* c. 6. *Quam porro ineptum, quam iniquum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere? hoc eſt pretium non exhibere, ad mercem manum emittere*. Sanctus Cyprianus tum alibi, tum epiſtola 59. *Quæ res nos ſatis movit, receſſum eſſe a decreti noſtri authoritate, ut ante legitimum, & plenum tempus ſatisfactionis, ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur*, hoc eſt abſolutio. Pro Sæculo IV. S. Ambroſius lib. 1. de *Pœnit.* c. 16. contra Novatianos: *Fruſtra*, inquit, *dicitis vos prædicare pœnitentiam, qui tollitis fructum pœnitentiæ*, hoc eſt abſolutionem a Catholicis poſt peractam pœnitentiam dari ſolitam. Pro Sæculo V. Innoc. I. ep. 1. c. 7. *Cæterum de pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, & tunc jubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem*. Sed Eccleſiæ Romanæ morem pro hoc Sæculo deſcribit Sozomenus lib. 7. cap. 16. *Privatim deinde*, inquit, *ſponte ſua quiſque vel jejuniis, —— vel aliis, quibus juſſus eſt modis, ſemetipſum affligens tempus expectat, in quantum Epiſcopus præſtituit: elapſo demique a peccatis abſolvitur, & populo in Eccleſia conjungitur*. Pro Sæculo VI. Gregorius M. hom. 26. *in Evangel.* in hæc verba, *Quorum remiſeritis; Videndum eſt*, inquit, *quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam, ut quos Omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoralis ſententia abſolvat. Tunc enim vere eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Judicis*. Denique pro Sæculo VII. Eligius hom. 4. *in Cœna Domini, Qui ergo ex vobis*, ait, *per pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, —— non ſe a nobis reconciliari exiſtiment*. Quæ omnia poſſunt confirmari ex vulgato ritu pœnitentiæ imponendæ, & reconciliationis tribuendæ etiam ſequentibus Sæculis, quem ſupra N. 38. retulimus. Plures authoritates videantur in Witaſſe &c. huc etiam pleræque ſpectant, quas pro adſtruenda neceſſitate confeſſionis &c. adduximus.

Nec hic locum habet illa diſtinctio, quæ vulgo in Scholis ſubinde invaluit, duplicem nimirum tunc temporis invaluiſſe abſolutionem: unam *Sacramentalem*, quæ in ipſo limine pœnitentiæ concederetur: *Cæremonialem* alteram, quæ ad finem ſtadii reſervaretur; prima reconciliatos fuiſſe pœnitentes cum Deo, altera cum Eccleſia; priorem ſecretam fuiſſe, alteram publicam. Primo enim hanc diſtinctionem ut cerebrinam & fictitiam exploduut viri illi eruditi, & in antiquitate verſatiſſimi, quos mox retulimus, & merito; etenim hæreticos juvat, & doctrinæ Catholicæ nocet, inquit Witaſſe; nihil enim aliud contendunt hæretici, quam ut hæc omnia ad cæremoniam aliquam referantur, ut pœnitentiæ Sacramentum interimatur: vix autem alia Catholicis ſuppetunt ex antiquitate teſtimonia, quibus Eccleſiæ poteſtas, & abſolutionis neceſſitas & efficacia demonſtretur. 2. Quia de ea abſolutione ſermo erat Patribus, quam Montaniſtæ & Novatiani tollebant, hi vero tollebant abſolutionem *Sacramentalem*. 3. Quia de ea abſolutione loquuntur, qua non data, fruſtra agitur pœnitentia.

tis. 4. Quia eidem vim tribuunt reconciliandi cum Deo, dimittendi peccata. 5. Quia eam, quam injungebant pœnitentiam, referebant ad culpas delendas &c. Ergo necdum erant abſterſæ per abſolutionem ſacramentalem. Denique incredibile eſt Patres tantam pompam, tantum apparatum ad cæremonialem abſolutionem poſtulaſſe, & in ea concedenda tam auſteros fuiſſe, ſacramentalem vero ſtatim & ſine ullo negotio tribuiſſe. Nec adverſarios juvat id, quod Sozomenus lib. 7. c. 16. de Presbytero pœnitentiario refert, dum ait: *Ille vero pro cujuſque delicto quid facere ſingulos aut litere oporteret, interminatus abſolvebat, ut a ſe ipſi commiſſorum pœnas exigerent*; infidam enim eſſe verſionem omnes Græcæ lectiones exhibent, quæ ita ſonant: *Abſolvebat eos, poſtquam pœnas ſcelerum a ſe ipſi exegiſſent*. Quod vero caſum neceſſitatis attinet, multa concilia ſtatuunt, ei, qui in infirmitate pœnitentiam petit, eſſe ſubveniendum ſacramentali abſolutione, tanquam neceſſario viatico; ita ut tamen poſtea, ſi convaluerit, pœnitentiam expleat, ut patet ex dictis N. 61.

64. Per eadem hæc Sæcula in publica pœnitentia abſolutio non videtur niſi ad finem totius curriculi, & conſiſtentium ſtationis conceſſa.

Ratio eſt, quia antequam inſtituerentur illi gradus, ex omnium conſenſu pax ſimul dabatur, & communio Eucharistiæ; non fuit autem ratio cur id mutaretur, dum hi gradus inſtituti ſunt, ante quorum abſolutionem non dabatur Eucharistiæ communio; quæ tamen cum abſolutione ſemper conjuncta fuit, uti aperte teſtatur S. Leo, & S. Ambroſius lib. 2. *de Pænit.* c. 3. Octavo tamen Sæculo ac deinceps abſolutio concedebatur poſt aliquot annorum ſpatium, etiam ante expletam pœnitentiam publicam, ut colligitur ex Egberto Eborac. c. 39. Tom. 7. Concil. ex Nicolao Papa ep. 24. & Concilio Wormacienſi An. 868. can. 10.

65. Non tantum cum peragenda eſſet pœnitentia *publica*, ſed etiam in privata vulgo his & aliquot ſubſequis Sæculis non dabatur abſolutio, niſi expleta ſatisfactione.

Id patet primo ex Patrum teſtimoniis N. 63. & ſparſim per decurſum hujus Tituli adductis, quæ plerumque generalia ſunt, & ad privatam quoque pœnitentiam pertinent. 2. Quæ cauſæ movebant Patres, ut abſolutionem ita differrent, eædem quoque in privata pœnitentia locum habent. Pro ſubſequis vero ſæculis octavo & nono in hanc rem adfert Witaſſe libros capitularium Regum Francorum & nominatim lib. 5. c. 52. lib. 7. c. 392. præterea Concil. Pariſienſe 6. A. 817. c. 46. Vormacienſe A. 868. c. 36.

66. Patres priorum VII. Sæculorum cauſas graviſſimas attulerunt, cur præproperas abſolutiones prohibuerint, & abſolutionem nonniſi poſt ſatisfactionem integram impartiendam cenſuerint.

Primam adfert S. Cyprianus libro *de lapſis*, quod Deus non tam cito gratiam ſuam reſtituat. Secundam S. Auguſtinus Tract. 5. *in Joannis Ep.* aliique, quod non uno temporis puncto abſolvatur vera & ſolida ad Deum converſio. Tertiam S. Cyprianus L. cit. quod brevi tempore animæ vulnera non obducantur. Quartam Ambroſius l. 2. *de Pænit.* c. 10. quod rara ſit vera pœnitentia. Quintam S. Gregorius *paſtoral.* p. 1. c. 9. quod homo ſibi ipſi hoc in negotio ſæpe imponat. Sextam denique Tertullianus *de Pænit.* cap. 6. quod qui ſceleris alicujus ſibi conſcius eſt, longe vehementius ſe ſe acuat ad dolorem, & contritionem, dum veniam nondum ſuſcepit.

67. Hac tamen non obſtante veteris Eccleſiæ diſciplina, neceſſe non eſt ad ſubſtantialem integritatem Sacramenti pœnitentiæ, ut ſatisfactio adimpleatur ante abſolutionem, ſed perinde eſt, ſive antecedat, ſive illam ſequatur.

Propoſitio patet 1. ex conceſſa abſolutione morituris, qui vel pœnitentiam primis tribus Sæculis inchoaverant, vel poſt Sæculum IV. in periculo vitæ primum petierant, uti ex dictis conſtat. 2. Ex praxi Eccleſiæ Græcæ, quæ ab annis mille ducentis, & Latinæ, quæ ab annis 600. hac praxi uſa eſt, ut negare non poſſunt adverſarii. Quæ œconomia aperte indicat, rem iſtam eſſe meræ diſciplinæ. Unde merito Facultas Pariſienſis Anno 1644. damnavit propoſitiones illas Theophili Bracher, quibus aſſeruit, executionem pœnitentiæ ſeu ſatisfactionis impoſitæ neceſſario & ex inſtitutione Chriſti ac invariabili natura ita prærequiri abſolutioni, ut abſolutio non ſit valida, niſi ejuſmodi ſatisfactio prius completa fuerit, tanquam *temerarias* & *hæreticas* a Sixto IV. contra Petrum de Oſma, illiuſque ſequaces prædamnatas. Non negans interim cum antiquis Patribus, & cum Recentioribus S. Carolo Borromæo, Mariano Victorio, Bellarmino &c. abſolutiones præproperas, quæ in uſu frequentiſſimo ſunt, & Confeſſario, & pœnitentibus ex allatis mox Patrum graviſſimis rationibus eſſe pernicioſiſſimas.

§. VI.

De Ordinario Pœnitentiæ Miniſtro.

68. Circa Pœnitentiæ Miniſtrum Ordinarium Sæculo XII. errarunt Waldenſes, qui teſte Rainero lib. 5. exiſtimabant bonum laicum, non vero malum Sacerdotem habere poteſtatem abſolvendi. Quorum ſententiam poſtea adoptavit Wicleffus docens, *Laicum, ſi vir frugi fuerit, Clavium poteſtatem a Chriſto accepiſſe*. Quam ſententiam adoptarunt Novatores teſte Pallavicino lib. 12. *hiſt. Concil. Trid.* c. 10. ubi inter articulos a Patribus expenſos & damnatos hunc refert: *Sacerdotes non habere poteſtatem ligandi & ſolvendi, niſi Spiritus S. gratia & charitate ſint præditi, & non eos ſolos eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus & ſingulis Chriſtianis eſſe dictum: Quæcunque ſolveritis &c.* quorum verborum virtute abſolvere poſſunt peccata. Non tamen apud ipſos omnes promiſcue Laici Miniſterium verbi, aut Sacramentorum exercent, ſed ſoli Miniſtri, tanquam NB. *Delegati* a tota communitate, ſeu ſocietate, cui poteſtas ſeu auctoritas miniſterii concredita fuit. Inter Catholicos Morinus lib. 8. *de pænit.* c. 23. exiſtimat Diaconis olim conceſſum fuiſſe, & audire pœnitentes confitentes, & eos ſacramentaliter abſolvere, cum vel urgebat neceſſitas, vel nullus aderat Epiſcopus vel Sacerdos. Hæc omnia jam diſcutienda.

69. Eccleſia ab incunabulis conſtanter ſenſit, verba illa Chriſti ad Apoſtolos dicta: *Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis &c.* ad illos ſolum eorumque Succeſſores, nimirum Epiſcopos & Sacerdotes, pertinuiſſe; atque adeo ſolum Sacerdotem eſſe Pœnitentiæ Sacramenti Miniſtrum.

Propoſitio aſſeritur conſtanti Patrum traditione, inter quos Clemens, ſeu quis alius in ep. ad Jac. *Si forte*, inquit, *in alicujus cor vel livor, vel infidelitas latenter irrepſerit, non erubeſcat —— confiteri ei, qui præeſt*. Origenes hom. 2. in Levit. *Eſt adhuc*, inquit, *ſeptima peccatorum remiſſio, —— cum peccator non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum*. S. Baſilius *in Reg. Brev.* interrog. 288. *quinam peccata confiteri debeamus? Neceſſario*, inquit, *iis peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei*. Sed quid neceſſe teſtimonia plura in hanc rem cumulare? cum §. I. & II. tot atTt 3 tule-

tulerimus, quæ illam cum ſubjungendis extra omnem dubitationis aleam collocant.

70. Præcipua tamen circa pœnitentes cura, *nec* non reconciliandi poteſtas olim fuit penes Epiſcopos; quin reconciliationem publice pœnitentium ad tempora uſque Cypriani privative ad alios ſibi videntur reſervaſſe.

Utraque propoſitionis pars conſtare videtur ex celebri loco Cypriani ep. 11. ubi conqueritur de quibuſdam Presbyteris, qui pœnitentes ante actam pœnitentiam contempta canonica diſciplina conciliabant, eoſque inter alia reprehendit, quod ſe inconſulto id facerent. Verba ejus ſunt: *Audio quoſdam de Presbyteris, nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint cogitantes, nec Epiſcopo honorem Sacerdotii ſui & Cathedræ reſervantes, jam cum lapſis communicare cœpiſſe, —— cum nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita.* Hinc recte Morinus: Exigebat enim Eccleſiæ diſciplina, ut publicæ pœnitentiæ rei ab Epiſcopo, aut illius juſſu reconciliarentur.

71. Quamvis vero I. II. & initio III. Sæculi Epiſcopi peccatores publicos, vel publica pro occultis pœnitentes ſoli fere abſolverent, raro hanc poteſtatem Presbyteris delegantes, ab exordio tamen Eccleſiæ praxis fuit notoria in Eccleſia peccata occulta ſecreto Presbyteris confitendi.

Inſignem Origenis hanc in rem locum in Pſ. 37. ad illud, *iniquitatem meam ego cognoſco*, retulimus ſupra N. 13. quæ etiam adſtruitur ex iis Patrum teſtimoniis, quæ volunt peccata Sacerdotibus indefinite eſſe confitenda. Ut vidimus N. 69.

72. Sæculo nihilominus III. inſtitutus eſt ſpecialis Presbyter, qui pœnitentiæ publicæ duntaxat præpoſitus fuit, qui tamen Sæculo IV. iterum abrogatus eſt.

Cur Presbyter ille inſtitutus fuerit, non conveniunt Sozomenus, & Socrates; prior enim originem ejus adducit ex eo, quod moleſtum fuerit viſum Sacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine, crimina evulgare; ac ita electus fuerit ex Presbyteris aliquis, qui huic officio præeſſet. Socrates vero affirmat hunc Presbyterum inſtitutum occaſione Novatianorum, *ne ſcilicet*, ait Bellarm. lib. 3. *de pœnit.* c. 14. *Hæretici illi Catholicos reprehendere poſſent, quod minus facile lapſos ad communionem admitterent*. Utriuſque locum vide ſupra N. 15. At Petavius in notis ad Epiph. p. 242. putat Socratem hominem Novatianum ideo narrare a Catholicis occaſione Novatianorum novo canone fuiſſe conſtitutum Presbyterum Pœnitentiarium, ut ſimplicibus imponeret, antehac Eccleſiam Novatianorum crudelitatem fuiſſe ſecutam. Quidquid ſit, ſi Socrates verum dicit, hic Presbyter poſt medium Sæculi III. inſtitutus fuit; ſi Sozomenus, citius eum deputatum fuiſſe ſuſpicari licet. Ex quo autem hic Presbyter inſtitutus fuerat, unus erat, ad quem accedere debebant quicunque pœnitentiæ publicæ rei erant. Deinde idem ille Presbyter huic diligenter invigilabat, utpote in eam rem unice intentus; non enim tantum peccata, quæ ultro ad eum deferebantur a pœnitentibus, excipiebat, ob quæ ipſum oportebat *taciturnitate & prudentia* pollere, ut ſcribit Sozomenus L. cit. ſed audiebat delationes, & in mores ſingulorum inquirebat ſedulo, admonebat & urgebat reos, adverſus obſtinatos admovebat teſtes, impoſitum pœnitentiæ penſum ſollicite exigebat: imo poſt accepta ſecreto illorum flagitia ex iis quædam aliquando, prout e re Eccleſiæ videbatur, ſecernebat, quæ palam ac publice in ſolemni Eccleſiæ conventu ab ipſo pœnitente, pro antiqua conſuetudine, evulgari imperaret.

Secunda pars patet ex dictis occaſione famoſorum locorum Socratis & Sozomeni circa factum Nectarii, ex quibus nihil aliud extundi poſſe, quam *abrogationem* hujus Presbyteri in pleriſque Eccleſiis Orientalibus cum magno Eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento N. 15. & ſeqq. probavimus contra Novatores.

73. Cum abrogato iſthoc Presbytero, pœnitentiæ publicæ uſus non ſolum in Eccleſia Latina, verum etiam in Orientalibus perſeveraverit uſque ad Sæculum VII. (N. 15. & ſeq. h. t.) negotium ita pœnitentium ad eum ſtatum, in quo antea fuit, nimirum ad curam Epiſcoporum revocatum eſt, intacta & ſalva remanente praxi confitendi ſecreto aliis Presbyteris.

Propoſitio non eſt intelligenda, quaſi grave hoc negotium Epiſcopi ſemper obiverint, ſed quod ordinarii Presbyteri illud ſine *deputatione* Epiſcopali obire non potuerint, quos Epiſcopos aliis curis diſtentos munus invigilandi pœnitentibus frequenter Presbyteris Diaconiſque delegaſſe, Reconciliationem tamen ultimam ſeu *abſolutionem* ſibi reſervaſſe ſaltem communiter, ex dictis colligi poteſt.

74. Hæc Epiſcoporum authoritas in pœnitentiis imponendis, moderandis, & tandem pœnitentibus reconciliandis, poſt Sæculum VII. ſenſim Presbyteris magis communicari cœpit.

Cum enim poſt Sæculum VII. pro peccatis occultis deſiit imponi pœnitentia publica, una quoque vulgatum fuit, pœnitentiam occultorum criminum Presbyteris conceſſam, publicorum vero Epiſcopis reſervatam. Quo magis ergo labentibus Sæculis pœnitentia publica deſiit, atque pœnitentia occulta & privata facta frequentior, etiam auctoritas pœnitentias imponendi, & pœnitentes reconciliandi ad Presbyteros magis magiſque devolvi cœpit; adeo ut tandem non niſi *ſolemnis* pœnitentia Epiſcopis reſervata manſerit, de quo vide dicta N. 47. & ſeq. Et hinc videmus libros pœnitentiales, nec non canones octavo & ſeqq. Sæculis conditos præcipue ipſos Presbyteros, tanquam pœnitentiæ Miniſtros reſpicere, cum antiquiores canones fere ſolos Epiſcopos inſtruant, atque diſpenſatores pœnitentiarum ſupponant.

75. Hæc tamen auctoritas omnibus Presbyteris non ita competebat, ut omnes indifferenter Presbyteri indiſtincte quoslibet pœnitentes abſolvere poſſent: ſed erat penes ſolos illos Presbyteros, qui ſpecialiter ad curam animarum tanquam proprii Sacerdotes erant populo præpoſiti & deputati.

Propoſitio conſtat ex generali ac perpetua Eccleſiæ œconomia, qua iis ſolis Sacramentorum & divini Verbi diſpenſatio reſpectu populi ſibi crediti competebat; ut quoad reliqua Sacramenta patet ex tot multis titulis Juris canonici a nobis hucuſque commentatis; quantum ad pœnitentiarum vero impoſitionem, & pœnitentium reconciliationem ex dictis hoc titulo. Quin pluribus Sæculis confeſſionem factam alieno Sacerdoti, & abſolutionem ab illo ſine licentia proprii Sacerdotis obtentam invalidam fuiſſe reputatam recte colligit Vaneſpen ex cap. fin. *de pœnit. & remiſſionibus*, & Cap. *Omnis utriuſque ſexus*, eodem editis Sæculo XIII. Quæ diſciplina poſtea exortis Ordinibus Mendicantium, quibus inter alia privilegia etiam ampla abſolvendorum pœnitentium poteſtas ſucceſſive conceſſa fuit, mutata in præſentem tranſiit. Quamvis Galli Belgique Theologi de facto contendant, confeſſionem Paſchalem neceſſario debere fieri apud proprium Sacerdotem, & inficiari conentur, contra-

Digitized by Google

trarias conſuetudines quidquam contra facere. De quibus vide Elpenium hic, Witaſſe, & Tournelium &c.

76. Patres ſive vetares, ſive recentiores nunquam cenſuerunt in caſu neceſſitatis Diaconos vere poſſe abſolvere *ſacramentaliter* a peccatis, multo vero minus Laicis illam poteſtatem competere.

Quantum ad Diaconos, Morinus contrarium non evincit 1. ex S. Cypriano epiſt. 13. & alibi, ubi lapſos Martyrum libellis commendatos pace donari jubet, ſi mors immineat: cum autem deeſt Presbyter, præcipit, ut lapſi illi *exomologeſim ſuam apud Diaconum faciant; ut manu eis ab illo impoſita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres deſideraverant*. Reſpondent enim bene Patroni contrariæ & veræ ſententiæ, & cum ipſis Witaſſe, hanc reconciliationem mere cæremonialem fuiſſe hoc in caſu. Ejuſmodi enim lapſi *a* communione ſejuncti erant; imperat ergo, ut Diaconus in extremo vitæ periculo eos ab excommunicatione ſolvat. Quamquam eadem reconciliatio Sacramentalis fuiſſet, ſi a Presbytero foret data, ita verba textus, exomologeſis, manus impoſitio, pax, quæ a veteribus ſumuntur tum ad ſignificandam confeſſionem, abſolutionem, & reconciliationem tum *Sacramentalem*, tum *Canonicam* aut cæremonialem, pro capacitate Miniſtrorum explicari debent, unde de cæremoniali recte hoc loco explicantur, cum ex communi Patrum ſenſu Diaconi ſemper fuerint judicati incapaces abſolvendi *ſacramentaliter*. Et ita quoque explicandus venit canon Illiberit. 32. qui facit Diacono poteſtatem concedendæ communionis, ſi ei juſſerit Sacerdos. De abſolutione enim ab *excommunicatione* ſolum loquitur. Similiter can. 2. Concilii Tolet. I. Diaconis ſolum concedit *honorariam* manus impoſitionem ſuper pœnitentes, non ſacramentalem. Secundo, eandem ſuam cauſam non evincit ex monimentis poſt ſæculum VII. in quibus Alcuinus, Ordo Romanus, & alii edicunt, ut abſente Epiſcopo & Presbytero Diaconus ſuſcipiat pœnitentes, ac det eis ſanctam communionem. Hanc enim ſuſceptionem fuiſſe *nudam cæremoniam*, qua in Eccleſiæ ſinum admitterentur, ut precum & Euchariſtiæ participes fierent; non abſolutionem ſacramentalem, iidem illi omnes Authores teſtantur, qui abſolvendi auctoritatem ſolis Sacerdotibus propriam eſſe obſervant. *Non omnes Clerici*, inquit Alcuinus, *aut ullus Laicus —— judicia iſta uſurpare debet*. Ordo Rom. *Sicut Sacrificium offerre non debent niſi Epiſcopi & Presbyteri, quibus claves Regni cæleſtis traditæ ſunt; ſic nec iſta judicia alius uſurpare debet*. Ordo Pariſienſis in ſtatutis Synodalibus ſtatuto 56. *Prohibetur diſtricte, ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate: claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere*. En Diaconos in neceſſitate confeſſiones audientes & poteſtatem abſolvendi non habentes.

Et hinc Patres, plures Synodi, ſcholaſticique primi ſubſellii circa Sæculum XII. & ſeq. dum jubent abſente Epiſcopo ac Presbytero confeſſionem inſtitui vel etiam apud Laicum, id tantum fieri volunt ad præceptum Chriſti quoquo modo implendum, & gratiam ipſa operis *humilitate* conſequendam; minime vero gentium ad abſolutionem *Sacramentalem* ab iis ſuſcipiendam; etenim nullus fere eſt eorum, qui in hac controverſia allegantur, qui non conceptis verbis indicet aut definiat ibidem, non eſſe hanc abſolutionem Sacramentalem, adeo ut ad revincendum Morinum, qui in aliam partem propendere viſus eſt, nullo alio, quam Morino ipſo opus ſit, inquit Witaſſe. Qui & probat Gratianum, Petrum Cantorem, Præpoſitivum, Albertum magnum, quos pro ſe citat Morinus, ipſi contrariari adductis ipſorum verbis, quæ lector videat tum apud ipſum, tum apud alios Theologos.

77. Ad Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ etiam ſpectat reſervatio caſuum.

Duplex autem hodie eſt reſervatio caſuum, alia Epiſcopalis, alia Papalis. Epiſcopalis eſt, qua ipſi Epiſcopi quædam peccata ſibi reſervant, ita ut nulli inferiores Confeſſarii, quantumvis indefinita & illimitate approbati ab iis, Sacramentaliter abſolvere queant ſine ſpeciali facultate. Et ad hanc reſervationem reducuntur Reſervationes caſuum a Prælatis regularibus circa quædam peccata a ſubditis ſuis patrabilia. Reſervatio Papalis vero illa eſt, qua nonnulla atrociora crimina Papæ reſervantur, ut nullus ab iis præter Papam, aut ab eo poteſtatem habentem abſolvere ordinarie queat. Ex quibus patet, reſervationem caſuum præſupponere poteſtatem amoventem.

78. Hanc caſuum Reſervationem eſſe utiliſſimam Eccleſiæ, & pridem in Eccleſia uſurpatam docet Trident. Seſſ. 14. c. 7. *de Pœnit.*

Magnopere, declarat S. Synodus, *ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere SS. Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non a quibuſvis, ſed a ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices Max. pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſali tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare*. Et canone 2. anathema fert: *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam; atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatis vere abſolvat*.

79. In primordio Eccleſiæ uſque ad Sæculum VII. Epiſcopi ſibi reſervabant fere omnia graviora crimina.

Hæc propoſitio pendet ex dictis de pœnitentia publica, & de ejus Miniſtro; conſtat autem pœnitentiam publicam non tantum pro criminibus publice, verum etiam occulte patratis per hæc Sæcula fuiſſe impoſitam, Epiſcopoſque reconciliationis publicæ fuiſſe Ordinarios Miniſtros: reſervatio ergo caſuum ab illis facta metienda eſt juxta delicta, quæ per canones publicæ pœnitentiæ ſubjiciebantur, non vero ex pietate quorundam pœnitentium. Cum vero Sæculo VIII. ſenſim pœnitentia publica pro occultis agi deſiit, occultorum etiam criminum alias reſervatorum abſolutio Presbyteris conceſſa eſt; publicorum vero, pro quibus publica pœnitentia erat peragenda, abſolutio Epiſcopis longo tempore reſervata fuit, ut proinde reſervatio quorundam criminum, ſive caſuum hodie ab Epiſcopis fieri ſolita, nonniſi exigua ſit priſtinæ authoritatis Epiſcopalis particula.

80. Quamvis Romani Pontifices, in quantum Epiſcopi Romani ſibi ea graviora peccata, quæ pœnitentiæ publicæ ſubjiciebantur, æque reſervarint ac alii Epiſcopi ex paritate rationis, nullum tamen prioribus ſæculis ſibi reſervarunt peccatum in quantum *Papa*, hoc eſt *privative* ad omnes orbis Epiſcopos.

Propoſitio adſtruitur tum ex eo, quod nullum veſtigium talis reſervationis exſtet in hiſt. Eccl. horum Sæculorum; quin ex monimentis, quæ abundanter hoc titulo retulimus, abunde conſtat & notat etiam Thomaſs. de diſcipl. Eccl. p. 4. lib. 2. c. 71. N. 1. pluribus Sæculis penes Epiſcopos fuiſſe plenam ac omnimodam auctoritatem abſolvendi in foro pœnitentiali cujuſcunque quantumvis enormis ſceleris reos.

81. Circa Sæculum XI. ceperunt Epiſcopi ipſi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apo-

Apoſtolicam mittere; idque ut a Pontifice vel reconciliarentur, vel ut a Pontifice pœnitentia imponeretur; qua demum peracta ab Epiſcopis abſolverentur.

Id docent monumenta hujus Sæculi. Epiſcopi ergo ipſi caſus ſummo Pontifici primum reſervarunt; nec tantum in aliquo caſu particulari, ſed etiam ſubinde generali decreto criminis alicujus reos non eſſe a Papa inferioribus abſolvendos decernentes; ut patet ex Concilio Londinenſi An. 1143. ubi generaliter ſtatutum fuit, *ne aliquis, qui Eccleſiam cœmeterinmque violaverit, vel in Clerico, aut viro Religioſo manus injecerit violentas, ab alio, quam ab ipſo Papa poſſit ſolvi.* Cauſæ vero, cur Epiſcopi his Sæculis ipſi quodammodo Romano Pontifici caſus reſervaverint, ea præcipua fuit, ut hac reſervatione difficilior eſſet obtinendi a crimine commiſſo abſolutionem occaſio, atque hac difficultate a criminibus patrandis retraherentur homines ad ſcelera proni, ut patet ex eodem Concilio; ſubdunt enim Patres, *Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei Eccleſiæ vel ejus ordinatis a Prædonibus ſceleratis, ſed æque Clerici ac Laici capiebantur, redimebantur, & in vinculis tenebantur.*

82. Eodem tamen Sæculo Romani Pontifices caſus ſibi non unos privativa ad alios Orbis Epiſcopos reſervabant.

Propoſitio in apricum ponitur ex geſtis S. Gregorii VII. qui Sæculo XI. quo torrens ſimoniæ & incontinentiæ Clerum abripiebat, ex fine mox laudato, crimina ſimoniæ & concubinatus ſuæ abſolutioni reſervabat, de quo late egimus lib. 1. tit. 8.

83. Dum Sæculo XI. & deinceps Romanis Pontificibus aliquod crimen reſervabatur, illius abſolutio aliis non concedebatur; ſed oportebat, ut illo innodatus perſonaliter ſe Pontifici ſiſteret.

Exemplum hujus diſciplinæ ſuppeditat ep. 160. Ivonis Carnutenſis pro Sæculo XII. Quo vero tempore Pontifices abſolutionem a caſibus reſervatis inferioribus Presbyteris & Confeſſariis delegare cœperint, incertum eſt, inquit Eſpenius; hoc conſtat, quod Sæculo XV. pius ac doctus Gerſonius deſideraverit, ut hæc abſolvendi facultas pluribus fuiſſet communicata; quo intelligitur, eo adhuc tempore parce fuiſſe conceſſam. Quæ hic dicenda forent circa ſigillum confeſſionis, ſuppleta jam ſunt ex dictis; jam enim Sæculo II. Confeſſarii non audebant prodere peccata ſibi revelata in ſacro tribunali, ſed hortari poterant pœnitentem, ut pro ædificatione unum alterumve palam ediceret, ut patet ex celebri loco Origenis ſupra N. 15. relato & ex œconomia Eccleſiæ Sæculi III. circa Presbyterum pœnitentiarium a Sozomeno recitata, quæ in ipſo *taciturnitatem* præ cæteris virtutibus requirebat; quæ aliunde jure naturali graviſſime inculcatur. Ad alterum ergo rubricæ membrum de *remiſſionibus* procedimus.

§. VII.

De Indulgentiis.

84. QUemadmodum indulgentiarum promulgatio, juſſu Leonis X. facta, Luthero occaſionem dedit a Romana Eccleſia diſcedendi, ac magnam Europæ partem in ſchiſma ac hæreſim trahendi; ita ejus ſequaces, ac verbo omnes ſectæ poſt Lutherum exortæ, inter reliqua Catholicæ Eccleſiæ capita iſtud de indulgentiis vel maxime exagitant. Ut ergo juris canonici Candidatis ideam juſtam de re in plateis decantata, & tamen paucis accurate perſpecta ingeramus, eam dogmatico-hiſtorica notitia, quæ in obviis Authoribus fere deſideratur, & tamen controverſiæ huic uſitatiſſimæ penitius introſpiciendæ omnino neceſſaria eſt, illuſtrare conſtituimus. In limine tamen Tractatus obſervatum velim, Novatores ex illis principiis, quibus negant remiſſa ſemel culpa ſatisfactionem competentem eſſe neceſſariam in ordine ad delendam pœnam, etiam negare utilitatem omnem indulgentiarum, poteſtatemque in Eccleſia eas concedendi, nimirum quia per fidem in Chriſtum a ſe jactatam, ſeu per ipſam firmiſſimam in Chriſtum fiduciam noxam omnem, omneque pœnæ debitum credunt remitti, propterea quod Chriſtus pro omnibus cumulate, & pleniſſime ſatisfecerit; & hinc quod in Sacerdote nulla alia poteſtas ſit, præter eam, quæ ſita eſt in Miniſterio annuntiationis, & concionis. Sicut autem, dum veterum teſtimoniis de pœnitentiis impoſitis, atque etiam poſt abſolutionem a peccatis adhuc perſolvi demandatis, quæ præſenti titulo abunde retulimus, obruuntur, ſolemne effugium in eo collocant, ſatisfactiones canonicas olim præſcriptas non fuiſſe ordinatas ad *compenſationem* aliquam Deo reddendam, ſed *ad publicum emendationis teſtimonium* exhibendum Eccleſiæ; ita dum a Sæculo I. indulgentias in uſu fuiſſe ex eadem ratione negare non poſſunt, eodem modo dicunt, eas nequaquam eo animo vel ab Apoſtolo Paulo, vel a Patribus conceſſas fuiſſe, ut *pœnæ* peccatoribus poſt remiſſam culpam *Deo debitæ* relaxarentur, ſed illas pœnas canonicas NB. ad publicum emendationis teſtimonium exhibendum Eccleſiæ *ſolummodo* impoſitas, fuiſſe mitigatas. Unde Lutherus inter Articulos a Leone X. proſcriptos hunc quoque poſuit: *Indulgentiæ his, qui eas veraciter conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam juſtitiam.* Apparet ergo, quod Heterodoxi in materia de ſatisfactione ac indulgentiis argumentum ex perpetua traditione Eccleſiæ non negent, ſed ipſum *ſenſum* traditionis, & conſequenter ſicut ad illos revincendos de neceſſitate ſatisfactionis in ordine ad delendas pœnas poſt remiſſam culpam Catholico oſtendere oportet, Patres ex *hoc fine primario* pœnitentias tum publicas, tum privatas impoſuiſſe, quamvis una intenderint & teſtimonium publicum emendationis Eccleſiæ exhibendum, peccatores a relapſu deterrendos &c. quod præſtitimus ſupra §. 5. agendo de pœnitentia publica & privata; ita in præſenti materia id tanquam princeps caput urgere debit, traditionem Patrum ad id etiam tendere, quod & indulgentiæ in Eccleſia concedi *poſſint*, & concedendæ ſint, ut pœnæ pro peccatis *Deo debitæ* relaxentur, quamvis etiam conceſſæ fuerint ex hoc fine, ut pœnæ *canonicæ* ab Eccleſia ſubinde exactæ & publice ſubeundæ ex parte vel ex toto remitterentur. Id quod elucebit, dum præmiſſa nomenclatura indulgentiarum, earumque in ſtricta ſignificatione ſumptarum definitione, varias earum ſpecies, variumque illarum uſum, & abuſum retulerimus; partes enim cordati Viri, quem eſſe vel maxime exigit officium Hiſtorici, uti antehac, quemadmodum ſperamus, ita in præſenti, ac futuris materiis ſuſtinebimus.

85. Nomen indulgentia derivatur a verbo indulgere, atque idem vult, quod aliquid remittere, ſeu relaxare. Unde quod hodie phraſi Eccleſiæ dicitur *indulgentia*, olim frequentius dicebatur *remiſſio*, atque inde præſens titulus Decretalium non inſcribitur de pœnitentiis & *indulgentiis*, ſed de pœnitentiis & *remiſſionibus*.

86. Indulgentia in ſenſu ſtricto ſumpta, ſeu quo ſenſu eam concedit Eccleſia Romano-Catholica, recte a noſtris definitur, *quod ſit beneficium ab Eccleſia conceſſum peccatoribus, quo remittitur ipſis*

pars

pars ſatisfactionis, quæ ipſis vel injuncta fuit, vel debuiſſet injungi pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis, ſubintellige in ordine ad ſatisfaciendum Deo, & declinandas pœnas purgatorii, cujus exiſtentiam probavimus lib. 3. titulo 41.

Per *partem* ſatisfactionis innuitur, quod per indulgentias non tota ſatisfactio remittatur, ſed tantum pars; neque vult Eccleſia peccatores eximere ab agenda pœnitentia, ſed præbet illis duntaxat remedium & ſupplementum infirmitatis; modo divinæ juſtitiæ ſatisfaciant ipſi quantum in ſe eſt, reliquum Eccleſia condonat vel ex parte, vel ex toto, ut recte cum aliis notat Bouchetus; præterea illa verba, *quæ vel injuncta fuit, vel debuiſſet injungi*, ideo ponuntur disjunctive, ut in definitione pœnitentiæ comprehendatur primo ſatisfactio lata per canones pœnitentiales, de quibus egimus lib. 2. tit. 2. hæc enim emolliri poteſt, & ſæpe emollita fuit per indulgentias, ut ...x videbimus. Secundo ut comprehendatur ſatisfactio ipſi Deo debita. Cum enim pœnitentia tunc ſolum liberet a lege ſatisfaciendi Deo, cum fuerit ad peccati gravitatem accommodata, & homines ſcire nequeant, quantum pœnæ requiratur, ut exæquet mathematice culpam, adeoque, præſertim hodie, quo vetus rigor pœnitentiæ evanuit, poſt peractam pœnitentiam a Confeſſariis impoſitam fere ſemper peccatoribus ſupereſt plurimum ſatisfactionis exſolvendæ, ut Divina juſtitia plane compenſetur; has ſatisfactiones indulgentia remittit. Ex hac porro definitione patet, indulgentias nec culpam, nec pœnæ æternæ reatum remittere; hæc enim ſolum remittuntur per Sacramentum pœnitentiæ, aut per contritionem perfectam, quorum neutrum eſt indulgentia. Jam ad noſtrum inſtitutum.

87. Eccleſia a Chriſto accepit poteſtatem concedendi indulgentias.

Propoſitio imprimis conſtat ex illis Chriſti verbis apud Matth. 16. v. 19. *Quodcunque ligaveris ſuper terram &c.* & ex illo Joannis 20. v. 23. *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis &c.* qui textus cum neque culpam, neque pœnam excipiant, ad poteſtatem utramque remittendi extendendi ſunt; ex dictis vero §. 1. 2. &c. hujus tituli manifeſte conſtat, Apoſtolos, eorumque Succeſſores per dicta verba accepiſſe poteſtatem remittendi culpas fidelium non tantum quoad forum Eccleſiaſticum, ſed etiam Divinum; igitur a fortiori poteſtatem remittendæ vel retinendæ pœnæ quoad forum Eccleſiaſticum & Divinum accepiſſe præſumendi ſunt. Secundo ex perpetuo uſu Eccleſiæ in concedendis indulgentiis jam demonſtrando.

88. Hac poteſtate a Chriſto accepta uſi ſunt ipſi Apoſtoli.

Magnificum exemplum hujus uſus ſuppeditat S. Paulus 2. *ad Corinth.* cap. 2. ubi primam indulgentiarum ſpeciem in favorem Corinthii inceſtuoſi, quem in ep. 1. ad eoſdem excommunicaverat, ſathanæque in interitum carnis tradiderat, hoc eſt pœnitentiæ ſubjecerat, his verbis exprimit: *Sufficit illi, qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt. Propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. —— Cui autem aliquid donaſtis, & ego; nam & ego, quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in Perſona Chriſti, ut non circumveniamur a ſathana.* Hunc igitur Corinthium vult a concivibus in gratiam ac communionem nunc recipi, non quod jam *totaliter* ſatisfeciſſet, atque pœnam tanto crimini debitam *integram* perſolviſſet; ſed ei indulgeri vult, quod agendum ſupererat, *ne abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Nam *quamvis peccatum confeſſus fuerit, ipſiuſque pœnituerit, oſtendit tamen eum non tam pœnitentiæ opera, quam gratia & beneficio veniam conſequi*, ait S. Chryſoſtomus *Hom.* 4. in ep. 2. ad Cor. ſubdens: *Ob idque, ait, donetis & conſolemini. Et quod ſequitur, idem declarat. Non enim, inquit, quod id promereatur, nec quod eam, quam par ſit, pœnitentiam præſtiterit; ſed quia infirmus eſt, idcirco hoc peto. Unde etiam ſubjunxit, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eſt ejuſmodi. Quæ verba ſunt hominis magnæ pœnitentiæ teſtimonium ipſi tribuentis, nec eum in deſperationem ruere ſinentis.* En ergo indulgentiam ipſiſſimam, quam ſupra N. 86. cum Theologis Catholicis definivimus ab Apoſtolo conceſſam, dum lapſo Corinthio ac pœnitentiam agenti *partem ſatisfactionis injunctæ* remiſit. Quod autem eam non ſolum remiſerit ut *Eccleſiæ*, verum etiam ut *Deo* debitam, brevi patebit.

89. Uſus concedendi indulgentias poſt Apoſtolorum tempora perſeveravit primis & mediis Sæculis.

Propoſitio in apricum ponetur proferendo varias earum ſpecies, quæ primis & mediis Sæculis in uſu fuerunt. Itaque ſecunda ſpecies indulgentiarum illa eſt, de qua loquitur Synodus Nicæna c. 11. & Ancyrana can. 4. & 5. aliique veteres canones decernentes, ut Epiſcopi modo converſationis ipſorum pœnitentium conſiderato poteſtatem habeant, vel *Clementia* utendi, vel plus temporis adjiciendi. Quemadmodum in terminis habet citatus c. 5. Synodi Ancyranæ. *Licuit ergo*, inquit Suarez diſp. 49. *de Indulg.* Sect. 3. N. 1. *Epiſcopis ex canonicis pœnitentiis publicis, quæ pro diverſis criminibus imponi ſolebant, aliquid pœnitentibus remittere, ſi eorum vita & laudabilis converſatio id mereretur.* Quæ remiſſio vera indulgentia fuit, valde tamen reſpectu me..ternarum reſtricta, cum non daretur niſi ad *meritum* pœnitentis. Tertia ſpecies Indulgentiæ Sæculo III. occurrit apud S. Cyprianum, quæ dabatur ab Epiſcopis ad preces & interceſſionem Martyrum. De illa ſic ſcribit S. P. ep. 15. *Si qui libello a Martyribus accepto de ſæculo excederent, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi a Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur.* Hoc eſt, lapſi in Idololatriam, etiamſi vita durante pœnitentes non fuerint, nec pœnitentiam petierint, ſi periculo mortis urgente pœnitentiam cum lacrymis & magno affectu declaraverint, eis hæc *indulgebatur*, manu in pœnitentiam impoſita cum pace; id eſt reconciliati ad Dominum dimittebantur, ſi modo libellis Martyrum eſſent muniti. Hoc œconomice ſive per *Indulgentiam* in favorem Martyrum decretum fuiſſe, ſcribit Cyprianus, cum antehac, qui ſanus pœnitentiam non petierat, eam nec in vitæ periculo conſtitutus accipiebat, uti vidimus ſupra.

Ad eaſdem preces Martyrum conceſſa etiam fuit ſanis aliqua indulgentia, ſeu relaxatio pœnarum canonicarum, uti ex epiſtolis S. Cypriani probat Morinus lib. 9. c. 24. magna tamen cautione & moderatione Epiſcopi has indulgentias elargiebantur, ut infra videbimus. Tribus ergo prioribus ac ſubſequis Sæculis non niſi infirmis, & quidem ob ſola merita Martyrum concedebatur *integra* relaxatio ſeu *indulgentia* pœnarum canonicarum, ſanis vero ob Martyrum preces, aut fervorem pœnitentium *pars* ſola ſatisfactionis remittebatur, & quidem magna cum moderatione, reliquis remanentibus perſolvendis. Sæculo vero XI. orta eſt quarta ſpecies indulgentiarum, a prioribus in hoc diſtincta, quod opera ſatisfactoria a canonibus pœnitentialibus præſcripta in *aliud quodpiam opus*, laborioſum tamen, ac propter evidentem aut

appa-

appacentem Ecclesiæ utiliteirm ſuſceptum commutarentur. Inſigne, inquit Morinus, & memorabile hujus indulgentiæ, ſive remiſſionis exemplum fuit expeditio Hieroſolymitana hortante Urbano II. in Concilio Claromontano a Gallis A. 1096. ſuſcepta, & deſcripta a Guillelmo Tyrio *de bello ſacro*, in quo concilio hic canon conditus eſt; *Quicunque pro ſola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*. Hanc porro indulgentiam, ſeu remiſſionem plures ſequentes Pontifices confirmarunt, ut oſtendit Morinus lib. 10. c. 19. Quam expeditionem cum pœnitentiæ publicæ rei ob varias cauſas, quas refert Eſpenius, ſuſcipere mallent, quam hujus gradus ſubire, inde factum eſt, quod occaſione hujus indulgentiæ, ſive potius commutationis ſenſim abrogata fuerit pœnitentia canonica, canonesque pœnitentiales. Quæ abrogatio majus incrementum adhuc cœpit, quando ea remiſſio etiam facta fuit iis, qui cum legitime impediti perſonaliter ad expeditionem non pergebant, ſaltem militem *ſuis ſumptibus* eo mittebant, & alebant. Quis enim hos ſumptus ferre non maluiſſet, quem multorum annorum laborioſam illam pœnitentiam ad præſcriptum canonum ſubire? Ex hac vero indulgentia, quæ nullum jam opus laborioſum ad ſui conſecutionem exigebat, alia ſeu quinta ſpecies aut formula indulgentiarum orta eſt circa medium Sæculi XII. quæ quantum eſt diſſimilis præcedentibus indulgentiis, ita ſimilis eſt omnino modernis; cum enim jam invaluiſſet, & perſuaſum eſſet, licere *integram* pœnitentiam remittere, & omnium peccatorum remiſſionem dare iis, qui pecuniam contuliſſent in expeditionem contra infideles aut hæreticos, non apparebat, cur non liceret quoque integram, aut ſaltem partem pœnitentiæ remittere illi, qui eleemoſynam conferret in *aliud pium opus*, v. g. in ædificationem, aut reparationem Eccleſiæ, Monaſterii, hoſpitalis &c. formula hujus indulgentiæ erat: *Qui denarium in ædificationem aut reparationem hujus Eccleſiæ, aut Oratorii contulerit, tertiam vel quartam &c. partem pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus*, ut refert Morinus lib. 9. c. 20. N. 2. qui & ibidem monet, quod eodem tempore extenſa fuerit eadem relaxatio ad res *ſæculares, pontium, itinerum, rerumque ſimilium refectionem*, quæ indulgentia deinde extenſa fuit ad alia pietatis opera, v. g. *viſitationem alicujus Eccleſiæ cum oblatione ibidem, orandi ad intentionem concedentis indulgentiam, & tenorem Bullæ indulgentialis*, in quo ſtatu de facto perſiſtit in Eccleſia. Notat vero Morinus, quod *hæc relaxatio merito poſſit dici cauſa remiſſarum & tandem abſolutorum pœnitentiarum canonicarum. Quis enim longiſſimis & duriſſimis pœnitentiis noctu diuque incumbere vere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Epiſcopi mandatum erogato tertia pœnitentiarum canonicarum parti ſumma quadrantis ſatisfacit, & triplicato denario totam ſummam albo expungit? quidquid ſubtiliter dicatur & diſputetur, hoc axiomate poſito difficillime pœnitentiæ canonicæ actio perſuadebitur. —— Stupidiſſimus quiſque ad hanc conſequentiam intelligendam idoneus eſt*. Et hinc apud eundem Morinum advertit Petrus Cantor, qui circa medium Sæculi XII. floruit, *his indulgentiis multos contradixiſſe, alios varie de iis, earumque effectu dubitaſſe, eas nihilominus, promoventibus præſertim Epiſcopis, magnos brevi progreſſus feciſſe, eo præcipue ex cauſa, quod lucrum temporale & maxima commoda in Eccleſiarum fabricas & Epiſcopos redundarent*. Advertit inſuper Morinus ex verbis Petri Cantoris privatos quidem Epiſcopos certatim hanc conſuetudinem ſtabilivisse; ſed cum ſcribebat Cantor, Romanos Pontifices eam, quantum ille reſcire potuit, nondum vulgo uſurpaſſe, & pœnitentiæ actionem huic relaxationi longe prætuliſſe.

90. An ante Sæculum XII. hoc poſteriori modo conceſſæ fuerint a Romanis Pontificibus, aliſve Epiſcopis indulgentiæ, lis eſt inter Doctores Catholicos.

Doctiſſimus Morinus, cui paſſim aſſentiuntur eruditi, teſte Vanespen, propugnat nullum authenticum hujus indulgentialis formulæ, ad cujus tenorem modernæ indulgentiæ elurgiuntur, monumentum Sæculo XII. antiquius hactenus repertum fuiſſe. Dumque ipſi objicitur 1. teſtimonium Guillelmi Altiſſiod. *in ſumma* lib. 4. tr. 6. cap. 9. ubi aſſerit S. Gregorium M. elargitum fuiſſe 50. annorum indulgentias viſitantibus Romæ Eccleſias Stationum, quem ſecuti ſunt celebres poſt ipſum Scholaſtici; reſpondet, apud Gregorium iſta nuſquam occurrere, nec quid aliud, quod aliquatenus illa confirmet, & ſi hujuſmodi indulgentiarum formula in uſu fuiſſet, utique ob ſuam commoditatem fuiſſet frequentiſſima, cum tamen nec eo tempore, nec multis ante & poſt Sæculis ulla memoria, ullum veſtigium, ulla umbra illius occurrat. Et hinc ad authoritatem Scholaſticorum ait: *Quis neſcit quam critice valerent in antiquis operibus diſcernendis & diſpungendis plerique iſtorum Sæculorum auctores*. Admodum autem veriſimile cenſet Vanespan, hos ſcholaſticos vulgarem, qui tunc erat, errorem ſecutus fuiſſe; cum enim Sæculo XIII. Pontifices ſoliti eſſent dare aliquas indulgentias *Eccleſias ſtationariae viſitantibus*, atque apud Joannem Diaconum legeretur, S. Gregorium *Stationes* per Baſilicas vel beatorum Martyrum cœmeteria ordinaſſe, vulgus ex præſentibus de præteritis judicans ſuppoſuit, S. Gregorium Stationes hac ordinando etiam indulgentias conceſſiſſe, quemadmodum a poſterioribus Pontificibus factum viderat; quam populi opinionem ad regulas hiſtoriæ & critices non examinantes pro ſuo tum more Theologi hallucinati ſunt. 2. Ad epiſtolam Leonis III. ex qua Baronius opinatur Sæculo IX. ſimiles Indulgentiae conceſſas fuiſſe, ait, illam ante trecentos, vel ad ſummum 400. annos confictam fuiſſe, Leonique ſuppoſitam ab aliquo Verdenſi Monacho in ſui Monaſterii commendum & gloriam, hujuſque ſuppoſitionis graves notas ex ipſius tenore adducit. 3 Denique, dum pro antiquitate harum indulgentiarum cum Baronio aliiſque allegatur antiquus marmoreus lapis, qui Romæ in Eccleſia SS. Sylveſtri & Martini exſtat, in quo inſculptum legitur, a Sergio Papa varia SS. corpora ibidem fuiſſe recondita, cum hoc additamento: *Et dictus Pontifex conceſſit ſingulis, ut ad hanc Eccleſiam venientibus, in feſtivitatibus iſtorum Sanctorum tres annos & tres quadragenas de vera indulgentia*; reſpondet, quod, cum Anaſtaſius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis referens illum Eccleſiam dictam in meliorem & pulchriorem ſtatum a fundamentis erexiſſe, atque in eadem plura SS. corpora, quorum nomina refert, condidiſſe, nullam tamen indulgentiarum conceſſarum mentionem faciat, inſuper alia nonnulla, quæ contrarium ſuadent, referat, non obſcurum eſſe, manu recentiore quædam addita fuiſſe ab eo, qui lapidem poſuit, & ſcriptionem cudit, quemadmodum pluribus probat R. P. Papebrochius in propyleo *ad acta SS. menſis Maji* diſſert. 17. Et ex eodem Anaſtaſii ſilentio, aliiſque poſitivis argumentis nullam apud eruditos fidem merentur indulgentiæ plenariæ, quæ a S. Sylveſtro conceſſæ dicuntur viſitantibus Eccleſiam Lateranenſem, quemadmodum in magna tabula Baſilicæ iſtius hodie inſcriptum eſt.

eſt. Certe rigor Sæculi IV. cujus initio Romæ ſedit S. Sylveſter, quo pœnitentia publica eum magna moderatione, & quidem ex *parte* ſolum *ſubinde* relaxabatur, ut vidimus N. præced. has indulgentias plenarias ob tam leve opus, quale eſt viſitatio Eccleſiæ, patenter excludit.

91. Ex hac Morini, quem eruditiores pleriſque hodie ſequuntur, ſententia nullatenus inferre poſſunt Proteſtantes, indulgentiarum uſum Sæculo duntaxat XI. in Eccleſia ortum fuiſſe, aut poteſtatem concedendi indulgentias ab Epiſcopis & Pontificibus illo Sæculo primum uſurpatam.

Modum enim duntaxat concedendi indulgentias hoc Sæculo mutatum fuiſſe contendit Morini ſententia, ut patet ex dictis, indulgentias vero ipſas a temporibus Apoſtolorum conceſſas fuiſſe ex iiſdem conſtat. Varie autem poſſe ſentire eruditos circa formam & modum concedendi indulgentias patet, cum a Tridentino nihil aliud definitum fuerit, quam *indulgentiarum poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam eſſe, illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe*; uti habet hodierna profeſſio fidei.

92. Eccleſia conſtanter & recte credidit indulgentias liberare hominem a pœna temporali non ſolum coram Eccleſia, ſed etiam coram Deo.

Et quod recte crediderit, probatur ex verbis Matth. 16. *Quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*, ex quo textu cum Apoſtoli eorumque Succeſſores poteſtatem acceperint ſolvendi culpas fidelium coram Deo, ut late contra Novatores probavimus §. 1. 2. &c. hoc ſit. cur eandem non acceperint quantum ad ſolvendas pœnas culpis debitas per indulgentias? unde & S. Paulus ait, quidquid inceſtuoſo Corinthio donavit, ſe *in Perſona Chriſti* donaſſe; quod autem id conſtanter & hoc ipſo recte crediderit Eccleſia, cum falli non poſſit, exinde probatur, quod in exordio ſuo Sacerdotes pœnitentias injunxerint pro peccatis occultis, & pœnitentiæ publicæ non ſubjectis; ex dictis enim hoc titulo conſtat ab Eccleſiæ cunabulis confeſſionem ſecretam cum publica fuiſſe in uſu, nec fuiſſe pœnitentes obligatos occulta peccata publice confiteri, uti habet Origenes L. ſupra cit. & alii Patres: certum autem eſt Confeſſarios pro peccatis occultis non canonicis injunxiſſe pœnitentias privatim ſubeundas; cum ergo in illo caſu non redderetur teſtimonium publicum emendationis coram Eccleſia, ſicut per pœnitentiam publicam, eas injunxerunt ut *ſatisfieret Deo*, quod etiam patet in peccatis canonicis Clericorum, quæ privata ſatisfactione erant caſtiganda, ut ſupra vidimus, & conſequenter non alia ratione imponebantur, quam ut *ſatisfieret Deo*; & quæſo cur tot tantæque preces olim fundebantur ſuper Pœnitentes publicos, nunquid ut reconciliarentur cum Eccleſia? Eccleſia ergo ſibi ipſi preces obtulit, ut peccatoribus fieret propitia. Certe hæc omnia vanum reddunt Proteſtantium effugium, indulgentias olim eo ſolo fine conceſſas fuiſſe, ut relaxarentur *pœnæ canonicæ coram Eccleſia*, ipſique Patres apertis verbis teſtantur contrarium, non alia enim mente Martyres olim indulgentias conceſſere, quam ut peccatores etiam coram *Deo* a pœnis in altera vita luendis liberarentur, *ut cum pace a Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur*, ait S. Cyprianus ep. 14. qui tract. *de lapſis* agnoſcit merita Martyrum & opera Juſtorum plurimum valere *apud Deum*, & Tertull. Montaniſta factus lib. *de pud.* c. 22. Martyres ſugillabat, quod ſibi aſſumerent poteſtatem dimittendi per ſua merita pœnas *Divinæ juſtitiæ* debitas. *Sufficiat Martyri*, inquit, *propria delicta purgaſſe: ingrati & ſuperbi eſt, in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus*. Supponit igitur Tertull. tametſi damnet, hanc fuiſſe ſuo tempore Eccleſiæ fidem, poſſe fideles meritis SS. Martyrum *apud Deum* juvari. Et certe Martyres dabant peccatoribus jamjam *morituris*, qui pœnitentiam ſani non egerant, indulgentias, quas etiam Epiſcopi illis applicabant; ſi autem credidiſſent indulgentias ſolum dari, ut redimatur pœna *Eccleſiæ*, non *Deo* debita, cur eas propediem diſceſſuris tam ſollicite impendebant, qui ipſis opus non habebant, utpote quos in ſententia Proteſtantium mors ipſa Eccleſiæ debito eripiebat, & ad paradiſum tranſmittebat? Nec dicatur ex his ſolum ſequi pœnitentias olim etiam injunctas fuiſſe ad emendationem, & conſequenter indulgentias adhuc non fuiſſe conceſſas, ut ſatisfiat Deo; libro enim tertio tit. 41. luculentis priorum Sæculorum Patrum teſtimoniis demonſtravimus Eccleſiam fudiſſe orationes, miſſaſque celebraſſe pro defunctis, ut a pœnis peccatis in vita commiſſis debitis ſolverentur; igitur ſemper cenſuit pœnas deberi pro peccatis Deo ab hominibus perſolvendas. Ergo ex hoc fine eas peccatoribus injunxit, conſequenter etiam illas per indulgentias tanquam Deo debitas relaxavit.

93. Uſus indulgentiarum etiam in Eccleſia Græca eſt perpetuus.

Illum primis Eccleſiæ Sæculis in hac Eccleſia viguiſſe probant ea teſtimonia, quæ pro eodem evincendo in Eccleſia Latina initio hujus §. attulimus; inter ea ſiquidem occurrunt etiam canones Conciliorum Orientalium Nicæni, Ancyrani &c. eundem vero de facto in eadem Eccleſia perdurare cum aliis in Euchologio Græcorum a ſe commentato teſtatur Goarius, qui ad calcem Notarum in orationes ſuper pœnitentes, relata eorundem confeſſione, & abſolutione, ita pergit: *Animadverte Pontifices quoſvis maxime Epiſcopo Superiores, diplomata quædam, a pœnis & canonibus non plene adimpletis pœnitentes eximentia, maxime circa diſceſſum ex hac vita extra Sacramenti ſuſceptionem, ut fiant Pantitropa Synchorimeni, concedere: & hæ Synchorochartæ, chartæ condonativæ indulgentiarum vicem apud Græcos obtinent, earumque forma in Allatiano Euchologio exſtat.* Poſt hæc tres orationes refert, quibus Græci Epiſcopi indulgentias conferunt, quorum prima eſt Germani Amathuntis Epiſcopi, in qua poſt relatam poteſtatem dimittendi peccata & pœnas peccatorum diſcipulis a Chriſto datam, ab ipſis vero ſucceſſive ad Succeſſores delapſam, ponitur abſolutio a cenſuris, & indulgentia quorumvis aliorum peccatorum Patribus ſpiritualibus *jam confeſſorum*, accepta ab ipſis pro iiſdem pœnitentia. Quam peccatorum confeſſionem præceſſiſſe ſupponunt & reliquæ duæ orationes, atque hinc non peccata, ſed pœnæ eorum coram Eccleſia & coram Deo laxant.

94. Utraque Eccleſia ab antiquis temporibus indulgentias defunctis applicat, diverſo tamen longe modo ab eo, quo eas concedere ſolet vivis.

Prior pars quantum ad Eccleſiam Latinam conſtat ex eo, quod Paſchalis I. ante annos 700. ſimiles indulgentias conceſſerit, ut ex Gabriele refert Bougetus p. 3. ſect. 2. c. 5. §. 21. pluresque alii Pontifices apud eundem Gabrielem, quæ praxis notoria fuit Sæculo XIII. cum eam commententur S. Thomas, S. Bonaventura &c. & huc uſque perſeverat. Quantum vero ad Eccleſiam Græcam Goarius L. mox citato poſt orationes indulgentiales pro vivis refert orationes, quibus Græci mortuos ſuos a pœnis peccatis debitis, atque a cenſuris Eccleſiaſticis abſolvunt, quorum prima ita ſonat: *Dominus Jeſus Chriſtus Deus noſter, qui divina ſua mandata SS. Apoſtolis & Diſcipulis, ut lapſorum peccata ligarent & ſolverent*

rent, dedit, a quibus & nos deinceps idem præſtandi occaſionem ſive auctoritatem accipimus; ipſe tibi, fili ſpiritualis, ſi in aliquo ſponte vel invita voluntate in hoc ſæculo deliquiſti, parcat nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum. Amen. Aliæ orationes, quæ abſolvunt a cenſuris, infra commodius referentur. Ex his vero valde confirmantur ſuperius dicta de ſenſu Eccleſiæ circa indulgentias conferendas; utramque nimirum ſemper cenſuiſſe eas conferri non ſolum ad relaxandas pœnas peccatis debitas coram Eccleſia, verum etiam coram Deo, cum eas defunctis etiam applicet, ut purgatorii pœnæ his ſuffragiis iis relaxentur.

Quantum ad ſecundam partem, cum Eccleſia jus clavium in defunctos non habeat, utpote quæ ſolum accepit poteſtatem ſolvendi *ſuper terram*, iis indulgentias non concedit per modum abſolutionis quemadmodum vivis, ſed ſolum per modum ſuffragii, inquit Pougetus L. cit. ex quo inferr, indulgentiam in gratiam mortuorum conceſſam nihil aliud eſſe, quam preces efficaciores ad mortuorum ſolatium ab Eccleſia fuſas; ita ut mens Eccleſiæ ea ſit in conceſſione harum indulgentiarum, ut offerat ſpecialius pro mortuis ſuas preces junctas NB. meritis & Chriſti & Sanctorum; in quibus Catholici collocant Theſaurum Eccleſiæ inexhauribilem, unde Pontifices & Epiſcopi indulgentias pro vivis & defunctis eo rato modo diſpenſant. Qui Pougetus propoſita ſibi poſtmodum quæſtione circa altaria privilegiata, an nimirum certum ſit, liberari animam ab igne purgatorio, quoties in uno ex illis altaribus Sacrificium offertur pro mortuis? reſpondet: nihil ex ſcriptura vel traditione erui potuit, quod faveat huic de Altaribus privilegiatis opinioni. Neque illud eſt altarium hujuſmodi privilegium. In eo poſitum eſt, quod dum Miſſa celebratur in illis Altaribus, applicat Eccleſia, ſpecialius orando pro mortuis, merita Chriſti & Sanctorum. Hæc omnino eſt mens Pougeti; interim ad veritatem hanc magis aſſequendam oportet, ut inſiſtatur mori & conſuetudini univerſalis Eccleſiæ.

95. Solus Romanus Pontifex & Concilium generale concedere poſſunt indulgentias per totam Eccleſiam, Epiſcopi vero ſolum per ſuas diœceſes, quæ illorum poteſtas inſuper magnopere reſtricta fuit per Concilium Lateranenſe IV. Anno 1215.

Cur ſimplices Presbyteri indulgentias dare nequeant, rationem allegat S. Thom. 3. p. ſuppl. qu. 26. art. 1. in O. dicens: *Eccleſia aſſimilatur congregationi Politicæ, quia ipſe populus Eccleſia dicitur; ſed conventus diverſi vel Parochiæ in una diœceſi aſſimilantur congregationi in diverſis familiis, vel in diverſis officiis. Et ideo ſolus Epiſcopus proprie Prælatus Eccleſiæ dicitur, & ideo ipſe ſolus quaſi Sponſus annulum recipit, & ideo ſolus ipſe habet plenam poteſtatem in diſpenſatione Sacramentorum —— quaſi perſona publica, alii autem, ſecundum quod ab eo eis committitur: ſed Sacerdotes, qui plebibus præficiuntur, non ſunt ſimpliciter Prælati, ſed quaſi coadjutores, unde in conſecratione Sacerdotis Epiſcopus dicit: Quanto fragiliores ſumus, tanto magis his auxiliis indigemus. Et propter hoc etiam non omnia Sacramenta diſpenſant: unde Sacerdotes Parochiales, vel Abbates, aut alii hujuſmodi Prælati non poſſunt indulgentias facere.* Ex quo etiam patet, cur Pontifex poſſit concedere indulgentias per totam Eccleſiam, & Epiſcopi per diœceſim.

Quantum ad a. p. certum eſt Ordinarios vi ſui characteris poſſe non ſolum indulgentias particulares, ſed plenarias dare pro ſuis diœceſanis, cum ſint Sponſi ſuarum Eccleſiarum; quin eos plenarias indulgentias Sæculo XI. & poſtea conceſſiſſe ex dictis ſupra N. 89. & ſeq. in aprico eſt. Cum vero Eccleſiæ Prælati hanc poteſtatem acceperint in Eccleſiæ ædificationem, non in deſtructionem, & huic Epiſcoporum œconomiæ intendentia reſideat penes ſummum Pontificem vel Concilium generale, quin Epiſcoporum hæc poteſtas ab utroque ex juſta cauſa reſtringi poſſit, nemo eſt, qui dubitet, & hinc etiam in dicto Concilio reſtricta fuit propter Epiſcoporum indiſcretam indulgentiarum profuſionem. En ejus verba: *Ad hæc, quia per indiſcretas & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur; decernimus, ut dum dedicatur Eccleſia, non extendatur indulgentia ultra annum, ſive ab uno ſolo, ſive a pluribus Epiſcopis dedicetur; ac deinde in anniverſario dedicationis tempore, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat. Hunc quoque dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet cauſis aliquoties conceduntur; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem obtinet poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.* Et hocce ſtatutum hodie ſtricte ſequuntur Epiſcopi.

96. Ab Apoſtolorum temporibus uſque ad Sæculum XI. magna moderatione uſa eſt Eccleſia in concedendis indulgentiis.

Propoſitio conſtat ex ſupra dictis, Apoſtolus enim ibi relatus inceſtuoſo Corinthio non niſi poſt afflictionem pœnitentiæ tam gravem, ut ex ea deſperationis periculum metueretur, indulgentiam dedit. Ad cujus exemplum Synodus Ancyrana ibi pariter relata can. 5. non vult Epiſcopos in lapſos *clementia* uti, niſi poſt examinationem præcedentis vitæ, & quæ poſtmodum conſecuta eſt. Similiter canon Nicænus illis vult indulgentiam ſolum concedi, qui & metu, & lacrymis, & tolerantia, & bonis operibus converſionem opere, & non tantum habitu oſtendunt. Et hæc moderatio ut ſervaretur in largiendis indulgentiis ad preces Martyrum, priorum trium Sæculorum Epiſcopi imprimis volebant. Et hinc non ſemel exhortati ſunt Martyres, ut lapſorum perſonas, & criminum qualitates diligenter expenderent, antequam indulgentiæ beneficium pollicerentur, ſeu libellos darent. Nec ſatis, Epiſcopi libellos a Martyribus in favorem lapſorum oblatos prius ante, & ſæpe quidem conciliariter examinabant, antequam precibus Martyrum annuerent, nec indulgentias poſt illas diſcuſſiones dabant niſi finita perſecutione, vel poſt mortem Martyrum, uti ex epiſtolis S. Cypriani, & Cleri Romani ad longum probat Morinus & ex ipſo Vaneſpen. Cauſa hujus moderationis fuit, quia metuebant Epiſcopi ſæviente perſecutione indulgentias dare, ne ſpe indulgentiæ conſequendæ minus generoſe & fortiter Chriſtiani tormenta Tyrannorum ſufferrent, atque facultas veniæ incentivum eſſet delinquendi. Hac vero ſpecie indulgentiarum cum perſecutionibus ac Martyribus abſoluta, magnam nihilominus moderationem in dandis indulgentiis ab Epiſcopis uſque ad Sæculum XI. obſervatam fuiſſe, ſatis eſt in comperto, inquit Vaneſpen; & vix ullæ de indulgentiarum exceſſu ante illud Sæculum apud antiquos querelæ exſtant.

97. Sæculo XI. & XII. effuſe concedebantur indulgentiæ ab Occidentalibus Epiſcopis, Romanis Pontificibus antiquam moderationem & parcitatem in iis elargiendis interim ſervantibus.

Quæ cauſa fuerit hujus diſciplinæ, & quomodo ſucceſſive in nimiam laxitatem abiverit, ſupra N. 89. & ſeqq. oſtenſum eſt.

Secundam vero propoſitionis partem variis teſtimoniis oſtendit Baronius, & quidem ad A. 1177.

rela-

relatis indulgentiis unius anni conceſſis ab Alexandro III. in dedicatione Majoris Altaris in Eccleſia Ferrarienſi ſubjicit: *Quibus videas uſum ejus temporis concedendi per Pontifices Romanos indulgentias, quæ unius anni terminum non excederent, præterquam in expeditione Terræ S. ut conſtat ex aliorum etiam Pontificum diplomatibus*. Hæc Baronius, qui deinde quaſi conſequens ſubinfert: *Quibus redarguuntur ſcripta, quibus proditur, conceſſum ab eodem Pontifice primis Dominicis ſingulorum menſium Anconitanis tantum indulgentiarum, quantum arenæ poſſunt capere ambæ manus ſimul junctæ*. En his vero obiter notari vult Vanespen, quam a diſciplina & moderatione, etiam Sæculo XII. a Pontificibus obſervata, ſit aliena indulgentiarum in annos centenos aut millenos liberalitas, quam & abſurdam, & Sedi Apoſtolicæ minime adſcribendam, ſed vel mere commentitiam, vel imprudenter exauctam aſſerere non dubitat Eſtius in 4. ſent. diſt. 20. §. 20. Similiter Dominicus Soto in eundem lib. & diſt. a. 1. q. 2. dicit: *Quinimo ſalent nonnunquam divulgari indulgentiæ, quibus remittuntur quinque annorum millia aut plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem; ad hoc prima fronte reſponſio dari poſſet cum Gerſone Cancellario Pariſienſi in ſuo tr. de abſol. Sacr. atque in alio de indulgentiis, quod iſtæ portentoſæ indulgentiæ non emanant a Papa, ſed ſunt Quæſtorum impoſturæ. Quare præfatus Doctor eas irridet & revera tam immodicus quæſtus non eſt ferendus; nam audies nonnunquam indulgentias 20000. annorum & ampliores*. Quam Gerſonii reſponſionem paucis interjectis amplectitur Sotus, & poſt ipſum moderni eruditi. Ortum autem hic abuſus indulgentiarum traxiſſe videtur ex illa commutatione pœnitentiæ publicæ in certas preces aliaque, quibus paucis diebus plures anni pœnitentiæ a canonibus præſcriptæ redimebantur, ut ſupra N. 89. advertimus.

98. Sæculo adhuc XIII. ſpecialem moderationem in concedendis indulgentiis non ſolum ſervarunt Romani Pontifices, verum etiam Epiſcoporum in earum clargitione profuſionem reprehenderunt, ac reſtrinxerunt.

Poſterior propoſitionis pars jam demonſtrata eſt ſupra, ubi decretum Innoc. III. in Concilio Later. IV. hac de re latum attulimus. Prior vero pars elucet in œconomia Urbani IV. qui A. 1264. inſtituens Feſtum Ven. Euchariſtiæ, tametſi maximo deſiderio in celebritatem illius Feſti ferretur, ultra 100. dierum tamen indulgentiam horis canonicis illius Feſti intereſſentibus non conceſſit; quas indulgentias Martinus V. Sæculo XV. duplicavit, eaſque rurſus duplicavit ejus immediatus Succeſſor Eugenius IV. Hoc nihilominus Sæculo primum cœperunt dari indulgentiæ in canonizatione Sanctorum, parce tamen; primus enim, qui eas conceſſiſſe legitur, Honorius III. A. 1225. in canonizatione S. Laurentii Archiepiſcopi Dublinenſis, ejus feſtivitati alligavit 20. dierum indulgentias; eodem Sæculo Gregorius IX. Feſtivitati S. Antonii de Padua annum unum, Clemens IV. Feſtivitati S. Hedwigis annum unum & 40. dies. Calliſtus III. Sæculo XV. in canonizatione S. Vincentii Ferrerii accedentibus ad ſepulcrum vel Eccleſiam hujus S. ſeptem annos & totidem quadragenas. His addidit Sixtus IV. eodem Sæculo in canoniz. S. Bonaventuræ Dominicis ſingulis per annum dies 100. Dein Leo X. in canonizatione S. Franciſci de Paula A. 1519. pro 2. Aprilis 40. annorum & totidem quadragenarum indulgentiam condonavit. Inſuper dedit indulgentiam plenariam omnibus, qui ipſi officio Divino ipſius ſolemnis canonizationis aſtiterant; qualem nullus ante hunc Pontificem hujuſmodi de cauſa dediſſe legitur. Quod autem hic Pontifex conceſſit aſſiſtentibus ſolemni canonizationis officio, hoc ſubſequentes tandem extenderunt ad viſitantes Eccleſias Sanctorum, uti hodie paſſim obſervari videmus; inquit Vanespen. Ex his vero bene notavit Chriſtianus Lupus, poſteriores Pontifices in largiendis indulgentiis longe liberaliores fuiſſe prioribus. Hinc indulgentias nimias & extenſas tum a ſe, tum a ſuis Prædeceſſoribus conceſſas, ſive importunitate multorum extortas deplorans Sixtus IV. plurimas Sæculo XIV. revocavit; atque moderationem quandam adhibuit in Extrav. 5. *de pœnit. & remiſſ.* inter communes.

99. Hæc tamen conſtitutio indulgentiarum exceſſui efficaciter obviare non potuit, obſtante illa ſpecie indulgentiarum, quæ clargiebantur occaſione oblationum in bonum Eccleſiarum materialium, hoſpitalium, vel Monaſteriorum, a fidelibus factarum; tum ob enormes abuſus, quos his & ſequenti Sæculo commiſerunt eleemoſynarum Quæſtores, ſeu Prædicatores Quæſtuarii.

Et quod primam cauſam attinet, cum ex dictis indulgentiis notabile lucrum in monaſteria, Eccleſias, Hoſpitalia, alioſque de collectis illis participantes redundaret, non mirum, quod difficile fuerit, omnem in earum largitione & uſu exceſſum cohibere.

Quoad ſecundam vero notandum, quod eleemoſynaria indulgentia poſt inſtitutum Sæculi XI. hoc bellum Sacrum ab Urbano II. introducta, & ſenſim non tantum ad eleemoſynas ad ſumptus hujus belli, verum etiam in alios pios uſus penſas extenſa, tam a Romanis Pontificibus, quam ab aliis Epiſcopis inſtituti fuerint Prædicatores, qui per ſingula oppida & pagos adjuvarent indulgentias ſuis concionibus, & pœnitentium oblationes colligerent; & hos iſta ætas intitulavit *eleemoſynarum Quæſtores* ac *Prædicatores quæſtuarios*, inquit Lupus in diſſert. *de peccatorum & ſatisfact. indulgentiis* c. 4. His quæſtoribus a Sede Romana dabantur literæ, quibus exhortabantur fideles ad eleemoſynas in dicta pia opera tribuendas, remiſſionem peccatorum ſeu indulgentias pia largitate conſecuturi, ipſiſque Quæſtoribus regulæ hoc munus ſancte obeundi præſcribebantur, quarum forma exhibetur ex Concilio Later. IV. ſub Innocentio III. in cap. 14. h. tit. Quæ forma idcirco in dicto Concilio expreſſa fuit, ut ex illa Epiſcopi literas falſas a veris diſcernere poſſent. Quidam enim jam tunc, teſte eodem Concilio, ſe alios mentiendo abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponebant. Quæ illorum temeritas per curſum unius ſæculi, ſeu ab anno 1215. quo habitum eſt Concilium Lateranenſe IV. uſque ad Concilium Viennenſe ſub Clemente V. 1311. celebratum in graviſſimos exceſſus delapſa eſt, qui referuntur a Clementina 2. *de pœnit. & remiſſ.* ſub nomine hujus Concilii edita, quos omnes cohibere equidem ſtuduit dictum Concilium, prohibens, ne *Quæſtores aliqui (niſi Apoſtolicas vel Diœceſani literas exhibuerint) quomodolibet admittantur &c.* At fruſtraneum & ſine effectu fuit hoc decretum, quæſtus enim, qui nervus eſt mulcendo ventri, radices nimium altas fixerat, ita ut non ſolum quorumdam hinc inde Epiſcoporum, ſed etiam Romanorum Pontificum Quæſtores poſtliminio graviſſimos abuſus committerent, ut habet Chriſt. Lupus L. cit. & conſtat ex articulo 23. contra Joannem XXIII. in Synodo Conſtantienſi inter alios allegato. Sed quam horribilis eſſet Quæſtorum multorum exceſſus tempore exortæ hæreſis Lutheranæ, teſtatur non ſolum Joachimus Camerarius de bello Smalcaldico, Conradus Nytimbergenſis in ſua ad Adrianum VI. legatione,

alliquе, ſed ipſis Tridentini Concilii Patribus appıime notum fuis; qui proinde perpendentes has indulgentiarum nundinationes materiam eidem hæreſi ordiendæ ac propogandæ uberrimam tribuiſſe, nec præcedentium Conciliorum adverſus horom abuſus adhibita remedia quicquam perfeciſſe, eorumque malitiam & fraudem ita quotidie magno fidelium omnium ſcandalo & querela excteſcera, ut de eorum emendatione nolla ſpes amplius relicta videretur, unanimi conſenſu decreverunt Seſſ. 21. c. 9. *de ref. ut poſthac in quibuſcunque Chriſtiana Religianis locis eorum uomen, atque uſus penitus aboleatur &c.* Cumque oon obſtante hoc Concilii Decreto, nonnulli prætexto indulgentiarum certis Eccleſiis &c. per Romanos Pontifices conceſſarum, lucrum ex illis quærere pergerent, Pius V. Conſtitutione, quæ incipit, *quam plenam &c.* 99. in Bull. Rom. omnes indulgentias, *pro quibus manus ſunt porrigendæ adjutrices, & quæ Quæſtuandi facultatem quomodolibet continent*, abſolutiſſime caſſavit.

100. Eadem Synodus in concedendis indulgentiis moderationem juxta veterem & probatam in Eccleſia conſuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur.

Verba ſunt Synodi in decreto *de indulgentiis*, ubi notandum, hanc cauſam pro reſtringendis indulgentiis Sæculo XIII. adduxiſſe etiam Innocentium III. in Concilio Later. de quo ſupra, quam æquivalentibus verbis Sæcolo XV. etiam adduxerat Sixtus IV. N. præcedenti relatus, dum ait: *Ne cujuſvis indulgentiæ, remiſſionis, vel facultatis obtentu Chriſti fideles procliviores ad illicita impoſterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum.* Quid, quod Eccleſiæ mens nequaquam ſit, per indulgentiam eximendi peccatores prorſus *a lege ſatisfaciendi Deo pro peccatis* in Evangelio præſcripta, adeoque per illas nil aliud concedat, quam vel præmium & conſolationem pœnitentibus, qui toto ſtudio & ſummo fervore labores pœnitentiæ ſuſceperunt, vel remedium & levamen iis, qui cum velint labores eoſdem ſuſcipere, præ infirmitate tamen corporis, vel aliam ob rationem nequeant, ut par eſt, Deo ſatisfacere, ut cum Bougetto L. cit. docent Doctores Catholici, qui & graviter objurgant Confeſſarios quoſdam, qui intuitu indulgentiarum plenariarum oppido leviores pœnas gravibus delictis injungunt. Non habent ergo cordati Proteſtantes, quod in facie indulgentiarum, ut eam coloribus fidei depingit Romano-Catholica Eccleſia, atque a nobis jam exhibita eſt, rugam aliquam cum fundamento quærant; & ſi abuſas prætendant, nonne illi ſaniori conſilio a Trid. Synodo ſublati ſunt, atque ab Eccleſia da facto reprobantur, quam a Luthero, qui ipſarum occaſione ſchiſma in cauſa Chriſti conflavit?

101. Famoſa admodum ſpecies indulgentiæ eſt, quæ Jubilæum vocari ſolet, eaque omnium largiſſima nominatur.

Illius Author Anno 1300. communiter cenſetur Bonifacius VIII. in Extrav. *Antiquorum de pœnit. & remiſſ.* inter communes; in qua plenam, largiorem, & pleniſſimam indulgentiam largitur iis, qui vere pœnitentes & confeſſi hoc anno Baſilicas Romæ viſitaverint. Haſque indulgentias ſolum omni anno 100. voluit iterandas. Quamvis vero hic Pontifex indulgentias fuiſſe conceſſas viſitantibus Baſilicam S. Petri ex fida antiquorum relatione memoret, cum tamen earum nullum authenticum exemplar hactenus repertum fuerit, Inſtitutor indulgentiarum Jubilæi communiter cenſetur. Per indulgentiam autem plenam, largiorem, & largiſſimam nihil aliud intelligit, quam omnem *poſſibilem*; dicit enim antiquus Gloſſographus Papam ſe præſente dicta verba in Conſiſtorio interpretatum fuiſſe, ut vellet ea ſignificare hanc indulgentiam adeo plenam, *prout clavium poteſtas ſe extendit*. Elapſis a prima celebratione Jubilæi 50. annis Clemens VI. A. 1350. celebravit Jubilæum, ſtatuitque, ut quovis anno quinquageſimo recurreret Extrav. *Unigenitus* eodem tit. inter com. Rurſus anno 50. in celebratione Jubilæi nondum expleto Urbanus VI. (a quo famoſum ac diuturnum Schiſma Avenionenſe incepit, de quo Tit. 8. N. 27. egimus) tempus Jubilæi contraxit ad annum 33. de quo vide Theodoricum a Niem lib. 1. *de Schiſmate* c. 88. item magnum Chronicon Belgii pag. 300. quam Urbani novitatem poſt Concilium Conſtantienſe & extinctum ſchiſma Romana Eccleſia abjecit rediitque ad Decretum Clementis VI. Et ita fuit uſque ad Paulum II. ſeu ab Anno circiter 1420. uſque ad An. 1464. Hic vero Pontifex voluit indulgentias Jubilæi eſſe uſque ad An. 25. quam reductionem confirmavit Sixtus IV. eodem Sæculo in Extrav. *Quemadmodum* eodem Tit. inter com. atque una omnes quaſcunque indulgentias etiam plenarias adinſtar Jubilæi quibuſcunque Eccleſiis aut locis extra urbem, & ſub quacunque forma a Sede Apoſtolica conceſſas, durante anno Jubilæi ſuſpenſas eſſe voluit, nec interim alicui ſuffragari. Et its etiamnum hodie vivimus. Ante hanc Jubilæi reductionem ad annum 50. & poſtea factam ejuſdem ſtatuminationem ad Ao. 25. Bonifacius IX. ad Sæculi XIV. finem non tantum probavit reductionem Jubilæi ad annum 33. factam per Urbanum VI. ſuum Anteceſſorem, ſed inſuper anno Jubilæi Romæ abſoluto, eaſdem indulgentias per modum Jubilæi ad alias civitates extendit, de quo ait cit. Chronicon Belgii pag. 333. ubi legimus, quod cum in omnibus privilegiis conceſſionum prædictarum poneretur clauſola, *porrigentibus manus adjutrices*, ita ut hujuſmodi indulgentias, niſi qui ipſis locis vel Eccleſiis manum porrigeret adjutricam, nemo conſequi poſſe videretur, a quibuſdam has conceſſiones non fuiſſe magni factas, ut quas lucro magis, quam ex zelo rum inſtitutas a Papa ſuſpicarentur. Hæc ergo ſpecies indulgentiarum, eſto ſpectatis omnibus ſpectandis in ſe eſſet innocens, a ſuis tamen cunabulis ob inevitabilia fere incommoda invidiam ciebat in populo, uſque dum per Concilium Tridentinum prorſus tolleretur, quemadmodum N. præced. vidimus. Hic ergo Bonifacius IX. indulgentias Jubilæi Sæculo XIV. primus extra Romam ad alias Eccleſias extendit, quæ tamen ſub medium Sæculi XV. ſub Nicolao V. necdum ad omnes civitates, oppida, & pagos extendebantur ſequenti anno, ſed duntaxat ad unam Regni aut Provinciæ civitatem, & quidem ad preces Regias ac de ſingulari gratia, ut recte reflectit Lupus occaſione chronici Belgici, in quo pag. 380. narratur Ducem Burgundiæ a Nicolao V. pro civitate Mechlinenſi Jubilæi indulgentias obtinuiſſe. Hanc ergo generalem ad omnes Eccleſias extenſionem primus feciſſe creditur Paulus II. A. 1464. ad Pontificatum aſſumptus, ad indulgentias concedendas promptiſſimus, quam ſuam liberalitatem poſtliminio moderatus eſt in extrav. 3. eodem Tit. inter com. Notat vero Eſpenius uſque ad Nicolaum V. incloſive nondum literis Jubilæi inſertam fuiſſe hodiernam clauſulam, qua omnibus Confeſſariis ſit facultas abſolvendi a caſibus reſervatis, & commutandi vota. Id quod conſtat ex talibus literis Cardinali Cuſano ab hoc Pontifice datis, & relatis in cit. Chron. Belg. p. 380. Quin uſque ad

Sia-

Digitized by Google

Sixtum V. qui ſedit ad finem Sæculi XVI. notaa oon fuiſſe alias cauſas indicandi Jubilæum, niſi recurrentem ennum eidem præfixum. Sixtus ergo V. primus eſt, qui a ſua inauguratione *pro felici Regimine* indixit Jubilæum per Bullam, quæ exſtat Tomo II. B. R. pag. 490. ubi Angelus Cherubinus monet: *Similem indictionem omnes fere Pontifices promulgare ſolent, eas tamen præterii, hac duntaxat pro exemplo retenta, & alia addita Pauli V.* Quibus haud obſcure innuit, hanc indictionem e Sixto V. primum factam, a ſequentibus Pontificibus in exemplum ſumptam eſſe. Qui ſubſequentes Pontifices etiam indulgentias Jubilæi promulgarunt, v. g. inſtante & urgente bello Turcico &c. & merito, quia experientia conſtat tempore Jubilæi non ſolum plurimos inveteratos, ac tantum non deſperatos peccatores ad veram pœnitentiam, frugemque redire, ſed Chriſtianos univerſim hac œconomia pietate ad meliora excitari, quæ omnia, ut alia commoda taceam, aptiſſima ſunt ad placandam Divinam Majeſtatem, eaſque gratias obtinendas, quarum conſequendarum gratia non tantum Jubilæa ordinaria, ſed etiam extraordinaria a Romanis Pontificibus indici ſolent.

T I T U L U S XXXIX.

De Sententia Excommunicationis.

1. IN hoc Titulo Canoniſtæ non ſolum agunt de excommunicatione, quæ eſt una ſpecies cenſurarum Eccleſiaſticarum, ſed etiam de interdicto & ſuſpenſione, quæ reliquas efficiunt, inſuper de depoſitione, ac degradatione, quæ pœnarum nomine nunc veniunt, ac de irregularitate; quæ purum impedimentum Eccleſiaſticum conſtituit. Nos de ſingulis ea, quæ ad hiſtoricam notitiam attinent, ſuccincte dabimus, imprimis agendo de pœnis Eccleſiaſticis, ac de cenſuris, earumque abſolutione in genere, eo quod magnam cum materia præcedentis Tituli connexionem habeant, deinde de cenſuris, earumque abſolutione in ſpecie, ac demum Titulum ſimul cum hoc libro concludemus notis hiſtoricis de Eccleſiaſtica irregularitate dandis.

§. I.

De Pœnis Eccleſiaſticis, ac de Cenſuris in genere, nec non de Depoſitione, ac Degradatione in ſpecie.

2. ECcleſia ſemper habuit auctoritatem imponendi pœnas Eccleſiaſticas criminoſis pro qualitate criminum, ac perſonarum.

Propoſitio ex dictis Titulo præcedenti, ubi egimus de pœnitentia publica, ac de canonibus libriſque pœnitentialibus, in apricum ponitur.

3. A primis tamen Eccleſiæ Sæculis uſque ad Sæculum XII. circiter criminibus etiam judicialiter delatis, & juridice diſcuſſis hæ pœnæ non aliter imponebantur, niſi in ordine ad abſolutionem Sacramentalem. Adeoque forum externum non erat diſtinctum a foro interno, nec alius huic, alius alteri judex præficiebatur in ordine ad illa diſcutienda, punienda, ac abſolvenda.

Utramque propoſitionis partem late probat Morinus libro 1. *de adminiſtr. Sacr. pœnit.* c. 9. & 10. & conſtat ex dictis Tit. præced. §. de Miniſtro pœnit. tum de pœnitentia publica, ubi vidimus, quod tam Epiſcopi, quam Sacerdos ille pœnitentiarius criminoſos ad ſuum tribunal delatos, ibique convictos pœnitentiæ publicæ in ordine ad *ſacramentalem abſolutionem* ſubjecerint, ac demum peracta pœnitentia ſacramentaliter abſolverint.

Et hinc durante illa diſciplina non erat alius qui excommunicationem, alius qui peccata ſolveret, ad quem *ſoluta excommunicatione* peccator eſſet remittendus; nec aliud tribunal, in quo excommunicandus vel excommunicatus judicabatur, aliud, in quo pœnitens excommunicatione ſoluta abſolvebatur *a peccato*. Ita ut fateatur Morinus L. cit. nihil hactenus a ſe inventum, quod contrarium uſque ad Sæculum XII. probet; non tamen inficias it, in ea pœnitentiali criminum, præſertim publicorum vindicta multa judicialia tantum & cæremonialia interveniſſe, quæ indirecte & per accidens ad Sacramentum pœnitentiæ referebantur; neceſſaria tamen fuerunt, cum pœnitentia publica tum inſtitueretur non tantum ut ſatisfieret *Deo*, ſed etiam *Eccleſiæ*.

4. Circa Sæculum XII. cum forum externum & judiciale ſeparari cœpiſſet a foro interno & pœnitentiali, illudque exerceri ad normam judicii forenſis & ſæcularis, cœperunt quoque illæ, quæ pridem ad *correctionem* duntaxat, & in pœnitentiam pro delictis ab Epiſcopis & Sacerdotibus fuerunt injuncta, eiſdem in foro judiciali ad modum *judicii forenſis* per modum pœnæ ad *vindictam publicam* per ſententiam imponi, & per Miniſtros publicos forenſis juſtitiæ infligi, ſeu executioni dari.

Hanc diſciplinæ mutationem, & fori utriuſque diſtinctionem, ac ſeparationem Theologiæ ſcholaſticæ, cujus fundamenta tum jaciebantur, brevique omnes ſcholas pervadebant, adſcribit Morinus. Credo ego, jus Juſtinianæum ejuſque ſubtilitates tum in foro canonico introductas eandem mutationem magnopere quoque promoviſſe; qua factum eſt, ut ſacrarium forum, ſeu pœnitentiale inferioribus ac vilioribus Sacerdotibus, externum vero eminentioribus, hoc eſt Epiſcoporum Vicariis concreditum fuerit, ne hi cum ſuis Epiſcopis negotiorum tam Eccleſiaſticorum utriuſque fori, quam Laicorum, quæ tum tractabant (ut vidimus lib. 2. §. 1. & 2.), mole obruerentur. Non diffitetur tamen Morinus circa Sæculum VII. duplex quoddam forum invaluiſſe, dum nimirum, ut ſupra vidimus, ſub idem tempus inolevit diſciplina, ut de peccatis publicis publice, de occultis pœnitentia occulta ageretur; ſed cum in utroque foro criminibus non imponerentur pœnæ niſi in ordine *ad ſacramentalem* abſolutionem, hæc fora, ſeu potius hi fori non erant duplices in ordine ad punitionem delictorum, quemadmodum illi Sæculi XII. & hinc Epiſcopi delinquentes ac a Magiſtratibus civiliter punitos ad vindictam, denuo pœnitentiæ publicæ ſubjiciebant ad eorundem ſpiritualem ſanationem; quam quidam Sæculo X. prætextu toleratæ jam punitionis civilis declinare volentes a Concilio Romano A. 904. celebrato per dictam diſtinctionem refutati ſunt.

5. Inter alias pœnas, quæ ab Eccleſia olim in correctionem, poſtea in vindictam publicam certis criminibus imponebantur, ſpeciali nota dignæ ſunt depoſitio & degradatio.

Depoſitio differt a ſimplici ſuſpenſione etiam illimitata, quod hæc Clericum ab executione officii & beneficii ſuſpendat *ſolum*, illa vero *ab-*

ſolute deponat, atque officio & beneficio privet, titulumque auferat in tantum, ut ſine nova collatione & titulo ad officium vel beneficium redire nequeat, & hinc de ſe eſt perpetua, adeoque nulla cenſura: a Degradatione vero ſolum ex parte cauſæ, ſolemnitatis, & effectus; degradatus enim Clericus ob ſola crimina ultimo ſupplicio digna cum terribili ſolemnitate, ac Curiæ ſæculari traditur; quæ omnia non occurrunt in ſimplici depoſitione.

6. Olim Depoſitio ab Ordinibus erat omni crimini, etiam occulto annexa.

Hæc propoſitio patebit legenti canones pœnitentiales, quos lib. 1. Tit. 2. retulimus, & infra agendo de irregularitate magis diſcutietur.

7. Cum Eccleſia non habeat animadverſionem gladii in Clericos enormium criminum reos cap. 10. *de Judiciis*, eos per degradationem prius Sacerdotali & Clericali dignitate privat, atque ad Laicalem conditionem reducit, ac brachio ſæculari tradit.

Hanc œconomiam tempore Juſtiniani, hoc eſt Sæculo VI. receptam fuiſſe manifeſtum eſt ex ejus Nov. 8. ubi in præfationis §. 2. declarans de criminibus civilibus Clericorum competentes Judices cognoſcere, addit hanc cautionem; *Illud palam eſt, ſi reum eſſe pronuntiaverit eum, qui convenitur Præſes Provinciæ, & pœna judicaverit dignum, prius hunc ſpoliari a Deo amabili Epiſcopo Sacerdotali dignitate, & ita ſub legum fieri manu.*

8. Tam depoſitio, quam degradatio Epiſcoporum, Presbyterorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ ſolebat olim ad Synodum Epiſcoporum referri, atque in ea diſcuti, & decidi.

Hanc materiam abunde diſcuſſimus lib. 2. §. 4. & 5. quo Lectorem remittimus, ubi videbit, quemadmodum graviores cauſæ Epiſcoporum & Clericorum, quæ primis Eccleſiæ Sæculis in Synodis ceu in prima inſtantia tractari & decidi debebant, ſucceſſu temporis reſpective ad Romanum Pontificem, ac Epiſcopos cum ſuis Vicariis Generalibus devolutæ fuerint. Hic ſolum obſervandum, quod ſtante etiam hac diſciplinæ mutatione diſpoſitio Canonis Concilii Carth. II. qui Epiſcopum reum in caſu moralis impoſſibilitatis convocandi Synodum vult a 12. Epiſcopis, Presbyterum vero a 6. cum proprio Epiſcopo audiri, quantum ad ea Clericorum majorum delicta, quæ merentur depoſitionem actualem & ſolemnem, quam degradationem appellamus, adhuc obſervari præcepta fuerit Sæculo XIV. ſine ullo tamen ad Synodum reſpectu; ad hanc enim Sæculi III. ſine factam diſpoſitionem in præſenti caſu aperte provocavit Bonifacius VIII. cap. 2. *de pœnis* in 6. Sed cum hæc 12. Epiſcoporum in degradatione Epiſcopi, ſex in degradatione Presbyteri, & trium in degradatione Subdiaconi præſentia, quam poſt Bonifacium communis praxis comprobavit, & in Pontificali Romano ſub Titulo *de degradatione* expreſſa fuit, tum ob graves expenſas neceſſario faciendas, tum ob raritatem Epiſcoporum, præſertim in Germania, difficultatibus maximis ſubinde involveretur, & hinc crimina horum Clericorum etiam graviſſima ſæpius pro meritis manerent impunita, apud Adrianum VI. exortis tumultibus Pſeudo-reformationis graviter conqueſti fuerunt Germaniæ proceres art. 21. inter centum gravamina huic Pontifici exhibita, quam querelam deinde in ipſo Concilio Tridentino renovarunt Epiſcopi Germaniæ; quibus motá Patres Tridentini Seſſ. 13. c. 4. *de ref.* declararunt, quod in præſenti caſu Epiſcopus per ſe adhibitis tot Abbatibus infulatis, *Si in civitate vel diœceſi reperiri, aut commode adeſſe poſſint, alioquin aliis Perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, qui ætate graves, ac Juris ſcientia commendabiles exiſtant*, procedere poſſit. Ex quo infert Vaneſpen, mentem Tridentini eſſe, ut hæ perſonæ non tantum *Solemnitati*, verum etiam *diſcuſſioni* cauſæ degradationis aſſiſtant, cum in iis Scientiam Juris requirat. Quam ſolemnitatem vide deſcriptam in capitulo Bonifaciano citato, ac in Pontificali Romano; ex quibus colligitur, degradationem etiam uſitatam fuiſſe reſpectu Clericorum primæ tonſuræ & minorum Ordinum, quamvis hæc a ſolo Epiſcopo ſine aliorum aſſiſtentia peragi potuerit.

9. Tam nomen cenſuræ Eccleſiaſticæ, quam ejus diſtinctio a cæteris pœnis & impedimentis Eccleſiaſticis, atque ſtricte, præciſeque, ac ſecundum formalitates logicas de illis loquendi & philoſophandi, quemadmodum nunc fit, uſque ad initium Sæculi XIII. videtur fuiſſe penitus ignota. Quamvis cenſuræ ipſæ apud veteres in uſu fuerint.

Propoſitionis 1. partem propugnat Morinus lib. 6. *de Sacr. pœnitentiæ* cap. 25. N. 12. ex eo, quod Sæculo XI. & XII. nihil horum reperiatur in Burchardo & Ivone, vel in Hugone Victorino, quin neque apud Lombardum ac Gratianum, qui poſterior Sæculo XII. in XIII. jam inclinante ſcripſit, *Unde enim*, inquit, *apud eos colligitur eſſe tres tantum cenſuras, degradationem & depoſitionem eo nomine non eſſe cenſendas: interdictum cenſuram eſſe, non autem ceſſationem a Divinis; irregularitatem eſſe impedimentum canonicum, non cenſuram; cenſuras ad forum externum pertinere, non ad internum, ſive Sacramentum pœnitentiæ?*

Secunda pars ex dicendis conſtabit. Hic vero Canoniſtæ probe notent, quod cum poſteriorum Pontificum decretales, & has ſecuti recentiores Canoniſtæ & Theologi aliter de cenſuris loquantur, quam Veteres per 12. fere Sæcula, niſi ad veterum de cenſuris loquelam attendatur, ſæpius a canonum & antiquorum ſenſu aberrabitur.

10. Diſtincta ergo trium cenſurarum excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis mentio primo occurrit Sæculo XIII.

Illa habetur in cap. 20. de V. S. ubi quærenti, quid per cenſuram intelligi debeas, dum in literis Apoſtolicis inſeritur, *ut per cenſuram procedatur*, reſpondit Innocentius III. qui adoleſcente eodem Sæculo ſedit, *quod per eam non ſolum interdicti, ſed & ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententia valeat intelligi*; ubi notat Gl. quod nomine cenſuræ Eccleſiaſticæ *interdicti, ſuſpenſionis*, & *excommunicationis* ſententia intelligitur. Gloſſam ſecuti Canoniſtæ & Theologi nullam præter has tres cenſuræ Eccleſiaſticæ ſpeciem agnoſcunt. Qui præterea quoque profitentur, definitionem cenſuræ, prout eſt genus ad has tres ſpecies, eaſque complectitur, eſſe difficillimam, unde eam potius deſcribere, quam rigoroſe definire ait Suarez *de cenſuris* diſp. 1. ſect. 1. dum eam vocat *pœnam Spiritualem & medicinalem privatam uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, per Eccleſiaſticam poteſtatem ita impoſitam, ut per eandem ordinarie abſolvi poſſit*. Quæ definitio veterum de cenſuris phraſi ac diſciplinæ nequaquam aptata eſt, ſed potius accommodata iis, quæ poſt Gloſſas & Decretalium Interpretes Scholaſtici paſſim tradiderunt, & in ſcholis recepta erant, ut fatetur ipſe Suarez. Hoc omnium Canoniſtarum & Theologorum conſenſu receptum eſt hodie, poteſtatem ferendi cenſuras dependere a poteſtate clavium. Cum vero, ut ex ſupra dictis conſtat, per XI. Sæcula forum externum non fuerit ſejunctum a foro pœnitentiali, nec authoritas ferendi cenſuras erat ſejuncta a poteſtate, quæ per claves exercetur in foro pœnitentiali; ſicut autem

tem

Digitized by Google

tem iis Sæculis ignota fuit diſtinctio fori interni & externi, ita etiam illa, quæ hodie uſitatiſſima eſt, diſtinctio poteſtatis Ordinis, quæ magis ad forum internum, & poteſtatis juriſdictionis, quæ magis ad forum externum & contentioſum refertur, ignota fuit. Poſtquam autem, inquit Vaneſpen, diſtinctio fori interni & fori externi una cum diſtinctione poteſtatis *Ordinis* & *juriſdictionis* invaluit, auctoritas ferendi cenſuras ad forum externum & poteſtatem juriſdictionis referri cœpit, & a poteſtate, quæ peccata exercetur in foro pœnitentiali, & ſpectat ad poteſtatem Ordinis, totaliter ſeparari. Hinc communi Doctorum calculo hodie probatum eſt, neminem poſſe ferre cenſuram virtute clavium, niſi qui juriſdictionem habet pro foro externo: nec ſufficere, quod habeat uſum clavium pro foro pœnitentiali abſolvendi & retinendi peccata. Ex quo inferunt Epiſcopum confirmatum, & necdum ordinatum poſſe ferre cenſuram; e contra Epiſcopum ordinatum, non tamen habentem Epiſcopatum eas ferre non poſſe. Item Clericum primæ tonſuræ juriſdictione præditum cenſuras ferre itidem poſſe &c. de quibus videatur Vaneſpen p. tertia, titulo 11. c. 2.

§. II.

De Cenſuris in ſpecie.

11. INter cenſuras Eccleſiaſticas graviſſima & antiquiſſima eſt excommunicatio.

Hujus variæ ſunt ſpecies, quarum quædam antiquis notæ & multum uſitatæ, hodie vix noſcuntur, & minus uſitatæ ſunt; quædam vero poſterioribus Sæculis uſitatiſſimæ & notiſſimæ, prioribus aut omnino, aut pene ignotæ erant. Priorum proin notitia juris ſacratioris Candidatis neceſſaria omnino, ne toto, ut ajunt, oſtio a vero antiquorum canonum Patrumque ſenſu in hac materia aberrent.

12. Species itaque excommunicationis una erat apud veteres eaque uſitatiſſima, diverſa tamen longe ab excommunicatione a Canoniſtis ac Theologis hodiernis definiri ſolita, qua communione interdicebatur Epiſcopo non accedenti ad Synodum Provincialem.

Hujus meminit Synodus Carth. V. quæ can. 10. jubet *ſimilem Epiſcopum Eccleſiæ ſuæ communione eſſe contentum*. Synodus Arel. quæ canone 19. talem *alienum facit a fratrum communione*. Denique Synodus Tarraconenſis, quæ canone 6. eundem *uſque ad futurum Concilium cunctarum Epiſcoporum charitatis communione privat;* addens, *ſicut ſtatuta Patrum ſanxerunt*. Ex his porro patet, hanc excommunicationem fuiſſe latam per modum pœnæ, non cenſuræ in ſenſu moderno, cum lata fuerit in eum, qui Concilio Provinciali pro illo anno non interfuit, adeoque minime in contumacem, cum finito Concilio eidem amplius intereſſe non potuerit. Secundo, hac excommunicatione dictum Epiſcopum non fuiſſe privatum communibus *totius* Eccleſiæ ſuffragiis, participatione Sacramentorum &c. cum gaviſus fuerit ſuffragiis ſuæ Eccleſiæ, atque in ea Sacramenta participare potuerit &c.

13. Alia ſpecies excommunicationis, quæ nec proprie cenſura erat, neque a Poteſtate clavium dependebat, illa fuit apud veteres frequens quoque, qua Eccleſiæ particulares cum ſuis Epiſcopis ab aliis Eccleſiis particularibus, illarumque Epiſcopis ſe ſeparabant.

Hanc non fuiſſe in moderno rigore proprie dictam excommunicationem ex eo patet, quod una Eccleſia particularis, vel ſimilis Epiſcopus in alterum Epiſcopum vel Eccleſiam particularem non polleret Clavium poteſtate, ſive juriſdictione; nuda ergo communionis denegatio ſive abſciſſio erat hæc excommunicatio, quam una Eccleſia alteri ſibi nequaquam ſubjectæ facere poterat, & ſæpe faciebat exorientibus hæreſibus, atque ſchiſmatibus, de quibus late hoc libro Titulo VII. Communiones autem Eccleſiarum primis ſæculis innoteſcebant primo ex literis communionis, quas Epiſcopi & Eccleſiæ ſibi mutuo mittebant, quas S. Auguſtinus, Optatus Milevit. aliique Patres *formatas* vocant, eaſque Orbis Patriarchæ poſt ſui inaugurationem ad Romanos Pontifices aliosque Collegas etiam mittebant, in quibus conſenſum in fide, communionemque in ſacris cum iis, ad quos eas mittebant, ſignificabant. Secundo ex fidelium ultro citroque ex una ad aliam Eccleſiam commeantium in communionem receptione, modo Epiſcopi ſui commendatitias literas adferrent, de quibus loquitur canon 33. Apoſt. & alii. Dum ergo Eccleſia aut ejus Epiſcopus in alterius Eccleſiæ vel ejus Epiſcopi doctrina vel diſciplina perverſum quid arbitraretur, negabat aut etiam rejiciebat literas communionis hujus Epiſcopi vel Eccleſiæ, aut a communione repellebat fideles illius Eccleſiæ, tametſi literis commendatitiis ab Epiſcopo ſuo inſtructi venirent. Quo jure & olim & de facto gaudet etiam quilibet particularis Chriſtianus juxta illud Apoſtoli 2. ad Theſſal. 3. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis*. Quod S. Pauli effatum quomodo harmonizet cum modernorum Pſeudo-politicorum principio, *Religionem nullum debere habere influxum in commercium humanum, omneſque Religiones indifferenter debere tolerari*, neſcio. Fortaſſis illi quærunt hic manentem civitatem, & hinc Religione utuntur tanquam medio ad ejus felicitatem conſequendam. Paulus autem, qui hoc loco ad Chriſtum provocat, aliam, quæ in Cœlis eſt, præſtolatur, ad quam cum *vera fides* ſit *unica* via, hujus conſervationem putat eſſe negotium negotiorum in hoc Sæculo, cui nullum temporale ſit æquiparandum.

14. Præterea apud Veteres omnes quatuor gradus pœnitentiæ ſub nomine excommunicationis veniebant.

Hos gradus latius ſupra explicavimus, in iis vero exercitati quodammodo excommunicabantur; qui enim in *fletu* erant, non intromittebantur cum fidelibus, ne quidem in Narthecem Eccleſiæ, *in die Dalle*. *Audientes* vero non admittebantur ad communionem populi in Miſſa fidelium, ſed in Narthece ſcripturam audientes poſtea cum Catechumenis ejiciebantur. Similiter *ſubſtrati* in porta quidem Eccleſiæ ſubſiſtebant, ſed quoque cum Catechumenis ejiciebantur. Soli denique *conſiſtentes* Miſſæ fidelium in Eccleſia intereſſe poterant, ſed a communione Euchariſtiæ & participatione Sacramentorum, ut alii omnes, excludebantur. Cui participandæ cum poſt plenam ſatisfactionem & abſolutionem Sacramentalem admitterentur, dicebantur *communioni* reſtitui, *& pacem* cum fidelibus accipere, uti ſupra non ſemel vidimus. Erant ergo ſuo modo excommunicati, ſed non in rigore, cum Eccleſia vel maxime cum illis communicaret in precibus.

15. Præter hanc excommunicationem, quam Patres vocabant *Medicinalem*, notiſſima & uſitatiſſima fuit priſcis ſæculis noſtra proprie dicta excommunicatio major, quam illi *mortalem*, ſeu anathema appellabant.

Utriuſque excommunicationis ſub hoc nomine ſæpius meminit S. Auguſt. ac ſignanter lib. 50. *Homiliarum* Homil. ult. & in lib. poſt collationem contra Donatiſtas. Hac ſæpe fulminarunt

Patres hæreticos, eorumque aſſeclas, ſchiſmaticos, ac alios incorrigibiles &c. ut patebit legenti Concilia priorum Sæculorum, & ita excommunicati tanquam Ethnici & Publicani reſcindebantur, & ut tales quodammodo reputabantur: unde nec eorum in publicis precibus aut ſuffragiis ratio habebatur, ſaltem *tanquam membrorum Eccleſiæ*; & ſi in ea excommunicatione diſcederent, oblationes ipſorum rejiciebantur in ſignum, quod Eccleſia eos nec poſt mortem tanquam ſui corporis membra agnoſcere vellet.

16. Eſt & alia adhuc excommunicationis ſpecies, quæ antiquis penitus ignota erat, hodie vero notiſſima, vix tamen in uſu, quæ vocatur *Excommunicatio minor*, incurriturque per communicationem cum excommunicato extra crimen, ac privat ſolummodo participatione paſſiva Sacramentorum.

Hanc excommunicationem antiquis ignotam fuiſſe probat Lupus Tom. 1. *Schollor. in canones* pag. 491. quod tum quivis excommunicato, ſeu anathematizato communicans incurrebat idem penitus excommunicationis vinculum, quomodo nunc communicans in crimine. Illam vero Sæc. XIII. non eſſe antiquiorem plauſibiliter conjicit Eſpenius ex eo, quod alibi in Jure Canonico non reperiatur expreſſa, quam in cap. fin. *De Clerico excom. Miniſtr.* & cap. penult. *de ſentent. excom.* ut innuit Gl. utriuſque autem capituli auctor iuſcribitur Gregorius IX. qui hoc ſæculo ſedit. Hanc vero excommunicationem Sæculo XIII. forſan inductam, a multis annis prope obſoletam eſſe notavit Morinus lib. 6. c. 35. N. 13. Quamvis vero recte dicatur, quatuor gradus pœnitentiæ publicæ mox relatos vere fuiſſe excommunicationes minores, eo quod in iis conſtituti non ſolum participatione paſſiva ſacramentorum, verum etiam variis precibus fidelium & cum fidelibus privarentur, nequaquam tamen erant excommunicatio minor Jure Decretalium deſcripta, tum quod non incurrerentur ob participationem cum excommunicatis extra crimen, tum quod inferrentur ſolum per modum pœnæ. Harum medicinalium ſeu pœnitentialium excommunicationum, uti & aliarum latiſſima differentia a moderna & veteri excommunicatione majori expenſa, ac reflexione facta, quod veteres tum Patres, tum canones ſæpiſſime eas nomine *excommunicationis* abſolute appellent, facile quis intelliget, quantum roboris habeat commune Theologorum & Canoniſtarum axioma, *Excommunicatio ſimpliciter poſita intelligenda eſt de excommunicatione majori*; quamvis enim non negemus illud pro nova diſciplina communiter valere, qui autem idipſum omnibus Veterum ſententiis canonibuſque applicare voluerit, ſæpe toto cœlo ab eorum ſenſu aberrabit. Ex quo iterum patet, quanti momenti in Theologia & Jure Canonico ſit hiſtorica Tractatio. Jam de nuda excommunicatione majori.

17. Effectus præcipui excommunicationis majoris; ut 1. ſeparatio a tota Eccleſia, 2. privatio omnium eorum, quod tanquam Eccleſiæ membro competit, & hinc 3. excluſio a divinis officiis, 4. a precibus fidelium & omnium ſpiritualium chariſmatum communione, ex ipſa Chriſti inſtitutione, & Apoſtolorum doctrina promanant.

Chriſtus enim illum, qui Eccleſiam non audierit, voluit eſſe ſicut Ethnicum & Publicanum, Ethnici vero omnibus enumeratis privati ſunt. Et Apoſtolus Joannes ep. 2. *Si quis venerit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit ei Ave, communicat ejus operibus malignis*. Et hinc excommunicatos a publicis precibus, diviniſque officiis arcet Apoſtolorum canon 10. & alii tum veteres, tum recentiores plurimi, unde jam pridem moris fuit nomina excommunicatorum e dyptichis Eccleſiarum eradere, eo quod habere nomen in dyptichis idem foret ac eſſe Eccleſiæ communione junctum. De quibus vide dicta lib. 3. Tit. 30. N. 28. Et hinc tales antiquitus multo magis a functionibus Eccleſiaſticis, atque a conſecutione beneficiorum ſimilium, utpote quæ non niſi excellentioribus Eccleſiæ membris competunt, olim arcebantur, ut bene advertit Vaneſpen, qui & ſubdit: Hinc multis ſæculis ignota fuit Quæſtio hodie a ſcholaſticis agitata, num excommunicatus ipſo jure & facto excidat ſuo beneficio? & ſimiles Quæſtiones.

18. Quamvis vero Chriſtus citato loco fidelibus cum excommunicatis præter communionem in ſacris *civilem* non interdixerit, Apoſtoli tamen ad præcavendum omni meliori modo fidelibus a contagione horum hominum eandem interdixerunt non quidem præcepto Divino, ſeu divinitus inſpirato, ſed pure Eccleſiaſtico.

Prima pars patet, quod Chriſtus nos vitare voluerit excommunicatos tanquam Ethnicos; certum autem eſt, eum ſuis fidelibus communionem *civilem* cum Ethnicis nequaquam interdixiſſe, alioquin, ut bene advertit S. Paulus, debuiſſent de hoc mundo exiiſſe, qui etiam ibi communionem civilem cum ſolo fratre excommunicato vetat, *Cum hujuſmodi nec cibum ſumere*.

Secunda pars patet tum ex loco Joannis N. præc. tum ex Pauli hoc N. relatis.

Tertiam vero præter Catholicos DD. ipſa praxis Eccleſiæ mox referenda in apricum deducit.

19. Circa œconomiam de vitando excommunicato tam a Chriſto, quam ab Apoſtolis præſcriptam, varia variis temporibus in Eccleſia fuit diſciplina.

Apoſtolos enim Fratres tam in moribus, quam in fide perverſe ambulantes communione tam Sacrorum, quam civili vitandos præcepiſſe conſtat tum ex verbis Pauli N. præcedenti, tum ex verbis Joannis N. 17. relatis; ſed tam hæc, quam ipſa Verba Chriſti præcipere videntur, ut talis vitetur eo ipſo, quod talia agat, etiamſi ab Eccleſia necdum fuerit excommunicatus excommunicatione majori, ſeu anathematizatus, quod fuit fidelibus, tam in cœtum congregatis, quam ſingularibus dare facultatem ſimiles excommunicandi ea excommunicationis ſpecie, de qua egimus ſupra N. 13. & aperte elucet cum ex relatis authoritatibus, tum ex facto Joannis erga Cerinthum, & S. Polycarpi erga Marcionem, de quibus hoc lib. tit. 7. N. 14. & N. 15. videturque fuiſſe communis praxis primitivæ Eccleſiæ, utpote legem Chriſti & Apoſtolorum cordi habentis, id quod etiam teſtatur ipſa ſpecies excommunicationis cit. N. 13. relata. Cum vero idem Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. homines ejuſmodi jubeat ab Eccleſia congregata tradi ſathanæ, hoc eſt conciliariter excommunicari, certum eſt, quod Chriſtiani poſt eum ſolemnem actum, ſimilem aut inceſtuoſum, aut idololatram, hoc eſt in moribus, vel fide enormiter errantem, ac propterea ſolemniter excommunicatum, multo magis tam communione Sacrorum quam civili vitaverint, quin ad robur Divinis Apoſtoliciſque præceptis debitum conciliandum ita communicantes fuiſſe eadem excommunicatione innodatos ex Lupo vidimus N. 16. qui tiam ipſo teſte circa 9. & 10. Sæculum ita fuit carentus, ut propterea editis decretis quantum ad *civilem* communicationem remitti debuerit a Romanis Pontificibus; relatis namque literis Innocentii III. ad cruce ſignatos recte infert: *Et hinc lucet Catholicos Galliæ, Angliæ, Germaniæ, et Belgii incolas*

las cum habitantibus iſthic Hæreticis poſſe libere in civilibus tractare. Quæ vitatio tandem Sæculo XV. ob urgentes cauſas etiam quoad communionem in Sacris reſtricta fuit ad ſolos excommunicatos *expreſſe & ſpecialiter* a Judice *publicatos & denuntiatos*, exceptis notoriis percuſſoribus Clericorum, quemadmodum habetur in Extrav. Martini V. *ad evitanda*, quæ equidem non habetur in Concilio Conſtantienſi, vel alibi, præterquam apud S. Antoninum, ſub ejus tamen nomine hodie communiter eſt recepta. Ex hac ergo Eccleſiæ praxi optime deducitur præceptum Apoſtolicum de vitandis excommunicatis quantum ad *civile* commercium eſſe pure Eccleſiaſticum, & pro Eccleſiæ neceſſitatibus variabile, nec Chriſtum ita vetaſſe communionem cum iiſdem in Sacris, ut illa ex neceſſitate, & ad majora mala vitanda tolerari non poſſit.

20. Cum excommunicatio major ſpectata ſublimitate bonorum, quibus excommunicatum privat, ſit pœna graviſſima, morti temporali a Patribus comparata, imo prælata, ea non eſt ferenda ſine gravi cauſa.

Hoc primo docuit Apoſtolus, dum priuſquam inceſtuoſum Corinthium ſathanæ traderet, criminis atrocitatem exaggerat dicens: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes*. Secundo id implicite ſentiunt Patres, dum excommunicationem pœnam graviſſimam nominant, & cum aliis aperte edicit Synodus Arvern. apud Grat. 11. q. 3. c. 42. *Nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus cauſis a communione ſuſpendat*. His conſentit Concilium Trid. Seſſ. 25. c. 3. & communis ſenſus Doctorum. Cum ergo quædam antiqua Concilia leguntur quoſdam excommunicaſſe ob levia peccata, de excommunicatione larga, ſeu medicinali intelligenda ſunt, quæ etiam imponi ſolebat peccatis occultis per pœnitentiam publicam, ut ſupra vidimus. Nemo autem legitur illis Sæculis ob peccatum occultum, ſeu ſoli Confeſſario notum fuiſſe excommunicatione mortali percuſſus. Quin id aperte vetat Synodus 7. Carth. c. 6.

21. Ex eadem cauſa excommunicatio major non eſt infligenda ob peccatum etiam grave, niſi adjunctam habeat etiam inobedientiam, ſeu, ut nunc loquimur, non eſt ferenda niſi in contumaces.

Hanc fuiſſe veterum omnium perſuaſionem, quam noviſſime fovit Concilium Trid. patet primo, quod Patres antiqui & Concilia trinam monitionem præmitti voluerint ſententiæ excommunicationis; ſic Synodus œcumenica Epheſina ter monuit Neſtorium, Chalcedonenſis Dioſcorum, antequam in ipſos excommunicationis ſententia lata fuiſſet. Patres autem hanc diſciplinam non quaſi novam ſanciunt, ſed a Patribus acceptam ſupponunt, qui eam non aliunde, quam ex ipſa declaratione Chriſti Matth. 18. hauſerunt, ubi tum primum vult fratrem perverſe ambulantem ab unione reſcindi, ſi Eccleſiam non audierit. Unde Concilium Rothomagenſe ſtatuit, ut *decimas ſolvere nolentes ſecundum Domini noſtri præceptum admoneantur ſemel & ſecundo & tertio, qui ſi non emendaverint, anathematis vinculo feriantur*. Hinc nec jure novo ſeu Decretalium ab hac diſciplina receſſum eſt, ut patet ex cap. 9. *de ſent. excom.* quod cum nihilominus in præſenti caſu permittat unam monitionem pro tribus valere, & hac poteſtate Judices non ſat circumſpecte uterentur, quin non raro ſine omni monitione & levi etiam ex cauſa ad excommunicationem proſilirent, Synodus Trid. volens canonicam diſciplinam reducere, quantum temporis durities patiebatur, Seſſ. 25. c. 3. *de ref.* ſtatuit, *ut Judex ad excommunicationem non procedat, niſi delicti qualitas, præcedente bina ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet*. Et hæc quidem de excommunicatione, quam vocamus ferendæ ſententiæ, ſalva, & apud omnes in confeſſo ſunt. Sed illico etiam argumentum difficile contra juſtitiam æquitatemque excommunicationis latæ ſententiæ ſuppeditant, utpote in qua proceſſus a Chriſto præſcriptus per iteratas monitiones, atque a tota retro Eccleſia obſervatus, ac ab ipſo Tridentino inculcatus omnino deſiderari videtur, quin & ipſa contumacia. Et quidem in excommunicatione ſententiæ latæ ipſas binas vel trinas monitiones deſiderari nemo ne quidem poteſt negare. Unde ad eas juſtificandas neceſſario confugere oportet ad ſufficientem *contumaciam* & rebellionem in eo deprehendendam, qui tale crimen committit, cui annexa eſt excommunicatio latæ ſententiæ. Quidam equidem illam in eo collocant, quod talis legi prohibenti ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ incurrendæ non obediat. Sed præterquam quod in tali trina deficiat monitio omnibus retro ſæculis ante exortam hanc excommunicationis ſpeciem & præſcripta & uſurpata, talibus pius & doctus Gerſon objicit caſum, quo quis laboret ignorantia, quamvis culpabili, & labatur non ex contemptu legis, ſed ex infirmitate aut vitioſa paſſione, & ſubdit: *Videant Juriſtæ & Judices, an talis poſſit dici excommunicatus ipſo facto*; unde & ex alio latere nodum hunc Gordium ſolvere aggreditur, cum Magiſtro ſuo concedens: *Eas excommunicationes tantummodo operari, ut abſque proceſſu alio, aut nova conſtitutione poſſit Judex ſtatim probato facto vel confeſſato ferre Juris ſententiam & eandem publicare; non ſic ubi canones eſſent ferendæ ſententiæ, quoniam monitiones & proceſſus ſecundum terminos juris prærequirerentur multiplices*. At hoc videtur idem dicere, ac excommunicationem latæ ſententiæ non incurri ante ſententiam Judicis, cujus contrarium hodie omnes perſuaſum habemus. Alii Canoniſtæ non infimi ſubſellii, quamvis quid ſentiant circa ſententiam Gerſonis diſſimulent, in illam tamen inclinare videntur, dum probant per 10. facile ſæcula ignotam fuiſſe hanc ſpeciem excommunicationis, ita ut in canonibus paulo antiquioribus nunquam legantur illa verba, quæ juxta DD. excommunicationem latæ ſententiæ exprimunt, v. g. Sit ipſo facto excommunicatus. Quin neque Sæculo XII. in uſo fuiſſe probant ex decreto Gratiani, in quo in ſolo canone *Si quis ſuadente* 7. q. 4. de percuſſore Clerici dicitur, ut anathemati *ſubjaceat*, quod tamen verbum ſi debite expendatur, videtur potius excommunicationem ferendæ, quam latæ ſententiæ exprimere. Et hinc primo ſequenti Sæculo XIII. hæ excommunicationes ortum videntur habuiſſe ac progreſſum, & quidem teſte Navarro in Man. c. 27. N. 49. *ad annum uſque* 1398. *quo promulgatus eſt ſextus Decretalium, vix inveniebantur 36. caſus hujus excommunicationis, qui in pauciores quam 26. redigi poſſent; per ſolum autem ſextum Decret. inducti ſunt 32. - - & per ſolas Clementinas 50. Poſtea per Bullam cœnæ, per extravagantes impreſſas, per conſtitutiones Synodales & Provinciales, per viſitationes & reſervationes ſæcularium & Religioſarum innumeri*. Hæc Navarrus, qui & monet, *quod videatur valde utilis, imo & neceſſaria limitatio eorum aliqua ſaltem quoad forum conſcientiæ*. Ulterius progreſſus Godichalcus Roſemundus Profeſſor Lovanienſis in ſuo confeſſionali aſſerere audet, expediens eſſe, ut omnes caſſarentur pro univerſali Eccleſia. Sed recte ait Eſpenius: Quid attentis temporum & locorum circumſtantiis hac in parte conveniat, judicandum eſt ab Epiſcopis, ac præſertim Summo Pontifi-

tifi-

Digitized by Google

tifice, penes quos eſt exercitium & poteſtas clavium, ut eis ad ædificationem Eccleſiæ, & populi ſibi commiſſi utantur. Certe Romani Pontifices judicarunt & recte judicant, poſſe eas circumſtantias occurrere, in quibus ad præcavenda atrocia mala opus ſit malitioſos homines excommunicatione *ipſo facto* incurrenda deterrere & continere; igitur in hoc caſu tanquam Paſtores Eccleſiæ univerſalis (& ita reſpective de Epiſcopis & aliis Judicibus diſcurrendum) poſſunt ea, quæ poſſibilis eſt, efficacitate iiſdem obviare, neglectis etiam iis, quæ antehac in uſo erant. Hoc autem verificato, excommunicationes latæ ſententiæ abſolute juſtificatæ ſunt, & ſolum reſtat quærendum, an ſemper ex ſat gravibus cauſis tales excommunicationes latæ ſint? & de hoc libere licuit ſentire Navarro mox relato.

22. Priſcis Eccleſiæ Sæculis nulla ſpecialis formula Rituſque obſervabatur in ferenda ſententia excommunicationis.

Nulla enim per octo vel novem Sæcula in Eccleſiaſticis monimentis ſimilis formolæ rituſque occurrit mentio; conſtitutiones enim Apoſtolorum, quæ cito apocryphæ, antiquiſſimæ nihilominus ſunt, in deſcribendo actu excommunicationis diligentem diſcuſſionem cauſæ equidem deſiderant, at de ſimili forma Ritave ne verbum habent, lib. 2, c. 31. & 8.

23. Cum vero labentibus Sæculis multiplicarentur excommunicationes, ipſique Judices non eam moderationem, & circumſpectionem in iis ferendis adhibere viderentur, quam hujuſmodi pœnarum inflictio requirebat, inciperentque Laicis, præſertim potentioribus vileſcere, ad conciliandam ipſis debitam auctoritatem & reverentiam circa Sæculum IX. vel X. adhiberi cœperunt certæ formulæ, ſolemneſque Ritus introduci.

Formula Rituſque excommunicationis in Pontificali Romano ita deſcribitur: *Quando anathema, id eſt ſolemnis excommunicatio pro gravioribus culpis ferri debet, Pontifex paratus amictu, ſtola, pluviali violaceo, mitra ſimplici, aſſiſtentibus ſibi 12. Presbyteris ſuperpelliceis indutis, & tam ipſo quam Presbyteris candelas ardentes in manibus tenentibus, ſedet ſuper faldiſtoriam ante Altare majus, aut alio loco publico, ubi magis ſibi placebit, & ita pronuntiat & profert anathema.* Advertit Vaneſpen ante Synodum Lemovicenſem A. 1031. in qua ſeſſ. 2. dicitur: *Sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis veſtris, ita gaudium eorum* (excommunicatorum) *exſtinguatur in conſpectu SS. Angelorum, niſi ante mortem ad ſatisfactionem venerint;* quo teſtimonio circa Ritum exſtinguendi candelas in excommunicatione vetuſtius ſe non inveniſſe teſtatur Lupus; ejuſdem jam Sæculi X. initio tanquam rei uſitatæ mentionem facere Reginonem lib. 2. *de diſcipl. Eccl.* c. 412. ubi referens formulam excommunicationis ait: *Sicut hæ lucernæ exſtinguuntur in oculis veſtris, ita gaudium eorum exſtinguatur in conſpectu SS. Angelorum, niſi ante mortem ad ſatisfactionem venerint.* Ad eandem authoritatem juſtæ excommunicationi conciliandam iiſdem & labentibus Sæculis implorabatur etiam brachium ſæculare, de quo videatur Du Cange in Gloſſario. Eundem in finem adhibebantur terribiles execrationes, quarum una in Pontiſ. Rom. ita ſonat: *Et damnatum cum diabolo & angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem æternum damnamus, donec a laqueis diaboli reſipiſcat &c.* Quin imo per annum inſordeſcens in excommunicatione aliiſve cenſuris jure decretalium, quæ renovat Synodus Tridentina ſeſſ. 25. c. 3. de *ref.* habetur de hæreſi ſuſpectus, atque etiam ita contra eundem procedi poteſt. Quod tamen hodie juxta ſuum rigorem non obſervatur, niſi in Provinciis, ubi tribunal Inquiſitionis eſt ſtabilitum, uti monet Fleury in *inſt. juris Eccl.* p. 3. c. 23. in fine. Porro quod in eodem Pontificali injungatur, ut prolato anathemate ſive excommunicatione *epiſtola Presbyteris per Parochias, & etiam vicinis Epiſcopis mittatur, continens nomen excommunicati & excommunicationis cauſam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet;* Ritus eſt admodum antiquus, & ex traditione Apoſtolica ad nos tranſmiſſus; ejus enim exemplum habemus jam Sæculo II. in Marcione, cui Clerus Romanus communicare noluit ſine conſenſu ſui Epiſcopi, ut refert Baronius ex Epiph. ad A. 156. hancque diſciplinam non introduxit, ſed renovavit Sæculo IV. Synodus Nicæna canone 5. eamque Sæculo X. viguiſſe poſt relatam excommunicationis formulam, de qua ſupra, teſtatur Regino Abbas Prumienſis.

24. Interdictum, in quantum eſt altera ſpecies cenſuræ ab excommunicatione & ſuſpenſione diſtincta, definiri ſolet, quod ſit cenſura Eccleſiaſtica prohibens uſum quarumdam rerum divinarum, ut fidelibus communem, quatenus talis eſt.

Hæc definitio iis eſt accommodata, quæ a recentioribus Canoniſtis & Theologis Scholaſticis circa hanc ſpeciem cenſuræ recepta reperiebantur. Nec enim in priſtinis canonibus & authoribus has præciſas & determinatas differentias facile reperies, inquit Vaneſpen: dividitur autem in *locale*, quod directe fertur in locum, *perſonale*, quod directe dirigitur in perſonam, *mixtum*, quod directe & in perſonam & in locum vibratur. Porro & perſonale & locale vel eſt generale, dum interdicto ſubjicitur locus, cui plura alia loca ſubjecta ſunt; vel particulare, dum particularis locus eodem afficitur. Perſonale vero generale eſt, quo aliqua communitas qua talis, particulare item, quo unus vel plures homines interdicuntur. De quibus vide Scholaſticos.

25. Sæculo VI. antiquiora eſſe interdicta generalia, nullo authentico teſtimonio demonſtrari poteſt.

Id enim non evincit teſtimonium S. Baſilii, qui epiſtola 244. de ſuſcipientibus raptorem Virginis ait: *Villa vero, quæ raptorem ſuſceperit cum rapto, nec reddiderit, prorſus ſuſpenſa ſit a precibus, & orationum communione;* ex contextu enim patet S. Patrem hic non loqui de villa, prout locum quemdam ſignificat, ſed de familia, quæ raptorem ſuſcepit, hancque non interdicto proprie dicto ſubjicit, ſed in pœnitentiam a communione excludendam præcipit, quæ erat ſpecies quædam excommunicationis medicinalis, de qua ſupra, & ita etiam ſentit S. Aug. ep. ad Bonifacium relatus 17. q. 4. c. 8. ſi tamen revera eſt ejus epiſtola.

26. Interdicta ergo generalia Sæculo VI. ſolum nota fuerunt; rarus tamen eorum uſus fuit.

Nota fuiſſe hoc Sæculo conſtat ex Gregorio Turonenſi in *hiſtor. Francorum* c. 31. ubi narrat, quod cum S. Prætextatus Epiſcopus Rothomagenſis in Eccleſia ipſo die Paſchatis divina officia peragens fuiſſet trucidatus, *Leudowaldus Epiſcopus epiſtolas per omnes Sacerdotes direxit, & accepto conſilio Eccleſias Rothomagenſes clauſit, ut in his populus ſolemnia divina non ſpectaret, donec indagatione communi reperiretur hujus auctor ſceleris.* Hoc porro fuiſſe verum interdictum generale, nemo prudenter dubitare poteſt.

Rara vero hoc & aliquot ſæculis ſequentibus fuiſſe hæc interdicta, nec omnino ad normam modernorum exacta, inde liquere videtur, quod Sæculo XI. vocentur *nova* adhuc, aliterque fuerint adornata, ut jam videbimus.

27. In-

27. Interdicta ergo præſertim generalia Sæculo X. & XI. frequentari cœpecuot.

Cauſam hujus frequentationis non pauci eruditi exiſtimant audaciam illorum Principum, qui ſub Carolo M. ejuſque aliquot ſucceſſoribus deputati Provinciarum Gubernatores, illarum regimen uſurpate auſi ſunt; ut enim horum contumaciam frangerent Epiſcopi, Generali Provinciarum aut Civitatum interdicto uti cœperant, ut populus tædio affectus etiam ipſum Principem ad obedientiam quodammodo adigeret. Sed horum interdictorum illuſtrior foema occurrit Sæculi XI. adoleſcentia in Concilio Lemovicenſi A. 1031. celebrato; in hac enim Synodo ut communis contomelia Principum ac Magiſtratuum Sæcularium frangeretur, Odaricus Abbas Patribus ſuggeſſit c. ut omnibus Lemovicenſibus in tota diœceſi denegetur Eccleſiaſtica Sepultura, infantibus, pauperibus, & aliis quibuſdam exceptis. 2. Ut divinum Officium in omnibus Eccleſiis latentec celebretur, ſed Baptiſmus concedatur. 3. Ut pœnitentia & viaticum in articulo mortis ſolum tribuatur. 4. Ut nemo tempore interdicti uxorem ducat, nemo alteri oſculum det, nemo Clericorum aut Laicorum, vel habitantium, vel tranſeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in Quadrageſima veſci licitum eſt. 5. Ut nemo Laicorum & Clericorum tondeatur, nemo radatur, quoaſque diſtricti Principes, & capita populorum per omnia Sancto obediant Concilio. Hanc ſuggeſtionem ad praxim fuiſſe deductam a Patribus Lemovicenſibus judicat Ademarus Engoliſmenſis circa idem tempus ſcribens; qui & hanc praxim vocat obſervationem *novam*, quod ſatis indicat morem interdicendi ſolemniter Eccleſias &c. prius vel admodum rarum, vel in quibuſdam Eccleſiis necdum uſurpatum fuiſſe; unde & eodem Sæculo Ivo Carnotenſis ep. 94. vocat interdictum *remedium inſolitum*, ob ſuam nimirum novitatem. Addit vero Vaneſpen; Hoc quoque indubitatum eſt, labentibus Sæculis uſum interdictorum præſertim Generalium mirum in modum fuiſſe extenſum; eoque Pontifices & Epiſcopos frequentiſſime uſos eſſe, ut Principes & Magiſtratus, qui particulares excommunicationes in ſuas Perſonas latas contemnebant, ad obedientiam & reſtitutionem adigerent, atque ipſis excommunicationibus vim & efficaciam adderent. Quod meo quidem videri factum eſt ad Sæculi XI. finem, quo luctuoſa diſſidia inter Gregorium VII. & Henricum IV. occaſione inveſtiturarum cœpere, continuatum vero Sæculo XII. inter Gregorii Succeſſores & Henricum V. Henrici IV. Filium, de quo vide libri 1. Titulum VIII. ac poſtea ad hujus Sæculi finem, ac ipſo Sæculo XIII. occaſione diſſidiorum inter Alexandrum III. & Fridericum Ænobarbum, unde prodiverunt cruentæ factiones Gulforum & Gibellinorum in Italia, quarum una Pontifici, altera Imperatori adhæſit, & hinc plures civitates interdictis ſubjiciebantur, ut ad frugem debitamque Romano Pontifici obedientiam eorum terrore revocarentur; quam in rem ea tempeſtate plurimum contulit S. Pater Philippus Benitius Ordinis noſtri V. Generalis, de quo ad 23. Auguſti ita habet Breviarium Romanum: *Ipſe vero plurimas Italiæ Urbes concurſanc, gliſcentes in eis civium diſcordias compeſuit, multaſque ad Romani Pontificis obedientiam revocavit.*

28. Rigor ille, quo cœperant frequentari interdicta, Sæculo XII. & ſequentibus varie mitigatus fuit a Romanis Pontificibus.

Hanc mitigationem videre licet in cap. 11. de *Sponſal.* quod eſt Alexandri III. c. 43. *de ſent. excom.* quod eſt Innocentii III. c. 57. eodem, quod eſt Gregorii IX. & cap. *alma Mater* eodem in *6.* quod eſt Bonifacii VIII. ubi & cautionem hujus relaxationis, & mitigationis præmiſit dicens: *Quia vero ex diſtrictione hujuſmodi ſtatutorum excreſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgant, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita obſequia ſubtrahuntur.* Et hinc vult non tantum infirmos, ſed etiam ſanos tempore interdicti ad pœnitentiam admitti, præterea ut Divina ubique celebrentur januis clauſis, excluſis ſolis interdictis, quos tamen in Feſtis Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis vult intereſſe iiſdem officiis divinis, quæ tunc vult januis apertis, & ſolemniter celebrari. Poſtea diſtricte vetat Ordinariis, ne interdictum ferre præſumant in quacunque cauſa pecuniaria. Similes limitationes poſtea factæ ſunt Sæculo XIV. in Concilio Baſilecoſi Seſſ. 20. & Sæculo XVI. in concordatis inter Carolum V. & Epiſcopum Leodienſem Tit. 8. Concilii limitationes inſertæ ſunt pragmaticæ Sanctioni & concordatis Galliæ ſub Tit. de interdictis non leviter ponendis, in quem textum merito notat Gloſſographus hujus Sanctionis, non ſine magna cauſa & maturitate eſſe procedendum ad interdictum generale, ne facile infiniti inculpabiles propter delictum paucorum a Sacramentis interdicti cenſeantur.

29. Inter ſpecies cenſuræ hodie numeratur ſuſpenſio.

Eam enim inter cenſuras repoſuit Innocentius III. in c. 20. *de Verb. Sig.* tanquam diſtinctam ab excommunicatione & interdicto. Definitur autem communiter ſuſpenſio, prout eſt cenſura diſtincta a reliquis, cenſura Eccleſiaſtica, qua Clericus ob culpam ſuam prohibetur ab executione poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam habet ratione officii aut beneficii Eccleſiaſtici, vel in totum, vel pro parte, vel ad tempus, vel in perpetuum; quæ definitio, quemadmodum & illa excommunicationis & interdicti denuo accommodata eſt illis, quæ a Canoniſtis & Theologis recentioribus communiter de hac cenſura traduntur. In antiquis enim canonibus de hac ſuſpenſione tanquam *pœna* Clericis pro modo culpæ infligenda agitur, neque ut cenſura ab aliis diſtincta conſideratur. Frequens vero Clericorum pœna apud veteres fuit interdictio ſacrarum functionum; cum tamen uſque ad Sæculum IX. nulli ſpeciales Tituli beneficiorum eſſent erecti, ſed Clerici viverent ex communi Eccleſiæ Gazophylacio, ut late deduximus lib. 3. Tit. 5. etiam ignota erat antiquis illa moderna diſtinctio ſuſpenſionis in ſuſpenſionem ab *officio* & *beneficio*; cum enim tum Clerici non acciperent ſuas ſportulas, niſi ob præſtitum ſuum officium, ſuſpenſus ab officio ſuſpenſus quoque fuit a perceptione ſportulæ, ſeu beneficio.

30. Cum olim is, qui ab uno Epiſcopo erat excommunicatus, ab omnibus haberetur pro tali, ad inſtar regulæ jam tum habebatur, cenſuram ab homine latam eſſe tollendam ab eo, a quo lata fuit.

Ab uno Epiſcopo excommunicatum ab omnibus pro tali habitum fuiſſe vidimus ſupra, ubi pariter adnotavimus, quod quamdiu viguit pœnitentia publica, unus & idem eodemque actu abſolverit a cenſuris & a peccatis.

31. Ad Ordinarium ergo primis Eccleſiæ Sæculis ſicut pertinebat cenſuram ferre, ita & ab illa abſolvere; ſi tamen is, in quem cenſura lata fuit, judicaſſet eam injuſtam, vel Epiſcopus eam tollere noluiſſet, hujus rei diſcuſſio pertinebat ad Synodum Provincialem quotannis celebrandam.

Prior propoſitionis pars ex dictis pariter in aprico eſt.

Secun-

Secundam vero exhibet Synodus Nicæna can. 5. dicens: *De his, qui communione privantur ſeu ex Clero, ſeu ex Laico ordine ab Epiſcopis, per unamquamque Provinciam ſententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur, non recipiantur ab aliis. Requiratur autem, ne puſillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Epiſcopi vitio videantur a congregatione ſecluſi. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis ſingulis per quamcunque Provinciam bis in anno concilia celebrari, ut communiter omnibus ſimul Epiſcopis Provinciæ congregatis diſcutiantur hujuſmodi quæſtiones, & ſic qui ſuo peccaverint evidenter Epiſcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æſtimentur, uſquequo vel in communi vel Epiſcopo placeat humaniorem pro talibus ferre ſententiam.*

32. Hac diſpoſitione Synodus Nicæna ſupponit excommunicationem latam ab Epiſcopis a nullo niſi a Synodo poſſe infirmari, neque ab hujus judicio ulterius appellandum eſſe.

Hanc mentem eſſe canonis multis probarunt magnoque ſtudio & fervenſi animo ſuſtinuerunt Epiſcopi Africani in cauſa Apiarii Presbyteri a ſuo Epiſcopo depoſiti & a Zoſimo R. Pontifice in communionem excepti, ut teſtatur Chriſtianus Lupus tr. *de Appell.* c. 12. & nos advertimus lib. 1. tit. 2. N. 111. & ſeqq. item lib. 2. N. 57. &c. hinc canon 125. Codicis Africani ait: *Item placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis, quas habuerint, ſi de judiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos, quidquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu ſuorum Epiſcoporum. Quod ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum ſuarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Gratianus quidem relato hoc canone 2. q. 6. c. 35. addit hanc clauſulam, *niſi forte Romanam Sedem appellaverit*: at ex propria pene & inepte, quaſi Africani trans mare appellantes alio quam ad Romanum Pontificem appellare conſueviſſent, uti notat Binius ad can. 2. Concilii Milevit. II. explodens ineptam hanc Gratiani exceptionem, qui ignorans priſtinam diſciplinam canones ſæpius ad ſui temporis diſciplinam detorquet, uti & nos advertimus lib. 2. §. 7. ad quem in hac appellationum materia lectorem remittimus.

33. Circa Sæculum IX. invaleſcere cœpit diſciplina, ut ſi Ordinarius a cenſuris abſolvere nollet, poſſet recurſus fieri ad Metropolitanum, ab hoc ad Primatem aut Romanum Pontificem, quæ diſciplina in hodiernum diem obtinet.

Hanc propoſitionem illuſtrabis mox cit. §. 7. lib. 2. in eo ſiquidem vidimus occaſione epiſtolarum, quas Pſeudo-Iſidorus Romanis Pontificibus ſuppoſuit, appellationes ad Romanam Sedem frequentari cœpiſſe; altera etiam cauſa fuit, quod ab hoc Sæculo Synodi Provinciales rarius celebrarentur. Et hæc de cenſuris ab homine latis.

34. Inter abſolutiones a cenſuris latis a jure ſeu latæ ſententiæ ſpecialis illa eſt, quæ dicitur ad cautelam.

Hæc præmitti ſolet a Confeſſariis ante ſacramentalem abſolutionem; item in Reſcriptis, Bullis, & Privilegiis Apoſtolicis in ordine ad effectum intentum conſequendum; interdum etiam conceditur ad petitionem partis, cum nimirum dubitatur, an excommunicationem incurrerit, vel excommunicatio injuſta ſit &c. quibus caſibus omnino non ſolvitur excommunicatio, ſed tantum quoad certum effectum, aut durante impedimento, quo ſublato excommunicatus rurſum in excommunicationem reincidit, teneturque abſolutionem ab excommunicatione petere, ideoque hæc abſolutio dicitur cum *reincidentia* vel *ad reincidendum*. Ejus mentio fit in cap. 9. *de except.* Hæ abſolutiones ad cautelam uſque ad Sæculum IX. vel X. quando excommunicationes frequentiores eſſe cœperunt, ignotæ fuiſſe videntur, inquit Vanespen, notatque Cujacius ad cap. 1. *de jud.* Patribus olim ſolemne fuiſſe, ne quis excommunicatus abſolveretur ante diſcuſſam finitamque excommunicationis cauſam, qui & ibi obſervat Raymundum immutaſſe verba canonis Africani a ſe in dicto cap. 1. relati, ut eum ad ſui temporis diſciplinam inflecteret, addendo hanc clauſulam, *donec ſatisfactione præmiſſa fuerit abſolutus*, quæ deſumpta eſt ex c. 23. de V. in quo reſpondet Innoc. III. quod excommunicatus ob contumaciam abſolvendus ſit ſtatim atque ſatisfecerit, etiamſi criminalis cauſa nondum peracta fuerit; cum tamen in canone Africano habeatur, *donec cauſa ejus qualem potuerit terminum ſumat*, ut etiam obſervant Romani Correctores ad cit. c. 1. Patribuſque Africanis diſciplina, quæ tempore Raymundi invaluerat, ut excommunicatus ob contumaciam abſolvatur data cautione judicio ſiſti, prorſus ignota fuerit. De tempore, quo forum abſolvendi a cenſuris diſtingui cœpit a foro pœnitentiali, vide ſupra, de reſervatione vero cenſurarum ibi.

35. Ritus abſolvendi defunctos a cenſuris, quibus innodati ex hac vita deceſſerunt, antiquiſſimus eſt in Eccleſia tum Latina, tum Græca.

Quantum ad Latinam Eccleſiam S. Gregorius ad initium Sæculi VII. Juſtum Monachum proprietatis vitio damnatum, atque a reliquorum conſortio Sancti Viri præcepto ejectum, Miſſis pro eo celebratis, & abſolutione impenſa, fidelium communioni reſtituit, ut ipſe teſtatur lib. 4. *Dial.* c. 55. & ante ipſum S. Benedictus duas Moniales propter morum petulantiam & linguæ procacitatem, ab Eccleſia Sacrificii tempore egredi viſas, quod cum inter vivos degerent, excommunicationis gladio percuſſæ fuerant, oblatione pro eis facta in communionem recipi voluit. Et hæc diſciplina ſancita eſt poſt hæc in jure canonico cap. *a nobis* hoc tit. de ea vide plura apud Albaſpinæum lib. 1. obſerv. c. 11.

Quantum ad Eccleſiam Græcam Euchologium Græcorum R. P. Goarii pag. 545. orationes mortuum indulgentiam omnis *interdicti*, & *excommunicationis*, largientes a Pontifice, vel eo abſente a Patre Spirituali, id eſt a Confeſſore recitandas exhibet, ubi Rubrica habet: *Sciendum præſentes orationes in Offertorio hoc pacto ſolere legi. Cum devotione & cordis compunctione legunt eas omnes concelebraturi Sacerdotes. In magno vero introitu procedentibus extra cancellos cum ſacrorum donorum apparatu Sacerdotibus & circa monumentum vel corpus conſiſtentibus, Pontifex genibus flexis & clara voce cum lacrymis & cordis dolore eas profert. Illis autem terminatis exurgens pro ſiribus ſacra dona ſuſcipit.* Id apud Græcos notabile adnotat Goarius p. 548. inquiens, quod ſi quæ poſt mortem in terram non ſoluta corpora ſepeliant, hæc vel Sanctorum Reliquias, vel perditorum hominum, vel excommunicatorum horrenda cadavera opinantur. Reliquias quidem Sacras, ſi ſuavem exhalent odorem, aliqua decoris luce præfulgeant, nec quidquam horroris præmonſtrent: abominanda ſegregatorum cadavera, ſi, ut ipſi ajunt, ad tympani morem turgentia, nigra, deformia appareant. Nec judiciis falluntur. Longa enim apud eos compertum eſt experientia, excommunicati cujuslibet corpus poſt mortem non putreſcere: pluresque reperti de auditu, & viſu teſtes, cadavera hujus-

modi

modi incorrupta in terram ſuam abſolutione accepta ſub omnium oculis, mox ut ligone a Pontifice percuſſa fuerant, redacta fuiſſe affirmantes. Id nec Latini Græcorum abuſus, errores, & apocrypha alioqui ſubſannare ſoliti, ubi inter eos habitant, falſitatis arguunt: imo ut tolerata in eis Eccleſiaſticæ poteſtatis argumentum ſuſcipiunt. Illud etiam excommunicationis a Pontifice latæ verba comminantur, eamque pœnam virtute a Deo mutuata ſe infligere liquido declarant: ut quamdiu nimirum maledictionis vinculo quiſpiam irretitur, tamdiu corpus ejus indiſſolutum perſeveret. Hujuſmodi ſententiæ ex autographo penes Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. Epiſcopum Vabrenſem reperiendo, mihique perhumane exhibito, deſumptum exemplar ſubjicio.

Cyrillus Dei gratia Papa, & Patriarcha Metropolis Alexandriæ, & univerſalis Throni Cuſtos.

*S*Acerrime *Nauplii & Argo Metropolita, venerande in Sancto Spiritu dilecte Frater, & Comminiſter, gratia tibi & pax a Deo. Præſentibus litteris declaramus, ut quicunque ſunt ii Chriſtiani, qui commovent, & conſulunt uxori Staniſlai, filii Chriſtophori defuncti, ut irritet conventa, & pacti ſcripta, quæ cum Mariti ſui Fratribus Conſtante & Damaſcena firmavit, & ut quæ ab eis accepit, inficietur: ſive viri ſint, ſive mulieres, a Deo Omnipotente ſint excommunicati, maledicti, & incondonati, & poſt mortem inconſumpti, & indiſſoluti, in præſenti Sæculo, & in futuro, & tympani more turgidi, quouſque a dandis ſcandalis deſiſtant, & pacti ſcripta ſuum robur, & ſtabilitatem habere permittant; & ipſa ſuis conventionibus firmet fidem, nec immutet, aut irritet ſcripta & accepta ſub pœna indiſſolvenda, & æternæ excommunicationis, & ab Eccleſia ſegregationis. Quotquot vero in hoc negotio teſtes recipiuntur, niſi abſque perſonarum acceptione teſtimonium perhibeant, ubicunque ad judicium evocabuntur, excommunicati ſint & incondonati. Gratia vero Dei tibi ſit.*

Nec deeſt exemplum effectus maledicti hujuſmodi in Eccleſia Latina firmans fidem. Corpus enim Petri de Luna pſeudopapæ, Benedicti XIII. quondam vocati, Peninſulæ quidem vita functi, Egluceam tamen Aragoniæ oppidum poſtea tranſlati & intra arcem loco profano repoſiti, uſque hodie incorruptum omnino perſeverat, ita narrante Ciaconio in ejus vita, eo quod a Concilio Conſtantienſi excommunicationis fulmine ictus, ut Eccleſiæ, & Pontifici legitime electo rebellis, nullum cum utroque reconciliationis in morte dare voluerit argumentum. Refert etiam Petrus Maffejus hiſtor. Indicæ lib. 5. Anno 1509. ſub Albuquerreio Indiæ Prorege militem navalis turbæ ſocium expiraſſe, qui in mare projectus ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippe infra ſentinam pulſus frequens exaudiri cœpit, quem ad ſtrepitum cum arrepta ſcala vigiles deſcendiſſent, impleatum carinæ ſub ipſo gubernaculo defuncti militis corpus offendunt. Re ad Navarchum delata dubium non fuit, quin cadaver tranſlatum in littus humo contegerent, quo facto prodigie ſuper ipſum ſepulcrum curſus inhumatus apparuit. Ea re attoniti cuncti, at Franciſcus quidam Monachus ſagaci conjectura ſuſpicatus eſt, hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo conſtrictum e vita exceſſiſſe, atque ita in terram egreſſus Sanctiſſimi Viri Benedicti Abbatis exemplo e Pontificia formula conceptis verbis animam demortui rite expiavit, unde reddita pace mortuo, eo myſterio vaga oſſa tandem in ſuo tumulo quievere. Inter ſimiliaria autem hujuſmodi plura exempla, quibus abundant Græci, celeberrimum eſt illud, quod Mehemet ſecundi, qui Regiam Conſtantini Urbem, & Imperium expugnavit, tempore contigit. Is cum externarum gentium mores, & religionem agnoſcendi præter Turcarum morem eſſet cupidiſſimus, de non conſumptis Græcorum excommunicatorum cadaveribus accepta notitia, nunciavit Patriarchæ, ut quæreret hominem communione Eccleſiæ exterminatum, ante longum tempus vita defunctum, in quo narrati miraculi probaret veritatem. Patriarcha tyranni imperio & rei difficultate territus, a Senioribus Clericis monitus eſt, corpus viduæ cujuſdam a Sacerdote relictæ, forma quidem ſuo tempore conſpicuæ, propter manifeſtam autem vitæ libidinem a Gennadio Prædeceſſore e ſacro piorum grege eliminatæ incorruptum adhuc jacere, ut quæ parentorum monitorum impatiens Patriarcham ipſum nefandi ſecum habiti commercii crimine infamaſſe non fuiſſet verita. Re a tyranno accepta tetro cadaveri in morem tympani inflato in Eccleſiam Pammacariſtæ virginis elato, & in arca ſigillis regiis munita incluſo Patriarcha benedictionem impertitur, litteraſque abſolutionis illius, quas ipſe manu ſua conſcripſerat, recitat. Rem dictu miram, compages corporis tunc invicem ſeparari in medio arcæ ita manifeſte, ut aſtantes audirent ſtrepitum, oſſaque omnia carne in cinerem ſoluta denudari cœperunt, & reſerata a Miniſtris Regiis arca, ſola disjuncta, pulvereæ maſſæ intermixta ab omnibus fuerunt viſa. Quo nuntio a Mehemet principe accepto, ſatrapam nomine ſuo dictum, Ameruthæ filium, qui eum de miraculo monuerat, laudato palam fidei noſtræ cultu, chariorem deinceps habuit, quo ſuggerente didicerat, quem Antiſtites, & Sacerdotes Græci Sacro Eccleſiæ cœtu prohibuerint, humo non diſſolvi, niſi veniam a Deo impetrarit, licet mille anni præterierint. Hæc cum pluribus aliis fidem relatis aſtruentibus hiſtoria Conſtantinopolitana in volumine Turcogræciæ.

§. III.

De Irregularitate.

36. IRregularitas communiter definitur, impedimentum canonicum acceptionem ordinum Eccleſiaſticorum aut aliquem eorum uſum *directe* impediens, etiam poſt pœnitentiam.

Irregularitas igitur non eſt cenſura, tum quia directe tendit ad impediendos Ordines ſuſcipiendos, & in iis miniſtrandos, *qua tales ſunt*, in quem finem directe & primario non tendunt cenſuræ, eſto etiam Ordinum ſuſceptionem, vel uſum impediant; tum quia poſt pœnitentiam non tollitur, ſed de ſe eſt perpetua, quod non habent cenſuræ.

37. Eſto in antiquis canonibus nomen irregularitatis non occurrat, res tamen ipſa veteribus uſitatiſſima fuit.

Sic in canone 17. Niceno decernitur: *Quod ſi quis Clericus inventus fuerit uſuras ex mutuo ſumere, vel inde lucrum ſectari, e Clero deponatur, & ſit alienus a canone*, vel, ut vertit Dionyſius, *a regula*, quod idem eſt, ac fiat irregularis. Eadem item Synodus loquens de quibuſdam Presbyteris ſine examine ordinatis & peccata ante ordinationem commiſſa confitentibus ait, *Tales Regula non admittit;* quod idem eſt ac tales cenſeri irregulares; quin antiquitus omnes criminibus gravioribus obſtrictos reputatos fuiſſe irregulares ex infra dicendis patebit. Nunc de ſpeciebus irregularitatis agendum, & primo quidem de irregularitate ex defectu, poſtea de eadem orta ex crimine.

38. Ir-

38. Irregularitas ex Bigamia deſcendens ortum habet ex diſpoſitione Apoſtoli.

Epiſtola enim ad Timotheum deſcribens qualitates in Epiſcopis ac Diaconis neceſſarias inter alia dicit: *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum*; deinde de Diaconis loquens: *Diaconi ſint unius uxoris viri*. Et rurſus in ep. ad Tit. c. 1. præcipiens Tito, ut conſtituat per Civitates Presbyteros, ait: *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir*. Apoſtolum his locis non loqui de Bigamia ſimultanea, ut voluere hæretodoxi, ſed ſucceſſiva, late probavimus lib. 4. §. 1.

39. Græci Patres omnes, & quidam etiam Latini volunt Apoſtolum bis locis præcipue præ oculis habuiſſe incontinentiam, ſeu ejus ſuſpicionem; & hinc ob hanc ſolam cauſam digamos a ſacris ordinibus excludebant.

Ex his S. Chryſoſtomus reflectens ad illa verba Apoſt. homil. 2. *in ep. ad Titum* ait: *Caſtigat hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit poſt ſecundas Nuptias ad Eccleſiæ regimen, dignitatemque Paſtoris aſſumi*. Sed hanc fuiſſe communem ſententiam Eccleſiæ Græcæ vel exinde conſtat, quod digamos ſeu nuptias iterantes pœnitentiæ ſubjecerint, non quaſi nuptias ſecundas cenſerent malas, ſed quoniam ita habentes incontinentiæ arguebant, ut late deduximus cit. lib. 4. Ex Latinis vero S. Hieronymus Græcis adhæſit, atque irregularitatem Bigamiæ in ratione *incontinentiæ* fundatam credidit, dum in ep. ad Titum ſcribit: *Quod autem ait, unius uxoris vir, ſic intelligere debemus, ut non omnem monogamum digamo putemus eſſe meliorem, ſed quod is poſſit ad monogamiam & continentiam cohortari, qui ſui exemplum præferat in docendo*. Quaſi diceret, inquit Eſpenius, ideo vult Apoſtolus, ut Epiſcopus ſit unius uxoris vir, ne alias non poſſit ad continentiam cohortari, qui iteratione nuptiarum ipſe non ſat præferat continentiæ exemplum. Quæ ſententia Græcorum valde plauſibilis eſt, eidem enim aperte favere videntur textus Apoſtoli, ſi mature expendantur; iiſdem enim nihil aliud videtur velle, quam omne virium, ejuſve ſuſpicionem a Miniſtris Eccleſiæ excludere; unde & ex hac eadem ratione 1. ad Timoth. 5. Diaconiſſam vult eſſe unius viri uxorem, certe non propter ſignificationem Sacramenti, cum Diaconiſſæ non fuerint miniſtræ Eccleſiæ, ſed propter ſuſpicionem incontinentiæ.

40. E contra Latini Patres plerique attendentes licitum Nuptiarum ſecundarum uſum, nec ita ad incontinentiæ ſuſpicionem eiſdem annexam reflectentes, crediderunt ab Apoſtolo in hoc præcepto non *incontinentiam*, ſed ipſam *Nuptiarum iterationem* fuiſſe ſimpliciter conſideratam; atque hinc digamos cenſuiſſe irregulares, quod ſuis iteratis nuptiis non repræſentent conjunctionem Chriſti *unius* cum Eccleſia *unica* Sponſa, quem defectum nunc vocamus defectum ſignificationis Sacramenti.

Hanc ſententiam fovit Innocentius I. in epiſt. *ad Victricium* Epiſcopum Rot. c. 6. cujus locum mox referemus. Eandem poſtea amplexus eſt S. Aug. qui lib. *de bono conjugali* cap. 18. ait: *Ita non abſurde viſum eſt eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam ſacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam*. Quæ ſit hæc Sacramenti norma, dein ſubjicit dicens: *Ac per hoc ſicut plures uxores antiquorum Patrum ſignificaverunt futuras noſtras ex omnibus gentibus Eccleſias uni Viro ſubditas Chriſto, ita noſter Antiſtes unius Uxoris Vir ſignificat ex omnibus gentibus unitatem uni Viro ſubditam Chriſto: quæ tunc perficietur, cum revelaverit occulta tenebrarum.... Sicut ergo Sacramentum pluralium Nuptiarum illius temporis* (hoc eſt Patriarcharum) *ſignificavit multitudinem futuram Deo ſubjectam in terrenis omnibus gentibus, ſic Sacramentum nuptiarum ſingularium noſtris temporibus* (hoc eſt noſtrorum Sacerdotum, non quaſi debeant ſinguli habere uxores ſuas, ſed quod ad Sacerdotium non admittantur, ſi ſucceſſive duas autea habuerint) *ſignificat unitatem omnium noſtrum ſubjectam Deo futuram in una civitate cœleſti*, in qua nimirum neque manifeſtæ, neque latentes erunt diſſenſiones, ſicut ſalva charitate ſunt in Eccleſia terreſtri; quam utramque in myſteriis veterum Patriarcharum & modernorum Miniſtrorum Eccleſiæ adumbrare voluit S. Auguſtinus. Et hinc etiam voluis Apoſtolum ideo bigamos excludere a ſacris Miniſteriis, quod duplici ſuo conjugio non exprimerent unitatem Eccleſiæ triumphantis ſubjectæ Chriſto. Unde quamvis Eſpenio, aliiſque Canoniſtis ac Theologis lubens admittam, occaſione ſententiæ Auguſtinianæ in Eccleſia Latina receptum fuiſſe dogma, quod omnis bigamiæ irregularitas deſumenda ſit ex defectu ſignificationis Sacramenti; nego tamen S. Patrem hunc defectum atome in eo poſuiſſe, quod Bigamus non exprimat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia tam terreſtri, quam cœleſti unica Sponſa, ſed quod non ſignificet unitatem Eccleſiæ cœleſtis, in qua ſalva charitate nullæ diſſenſiones erunt, ſicut in Eccleſia terreſtri, hoc enim ejus verba manifeſte ſonant. Nec Innocentius I. L. cit. expreſſit, in cujus Sacramenti ſignificationis defectu laboret Bigamia, quamvis cæteroquin ejus fundamentum in eo & poſuerit, ut mox videbimus, atque propterea cum aliis Latinis Patribus a Græcorum ſententia receſſerit. Ad unguem ergo communem Eccleſiæ Latinæ ſententiam expreſſit S. Leo ep. 1. c. 3. edit. Queſnellianæ, dum inter rationes præcepti Apoſtolici de non ordinando Epiſcopo, niſi fuerit unius uxoris vir, hanc adducit: *Quod ſi in Sacerdotibus etiam in veteri teſtamento figurabatur Chriſti & Eccleſiæ ſpirituale conjugium, illud vel magis ſervandum in novo*.

41. Hæc Patrum Græcorum & Latinorum ſententia diſcrepans circa fundamentum contrahendæ irregularitatis ex bigamia in diverſas eos pariter adduxit opiniones circa contrahendam ipſam irregularitatem ex bigamia.

Græci enim ponentes moralem ejus rationem in ipſa incontinentia, vel ejus ſuſpicione, pronuntiarunt eum, qui ante baptiſmum fuit bigamus, vel unam uxorem habuit ante baptiſmum, & poſt baptiſmum duxit alteram, non eſſe irregularem ex bigamia, eo quod per baptiſmum omnia peccata deleantur, & conſequenter etiam incontinentiæ ſiniſter affectus, quem in bigamis ſuſpicabantur Græci, quem non credebant remanere in baptizatis, cum per baptiſmum fiamus novi homines; & hinc can. 16. Apoſtolorum, qui etſi apocryphi, exacte tamen exprimunt diſciplinam Eccleſiæ Græcæ circa Sæculum IV. & V. cum reſtrictione ait: *Qui poſt S. Baptiſmum duobus conjugiis fuerit implicitus, vel habuerit concubinam, non poteſt eſſe Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sacerdotali*. Quem recte commentatur Balſamon inquiens: *Eum, qui poſt S. Baptiſmum digamus fuerit, vel fornicatus ſit, prohibet canon fieri Epiſcopum, vel ſacerdotale quidpiam exercere; quæ enim ante baptiſmum admiſſa ſunt omnis generis peccata, prætermittit, cum factus ſit novum opus ſola gratia S. Spiritus*. Ex quo iterum lucet, Græcos communiter ſenſiſſe, Apoſtolum voluiſſe fundamentum irregularitatis ortæ ex bigamia in incontinentia vel ejus ſuſpicione collocare. Unde

etiam

etiam differenter a Latinis eruerunt, quare ducens viduam fiat irregularis ex bigamia, quod nempe mulieris ſecundo nubentis incontinentia in ipſum redundet, quam irregularitatem non fundabant in his Apoſtoli verbis, *Unius uxoris vir*; ſed potius in his, quæ ibidem ſubjungit: *Filios habens fideles non in accuſatione luxuriæ*; ex quo intulerunt, quod ſi ſanctitati & efficacitati prædicationis Epiſcopi obſtent filii luxurioſi, pari paſſu obſtet talis mulier de luxoria apud ipſos ſuſpecta. Græcis aſſentit ex Latinis Hieronymus L. N. præced. cit. dum ſubdit: *Multi ſuperſtitioſius magis, quam verius, etiam eos, qui cum gentiles fuerint, & unicam uxorem habuerint, qua amiſſa poſt baptiſmum Chriſti alteram duxerit, putant in Sacerdotio non legendos, cum utique ſi hoc obſervandum ſit, illi magis ab Epiſcopatu arceri debeant, qui vagam per meretrices ante exercentes libidinem, unam regenerati uxorem acceperint &c.* Sed Hieronymi Græcorumque hanc ſententiam retundunt reliqui Patres Latini, negantes fundamentum hujus irregularitatis eſſe incontinentiam, & ad defectum ſignificationis Sacramenti recurrentes, qui cum non ſit culpa, etiam per baptiſmum non deletur, & conſequenter remanet in baptizatis ad impediendam eos a ſuſceptione Sacrorum Ordinum; hinc Innocentius I. L. cit. poſtquam dixit Clericum non eſſe ordinandum, qui ſecundam duxit uxorem, ſubjicit: *Ac ut ab aliquibus exiſtimatur, ante baptiſmum ſi quis accepit uxorem, & ea de ſæculo recedente alteram duxerit, in baptiſmo eſſe dimiſſum, ſatis errat a regula: quia in Baptiſmo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus abolerur;* qui nimirum ex mente Innocentii obſiſtit ſignificationi Sacramenti uno ex modis N. præcedenti explicatis. Eidem adſtipulatur S. Auguſtinus L. mox cit. inquiens: *Propter Sacramenti ſanctitatem ſicuti fœmina etſi catechumena fuerit vitiata, non poteſt poſt baptiſmum inter Dei Virgines conſecrari, ita non abſurde viſum eſt eum, qui exceſſit uxorum numerum ſingularem, non peccatum aliquod commiſiſſe, ſed normam quandam Sacramenti amiſiſſe, non ad vitæ bonæ meritum, ſed ad ordinationis Eccleſiaſticæ ſignaculum neceſſariam.* Et hæc denique ſententia in Eccleſia Latina obtinuit, atque in jus Canonicum relata eſt cap. 5. *de Bigamis non ord.* ex cujus fundamento non ſolum cenſetur Bigamus, qui viduam duxit, quod quomodo explicetur, vide apud Scholaſticos, verum etiam Bigamiæ interpretativæ & ſimilitudinariæ introductæ ſunt, de quibus pariter Scholaſtici commentatores. Hic notandum, inter Canoniſtas non convenire, an extra caſum, quo quis vere duxit duas uxores, contrahatur vere ac *proprie* dicta Bigamia; eo quod hoc ſolo caſu vere ac proprie Sacramentum cum prædicto defectu contractum videatur, & ſic contrahens Bigamus, id eſt duarum uxorum vir proprie dici queat, ſeu binuptialis, id quod ſignificat græcum verbum digamos. Sane ſententia affirmans non leves difficultates patitur, quomodo Maritus Viduæ vel defloratæ, aut copulatus uxori poſt adulterium ob illa commiſſum poſſit dici vere digamus, quam difficultatem evadit ſententia negans, dum ad poſitivam diſpoſitionem Eccleſiæ, ſicut in Bigamia interpretativa & ſimilitudinaria recurrit.

42. Irregularitas ex defectu natalium multis Sæculis ignota fuit in Eccleſia.

Id recte notavit Chriſtianus Lupus tom. 3. *ſcholior.* pag. 29. *Etenim, ait, inter Nicephori Confeſſoris canones habemus & hunc: Qui ex concubina, ſecreto, digamis, aut trigamis nati ſunt, ſi virtutibus prædıti appareant, & ſint Sacerdotio digni, ordinentur.* Et Gratianus Sæculo XII. diſt. 56. id ipſum ſatis innuit; poſtquam enim canoni primo hoc quaſi ſummarium præmiſerat, *Presbyterorum etiam filii ad Sacra officia non ſunt admittendi*, immediate poſt recitatum hunc canonem Concilii Claromontani ſub Urbano II. *Presbyterorum filios* (in Presbyteratu genitos) *a Sacris Altaris miniſteriis removemus*; ſubjungit: *Sed hoc intelligendum eſt de illis, qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerint; verum ſi morum honeſtas eos commendabiles fecerit, exemplis & auctoritatibus non ſolum Sacerdotes, ſed ſummi Sacerdotes fieri poſſunt.* Id quod luculentis teſtimoniis ibidem adſtruit.

43. Quando igitur hæc irregularitas primum inducta fuerit, haud conſtat: videtur non ubique eodem tempore, ſed in aliis Eccleſiis citius, in aliis ſerius introducta, & recepta.

Innocentius III. primos illius irregularitatis auctores videtur ſuppoſuiſſe Urbanum II. qui ſedit ad finem Sæculi XI. & Synodum Pictavienſem. Hoc equidem non ambiguum eſt imprimis circa Sæculum X. XI. XII. plures canones, nec non plurimarum Eccleſiarum ſtatuta ad excluſionem illegitimorum edita eſſe; eo namque tempore ait Lupus pag. 97. *Duces & Comites ſuos paſſim ex ancillis baſtardos violenter intrudebant in ſacras dignitates, atque in ſervili ſimul & adulterino ſanguine fœdabant Eccleſias. Adverſum ergo illos ſolemni juramento ſe adſtrinxerunt plura Capitula de nullis deinceps in ſuum collegium admittendis Baſtardis, nulliſque ſervis, niſi ex Eccleſiæ ſuæ Familia legitime natos.* Accedit, quod ſicut vidimus lib. 1. Tit. 8. ac alibi eo tempore vitio incontinentiæ ſupra modum Clerus fuerit infectus, ac præſertim Anglicanus, uti teſtantur ep. 99. & 102. Paſchalis II. qui ineunte Sæculo XII. ſedit; hi vero nefandi & impudici Sacerdotes omnibus artibus filios ſuos in Eccleſia quaſi jure hæreditario intrudebant, fiebatque ipſum Dei Sanctuarium quaſi hæreditarium.

44. Hæc irregularitas non fuit ſtabilita ante editionem Decretalium a Gregorio IX. Sæc. XIII.

Id aperte colligitur ex conſultationibus variis ad Romanos Pontifices Sæculo XII. ab Epiſcopis præſertim Angliæ circa ordinationem filiorum Presbyterorum directis, atque Romanorum Pontificum, præſertim Innocentii III. qui ad finem hujus Sæculi & initium XIII. ſedit, reſponſis; ex iis enim, ac reſponſo Innoc. rel. c. 5. *de elect.* apud Ant. Aug. in tertia collectione facile apparet, quod non videatur hæc irregularitas firmiter & generaliter ſtabilita ante dictam collectionem; in qua cum Titulus 17. libri 1. inſcribatur, *De filiis Presbyterorum ordinandis vel non*; eique in prima Decretalium collectione apud Antonium Auguſtinum (quam retulimus lib. 1. Tit. 2. N. 255. & ſeq.) addatur, *Nec in Paternis Eccleſiis tolerandis*, ſatis conſtat primum ac præcipue in Conciliis actum fuiſſe de excludendis filiis Presbyterorum tam ab Ordinatione, quam a paterna in beneficiis ſucceſſione. In quodam tamen MS. legitur, uti notatur in marg. Corporis Can. editionis Antwerp. apud Meurſium: *De filiis Presbyterorum & aliis illegitime natis ordinandis vel non:* atque ex relatis Canonibus Conciliorum in Decretales Gregorii IX. pateſcit, non ſolum filios Presbyterorum, & ſpurios, ſed quoſcunque illegitimos tandem irregulares fuiſſe declaratos; ſic enim habet cap. 1. Tit. 17. *Ut filii Presbyterorum & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros Ordines non promoveantur*; cum concordantiis. Quæ Ordinationes per ſubſequentes Pontifices non ſolum quoad Ordinum ſuſceptionem, ſed vel maxime quoad ſucceſſionem in beneficia Patrum, & quidem etiam a filiis ab ipſis ante Sa-

cerdotium ex legitimo toro genitis, ſæpius iteratæ ac ampliatæ ſunt, præſartim noviſſime a Concilio Tridentino, de quo vide Scholaſticos.

45. Cum Apoſtolus velit Epiſcopum eſſe non percuſſorem, Eccleſia ſempet cenſuit eos eſſe irregulares ad ſuſcipiendos ſacros Ordiues, qui ad ſanguinis humaoi effuſionem, hoc eſt mutilationem, vel mortem homiois revera concurrunt, atis mſi mors & mutilatio ſequarur exigeore juſtitia, unde hæc irregularitas vocatut ex defectu lanitatis.

Manſuetudinem ſummam, cui obſtat vel maxime ſanguinis effuſio, connatam eſſe Sacerdotio ſecundum ſe agnoverunt Gentiles, unde narrante Suetonio Titus Imperator acceptavit ſummum Sacerdotium, ut hoc pacto nullius morti ſubſcribere cogeretur. Cum vero Chriſtus omnes ſuos diſcipulos voluerit eſſe mitiſſimos, dicens: *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*; id vel maxime Eccleſia voluit ſervari in & a Sacerdotibus, onde primis ſtarim Eccleſiæ Sæculis ſub Chriſtianis Imperatoribus Epiſcopi pro reis ultimi ſupplicii ſollicite intercedebant, atque Cleto ſanguinis judicium, val concurſum ad illud ſummopere interdicebant; ſimiles demum a ſacris Ordinarionibus excludebat Eccleſia. Quin Sæculo XIV. dubitatum fuit, oum Epiſcopi & Abbates, quibus jus gladii competebat, fiant irregulares, ſi cauſas criminales ſuis Ballivis committant; quod dubium tandam negativa reſolvit Boniſacius VIII. in cap. fin. *ne Clerici vel Monachi &c.* in 6. & hinc hodie Epiſcopi, aliique Prælati non ſolent aliquam in particulari cauſam ſuis Ballivis aut Officialibus delegare, ſed ſimpliciter conſtituunt Ballivos, eoſque perpetuos, qui jure ſui Officii juriſdictionem prælertim criminalem, ſine ulla ipſius conſtituentis interventione exercent, unde minor eſt metus incurrendæ irregularitatis. Major adhuc fuit olim difficultas circa exeradi ionem Clerici degradati brachio ſæculari ordinata ab Innocentio III. cap. 27. de V. S. etſi enim ibi Pontifex velit, ut pro tali apud Laicum Judicem *efficaciter* intercedat Eccleſia, ne morte mulctetur, quia tamen fraquenter ea interceſſio locum noo iovenit, ſimilis traditio ſine incurſu irregularitaris fieri poſſe non videbatur; unde & ipſe Innocantius fatetur, qnod ejus Prædeceſſores ſuper hoc conſulti non omnes idem ſenſerint, dum ait: *Cum quidam antecesſſorum noſtrorum ſuper hoc conſulti diverſa reſponderint*. Hodie tamen Epiſcopi Clericos degradatos pro enormi crimine Curiæ ſæculari traduut, tametſi mortis ſententiam in eos eſſe prolatam, & mox a facta degradatione eos morte plectendos certe ſciant; idque citra metum irregularitatis, modo exterius intercedant, quamvis noverint intarceſſionem plane inefficacem futuram; idqua auctoritate Decretalis Bonifacii VIII. cap. 2. *de homicidio* in 6. receptum videtur; de quo vide Scholaſticos.

46. Irregularitas ex defectu corporis, quamvis notiſſima fuerit in veteri teſtamento, in primitiva tamen Eccleſia non fuit obſervata.

Quantum ad primam partem, Levitici c. 21. v. 18. & 19. dicitur a Domino ad Moyſen: *Loquere ad Aaron: homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam, non afferet panes Deo, nec accedet ad miniſterium; ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi parvo vel grandi vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi jugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, vel herniaſus.*

Cum vero lex nova non tam corporis, quam animi vitia in ſuis Miniſtris expendenda præſcripſerit, hæc lex ab Eccleſia quantum ad præcipuas qualitates corporis in illa præſcriptas ſimpliciter abrogata eſt, atque Eccleſia primitiva imprimis incuria fuit de vitiis corporalibus, ſi ſimila dotibus animi ſupplerentur. Hinc canon 76. vulgo Apoſtolorum: *Si quis vel oculo orbatus vel oblæſus Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat; non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio*: Et turſus canon 27. *Qui autem eſt ſurdus & cæcus, ne ſit Epiſcopus; non ut pollutus, ſed ne officia Eccleſiaſtica impediantur*. Ex quibus canonibus antiquiſſimis maniſeſtum eſt, defectum corporis tum non potuiſſe impedimentum Ordinis etiam Epiſcopatus, ſive irregularitatem, inquit Vaneſpen, niſi talis fuerit defectus, qui defectuoſum incapacem reddidit functionibus Ordini annexis obeundis, quod & Balſamon & Zonaras in commentariis ad hos canones obſervarunt. Et hinc etiam in Eccleſia Latina vergente Sæculo IV. in quintum Innocentius I. ſcribens ad Felicem Nucarianum ait, *canones ſolum prohibere promoveri ad ordinem eum, qui volens ſibi digitum abſcidit, non autem eum, cui aliunde hoc infortunium evenit*; ex quo colligitur etiam Eccleſiam Latinam defectum corporis (miniſterio Eccleſiaſtico abſolute obeundo non obſtantem) pro irregularitate non habuiſſe.

47. Sæculo tamen V. quædam decreta defectuoſos corpore irregularibus annumeraſſe videntur.

Horum primum refertur diſt. 55. c. 3. ex Concilio Romano ſub Hilario Papa, ubi dicitur: *Pœnitentes vel inſcii literarum, aut aliqua membrorum damna perpeſſi ad ſacros Ordines aſpirare non audeant. Quiſquis autem talium conſecratus exſtiterit, factum ſuum ipſe diſſolvet*. Secundum exſtat canone 13. ex ep. Gelaſii I. in qua ait: *Illi, cui eſt erutus oculus, non poſſunt ſecundum canones Sacerdotii jura concedi*. Ad quos canones hic provocaverit Gelaſius, ignoratur; certe canon 76. Apoſtolorum N. præced. relatus *oculo* orbatum admittit ad Sacerdotium, ſi alias dignus ſit. Et Innocentius I. qui Sæculo fere Gelaſium anteceſſit, citata ep. expreſſe ſcribit; *Cui vero caſu aliquo contigit* (amittere digitum), *hos canones præcipiunt & Clericos fieri, & ſi in Clero fuerint reperti, non abjici*. Detur ergo, quod Latina Eccleſia canones Apoſtolicos ex parte, ſeu 50. priores ſolum receperit, uti ex Dionyſio exiguo annotavimus lib. 1. tit. n. hincque citatus canon 76. Gelaſio vel ignotus, vel ab eodem non curatus fuerit, non apparet quomodo cum Prædeceſſore ſuo Innocentio conciliari poſſit, præſertim cum epiſtola ad Palladium Epiſcopum celata eadem diſt. 55. c. 12. ſcribat: *Præcepta canonum, quibus Eccleſiaſtica regitur diſciplina, -- ad Sacerdotium debiles corpore non patiuntur venire*. Quidquid ſit, ſi hæc decreta generaliter ac ſimpliciter ſumantur, videntur hanc irregularitatem ad defectum corporis, *tametſi ordinis uſum non impedientem*, extendere. Interim Canoniſtæ in medio relinquentes ſenſum canonum, qui ſub nomine Hilarii & Gelaſii a Gratiano referuntur, ex illis & poſteriorum Pontificum reſponſis, quæ in Corpus Juris titulo de corpore vitiatis referuntur, concludunt juxta modernam diſciplinam vitium ſeu defectum corporis, qui ſine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem quoad ordines ſuſcipiendos; niſi talis fuerit defectus, ut vel ſimpliciter impediat executionem Ordinis, aut eam corporis deformitatem annexam habeat, ut functiones Ordinis ſecure, & ſine periculo, & ſine ſcandalo peragi nequeant, id quod prudentis viri arbitrio relinquitur dijudicandum.

48. Lariſſime patuit in primitiva Eccleſia irregularitas orta ex crimine, ſeu ex peccato graviori.

Cum enim Patres in ep. ad Titum legerent;

Opor-

Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem; & in ep. ad Timoth. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*; & infra de Diaconis: *Et hi probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes*; volebant eos ſolum ad ſacrum miniſterium eſſe promovendos, qui nullo crimine innocentiam baptiſmalem maculaſſent, nec ſufficere autumabant, ſi per pœnitentiam crimen eluiſſent. Hinc ait Hieronymus: *Non ex tantum, quo ordinandus eſt tempore, ſine ulla crimine ſit, & præteritas maculas nova converſatione diluerit, ſed ex eo tempore, quo in Chriſto renatus eſt, nulla peccati* (mortalis, ſine venialibus enim vivere non valemus) *conſcientia mordeatur*. Et ante Hieronymum, & quidem pro Sæculo II. hujus diſciplinæ teſtis eſt Origenes adverſus Celſum, tanquam indubicatum & notorium aſſerens, quod Chriſtiani lapſos in crimen carnis, & rurſus reſipiſcentes haud ſecus, quam redivivos recipiant, tanquam poſt longiorem melioris meriti approbationem, quam cum primum ad Religionem diſcendam admitterentur; cum hac tamen notabili cautione & conditione, *ut quoniam lapſi ſunt, excludantur impoſterum ab omnibus dignitatibus & Magiſtratibus Eccleſiaſticis*. Hinc etiam illud Concilii Carth. IV. can. 68. *ex pœnitentibus, quantumvis ſit bonus, Clericus non ordinetur*. Et circa idem tempus ſcripſit Siricius Papa ep. 1. c. 14. *Illud quoque nos par fuit providere, ut ſicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem ac reconciliationem nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus adipiſci; qui quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debeant gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum*. Ex quibus infert Morinus; Criminum reos, vel pœnitentiam agentes ab Ordinibus Eccleſiaſticis prohiberi apud veteres æquipollebat. In cujus opinionis confirmationem confert canon 9. Concilii Nicæni, in quo legimus; *Si qui Presbyteri ſine examine ſunt provecti, vel cum diſcuterentur, peccata ſua confeſſi ſunt, & homines contra canones commoti manus confeſſis imponere tentaverunt, tales regula non admittit: quia quod irreprehenſibile eſt, Catholica Eccleſia admittit*. Ex quo canone juncto cum authoritatibus relatis manifeſte videtur ſequi, his Sæculis omnia peccata mortalia ſive publice, ſive privatim admiſſa, ſive publice ſive privatim confeſſa, ſive publicæ pœnitentiæ ſubjecta, ſive privatæ, denique ſive expiata, ſive non expiata induxiſſe irregularitatem, non tantum quoad ſuſceptionem Ordinum, verum etiam quoad illorum uſum, cum canon iſte Concilii Generalis revocans ad Eccleſiaſticam regulam priorem, hos Presbyteros velit ſimpliciter eſſe irreprehenſibiles (id quod etiam vult Hieronymus, & antiquus ille Origenes) & ab executione Ordinum *ſuſceptorum* alienos.

49. Hæc ſancta & rigoroſa diſciplina duravit, quamdiu duravit pœnitentiæ publicæ injunctio, non tantum pro criminibus publicis, ſed etiam occultis, ſeu uſque ad Sæculum circiter XI.

Eam Sæculo VI. & VII. perduraſſe multis in locis teſtatur S. Gregorius M. ac ſignanter lib. 3. ep. 26. ubi ait, hanc irregularitatem ſacris canonibus jam pridem fuiſſe firmatam dicens: *Pervenit etiam ad nos quoſdam de ſacris Ordinibus lapſos vel poſt pœnitentiam, vel ante ad Officii ſui miniſterium revocari, quod omnino prohibemus, & in hac re ſacratiſſimi canones contradicunt. Qui igitur poſt acceptum ſacrum Ordinem lapſus in peccatum carnis fuerit, ſacro Ordine ita careat, ut ad Miniſterium ulterius non accedat*. Hunc locum Gregorii retulit Grat. diſt. 50. c. 9. qui ibi c. 10. & 11. alia Gregorii verba in hanc rem facientia adnumerat. Eandem diſciplinam poſt Sæculi VII. medium inculcat S. Martinus Papa ep. ad S. Amandum Epiſcopum Trajectenſem ſcribens: *Nam qui ſemel poſt ſuam Ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipiſci; ſed ſufficiat lamentationibus & fletibus aſſiduis, quouſque advixerit, in eadem Pœnitentia perdurare, ut commiſſum delictum divina gratia extinguere valeat*. Imo Sæculo XI. non tantum publicos, ſed etiam occultos peccatores habitos fuiſſe irregulares tam ad Ordinum ſuſceptionem, quam executionem probat Eſpenius ex B. Petro Damiani in Opuſculo, quod Gomorrhianum appellavit: ubi multis agit adverſus illos Eccleſiarum Rectores, qui prolapſos in occultiſſimum pollutionis crimen poſt actam pœnitentiam ad ordines promoveri, aut in ſuſceptis miniſtrare poſſe aſſerebant, ſuamque ſententiam veterum Patrum teſtimoniis fulcit, totumque opuſculum Leoni IX. offert, eumque enixe rogat, ut adſcitis prudentibus ac ſpiritualibus Viris illud dignetur examinare, ipſique ſuper his capitulis reſpondere, *ut omnem de noſtro pectore*, inquit, *dubietatis ſcrupulum tollas*. Ad quod Pontifex ita reſpondet, ut ſatis appareat, nondum eo tempore diſtinctionem inter peccata publica, & occulta fuiſſe generaliter receptam, aut a Pontifice probatam.

50. Nihilominus circa hoc Sæculum, quo diſciplina veteri contraria invaluit, ut de peccatis publicis pœnitentia publica, de occultis vero occulta ageretur, ut ſupra vidimus, perſuaderi etiam cœpit Eccleſiæ Rectoribus, crimine per pœnitentiam & ſacramentalem abſolutionem remiſſo, ſublatum quoque eſſe impedimentum ad ſacros Ordines promoveri, vel eorum executioni ſiſtitur.

Id conſtat tum ex querelis Damiani, tum ex reſponſo Urbani II. qui ad hujus Sæculi ſenium ſedit, in quo reſcribit: *De Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, qui poſt acceptum Ordinem in aliquod crimen lapſi fuerunt, ſive palam, ſive clam, conſtat quidem canonum ſenſum ab Eccleſiaſticis eos officiis inhibere; tuæ tamen prudentiæ, diſcretionique committimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamiæ nota non fuerint aſperſi, neceſſitate Eccleſiæ urgente, & ipſorum ſancta converſatione promerente in ſuis gradibus recuperari debeant. Hoc autem ſecundum indulgentiam dico, non ſecundum imperium*.

51. Quin eo his temporibus perſuaſio iſta videtur pervaſiſſe, ut ſola manifeſta crimina ratione infamiæ cenſerentur hanc irregularitatem inducere, neutiquam vero occulta, ſi nimirum eſſent pœnitentia debita purgata.

Hujus ſententiæ Sæculo XII. fuit ipſe Gratianus, qui varios canones & Patrum ſententias, quæ lapſos indiſtincte a functionibus Ordinum excludebant, referens, ac deinde adducens fictitias Romanorum Pontificum Epiſtolas a Clemente ad Siricium Papam, in quibus adhibetur diſtinctio inter crimina publica & occulta, hæc omnia more ſuo ad concordiam revocare volens ita ſcribit: *Poſſunt ſic diſtingui præmiſſæ authoritates; quorum enim crimina manifeſta ſunt ante vel poſt Ordinationem, a SS. Ordinibus dejiciendi ſunt, quorum autem peccata occulta ſunt, & ſatisfactione ſecreta ſecundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere poſſunt*. Diſt. 50. c. 23. In quo Gratianus ſecutus eſt præcedentes Collectores, qui iiſdem epiſtolis a Pſeudo-Iſidoro circa Sæculum IX. confictis decepti hac diſtinctione uſi ſunt.

52. Ut huic diſciplinæ in ſcholis & foro invaleſcenti obviaret Eccleſia, præter crimina publica,

blica, quæ infamiam habent annexam, voluit etiam quædam crimina occulta hanc irregularitatem inducere.

Et hinc Urbanus in reſponſo mox citato ſuæ indulgentiæ ſubtraxit ea crimina ſive publica, ſive occulta, quæ jure civili mortem merentur, & Pontificatus Sæculo XIV. omnia crimina publica & manifeſta ratione infamiæ ſpeciem irregularitatis decrevit inducere cap. 87. de Reg. Juris in 6. quam regulam non tantum de infamia Juris, ſed etiam facti intelligendam poſt gloſſam velle Canoniſtas notat Eſpenius, quod an nunc generaliter obtineat, ignoro. Id tamen clare edicit cap. fin. *de teſtibus*, in quo legere eſt: *Accuſati de crimine, niſi prius probaverint ſe innocentes, a ſuſceptione Ordinum repellantur; quod non eſt, niſi quia pendente accuſatione ſunt infames infamia facti*, inquit Avila. Idem vero Eſpenius in ſpeciali diſſert. de Canonicorum inſtituto p. 2. c. 2. §. 8. & 9. contendit etiam ex hodierna diſciplina, qua non omnia peccata occulta inducunt irregularitatem, eos, qui propter talia peccata in jure expreſſa irregularitatem incurrunt, ex eadem diſciplina ad eos non admitti niſi poſt actam debitam pœnitentiam. Ex hac porro diſciplina invaluit axioma, omne impedimentum irregularitatis adſcribendum eſſe poſitivo Eccleſiæ præcepto, & hinc irregularitatem non cenſeri contractam, *niſi in caſibus a jure expreſſis*; quæ poſterior regula aperte probatur a Bonifacio VIII. cap. 18. *de ſententia excomm.* in 6. Cujus digniſſimi ſucceſſoris Benedicti XIV. feliciter regnantis ac Canoniſtarum ſui Sæculi aperte Principis, ſicut & S. Matris Eccleſiæ infallibili Judicio ſingulos hujus meæ Scripturitionis in univerſum Jus Canonicum apices humillime ſubjicio, veniam petens a Benevolo Lectore, ſicubi me minus omnibus numeris abſolutum (quod fortaſſis frequenter eveniet) deprehenderit, ſicut & quod fidem ad calcem Libri III. datam ex aſſe non exſolverim, unam vel alteram materiam in hunc Librum rejectam omittendo. Si cauſam quærit, hanc ipſi aſſigno: quia ſicut in prioribus Tomis (1), ita & in hoc Author profeſſura, aliiſque domeſticis negotiis occupatus, & ſingulos Tomos annuis diſputationibus exponens, non fuit Dominus temporis, uti id aliis Scriptoribus communiter & feliciter evenire ſolet, ſed tempus Herus Authoris.

(1) *Vide Typographi Præfationem.*

F I N I S.

3 - 281
Z

Digitized by Google

3-211.

Digitized by Google

005639798

Digitized by Google

Digitized by Google